John Adams
Library,



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF No
*ADAMS
*112.8

ANNALIUM MUNDI UNIVERSALIUM,

Origines Rerum, (& Progreſſus,) Sacras juxta ac Seculares, ab Orbe Condito tradentium,

Tomus Unicus,

LIBRIS QUATUORDECIM
Abſolutus.

Opus Utile & Jucundum, ſed & factu Difficillimum,
Suſceptum hactenus à paucis,
Perfectum prorſus à nemine,
Ab omnibus verò deſideratum,

HUGO ROBINSONUS ὁ Μαναέτης, S.T.P. ante annos XLIX *Wintonienſis* Archididaſcalus, & parvo poſt tempore Archidiaconus *Gloceſtrenſis*, (Totis annis quindenis in id impenſis,) elucubravit;

Juſſu Regio recognovit, emaculavit, lacunoſum explevit, multâque nocte adopertum in lucem edidit
THOMAS PIERCE,
S. T. P. Decanus Sariſburienſis.

LONDINI,
Typis *Eliz. Fleſher.* Proſtat apud *Ric. Davis*, Bibliopolam *Oxonienſem.* 1677.

1128

Alterius Orbis *Cæſarum* facilè omnium

AUGUSTISSIMO,

Flori Principum delibato,

Utriuſque *Minervæ* Patrono Maximo,

Eccleſiæ Dei expoſititiæ Nutritio perpetim vigilanti,

CAROLO II.

Dei gratiâ, Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ*, *Hiberniæ* Regi, Fidei Defenſori, &c.

Sereniſſime Regum,

IN *Auguſtale Tuum & oculos extra menſem* Februarii *memet ingerere ſuppuduiſſet, niſi Mandati Tui Aura, hærenti leniter aſpirans, (prorſus ut Virgula* Mercurialis, *) calcar & animos addidiſſet, mihique fuiſſet incitamento, utì Typis evulgari hoc Opus facerem. Opus profectò utiliſſimum, & apud æquos æſtimatores aurum contra non carum, nulliſque non laboribus in uſum Seculi redimendum. Sed cùm unicum mihi ad manus exemplar eſſet, nec id ubique* ’δυσανάγνωστον, *nimirum ſitu tineíſque hinc indè obſitum, diúque tenebris obſeptum, pauca admodum ex Authoris (Eruditiſſimi ſanè) Autographo, plurima verò ex Apographis aliquammultis repræſentans; terrebar utique primâ fronte*

portentoſis ab omni parte quibus urgebar difficultatibus, vix aut nè vix quidem illis abſque Theſeo *aliquo expediendis: nedum mearum eſſe virium videbatur, ex iiſdem quoquo modo feliciter poſſe eluctari. Tandem Imperii Tui ſtimulis impulſus ſuaviter ad audendum, eveſtigio & ſine mora animum indui heptaboëum; perruptis nuperis ſive modeſtiæ, ſive formidinis meæ repagulis, ſpretíſque ſimul quæ paveſecerant Diſcriminum omnium* μορμολυκείοις, *in id præcipuè incumbebam, totúſque in eo verſatus ſum, (aliâ licèt atque aliâ curarum ſarcinâ diſtrictus,) ut res ambiguas enodando, illuſtrando obſcuriores, deſideratas reſtituendo, Scribarum* σφάλματα *caſtigando, omnia denique pro virili (& quantum Conjecturis daretur aſſequi) ad mentem Authoris exigendo,* MAJESTATI *Tuæ inprimis me morigerum exhiberem, Reipublicæ literariæ aliquo pacto inſervirem, & (ſiquis ſenſus ſit in mortuis) ipſi Authori* τῷ μακαρίτῃ, *nunquam mihi de facie noto, nedum vices repoſituro,* Robinſono *(inquam)* τῷ πάνυ, *rem gratam facerem.*

Si à Te uno (REX *Optime, optiméque de literatis unà & literis ſemper merite,) quicquid opellæ eſt quod poſui in hac impoſita mihi* Sparta *qualitercunque adornanda, æqui bonique conſultum fuerit, uſquequaque votorum compoti reliqua mihi ſúſque déque habebuntur omnia, nihilque de cætero me manebit quod non in lucro deputabitur; quippe qui ronchos maligniorum nihilo magìs metuendos, quàm faventium plauſus morandos, arbitror. De Tua unius Voluntate penſum iſthoc accurandum in me recepi; non judicii, (quod perexiguum,) nedum ingenii, (quod ferè nullum,) ſed (quod utroque mihi magìs in votis erat & in deliciis, utroque magìs cordi & curæ erit in æternum,) Obſer-*

vantiæ,

vantiæ, Gratitudinis, & Obſequii gloriæ velificatus. Dúmque alia me movent, hoc unum imperat atque impellit, ut Cujus Nutu hic Codex in lucem editur, Ejuſdem Nomini διαβοήτῳ Tutelæque conſecretur.

Non me latet, conſcribentibus in more ſemper fuiſſe poſitum, (necdum mos iſte exolevit,) ut quibus ſuas aut ſuorum vigilias nuncupant, eorum Laudes Laureáſque certatim celebrent. Atqui tam ferax, & extra fucum, tam ſpatioſus, & extra metam hoc in loco ſe offert dicendi campus, (non niſi Libro Decimoquinto Annalium Mundi emetiendus, nedum circumſcribendus unius Epiſtolæ ſepimento,) ut de Tuis Andragathematis ſatius duxerim Tacere, (prout Saluſtius *de* Carthagine,*) quàm de iiſdem pauca dicere. Nam recolenti mihi Heroas ab omni ævo celebratiſſimos, quos res lætæ & afflictiſſimæ de eximiè quidem Magnis fecêre Maximos, (*Androgeon, Perſeum, Ariſtomenen, Bellerophontem, *aut quicquid uſpiam apud Veteres inſigni nimis erat Virtute præditum,) planè de nemine τῶν ἀγαυῶν vel fando contigit audiviſſe, qui paucioribus annis fecit tulítque plura, aut qui majori temporis compendio longævus abiit. Nemo Regum eſt, inquam, poſt homines natos, (ſi de momentis rerum ac vicibus rectè calculi ponantur,) in cujus rebus buccinandis, & ad ſeros nepotes tranſmittendis, aut ægriùs olim laboravit Annalium Fides, aut annis porrò decurrentibus deſudabit vehementiús. Poſt homines natos idcirco occurrit nullus, cui Annales Univerſales, ſive Sacri, ſive Civiles, potiore quidem jure dicandi reſtant.*

Faxit Dominus Exercituum, cujus cœleſti gratuitæque rerum omnium οἰκονομίᾳ Diadema Tuum Terreſtre acceptum refers, ut tot periculis Te ereptum, tot ſubductum Tempeſtatibus, tot Naufragiis etiam in Por-

tu

tu pluſquam humanitus expeditum, & in ſereno tandem ac ſolido Majorum Solio collocatum, uſque & uſque apud Nos ſoſpitet, MAJESTATEM *Tuam conſervet, Subjectos protegat, Conſilia dirigat, Incepta publica ſecundet, Réſque privatas cùm incolumes tum florentes abunde præſtet. Id quod precibus importunis à Summo Numine contendit*

MAJESTATIS *Tuæ*

Subditus & Sacellanus

obſequentiſſimus,

Thomas Pierce.

Editoris Præfatio ad Lectorem parænetica.

QUanti ad Bellum ſit momenti & ad Rempublicam Hiſtoria,(ſive Sacram, ſive Civilem;) Quot quantíque ſemper Viri Hujuſce ſtudio incubuerint; Ad quàm ſublimem honoris apicem Hæc incumbentes ſibi evexerit; Quinam Reges & Imperatores Huic aſſiduè ſive ſcribendæ ſive legendæ navârint operam; Quibus laudibus atque elogiis Hanc Parentem Sapientiæ, Prudentiæ Comitem individuam, Rei politicæ Magiſtram, Providentiæ Divinæ Adminiſtram, Societatis humanæ Anchoram, Hanc προφῆτιν τῆς ἀληθείας, Hanc Philoſophiæ quaſi Metropolin, *Diodorus* Ille *Siculus*, *Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Alexander Severus* laudatiſſimus, *Conſtantinus Porphyrogenetus*, *Marcus Antoninus* eruditiſſimus Imperatorum, Paparum omnium literatiſſimus *Nicolaus* Quintus, aliíque quà Veteres quà Moderni cohoneſtaverint; apud Scriptores penè innumeros videre licet, qui ex profeſſo hanc provinciam ſuſceperunt adminiſtrandam. Quàm multis porrò paraſangis Hiſtoria verè *Univerſalis* ſit reliquis ſingulis antehabenda, (qualem *Caſtellæ* Rex ſæpe & miſerè exoptavit *Alphonſus* Decimus,) unus quidem, ſed inſtar millium, longè digniſſimus eſt *Polybius*, qui omnium nomine exaudiatur. Hujus nimirum beneficio, Juvenes admodum conſeneſcimus; Senes facti de novo naſcimur; Domi manentes peregrinamur; Tacentes loquimur; Alloquimur abſentes; Vitâ defuncti deinceps vivimus; Mortui docemus; Aliorum Laboribus ſine labore noſtro perfruimur; Promptuario rerum inæſtimabili gratìs & facilè locupletamur; Sapientiam Dei πολυποίκιλον ſtulti & ſimplices edocemur; Dei Cultum juxtà & Opera, Hominum Geſta Inventáque ad ſeros poſteros tranſmittimus: Pacta inſuper atque Conventa, Promiſſa omnium ac Fœdera, quibus integre ſervandis opus eſt fide indelibatâ, Hujus cuſtodiæ immortali fidiſſimæque commendamus: In hoc denique Ærario (utì in pauca rem conferam) omnium Diſciplinarum Theſauros, Veterúmque Monumenta, ſimul recondimus pretioſiſſima.

l. 1. p. 4, 5. l. 3 p. 185. ad p. 187. l. 5. p. 378. l. 8. p. 514.

Vide *Robinſonum De origine Literarum* l. 2. p. 110.

Non eſt noſtri Inſtituti, ut inter Noſtrum reliquóſque qui proſtant publicè Hiſtoricos quantum interſit expendamus; neque quantum Hic Noſter cæteris omnibus antecedat, qui rerum geſtarum veritatem indè uſque ab Orbe condito, tam ex fonte Sacroſanctæ Scripturæ limpidiſſimo, quàm ex puteo Fabularum ſequiorum temporum impeditiſſimo, ſummâ quâ fieri poteſt fide ſummâque operâ eruentes, in apricum proferre anniſi ſunt. Illud ſaltem hîc liceat ſine cujuſquam invidia dicere: Tantum abeſt à fuco Lectoribus ſuis faciendo qui huic Primo Annalium Tomo præfixus eſt Titulus, ut Theologica, Philoſophica, Geographica, Chronologica, Rerum Pandectas æquè ac Hominum, in ſeſe paſſim complectens, plura longè præſtet quàm præ ſe præſtare ferat. Ex hoc Volumine perlecto tanquam è Cœlo deſpiciamus, non unius aut alterius, verùm uniuſcujuſque Gentis, & incunabula, & infantiam, & præclarè aut perperàm deinde geſta, (quantum quidem ex oblivionis ignorantiæque tenebris erui poteſt,) ſub uno quaſi aſpectu poſita; nec ea confuſa permiſtáque, ſed ſuo quæque temporum quibus acta ſunt ordine, ſerieque annorum, diſtincta ſimul & diſtributa. Omnes (inquam) rerum humanarum viciſſitudines, quaſi totidem accedentes recedentéſque marium æſtus; ut aliæ gentes emerſerint è tenebris & emicuerint, aliæ in profundum ſint demerſæ,

ſæ, quæ ante annos haud ità multos in ſummis aquis volitaverant; maximè autem & præ cæteris, ut Eccleſiæ ſuæ Naviculam, in mediis undarum procellarúmque juxtà periculis, prudenter Deus gubernârit, ſartam tectam præſtiterit, atque per tot ſeculorum decurſus ad nos tranſmiſerit inconcuſſam; ex hoc Opere devorato rectéque concocto contemplemur. In hoc eodem Annalium Tomo, Sacræ paginæ Hiſtorica paraphraſticè exponuntur; Artium fontes & Diſciplinarum, à memoria hominum remotiſſimi & quaſi nubibus obducti, liquidò ſatis indigitantur; Regiones Moréſque Gentium, prout occurrunt, deſcribuntur; Nodi Hiſtorici nobiliores ſtrictim & breviter explicantur; Significata fabularum idolorúmque apud *Græcos* ità ſanè inveſtigantur, ut ubique ferè ſiparium, legentium oculis oppanſum, felici indagine ſubmoveatur.

In hujus autem Lucubrationis (multis in locis imminutæ) Editione adornanda, quicquid illud eſt muneris quod mihi tantùm-non divinitus, quippe à Rege clementiſſimo, Chriſto Domini, eſt demandatum, ad id pro viribus obeundum eò libentiùs memet accinxi, quò ſegniùs alii plerique de aliena ſobole ſuſcipienda vel navant operam, vel curam adhibent; toti ſcilicet in ſuis ipſorum fœtibus præchariſſimis deoſculandis, demulcendis, propalandíſque occupati. Quinimo Operis & Autoris nativa dignitas ſive præſtantia in non exiguum utriuſque conſervandi ſtudium me rapuit. In ambiguo videlicet apud animum tunc meum verſatum eſt, & etiamnum certè verſatur, ullúſne hactenus prodierit primorum Temporum Indagator, cujus aut major elucet πολυμάθεια, aut judicium acrius, aut ἀγχίνοια ſubtilior, aut ſtylus caſtior, magíſve ad guſtum *Latinæ* gentis accommodatus. Non minus ſtudii videtur Ille in congerendo adhibuiſſe, quàm & curæ in deligendo, & in digerendo prudentiæ. Víſne, Lector, ut *Robinſoni* quanti quanti rationem reddam tibi quantulamcunque? Inſignem illum in bonis literis quem ſanè magnis itineribus progreſſum fecit, Phrontiſterio Illi *Wykehamico* apud *Oxonienſes* celeberrimo acceptum tulit. Et pace tot illuſtrium virorum dixerim, Seminarium illud, omni præconio majus, præſtantium oppidò ingeniorum (ſi quod aliud) feraciſſimum, vix aut nè vix quidem dediſſe Authore noſtro præſtantiorem. Indè abiit Scholarcha Gymnaſii *Wintonienſis* celebratiſſimi celeberrimus; quod perinde ferè eſt ac ſi dixiſſem, *Vir in omni literarum genere verſatiſſimus.* Nimirum ardua res eſt, & cui ſuppares ſunt pauciſſimi, Scholam ejuſmodi aperire, támque moribus quàm doctrinis alumnos ritè inſtituere. Quales quantíque, (Deus bone!) ex puris putis Ludimagiſtris, (poſt *Wainfletum Wolſæúm*que neminem attinet nominare,) in ſumma ſtatim Eccleſiæ Lumina, Regníque Columina, emicuerunt? Ut nemini mirum videri debeat, ſi apud maximos Imperatores, eóſque optimos, in maximo ſemper Præceptores honore fuerint. Nè alios nominem complures, Tantum *Marcus Antoninus* Magiſtris ſuis honoris detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet; ac ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret. *Cum Junio Ruſtico* (eorum uno) *conſilia omnia communicavit, privata & publica; cui etiam ante Præfectos prætorio ſemper oſculum dedit; quem & Conſulem iterum deſignavit; cui poſt obitum à Senatu ſtatuas etiam poſtulavit.* [*Julius Capitolinus* in ejus Vita.] Sacroſanctæ Theologiæ Profeſſor factus Hic Noſter, *CAROLI Primi* Sacellanus, Canonicus *Wellenſis*, *Gloceſtrenſis* Archidiaconus, tandémque omnibus propter fidem Regi præſtitam exutus, valde noluit Talentum ab Hero ſummo ſibi concreditum (quemadmodum Servus ille ἀχρεῖος) inutiliter ſudario involutum defodere; ſed quæ inceſſit ipſius animo proficiendi ſuis cupidinem, indè uſque ad obitum teſtatam fecit, ipſóque mortis in articulo mirum in modum obſignavit. Nihil turpius ducebat quàm grandiorem natu

ſenem,

ſenem, qui argumentum non habet aliud quo ſe diu vixiſſe probet, præter ætatem. Nihílque magìs *ſuum* credidit, quàm cujus ſibi cum aliis conſortium eſſet. Quapropter, perquam lectiſſimo librorum penu ditatus, acri judicio magnóque præditus, ſtylo pollens planè limato, & ſiquis alius *Latiniſſimo*, (*Ciceronem* pariter & *Cæſarem* ubique ſuaviter redolenti,) corrogatis undecunque quæ ab Autoribus præſtantiſſimis ſparſim fuerant exarata, Vir ad Hiſtorias conſcribendas egregiè factus & comparatus, Hòs *ANNALES* concinnavit in omne ævum duraturos; in hoc uno ſcribendi genere (ſi mei judicii res ſit) —πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, & cui optimè Perduelles tantum opus aggrediendi fecerunt otium; planè ut *Ephorum Iſocrates injectâ manu à foro ſubduxit, utiliorem componendis monumentis Hiſtoriarum ratus.* Sed uberioribus ejus laudibus ſuperſedendum mihi exiſtimo, cujus *Annales* profectò optimam laudis materiam ſuppeditabunt, omníque invidiâ ſuperiorem. Poſſe Lectoribus perſuadere, ut Librum unum aut alterum maturè devorent digerántque, in compendium eſt laudare Volumen integrum.

Seneca de Animi tranquill. c. 6.

Siquid uſpiam offenderis, amice Lector, aut uſquequaque non abſolutum in hoc *Annalium Tomo Primo*, aut ipſiuſmet Autoris ſupremâ manu non perpolitum, illud neutiquam imputabis alieni operis Procuratori; verùm Autoris literatiſſimi præpropero fato condonabis, reíque ipſius difficultati. Quis eſt ille tam *Lynceüs*, támque præ cæteris ὀλβιοδαίμων, ut in tenebris ſæpe incedens non ſæpe titubet? Neque enim te latet, quàm ſit difficile, ejus Temporis quod *Varro* ἄδηλον, & ejus quod μυθικὸν appellavit, Hiſtoriam aliquam contexere, (exceptis ſolis quæ in Sacris habentur Literis;) aut ea tandem aperire, quæ in diutina hactenus obſcuritate latuerunt, reconditæ obſtruſæque Vetuſtatis caligine occultata. Neque profectò negari poteſt, magnam eſſe in hac parte literarum ſolitudinem; latiſſimos hîc illic jacére campos, non eos quidem omnino ſteriles, verùm incultos propemodum, loliíque duntaxat feraces ſceleratiſſimi; ut meſſis indè perexiguæ ſpes ſit nobis demetendæ. Satìs interim *ROBINSONO* in laudem cedit, ubi de vero nihil conſtat, veroſimillima tradidiſſe; & τὸ γνωστὸν rerum priſcarum in unam Synopſin redegiſſe; quicquid denique à quoquam præſtari potuit, præſtitiſſe.

Nè quem verò Hiſtoricorum in his *Annalibus* componendis videatur tibi (Lector) compilâſſe Hic Noſter, néve cujuſquam tibicine quaſi ſuppoſito indiguiſſe, en tibi Syllabus Autorum, cùm veterum tum recentiorum, quorum aut Dogmata ventilantur, aut Dicta ad obruſſam Antiquitatis exiguntur, (& corriguntur adamuſſim limâ criticâ,) aut inter ſe Diſſidia & diſcrepantiæ penſitantur, aut à quorum ſententia quoquo modo diſceditur, aut qui Erroris qualiſcunque in his *Annalibus* arguuntur.

A.

ABen-Ezra, l. 1. § 24. l. 4. § 15.
Abulenſis, l. 1. § 61. l. 2. § 11. l. 10. § 26.
Acoſta, l. 11. § 35.
Africanus, l. 5. § 4.
Altabeginus, l. 1. § 54.
Ambroſius, l. 1. § 40.
Antoninus Liberalis, l. 9. § 4.
Apollodorus, l. 4. § 14. l. 6. § 16. l. 8. § 9.
Aquinas, l. 1. § 56.
Arias Montanus, l. 11. § 35.
Ariſtoteles, l. 1. § 8. 17. 18. 54. l. 9. § 20.
Auguſtinus, l. 1. § 23. l. 3. § 4. l. 4. § 32. l. 5. § 2. 20. 34. l. 8. § 2.

B.

Becanus, l. 1. § 52. l. 2. § 6.
Beda, l. 1. § 40. l. 5. § 57.
Bellarminus, l. 4. § 12. 32. l. 14. § 16.
Beroſus, l. 1. § 96. l. 2. § 39
Beza, l. 1. § 11.
Bonaventura, l. 1. § 56.
Brounus, l. 9. § 12.
Broughtonus, l. 14. § 29.

C.

Cajetanus, l. 1. § 12. l. 2. § 3.
Calvinus, l. 1. § 9. l. 3. § 11. 31.

Capellus, l. 4. § 1.
Cardanus, l. 5. § 21.
Chryſoſtomus, l. 1. § 9.
Clemens Alexandrinus, l. 4. § 14.
Comenius, l. 1. § 23.
Comeſtor, l. 2. § 11.
Copernicus, l. 1. § 54.
Crakenthorpus, l. 11. § 35.
Cteſias Cnidius, l. 2. § 43.

D.

Damaſcenus, l. 3. § 5.
Diodorus Siculus, l. 2. § 33. 38. l. 5. § 21. l. 6. § 17. l. 7. § 24. l. 8. § 8. 12. l. 10. § 4. l. 13. § 12.
Dionyſius Halicarn. l. 13. § 11.

E.

Epicurus, l. 1. § 62.
Epiphanius, l. 2. § 6. & 10.
Euhemerus, l. 5. § 21.
Euſebius, l. 1. § 40. l. 4. § 14. l. 7. § 31. l. 10. § 14.

F.

Feliſius, l. 1. § 35.

G.

Grotius, l. 1. § 81.

H.

Helvicus, l. 9. § 4. l. 10. § 14.
Heylin, l. 2. § 9.
Herodotus, l. 1. § 54. l. 2. § 33. 46.
Hieronymus, l. 1. § 24. 40. l. 2. § 9. l. 3. § 35. l. 4. § 15. 32.
Homerus, l. 1. § 10.
Hoſpinianus, l. 1. § 95.
Hyginus, l. 6. § 16. & 23.

I.

Joſephus, l. 1. § 53. 54. l. 2. § 8. 9. 37. l. 3. § 3. 5. 8. l. 4. § 15. 19. l. 5. § 2. 3. 22. l. 7. § 27. l. 10. § 17. 18. 32. l. 11. § 29. 32.
Joſeph Rabbi, l. 2. § 10.
Junius, l. 10. § 16. 17. 26. 29. l. 11. § 35.
Juſtinus Martyr, l. 7. § 15.

K.

Keckermannus, l. 1. § 20. 54.
Kimchi, l. 9. § 12. l. 14. § 16

L.

Leo Papa, l. 1. § 40.
Levi Ben-Gerſon, l. 9. § 12
Lombardus, l. 1. § 9.
Lucanus, l. 1. § 54.
Lucretius, l. 1. § 54.
Lutherus, l. 1. § 9. l. 3. § 11.
Lydiatus, l. 2. § 30. l. 4. § 8.
Lyranus, l. 1. § 9. l. 4. § 32. l. 9. §

M.

Macrobius, l. 1. § 88.
Manetho, l. 4. § 19.
Martyr, l. 10. § 26.
Mela, l. 1. § 81.
Mercerus, l. 1. § 24. l. 3. § 11
Moſes Maimonides, l. 4. § 32.
Moſes Bar-Cephas, l. 1. § 57.

N.

Nauclerus, l. 2. § 33.
Nierembergius. l. 2. § 20. l. 5. § 20.
Niger, l. 11. § 35.

O.

Oecumenius, l. 5. § 56.
Oleaſter, l. 4. § 32.
Origenes, l. 4. § 15.
Oroſius, l. 5. § 10.
Oſiander, l. 10. § 32.

P.

Palæphatus, l. 2. § 16. l. 6. § 17.
Paræus, l. 1. § 11. 47. 87. l. 2. § 6. l. 3. § 30. l. 4. § 16.
Paterculus, l. 7. § 31. l. 10. § 4. l. 12. § 17.
Pauſanias, l. 2. § 38. 39. l. 5. § 4.
Pellicanus, l. 10. § 32.
Pererius, l. 1. § 9. 57. 61. 94 l. 2. § 9. 39. l. 3. § 8. l. 5. § 2.
Perkinſius, l. 1. § 38.
Philo Byblienſis, l. 2. § 38.
Philo Judæus, l. 5. § 3.
Pineda, l. 11. § 35. l. 6. § 7.
Plinius, l. 1. § 54. l. 2. § 33. 39. l. 5. § 21.
Porphyrius, l. 4. § 5. 31.
Poſtellus, l. 11. § 35.
Procopius, l. 4. § 15. l. 6. § 15.
Pſellus, l. 1. § 35.
Ptolemæus, l. 1. § 54.

R.

Rabanus, l. 1. § 40.
Raleius, l. 1. § 81. 96. l. 2. § 6. l. 3. § 3. 8. l. 5. § 7. 22. 23.
Ribera, l. 11. § 32.
Rupertus, l. 4. § 32.

S.

Salomon Rabbi, l. 4. § 15.
Scaliger uterque, l. 1. § 40. 52. l. 2. § 15. l. 5. § 20. l. 8. § 8. præcipuè § 13. & l. 9. § 4. l. 11. § 41. l. 3. § 15.
Schillingius, l. 1. § 40.
Seneca, l. 1. § 54.
Serarius, l. 6. § 7.
Sigonius, l. 4. § 1. l. 5. § 34. 39.
Simlerus, l. 1. § 95.
Simplicius, l. 1. § 40.
Sotus, l. 2. § 4.

T.

Tacitus, l. 2. § 20.
Tatianus, l. 2. §. 10.
Theodoretus, l. 5. § 57.
Thucydides, l. 10. § 4.
Tilenus, l. 1. § 14.
Torniellus, l. 1. § 65. 90. l. 2. § 10. l. 3. § 2. l. 10. § 26. 27. l. 14. § 16. l. 4. § 15.
Toſtatus, l. 2. § 20. l. 4. § 12. l. 5. § 57.
Tycho Braheus, l. 1. § 54.

V.

Vatablus, l. 11. § 35.
Virgilius, l. 1. § 40.
Vives, l. 1. § 81.
Voſſius, l. 1. § 24. 81.
Uſſerius, l. 10. § 32.

W.

Willetus, l. 5. § 22.

Z.

Zaga Zabo, l. 11. § 36.
Zanchius, l. 1. § 9. 36.

SYNOPSIS

SYNOPSIS

Rerum præcipuarum quæ in his Annalibus vel expoſitæ ſunt uberiùs, vel aliquo pacto ventilatæ, aut revocatæ ad perpendiculum.

LIB. I.

DEUM eſſe, *adverſus Atheos*, § 1, *&c.* *De Sacra Triade myſterium*, § 6. *Mundum æternum non fuiſſe, ſed ex nihilo factum*, § 8. *Terram & Aquam primo die exſtitiſſe, Cœlum non item*, § 9. *Natura Terræ, ſimul & Aquæ*, § 10. *Ex his reliqua, non ex nihilo producta*, § 11. *Spiritum Sanctum aquis incubuiſſe*, § 12. *Terram & Aquam Principia rerum cæterarum, Philoſophos aliquot ſtatuiſſe*, § 13. *Prima Lux quo vehiculo ſit uſa*, § 14. *Aëris atque Ignis, & Cœli inſuper natura*, § 15, *&c.* *Aquæ fluviales & marinæ*, § 19. *Meteora generatim, præcipuè verò Cometa*, § 20, *&c.* *Non ſuſpendi ſupra cœlos Aquam*, § 23. *Non ſecundo, ſed tertio die, ſejunctam fuiſſe ab Aquis Terram*, § 24. *Maris natura, Aquarúmque aliarum*, § 25, *&c.* *De Miſtis corporibus, Foſſilibus, atque Plantis*, § 27, *&c.* *De Terræ-motu*, § 33. *Angeli boni malique*, § 34, *&c.* *Quæ ſit ex aſtris Divinatio*, § 38. *Stellarum qualis natura ſit*, § 39. *Quâ anni tempeſtate prodierit Mundus*, § 40. *De aquaticis, aëreis atque terrenis Animalibus*, § 41, *&c.* *De Homine præſertim*, § 46. *Locus Paradiſi indagatus*, § 47. *Hominis Dominium in alias res*, § 50. *Lingua non* Scythica, *ſed* Hebraïca, *primitiva*, § 52. *Mundum eſſe naturâ ſuâ immortalem*, § 54. Adami *peccatum & pœna, ſed & ſpes à* Chriſto, § 57. *Veſtium uſus & abuſus*, § 58. *Terra natalis* Adami *quæ*, § 60. *Quoto die ſint lapſi Parentes primi*, § 61. *Jus Naturæ*, § 62. *Sabbatum inſtituitur*, § 63. *Nota Gentibus Naturæ humanæ depravatio*, § 64. *Prima hominum Domicilia & Victus*, § 66, 67. *Religio in Sacrificiis*, § 68. *De Eccleſiá*, § 72. *Reipublicæ inſtitutio prima*, § 73, *&c.* *Artium liberalium inventores*, § 79. Joppa *urbs malè ante Diluvium eſſe ſtatuitur*, § 81. *Quiſnam fuerit à* Lamecho *interfectus*, § 82. Henochi *Vaticinium, aliáque Apocrypha ejuſmodi*, § 83. *Ubi Sepulchrum* Adami *fuerit*, § 85. Noachus *cur dictus*, § 87. *Arca ejus qualis*, § 90. *Vivacitas hominum in primo ævo*, § 92. *In* Armenia *Arcam reſediſſe, non in* Caucaſo, § 95, 96. *De Diluvio* Noachano *teſtimonia Veterum, & ſigna*, § 97.

LIB. II.

C*Arnibus veſci ante Diluvium non licebat*, § 2, 3, 4. *Ebrius* Noachus *& nudus deriſores exſecratur*, § 5. *Turrem* Babylonicam *non eſſe conſtructam Diluvii metu alterius*, § 6. *In* Senaare *omnes mortales adfuiſſe, etiam* Noachum, Semum, Japhetúm*que*, ibid. *Turris* Babylonicæ *molitionem gentibus profanis fuiſſe notam*, § 7. Ex *filiis* Noachi, *quas quiſque partes terrarum occupârit*, § 8, 9, *&c.* Pelego *jam nato Diſperſionem gentium contigiſſe*, § 10. Ægypti *deſcriptio, ubi de incremento & belluis* Nili, § 13. *Unde tot in* Ægypto *Dynaſtiæ prodierint*, § 15. *Pyramides* Ægypti *quales*, § 16. Scythiæ *deſcriptio* Scytharúm*que*, § 17. Amazonum *origo*, ibid. *Idololatriæ fontes indagantur*, § 18. Ægyptiorum *veterum religio quæ*, § 19. *Literas non à* Moſe *inventas primùm*, § 20. *Libros* Mercurii Triſmegiſti *non eſſe qui feruntur*, § 21. *Navium origo & utilitas*, § 23. *Cauſæ bruta animalia conſecrandi in* Ægypto, *præter* Iſidem

& Oſi-

& Oſirin, § 24. *Sacrificiorum ritus, & Funerum*, § 25. *Mores* Ægyptiorum, *inſtituta, & leges*, § 28. Meſopotamiæ *deſcriptio &* Babyloniæ, § 29. Nimrodum *&* Ninum *eundem eſſe*, § 30. Amazones Africanæ Aſiaticis *antiquiores*, § 32. *Urbs* Ninive *ubi ſita*, § 33. *Deſcriptio* Aſſyriæ *atque* Aſſyriorum, § 34. Bactriæ *deſcriptio &* Bactrianorum, § 35. Semiramis *unde orta, & uſque quò creverit*, ibid. *Humanæ vitæ contractio*, § 36. *Quantum inter ſe differant* Africanus *&* Joſephus, *utut ex eodem* Manethone *haurientes*, § 37. Babylon *urbs quanta & qualis*, § 38. Chaldæorum *artes, & doctrina de Principiis*, ibid. Belus Babyloniorum *quis*, § 39. *Eorum mores & religio*, ibid. *Exterioris* Libyæ Libyúm*que deſcriptio*, § 41. *Unde color* Æthiopum, § 42. Æthiopiæ *deſcriptio &* Æthiopum, ibid. & § 43. *Oracula unde primùm orta*, Dodonæum *præcipuè &* Ammonium, § 43. *Deſcriptio* Indiæ Indorúm*que*, *quibus* Semiramis *inhiabat*, § 44. *Ejus fuga & mors cujuſmodi fuerint*, § 45. *Imperii* Aſſyriaci *duratio ex* Trogo *petenda, non* Africano *aut* Herodoto, § 46.

LIB. III.

Q*Voto patris anno ſit natus* Abrahamus, § 3. *Exemplum* Abrahami *diſſimulantis uxorem periculoſum*, § 4. & 21. *Quinam ii reges quatuor fuerint* (Gen. 14.) *qui* Pentapolin *ſunt depopulati*, § 8. *Qui olim Sacerdotes ante Legem* Moſaicam, § 9. *Quis fuerit* Melchizedecus, *Spiritúſne, an* Semus, *an homo* Canaanæus, § 10. *De Decimarum jure ante* Moſem, *& apud* Chriſtianos, § 11. *Colloquium Dei cum* Abrahamo, § 12. Abrahami *poſt Diluvium primi Polygamia*, § 13. Arius *frater* Ninyæ, *idémque filius, quis & qualis*, § 14. *Circumciſionis fœdus & ſacramentum quale*, § 15. *Impoſitio nominum propriorum die octavo*, § 16. *Colloquium Dei aliud cum* Abrahamo *de filio è* Sara, *atque excidio* Sodomæorum, § 17. *Uxor* Loti *ut ſit mutata in columnam ſalis*, § 18. *De lacu* Aſphaltite, *ſeu mari Mortuo*, § 19. Moabus *&* Ammon Loto *inceſtu filiarum nati*, § 20. Iſaaco *nato, ejicitur* Iſmaël, § 22. *Fœdus* Abrahami *cum* Abimelecho *initum* (§ 23.) *ſequitur* Iſaaci *immolationis deſcriptio*, § 24. *Typus* Chriſti Iſaacus *in ſacrificio, & in matrimonio*, ibid. & § 30. Cretæ *deſcriptio &* Cretenſium, § 25. Idæi Dactyli *&* Curetes *qui fuerint*, ibid. Thebarum Ægyptiarum *magnificentia, &* Oſymandyæ *ſepulchrum*, § 26. Myridis *lacus prope* Memphin *memorabilis*, § 27. *Magni* Seſoſtris Ægyptiaci *educatio ſingularis & victoriæ*, § 28. *Ratio luctûs funebris & ſepulturæ, ex occaſione* Saræ *mortuæ & ſepultæ*, § 29. *Jurandi ratio & ritus varii, ex occaſione juramenti quo ſervum ſuum* Eliezerum *obſtringebat* Abrahamus, § 30. Iſaaci *nuptiæ cum* Rebecca, ibid. Cetura *quæ & quando nupta* Abrahamo, § 31. Seſoſtris *redit in* Ægyptum, *operáque edit magnifica*, § 32. Junonis *atque* Neptuni *de* Argolide *contentio quid ſibi velit*, § 33. Semus *moritur:* Rebecca *tandem parit geminos*, § 34. *Moritur denique* Abrahamus, *à Scriptoribus etiam profanis celebratus*, § 35.

LIB. IV.

HEbræi *ab* Hebero *dicti, non ab* Habar, tranſitu, § 1. Eſavus *jus ſuum rufo jure permutat*, § 2. Iſaacus Gerarem *ſe confert, poſtea* Beerſhebam, § 3. Seſoſtris *moritur cæcus, in cujus filio cæcitatis curatio mira*, § 4. Phoroneüs Argis, Leucippus Ægialeæ *regnat*, § 5, 6. Eſavus *unà duas uxores ducit*, § 7. *De* Ogyge *multa*, § 8. Jacobus Eſavo *benedictionem præripit à cujus odio fugit in* Meſopotamiam, § 10. Ogyges *cum regno diluvio perit*, § 11. Jacobi *ſomnium & ſcala quid ſignificent*, § 12. *Votum ejus, & indè quæſtio, an res per ſe bonas ac debitas, an etiam additâ conditione, vovere liceat*, ibid. Jacobus *ſororem utramque ducit, ideóque culpâ non vacat*, § 13. Car Megaridis *rex*, Apis Argivorum, § 14. *Teraphæos* Labani *cur ſit* Rachel *ſuffurata*, § 15. Labanus *perſequitur, ſed fœdus init cum* Jacobo; *qui luctatus cum Angelo* Succoth *proficiſcitur &* Sichemum, ibid. *Origo nummi & pecuniarum*, ibid. Dinâ *ſtupratâ, probrum ulciſcuntur* Simeon *&* Levi *totius urbis excidio; quos ideo graviſſimè* Jacobus *increpat, ac*

Bethelem

Bethelem *diſcedit, ubi voto ſe liberat,* § 16. Rachele *mortuâ,* Rubenus *ſe inceſtu polluit,* § 17. Joſephus *à fratribus pro ſervo venditus, ſtupri oblati innocens accuſatur: in carcerem conjectus exponit ſomnia in* Ægypto, § 18. Ægyptiorum *reges uſque ad* 18. *Dynaſtiam,* § 19. Iſaaci *mors, &* Eſavi *progenies,* § 20. Joſephus *ſomnia interpretatus ad ſummum honorem ſubvectus eſt,* § 21. Argus *rex* Argolidis, *quæ deſcribitur,* § 22. Pelaſgus *regnat in* Arcadia, *quæ deſcribitur,* § 23. Joſephi *fratrúmque res latè enarrantur, uſque dum patrem accerſit in* Ægyptum, § 24. Jacobus *cum familia in* Goſene *collocatur,* § 25. *Pecora, fundos, ac ſe dant* Ægyptii, *quibus emant frumentum,* § 26. Jacobus *æger de ſepultura cavet: illo mortuo,* Joſepho *fratres ſupplicant, vindictam deprecaturi,* § 28. Theſſalus *migrat in* Theſſaliam, *quæ deſcribitur,* § 29. *Moritur* Joſephus, § 30. *De* Prometheo, Atlante, Mercurio, Lelege *primo* Laconum *rege, agitur,* § 31. *De* Jobo *fuſiùs,* § 32. Io Argiva *in* Ægyptum *devenit:* Triptolemi *comites* Tarſum *condunt,* § 33. *Oraculum* Delphicum *inſtituitur ex occaſione memorabili,* § 34. Ephraïmitæ *quidam in* Palæſtinam *prædabundi excurrunt, ſed à* Gathæis *delentur omnes,* § 35.

LIB. V.

ISraëlitæ *ab* Ægyptiis *dum vexantur,* Moſes *naſcitur,* § 3. Achaiæ *Magnæ* Atticæque *deſcriptio,* § 4. *De* Cecrope, Athenarum *rege primo, compluſcula,* ibid. *Inſulam* Rhodum *qui primi ferè incoluerint,* § 5. *De* Syria, Tyro, *&* Sidone, Syríſque *diis,* § 6. Moſes *ex aula ad ſuos tranſit populares, &c.* § 7. Oenotri *&* Peucetii *coloniæ in* Auſoniam *(de qua fuſiùs) deductæ,* § 9. *Diluvium ſub* Deucalione, § 10. Buſiris *in* Ægypto *quis,* § 11. *Cantilena* Linus, ibid. Moſi *Deus in rubo conſpicitur, &c.* § 13, 14. *Magicæ artis autores,* § 15. *Poſt* 10 *plagas, vi magìs quàm veniâ emittuntur* Hebræi *ex* Ægypto, § 16. *Paſchatis & Azymorum feſta deſcribuntur,* § 17. Erythræum *unde ſit mare dictum,* § 19. *Suos verſus* Hebræis *fuiſſe; at* Moſis *Epinicion ſine miraculo, contra* Jo. Nierembergium, § 20. Arabiarum *deſcriptio,* § 21. *Nullum illic eſſe Phœnicem, nec inſulas tres à* Diodoro *celebratas,* ibid. *Mannæ ratio & ſignificatio,* § 22. Amalecitæ *à* Joſua, *levante manus* Moſe, *ſuperantur,* § 23. Jethro Moſen *convenit, conſulit, filiúmque* Hobabum *illi comitem relinquit,* § 24. *De Fœdere Dei cum* Iſraëlitis, *& Lege triplici,* § 25, 26, 27. *In ſummum montem ad Deum aſcendit* Moſes, *&c.* § 28. *Iratus Legum tabulas frangit,* Aaronem *increpat, cædit populum; ſed & Dei vindictam deprecatur,* § 29. *Audit vidétque Deum; Legem de integro moralem accipit, ut & ceremonialem, de Tabernaculo, & in eo de Arca ſacra, aliiſque plurimis,* § 30. *Poſt loca ſacra,* (§ 31.) *Sacerdotes inſtituuntur,* § 32. *&* Levitæ, § 33. *Multa* Levitis *cum Sacerdotibus ipsóque Pontifice conveniebant,* § 34. *De iis quæ* Levitis *datæ ſunt & Sacerdotibus,* § 35. Nazaræi *ſacri, non ſacrifici,* ibid. *De ſacrificiis omnigenis,* § 36. *De Donariis,* § 37. *Purificationibus,* § 38. *Temporibus ſacris,* § 39. *Inſtitutis* 13 *extra ordinem,* § 40. *Præmia legibus pœnæque adduntur,* § 41. *Tubæ factæ ſunt omnium primæ,* § 42. *Synedrii conſtitutio,* § 43. *Oratio* Joſuæ *populum erigentis,* § 45. Corachi, *&c. conſpiratio, convitia, pœna,* § 46. *De* Agenore *in* Phœnicia, *quæ deſcribitur,* § 47. *De* Dardano, Jaſione, Teucro, Cabiris, *& Magnis diis,* ibid. *Diffiſi Deo* Moſes *&* Aaron *prohibentur* Canaanæâ, § 48. *Serpentibus exitioſis æneus ſerpens medicina,* § 49. *Autore* Balaamo *ad ſcortandum & idola pelliciuntur* Iſraëlitæ, § 52. *De morte, ſepultura, & Libris* Moſaïcis *quot fuerint,* § 56, 57. *Quo tempore & loco ſcriptus Liber* Geneſis, § 57. *Ea quæ ſcripſit unde* Moſes *didicerit,* § 58. *Utrùm incendio perierint Libri* Moſis, *ab* Eſdra *poſt Reditum renovati,* ibid. *Qui Scriptores apud Ethnicos de* Moſe *meminerint,* § 59.

Synopſis Rerum præcipuarum.

LIB. VI.

JOſua *mittit* Hierichuntem *exploratores*, *quos* Rahâba *caupona mentiendo tuetur : cujus mendacium non abſolvitur, utut fides celebratur*, § 1. *Juſténe peccante uno, alii participes pœnarum fiant* ; *quemadmodum* Iſraëlitæ *pro* Achanis *ſacrilegio*, § 4. *An obligârit juramentum* Gibeonitis *datum*, § 6. *Stante Sole profligantur* Amoræi, § 7. Jabinus *etiam victus* Hazoris *rex*, § 8. *Debellatum ferè in* Canaanæa, § 10. Danaï *filiæ* 50 *ſponſos totidem conficiunt*, § 11. *Tribus* Transjordanæ *emeritæ domum remittuntur*, § 13. Joſua *fato jam proximus commendat populo Religionem*, § 14. *Columnæ* Canaanæorum *in* Africam *à* Joſua *fugatorum fictæ*, § 15. *Libri* Joſuæ *quis Autor*, ibid. Cadmus *in* Bœotia, *quæ deſcribitur*, § 17. *An primæ apud* Græcos *literæ*, ibid. *Poſt* Joſuam, *ex oraculi reſponſo* Judæi *præeunt*, *capiunt* Adonibezecum, § 18. Spartanorum *rex* Amyclas *amittit filium* Hyacinthum ; *cujus fabula enucleatur*, § 19. *Socordiam* Iſraëlitarum *Propheta miſſus arguit*, § 20. *Eoſdem à* Cuſane *ſubactos vindicat* Othoniel, § 22. Peneï *proſapia* ; *in quibus* Lapithæ, Centauri, & Cyrene Ariſtæi *mater*, § 23. Ceres & Dionyſius *in* Attica, *ubi cæſus* Icarius *à temulentis*, *quibus ipſe vinum dederat*, § 24. Triptolemi *hiſtoria*, *Agriculturæ parentis apud* Græcos, ibid. Labdacus *rex* Cadmeæ, Pandion Athenarum. Buphonia *ut primùm* Athenis *inſtituta*, § 25. *Nemine apud* Iſraëlitas *regente*, Micha *ſibi deos ſtatuit Teraphæos*, *quos* Danitæ *ad cultum auferunt*, § 26. Benjaminitæ, *in urbe* Gibea *mulierem ſtupro enecantes*, *à reliquis tribubus ad internecionem ferè delentur*, § 27, 28. Arcadia *populi & coloniarum feraciſſima*, § 29.

LIB. VII.

EHud Iſraëlitas, *cæſo* Eglone, *liberat ſervitute*, § 1. Pygmalion *in* Cypro *ſtatuam deperit*. Tantalus *rex* Phrygiæ, Lamedon Ægialeæ, Ephyræ Siſyphus, § 2. Phryxo *noverca inſidiatur*, § 3. Ganymedes *ob formam raptus*, § 4. Midas *rex* Phrygiæ. Bacchus Thebanus *peregrinatur*, § 5. Athamas & Ino *liberos necant*, § 6. Cinyras *habet pro dea meretricem*, *pro meretrice filiam*, § 7. Pentheüs *à* Bacchis *laceratur*, § 8. *Summi apud* Iſraëlitas *ſacerdotes uſque ad* Helin, § 9. Erechtheüs *filiam immolat*, § 10. Salmoneüs *impius fulmine ictus*. Glaucus *ab equis diſcerptus eſt*, § 11. Otus & Ephialtes *ſe invicem conficiunt*, § 12. Amphion & Zethus Thebas *occupant*, § 13. Cëyx & *ejus uxor ſuperbiâ pereunt*, § 14. Acriſius Danaën *cum filio in mare præcipitat*, Dictys *excipit*, § 15. Bacchus Argis *prohibitus*, § 16. Oenomaüs *cautelâ*, Leucippus *fraude ſuâ perit*, § 17. Janus Saturnum *in regni partem admittit*, § 19. Bellerophon *apud* Prœtum *exſulat*, § 20. Perſeüs *ad* Gorgonas *amandatus* Meduſæ *caput amputat*, § 21. Bellerophon *pulchritudinis*, Tantalus *ſcelerum pœnas dat*, § 22, 23. Bœotus & Æolus *in hoſpitam impii*. Perſeüs *avum inſcius occîdit*, § 24. Amphion & Niobe *infeliciter felices*, § 25. Melampus, *augurio clarus*, Prœtides *ſanat*, *quo regni partes lucratur duas*, § 26. Ixion *omnium ingratiſſimus*, ibid. Iſraëlitas *in impietatem prolapſos*, *à* Jabino *caſtigatos longâ ſervitute*, Debora & Baracus *vindicant*, Siſerâ *cæſo à* Jaële, § 27. Mileti *filium filia deperit*, § 28. Rhadamanthus Minoïs *frater judiciis præficitur*, ibid. Oedipus *à natali expoſititius*. Laius, Orpheüs & Thamyras, *pæderaſtiâ inſanientes*, § 29. Euenus *doloris impatiens ſe dat præcipitem*. Cephalus *uxorem pro fera tollit*, § 30. Chryſippus *formâ ſuâ perit*, § 31. Pelopis *ſceptrum (non regnum) ad poſteros tranſiit*, ibid. Æſculapii *plures*, *quorum præcipuus expoſititius*. Oedipus *patrem ignarus interimit*, § 32. Dædalus Athenis *ſtatuarius celebris* Talum *occîdit per invidiam* ; Thebis Sphingem *ſuſtulit*, *matriſque ſuæ conjugio donatus eſt*, § 33. Amphitryo *ducit* Alcmænam. Hercules *naſcitur*, § 34. Amazonum *geſta nonnulla*. Æacus *rex* Myrmidonum *optimus omnium ætate ſuâ*, § 35.

Synopſis Rerum præcipuarum.

LIB. VIII.

GIdeon, *victis* Midianitis, *regnum oblatum reſpuit*, § 1. & 2. *Agitur in tranſitu de Vigiliis apud Veteres*, ibid. Sicilia *deſcribitur*, *in eâque miranda multa*, § 4. Tityi *fabula quid velit*, *& unde nata*, § 5. Ægeüs *conſulit oraculum quâ filios arte procrearet*, ibid. *A* Minoë Rhadamanthus *ex* Creta *amandatur*, § 6. *Præceptor* Linus *ab* Hercule *interimitur*, § 7. Fauni *conjux* Fatua, *mirè caſta*, *in deam abiit*, § 8. *Leo ab* Hercule *interfectus*; Theſpiadæ *geniti*; Ergini *copiæ profligatæ*, § 9. Evander *in* Latium *coloniam ducit ex* Arcadia, § 10. Jaſone *duce*, Colchos *navigant* Argonautæ: *Aureum vellus ad* Peliam, Iolci *regem* Theſſalicum, *deferunt*; *ſed &*, *artibus* Medeæ, *mortem*, § 11. *Aliter* Diodorus *res narrat* Argonauticas; *inque iis tractandis à* Joſ. Scaligero *chronologicè erratur*, § 12. & 13. Pelaſgi *exſulant* Arcadiâ *propter decimas malè diis redditas*, § 14. Tyrrheni *unde ſic dicti*, § 15. *Aper* Calydonius *quid ſignificet*, § 16. Atalanta *à patre expoſita*, *ab urſa enutritur*; *victrix vincitur*, *caſtâque mœchatur*, § 17. Alcathoi *pietas inhumana*, ibid. *Ex* Phocide (*quæ deſcribitur*) Phocus *rediens à fratre* Peleo *trucidatur*, § 18. *Egregiè caſtus* Peleüs *de ſtupro appellatur*, § 19. Medea Jaſoni *ſuo ſupplicium maximum & ſibi infert*, § 20. Hercules *furit*, *& reſipiſcit*, ibid. Androgeos *meritis ſuis maximis perit*, § 21. *Sed tanti ſceleris vindictam* Minos *poſtulat*, *& exſequitur*, ibid. Minotaurus *quid velit*, ibid. *Labores* 12 Herculei *ſub* Euryſtheo *enarrantur*, § 22, 28, 35, 37, 38. *De* Theſeo *latè agitur*, *de* Jaſone *obiter &* Medea, § 23. *Ex jugo* Cretenſi *ſuos liberat*, *atque* Ariadnen Minoïs *ducit*, § 24. Ægeo *mortuo præ nimia credulitate*, *ſolutiſque* Androgeo *pœnis*, Theſeüs Athenis *regnat*; *ſed & regnum deponens in populum confert*, ibid. *In* Thraciam (*quæ deſcribitur*) *profectus* Hercules, Diomedem *equabus ſuis vorandum dedit*, § 25. Theſeüs *cum* Pirithöo Centauros *cædit*, § 26. Minos Dædalum *perſequitur in cædem ſuam. Alia etiam de utriſque*, § 27. Amazones *profligatæ à* Græcis, Scythis *nubunt*, § 29. Atreüs & Thyeſtes *fratres inimiciſſimi*, § 30. Ægiſthus *expoſitus à capra nutritur*, ibid. *Qualis fuerit* Muſæus, § 31. *Regina* Amazonum *à* Theſeo *vincitur*, § 32. *Mortuo* Gideone, *filios ejus* 70, Jothamo *unico excepto*, *occîdit ſpurius* Abimelechus, § 33. Jothami *Apologus ad* Sichemitas *primus omnium unà & optimus*, ibid. Æſculapii ἀποθέωσις, *non obſtante* ἀχρονοκρεδίᾳ, § 34. Abimelechus & Sichemitæ *ſibi invicem inſidiantur*, *mortémque afferunt*, § 36. Hercules Megaram *ſuam dimittit*, Iolen *ambit*; *iterum furens amicum enecat*; *ſervum ſe tradit* Omphalæ; *ad ſe rediens injurias pluſculas ulciſcitur*; Deïaniram *ducit*, Iolen *ſuperinducit*; *unde morbus*, *mors*, & ἀποθέωσις, § 39. *Bellum* Euryſthei *cum* Heraclidis, & Eteoclis *cum* Polynice, § 40.

LIB. IX.

JAirus *filiorum* 30 *pater*, § 1. Agamedes & Trophonius *in malo fratres & in pœna*, § 2. *Bellum* Thebanum *alterum*, § 3. *Res* Heraclidarum *ſub* Hyllo *duce*, § 4. Helenæ *proci nuptiæque*, § 5. *De* Proteo *agitur*, & Rhampſiniti *ærario*, *furiſque mercede ingenioſiſſimi*, § 6. Alcmæon *impiè in patrem pius*, § 7. *Ab uxore nova proditus à priore trucidatur*, ibid. Paris, *à patre expoſitus*, *in patriæ cladem ſervatur*, § 8. Venerem *præfert*, Helenámque *ſuffuratur: indéque* Trojanis *illatum bellum*, ibid. Theſtoris *filia ſororem deperit*, ibid. Atreüs *pœnam quam* Thyeſti *paravit luit*, § 9. Græcorum *dux* Agamemnon *paret vati*, *ſed & eludit*, § 10. Philoctetes *privatam publicæ rei injuriam condonat*, ibid. Telephus, *niſi eâdem quâ ictus haſtâ*, *ſanari nequit*, ibid. Laodamia *vel mortuum deperit*, ibid. Ulyſſes Palamedem *impiè prodit ad necem*, § 11. Iſraëlitis *in idolomaniam relapſis*, *ſed & agentibus pœnitentiam*, *ſuccurrit* Jephta; *de cujus voto* (*& victoria*) *latè agitur*, § 12. *An* Jephtæ *filia mactata*, *quæritur*, ibid. *De* Ammonitis *victoriâ partâ*, *invidi* Ephraïmitæ *cæduntur plurimi*, § 13. Achilles *irritatus militiam detrectat*, § 14. Ibzan *Judex* Iſraëliticus, § 15. Paris *provocat* Menelaüm

Synopſis Rerum præcipuarum.

Menelaüm ad certamen ſingulare. Patroclo interfecto, ſuis Achilles opem fert, § 16. Hectore ſublato, Priamus bellum inſtaurat. Achilles victor occumbit; de cujus armis immane quantum certatur, § 17. Palladii raptum Trojæ ſequitur conflagratio. Equus Trojanus quid ſignificet, § 18. Æneæ fuga. Partitio ſpoliorum, § 19. Diſſidium inter victores. Nauplius injurias Palamedis ſui ulciſcitur, § 20. Euthymus de Dæmone triumphum agit, de Calchante Mopſus vates, § 21. Victoriæ fructus amariſſimi, § 22. Idomeneüs, inſtar Jephtæ, filium vovet immolátque. Æneæ bella & victoriæ, § 23. Oreſtes patrem maternâ cæde ulciſcitur, § 25. Ulyſſes domum redit, ad ſe Oreſtes, ibid. Ulyſſes à filio cæſus, ſtupri cum Circe ſupplicium dat, § 27. Samſon, cœlitus deſignatus in levamen Hebræorum, uxorem petit è Palæſtinis. Leonem conficit. Ænigma ejus quid velit. Proditus ab uxore, in Palæſtinos animadvertit, idque mandibulæ aſininæ miniſterio, unde & ſiti ſatisfacit, § 28. Gazitis in terrorem unus univerſis, § 30. Quantum valeat ſuperſtitio, in Auteſione & Oreſte videre eſt, § 29, 31. Dalilæ laqueis tenetur Samſon. Pœnas luit laſciviæ votique violati. Sed & morte ſuâ mortem profanis infert, § 32. Quomodo Chriſti typus fuerit, ibid.

LIB. X.

AScanio non filius, ſed frater Sylvius ſuffectus eſt, § 1. Æpytus ſacrilegii pœnas luit, § 2. Heraclidarum reditus in Peloponneſum, § 3. Oxylus Elidem certamine ſingulari adeptus eſt, § 4. Cur reditus Heraclidarum in hos annos conjiciatur, ibid. Samuel ut cœlitus ſit Hannâ natus, § 5. Xanthus & Melampus ſingulari certamine de regno dimicant, § 6. Sicyoniis imperant Sacerdotes, ibid. Minyarum uxores maritorum ſalvatrices, § 7. Pelaſgorum ingratitudo pœnas luit, ibid. Hophni & Phineas ut ſacerdotio abutuntur; de quibus monet Helin anonymus Propheta; mox & Samuel ephebus adhuc arguit eum indulgentiæ, § 8. Palæſtinorum res proſperæ ſibi cedunt in ſupplicium, § 10. Arca Dei reddita, Hebræis curioſis perniciem affert, ibid. Temenus à filiis regnandi causâ conficitur, § 11. Læas Æpyto nepoti ſponte regnum reſtituit, § 12. Charidemus regno ſe abdicat, ibid. An Sinendes autor fuerit Pyramidum Ægyptiarum, § 13. Agis Spartæ quot annis præfuerit, § 14. Soüs abſtinentiæ & fraudis nomine clariſſimus, § 15. Iſraëlitis reſipiſcentibus ſuccurrit Deus, § 16. Palæſtini cœlitus profligantur. Samuel dein totus in Judicis munere obeundo, ibid. Sed ætate ingraveſcente, in partem officii admittit filios, ibid. Hebræis regem poſcentibus iraſcitur Deus; indéque ut votorum ſint compotes conſtituit, § 17. Saulum inungit Samuel, oſculatur inunctum, eíque ventura vaticinatur, ibid. Saulus Rex publicè quaſi invitus renunciatur, ibid. Ammonitas ſuperando liberat Jabeſhenſes, § 18. Secundâ vice Samuel inungit Saulum, graviſſimâque oratione Deum vindicat & ſeipſum coram populo pervicace, § 19. Codri pietas in patriam terrori Peloponneſiis, § 20. Ab ejus liberis Ionia primùm denominatur, quæ deſcribitur, § 21. Saulo impiè holocauſtum offerenti Samuel graviter ſuccenſet, § 23. Unus Jonathan Palæſtinos ſuſtinet omnes ſternitque; perſequitur Saulus, edicti autor multifariàm pernicioſi, ibid. Contra Amalecitas bellum geritur internecinum. Saulus regno abdicatur ob clementiam intempeſtivam, § 24. Samuel adit Jeſſaium, novum regem quæſiturus, § 25. Davidis proſapia. Ab ovili in aulam evocatur. Ob Goliathum à ſe victum, fratrem habet infenſum, non item & Jonathanem, § 26. Invidia Sauli inextinguibilis, ejúſque effectus admirandi, § 27. Nabalis proterviâ exardeſcens, Abigailis prudentiâ placatur David, § 28. Proditus iterum à Ziphæis, Saulum non pugnando vincit. Ad Achiſhum confugiens, Deo non conſulto, mendaciis ſe tueri cogitur, § 29. A Deo derelictus, Saulus conſulit Diabolum, § 30. David profundo quaſi immerſus emergit clarior, § 31. In monte Gilboa profligatus, mortem ſibi conſciſcit Saulus. Jabeſhenſium gratitudo Sauli cadaveri parentantium, § 32. Quot annis regnaverit, non eſt temere definiendum, ibid.

Synopſis Rerum præcipuarum.

LIB. XI.

DAvid Judæis, Isboſethus Iſraëlitis *rex præficitur*, § 1. & 2. Abnerus *regem à ſe creatum non ferens, deficit ad* Davidem, § 3. *Perfidè transfoſſus à* Joabo, *à* Davide *lugetur*, ibid. Isboſethum *qui perimunt multantur morte*, § 4. David *tertiò unctus eſt rex totius populi* Hebraïci, ibid. *Ejus amicitiam* Hiramus *ambit*, ibid. Palæſtinos *aggreſſores profligat* David, *Deïque cultum de integro inſtituit*, *ſed non ex Dei inſtituto*; *cujus negligentiæ dat pœnas* Uzza, § 5. *Arca deducitur in* Davidis *civitatem*; *quem uxor* Michal *ſuo damno irridet*, § 6. *Præmium Templi vel deſignati promittitur*, § 7. *In gratitudinis teſtimonium hoſtes Dei evertit* David, § 8. Jonathanis *poſteritati gratabundum ſe exhibet*; *ut & regi* Ammonitarum, *qui viciſſim ingratiſſimi funditus profligantur*, § 10. David, *præ nimia felicitate infelix*, *alienam cupit*, *conſtuprat*, *ſtuprum tegit homicidio*, § 11. *Fabulâ* Nathanis *explicatâ reſipiſcit*, § 12. *Ejus liberi & uxores*, § 14. Amnon Thamaram *deperit*, *oditque*, ibid. *Indè occiſus ab* Abſalomo, *qui poſt exſilium triennale revocatur* Hieroſolymas, § 15. *Poſt biennium in aulam redit*, *& patris regnum malis artibus aucupatur*, § 16. *Conſiliis utitur* Achitophelis, ibid. Zibæ *fraus*, Shimeii *furor*, Huſhaii *fides verſus* Davidem, § 17. Achitophelis *conſilio peſſimo* Huſhaius *optimè adverſatur*, Davidíque *prodit omnia*, § 18. Abſalomus *cum ſuis fugatus perit*. Cuſhi & Ahimaaſus *victoriæ nuncii*. Davidem *afflictiſſimum* Joabus *recreat minitabundus*, § 19. *Amneſtiâ intercedente*, David *redit* Hieroſolymas; Shimeio *ignoſcit*; Mephiboſetho *injurius*, Barzillai *filium ſummâ gratiâ proſequitur*, § 20. Shebæ *conjurationi medetur prudentia muliebris*, § 21. Joabus Amaſæ *perfodit latus impunè*, ibid. *Vindicta de* Sauli *liberis Deum placat &* Gibeonitas: *indéque* Palæſtini *ſæpius victi*, § 22. *Tres duces* Davidici *fortitudinis ſtupendæ*, ibid. David, *rebus proſperis elatus nimiùm*, *jubet ſubditos numerari*; *indéque in populo pœnas luit*, § 24. *Templum curat ædificandum*, *Deïque cultum ſtato modo celebrandum*, § 25. Adonias *regnum paternum avet*, Solomon *adipiſcitur*, § 26. *Cygnea* Davidis *concio*, *ſeu cantilena*, ibid. *Mors ejuſdem & ſepultura*, § 27. Solomon Adoniam *ejúſque congerrones è medio tollit*, § 28. *Fœdus renovat cum* Hiramo; *cujus & geſta recenſentur*, § 29. *Prudentiam impetrat à Deo ſingularem*, § 30. *Ejus primum ſpecimen in vera matre inveſtiganda*, § 31. *Templum & porticus cum ſupellectile deſcribuntur*, § 32. *Templi encænia*. Solomonis *orationes ad Deum habitæ populúmque*, § 33. Mycerinus Ægypti *rex clementiæ nimiæ pœnas luit*, § 34. Solomonis *ædificia*, *& duplex claſſis*. *De vocabulo* Peru, *déque* Ophiro *regione*, *ubi ſita*, *diſputatur*, § 35. *De regina* Sabæ, *&* Solomonis *ex ea filio*, *aliiſque ex hiſtoria* Æthiopica, § 36. *De rebus quibuſdam Ethnicis*, § 37. Solomonis *anima an ſalva fuerit*, § 38. *Eo mortuo*, *dividitur regnum in* Judaïcum *&* Iſraëliticum, § 39. *Propter ſcelera* Rehoboami Seſacus Ægyptius Judæos *ſuperat diripitque*, § 40. *De* Seſaco *quæritur*, *quis fuerit*, *& quando*, § 41. *Ob nequitiam* Jeroboami, Abia *moritur non iniquus*, § 42. Abiamus, *memorabili oratione priùs habitâ*, Jeroboamo *frangit vires*, *& ſtragem edit poſt homines natos inſigniſſimam*, § 43.

LIB. XII.

BAaſha Jeroboamum *ulciſcitur ſimul & imitatur*, § 1. Aſa *patre melior* Arabes *cædit fugátque*: *qua de victoria* Azarias *opportunè concionatur*, § 2. Aſa *cum ſuis omnibus Deo inſigniter gratabundus*; *mox tamen mirè oblitus Dei*, *Ethnici* Benhadadi *implorat opem*, § 3. Jehu *ad* Baaſham *ex parte Dei delegatus*, ibid. *Climax impietatis in* Iſraëliticis *regibus admiranda*, § 4. Jehoſaphatus, Davidis *inſtar*, *pius & proſperus*, § 5. *Acriter* Elias Achabum *arguit*, ibid. *Viduæ filium reſuſcitat mortuum*.

tuum. Convincit Iſraëlitas, Jehovam *unicum eſſe Deum. Ignem & aquas à Deo impetrat*, § *6.* Achabus *de* Benhadado *duplicem obtinet victoriam*; Syriæque *regi parcit, in ſuam ipſius perniciem*, § 7. *In eandem ſui ruinam* Nabotho *non parcit*, ibid. Michaiæ *minis non obſtantibus*, Achabo *contra* Syros *auxiliatur rex* Jehoſaphatus, § 8. *Cujus labis monitus per Prophetam, reſipiſcit; Deique res omnes procurat ſtudioſius*, ibid. *Jejunio, orationibus concionéque præmiſſis, innumeros peſſundat vel non pugnando*, § *9. Claſſem adornat infauſtiſſimè, propter profanum in ſocietatem admiſſum*, ibid. Elias *in regem* Achaziam *ejúſque milites animadvertit*, ibid. Eliſha *ſuccedit ei prophetiæ hæres, & Thaumaturgus per omnia ſimilis*, § 10. Moabitis *rebellibus bellum inferunt* Joramus, Jehoſaphatus, & Idumææ *prorex*; Eliſhâ*que prædicente, victoriam reportant non completam*, § 11. Eliſha *viduam ſine pecuniis locupletat : à* Shunamitide *hoſpitio accipitur; cui ſterili à Deo procurat filium; quem poſtea mortuum ad vitam revocat*, § 12. *Eidem prænunciat ſeptennem famem, aliáque atque alia miracula edit*, ibid. Benhadadus *præ metu panico* Samariam *deſinit obſidere*, ibid. Jehoramus *ſex fratres è medio tollit; indéque malis excruciatur quæ* Elias *ei prædixerat*, § 13. Shunamitidis *ab exſilio ſeptenni reditus.* Naamani *morbus, & curatio, & converſio ad Deum.* Gehazi *avaritiæ pœnas luit*, § 14. Eliſha *prænunciat* Benhadadi *mortem, ſævitiámque* Hazaëlis, § 15. *Inungit* Jehu *regem* Iſraëlitidis, *qui* Achabi *familiam exſcindit funditus*, ibid. *Regnum* Judaïcum *arripit* Athalia, § *16.* Joaſhus *infans, rex verus, mirè in regnum conſervatus*, ibid. Homerus *quis, & unde, & quo tempore floruerit*, § 17. Lycurgi *pietas prædicanda, præ qua regnum contemptim habuit*, § 18. Tyrii *condunt* Carthaginem, ibid. Jehoachazus Jehu *filius patrizat nimiùm*, § 19. Joaſhus *piè incipit, deſinit turpiſſimè, ſalvatoris ſui filium crudeliter perdendo*, ibid. *Indè omnibus inviſus, à ſuis ſervis trucidatur*, ibid. Lycurgus, Spartam *rediens, ſtatum reip. convellit & refingit*, § 20. Joaſus Eliſham *reveretur moriturum, qui vel mortuus mortuum cogit reviviſcere*, § 21. Amazia, *patris inſtar, ex bono peſſimus evadit*, § 22. *Elatus victoriâ quam de* Idumæis *obtinuerat, à* Joaſo *victus eſt*, ibid. Lycurgus *quibus artibus leges ſuas confirmaverit, iiſque vitam dederit moriendo diuturnam*, § 23. Caranus Macedoniæ *primus imperat univerſæ*, § 25. *De* Gordii *bubulci filio* Mida, Midæque *filio* Anchuro, *déque* Phidone *potentiſſimo, digna notatu enarrantur*, ibid.

LIB. XIII.

REX Uzzias *optimè munus inchoans, abſolvit peſſimè*, § 1. Amulii *pecuniæ præſtant regno* Numitoris, § 2. *Sub ſecundo* Jeroboamo *res* Iſraëlitica *præceps ruit*, § 3. *Anarchia ann.* 11 *in* Iſraëlitide, ibid. *De* Homeri & Heſiodi *ætate agitur & ingeniis*, § 4. *Virgines* Spartanæ *pudicitiam violatam nece redimunt voluntariâ*, § 5. Olympiadum *inſtitutio*, ibid. *Regem* Zachariam Shallumus *enecat*, Shallumum Menahemus, *qui ex utero parentum infantes eruit*, Aſſyriis *ultro clientem ſe offert*, § *6.* Jonâ *ſepulto, ſed nondum mortuo, exitiúmque denunciante* Ninivitis, *impii reſipiſcunt, & veniam impetrant*, § 7. Uzzias *pietate perversâ impius; cujus filius* Jothamus *patre ſanior ſanctiórque*, § 8. *Imperium* Aſſyriacum *quamdiu ſteterit*, § *9.* Arbacis *conjuratio contra* Sardanapalum, ibid. Romulus & Remus *ablatum* Numitori *reſtituunt regnum*, § 10. *Archontes* Athenis *decennales & annui. In filiam ſævus* Hippomenes *perit*, ibid. *Quibus artibus creverit res* Romana, § 11. *Raptarum viri profligantur tam armis quàm clementiâ*, ibid. *Anſam bello præbet* Olympiorum *præfectura*, § 12. Arbaces *in* Mediam *imperium transfert.* Romani & Sabini *ex æquo imperant*, ibid. Pekâ & Rezine *conſpirantibus*, Jothamus *moritur. Cujus filius* Achazus, *ipſo pejor* Jeroboamo, *à variis hoſtibus vexatur; magno emit ſervitium; indiéſque miſerior in pejus proficit*, § 13. *Origo belli* Meſſenici *cum* Spartanis *invidia. Confœderatio* Spartanorum *notatu digna*, § 14. *Occiſo* Pekâ, Hoſhea *regnat*, § 15. Meſſenii *ut vincant, jubentur ab oraculo regiam virginem immolare diis inferis*, § 16. Iſraëlitidem *recipit in deditionem* Salmanaſer, § 17. *Propter filiæ ſuæ cædem, rex eligitur* Ariſtodemus, § 18. Achazi *peſſimi filius optimus* Hezechias, § 19. *Epiſtola* Hezechiæ *ad* Iſraëlitas *exhortativa*, ibid. *Ephori* Spartæ *inſtituuntur, volente id maximè ipſo rege* Theopompo, § 20. *De* Æthiope Sabacone Herodotus & Plutarchus

chus *mira narrant*, & ἀσύστατα, ibid. Samaria *expugnatur à* Salmanaſare, § 21. & 23. Meſſenii *fugant* Lacedæmonios, § 22. *De loco diſputatur quò ab* Aſſyriis *exſularent* Iſraëlitæ, § 23. Meſſeniorum πανολεθρία, *cui prodigia præluſerunt*, § 24. Lacedæmonii & Argivi 300 *utrinque viris fortunam belli permittunt fruſtrà*, ibid. Hezechias Sennacheribum *abſentem rejicit*; *agnoſcit præſentem*, & *muneribus demeretur*, § 25. Romuli *mors* & ἀποθέωσις, *quam* Proculi *figmento acceptum fert*, § 26. *Ægrotat* Hezechias, & *per miraculum convaleſcit*. Rabſhake *blaſphemante*, Eſaias *regi dat animos*, § 27. *Cur* Sennacheribus *à filiis ſuis occiſus ſit*, ibid. Hezechiæ *oſtentatio*, *ſed* & *ſeria reſipiſcentia*, § 28. Numa *regnum* Romanum *invitus tandem in ſe recepit*, § 29. Deïoces *quibus artibus regnum* Mediæ *obtinuerit*, ibid. Numa *legibus moribúſque* Romam *condit ex integro*; *annum corrigit*; *creat flamines*, *deóſque*, Veſtales *virgines*, *feciales*; *omnéſque incitat ad exercendam agriculturam*, § 30. *Multæ ſub hoc tempus conduntur urbes à coloniis* Græcanicis, § 31. *Datâ optione*, Miſcellus *ſanitatem*, Archias *opes eligit*, ibid. Polydorus, Spartanorum *rex omnium optimus*, *à* Polemarcho *interimitur*, ibid. Candaules *oſtentans uxoris nuditatem*, *à* Gyge *ideo trucidatur*, § 32. *Moritur* Hezechias. Eſaias *quis*, *quid ſcripſerit*, & *quando*, § 33. Simeonidæ *terminos ſuos dilatant*, ibid.

LIB. XIV.

MAnaſſes *pii patris filius impius*, § 1. Ariſtomenes, *regnum meritus*, *à* Meſſeniis *oblatum reſpuit*, & *duplici prælio* Spartanos *ſuperat*, § 2. Tyrtæus, *utut luſcus*, *inſanus*, *claudus*, & *extraneus*, Spartanorum *fit imperator*, ibid. Spartanorum *victoria de* Meſſeniis *conſtuprata*, ibid. *Religio mixta* Samaritanorum, § 3. Athenienſes *monarchiæ tædet*, § 4. *Sub jugo* Aſſyriorum Manaſſes *proficit*, ibid. Ariſtomenes *bis captus*, *bis hoſtium manibus mirè eluctatur*, § 5. Pſammitichus *occupat* Ægyptum Græcorum *ope*, § 6. Numa *regum feliciſſimus*, ibid. Terpander *Muſicus* & *Poëta admirabilis*, § 7. Meſſeniis *tandem profligatis*, Ariſtomenes *cum ſuis viam ſibi faciunt in* Arcadiam, *ubi altera* Ariſtocratis *proditio proditur*, § 8. Archilochus & Alcman *Poëtæ optimi peſſimique*, § 9. *Per fratres trigeminos bellum mittitur in compendium.* Horatius *victor raptus in judicium.* Metius *fœdifragus quadrigis laceratur*, § 10. Meſſenii *denuo rebelles exſulant.* *Tertium* Sabinorum *cum* Tullo *prælium*, § 11. Cypſelus, *mirè ab incunabulis ſervatus*, Corinthiis *imperat*, § 12. Piſander *vivens putavit ſe mortuum*, § 13. Amon Manaſſe *patre pejor*, *cujus filius* Joſias *bonorum optimus ultimúſque*, § 14. Tullo *fulmine flagranti ſuccedit* Ancus Martius, *bellúmque* Latinis *injuriis infert*, § 15. *De reditu* Judæorum *diſputatur*, *déque aliis quæ in* Judithæ *narrantur Libro*. *Succedente* Phraortæ Cyaxare, Scythæ *in* Aſia *dominantur*, § 16. *De Poëta* Steſichoro *narrantur mira*. *Nil de* Mimnermo *quod non vulgare*, § 18. Tarquinius *advena quibus artibus* Romanus *fieret*, § 19. Periander *ex miti quomodo factus ſit crudelis*. *Perperàm numeratus inter* Græcorum *Sapientes*, § 20. *Ob necem uxoris*, *odio habitus eſt æterno à filio ſuo* Lycophrone, ibid. Arion *inter delphinas*, ibid. Jehovæ *minas*, *per* Huldam *Prophetidem*, Joſiæ *pietas avertit idololatriam profligando*, § 21. Draconis *leges ſanguinariæ*, § 22. *Quæ gentium antiquiſſima*, Phryges *an* Ægyptii, ibid. *Deo non conſulto*, *neglectóque* Jeremiâ, Joſias *perit*, & *cum eo ſpes omnis pietáſque apud* Judæos, § 23. Ariſtonis Spartani *uxor formoſiſſima*, & *turpiſſima*, ibid. Joakimo & Judæis *terribilia nunciat* Jeremias. Nabuchodonoſorus *à patre miſſus ipſas capit* Hieroſolymas, *regémque vinculis tenet*, *ſed* Babylonem *non abducit*, § 24. Latini Romanis *ſe victos dedunt*, § 25. Cyrenæi *originem* Batto *debent*; Battus *ſuàm demerſæ* Phronimæ, ibid. Baruchus *in libro ſcribit quas* Jeremias *dictabat minas*, § 26. Halyattes *viribus* Thraſybulum *ſuperat*, *ſed arte ſuperatus arctam init amicitiam*. *Septimus Sapientum quis fuerit*, *incertum*, § 27. Thales Phœníx*ne*, *an* Mileſius *fuit*, *controvertitur*, ibid. *Multa* Chilonis *acutè dicta*, ibid. Cyaxares & Nabuchodonoſorus *viribus conjunctis evertunt* Niniven. *Quater hic captivos abduxit* Hieroſolymis. Daniel Chaldæorum *inſtructus literis*, § 28. *Somnium regis enarrat ſimul* & *explicat*, § 29. *Oblatam* Babyloniæ *præfecturam recu-*

ſat, ibid. *Peſſimi* Joakimi Jechonias *par filius*, § 30. *Propter* Scythas *fugitivos inter* Medos Lydóſ*que bellum oritur : ſed eclipſis Solaris pacem efficit*, § 31. Jechoniæ *in* Babylonem *deportato* Zedekias *ſuffectus eſt*, *cui denunciat* Jeremias *ann.* 70 *exſilium*, § 32. *Tam arte quàm Marte* Sabinos *ſuperant* Romani, § 33. Solon *accerſit* Epimenidem, *qui* Athenas *expiaret. Is* ἀγνώστῳ θεῷ *litat*, *de quo S.* Paulus Act. 17.23. *celeberrimus propter ſomnum*, ibid. Hananias Jeremiæ *opponit ſe.* Zedekias Babylonem *proficiſcitur. Prophetæ munus* Ezekiel *obit*, § 34. Alcæus Pittacum *dicteriis lacerat.* Sappho *tam nequam quàm ingenioſa*, § 35. Apries *felicium infeliciſſimus.* Solon *inſaniam ſapiens ſimulat. Imperium* Athenienſe *invitus recipit. Archon electus*, *tyrannidem abſolutam oblatam reſpuit. Leges condit pro arbitrio*, § 36. Anacharſidis *amicitia cum* Solone, *& apophthegmata*, § 37. *Magiſtratûs ſui pertæſus* Solon, *ultro exſulat. Illo* Thales *ſapientior*, *quòd conjugio abſtinuiſſet.* Tellum Crœſo *ſtatuit beatiorem*, *& mortem vitæ præferendam*, § 38. Zedekias, Ægyptio *fretus*, *fidem* Babylonio *juratam violat*, § 39. Jeremias *principibus juſſu regio illudit*, ibid. Hieroſolymas, *tam fame quàm peſte conflictantes*, *capit*, *diripit*, *incenditque* Babylonius; *qui nihilominus* Jeremiam *mirâ proſequitur reverentiâ*, § 40.

Elenchus

Elenchus ORATIONUM quæ in Annalib paſſim occurrunt.

DEI { *ad* Cainum, *p. 63.*
ad Noachum, 72, 73, 74.
ad Abramum & Saram, 169.
ad Jacobum, 236.
ad Moſen, 275, 276, 278, 298, 299, 303, 304, 305, 344, 370.
ad Joſuam, 377, 382.
ad Helin *per Prophetam*, 550.
ad Samuelem, 551, 558.
ad Davidem, 605.
ad Solomonem, 637, 640, 446.
ad Jeroboamum, 446.
ad Eliam, 661. }

Abrahami *ad* Iſaacum, & *è contrà*, 178.
Jacobi *ad Deum*, 213.
Ejuſdem ad filios Simeonem & Levi, 216.
Rubeni *ad fratres*, 219.
Judæ *ad eoſdem*, 220.
Joſephi *ad heram*, 222.
Heræ ad Potipharem, *ibid.*
Judæ *ad* Joſephum, 233.
Joſephi *ad fratres*, 234, 241.
Jacobi *ad filios*, 239, *&c.*
Ægyptii *Regis ad proceres*, 253, 254.
Procerum ad Regem, 282, 283.
Iſraëlitarum *ad* Moſen, 288, 289.
Moſis *ad* Iſraëlitas, 289.
Eorundem ad Moſen, 298.
Moſis { *ad Deum*, 308.
ad Levitas, 309.
ad Deum, ibid.
ad Sacerdotes, 316. }
Speculatorum decem imbellium, & Calebi, *præſertim* Joſuæ, 341, 342, 343.
Iſraëlitarum *ad* Idumæos, 351.
Rahabæ *ad ſpeculatores*, 378.
Joſuæ *ad Deum*, 382.
Phineis *ad* Trans-jordanos, 393, 394.
Joſuæ *ad populum*, 394, 395.
Populi ad Joſuam, 395.
Prophetæ anonymi ad Iſraëlitas, 402.
Deboræ *ad* Barachum, 434.
Gideonis *ad* Ephraïmitas, 444.
Jothami *ad* Sichemitas *per modum Apologi, primi omnium & præſtantiſſimi*, 491.
Gaalis *ad eoſdem*, 497.
Jephtæ *ad* Ammonitas, *& ſuam filiam*, 518.
Dalilæ *ad* Samſonem, 540, 541.
Heli *ad filios*, 550.
Samuelis { *ad* Iſraëlitas, 558, 562, 563.
ad Saulum, 567, 570, 571. }
Jonathanis *ad patrem*, 577, 578.
Sauli *ad* Benjaminitas, 581.
Abimelechi *ad* Saulum, *ibid.*
Davidis { *ad eundem, & vice verſâ*, 583, 584.
ad Nabalem & Abigailem, 585, 586.
ad Saulum, 587, 588.
ad commilitones, 592. }
Sauli *ad armigerum*, 592, 593.
Abneri { *ad* Joabum, 597.
ad Iſboſethum, 598. }
Davidis { *ad proceres*, 600.
ad Michalem, 604. }
Nathanis *ad* Davidem, 609.
Viduæ ad eundem, 613.
Achitophelis *ad* Abſalomum, 617.
Huſaii *ad eundem*, 618.
Joabi *ad* Davidem, 621.
Mephiboſethi *ad eundem, ibid.*
Matronæ Abelenſis *ad* Joabum, 624.
Joabi *ad* Davidem, 627.
Davidis *ad* Solomonem, 628, 629.
Davidis *morituri ad proceres regni populumque*, 631, 632.
Solomonis *ad Deum*, 638, 639.
Reginæ Sabæ *ad* Solomonem, 642, 643.
Jeroboami *ad* Rehoboamum, 645.
Rehoboami *ad ſubditos*, 645, 646.
Ahiæ *ad* Jeroboami *uxorem*, 648, 649.
Abiami *ad* Iſraëlitas, 649.
Azariæ *ad* Judæos, 652.
Jehoſaphati *ad Deum*, 663.
Viduæ ad Eliſham, 666.
Eliſhæ *per epiſtolam ad* Jehoramum, 670.

COLLOQUIA.

Regis Beræ *cum* Abramo, *p.* 162.
Abrami *cum Deo*, 167.
Dei cum Abimelecho, 175.
Abimelechi *cum* Abramo, *ibid.* & 176.
Labani *cum* Jacobo, 208.
Jacobi *cum* Labano, 211.
Joſephi { *cum proceribus* Ægypti, 223.
cum Pharaone, 225.
cum fratribus, 229, 230. }
Rubeni *cum* Jacobo, 231.
Jacobi *cum* Juda, *ibid.*
Dei cum cum Diabolo, 248.
Jobi *cum Uxore*, 249.
Moſis *cum* Aarone, 308.
Dei cum Moſe, 310.
Moſis *cum Deo*, 338, 340, 343.
Corachi *cum* Moſe, 344, 345.

Joſuæ

Sync

ſat, ibid. *Peſſimi* Jo, 395.
Medos Lydóſque cone, 442.
Babylonem *de* Baale, 497.
§ 32. *Tam* *cum Uxore*, 536.
menidem. *cum* Iſraëlitis, 537.
celeberr
profi Davidis { *cum* Saulo, 574. / *cum* Goliatho, 575. / *cum* Jonathane, 579.
Sauli *cum* Davide, 587, 588.
Davidis *cum* Amaſaio, 589.
Sauli *cum* *Saga*, 590.
Davidis { *cum* Achiſho, 590, 591. / *cum* Shimeio, 622.

Judæorum *cum* Iſraëlitis, 623.
Bathſebæ, & Nathanis, *cum* Davide, 630.
Eliæ *cum* *Vidua*, 655.
Obadiæ *cum* Elia, 656.
Eliæ { *cum* *Deo*, 657, 658. / *cum* Achabo, 660.
Achabi *cum* Jehoſaphato, 661, 662.
Eliſhæ { *cum* Jehoramo, 665, 666. / *cum* Shunamitide, 667. / *cum* Naamano, 671. / *cum* Hazaële, 672.

Errata ſic corrige.

PAg. 114. l. ult. lege *domare*. p. 201. l. 1. lege *dixerit*. p. 252. l. 17. lege *exitio*. p. 309. l. 14. lege *eſſet*. p. 337. in Marg. lege *A. M.* 2515. p. 342. l. penult. lege *animis*. p. 354. l. ult. lege *δωροφάγον*. p. 410. l. 28. lege *eò*. p. 434. l. 39. lege *proficiſcamur*. p. 463. l. 10. (à fine) lege *ſternuntur*. p. 473. l. 23. lege *ſanandos*. p. 502. l. 13. (à fine) lege *ſtuprum*. p. 503. l. 12. lege *cenſeat*. p. 545. l. 1. in Marg. lege *A. M.* 2882. p. 599. l. 29. lege *collocuturus*. p. 687. in Marg. lege *imperat Lacedæmoniis*.

Tomus hic Primus Hiſtoriam tradit Generationum illarum Quatuor *Matth.* 1. 17.
Annorum verò Seriem 3419.
Nimirum,

Ab Orbe condito

ad

Captivitatem *Babylonicam.*

Primæ Generationis, ab Exordio Mundi ad ejuſdem Inſtaurationem poſt Diluvium *Noachanum*, Liber eſt Unus.

Secundæ Generationis, à Diluvio *Noachano* uſque ad Mortem *Abrahami*, ſunt Libri Duo.

Tertiæ Generationis, à Morte *Abrahami* ad Obitum *Davidis*, ſunt Libri Octo.

Quartæ Generationis, à *Davidis* Interitu ad Captivitatem *Babylonicam*, Libri ſunt Tres.

ADAMUS,
SIVE
ANNALIUM MUNDI
Primi Tomi
LIBER PRIMUS;
Qui
A Mundo Condito ad eundem Inſtauratum poſt Diluv. *Noach.* complectitur annos 1656.

§ 1. ANTE *mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,* Omnipotens ab æterno DEUS, uno ſe Beatiſſimus, (1 *Timoth.* 6. 15.) ſuâ ſolus gloriâ majeſtatéque immensâ fruebatur. (*Joan.* 17. 5. *Epheſ.* 1. 4. *Proverb.* 8. 23. *Pſal.* 90. 2.) DEUM cùm dico, Numen æternum dico, (*Pſal.* 93. 2. & 90. 3. *Eſai.* 40. 28. *Rom.* 16. 26.) Optimum atque Maximum, (*Pſal.* 86. 5. *Matth.* 19. 17. *Geneſ.* 28. 3. & 18. 14. *Exod.* 6. 3.) ſuâ quod unum conſtat vi, (*Exod.* 3. 14.) ab eodem verò reliqua pendent univerſa. (*Act.* 17. 20.) Spiritum dico (*Joan.* 4. 24.) ſimpliciſſimum, ſapientiſſimum, (*Job.* 6. 4. *Eſai.* 31. 2. *Rom.* 16. 27. 1 *Timoth.* 1. 17.) ſanctiſſimum, (*Levit.* 11. 44. & 20. 16. *Eſai.* 6. 3.) omníque modo infinitum; (*Pſal.* 145. 3. 1 *Reg.* 8. 27. &c.) qui cernit atque novit omnia, (*Job.* 42. 2. *Pſal.* 94. 11. & 139. 2. *Hebr.* 4. 13.) comprehendit omnia, (*Eſai.* 40. 12, &c.) penetrat omnia; (*Jerem.* 23. 24.) Ipſe tamen cerni cognoſcíve, (1 *Timoth.* 1. 17. *Exod.* 33. 20. 1 *Tim.* 6. 16.) comprehendi, (2 *Chron.* 6. 18.) aut penetrari nullo modo poteſt: de quo etſi noctes diésque cogito, nunquam ſatis capio; etſi optima & maxima quæque prædico, nunquam ſatis dico. Hæreo igitur horreóque totus, veneror atque proſterno me, coram altiſſima ejus clariſſimâque Majeſtate, humillimè obſecrans & obnixè, ut homunculo mihi vermiculóque miſello non omnino ſuccenſeat, quòd opera ejus magnifica ſuſcipiam prædicanda; ſed afflatu benigno adeſſe dignetur, & ea mihi ſuggerere quæ maximè futura ſint ſuo Nomini glorioſa, mortalíumque generi ſalutaria, pro ſumma ſua clementia & miſeratione in Domino ac Salvatore meo Jeſu Chriſto. DEUM eſſe,

§ 2. Sed vereor equidem non defuturos hîc (ut eſt ferax Atheorum noſtra fœcunditas Religionum) qui in ipſo limine impingant, & tacitis animorum flagitationibus hoc ipſum probari ſibi poſtulent inprimis, *Deum eſſe*; hoc eſt, eum eſſe, cujus ipſa natura eſt ESSE, atque nomen EGO SUM; eum eſſe, à quo alia habent omnia, ut ſint. Videntur hi quidem in ſplendidiſſima luce lumen deſiderare, quaſi nimiâ claritate caligent oculi. *Nimirum tenebris per tantum lumen obortis.* Quid enim illuſtrius fingi poteſt, quàm, ubi quis opus egregium conſpexerit, egregium 1. Mundi opificium docet;

gium illic opificem fuiſſe, cujus id operâ & induſtriâ ſit perfectum? Qui maximam igitur pulcherrimámque Mundi hanc domum ſpectaverit, arte conſtructam rationéque tantâ quantam nè intelligit quidem humana mens, potéſtne vel ignorare, vel dubitare, quin aliquis eam architectus, major ipſe ac pulchrior, ædificârit? (*Hebr.*3.4.) quin alicui domino, quantumvìs eum non videat, ædificata ſit? Quis autem ille Dominus, ille mundi Architectus, niſi ipſe Is de quo quæritur *Deus?* Hoc eſt quod Scripta Sacra nos monent ſæpius, *Cognoſci Deum ex operibus.* (*Pſal.* 19. 1. *Rom.* 1. 20.) Animadvertunt quidem Theologi, hominum incredulorum gratiâ, qui Deum aut falſum,aut falsò,colerent, à Deo ſæpius edita eſſe miracula; nullum verò unquam eorum causâ qui Deum nullum agnoſcerent. Mundo enim ipſo nihil aut mirabilius aut efficacius ad monſtrandum Deum; cujus contemplatione (niſi oculi nimiùm aſſueſcerent) obſtupeſcerent profectò animi, adeò multa magnáque in ſe unus miracula comprehendit. Cùm autem Sacrarum Literarum & Theologorum autoritas parùm valeat apud homines impios, audiant Philoſophos profanos, naturâ tantùm magiſtrâ, cauſam hanc eodem propugnantes telo. *Facile eſt veritatem hanc oſtendere,* (inquit *Plato* de Legib. lib. 10.) *quòd dii ſint: Terra enim, Sol, Sidera, ipſúmque Univerſum, Temporum quoque ornatiſſima varietas, annis menſibúſque diſtincta, id perſpicuè demonſtrant.* *Tullius* autem, (de Natur. deorum, l. 2.) *Quid poteſt eſſe,* ait, *tam apertum támque perſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiáque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud ſanè intelligo cur non idem, Sol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo evidentius?* Hoc idem uberiùs alibi & fuſiùs explicat. *Cùm videmus,* inquit, (in primo Tuſcul. quæſt. & ſecundo de Nat. deor.) *ſpeciem primùm candorémque cæli; deinde converſionis celeritatem tantam, quantam cogitare non poſſumus; tum viciſſitudines dierum atque noctium, commutationéſque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum & ad temperationem corporum aptas, eorúmque omnium moderatorem & ducem Solem; Lunámque, accretione & diminutione luminis, quaſi faſtorum notantem & ſignificantem dies; tum in eodem orbe, in duodecim partes diſtributo, quinque ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſimè ſervantes, diſparibus inter ſe motibus; nocturnámque cæli formam undique ſideribus ornatam; tum globum Terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi univerſi loco, ubi non intermittit ſuo tempore*

Cælum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Rami baccarum ubertate incurveſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conveſtirier;

tum multitudinem pecudum, partim ad veſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda; Hominémque ipſum, quaſi contemplatorem cæli ac deorum, ipſorúmque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes & maria parentia: Hæc igitur & alia innumerabilia cùm cernimus, poſſumúſne dubitare quin his præſit aliquis, vel Effector, vel Moderator tanti operis & muneris? Nec *Tullius* modò, ſed acriore judicio Philoſophus, eodem Atheos telo invadit, *Ariſtoteles*, (*Tullio* quidem Interprete, de Nat. deor. 2.) *Si eſſent,* inquit, *qui ſub terra ſemper habitaviſſent bonis & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis & picturis, inſtructáque rebus iis omnibus quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exiſſent unquam ſupra terram, accepiſſent autem famâ & auditione, eſſe quoddam Numen & vim Deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus atque exire potuiſſent: cùm repentè terram & maria cælúmque vidiſſent, nubium magnitudinem ventorúmque vim cognoviſſent, aſpexiſſentque Solem, ejúſque tum magnitudinem pulcritudinémque, tum etiam efficientiam, cognoviſſent, quòd is diem efficeret, toto cælo luce diffusâ; cùm autem terras nox opacâſſet, tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, Lunæque luminum varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorúmque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabiléſque curſus: hæc cùm viderent, profectò & eſſe deos, & hæc tanta opera deorum eſſe, arbitrarentur.* Itâ quidem veteres Philoſophi certiùs & faciliùs didicerunt *eſſe Deum,* ex mundo tanquam ejus veſtigio, quàm *Herculem,* quantus eſſet, *Pythagoras* noverat ex pede. Sed eorum quibus vel non libet, vel non expedit, agnoſcere Supremum Numen, aliqui æternitate mundi conantur eludere opificium Dei. Æterno enim non erat

opus

opus conditore. Alii aut Naturæ quadam vi concretum & conſtitutum volunt, aut ex fortuito concurſu Atomorum coaluiſſe. Nos ad hæc, (ut aliò remittamus cognitionem de æternitate) Nihil finitum, dicimus, utcunque ſtatuatur æternum, vel æternum eſſe, vel eſſe omnino poſſe, per ſe ac ſuâ ſponte. Oportet omnem naturæ finitæ rem aliquâ niti magnitudinis & poteſtatis infinitæ: de quo mox uberiùs dicetur. Itaque *Ariſtoteles* mundi ſui æterni cauſam neceſſariò ſtatuendam putavit Deum. Non prohibet ergò mundi æternitas quò minùs Numen ſit; quia nè æternus quidem poſſet eſſe, niſi ab æterna cauſa penderet. Quòd ſi Naturæ patroni, qui ſecundo loco ſe opponunt, *Naturam* intelligentem volunt & ratione præditam, *Deum* volunt; ſed ineptum ſanè, qui certis ac neceſſariis legibus circumſcribatur. Sin brutam cæcámque naturam ordinatiſſimum hunc ornatiſſimúmque perfeciſſe mundum ſtatuant fortuitò, haud multùm profectò abſunt ab inſulſa illa & futiliſſima ratione Atomorum. Nam, ut veriſſimè *Balbus* apud *Ciceronem*, (de Nat. deor. 2.) *Quis hunc hominem dixerit, qui, cùm tam certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines, támque omnia inter ſe connexa & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem; eáque caſu fieri dicat, quæ, quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus?* An cùm machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera ſint rationis; cùm autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertíque videamus, conſtantiſſimè conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium, dubitamus quin ea, non ſolùm ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinâque ratione? Quamobrem hoc ſit primum quo incredulis fiat fides; Ex artificio ſummo fabricæ mundanæ neceſſariò ac manifeſtò demonſtrari Divinam vim.

§ 3. Alterum ſit illud; Opinionem de Diis in principiis Naturæ ſemper habitam, &, quaſi inſitam penitùs inhærentémque animis humanis, communi & perpetuo conſenſu nationum ferè omnium hominúmque, Divinum aliquod colentium Numen, comprobari. De quo conſenſu gentium doctiſſimi quique & graviſſimi gentium Philoſophi unâ conſentiunt voce; ut de Theologis Chriſtianis nihil dicam. *Firmiſſimum hoc afferri videtur* (inquit *M. Tullius* in 1. Tuſcul. Quæſt.) *cur deos eſſe credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava ſentiunt: Id enim vitioſo more effici ſolet. Omnes tamen eſſe vim & naturam Divinam arbitrantur. Neque verò id collocutio hominum aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus.* Hæc *Cicero*. *Græcorum* barbarorúmque omnium conſenſus, deos eſſe fatentium, verum id eſſe docet. Ità *Plato Academicus*, (lib. de Legibus 10.) *Vetus eſt fama, & hæreditaria mortalium omnium, omnia & à Deo & per Deum nobis eſſe conſtituta.* Sic *Peripateticus Ariſtoteles*, modò *Ariſtotelis* ille ſit de Mundo Liber. *Nulla gens uſquam eſt adeò extra leges moréſque projecta, ut non aliquos deos credat*, inquit *Seneca Stoicus*. Nec generalem hunc modò *Stoici* conſenſum, ſed perpetuum quoque aſſerunt. *Niſi hoc enim cognitum comprehenſúmque animis haberemus*, (inquit *Balbus* apud *Ciceronem* de Nat. deor. 2.) *non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum ſeculis ætatibúſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus cæteras opiniones, fictas atque vanas, diuturnitate extabuiſſe. Quis enim Hippocentaurum fuiſſe aut Chimæram putat? quæve anus tam excors inveniri poteſt, quæ illa quæ quondam credebantur apud Inferos portenta extimeſcat? Opinionum enim commenta delet dies; naturæ judicia confirmat. Epicurus* ipſe vidit, imò, ſi *Epicureis* credatur apud *Tullium*, (de Nat. deorum l. 1.) *ſolus vidit, eſſe deos, quòd in omnium animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa Natura. Quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam ſive prænotionem deorum? Cùm igitur non inſtituto aliquo aut more aut lege ſit opinio conſtituta, maneátque ad unum omnium firma conſenſio, intelligi neceſſe eſt eſſe deos; quoniam inſitas eorum, vel potiùs innatas, cognitiones habemus. De quo autem omnium natura conſentit, id verum eſſe neceſſe eſt. Velleius* hæc *Epicureus* diſſerit apud *Ciceronem*. Sic *Cæcilius* apud *Arnobium*, (Contra Gentes l.8.) *Cùm omnium gentium*, inquit, *de diis immortalibus, quamvìs incerta ſit vel ratio, vel origo, maneat tamen firma conſenſio; neminem fero tantâ audaciâ, támque irreligiosè neſcio quâ prudentiâ tumeſcentem, qui hanc religionem tam vetuſtam, tam utilem, tam ſalubrem, diſſolvere aut infirmare nitatur. Lucianus* ipſe, (in *Jove* Tragœdo) qui numeratur inter Atheos, conſenſum hunc hominum univerſorum reprehendit quidem, ſed fatetur. *Omnes*, inquit, *homines & gentes turpiter decipiuntur, deos eſſe exiſtimantes.*

2. Naturæque ſenſus, atque conſenſus gentium:

Omnes ergò id exiſtimant gentes hominéſque: tu verò unus, *Luciane*, ſapientior es hominibus gentibúſque omnibus? Imò verò ex his quæ tradita ſunt ferat ſententiam *Ariſtoteles*, utut non æquiſſimus rerum Divinarum arbiter, (Ethic.l.10.c.2.) *Quod univerſis videtur*, inquit, *id eſſe dicimus.* Ferat etiam *M. Tullius*, (Tuſc. Quæſt. l. 1.) *Omni in re conſenſio omnium gentium lex Naturæ putanda eſt.* Neque verò hujus notitiæ propagatio per orbem terrarum vel oraculo divino tribui poteſt; quia nullum ejus rei exſtat indicium: vel traditioni tantùm à primis mananti parentibus generis humani; nam & ea defeciſſet jamdiu multis in locis; nec vel ad omnes perveniſſet, vel tam ſtabilis & diuturna permanſiſſet, niſi ipſa quodammodo ſuâ ſponte notionem hanc arreptam ad ſe detinuiſſet Natura. Quare ſenſus Divinitatis & ſemen Religionis ineſt naturaliter humanis mentibus, quamvis pauci conceptum foveant, nullibi matureſcat, ferátve fructus, niſi radii cœleſtes imprimant vim, gratiáque irriget non niſi cœlitus oriunda.

§ 4. Non deſunt qui hæc per ſe clariſſima reprehendunt tamen; ut *Academicus* ille *Tullianus*, qui cùm levia per ſe, tum falſa, eſſe calumniatur. At niſi falſa doceat, levia ſanè haberi non debent, quæ omnium conſentiente opinione ità judicantur. Nam *quæ pluribus aut ſapientibus videntur, probabilia ſunt:* (*Ariſtot.* Topic.1.) Quæ igitur *omnibus*, graviſſimi ſunt ponderis. Audiamus ergò quid eorum quæ dicta ſunt veritati opponatur; etſi verè *Stoicus* apud *Tullium*, *Mala*, inquit, *& impia conſuetudo eſt contra deos diſputandi, ſive animo id ſit, ſive ſimulatè. Primùm, unde notæ tibi ſunt opiniones Nationum?* (ait *Academicus* ille *Cotta.*) *Equidem arbitror multas eſſe gentes ſic immanitate efferatas, ut apud eas nulla ſuſpicio deorum ſit. Quid?* Diagoras *ἄθεος qui dictus eſt, poſteáque* Theodorus, Protagoras, [Euhemerus, Dion, Pherecydes, Lucianus,] *nonne apertè naturam deorum ſuſtulerunt? Quid de ſacrilegis, quid de impiis perjuriſque dicemus?*

——Tubulus *ſi* Lucius *unquam*,
Si Lupus, *aut* Carbo, *aut* Neptuni *filius*——

putâſſet eſſe deos, tam perjurus aut tam impius fuiſſet? Sunt præterea qui dicant, totam de diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reip. cauſâ; ut quos ratio non poſſet, eos ad officium Religio duceret. Ad conterendos igitur eos quibus innocentia niſi metu non placet, poſuêre ſuper caput vindicem, & quidem armatum fulmine. Idem *Euripides* etiam tradit, (*Plutarch.* de Placit. Philoſoph. 1.7.) longam narrante fabulam *Siſypho: Non igitur ex opinione de diis conſentiente omnium profecta, ſed virorum ſapientum conſilio invecta, eſt deorum religio.* Ut repellantur hæc in cœlum vibrata hominum impiorum tela: Primò, notas mihi dico Nationum ferè omnium opiniones, partim ex Geographorum & Hiſtoricorum libris, partim ex peregrinantium mercatorum aliorúmque tum narrationibus, tum commentariis; eóque jam faciliùs atque certiùs notas, quò minus terrarum in obſcuro latet quàm latebat olim, quo ſunt hæc objecta primùm tempore. *Fotherbeus* noſtrâs, Epiſcopus nuper *Salisburienſis*, (in Lib.Angl.*Atheomaſtix* 1.4.) omnia ſcrutatus quantùm potuit hac de re veterum recentiorúmque monumenta, hoc unum apud *Strabonem* reperit, (lib.3.) Callaicos *in* Hiſpania *quidam perhibent nihil de diis ſentire:* Alterum apud *Plinium*, (Nat. hiſt. 2.7.) *Aliis eſt nullus deorum reſpectus. Mortonus* etiam *Anglus* in *America* ſcribit eſſe gentem, *Angliæ* vicinam *Novæ*, quæ nullum aut ſciat Numen, aut veneretur: ideo prodigam illam *Ciceronis* vocem, *Nulla gens tam fera, &c.* temeritatis arguit. Et fieri fortaſſe poteſt hæc ità ut ſint quemadmodum traduntur. Nam principia naturæ in hominum animis obſcurata eſſe admodum poſt *Adami* lapſum, clarius eſt quàm ut negari poſſit; animorúmque noſtrorum acies hebetiores, minúſque perſpicaces jam rerum per ſe lucidiſſimarum. Nec enim id niſi perſpexiſſet Deus, Decalogum, ſive Naturæ Legem, ſcripto ſuis tradendam putaviſſet, quò homines recognoſcerent, & in memoriam revocarent, quæ animorum nativâ depravatione vel corrupta, vel deleta videbantur. Quò igitur magis feri homines & barbari, eò minùs audiunt Naturæ dictamina. Non furta illis, non adulteria, non homicidia in malis habentur; quæ nemo tamen ſanæ mentis non & prohiberi naturâ cognoſcat, & ab iiſdem ut à malis abſtineat ſuâ ſponte abhorreátque. At verò nulla hominum gens quæ modò humanitatis aliquid retineat, neque prohibeat feritas quò minùs exſerat ſe naturæ vis, (nec enim ſurſum ignis evolat, terráve deorſum fertur, ſi quid impediat) nulla, inquam, gens, quæ inhumanâ barbarie non ſit efferata, alienam habet vel in-

inauditam religionem deorum. Quæ igitur maxima hominum pars, & maximè ſana, ut Naturæ voces audit, ità profectò ſunt à nobis habenda. Nam ſpecimen Naturæ ab optima quaque natura, non ab iis qui ſuæ mentis parùm compotes videntur, capiendum eſt. Quis igitur ratione rectâ prædìtus, ſi ſcrutetur ſeriò vocem hanc, *Eſſe aliquem hujus mundi opificem Deum, eundémque à nobis colendum eſſe*, non reperiat in penetralibus animi ſui exaratam intimis? Fuerunt tamen apud *Græcos* olim (ut ad ſingulos accedam) Philoſophi quoque, *Diagoras*, *Theodorus*, & alii, qui deos quidem repudiârunt *Græcanicos*; deorum verò naturam ſuſtuliſſe, haudquaquam id conſtat. Aliqui ſtudio fortaſſe novitatis, aut non vulgaris ingenii oſtentandi causâ, diſputabant, & ferebant præ ſe, nihil ſe credere de diis; quamvis illi nec eruditiſſimi Philoſophorum, nec ingenioſiſſimi fuerunt, cum *Platone*, *Ariſtotele*, *Zenone*, *Socrate*, *Anaxagora*, & reliquis, nullo modo comparandi. Iidémque tam pauci in omni ſeculo, ut vel eo nomine ſint contemnendi; & eorum opinio ità eſt ab omnibus rejecta & profligata, ut ab hominum ratione communi alienam fuiſſe perſpicuum ſit. Hoc etiam animadvertebatur olim, ex iis qui hanc impietatem propugnabant, timidè id plurimos egiſſe: hæſitabant ſubindè & revocabant ſe, tandémque illam deſerebant planè. Itaque *Plato* ſcribit, (de Legib.l.10.) *neminem eorum in ea ſententia conſenuiſſe*. Iidem factis plerumque negabant quod aſſerebant verbis. Nulli enim homines ità horrebant deorum vim, aut inſomniis territi, aut tonitruis, aut propinquæ mortis metu, ut qui maximè ſe deos negare profitebantur. Alii forſan ex ingenii pravitate, quorum interérat nullum eſſe impietatis vindicem in cœlo, Naturæ lumen extinguere conabantur, (quomodo Sacrilegi, Perjuri, Parricidæ, impiíque ſolent omnes,) ut vel non *crederent*, vel non *cogitarent*, eſſe Numen aliquod, nè ſcelerum conſcientia vindictæ perpetuo torqueret futuræ metu. Ex eorum numero *Stultus Ille*, (*Pſalm*.14.1.) *qui in animo ſuo dixit, non eſſe Deum*; non eſſe Deum, ſcilicet, qui curet gubernétque humanas res. At nihil minùs convenit Deo, quàm otioſum eſſe, quàm ſuum opus negligere, & neglectam à ſe mundi gubernationem Fortunæ permittere. Qui ergò ut impunè laſciviat, &, abjecto metu cœleſtis vindictæ, ſecurè ſibi in ſceleribus indulgeat, providentiam Deo & gubernaculum adimit rerum humanarum, is Deum negat. Ac hujus fortaſſe generis permulti ſunt, qui, poſtquam audaciâ peccandi & inveteratâ conſuetudine induruerunt, ſuffocatâ Naturæ luce, furioſè repellunt omnem Dei memoriam; quam tamen intus Naturæ ſenſus vel invitis ſuggerit. Quare vix quidem concedi videtur poſſe, quenquam fuiſſe verè Atheum. Aut ſi quis unquam repertus ſit, excludatur *hominum* cenſu, ad *Stultos* amandetur, quò Propheta *David*, (*Pſalm*.74.18.& 53.1.) aut *Inſanos*, quibus ratio quidem ineſt, uſus legitimus rationis deeſt, vel potiùs ad *monſtra* hominum & *feras*, ablegetur. Indignus nomine, indignus naturâ hominis, qui neget eum eſſe à quo ipſe habet quòd ſit. Neque verò eſt probabilior eorum calumnia, qui Religionem aiunt fuiſſe prudenter excogitatam à viris principibus, ad coercendum populum ficto deorum metu: quod ſi verbo negetur, ulteriùs progredi non poſſunt. Nam unde quis mihi demonſtrabit, obſecro, ità primò exortam fuiſſe opinionem de diis? Nos verò concedemus aliquid etiam hac in re, ſapientes quoſdam viros, cùm viderent quanto ferrentur impetu homines ad Religionem, eo prudenter uſos quibuſdam in locis ad ſtabiliendam civilem ſocietatem. At certò nobis conſtat ex Divinis Literis, cultum Dei repub. fuiſſe antiquiorem; & *Adamum*, *Abelem*, *Cainum* ſacra feciſſe, cùm populus univerſus nondum ſufficeret ad civitatem. Certóque conſtat omnibus, gentes reperiri adeò barbaras, ut nullam habeant rempubl. iidem verò habeant Religionem. (*Ferdin. de Quir.* in terra Magellan. & *Petr. Martyr* Decad.1.5.) Et quis tantâ eſt de nullo Deo fide, ut credat omnes totius mundi gentes paulò humaniores eâdem arte inductas ad inanem amplectendam opinionem de diis? ut *Ariſtotelem* credat, *Platonem*, *Socratem*, alióſque viros doctiſſimos, quaſi Naturæ à ſecretis, fraude hâc populari captos deliràſſe? *Non in hunc furorem omnes mortales conveniſſent, alloquendi ſurda numina & inefficaces deos*, ait *Seneca*, (de Benefic. 4. 4.) Quare hominum improborum eſt commentum hoc, non ſapientum Religio, quæ ex ipſo Naturæ ſenſu & conſenſu eſt humani generis nata. Neque neceſſe eſt quenquam, ut inveniat vim Divinam, foris quærere. Scrutetur ſe, ſuam excutiat mentem; illic facilè reperiet Deum: niſi fruſtrà nitatur eam Naturæ lucem extinguere, quæ ipſius impietatem eſt aliquando ad æternum proditura ſupplicium. Secundum eſt hoc telum atque vulnus ad conficiendam Atheorum proterviam.

§ 5.

3. ſumma, præcipuè, Cauſæ primæ infinitæque neceſſitas.

§ 5. Sed ut ſuniculo triplici conſtringantur fortiùs, unde nullâ vi erumpere aut elabi valeant, iſtud reliquis tertium addatur, brevius quidem, ſed nervoſius. Noſtris hominum ſenſibus quæ patent, omnia finita ſunt, ac terminis quibuſdam circumſcripta magnitudinis, naturæ, poteſtatis. Quare aliquam neceſſe eſt ut cauſam habeant, à qua & ſint, & ſuos fines acceperint. Nihil enim ſibi terminos dare aut poteſt, quoniam prius idem & poſterius foret ſe; aut vult, quoniam infinita eſſe malunt omnia, hoc eſt, perfectiſſima. Reliquæ enim res, præter unum hominem, valde volunt, id eſt, pro viribus agunt omnia. Nec dare ſibi aliive rei ut aliquid ſit, nec per ſe ſubſiſtere ſine cauſæ cujuſquam adminiculo, quicquam valet, niſi quod potentiâ ſit infinitâ præditum. Quoniam igitur omne finitum cauſam poſtulat, (nihil enim turpius Phyſico, quàm fieri ſine cauſa quicquam dicere,) nè ſeries cauſarum in infinitum eat, à quo *Ariſtoteles* Philoſophíque omnes abhorrent maximè; ad unum aliquid primum, idémque infinitum, pervehiri tandem neceſſe eſt, quo reliqua nitantur omnia, ipſum verò ſuâ ſolius vi ſubſiſtat. Ad unum, dico, quia infinitum. Plura enim ſi eſſent, alterum ab altero terminaretur neceſſarió. Quod autem eſt per ſe, idem æternum & immortale debet eſſe, quoniam ſibi nunquam defuit, nunquam deſeretur à ſe. Neque primum eſſe poteſt, niſi æternum. Si enim ortum fuiſſet, cauſam habuiſſet Primum priorem ſe. Hoc ergò Unum, Primum, Infinitum, Æternum, Immortale, nullâ indigens alterius cujuſquam rei ope ut ſit, aliorum verò ſuſtentaculum, cauſa & terminator omnium, ipſum illud eſt quod quærimus, quod vocamus DEUM. Quare, nè longior ſim in re non niſi aut ſponte aut naturâ cæcis obſcura, firmum atque ratum ſit, contra omnem impietatis impetum, id quod eorum eſt omnium quæ à me ſcribenda ſunt fundamentum, ESSE DEUM.

Is, trinus & unus,

§ 6. Ut in itinere jam inſtituto progrediamur: *Deus* ab æterno ſibi ſolus ampliſſimum erat frequentiſſimúmque Theatrum; ſibi ſolus inſtar mille fuit mundorum; ſibi &—*omnia ſolus*, & *ter-unus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Tres enim, non modò conceptus animi noſtri, ſed & modi quidam exſiſtendi (ut more loquar Theologorum, *Damaſcen.* ex *Juſt. Martyr.* Dialog. c. ult. *Urſin.* Catech. & *Keckerman.* Syſtem. Theolog. 1.3.) ejuſdem Numinis Perſonas faciunt, ſive Ὑποστάσεις tres: *Patrem*, qui ab æterno Filium genuit; (*Pſal.* 2.7. *Heb.* 1. 5.) *Filium*, qui ab æterno genitus eſt; (*Rom.* 9.5. *Act.* 20.28. *Prov.* 8.22, &c. *Col.* 1.15. *Heb.* 7.3. *Jer.* 23.6. 1 *Joan.* 5.20.) & *Spiritum Sanctum*, qui emanat ab utroque. (*Joan.* 14.26. & 15.26. & 16.13, 14. *Rom.* 8.9. 1 *Cor.* 2.10. & 3. 16. 2 *Cor.* 6. 16. *Act.* 5.3, 4.) *Patrem*, à quo præcipuè conditi; *Filium*, à quo redempti atque luſtrati; & *Spiritum Sanctum*, à quo ſumus omni pietate imbuti & ſanctimoniâ. An Filius *Intellectio*, ſive *Imago* ſubſtantialis Dei ſit, ex Intellectu Divino in ſe reflexo generata, *ſimilis* generanti Patri & æqualis, vel potiùs *eadem*; an Spiritus Sanctus *Voluntas* Divina ſit in ſe reflexa, quâ ut ſummum ſe bonum & ſibi cognitum appetit, amat, fruitur, Intellectui & Intellectioni *æqualis*, imò *eadem*, quia præter Deum eſt in Deo nihil; ipſi viderint qui hæc ità definiunt ex *Peripateticorum* ſchola Theologi. (*Jul. Scaliger* de Subtil. 365. 3.) Ego certè haud ſcio, an tanta in re ſatis tutò ac piè liceat philoſophari. Minimi operis, & infra Chriſtianum eſt, ea credere quæ intellectu humano comprehendi poſſunt. *Intelligant* Illi, ut fide non opus habeant. Mihi *credere* ſat erit, quod non intelligo. Tradi enim nobis hoc myſterium in Divinis Oraculis, id verò certiſſimum videtur clariſſimúmque. (*Gen.* 1. 26. & 3. 22. *Matth.* 28. 19. 2 *Cor.* 13. 14. 1 *Joan.* 5.7.) Ut nihil dicam de tribus mundi opificibus, quos indigitat *Moſes*: de *Deo*, qui fabricatur; (*Gen.* 1. 1, 3. *Eph.* 3.9. &c.) de *Verbo*, per quod fabricatur Deus; (*Joan.* 1.3. Dixit enim Deus, *Fiant*, & facta ſunt omnia. *Heb.* 1.2, 10. *Col.* 1. 16.) de *Spiritu* Dei aquis incubante, atque imprimente novam quandam naturæ vim. (*Gen.* 1. 2. *Job.* 26.13.) Sed ejuſmodi myſterium tradi cenſebant veteres atque pii Patres, quod nemo complecti animo, nedum verbis explicare, poſſet pro dignitate. Credere igitur ac venerari præſtat hoc ſecretius arcanum, quàm temere curioſéque perſcrutari. *Si hîc ratio quæritur, non eſt mirabile; ſi exemplum poſcitur, non eſt ſingulare*, ait S. *Auguſtinus*. *Nec ſobriè modò ſentiendum, ſed & loquendum eſt verecundè*, ut idem præcipit, (de Civ. Dei 10.23.) Nè tamen incredibile videatur, multa ſunt quæ ſimilitudine quadam hanc unius Dei Trinitatem adumbrant: ut quæ de Intellectu modò diximus humano. *Ecce, mens meminit ſui*, (ait *Auguſtinus*, de Trinit. 14.8.) *intelligit ſe, diligit ſe. Hoc ſi cernimus, Trinitatem cernimus; nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei. A Ratione Verba fiunt, ut animalium prima nomina; ab utriſque*

Oratio:

Oratio: quæ omnia ſunt λόγος. *Ex nullo generatus eſt* Adamus, *ex* Adamo *ſolo* Eva; *ex utroque* Sethus. *De Sole Radius naſcitur; Calor emanat ab utroque. Splendor ab Igne; Calor ab utroque generatur.* (*Lactant.* Inſtitut. Divin. 4. 29.) *In Iride tres colores ità conveniunt, ut quomodo commiſceantur ſeparentúrve nequeas diſcernere.* (*Baſil.* Epiſt. ad *Gregor. Nazianz.*) Herbæ Floréſque habent *formam*, quâ ſignificatur Deus *Pater*; *odorem* ſeu *ſaporem*, qui eſt nota *Filii*, ejúſque *ſapientiæ*; *vim* denique ſive *effectus*, qui ſunt ſigna *Spiritûs Sancti*, ejúſque *bonitatis*. Ità licet in omnibus creaturis impreſſum Trinitatis veſtigium reperire. Sed hæc aliáque ſimilia myſterium tam profundum neutiquam exhauriunt. *Nazianzenus* ergò audiatur: Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω· μέγα σοι τὸ μαθεῖν, ὅτι γέγονε. *Satìs didicit, qui ſilentio adorat, generationem Dei.* De illa verò diſputatione, Noverintne Philoſophi rationem aliquam Divinæ Trinitatis, *Ludovici Vivis* mihi perplacet ſententia, (in S. *Auguſtinum* de Civit. Dei 10.13.) *Nè nobis quidem*, inquit, *quibus eſt myſterium Regni apertum, illuxit niſi radius quidam perexiguus illius immenſæ lucis: Philoſophi verò priſci, ſiquid dixerunt quod ad hanc rem faceret, tam obſcurum id fuit, ut locutos potiùs eos quàm intellexiſſe exiſtimandum ſit. Arcana enim illa nihil eis retegi attinebat. Satìs videtur fuiſſe, ad unitatem Dei & cunctipotentiam eos noſcendam perveniſſe.* Ità *Vives.* At videamus tamen quæ Philoſophi veteres huic affinia myſterio locuti ſunt. Ut ea mittamus quæ de *Ariſtotele* prædicat *Julius Scaliger*, & nos jampridem attigimus: idem *Ariſtoteles* (lib.1. de Cœlo & mundo) ſcribit, *Pythagoricos* in Tribus poſuiſſe perfectionem rerum, velut Principio, Medio, & Fine; & in deorum ſacris hunc numerum ſolitum uſurpari;

——*Numero Deus impare gaudet:*

ternarium vult. Ibi *Niphus* in *Ariſtotelem*, *hunc* dicit *numerum à Natura traditum*, hoc eſt, à Deo, qui Trinus ipſe & Unus eſt, ut *Pythagoræis* placet. Itaque ſecundùm hunc numerum colere ſe ac venerari mortales Opifex mundi Deus voluit. *Porphyrius* quoque, ſententiam *Platonis* explicans, (ut *Cyrillus* contra *Julianum* refert) *tres ſubſtantias in eſſentia Divinitatis* ſtatuit: *Deum omnium Max. atque Opt. quem Summum Bonum & Principium*, (in *6.* de Repub.) *& ducis cauſæque omnium patrem ac dominum* vocat, (in Epiſt. ad *Hermiam*:) deinde *Opificem*, ſive *Boni & Principii filium, & ducem omnium quæ ſunt, quæque futura ſunt*; quem & Πατρὸς νοῦν, *Patris mentem*, nuncupat: tertium denique, *Animam mundi*; quam fuſam per molem Univerſitatis, omnibus vitam eſſentiámque impertientem, facere videntur *Platonici.* Nec ulteriùs Divinitatem progredi *Porphyrius* dicit.

§ 7. Sed Optimo Beneficentiſſimóque Numini nè Beato quidem eſſe placuit ſoli. Quare, ut immenſos Divinæ virtutis theſauros explicaret atque diffunderet, pro ſumma ſua bonitate, res alias condere, quæ Beatitudinem ipſius aliquatenus participarent, & celebrarent gloriam, æterno apud ſe conſilio deſtinavit. Verùm in tempore, ſeu potiùs cum tempore, condidit, quod ab æterno deſtinavit. Nullis enim Ille Fatorum Naturæve legibus tenetur; ſed, quodcunque vult, agit liberrimè. (*Pſal.* 115. 3. & 135. *6. Rom.9.*18.) Nihil tamen vult agítve niſi quod optimum. Ipſa enim Natura, ipſúmque Fatum, non niſi ejus unius arbitrio datæ ſunt leges, quibus à ſe creatæ res oriantur omnes, operentur, vivant ac moriantur; quas ad ſupremam uſque mundi conflagrationem non eſt abrogaturus, *nè mutanda feciſſe videatur, quæ Majeſtatis diminutio eſt, & confeſſio erroris*, ut habet *Seneca.* (Natural. quæſt. l. 1.) Naturales tamen ſuſpenſurus aliquando, demonſtrandæ ſuæ libertatis atque poteſtatis gratiâ. Utque nullâ coactus neceſſitate fatali naturalíve operatus eſt, ità nec utilitate conductus privatâ, quaſi aliquâ indigeret aliâ re. Noſtrî enim gratiâ nos, non ſui, condidit. Non illi homine opus, non mundo fuit, feliciori jampridem in ſe, quàm ut addi quicquam poſſet aliunde. Quæ omnia ut Angelis paterent hominibúſque, ab æterno fieri noluit, quæ fieri deſignârat ab æterno. Tandem igitur liberrimâ voluntate, quando id optimum ei viſum eſt, pulcherrimum hujus Mundi conſtruxit ædificium. Neque verò ex præparata jam antè materia formatæ ſolùm digeſtæque res fuêre: ſed, quò Divini Opificis Omnipotentia illuſtriùs pateſieret, ipſa rerum materia (dictu mirabile) nova & ex nihilo emerſit. Neque labore aliquo contentionéve opus erat ad abſolvendum hoc immenſum opus: ſed, volente ſic Deo, quaſi ſuâ ſponte nata exſtiterunt omnia. (*Pſal.* 33. *6*, *9.* & 148. 5.) Denique, non omnia ſimul ac ſemel orta, (quod tamen pari facilitate fieri potuit;) ſed, quò clariùs

creavit mundum

rius perſpiceretur Divini Numinis & *libertas* in operando ſumma, & in ordinando res ornandóque *ſapientia*, (*Pſal.*104.24.) ordine quodam optimo gradibúſque perfecta ſunt, & certis dierum ſex intervallis commodiſſimè diſtincta.

ex nihilo § 8. Qui æternum fuiſſe aut mundum, aut mundi materiam, (Chaos neſcio quod) philoſophantur, etſi Deum fortaſſe non negant verbis, ejus tamen potentiam atque vim non ſatis vel nôrunt, vel æſtimant. Qui enim verè Deus eſt, infinitus eſſe debet omni modo; non loco immenſus tantùm, ſed & ſapientiâ, bonitate potentiâque præditus infinitâ. Potentiæ verò infinitæ facilius eſt ex nihilo creare mundos, quàm ex materia præparata, nobis, minimam efficere quantamvis rem. *Ex nihilo nihil fieri*, de operibus humanis, imò & de generatione rerum naturalium, veriſſimè dicitur. Horum enim virtus definita eſt, neque progredi ultra terminos limitéſque à Deo ſibi conſtitutos valet. Sed in Prima omnium & rerum & cauſarum Cauſa, cujus potentia nullos habet præter ſuæ voluntatis cancellos, quam niſi fateamur omnipotentem, negamus Deum, in hac (inquam) nullum habet locum ſenatûs illud philoſophici conſultum. Humanæ mentis anguſtiæ non capiunt fortaſſe hanc rerum creationem ex nihilo. At nec earundem capiunt æternitatem. Quòd ſi alterutrum neceſſariò concedendum ſit, utrum credibilius, obſecro, utrum æquius, infinitam dare *diuturnitatem mundo*, an *potentiam Deo*? Neque verò illud eſt nullius momenti contra *Ariſtotelem* (qui mundi æternitatem aſſeruit primus) quod fatetur ipſe, (de Cœlo text.102.) *omnes præter unum ſe Philoſophos viróſque doctos mundum ſtatuiſſe generatum.* Quod autem omnibus videtur, aut plurimis, ejus probabilem eſſe veritatem concedit idem, (lib. 1. Topic. & Ethic. *Nicomach.* 7.) Neque verò Philoſophorum ſolummodo, ſed etiam indoctorum hominum judicio, quaſi tacito Naturæ quodam ſenſu, comprobata eſt hæc ſententia, æternum non fuiſſe mundum. *Præterea, rerum quæ traduntur ab Hiſtoricis artiúmque ferè omnium notæ origines, ortum fuiſſe mundum ſatis manifeſtò indicant.* (*Plin.* Nat. hiſt. 7. 56.) Quod philoſophicum illum animadvertiſſe Poetam, (*Lucret.* lib.5.) alibi diximus. Nam ſi mundum ſtatuamus æternum, quid prohibebat quò minùs ad nos æternas Artes æternarúmque rerum notitiam tranſmitterent majores noſtri? Minimè verò id obſtat quod *Plato* aliíque fingunt, crebras ingentéſque deflagrationes atque incendia, & inundationes immenſas, omnem rerum antiquarum deleviſſe memoriam. Cùm enim hæ calamitates (ut fatentur figmenti autores) univerſum non pervaſerint orbem terrarum, ſuperſtites profectò nationes hominéſve permulti retinuiſſent Artes; & poſteris tradidiſſent aut geſtas res, aut certè clades deletarum gentium. Nec alia quæ objiciuntur à *Peripateticis* quicquam valent, niſi ut probent, non genitum fuiſſe mundum: æternum, aut non creatum fuiſſe ex nihilo, non probant. Verùm id quod nos dicimus, libere Deum temporéque certo produxiſſe mundum, ſine materia præparata, neceſſariis id argumentis communiri poſſe non videtur *Thomæ Aquinati*, (Sum.1. qu. 46.) ſed fide magìs niti quàm ſcientiâ; (ad *Hebræos* 11.3.) Quod tamen ſi concedatur, ad gloriam Omnipotentis Dei, ad cognitionem ejus cultúmque & omnem Religionem animis hominum inſerendam, fovendam confirmandámque, valet profectò plurimùm. Si cui enim perſuaſum fuerit, mundum, qui ab omni æternitate nullus fuerat, ab aliquo initio temporis conditum fuiſſe, eidem facillimè perſuadebitur, eſſe Deum, & unum eſſe, & rerum omnium intelligentem, conſervantem atque moderantem eſſe cauſam; & infinitâ eundem vi ac poteſtate pollentem; nec ullâ Naturæ Fatíve neceſſitate, ſed ſuâ modò voluntate bonitatéque, adductum ut hunc mundum fabricaret; ex ſe ipſum denique ſolo eſſe beatum, nec ad tuendam felicitatem ſuam ullius rei forinſecæ adminiculo aut conſortio indigere. Quæ omnia ab iis qui mundum æternum ſtatuunt vel negantur planè, vel ægerrimè admittuntur. Quare ſanæ rationi magìs conſentaneum eſt, creatum aliquando fuiſſe, quàm ab æterno perſtitiſſe, Mundum.

Terram & Aquam primò. § 9. Inprimis igitur, pro ſtructuræ totius fundamento, ac materia totius operis, (lib. *Sapient.*11.17.) Terra, ſed Aquis cooperta, ſitu ſuo naturali (*Pſal.*104.6. 2 *Pet.* 3.5.) in medium producitur, occupátque centrum: utraque adhuc tenebris involuta. *Pererius* non modò terram aquis immerſam, ſed & cœlum, unà cum reliquis elementis, ab initio conditum vult; ídque ab initio traditum ait in Sacris Literis. *In principio* (inquit *Moſes*) *creavit Deus cœlum & terram.* Quibus alii verbis ea contendunt ſummatim & univerſè tantùm propoſita, quæ poſtea ſunt expoſita ſigillatim. Quam *Chryſoſtomus* & *Zanchius* aliíque plurimi opinionem tuentur. Sed huic obſtat, quòd ne-

neceſſariò fatendum ſit, illic terram eſſe factam, aut nullibi. Tertio enim die non tam facta quàm patefacta dicitur. (*Gen.*1.9.) Idem particula docet conjunctiva, quâ prioribus proxima verbis cohærent; *Terra autem erat informis*, &c. Quænam illa informis terra, niſi quam Deus antea creaviſſe dictus eſt? *Quòd ſi terram, cœlum quòque in eodem loco & eodem eſt fabricatus tempore*, ait *Jeſuita*. Itaque non eſt hæc propoſitio generalis eorum quæ particulatim poſtea explicantur, ſed ipſius rei, ut verè geſta eſt, narratio. Et hæc fortaſſe contra *Zanchium* ſatìs firma ſunt. Neque tamen conſequitur, id quod *Pererius* ipſe pugnat, uno ſimul terram & cœlum prodiiſſe temporis momento; verùm hoc potiùs, *Inprimis, ac ante alias res, ſive in principio rerum, creâſſe Deum cœlos & terram*, id eſt, *corpora ſimplicia, cœlum & elementa*: non ea quidem ſimul; ſed primo die Terram, Cœlos proximo; quamvìs terra poſteriore loco nominetur, quoniam priore tractanda proponitur. Hoc ordine geſtam hanc narrat rem Propheta *David*, (*Pſal.* 102. 25.) *Initio tu, Domine, terram fundâſti; & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Nec apud *Moſem* ullibi cœlum reperiemus diviſum in partes, quarum altera priùs nata ſit, altera poſteriùs; quarum inferior pars, ſive aër, non niſi die ſecundo, ſuperior, & verè cœlum, exſtiterit primo; quod ſtatuere videtur *Jeſuita.* Sed totum ſpatium à terris ad extrema uſque totius mundi eodem *cœlorum* nomine complexus eſt *Moſes.* Præterea, quis credat, inter cœlum terrámque ſpatium vacuum (quod Natura tantopere abhorret) in ortu ipſo Naturæ fuiſſe interpoſitum à Deo? quod neceſſe eſt opinari eos, qui cœlum ità propriè dictum unà cum terris die primo exſtitiſſe, nullo aëre interpoſito, volunt. Cùm hæc intelligeret *Pererius*, etiam primo die factum aëra, unà cum cœlo, arguit. At ego, *Id ſi detur*, inquam, *diei ſecundi quodnam erit opus, quo*, Moſe *autore, cœlum prodiit?* Reſpondet *Jeſuita*, factum eſſe aëra locum idoneum quo nubes pluviæque generari poſſent, quíque ab inferioribus divideret ſuperiores aquas. Quaſi verò id fuerit opus dignum die; aut aër ut fieret nubium capax, aliquâ novâ qualitate aut vi opus fuerit, præter ipſam aëris penetrabilem tenuitatem, & locum inter ſidera terráſque medium. Nam frigiditas regionis mediæ, quam hoc illi datam die *Pererius* opinatur, non tam *aëris* naturæ quàm *loci* debetur. Quare ſecundo Aër demum die creatus eſt, ſecundo pariter & Cœlum; quod utrumque apud *Moſem*, tanquam una eadémque res, uno & eodem nomine continetur, (*Gen.* 1. 8.) Primo autem, præter terram aquis involutam undique, nullum eſt corpus editum. Dici quidem fateor, (*Gen.*2.4.) *in die quo Dominus Deus terram creavit & cœlum.* At nè quis hinc cœlum unà cum terris productum arguat, ubi *quo die* dicitur, *quo tempore* intelligitur generatim, *Tremellio* interprete; ut 2 *Cor.*6.2. *Luc.*19.42. Novi alios (*Luther. Calvin.* &c.) terræ cœlíque nominibus Chaos quoddam ſive materiam intelligere unde cœlum unà cum terra ſit conditum: alios (*Lombard. Lyran.* &c.) putare cœlum quod vocant *Empyræum*, unà cum *Angelis*, vocabulo *cœli*, at in *terra* deſignari *Chaos*, vel *materiam primam*: alios alia comminiſci. Sed obſcura magìs omnia quàm ut clariſſimæ narrationi *Moſis* competant; præſertim cùm alia ſeſe offerat facilis & perſpicua interpretatio, quæ nullam verbis aut afferat vim, aut nebulam offundat.

§ 10. Eſt autem corpus Terra ſimplex, ſiccum & frigidum in extremo gradu; hinc denſiſſimum, craſſiſſimum, graviſſimúmque. Frigoris enim eſt, congregare, condenſare, craſſæque res ut ſint & graves efficere: quomodo Caloris contrà munus eſt, reſolvere, diſgregare, attenuare, ſeu rarefacere, ſubtiléſque res, leves atque perſpicuas reddere. Ex gravitate ſumma factum eſt ut in medio infimóque totius mundi loco (*Eſa.*40.12. *Job.*26.7. & 38.6.) Terra ſit immobilis conſtituta. (*Pſal.*104.5. *Eccles* 1.4.) Terram, corpus ſimplex frigidiſſimum & ſiccum;

——Pendebat in aëre tellus (inquit Poëta)
Ponderibus librata ſuis.——

Figuram per ſe nullam habet. Cùm autem partes ejus ad imum contenderent omnes, futurúmque Univerſi medium infimúmque locum, ut eò ſingulæ quàm proximè accederent, terra omnis in globi formam contracta eſt. (*Eſa.*40.22.) Satìs philoſophicè Poëta cecinit *Latinus*, (*Ovid.* Metam.l.1.)

Principio terram, nè non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbis.

Qua in re cæcutiit *Homerus*, qui ex altera terrarum parte (apud Antipodas, credo,) *Inferos* collocare videtur, longè inferiùs *Tartarum*. Simplex volo corpus Terræ, quod ex aliis non miſcetur vel componitur. Nullum eſt enim quod ex duabus partibus non conſtet, *Materiâ* & *Formâ*: Materiâ, quam habet cum aliis quibuſdam rebus communem; Formâ, per quam id quod eſt conſtituitur ſpeciatim, & ab aliis diſcrepat. Corporum primorum ſive ſimplicium, quæ generantur & intereunt, materia *Prima* dicitur: *Secunda* compoſitorum; quippe quæ miſcetur, & ipſa ex materia prima, quam dixi, & aliqua forma conſtituitur. Eſſe Primam, generatio rerum & corruptio docet. Aër in ignem, aqua in aërem, terra corrupta mutatur in aquam. Id quod ſubeſt & ſubſternitur huic mutationi, id ex quo diſcedunt formæ aëris, aquæ, terræ, ut accedant ignis, aëris, & aquæ, Prima illa eſt materia. Nam ſi in corruptione aëris, unde aqua vel ignis producitur, nihil ſupereſſet, ex nihilo fieret aliquid: quod Natura negat. Id ergò quod ſupereſt, ſuſcipítque novam formam, Materia eſt prima; quæ ut ad aërem conſtituendum priùs, ità nunc ad ignem concurrit, vel aquam. Sed nobilior pars cujuſque corporis Forma eſt, unde omnis efficacia & vis & natura conſtat rerum propriè ac præcipuè; ſine qua incompletum eſt corpus materia, & quod ſubſiſtere per ſe non valeat.

Aquam, frigidum humidúmque.

Aqua verò ſimplex pariter & frigidum eſt corpus, ex eóque denſum & grave; ſed, quo à terra maximè diſtat, humidum quoque. Ferebatur & aqua ſuo motu, gravis cùm eſſet, ad medium ſive infimum qui futurus erat Univerſi punctum: *Centrum* appellant Philoſophi. Cùm autem terram haberet graviorem ſe, ac proinde inferiorem, quod unum potuit, eam ex omni parte circumdedit eâdem figurâ globi. Par fuit has inprimis res prodire frigidas in naturam, quibus nullo erat opus calore ut conſervarentur. Nondum ſcilicet natus eſt calor, luce nondum editâ.

Ex quibus,

§ 11. Horrenda facies rerum adhuc. Profundæ tantùm atque inertes aquæ, tenebris obſitæ denſiſſimis, occupabant omnia. Quibus tamen mox, velut incubante Divino Spiritu, præparatoria quædam ac digeſtiva, necnon vitalis quoque, impreſſa eſt vis. Incubatio hæc eorum mihi credibiliorem reddit ſententiam, qui cœlos & aëra ex hac terrearum aquarum vaſta mole, cætera ex elementis iiſdem diſtinctis atque ſeparatis, orta eſſe opinantur; non autem ex nihilo nata omnia, quod *Paræus* contendit. Cœlum (quo nomine Aër etiam comprehenditur) ex aquis primùm extitiſſe, S. *Petrus* autor eſt, (2 Epiſt. 3. 5.) etſi reclamet, unus ferè omnium, *Beza*. Cur enim in aquis tantùm movebat ſe, cur aquas tantùm ſuo fovebat numine Sanctus Dei Spiritus, niſi ut aptam rebus producendis fingeret materiam? Imò, *ut ſuſtentaret molem hanc imperfectam*, ait *Paræus* (in *Gen.*1.6.) At ego, Quâ, inquam, ſuſtentatione huic magìs operi quàm aliis erat opus? Aqua enim atque terra, quamvìs confuſæ adhuc, adeò tamen erant perfectæ jampridem omnibus naturæ ſuæ numeris, ut nullus quidem ſubeſſet metus nè deficerent, ac in nihilum redirent. Verùm ille, qui ex aliqua materia nihil creatum præter unum hominem vult, hæc nobis opponit argumenta. Primum atque ſecundum; Ex *Moſe* probari non poſſe id quod nos volumus; quia aëra in medio aquarum, non ex aquis, factum, & aquas aëre medio ſeparatas, non mutatas in aërem, ſcribit. Nos autem hoc à *Moſe* totidem verbis de cœlo dici, non dicimus; ex eo tamen Sanctóque *Petro* colligi probabiliter. Quis autem ignorat aquas in aërem commutari quotidie; nec id tamen impedire, quò minùs idem aquas in medio disjungat? Tertium; At ſanior, inquit *Paræus*, Philoſophia cœlum eſſe diverſi generis ab elementis, & eſſentiam (ut *Ariſtoteles* appellat) quintam, docet. Non igitur ex aqua factum. Verum profectò eſſet hoc & efficax argumentum, (etiam nos dicimus) de generatione, quomodo res jam fiunt, ſi ageretur: ſed in rerum creatione, quàm inepta ſit materia nihil refert. Aliis de rebus apertè *Moſes*, herbas, ait, arbores, volucres, quadrupedes, & hominem ipſum ex terra natum, ut ex aqua piſces. *Terra producat, &c.* (*Gen.*1.11.) *Formavit ex terra Dominus omnes agri beſtias, volucréſque cœli.* (*Gen.*2.19.) Deinde, *Producant aquæ, &c.* (*Gen.*1.20.) Credibile igitur videtur, & cœlum aëráque, id agente Sancto Spiritu, ex iiſdem aquis prodiviſſe.

Incubante Spiritu Dei,

§ 12. At Spiritum hunc Dei *Cajetanus* Angelum fuiſſe mavult, agitatione cœli operantem in aquas; alii, Ventum potiùs vehementiore aëris impulſu agentem, quo etiam ad aquas minuendas uſus eſt in Diluvio *Noachano* Deus. (*Gen.*8.1.) At horum omnium nihil erat adhuc natum; non cœlum Angelíve, non aër aut venti. Sanctum verò Spiritum voluiſſe *Moſen*, ex eo patet, quòd *Dei* vocetur Spiritus. Id enim

enim alii ſpiritui hoc tempore convenire nulli potuit. Non me fallit, maximas in ſuo genere ac nobiliſſimas quaſdam res, ut montes, cedros, rivos, urbes, & alia, *Dei* montes, cedros, rivos, urbes appellari. At verò hâc tantùm ratione ſi *Spiritus* hic *Dei* vocaretur, quid prohibuit Terram quoque *Dei*, & Cœlum, & Lucem dici, maximas non minùs optimâſque res. Porrò, *Spiritui Sancto* in Sacris Literis ſæpe tribuitur *Creatio* rerum, ut eum propterea hoc in loco ſignificari vero ſimillimum ſit. *Pſal.*33.6. *Verbo Jehovæ facti ſunt cœli*; *& ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum:* & *Pſal.*104.30. *Job.*26.13. & 33.4. *Eſaiæ* denique 40.13,14. *Quis libravit in ſtatera montes, & colles in bilance? Quis direxit Spiritum Jehovæ, & quis ei conſiliarius* fuit? Quemadmodum igitur *Chriſtus*, à quo regeneratum eſt humanum genus, in utero Virginis erat conceptus obumbratione *Sancti Spiritûs*: ità ex terræ, quaſi virginis incorruptæ adhuc, humida materia totus eſt creatus orbis, eodem incubante *Spiritu Dei*. Verèque cecinit *Tertullianus*, (Carm. in *Geneſin*,)

——Deus ſuper æquora vaſta meabat,
Dum Chaos & nigræ fuſcabant cuncta tenebræ.

§ 13. Ex his principiis ortum fuiſſe mundum, gentes olim profanas minimè latebat: ſive id ex Libris *Moſaicis* didicerunt, quod de *Phœnicibus* & *Ægyptiis* pronum eſt credere; ſive fama illis tradidit vetuſta. Antiquum enim Chaos, tantopere celebratum, non à Poëtis modò, quorum primus *Heſiodus*, (*Ariſtotele* teſte Phyſic. 4. & Metaphyſic. 1.) ſed etiam à Philoſophis olim *Græcis*, *Platone*, *Anaxagora*, *Zenone Cittiæo*, ab *Ægyptiis* apud *Diodorum Sic.* (lib. 1.) & *Diogenem Laert.* (in prooem.) atque *Phœnicibus*, ut *Sanchoniatho* tradit apud *Euſebium* (de Præparat. Evang. 1.10.) Chaos, inquam, aliud quid eſt quàm aquarum illa terræque miſta moles, unde reliqua narrat fuiſſe nata *Moſes*? Quid aliud Aqua, unde *Thales Mileſius* & *Stoici*, & qui ex *Indis* docti habebantur, (*Strabo* 15.) quid Terra ſeu Limus, unde *Xenophanes*, quid Ovum, unde *Orpheus* apud *Athenagoram*, mundum excluſum atque ortum ferunt? Ità enim *Seneca*, *Stoicus Latinorum* princeps, (Nat. quæſt. 3.13.) *Ignis exitus mundi eſt*, *Humor primordium.* Ἐξ ἰλύος ἐβλάστησε χθὼν αὐτὴ, autore *Apollonio* (*Argonautic.* 4.) ——*Edita limo Terra fuit.*—— Et *Plutarchus*, (de *Iſid.* & *Oſir.*) *Humida*, inquit, *Natura*, *cùm ab initio principium & ortus omnium eſſet rerum*, *tria prima produxit corpora*, *Terram*, *Aërem*, *Ignem.* Sed & *Mentem*, hoc eſt, *Deum*, ea diſcreviſſe atque ordinâſſe quæ confuſa erant, non modò *Anaxagoras* & *Thales* Philoſophi, (*Plutarch.* de Placit. philoſoph. 1. *Cicero* de Nat. deor. 1.) ſed Poëta etiam *Ovidius* docet, (Metamorph. 1. fab. 1. & 2.)

Hanc Deus & melior litem Natura diremit;

rerum litem diſſentanearum, quas continebat in ſe permixtas Chaos.

§ 14. Ad illuſtrandum hoc novum opus, dignum ſpectatu, ipſa Lux cum primis poſt editam
à Deo eſt in lucem edita; cujus adventu præſentiâque *Dies* fieret, diſceſſu & abſentiâ *Nox*. lucem,
Neque hoc ad Solis ortum diſtulit, nè Stellis debere nos lucem putaremus, non Deo. Opacitas quidem erat craſſis corporibus; umbra nondum erat. Abſentia tamen illa ſive defectus omnis lucis, quo duodecim horarum ſpatio aquæ obſcurabantur, *Tenebræ* vocatur à *Moſe*, & pro nocte habenda eſt prima. Tum verò accenſam lucem, unam certè omnium utiliſſimam qualitatem, pulcherrimam jucundiſſimámque, ac proinde nobiliſſimam, *Diem* appellari Deus voluit; nec re modò ac tempore, ſed ipſo nomine à tenebris & Nocte ſeparari. Re autem ità diſcrepant, ut præſentiam lucis tenebræ non ferant, ſed in partem ſemper diverſam craſſorum corporum rejiciantur. At verò Dies hic qui Nocti opponitur is eſt quem vulgò *artificialem* vocamus, ab ortu Solis ad occaſum, ità ut hyeme brevior, longior æſtate ſit. Alio modo *naturalem* vocamus Diem, qui circuitu Solis quatuor & viginti horis definitur, ità ut noctem in ſe comprehendat. Hic dies terram ſpectat univerſam; alicubi enim ſemper lucet: ille ſingulas terrarum partes. Deo quidem non deerat ab æterno ſua lux. Ipſa enim lux eſt. (1 *Joan.*1.5.) Nos verò nè hujus perilluſtris rei, quam cernimus quotidie, ſatis naturam percipimus. *Quanam viâ itur illuc* (ait Deus *Job.*38.19.) *ubi habitat Lux?* Quantò minùs ergò hujus Autorem lucis cognoſcimus, qui lucem incolit quò nullus hominum accedere, nè intellectu quidem, poteſt? Sed magno quod producturus erat operi cùm neceſſaria eſſet lux, ut magnis ædibus feneſtra, hanc primam aperuit Deus, ut primùm erat aliqua domicilii pars

conſtructa quæ caperet. Qui ab initio Deum putat adhibuiſſe lucem, unde pleſumque calor emanat, tanquam præcipuum inſtrumentum expoliendis operibus ſuis, ac velut communem quandam rerum naturalium obſtetricem, educendis ex informi illa materia fovendíſque ſeminibus, (*Tilenus* in Syntagm. *26. 16.*) diminuit profectò vim gloriámque Divinam, Omnipotenti Opifici auxilium ſuppeditando minimè neceſſarium. *Perſpexit* verò Deus, (quid enim ille non perſpicit, etiam ſine luce?) *lucem* quam ediderat *eſſe bonam*: hoc eſt, non modò ſuæ voluntati conſentaneam, & voluntates hominum ſuo illuſtri ſplendore caloréque dulci meritò ſibi conciliaturam; ſed & rebus jam productis, & producendis mox, utiliſſimam futuram. Facilè, inquam, id perſpexit Deus, & comprobavit. Aqua Terráque Dei quidem operâ præcedebant lucem: nondum tamen earum virtutes comprobantur à Deo, quia nondum ſejunctæ, perfectæ, aliarúmque rerum commodis aptæ, videbantur.

Sed quo corporis vehiculo uſa eſt prima Lux, nondum Sole condito? Ipſa enim ſuſtinere ſe non potuit. An nubeculæ cujuſdam lucidæ ac ſplendentis adminiculo (unde Sol poſtea factus) in ſuperiore ſpatio ambivit circuivítq; medium globum horis viginti quatuor? An, ſi hoc in vacuo fieri non potuit, in ſummis aquis impreſſa, totidem horis peregit globi circuitum? An utrumque fuit; hoc, primo die; illud, ſecundo tertióque, poſtquam aër emicuit, ſpatiúmque faci volitanti commodum exhibuit? Quid multa in hac re, aut in aliis hujuſmodi, quæ plurima vocantur in dubium? Factum hoc eſt, narrante *Moſe*: quo modo factum, utcunque lateat fortaſſe nos, at novit Deus. Id homini pio & verè Chriſtiano ſatìs fuerit. Omnibus enim *Julianorum*, hoc eſt, hominum pravorum profanorúmque, argutiis facere ſatìs, non eſt humanarum virium. Quare tenebris obducam eas & obruam, occidente jam primi diei luce.

Aër cum Igne producitur, & Cœlum, die ſecundo.

§ 15. Proximo, ex confuſa mole, Aëris elementum, Meteoris, præſertim aqueis & beneficis, locus deſtinatus, unà cum Igne, (ſi quis eſt) in ſublime fertur, quaſi parietes domûs, circumfuſi undique Cœlo. Cœlum verò, quaſi Tectum, longè latéque patens, locum totius orbis obtinet ſupremum: ut meritò *Eſaias* dicat, *cœlos Deum extendiſſe velut telam, & quaſi tabernaculum expandiſſe ad habitandum.* (*Eſa.*40. 22.) Utrumque *cœlum* dico, tam quod aſtris poſtea ornatum eſt, quàm Angelorum & præſentiæ Divinæ locum, quod *Empyræum*, propter ſummam claritatem, vocant, ac *Tertium*, (2 *Cor.*12.2.) *Cœlúm*que *cœlorum.* (*Pſal.* 148.4.) Nam (quod monui priùs) totum hoc à terra ſpatium, ad extremos mundi terminos, uno Cœlorum nomine concludunt Sacræ Literæ, ad ſenſum vulgi. Ut enim *Sidera collocantur in cœlo*; (*Gen.*1.17.) ità *& aves volitant*, (*Gen.*1.20.) *nubéſ*que, (*Pſal.*18.11. *Dan.*7.13.) & *habitat in cœlo Deus*, (*Pſal.*103.19.) *Angeli*que. (*Matt.* 22. 30.) Hebraicè *Shamaim* Cœli dicuntur, plurali tantùm numero. Unde conſtat, notas fuiſſe viris doctioribus ab initio cœli partes varias, etſi confuſas vulgo. In ſuprema cœli ſupremi parte, qui *Thronus Dei* dicitur, (*Eſa.66.1.*) credibile eſt Chriſtum ad Dei dextram, h. e. in dignitate majeſtatéque ſumma, collocatum eſſe. (*Act.*3.21.)

Aër corpus ſimplex calidum & humidiſſimum: calidiſſimum & ſicciſſimum Ignis.

§ *16.* Aër & Ignis corpora quidem ſunt, quemadmodum Aqua Terráque, ſimplicia: verùm ſicciſſimus Ignis & calidiſſimus; quódque oritur hinc, maximè omnium tenuis, ſubtilis, pellucidus, atque levis. Humidiſſimus autem Aër, & calidus mediocriter; unde tenuis ac levis etiam, pellucidus, fluidus, & diſſipabilis. Per ſummam levitatem in altiſſimum locum, cœlo ipſi proximum, ſublatus Ignis eſt. Levia enim ſurſum corpora, ut deorſum gravia, ſuâ feruntur vi. Ut aqua terram, ſic & aquam aër, aërem ignis, ſimul omnia cœlum rotundo ambitu comprehendit atque concludit. Ex iſtis quatuor ſimplicibus, Aqua, Igne, Terra & Aëre, (*Prov.* 30. 4.) corpora mixta componuntur omnia, & in eadem diſſoluta redeunt. —*Omnia fiunt Ex ipſis, & in ipſa cadunt.* (*Ovid.* Metam.15.) Eámque ob cauſam vocantur *Elementa*, hoc eſt, *Principia*, ſeu *partes naturales*, unde conſtituuntur & conſtant res compoſitæ. Omnia Elementa homogenea ſunt, quorum ſingulæ partes totius corporis naturam obtinent: ut quivis pulviſculus terra, gutta quævis aqua dicitur. Eorundem partes Elementorum inter ſe tranſmutantur corruptione generationéque perpetuâ. Ex terra enim aqua fit, ex aqua itidem terra; ex aëre ignis, & ex igne aër. Totum verò Elementum tranſmutari ac deficere natura rerum non patitur. Faciliùs in eorum naturam tranſeunt quibuſcum alterâ qualitate conveniunt: quæ utrâque pugnant, difficiliùs tranſmutantur. Ut aquæ in aërem propter humiditatem, aëris in ignem propter calorem, citiùs fiet tranſmutatio, quàm aut aëris in terram, aut in aquam ignis, quorum omnes qualitates repugnant.

§ 17.

Cœlum natura quinta puriſſima, immutabilis.

§ 17. Cœlum *Peripateticis* quinta quædam natura, & diverſa planè ab Elementis, habetur, mole maxima, puriſſimâque materiâ, ſolida, immutabilis, pellucida, & rotunda. Nec à terra modò & elementis, quæ circuit, figuram hanc cœlum contrahit; ſed perfectiſſimæ ſimpliciſſimæque rei, motúmque habituræ circularem & velociſſimum, figuram eſſe oportuit ſimpliciſſimam, perfectiſſimam, & rotundam. Sphærica enim, quia ſine principio & fine, maximè omnium eſt capax, ideo perfectiſſima; quoniam ſui ſimilis ubique, nullis impedita eſt angulis, ideo ſimpliciſſima, rapidiſſimíque motûs velocitati aptiſſima fuit. Simpléxne tamen corpus, an ex materia cœlum & forma compoſitum ſit, ut aliæ naturæ corporum inferiorum, ipſis inter ſe *Peripateticis* non convenit. Materiam ſcilicet à forma diſtinctam habere cœlum, corruptio nulla generatióve demonſtravit, quod in aliis fit. Circularem cœli motum, propter ſummam ejus velocitatem, perpetuitatem & conſtantiam, variúſque cùm ſit, æquabilitatem certam, à cauſa forinſeca potiùs quàm inſita vi pendere volunt *Peripatetici*. *Intelligentiis* ergò tribuunt, quas Chriſtiani plerique *Angelos* interpretantur. Separatas enim formas & ſubſtantias incorporeas vocat *Ariſtoteles*. Ego certè Intelligentiarum neceſſitatem nullam intelligo ad motum ſimplicem. Nec eſt enim progreſſivus mixtúſque cœli motus, qui appetitum requirat locomotivum, & directricem vim. A natura igitur cœlorum proficiſci, quemadmodum ignis atque terræ motus, autore dirigente perpetuantéque Deo, nihil prohibet.

——Cœleſtia corpora per ſe,
Atque ſuis formis, ut terra igniſque, moventur. (*Palingen.* in Aquario.)

Bene Theologus ille, (*Tilenus* Syntagm.24.) *Eſt alienum ab Angelis*, inquit, *commentum illud*, *quod*, *ex Philoſophorum lacunis derivatum*, *& à Rabbinis avidè hauſtum*, *Scholaſticis omnibus*, *& ex Patribus quoque nonnullis*, *mirificè arriſit*, *quo cœleſtes orbes ab Angelis impelli*, *& in gyrum rotari*, *finguntur*. Quaſi verò internâ vi, naturæque ſibi inditæ proprietate, hunc in modum cieri ac circumagi nequeant; ſed neceſſe ſit beatos Spiritus, velut *Ixionas* quoſdam, hiſce affigi atque affligi rotis. Quâ ratione motus non eſſet proprius, ſed accidentalis. Neque tamen cœlum ipſum fortaſſe, verùm in cœlo tenuiſſimo ità ferri atque moveri ſtellas exiſtimandum eſt. Nihil enim ferè omnium eſt quæ de Cœlo hactenus & Elementis tradita ſunt ex *Peripateticorum* ſententia, de quo non ambigunt alii Philoſophi. Terram aliqui non eſſe frigidiſſimam volunt, aquam verò alii nè frigidam quidem, alii tamen maximè frigidam eſſe contendunt. At iſta utriuſque denſitati neceſſariò tribuenda ſunt, pro modo gradúque; ut quò denſior alterutra, eò naturâ ſit frigidior. Nam frigore condenſari elementa, ut rarefiunt calore, oculis experimur. Itaque aëris tenuitati pariter concedendus eſt calor. *Stoici* tamen pugnant, aëra eſſe frigidiſſimum; ſicciſſimum quoque *Bodinus*. Et certè multi eſſe humidiſſimum negant. Suis tamen difficillimè contineri terminis, facillimè alienis, (quod humidum ſignificat *Peripateticis*) nemo non videt. Ignis verò nè eſſe quidem elementum concedunt plurimi, eo ſaltem quo ſtatuit loco *Ariſtoteles*, Lunæ proximo. At eò videmus ignem atque flammam tendere moveréque ſe. Fruſtráne igitur hic Naturæ impetus? Et ſi corporum cœleſtium ſoliditate, rapidiſſimóve motu, & Solis propinquâ luce, atteratur perpetuò incendatúrque vicinus aër, perquam eſt probabile, Ignem illic generari elementarem conſervaríque. Nec deſunt qui ipſum æthera, ſtellarum ſedem, ſive ab αἴθειν dicatur, id eſt, *urendo*, ſive ab ἀεὶ θεῖν, à *curſu perpetuo*, tenuiſſimum aëra, motúque ſiderum velociſſimo inflammatum, eum eſſe Ignem elementarem putent; quem alibi fruſtrà quærimus. Ejuſdem elementi alteram eſſe partem volunt in cavernis terræ abditam, quæ tamen incendiis aliquando erumpentibus prodit ſe, thermis autem ſive aquis calidis perpetuò.

Corporibus congenita quædam: 1. Magnitudo,

§ 18. Cœlo & Elementis, indéq; orituris mox corporibus aliis, præter formam & materiam, unde rei cujuſq; natura componitur, accedunt, vel potiùs accidunt, congenita quædam, ſine quibus ipſæ corporum naturæ non ſatis intelliguntur. Ea verò aut communia ſunt omnium, aut propria rebus partim cœleſtibus, partim corruptibilibus, quæ infra Lunam ſunt. Primi generis habetur *Quantitas* ſeu *Magnitudo*, quàm neceſſariò conſequitur *Locus*, deinde *Mobilitas*, &, quod motui conjunctum videtur, *Tempus*. Hæc omnium ſunt corporum. *Magnitudo* ſeu *Quantitas* id eſt quo corpus extenditur longitudine, latitudine & profunditate; ſine qua extenſione ſuas Forma explicare vires non poteſt. At iſta magnitudo corporum naturalium, immenſa nullibi re-

reperitur. Non in ſimplicibus, quia plura ſunt; at non niſi unicum poteſt eſſe infinitum: plura enim terminarent ſe mutuò. Neque propterea in compoſitis, quoniam ex ſimplicibus finitis conſtant. Imò ſingula corporum viventium genera certos habent naturâ quantitatis terminos præfinitos, ſuis formis idoneos; ut *nec rana bovi——non ſi ſe ruperit——par ſit futura*, nec ad muris parvitatem diminuatur elephas.

2. Locus, Omne magnum in aliquo ut loco ſtatuatur neceſſe eſt. *Locus*, abſolutè ac propriè ſi loquamur, Spatium illud per ſe vacuum eſt quod occupatur & impletur à corpore. Cum relatione ad alia, Corporis ambientis ſuperficies concava ejus rei locus dicitur quæ in illa continetur. Hic rebus elementaribus ad tuendam ſuam naturam tribuitur. Cùm ſuum quodque locum poſtulet, penetrare ſe corpora non poſſunt; ídque nè fieret, imbecillius fortiori loco ut cederet, à natura conſtitutum eſt.

3. Motus, *Mobilitas* aptitudo eſt corporum & propenſio naturalis ad motum. Latio corporis à loco in locum *Motus* dicitur, qui in conſervationem præcipuè rebus à Natura datus eſt utiliſſimè. Eſt autem vel circularis in orbem, quomodo corpora moventur cœleſtia: vel rectus; íſque aut ſurſum, ut elementorum levium; aut deorſum, ut gravia feruntur: vel mixtus denique & progreſſivus, qui eſt animalium motus. Qui ab ipſa re quæ movetur ex cauſa intrinſeca fit motus, *naturalis* dicitur; qui contra naturam ab externo impetu, *violentus*. Violentus, ab initio velocior, prope finem remiſſior langueſcit; ac propterea minimè diuturnus eſſe poteſt. Nam & impetus à vi forinſeca impreſſus eò debilior fit quò quid eſt longiùs progreſſum; & medium id per quod tranſitur magìs reſiſtit, nè progrediatur ulteriùs. Contrà, motus naturalis, tardior in principio, reſiſtente fortiùs aëre, aliâve mediâ re, prope locum velocior eſt quò tendit. Motui opponitur *Quies*, quæ cœleſtibus minimè convenit, rebus inferioribus in ſuo cuique loco eſt naturalis.

4. Tempus, Quoniam verò motus in momento nullus fit, ſed gradatim & ſucceſſivè, ideo mora quædam illi debetur neceſſariò, quæ *Tempus* dicitur. Itaque Tempus *Ariſtoteles* motûs ait menſuram eſſe ſecundùm prius & poſterius: hoc eſt, ut exponunt *Peripatetici* doctiores, Motus cujuſque rei, Solis Lunæque inprimis, inter certos terminos, priores & poſteriores, menſuratus, illud eſt quod vocatur *Tempus*. Verùm hi termini cùm ab humana mente ſtatuendi ſint, niſi anima eſſet rationalis, quæ metiretur motum darétque terminos, nullum tempus futurum ipſe *Ariſtoteles* fatetur. (Phyſic. 4. t. 131.) At verò tempus fuiſſe conſtat dierum quinque antequam eſt creatus homo, qui terminis motum diſtingueret. Quare alia ratio temporis quærenda eſt, quæ ab animo non pendeat humano, cùm certum ſit, omnes hujus mundi res tempore definiri nobis non cogitantibus; nec motum ſolummodo, ſed & quietem, & ipſam rerum quam Philoſophi vocant Exſiſtentiam. Haud inepta mihi videtur eorum ſententia, qui durationem ipſam & diuturnitatem rerum, intra certos terminos à natura conſtitutos, *tempus internum* appellant, vel abſolutum. *Duratio* enim nullis terminis circumſcripta, non *tempus* appellanda, ſed *æternitas* videtur, uni Deo peculiaris. Menſuram ejus durationis, per dies, menſes & annos, ex motu cœli & ſiderum deductam, *tempus externum* vocant, & in relatione poſitum. Nam lineæ ſeu longitudinis, atque temporis, quam quærimus, cognata ratio eſt. Ex fluxu puncti longitudo, ex fluxu τȣ͂ νῦν ſive momenti oritur tempus. Panni aliùſve rei longitudinem ſi metiri volumus, certa eſt adhibenda ulnæ alteriúſve rei menſura. Ità motûs ut cognoſcatur diuturnitas & tempus, quàm longum aut breve ſit, ex motu cœleſti maximè, qui certiſſimus, notiſſimus, & in minimas partes facillimè dividitur, menſuram applicare par eſt. Aliud tamen eſt tempus & duratio cujuſque rei, aliud motus ille quo menſuratur: ut longitudo panni, & ulna quâ metimur, diverſæ res. Partes temporis duæ; Præteritum, quod abiit, & Futurum, quod inſtat: quas *Momentum*, Græcè τὸ νῦν, idem finis præteriti, & initium futuri, copulat.

5. Qualitates. Jam verò propria illa quæ dixi congenita corporibus accidentia *Qualitates* vocantur; quarum aliæ non niſi cœleſtibus conveniunt, aliæ inferioribus & corruptibilibus peculiares ſunt. Cœli, vel ſiderum potiùs in cœlo, qualitas prima eſt *Lux*, unde ad nos *Lumen* diffunditur. Deinde, *Conſtantia* naturæ quædam, ſive *Immutabilitas*, & immunitas à corruptione. Tertiò, quædam occultæ ſunt vires, quibus (perinde ac luce) influunt aſtra & agunt in ſublunares res, per varias mundi plagas diſpenſante motu. *Influentias* vocant Philoſophi. Corporum inferiorum, partim internæ poteſtates viréſque ſunt agendi patiendíve, ex forma peculiaríve temperamento rerum prodeuntes; partim ex eo ſunt genere quæ feriunt ſenſum forinſecùs, ut Co-

Colores,Odores, Sapores, Soni, & qualitates Tactiles; de quibus alibi unà cum Senſibus agendum eſt. Potentiæ verò illæ ac vires plerumque manifeſtò produnt ſe, quarum eſt cauſa evidens & nota: aliquando latent occultæ nobis,quarum ratio vix, aut nè vix quidem,reddi poteſt. Hoc in Sympathiis pleriſque rerum & Antipathiis accidit. *Sympathia* eſt mutua quorundam corporum quaſi concordia & amicitia; ut magnetis & ferri. *Antipathia*, diſſidium naturale; ut ovium & lupi, braſſicæ atque vitis. Ex potentiis, vel potiùs impotentiis, naturæ eſt *Mutabilitas* corporum. Modis autem variis mutantur; Alteratione, Augmentatione, Diminutione, Generatione, & Corruptione. Aliqui & has motus vocant. 1. *Alteratio* ſenſilium eſt qualitatum variatio: ut cùm calida frigeſcunt, caleſcunt frigida. 2. *Augmentatio* eſt, quâ majora fiunt corpora nutrimento intrinſeco; ut cùm vitulus in bovem, puer accrevit in virum. 3. *Diminutio* eſt, quâ corporum decreſcit magnitudo. 4. *Generatione* per novam formam novum corpus fit: ità ex aëre aqua, è ſemine prodit herba. 5. *Corruptione* tota corporis mutatur ſubſtantia, & diſſolvitur compoſitum, amiſsâ formâ; ut corrumpitur aqua ubi in aërem mutatur, animal ubi moritur. Cùm nihil poſſit interire penitùs, & in nihilum evaneſcere, Corruptio unius corporis ſemper alterius generatio eſt. Hæc igitur ea ſunt quæ corporum naturæ accidunt & quaſi ancillantur.

§ 19. Aërem inſtituit Deus, partim ut humiditate ſuâ miſtionem corporum naturalium benignè temperaret, partim ut ſpiritu ab animantibus terreſtribus duceretur. Quò poſterius hoc faciliùs & feliciùs fieret, oportebat nubes & pluvias, & quæ alia ex aquis & terra exſpirantur perpetuò, in altum tranſmitti procul, & ab aquis marinis atque inferioribus longè ſemoveri. Fumi enim calentes & denſi vapores non poterant non, propinquitate nimiâ, vel ſuffocare animalia, vel plurimùm reſpirantibus officere. In tres igitur partes ſive regiones aërem ſi dividamus, ſupremam, infimam, atque mediam, ità in ſingulas earum perviâ tenuitate tranſeunt halitus terreni, ut obſint minimùm animantium ſaluti. *Supremam* dico regionem, quæ cœlo vel igni proxima, &, calidiſſima cùm ſit, infra montium altiſſimorum vertices deſcendit. *Infima* regio in altum eouſque pertingit quouſque radii ſolares in planitie reflectuntur; etſi minus hyeme, majus idem æſtate ſpatium ſit, quando radii ſolares altiùs reſiliunt. Quæ his interponitur *Media*, ſi comparetur cum aliis, frigida videtur, per vapores aqueos eò aſcendentes perpetuò, & caloris ἀντιπερίστασιν obſidentis utrinque; tantò major hyeme, quantò eſt infima regio minor. In hanc triplicem regionem aëris variæ aſcendunt Exhalationes. *Exhalationes* mixta quidem, at ſubitò ac imperfectè mixta, ſunt corpora, nec temperamento juſto, nec omnium, nec tenaci cohærentiâ elementorum. Ex terra & aquis, aut ſiderum vi, Solis præcipuè, aut ignium ſubterraneorum, attenuatis partibus elementorum, eliciuntur & ſublevantur. Duorum ſunt generum, Vapores, & Fumi. *Fumus* calidior & ſiccior halitus, ex terra elicitus, ex terra compoſitus & igne, viſcoſóque interdum & pingui aëre. Ex aquis *Vapor* evocatur, calida nimirum & humida exhalatio. Hic in aquam & aërem, ille in terram ignémve faciliùs recidit.

Aëre ſeparantur ab aquis fluvialibus & marinis.

§ 20. A formis quas in ſublimi ſuſpenſa induunt *Meteora Græcis* appellantur. Inſtituta ſunt à Deo, cùm ad ornatum Univerſi, tum præcipuè ad purgandum aëra, nutriendáſque terrigenas res; aliquando ad pœnas etiam ſcelerato generi hominum vel infligendas, vel denunciandas. Et his maximè inſtrumentis peragunt ſua in homines deſtinata maleficia principes aëris Diaboli. Sed ab iis quæ revera ſunt ſeparentur inprimis quæ tantùm apparent, *mendaces* (ut appellat *Seneca*) *ſine re ſimilitudines*, *Phaſmata Græcis* & *Phantaſmata*. Primò, varii ſine certa figura colores in nubibus, niger, albus, viridis interdum, ſæpe rubicundus: ſanguineum penè habent prodigii loco. Ex reflexione varia & refractione radiorum ſolarium oriuntur, pro denſitate aut tenuitate fumorum vaporúmque. Species multæ certas figuras præ ſe ferunt: quo ex genere, Chaſmata, Halones, Parelii, Paraſelenæ, Virgæ, Irides. *Chaſma* hiatus quidam in cœlo videtur, aut vorago, ſi minor ſit, foveæ ſimilis; ubi denſior & nigra pars nubis inter extremas utrinque aut illuſtratas aut incenſas locatur. *Halo*, *Area* Latinè, eſt coronæ ſive circuli ſpecies, ex refractis radiis in æquabili nube Lunæ aliíve claro ſideri ſubjecta. *Parelii* Solis imago ſunt in denſa & æquabili nube, tanquam in ſpeculo; qui plures aliquando ſimul conſpiciuntur. Lunæ plenæ ſpecies *Paraſelene* vocatur. *Virgæ* dicuntur lineæ quædam longæ ac perpendiculares, ex receptis in tenuiores nubium partes radiis ſolaribus. Denique,

ut alia Meteora.

Iris,

Iris, arcus ille multicolor in nube concava, inæquali & rorida, ex reflexione varia & refractione radiorum ſolarium, aliquando & lunarium. Hæc omnia videntur quidem, at non ea ſunt quæ videntur. *Realia* Meteora vel ignea ſunt, vel aërea, vel aquea. *Ignea* ex fumo incenſo conſtant, vel in ſuprema regione aëris, vel in media, vel in ima, pro caloris modulo. In *ſuprema*, 1. *Fax* lucet inſtar candelæ ardentis, at extinctæ citò. 2. *Trabs* inſtar pyramidalis & immobilis columnæ ſtat. 3. Eâ minor *Bolis*, ubi flammam concepit fumus, tanquam jaculum aut ſagitta ſurſum volat. 4. Ubi huc & illuc, in fumi partes variè ſitas, flamma tranſilire videtur & diſcurrere, *Capra ſaltans* dicitur. 5. Ubi per partes minutiores ſpargitur accenditúrque fumus, *Scintillæ volantes* nominantur. 6. Poſtremus in hac parte venit *Cometes*; at non pari cum reliquis feſtinatione brevitatéque tranſigendus. In hoc enim raro ac penè prodigioſo in rerum natura ſpectaculo maximè omnium hærent oculi humani & morantur, deſiderio ardentes cognoſcendi ſidúſne ſit, an oſtentum, an opus aliquod Naturæ novum. Itaque pluribus agendum videtur, quærendúmque, 1. unde conſtet; 2. unde ejus oriatur materia; 3. quo loco, 4. quo tempore, ſoleat naſci; 5. ut durare, 6. ut extingui; 7. quid conſequatur; 8. quantúſque ſit; 9. & quo feratur motu; 10. quot generibus varietur; 11. quem in finem edatur; 12. quorum denique ſit malorum opifex aut index. 1. Inprimis, neque ſtellam eſſe novam ex materia cœleſti, neque aërem coactum & condenſatum, (ut magna eſt hac in re opinionum diſcrepantia) ex iis quæ deinceps à me dicenda ſunt facilè perſpicietur. Sed terreno conſtat halitu: non ſimplici tamen; verùm eo qui ex fumo & vapore ſit mixtus, idem tenax, pinguis & ſulphureus, ut ignem facilè concipiat, diu retineat. 2. Ignium ſubterraneorum, Soliſque præcipuè, vi extenuantur colliguntúrque halitus copiâ maximâ, qui ſuâ partim levitate aſcendunt, partim *Saturni*, *Martis* & *Mercurii* Planetarum ope, in ſignis quibuſdam igneis & aëreis concurrentium, attolluntur in ſublime. Id autem fieri tum vel maximè obſervatum eſt, cùm lumen Soli aut Lunæ deficit. Neque verò tota ſimul materia coit; ſed pars parti continuò ſuccedit, & incenſæ jampridem nova ſemper quaſi pabulum accedit; quo deficiente, Cometa extinguitur. Halitus enim iſti bituminoſi cùm ſint, in regionem aëris ſupremam calidámque delati, vel à ſe, vel à Sole, ac aliis quos dixi Planetis, vel ab igne vicino, incaleſcunt facilè atque incenduntur. Neque tamen flammis correpti flagrant, ſed titionis ardent more. Eadem vis quæ attrahit Cometam, elevátque in altum, retinet etiam in ſublimi, donec abſumatur. 3. In ſuprema regione aëris, atque parte ſuprema, utplurimum generatur, extra Zonam torridam. Motu enim quotidiano cœli rapitur plerumque. Id autem cœlo eſſe proximum indicat. Et in media Zona extremus ardor Solis devorat exhalationes orientes, prohibétque nè in corpus unum altiùs coëant. In Zodiaco tamen aliquando reperti ſunt, & in parte ſupremi aëris inferiore nati. 4. Tempus aptiſſimum Cometis generandis Autumnum eſſe conſtat, præcipuè cùm ſiccior æſtas præiverit. Unde *Aratus*,

quorum princeps Cometa,

Sæpe dat horrendos tempeſtas ſicca Cometas.

Nam in terram, æſtate aridâ calidâque toſtam, pluviæ autumnales cùm inciderunt, halitus eduntur creandis Cometis idonei copioſiſſimè: quod aliis anni tempeſtatibus ità commodè fieri nequit, obſtante aut calore aut humore nimio, minoréve quàm par ſit. 5. Eò diuturniùs Cometæ ſplendet lux, quò habet materiam tenaciorem & magìs compactam; quóque major halituum copia ſuppetit, quæ alat incendium. Quò aut minor eſt aut magìs attenuata materia, eò Cometæ citiùs evaneſcunt. Triceſimum diem raro ſuperant; ſex menſes rariſſimè. Minimum ferè dierum ſeptem eſt ſpatium. Unus tamen A.D. 1527. horam tantùm unam duravit; 1572. ſexdecim menſes alius: niſi hæc ſtella potiùs habenda ſit in *Caſſiopeiæ* ſigno minima; cujus eo tempore, caſu neſcio quo, auctum ſit lumen, ità ut oculis patuerit humanis, aliàs occulta. Nam Cometæ tam aut alti aut diuturni cauſam aliquam in rerum natura vix reperiunt Phyſici. 6. Lentè admodum hic & paulatim decreſcit ignis. Ad Eclipticam Æquatorémque propiùs cùm acceſſerit, plerumque amittit lucem, & evaneſcit, abſumente materiam calore Solis nimio. 7. Extinctos fumus conſequitur ſulphureus & fœtidus, qui materiam Cometæ qualis ſit vel ſolus indicat. Micantes aliquando fumus ambit, & ſulphurei lapides aliquando extinctis decidunt. 8. Æquare montes magnitudine vel maximos par eſt; utcunque nobis pares videantur ſtellis, imò & Sole majores aliquando. Quòd ſi elementaris materia in ipſum

cœlum

cœlum penetraret, idque octavum aliquando, ſtellis majoribus par, (ut cenſent aliqui) neceſſariò concedendum eſt, aliquod ex terra prodire corpus ipsâ terrâ centies ferè majus, (tantæ ſunt enim è ſtellis fixis majores,) neque terram eo diminui tamen. 9. Motus Cometæ vagus & imperfectus, ut imperfectæ rei, certis neque regulis deſcribi, neque limitibus circumſcribi, poteſt. Quò eſt in aëre altior, & cœlo propinquior, eò motum cœli diurnum conſtantiùs perſequitur. Sæpius tamen declinat ſuâ quadam vi, aſcendit deſcendítque, & ſaltuatim diſcurrit, dum pabuli ſui venam ſequitur. Aliquando à Planeta quodam ſtellâve prædominante impellitur, huc & illuc incitatur, detinetur, atque revocatur. Aliquo erumpente flatu, (quod ſæpius fit) ſcintillat; aliquando & flammas evomit. 10. In tria ferè genera, figuræ tantùm ratione, rediguntur omnes, Crinitos, Barbatos, Caudatóſque. *Criniti*, rotundioris formæ, radios undiquaque ſpargunt, quaſi crines. *Barbatis*, longioribus, inferiori ex parte in ſpeciem barbæ longa propendet juba. *Caudatis*, in longum productis etiam, à poſteriori parte radii ſparguntur inſtar caudæ. Hos ad barbatos rejicit *Ariſtoteles*, duobúſque omnes generibus complectitur. Crines autem, barbæ caudæque, Cometarum tenuiores tantùm ſunt partes exteriùs, quibus craſſior in medio eſt materia. Aliis tamen quandoque cernuntur figuris; adeò ut *Plinius* (Nat. hiſt. 7. 25.) genera decem numeret: aliis item formis coloribúſve; rubicundo maximè, propter denſitatem exhalationis, aut candido ſive argenteo, propter tenuitatem. Aliqui acceptos referunt colores Cometarum Planetis qui gubernant; unde *Joviales*, *Martiales*, *Mercuriales* vocantur, aliorúmque Planetarum nominibus, colorum variorum gratiâ. 11. Neque fruſtrà nobis datum eſt à Deo Naturæ hoc portentum. Nam ejus operâ venenati atque peſtilentes halitus longiſſimè avehuntur à ſedibus humanis, &, quantum fieri poteſt, abſumuntur incendio; aliàs animantibus exitio futuri. Neque impium fuerit, opinor, eundem ut iræ Divinæ indicem atque flagellum ſuſpicere; quanquam in Sacro, quantus eſt, Codice nihil uſpiam legatur de Cometa. 12. Maxima hæc Naturæ opera maxima etiam portendere produceréque mala in humanis rebus, Philoſophorum eſt ferè omnium non vanus timor. *Ab ultima antiquitatis memoria* (inquit *Tullius* de Nat. deor. 2.) *notatum eſt*, *Cometas ſemper calamitatum prænuncios fuiſſe*: ut meritò *Claudianus* Poëta ſcribat,

——*Terris nunquam ſpectatum impunè Cometam.*

Nam & aëra inficiunt veneno, & procellas cient turbinéſque ventorum: interdum & imbres, verùm ſiccitatem ſæpius generant; unde fames atque peſtis aliíque naſcuntur populares morbi. Aëre infecto, quem haurimus perpetuò, inficiuntur & humores corporum humanorum; quo ad iram & rixas, prælia belláque, ad mendacia, perfidiam atque fraudes, proni atque proclives reddimur. Mortes, præcipuè regum atque magnatum, conſequi, & mutationes regnorum, fides multorum eſt; quam explodunt alii. (*Jul. Scal.* Subtil. Exerc. 79. *Conimbricenſ.* Tract. de Comet. &c.) Cùm ergò *Barthol. Keckermannus* docet, (in Syſtem. phyſ. 6. 5.) *Ut Iris eſt ſignum gratiæ Divinæ*, *ſic iræ Cometas*, *atque mortis magnorum virorum*, *eſſe habendos*; haud ſcio an ſatìs commodè inſtituta hæc ſit comparatio. Iridi enim adeſt autoritas Divina, quæ neceſſariò deeſt Cometis, cùm neque res neque nomen reperiatur in Sacris Literis. Quod ex *Luthero* & aliis affertur, *Quicquid uſitato ſolitóque more non fit*, *pro ſigno divinitus dari*; id, opinor, de monſtris intelligendum quæ Naturæ legibus adverſantur, cujus generis minimè ſunt habendi Cometæ. Diros tamen ſemper fuiſſe, ac vel nunciare vel producere magnas calamitates, ——*cùm ſit pro teſte vetuſtas*; timendum quidem eſſe, non Cometam, ſed Cometæ opificem Deum, precibúſque implorandum, ut bene vertat omen malum, id verò ipſa nos pietas docet. Hæc igitur ſupremi aëris Oſtenta fuerunt ignea. *Medii* jam ſequuntur. Hinc decidunt quæ propter ſimilitudinem *Stellæ. cadentes* vocantur, & *ardentes Lanceæ*. Illic generatur & Fulmen: ubi fumus craſſior & viſcoſus, in nube frigida concluſus atque inflammatus, dum quærit ſibi exitum ampliúſve ſpatium, magno impetu luctatur, magnóque tandem erumpit cum fragore. Ipſa flamma *Fulmen*, *Tonitru* fragor, flammæ coruſcatio *Fulgur* vocatur. Etſi priùs tonet quàm fulgurat, ſeriùs tamen ſonus auditur quàm conſpicitur flamma, propter aurium anfractus, & ſpecierum viſibilium agilitatem. Hyeme & æſtate rara fulmina, contrariis de cauſis. Quoniam hyeme denſatus aër nubium craſſiore corio ſpiſſatur; omníſque terrarum exhalatio rigens ac gelida, quicquid accepit ignei vaporis extinguit. Quæ ratio immunem *Scythiam* à

 ful-

fulminum caſu præſtat; & è diverſo nimius ardor *Ægyptum*. Siquidem calidi ſiccíque halitus terræ raras admodum tenuéſque & infirmas denſantur in nubes. Triplex diſcrimen fulminis. Aliud *Terebrans* vocatur, quod ſpiritu ſubtiliſſimo per anguſtiſſimos meatus penetrat, ubi pori patent; ubi occluduntur, incendit: ut vaginâ incolumi gladium, loculo ſalvo colliquat argentum. Aliud fulmen *Diſcutiens*, quod ſpiritu vehemente magìs quàm ſubtili diſſipat rumpítque penetrando. *Urens* tertium appellatur, quod ſpiſſiore languidioréque ſpiritu afflat ſolummodo, tactáſque res obfuſcat. Utile non minùs quàm terribile Divinum hoc telum; imò utile ob id ipſum quòd terribile ſit, moneátque nos altioris potentiæ, cui reſiſti non poſſit. Nec leve id commodum, quòd halitibus venenoſis purget aërem. Jam verò in regione *infima*, propter debilitatem caloris, ex fumo viſcido Ignis oritur fatuus & lambens, & volans Draco. *Ignis fatuus*, tanquam vaga & oberrans lucerna, vel ſuâ vi, vel impulſu aëris, variè fertur, & noctu viatoribus illudit, opinione ſpectri. *Lambens ignis*, accenſus pinguior ſed tenuis fumus, per aërem diſperſus, capillis hominum & veſtimentis, pilis equorum, antennis quoque navium, ſine damno, adhæreſcit. Hunc ubi geminum videbant, quaſi bonum auſpicium, & ſerenitatis nuncium, veteres nautæ *Caſtorem* appellabant & *Pollucem*. Singularis, ut infauſtus, *Helena* dicebatur. *Draco volans* ex forma ſimili nomen contraxit, propter denſiores in medio partes, quaſi ventrem & alas; tenuiores utrinque pro collo & capite ſunt caudâque longiore. Errare hunc variè ferunt, ſurſum atque deorſum ferri, & in longum procurrere; culminibus verò, caminis atque feneſtris ædium ſæpius incubare.

Aërea, § 21. *Aërea* Meteora ſunt *Venti*; quippe aëri ſimiliores naturâ, in aëre volitantes dominantéſque, & reſolutione in aërem facilè redituri. Humidiores fumi, ſiderum vi elati copiosè, mediæ regionis frigore occurrente repulſi, repreſſi, & in obliquum retorti, magno impetu aërem pervadunt. A quatuor mundi cardinibus *Cardinales* quatuor vocantur: à Septentrione qui ſpirat *Aquilo*, Græcè *Boreas*; ab Oriente *Subſolanus*, ſive *Eurus*; *Auſter* à Meridie, ſive *Notus*; ab Occidente *Favonius*, idem *Zephyrus*. Ab Ortu æſtivo *Cæſias* flat, ab hyberno *Vulturnus*; ab Occaſu æſtivo *Caurus*, ab hyberno *Africus*. Aquiloni verſus Ortum collateralis *Boreas* ſtatuitur; ad Occaſum *Circius*. Auſtro pariter ad Ortum *Euronotus* additur; *Libonotus* ad Occaſum. Quidam ſtati ex his, liberi plerique. Prioris generis, verni placidíque, *Chelidoniæ* ſeu *Ornithiæ*, ſpirant ab Occaſu, qui adventum ſolent hirundinum triginta ferè dies comitari: æſtivi *Eteſiæ* dicuntur, hoc eſt, anniverſarii, qui frigidiore halitu à Septentrione Caniculæ orientis calores 40 diebus moderantur. Ex liberis violentiores quidam memorabiles, qui, ex nubibus erumpentes, obvia quæque maximâ vi aut proſternunt, aut rotata in gyrum abripiunt. Qui cum vertigine deorſum fertur, *Ecnephias*, qui ſurſum, *Turbo* dicitur. Qui cum imbre grandinéve ruunt, *Exydriæ*, qui cum igne, *Preſteres* vocantur.

Aquea, § 22. *Aquea* Meteora ſunt, vel *infimæ* regionis, ut Nebula, Ros, & Pruina; vel *mediæ*, ut Nubes, Nix, Pluvia, & Grando. *Nebula* denſus vapor eſt paululùm elevatus à terra, caliginoſus interdum, interdum & fœtidus, ut ex materia conſtat vel putrida, vel craſſa. *Ros*, temperatæ noctis frigore condenſatus & in aquam reſolutus vapor, foliis arborum & herbarum inſidet. Ex hoc genere naſcuntur Manna, Ladanum, & Mel. Dulciſſimum apibus pabulum eſt *Mel*: medicamentum ſalubre *Manna*, cœli ſolíque puriſſimi vapor pinguis, in *Calabria*, *Syria* & *Germania* præcipuè colligitur. Medicina eſt *Ladanum*, ex herba quæ *Ladum*, ſeu *Lada*, vocatur Arabica. Frigore congelatus ros *Pruina* dicitur. In regione aëris *media* denſus vapor eſt *Nubes*. Ex nube congelata *Nix*, reſoluta in aquam fit *Pluvia*. Hujus cadentes guttæ, in aditu regionis imæ, frigore indureſcunt in *Grandinem*, eò minutiorem, quò altiùs congelatur; eò grandiorem, quò demiſſiùs. Hæc maximè Meteora quæ Aquea dicimus, propter ſummam eorum utilitatem in alendis fovendíſque rebus generatis è terra, Sanctus Dei Spiritus commemoranda ſibi putavit in hiſtoria Mundi creati. Horum ſcilicet procul ſubmovendorum causâ, ut libero cœlo ſpirarent animalia, útque terris aridioribus ſuppeterent è cœlo flumina, ſpatium illud aëreum inter nubes terráſque præcipuè inſtitutum eſt.

ſic inprimis aquæ nubium pluviales, frequentiſſima:

§ 23. At multi veterum Theologi, errore *Judaico*, ſupra cœlum collocari & ſuſpendi maximam fingunt aquarum vim: ídque vel ad refrigerandum cœli atque ſiderum ardorem; qui fortaſſe nullus eſt; nec, ut ſit, tam prodigioſo habet opus remedio: vel ad cœlos gravitate ſuâ comprimendos, nè ventorum vi diſſipentur & vacillent;

non autem eæ quæ ſupra cœlos aquæ finguntur.

lent; quaſi aut eò uſque venti pertingant, aut non ſit à Deo contra omnem vim ſatis per ſe firmata cœli natura: vel, denique, ad obruendam, cùm eſſet opus, terram aquis. (*Gen.*7.11.) At ſi cœlum ſolidum ſit, non penetrâſſent, ſi fluidum, corrupiſſent aquæ; vacuum verò delapſæ jam reliquiſſent locum in cœlo. Et has illi aquas vocari ſuperiores à *Moſe*, non pluviales, credunt. Sic enim arguunt. (*Comenius* in Phyſic.c.6.) Primò, *Non tam* aquæ *nubes habendæ ſunt*, *quàm* vapores: *non has igitur voluit Moſes.* Imò vapores aſcendunt, inquam ego; in cœlo fiunt, è cœlo decidunt aquæ. Deinde, *Ut aquæ ſint*, *in cœlo*, aiunt, *non ſupra cœlos*, *collocantur pluviæ: non ergò de his Moſes.* Nos verò ſupra cœli aërei regionem infimam pendere nubes dicimus, &, quantùm oculi rudes vulgaréſque animadvertunt, longè altiús. Neque verò ſupra omnes coelos ſtatuuntur à *Moſe.* Tertiò, inſtant porrò, *Ut ſupra cœlos aliquo modo concedantur eſſe nubes*, *at eo tempore nullæ fuerunt*, *quando aër creatus eſt ut ſuperiores ab inferioribus aquas ſejungeret: alias ergò Moſes*, *non pluviales*, *vult. Primis enim ſeptem diebus nullam fuiſſe pluviam traditur* Gen. 2. 5. Detur nullam fuiſſe. At nec erat neceſſe hujus rei causâ. *Moſes* enim hoc non vult, eo ipſo tempore quo factum eſt elementum aëris ſeparatas fuiſſe ab aquis aquas; verùm ideo factum fuiſſe, ut, quandocunq; vapores cogerentur, tenuitatem aëris facilè penetrarent, ac in altum aſcenderent, nè reſpirationi liberæ animalium impedimento forent. Huic autem muneri locus erat idoneus aër ut primùm creatus eſt, quamvìs nondum ex eo pluviæ deſcendiſſent. Quartò, *Aquæ ſupra cœlos*, inquiunt, *imò ſupra cœlos cœlorum*, *commemorantur* Pſalm. 148.4. *nubes* verſ. 8. *hæ igitur ab illis diverſæ.* At hoc facilè retorquetur jaculum. De nubibus verſu octavo ſacer *Pſaltes* non meminit; ubi nivem ignémque, grandinem, vapores atque ventos commemorat. Itaque pluvias verſu quarto intelligat neceſſe eſt; ubi & aquas quæ ſupra cœlum ſunt, *ſupra hoc cœlum ſunt infimum*, (ut exponit *Junius*) ad laudandum Deum cohortatur. Quintò, Quid jam dicam de *ignibus ſubterraneis*, *quibus reſpondere* aiunt illi *ſupercœleſtes aquas*, *& has & illos in loco alieno poſitos à natura?* Dicam verò, non eſſe harum & illorum eandem rationem. Inferiùs pabulo ſuo detinetur ignis, non obſtante naturâ, magno generis humani commodo rerúmque terrenarum. Cur autem vel quo modo ſupernè ſuſpendantur aquæ ponderoſæ, præter figmenta & inanes quaſdam conjecturas, cauſa nulla ratióve reddi poteſt. S. *Auguſtinus*, qui patronum & ſe cauſæ tam indignæ præbet, (in *Gen.* ad literam 2. cap. 5.) *Major*, inquit, *eſt Scripturæ autoritas quàm omnis humani ingenii capacitas*, *unde*, *quomodo*, *& quales aquæ ibi ſint*; *eas tamen ibi eſſe*, *minimè dubitamus.* Veriſſimè quidem hæc, ſi de Scripturæ, quam dicit, autoritate conſtaret. Idem (de Civit. Dei 11. cap. ult. & alibi) probabilitatem rei conciliaturus hæc diſputat: *Ità poſitas in magno eſſe mundo ſupra ignes cœleſtes aquas*, *ut in homine* μικροκόσμῳ *ſupra cor igneæ naturæ cerebrum frigidiſſimum.* Deinde, *Aqua in vaporem*, inquit, *tenuata*, *ſurſum tollitur: ergò magìs ac magìs eadem attenuata*, *loca petet altiora. Cùm igitur Phyſiologi doceant corpora naturalia in infinitum rareſcere & dividi poſſe*; *etiam aqua poteſt in infinitum levior fieri*, *ergò & aſcendere in infinitum*, *multò magìs cœlum tranſcendere ſupremum.* At levia nimis hæc Patris graviſſimi ſunt argumenta. Primò enim, inter mundos magnum parvúmque, etſi aliqua ſit, nulla eſt hac in re analogia. Cerebrum altiùs & longiùs abeſt quàm ut eo refrigeretur cor. Quæ autem in pluviis aquæ decidunt, iis optimè ſtillicidiis reſpondent quæ à cerebro deſcendunt. Neque docet Phyſiologorum quiſquam tenuari corpus aliquod in infinitum, imò nè dividi reipſa; ſed ratione ſeu cogitatione tantùm hoc poſſe fieri. Terminos enim naturales habent præfinitos corpora, ut parvitatis & magnitudinis, ità denſitatis raritatíſque, ultra quos aqua vel in terram vel in aërem, aër in ignem vel in aquam, non tranſit. Nec elementorum tenuiſſima, ſi pervium eſſet cœlum, (quod *Peripatetici* negant) ultra concavum orbem Lunæ patitur efferri tranſcenderéve natura. Denique, ſi poſſet aër tenuiſſimus cœlum ſupremum ſuperare, quâ ratione mutaretur in aquam? & in aquam mutatus, quâ ratione conſiſteret, ut non gravitate pariter deorſum impelleretur, quomodo levitate ſuâ ſurſum evectus eſt? *Auguſtinus* ergò & noſtram de aquis pluvialibus expoſitionem collaudat, poſſéque recipi ſine ulla fidei offenſione profitetur. Eam verò genuinam eſſe, & ex mente *Moſis*, facilè colligitur aliunde, ubi *pluvia & nix de cœlo deſcendere*, (*Eſa.* 55. 10.) Deúſque *nubibus operire cœlum* dicitur; (*Pſal.* 147. 8. & 135. 7.) & *in nubibus ligare aquas*, nè proruant deorſum; (*Job.* 26. 8.) & *dare multitudinem aquarum in cœlo*, &c. (*Jer.* 10. 13.) ubi *cœli* quoque, *cataractæve cœli*, *aperiuntur*, *clauduntúrve*: (*Gen.*

(*Gen.*7.11. & 8.2. *Luc.*4.25.) & ex aliis ejuſmodi locis quamplurimis. Verè *Plinius*, (Nat. hiſt. 31.1.) *Quid*, inquit, *mirabilius, aquis in cœlo ſtantibus?* Imò verò quid etiam utilius, inquam ego, iiſdem decidentibus in terram, & ſicciſſima quæque irrigantibus, quæ fluminum aquæ non attingunt? Itaque has meritò commemorat *Moſes* tam neceſſarias, támque obvias oculis omnium; de quibus Poëta quoque meminit, ubi de rerum agit Originibus,

Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Juſſit, & humanas motura tonitrua mentes:

In aëre nimirum juſſit Deus. De aliis verò aquis, quas nemo videt, nemo novit, nemo fingere ſine miraculo poteſt, de quibus, niſi per ignorantiam, & inſulſam hujus unius loci expoſitionem, nemo cogitâſſet unquam vel per ſomnium, de his, inquam, nihil uſpiam tradidit *Moſes*. Quòd ſi graviſſima res in altiſſimo totius mundi loco, repugnante naturâ, perpetuò penderet ac detineretur invita; jure quidem & nos, his aquis in cœlo ſtantibus nihil eſſe mirabilius in rerum natura, diceremus.

Terra ſiccata

§ 24. Sic igitur ex rebus quidem ſimplicibus, Elementis atque Cœlo, integer Mundus, complementis caret; quæ mox addita ſunt, non ad uſum modò, ſed ornatum quoque Univerſi ſpecioſiſſimum. Tertio enim die aquæ, hactenus cum terra permiſtæ, Deo imperante, in loca humiliora delabuntur, & coëunt in mare.

Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto,
Cœperat, & rerum paulatim ſumere formas. (*Virgil.*Eclog.*6.*)

Fulmine terræque motu factum eſſe hoc aliqui ſuſpicantur, ex eo quod traditur *Pſal.*104.7. ſed ſuſpicantur modò. Quaſi verò in prima creatione rerum, voluntati Divinæ, minùs efficaci per ſe, minùs obſequente naturâ rerum, inſtrumentis fuerit opus. *Nondum pluerat*, (*Gen.*2.5.) nedum tonuerat: rariſſima nimirum ſine pluviis tonitrua. Quis *primum* credat? Dei quidem & ea Vox; (*Pſal.* 104.7.) at non ea quâ creatus eſt Mundus. (*Joan.* 1.3.) Aquis tonitrua fuerunt Dei quaſi mandata.

die tertio,

Non deſunt qui aquarum à terra ſecretionem diei ſecundo attribuunt, *Aben-Ezram* ſecuti *Judæum*, *Mercerus*, *Jo.Voſſius*, (de Origin. idololat.2.*67.*) & alii. Itaque nolunt exponi verſu nono, *Dixit*, ſed, *Dixerat*, *Deus*, *Congregentur aquæ*, quaſi de re facta priùs. Conjecturæ ſuæ cauſam hanc præcipuam afferunt; Quoniam cœlo, quod erat diei ſecundi opus, nondum ſit addita comprobatio Divina, quod ſolet his ferè verbis fieri, *Et vidit Deus quòd eſſet bonum.* Quòd ſi hæc terrarum aquarúmque divortia conferamus in tertium diem, ille duplici comprobatione fruetur, ſecundus verò nullâ. Sic illi quidem diſputant. At verò *Moſes* ità ſeparat hos dies, ut aquarum ſeparationem à terra tertio tribuat, comprobationémque duplicem, poſtquam ſecundum diem ſuo more clauſiſſet priùs, veſperâ & aurorâ. Noſtrum itaque non eſt, ea quæ dictante Spiritu Dei ſcripta ſunt velle corrigere; aut *Dixerat* interpretari vocem illam novo more, hujus novæ opinionis gratiâ, quam in eodem capite alibi ſæpius exponendam eſſe *Dixit*, fatentur ipſi. Quænam igitur cauſa eſt, inquies, cur Cœlum, ſecundi diei opus, nullam habeat comprobationem à Deo? An ea Inferni gratiâ, eodem creati die, aut caſûs Angelorum, eſt omiſſa, rerum minimè bonarum gratarúmve Deo, ut quidam *Judæi* temere opinantur? An quòd numerus binarius in aquarum ſeparatione ſuperiorum inferiorúmque, utpote diviſionis initium, & figura nuptiarum, nec bonus ſit, nec probatus Deo, ut *Hieronymus* contendit, (Lib. adverſus *Jovinianum*,) ſanctus quidem vir, ſed rei nuptialis iniquus arbiter? Cùm enim Deus ipſe dicat, (*Gen.*2.18.) *homini eſſe malum ut ſolus ſit*, conjugium verò bonum, audacter nimis facit qui adverſatur Deo. Nec minùs aquarum hæc à terra ſeparatio indigna eſt approbatione Divinâ, ſi binarius id numerus prohibeat. Plerique reſpondent, aquarum die ſecundo ſeparationem nondum à Deo comprobatam, quia nondum erat addita huic operi ſuprema manus. Die demum tertio, poſt aquarum à terra quoque ſeparationem, abſolutum jam opus fuiſſe approbatum. Nam quæ res naturâ ſuâ erant ab initio perfectæ, uſibus jam rerum aliarum commodæ fiunt. At verò hæc operis comprobatio non niſi aquam terrámque ſpectat, minimè attingit cœlum. Quare mihi potiùs illud S. *Auguſtini* placet, (Enchirid.cap.59.) *Non opus eſſe ut ea cum diſcrimine definiantur, quæ ſine diſcrimine neſciuntur.* Quæcunque *Moſi* cauſa fuerit, quòd nulli corporum ſimplicium, ut primùm creata ſunt, comprobationem Di-

vinam

vinam addiderit, ego terminos dierum quos poſuit Sanctus Dei Spiritus non propterea movendos arbitror. Tertio igitur die factum eſt, id quod *Strabo* Geographus (lib. 17.) providentiæ tribuit Divinæ, ut aqua, naturali ſitu ambiens tellurem, in concava terrarum ſe reciperet; quò homini præcipuè, animali minimè aquatico, daretur commoda in terris habitatio. Unus tamen ex utroque elemento conſtitutus Globus eſt, eâ magnitudine, ut diameter totius 7000 milliaria comprehendat. recedentibus aquis

§ 25. Aquarum verò plurium & ſalſarum commune eſt nomen *Mare:* Quod ubi longè latéque diffunditur, ſpatioſum illud & liberum *Oceanus* vocatur; ubi litorum coarctatur anguſtiis, *Fretum*; ubi longiùs penetrat, ac in terræ ſe gremium profundit, appellatur *Sinus*; ubi non ultrà inſinuat ſe quàm ut navibus præbeat ſtationem, *Portus* dicitur. Dulces atque minores aquæ in Fontes & Flumina, in Lacus, Paludes atque Stagna, diſtributæ ſunt. *Flumina* ex Fontibus oriuntur perenni aquarum ſcaturigine, terrámque fœcundant diſperſa undique, ut corpus animatum alunt venæ ſanguinis. *Fontes* ipſi partim ex vaporibus gignuntur condenſatis frigore in cavernis terræ; partim ex penetrantibus longè latéque in viſcera terrarum aquis marinis, poſterioribus antecedentes impellentibus ad exitum. Unde illud *Solomonis*, (*Eccles* 1. 7.) *Flumina redeunt in mare, unde orta ſunt.* Nec id *Homerum* latuit. Nam Iliad. 21. prædicat, —μέγα σθένος Ὠκεανοῖο, Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ— *magnam Oceani vim, unde fluvii omnes prodeunt.* Eodémque redeunt. Flexuoſo enim curſu, per decliviores terræ partes, ex altiori fonte delabuntur; &, niſi tellus (quod aliquando fit) abſorbeat, vel in aliud flumen, vel in ipſum pelagus evomuntur. Id ubi fit, *Oſtium* fluminis Latinè appellatur. Si violentiùs rapiatur Flumen & cum impetu, aquâ præſertim pluviali auctum & concitatum, *Torrentem* nuncupant; ſi floribus arboribúſque obſeſſum amœnúmque ſit, *Amnem.* Anguſtiorem denique & limpidiorem fluviolum vocitant *Rivum.* *Lacus* autem locus eſt paulò & latior & profundior, aquis perpetuis repletus, & ebullientibus ex terra, unde flumina etiam & rivi profluunt. Nam in *Stagno* quidem ſemper ſtant, nunquam verò emanant, aquæ. Imò verò neque ſemper ſtant, ſed æſtate ſæpius deficiunt. In loco uliginoſo aquæ promiſcuæ *Paludes* vocantur. in Maria & Flumina, &c.

Ex omnibus aquis, peculiarem habet Mare Salſedinem & Reciprocationem; utramque, ſi cauſam quærimus præcipuam, nè corrumpatur & putreſcat: quanquam & piſcibus aqua ſalſa gratior ſit, navibúſque ferendis aptior. A ſalſedine *Salum* pelagus, & Ἅλς Græcè, dicitur. Alitur ſalſugo (impreſſa divinitus ab initio) partim ſolaribus radiis perpetim adurentibus, auferentibúſq; vapores dulces; partim fæcibus meteororum inficientibus aquam. Sed & ignes promovent ſubterranei, cum ſulphure bituminéque. Maria pleraque ſenis quibuſque horis fluunt æſtuántque, totidem refluunt ac reſidunt, pro Lunæ motu vario. Cùm flatibus occultis intumeſcunt, à lumine influxúve lunari excitatis, aut ab igne ſubterraneo, regente Lunâ, ad litora feruntur magnâ vi. Hic *Æſtus* vocatur & *Fluxus* maris. Ubi remittunt halitus, recedente Lunâ, detumeſcunt maria, & in altum redeunt; qui *Refluxus* vocatur. Sed Oceani liberiores aquæ, ab Ortu ad Occaſum, videntur cœli Solíſque motum inſequi diurnum. Alia verò ſunt quæ marinorum fluxuum quam tradidi rationem aut variant variis in locis, aut impediunt: de quibus *Jul. Scaliger* Subtil. Exercit. 52. Quòd mare *Balticum* nullâ reciprocatione agitetur, has accolæ cauſas reddunt: 1. quòd anguſtiora ſint litora; 2. quòd cavernæ ſatis amplæ deſint, unde prodeant, quóque ſe recipiant, aquæ; 3. quòd frigus intenſum ſatis magnam halituum copiam generari prohibeat; 4. quòd fundus maris minimè aptus ſit ad generandos halitus, quibus concitetur aqua.

§ 26. Expedita jam, conſpicua ſolidáque Tellus, opportunum pollicetur animantibus mox adfuturis hoſpitium. Ejus interim facies ipſâ varietate pulcherrima, & cœli quaſi mariti amorem facilè conciliatura, ſpectabatur. Hîc ampla terrarum ſpatia, ſibi cohærentia, nuſquam interrumpente pelago, *Terra firma*, ſive *Continens*, appellabantur. Illic circumfuſæ undis exiguæ terrarum portiones, quæ dicuntur *Inſulæ*, quoniam in ſalo ſunt ſitæ. Alicubi *Peninſulæ*, ſeu *Cherſoneſi*, quibuſdam anguſtiis terrarum, ſive *Iſthmis*, inter duo maria, Continenti adhærebant. Ubique verò *Colles* eminebant, celſioréſque his *Montes*, qui, terræ in altum congeſtæ moles, cœlo verticibus minabantur; ut pelago *Promontoria.* Humiles in profundo ſuberant *Valles*, &, prementibus utrinque montibus, *Convalles.* Alicubi amplæ *Camporum* explicabant ſe fœcundiſſimæque *Agrorum* planities. Alibi *Prata* viridantia fluminum cingebant

ripas.

ripas. Indè *Sylvarum* elatæ comæ deſpiciebant altricem Terram; hinc *Flores* & *Herbæ* ſuaviſſimis coloribus pingebant. *Nemora* quoque ad voluptatem, *Luci* ad religionem, & ad venationem fruticoſi *Saltus*, incolarum exſpectabant adventum dominorúmque novorum. Neque deſunt in aquis quæ his reſpondeant partibus terrarum. Continenti Oceanus par, Fretum Iſthmo, Lacubus Inſulæ, Peninſulis quoque Sinus maris, ipſum Campis Æquor, fluctuúmque Montibus Tumores. Herbæ tantùm & Sylvæ deerant ſterilibus aquis. Sed & ſylvæ mox in pelagus erant humanis artibus traducendæ.

Nam ut primùm eſt ab undis terra liberata, edicente Deo, Herbis continuò, Fructibus atque Arboribus nitidiſſimè veſtitur; Herbæ Floribus ornantur, Arbores onerantur fructibus, Frutices utriſque. Simul omnes eam ſeminis concipiunt vim, ut ex uno plura generari poſſint; quò ſuum genus immortale reddant, utcunque deficiant ſingulæ. Omnes eandem Plantarum participant naturam.

Foſſilia, § 27. Neque formam ſolummodo Tellus perpulchram varietate rerum, ſed & uterum geſtabat divitiis maximis, at reconditis, gravidum; nè tantam illi molem, támque ingens barathrum, fruſtrà & inutiliter dediſſe Deus videretur. At partus illi quaſi obſtetriciam, ut ederentur, opem foſſorum poſtulabant: unde *Foſſilia* vocabantur, barbaris *Mineralia*. Sunt ea quidem, licèt expertia vitæ, miſta perfectè corpora, ſolidâ nimirum conſtantíque temperatione omnium elementorum concreta. Nam in Miſtione corporum naturalium, (ſine qua nulla fit rerum compoſitarum generatio,) neque confunduntur Elementa, ut in humidis, ubi cum vino permiſcetur aqua; neque ſolummodo coacervantur, ut in ſiccis, ubi ſiliginis farina, hordei avenæque inter ſe commiſcentur: ſed agunt mutuò, retundunt, alterant, atterunt ſubigúntque ſe, donec in corpus novum temperata coaleſcant & tranſeant, planè diverſum à ſingulis. Pro vario temperamento, varia fiunt mixtorum corporum genera. Alicubi æqualia ſunt Elementa; unum alicubi pluráve dominantur. *Miſtio* igitur eſt, novi corporis ex æquabili temperatione elementorum *Generatio*; cui *Corruptio* quæ opponitur *Putredo* ſeu *Putrefactio* dicitur. Ea plerumque fit evocatione ac diſſolutione caloris nativi per calorem aëris ambientem corrumpentémque. Ità enim luxatio temperamenti fit, & reſolutio compoſiti. Interdum humiditate veſtes aliæque res mucorem, metalla contrahunt rubiginem; ut ſiccitate ligna teredinem, fructus cariem.

corpora miſta quæ ſunt,

præcipuè Lapides ac Metalla, § 28. Sed Foſſilium duo habentur genera: *dura* quædam, eadémque perfectiora, Lapides & Metalla; quædam verò *molliora*. Et ex his, alia planè *liquida*; ut Argentum vivum, Naphtha, Alumen, & Ambra: *firma* ſunt alia; eáque partim ſucci metallares concreti, ut Sal, Nitrum, Alumen, Bitumen, Sal Ammoniacus, Gemmæ, Indicus, Sulphur, Vitriolum ſive Chalcanthum, Arſenicum ſive Auripigmentum, Antimonium ſive Stibium, Aſphaltus, Piſſaſphaltus, & Succinum; partim terræ pretioſæ, ut Marga, Argilla, Creta, viva Calx, Carbones, Rubrica, Pictorum colores, ut Cinnabaris, Minium, Ochra, Cæruleum, & terra Armenia, Lemnia ſive Sigillata, Sileſiana, Samia, Fullonum, &c. Hæc Foſſilia ſunt molliora. Ex duris primò *Lapides*: quorum *vulgares* alii, vel poroſi, ut Tophus & Pumex, vel ſolidi ſunt, ut Silex, Cos, Coticula ſeu lapis Lydius, Saxum, Smiris, Marmor, Glarea, Rupes vel Petra; alii verò *pretioſi*, ſed diſpari dignitate & pulchritudine: *nobiliores* quidam, ut Adamas, Sapphirus, Sardonyx, Smaragdus, Pyropus ſive Carbunculus, Selenites, Chalcedonius, Aſterites, Rubinus, Topazius, Hyacinthus, Jaſpis, Cyanos, Amethyſtus, Chryſolithus, Achates, Beryllus, Carneolus, &c. *ignobiliores* alii; qui vel ex aqua eruuntur & terra, ut Magnes, Cryſtallus, Gagates, Corallium, Hæmatites, Asbeſtus, Galactites; vel in corporibus reperiuntur animalium, ut Margarita ſive Unio, Chelidonius, Alectorius, Bufonites, Aëtites, Saurites, Limacius, Oculus cancri, Bezoar, &c. Ex lapidibus pretioſis minores, ad annulorum apti ſigna, *Gemmæ Latinis* propriè vocabantur. *Metallorum* plerique ſeptem genera tradunt, quæ ſeptem Planetis reſpondeant; 1. Aurum Soli, 2. Argentum Lunæ, 3. Saturno Plumbum, 4. Jovi Stannum, 5. Marti Ferrum, 6. Veneri Æs, 7. Argentum Mercurio vivum. At hoc poſtremum neque durum eſt, quod Metallis tribuitur; neque tam videtur Metallum, quàm ex iis unum principiis unde generantur metalla. Orichalcum & Cyprium non niſi perfectius habentur æs, ut Chalybs ferrum. Ex aqua limoſa viſcoſâque, mercurialibus & ſulphureis ſpiritibus repleta, oriuntur Metalla. Halitus enim per calorem ſubterraneum ſiderúmque vim excitantur, in aquam viſcoſam

con-

condenſantur frigore, ſpiritibus tandem quos dixi receptis, virtute cœlorum igniúmque ſubterraneorum vi compinguntur, & tranſeunt in metalla. Ex aquis fieri, ſeu vaporibus coagulatis, liquatio indicat. Igneâ vi generari, calor docet maximus in ipſis aliquando venis metallicis, cùm eruuntur. *Jul. Scaliger* terram aqueam frigore tantùm diuturno congelari putat in metalla. Pro varia ſpirituum ſulphureorum & mercurialium, necnon vaporum, puritate, copia, temperatione concoctionéque, varia metalla prodeunt, diſſimili præſtantiâ. Aurum longè nobiliſſimum, quod nè igne quidem conſumitur, aut rubigine corrumpitur, ex Mercurio & ſulphure puriſſimo conflatur. Proximè accedit Argentum, de quo illud memorabile, quòd in ejus præcipuè venis mirificæ quædam figuræ, arborum, piſcium, animalium, hominum, effingantur, ſtupendo quodam, naturæ dicam, an Dei? artificio. (Vide *Munſteri* Coſmograph. & *Georg. Agricolam* de Natur. foſſil. 16.) In Ære ſulphur, & in Ferro, ſed impurius, dominatur; in Stanno Mercurius, ſed fæculentior in Plumbo. Atque hæc in utero gerebat magna parens Tellus.

§ 29. Plantæ, quas edidiſſe in lucem diximus & præ ſe tuliſſe hanc matrem, non modò corpora ſunt probè miſta, verùm & formâ vitali prædita, quæ *Anima* dicitur. Forma hæc materiam poſtulat organicam, id eſt, variis partibus inſtructam ut inſtrumentis, quibus varias explicare vires poſſit, ac operationes edere. Habent ergò ſtirpium corpora partes tum ſimilares, tum diſſimilares. *Similares* liquidæ ſolidæve ſunt. In *liquidis* habentur, primò, Succi & Lacrymæ, unde Gummi & Reſina fit: deinde, Spiritus illi tenues quibus maximè vivunt germinántque plantæ. In *ſolidis* partibus Lignum primò numeratur, ſeu craſſior ſubſtantia, & quicquid carni reſpondet animalis: ſecundò, Fibra ſeu vena major, quæ ſuccum & ſpiritus diſtribuit per corpus univerſum: denique, Nervi tenuiores & ſicciores, ad quietem & conſiſtentiam à natura dati. Partes *diſſimilares*, aliæ connatæ ac neceſſariæ ſunt; aliæ verò aſcititiæ, ad tempus duntaxat utiles. Ex *neceſſariis* quatuor *principales* habentur: 1. *Radix*, in terram defixa, tanquam os & caput plantæ, quæ attrahit præparátque & in truncum tranſmittit alimentum; 2. *Caulis*, caudex, ſtipes, ſeu truncus, qui ſupra terram concoquit alimentum, digerit ac diſpenſat; 3. *Medulla* ſeu plantæ cor, in medio ſtipite ac ramis, ſpirituum vitalium ſedes præcipua, & officina caloris; 4. *Rami* ut brachia ſe diffundunt. *Minùs principales* duæ: 1. *Cortex*, quaſi craſſior cutis, totam plantam inſtar tunicæ obducit; 2. *Surculus*, ramorum propago, foliis & fructibus ferendis nata. Poſtremò, *utiles tantùm* & *adventitiæ* partes, excrementa ſunt anniverſaria; ut *Folia*, quæ capilli ſunt arborum, *Flores* atque *Fructus*. *Vegetans anima*, quam formam diximus plantarum, ſpiritus eſt quo corpus vivum agitatur intrinſecùs, nutritur, augetur, ſimiléque ſibi generat. Materiæ quam dixi cum forma vitali ſive anima unio, per calorem nativum & humidum radicale, vel actus & vigor ille potiùs qui emergit hinc, *Vita* dicitur. Humidum iſtud radicale, cœleſti calore perfuſum, ſubſtantia eſt tenuis, aërea, oleoſa & pinguis, plena ſpiritibus, quæ ſingulis partibus ab ortu inhæret, augetur ſubindè alimento & inſtauratur. Quæcunque igitur ad conſervandum hunc humidum calorem, ſive humorem calidum, maximè idonea ſunt, ea vitam præſtant maximè diuturnam: ut hominibus aër temperatus, at frigidior, alimentum ſalubre, moderatum, opportunum, exercitatio corporum, animorum quies à perturbationibus, excrementa, ſomnus. Hæc omnia mediocriter. Ii ergò quos Medici vocant *Sanguineos* naturâ vivaciſſimi habentur, propter humidi radicalis & copiam, & benignam caliditatem; minùs vivaces *Bilioſi*, propter nimium & igneum calorem; minùs adhuc *Pituitoſi*, propter aqueum & abundans humidum; minimè omnium ſunt *Melancholici*, propter ſiccitatem atque frigiditatem terream: quæ omnia vitæ adverſantur. Sic in Plantis, Alno & Salice diuturnior Quercus, quòd in illis aquoſum nimis, in hac ſit pinguius humidum, & magìs compactum. Homines generatim beſtiis quibuſdam grandioribus longævi ſunt magìs, propter humidum calorémque magìs temperatum: Piſces autem ævi breviſſimi, propter aquoſius & impurius humidum. *Mors*, quæ opponitur *Vitæ*, compoſiti viventis diſſolutio eſt, & formæ vitalis à materia, animæ à corpore, ſeparatio, propter defectum nativi caloris, aut radicalis humidi. Hanc verò *naturalem* dicimus, quam longâ ætate confecti plerumque obeunt. Ubi quis forinſeco impetu, aut veneni, morbi frigorîſve extinguitur vi, *violenta* mors vocatur. In Plantis ea mors ſive corruptio vel totius eſt, vel ex parte ſolummodo. Totius etiam aut naturalis, aut violenta. Abſumpto vi caloris humido, ſiccitas reliqua corruptio eſt naturalis. Violenta fit κατ' σβέσιν, frigore calorem ex-

[Margin: ſed & Plantas edit, animâ vegetante præditas.]

extinguente ; κατὰ μάρανσιν, æſtu torrente, & humorem exhauriente, pabulum caloris. Ex parte fit, ubi pars tantùm nimio æſtu frigoréve corrumpitur, quæ *Sideratio* dicitur ; aut vulnere amittit calorem.

§ 30. Ab anima diximus nutriendi ſe corporibus vivis dari vim, augendi quoque, ac generandi aliud ſibi ſimile. 1. *Nutritio* eſt, quâ abſumptas à ſe corporis partes calor alimento inſtaurat. In Plantis radix per fibras ex humore vicino ſuccum attrahit, quem caudex, præparatum & concoctum à ſe, in varias partes tranſmittit. Animalia primò cibum dentibus conterunt, quæ *Maſticatio* dicitur, & in beſtiis cornutis geminata (quoniam ſuperiores dentes in cornua erumpunt) *Ruminatio* vocatur. Cibi deinde purior pars demiſſi ex ore in ventriculum caloris mutatur vi in albicantem cremorem, quem *Chylum* vocant. Hæc *prima Concoctio* dicitur. Indè per inteſtina graciliora, excrementis aliò remiſſis, in venas meſaraïcas attrahitur chylus, & in hepar defertur; ubi *Concoctione ſecundâ* benignior pars in Sanguinem convertitur. Ex reliquo Pituita humidior, ſed utilis, Bilis flava calidior, atra ſiccior atque frigidior, naſcitur ; & ex poculentis Serum. Ex Pituita Sanguis tandem conficitur. Atra bilis in ſplenem, flava in veſicam fellis, & ſerum inutilius, à renibus attractum, per ureteres ad veſicam expellitur. Ex hepate, per venam cavam, in corpus totum ſanguis, cum ſeri parte utiliore, diffunditur : unde vapor quidam (*Rorem* appellant *alimentarium*) penetrat in poros, & ſingulis partibus, ut nervis, carni, oſſibus, &c. agglutinatur. Sudor & Lacrymæ, humores excrementitii è ſero nati, ad nutriendum inepti jam, per oculos hæ, per totum ille corpus emanat. Hæc *poſtrema* eſt *Concoctio*, quâ perficitur Nutritio. 2. Nutritio inſtituta eſt ad vitam conſervandam, perpetuâ corporis deficientis inſtauratione : ſed *Augmentatio*, ad acquirendam partium magnitudinem juſtam, quò ritè membra corporis varias functiones animâ imperante obeant. Hâc enim vi per intrinſecam nutritionem corpus extenditur ad certam uſque menſuram atque ætatem, & in ſingulis partibus fit majus, quò feliciùs animæ perfungatur miniſterio. Accreſcunt lapides forinſecùs, non augentur. 3. Ad *Generationem* Plantæ, Arbores præcipuè, non niſi gradibus perveniunt. Fructus atque ſemen ætate primâ non ferunt. Nam ad incrementum omne alimentum impenditur ; & caloris imbecillior eſt prima vis, quàm ut concoquere ſuccum & condenſare in fructum poſſit. Præcedunt ergò folia, & flores, & fructus, & ſemen ; tum demum fiet Germinatio. Ac inprimis eduntur *Folia* ex humore craſſiore, muniendi ſtirpem novellam ornandíque causâ. Ea pleriſque defluunt hyeme ; calore ſcilicet frigoris vi, humoréque recurrente, qui in ramos & ſurculos congelaſcit. Toto nonnullæ anno comam retinent ; ut Olea, Laurus, Hedera. Ex humore benigniore *Flores* fiunt, ad promovendam germinationem, ad Plantarum decus, uſúmque animalium. Maturæ tandem ſui quæque generis, aliæ citiùs aliæ ſeriùs, etiam *Fructus* proferunt. Fructus decidens fit *Semen* ; quod, humore telluris emollitum, calore tum inſito tum cœleſti fovetur, intumeſcit, rumpitur, emittit germen, & radice fixâ ſurſum nititur ad Solem conſervantémque ſe calorem. Ocymum & Rapa germinant intra dies tres, Lactuca 4, Cucurbita 5, Beta 6, Braſſica 10, intra 20 Porrum, 40 Apium ; vix annuo ſpatio Pæonia Mandragoráque. Aliquando ſine manifeſto ſemine caloris vi ex terra idonea producuntur ſtirpes. Propagantur & arte : 1. per inſertam in humum radicem ; quomodo Lilium, Glycyrrhiza, & Arbores, &c. 2. per ſtolonem terræ infixum ; ità Salix, Roſa, Vitis, Uva criſpa, &c. 3. denique per ſurculum alii Plantæ inſitum, quæ *Inſitio* dicitur ; vel per inſertam gemmam intra corticem, quæ *Inoculatio* vocatur. Ficûs Indicæ folium in terra defoſſum germinare ferunt. Vere plerumque Germinatio fit, humorem hyeme collectum calore Solis educente meatibus patefactis.

§ 31. Magna Plantarum eſt virtus, cùm ad alimenta nutriendáque animalia, tum ad medicinam ; quò etiam venena proſunt, Cicuta, Napellus, &c. & quædam occultæ qualitates. Ut Pæonia morbo comitiali, Polypodium hepati malè ſe habenti medetur, &c. Habent ſuas etiam Sympathias & Antipathias. *Sympathias*, ubi altera alterius vicinitate proficit, alimentúmque benignâ qualitate imbuit. Ut Rutæ cum Ficu amicitia mira : itaque lætiſſimè copioſiſſiméque provenit juxtà conſita. Contrà, in *Antipathiis* averſantur & ſubtrahunt ſe, quoniam alimenta ſibi corrumpunt mutuò. Sic Oleæ cum Quercu magna inimicitia, Filici cum Arundine, cum Braſſica Viti.

§ 32. Plantarum duo feruntur genera. Molliores humilioréſque ſunt Herbæ ; du-

duriores & lignoſæ diſtinguuntur magnitudine. Maximæ ſunt Arbores, Frutices minores, minimæ Suffrutices. Ex *Herbis* quædam alimentariæ ſunt; aliæ tantùm medicatæ; coronariæ nonnullæ, ad corollas & ſerta, Flores præcipuè. *Arborum* aliæ ſunt ſteriles, ut Ulmus, Alnus, Salix, Populus, Tilia, &c. aliæ frugiferæ: quæ vel poma edunt, ut Malus, Olea, Ficus, Pyrus, &c. vel baccas, ut Laurus, Morus, Ceraſus, &c. vel nuces, ut Amygdalus, Juglans, Caſtanea, &c. vel glandes, ut Quercus, Fagus, &c. vel ſtrobilos denique, ut Pinus, Picea. *Arbores* multæ ſuccis humoribúſque indè qui defluunt nobiles habentur, ut Myrrhæ, Balſami atque Thuris, &c. *Frutices* nec altitudine craſſitudinéve cum arboribus comparandæ ſunt; quales Avellana, Sambucus, Cinnamomum, Rubus, &c. *Suffrutices* etiam his minores; ut Roſa, Salvia, Althæa, &c.

§ 33. Memorabile inprimis id eſt quod Terræ accidit, (præter theſauros uteri, & plantarum exteriùs ornamenta,) ut, una omnium conſtantiſſima res, motu interdum agitetur. Etſi enim adeò ſtabilis firmáque ſit, ut dimoveri loco tota non poſſit: (nec enim habet quò recedat, niſi (quod negat Natura) ſurſum tendat:) ſæpenumero tamen contingit, ejus partes ut quadam intrinſecâ vi commoveantur & tremant. Nec enim ita eſt ſolidè compacta, quin cavernas & ſpatia vacua in viſceribus ferat ampliſſima plurimáque. In his, ignium ſubterraneorum & cœleſtium vi, halitus excitantur vehementes, qui, dum ad exitum enituntur liberúmque cœlum, magno concitantur & luctantur impetu, ac terram continentem ſe vi ſummâ concutiunt. Eadem motûs in terra quæ tonitrûs in cœlo cauſa. Itaque raro terræ intremiſcunt, niſi tranquillo cœlo ſalóque. Præcedit ſæpe comitatúrque ſonus terribilis, at varius pro varietate locorum ubi fit. Maritima maximè quatiuntur & montoſa. Indè *Neptunus* Ἐνοσίγαιος & Ἐνοσίχθων *Græcis*, quaſi *Tellurimotor*, vocatus eſt. Plana & campeſtria, procul ab Oceano remota, rariùs moventur, niſi quæ in viſceribus alunt occultos ignes. Nam ——*illa ſe jactat in aula Æolus*—— præcipuè, ubi ſpiritus efflant, & voragines excdunt incendia ſubterranea. Loca etiam caliſſima frigidiſſimáque liberiora, neque tamen immunia, ſunt ab hoc tremore. Hîc, ob terræ denſitatem ſolidiorem, ſpatia deſunt cavernoſa; illic, ob nimium fervorem, materia deficit ventorum. Vere potiſſimùm & Autumnò terram infeſtant motus, cùm pluviæ frequentes plurimam calori flatuum ſuppeditant materiam. Maximi exſiſtunt motus matutini & veſpertini; ſed propinquâ luce crebri. Noctu ſæpius quàm interdiu; interdiu circa meridiem fiunt, & Solis Lunæque defectu, tum maximè quieſcente cœlo; præcipuè verò, cùm ſequitur imbrem æſtus, æſtúmve imbres. Deſinunt autem tremores cùm ventus emerſit. Sin verò duravêre, non patente ventis exitu, vix ante quadraginta dies ſiſtuntur: plerumque & tardiùs, utpote cùm quidam annuo & bienni ſpatio duraverint. In puteis remedium eſt, quale & crebri ſpecus præbent: præconceptum enim ſpiritum exhalant. Ubi flatus ad latera fertur, *Tremor* fit, quo terra cunarum aut navigii more agitatur & fluctuat. Graves hic motus ædificiorum lapſus urbiúmque minitatur. Ubi ſurſum tendit ſpiritus, *Pulſus* appellatur, quo terra intumeſcit aſſurgens, alternóque motu reſidet. Mira eduntur opera. Interdum dehiſcit ex imo tellus, & agri per meatum, ſylvæ, pagi, magnæque urbes, & quicquid terram ornaverat priùs, in ejus alvum ſubitò demergitur & abſorbetur. Interdum in ſublime tollitur incubans vento telluris onus, alióque tranſmittitur, villis oppidíſque oppreſſis ejus ruinâ & ſepultis. Erumpunt flammæ aliquando; flumina fontéſque vel ſiccantur, vel derivantur aliò; Inſulæ aut emergunt, aut rupturâ fiunt novæ, admiſſo in Continentis partem pelago. Quicquid malorum denique peſtilens & putridus vapor creare ſolet, in cœlum terrámque evomitur hoc motu; morbi præcipuè, ſterilitas, & aquarum exundationes. (*Seneca* Philoſ. Nat. quæſt. *6.1.*) *Nihil terribilius videtur hoc monſtro; quod nec præſcire & præcavere licet, nec effugere avertereve cùm urget. Hoſtem muro repellam; præruptæ altitudinis caſtella vel magnos exercitus difficultate aditûs morabuntur. A tempeſtate nos vindicant portus; nimborum vim effuſam & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt; fugientes non ſequitur incendium; adverſus tonitrua & minas cœli ſubterraneæ domus & defoſſi in altum ſpecus remedia ſunt. Ignis ille cœleſtis non tranſverberat terram, ſed exiguo ejus objectu retunditur. In peſtilentia mutare ſedes licet. Nullum malum ſine effugio eſt. Nunquam fulmina populos percuſſerunt. Peſtilens cœlum exhauſit urbes, non abſtulit. Hoc malum latiſſimè patet, inevitabile, avidum, publicè noxium. Non enim domos ſolùm, aut familias, aut urbes ſingulas, haurit; ſed gentes*

Eadémque movetur interdum, ſtabiliſſima res.

totas

totas regionéſque ſubvertit,& modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit: ac nè id quidem relinquit ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe; ſed ſupra nobiliſſimas urbes, ſine ullo veſtigio prioris habitûs, ſolum extenditur. Hucuſque *Stoicus.* Sunt tamen qui terreſtris mali quærant in aquis remedium. *Ego* (inquit *Syneſius Cyrenæus* Epiſt.61.) *ratus mare & pelagus ſecurius quàm terram, curſum ad portum arripui. Sed & aquæ interdum ſentiunt hos tumores, neque periculis vacant. Plinio* ſi credimus, (Nat. hiſt. 2. 84.) *Non hoc ſimplex malum, aut in ipſo tantùm motu periculum eſt; ſed par aut majus oſtento. Nunquam urbs* Roma *tremuit, ut non futuri eventûs alicujus id prænuncium eſſet.* Sic ille. Quare nè gentium profanarum ſuperſtitio ſuis hîc luſtrationibus caruit; multò minùs carere debet Religio Chriſtiana. Adeſſe enim aliquando ſupra naturam Divinam vim, aut, Deo permittente, diabolicam, certiſſimum videtur, irámque Numinis denunciare. Eam verò ſeriâ homines reſipiſcentiâ pietatéque verâ deprecari, permultùm intereſt generis humani. (*Pſal.* 18. 7. *Job.*9.5,6. *Ecclus* 39.28.)

Angeli creantur eodem die, § 34. Eodem credibile eſt tertio die Angelos fuiſſe maximâ multitudine (*Job.* 25.3. *Dan.*7.10. *Heb.*12.22.) ſimul omnes & ſemel creatos à Deo. Nec enim illi generatione ſucceſſivâ more animalium erant propagandi. Ortum quidem Angelorum reticet de induſtria *Moſes*; ut qui rudi populo *Iſraelitarum*, magis proclivi ad cultum, quàm doctrinæ de Spiritibus capaci, rerum aſpectabilium & corporearum ſolummodo hiſtoriam ſibi deſcribendam propoſuit. Idem de Angelis tamen meminit ſæpiſſimè; (*Gen.*3.24. & 16.7. & 19.1. *Exod.*33.2.) ut & alii Prophetæ. (*Dan.* 7.10. &c.) Ac per hos dies ſuam & Spiritus omnes induiſſe naturam, ratione certâ colligitur. Nam tempore mundóque nihil antiquius, æternum nihil, nihil denique non creatum fuiſſe, præter unum Deum, certâ fide tenendum eſt. (*Col.* 1.16. *Pſalm.* 148.2,—5.) Inter Dei opera numerantur & Angeli. *In principio* enim *creavit Deus cœlum & terram.* Nec Angeli ergò priùs conditi; quia principio prius nihil. In aliis autem rebus conſtat, οἶκον μὲ πρώτιστα,—— domum incolis aliquot dierum ſpatio priorem exſtitiſſe; ut maria piſcibus, aëra volucribus, terram animantibus, cœlum ſtellis. Quidni ergò ſtatuamus & Angelos eodem cœlo, domicilio ſuo, poſteriùs in mundum prodiviſſe? Præterea, die quo conditi ſunt primo cadere Angelos prohibebat nihil; utpote qui ſuo vitio, non impulſu peccabant alieno. (*Joan.* 8.44.) De cœlo autem in aëra & infernum cecidiſſe, antequam vel cœlum eſſet unde caderent, vel aër aut infernus quò caderent, nemo dixerit. Quare cœlo aëréque poſteriores fuiſſe Angelos ut concedamus neceſſe eſt. Antequam verò lapſus eſt *Adamus* exſtitiſſe, imò & peccaviſſe, liquet, peccati ſcilicet humani autores. Quòd ſi orbium cœleſtium vel aſtrorum ab Angelis pendeat motus, (quod *Peripateticorum* Schola ſtatuit,) ſtellis Angelos aliquo modo priores fuiſſe conſequetur. Si ergò cœlis poſteriùs, at ſtellis priùs conditi ſunt, tertio id die factum eſt. Sin malit quis unà cum cœlo, vel cum ſtellis, quarto ſecundóve die, natos, (*Job.*38.7.) ego hîc in medio relinquam. Ex eo quod de *Peripateticis* dixi perſpicuum eſt, nè *Græcorum* veterum doctioribus ignotos fuiſſe Angelos. *Intelligentias Peripatetici* vocabant, & *formas ſeparatas*; *Platonici Dæmonas*, & *minores deos. Plato* enim (in Sympoſio) genus eſſe deorum ait, qui ut legati ac internuncii Deum inter hominéſque intercedant. Meritò igitur miretur quis, è *Judæorum* gente repertos fuiſſe *Sadducæos*, (*Act.*23.8.) qui negarent Angelos, ipſis notos *Græcorum* Philoſophis.

boni, § 35. Spiritus verò Angeli (*Pſal.*104.4. *Heb.*1.14. *Epheſ.*2. 2.) cœleſtes (*Matt.* 24.36. *Gal.*1.8.) immortaléſque ſutn, (*Matt.*22.30.) agilitate ſummâ, (*Pſal.* 104. 4. *Ezech.*1.13. *Luc.*10.18.) vi potentiâque magnâ, (*Pſal.*103.20. 2 *Theſ.*1.7.) necnon intelligentiâ ſcientiâque rerum eximiâ prædìti, (2 *Sam.*14.20.) gradibus variis ordinibúſque diſtincti. Ordinis enim autor eſt, non ἀταξίας, Deus. Nec Angeli modò, ſed & Archangeli, (1 *Theſ.*4.16. Epiſt. *Jud.*9.) Throni, Dominationes, Poteſtates, Principatus, (in Epiſtolis *Pauli* ad *Col.*1.16. *Rom.*8.38. *Eph.* 6. 12.) Cherubim, (*Gen.*3.24.) Seraphim, apud veteres Prophetas, reperiuntur. Et *fruſtrà dari varia nomina, niſi varia ſint officia*, S. ait *Hieronymus*, (adverſus *Jovinian.* 1.15.) Sed an alii aliis dominentur ac pareant; (*Dan.*8.16. *Zach.*1.9. *Apoc.* 12.7. quibus in locis *Michaelem* & Angelum imperantem aliqui eſſe *Chriſtum* volunt;) an hæc illis nomina tributa ſint ratione munerum à Deo mandatorum, (Epiſt. *Jud.*9. *Eſa.*6.2,6.) aut hominum, regum, regnorúmve illis commendatorum, (*Dan.*10.13. *Matt.* 18.10. *Act.* 12.15.) aut poteſtatis denique in malos dæmonas, (*Tob.*8.3. *Apoc.*12.7,8.) aliáque in-

inferioris mundi animalia & res; (2 *Reg.*19.35.) haud equidem definire auſim id quod Patrum doctiſſimus *Auguſtinus* (Enchirid. ad *Laurent.* c.9.) ingenuè ſe fatetur ignorare: nec in ea temere pedem inferam quæ non vidi. (*Col.*2.18.) Inter autem trinos ordines Angelos diſtribui, quot varia illis nomina tribuuntur in Sacris Literis, eóſque inter ſe ità diſtinctos quemadmodum Theologi fingunt *Romani*, haud ſcio an riſu dignius quàm fide ſit. Prima trias, Seraphim, Cherubim, & Throni; atque hi non niſi ad Deum relati: ſecunda, Dominationes, Virtutes, Poteſtates: tertia, Principatus, Archangeli, Angeli. 1. *Seraphim*, hoc eſt, *Incendentes* vel *Caleſcentes*, dicti, quoniam & Divinâ præ cæteris flagrant charitate, & alios ad eundem ardorem excitant atque inflammant. 2. *Cherubim Scientiæ lumen* ſignificant, ac Divinæ contemplationis vim; unde multis oculis præditi finguntur. 3. *Throni*, adeò ſublimes atque præſtantes, ut *Dei ſedes* habeantur; de quibus *Dan.*7.9. ubi *Throni poſiti*, quibus *Antiquus dierum inſidebat.* Reliqui ordines nominibus ſuis inferiora ſpectant. 4. *Dominationes* exactè nôrunt univerſa *diſtinguere* ac *definire* quæ à reliquis fieri debeant. 5. *Virtutes facultatem* ac *fortitudinem* inferioribus præſtant ad exſequendum. 6. *Poteſtates* inſtituunt quo modo quæ definita ſunt ac præcepta *confici poſſint.* Itaque ſecunda Hierarchia ſeu Trias Angelorum *Diſpoſitionem* rerum agendarum ſibi commiſſam habet. Ad tertiam infimámque pertinet *Executio.* 7. *Principatus* primò executionem aggrediuntur. 8. *Archangeli* ad majora quæque nuncianda deſtinantur. 9. *Angeli* denique generatim perficiunt mandata Dei. Hæc *Feliſius*, (in Elucidat. Inſtitut. Chriſtian. diſtinct.9. cap.3.) Pari temeritate *Judæorum* aliqui, decem Angelis nomina tributa decem indè ordines volunt eſſe. Cùm autem nihil ex his prodatur in Libris Sacris præter nomina, perſimilia videntur *ſtultorum ædificiis in arena ſtructis.* (*Matt.*7.26,27.) Minimo enim quovis negantium halitu corruunt ſubitò & collabuntur. *Eſſe quidem Sedes*, *Dominationes*, *Principatus*, *&c. firmiſſimè credo*, inquit *Auguſtinus*, (contra *Priſcillian.* & *Origen.*c.10.) *& differre inter ſe aliquo modo, indubitatâ fide teneo: ſed quænam iſta ſint, & quomodo differant, neſcio: neque eâ ſanè ignorantiâ periclitari me puto.* Sunt qui malorum etiam Angelorum novem ordines fingant *Chriſtiani*, præter *Hebræos*, Theologi: *Platonici* verò Magi, & ab his *Pſellus* etiam *Chriſtianus*, penè innumerabiles. Utcunque ordinem eſſe inter ipſos Dæmonas *Chriſtus* doceat; (*Matt.* 25.41. & 12. 24, 25.) qui tamen quótve ſint ordines, quia nuſquam traditur, temere definitur.

§ 36. Dæmones, quos dixi, rebelles maliq; ſunt Angeli. Permulti enim, (*Marc.*5.9.) ut primùm ferè nati ſunt, à nativa ſanctitate, ipſóq; Deo qui fecerat, nefariè defecerunt; *Diaboli*que ſunt ac *Dæmones* deinde vocati; (*Matt.* 25. 41. *Marc.* 5.12. *Joan.* 8.44.) Deo propter ſuam gloriam & ſuorum ſalutem facilè id permittente. (*Jud.* v.6.) Hoc autem primo quo creati ſunt die nè contingeret nihil impedivit; ante ſextum, quo ab iis in peccatum præcipitati ſunt homines, liquidò conſtat accidiſſe. Nec enim aliunde pendebat Angelorum defectio quàm à ſua ipſorum voluntate. Et reliquos inferiores Dæmonas unum ſecutos, qui in fraudem pellexit, *Principem diabolum* vocatum, (*Apoc.*12.9. & 20. 2.) *Satanam*, (*Apoc.* iiſdem locis) *Beelzebum*, (*Matt.*12.24. *Luc.* 11.15.) *magnum Draconem*, (*Apoc.* 12. 9.) *veterem Serpentem*, (*Apoc.*12.9. & 20 2.) *Deum hujus mundi*, (2 *Cor.*4.4.) & *aëris Principem*, (*Eph.*2.2.) probabilis conjectura eſt: eóſque propterea ejus *angelos* vocat *Chriſtus.* (*Matt.* 25. 41. *Apoc.*12.7.) Quo peccato Dæmones violârint Numen Dei, haud ſatis videtur explicatum in Scriptis Divinis. Nec enim noſtrâ id refert multùm cognoſcere. Plerique veterum *Superbiæ* tribuunt; quòd ſuis dotibus eximiis excellentibúſque turgidi, pro diis gerere ſe, Domini que Dei excutere cœperunt jugum. *Principium peccati eſt ſuperbia.* (*Ecclus* 10.14.) Eódem flectunt quæ ab *Eſaia* dicuntur, (cap. 14. 12, 13, 14.) & ab *Ezechiele*, (28.2.) in libro *Jobi* etiam, (41.25.) necnon quæ apud *Lucam*, (10.18.) ubi, ut ſuorum Diſcipulorum ſuperbiam minueret, de Satanæ præcipiti lapſu è cœlo narrâſſe *Chriſtum* ferunt; & quod S. *Paulus* denique ad *Timotheum* ſcribit (Ep.1.cap.3.v.6.) de Epiſcopis ætate nondum maturis, elatíſque ſuperbiâ, in Diaboli caſuris judicium. Sed ex his aliò ſanè ſpectant pleraque, etſi huc etiam antiqui Patres referri poſſe contendant. Alii malunt *Invidiam* eſſe diabolicum illud peccatum, propter collatam in homines imaginem Dei. At hæc plerumque oritur ex ſuperbia, ut hîc eandem conſecuta videatur. *Hieron. Zanchius* & alii *Chriſtum* hoc indicâſſe peccatum volunt *Joan.* 8.44. ubi *Diabolum in veritate* ait *non perſtitiſſe*; in veritate ſcilicet Evangelii æterni de *Chriſto*, (*Apoc.*14.6.) quam ſe

malique.

ſe *Judæis* tradere *Chriſtus* eodem in loco profitetur, verſ. 25, 26. Hoc autem volunt hujus opinionis autores, Dæmonas inprimis non tuliſſe decretum Dei de aſſumenda per Filium Dei natura humana, & eadem ſuperatura ipſos Angelos dignitate; *Chriſtique* gratia omnibus etiam Angelis ad beatitudinem neceſſaria. Invidiſſe igitur ſuam *Chriſto* gloriam, homini felicitatem. A Deo denique per contumaciam & ſuperbiam deſciviſſe, Evangeliíque veritatem deinde omni ope & opera ſemper oppugnâſſe, atque conatos, vel crudelitate Tyrannorum ſupprimere, vel Hæreticorum mendaciis conſtuprare. Aptè quidem hæc & ingenioſè inventa ſunt, ſi de his modò conſtaret duobus. Alterum eſt, fuiſſe proditum Angelis aliqua ex parte de Meſſia myſterium antequam lapſus, imò vel ortus, eſt *Adamus*, ídque Diabolum ab ipſo initio mundi oppugnâſſe; quod tamen Apoſtoli docent *abſconditum fuiſſe in Deo à mundi primordiis*, neque Angelis notum ante natum *Chriſtum*. (*Eph.* 3.9. 1 *Pet.*1.12. 1 *Tim.*3.16.) Alterum eſt, Angelis opus fuiſſe *Chriſto* atque fide ad ſui confirmationem; quod in S.Literis nuſquam perſpicuè traditur. Mihi ſimpliciùs dici videtur, ſimplex non fuiſſe Dæmonum, ſed complicatum, ſcelus: veritatem verò in qua non perſtitit Diabolus, integram ſignificare ſanctitatem, ſive originem ejus, ut S. *Judas* appellat; (v.6.) verum ſcilicet amorem timorémque Dei, veram obedientiam, veram charitatem in alios Angelos, ipſam denique veracitatem. Ab his eum deſciviſſe *Chriſtus* voluit. Quòd ſi neceſſarium ſit, unum aliquod peccatum eminere ac præire aliis, *Superbia*, quæ ubique ſibi primas vendicat, hoc etiam agmen peccatorum duxiſſe par eſt. Sed illi vitiis erant cooperti, totâque naturâ corrupti, voluntate obſtinatâ, ut reſipiſcere nè velle quidem poſſent; mentéque nubilâ & occæcatâ non minùs quàm antea perſpicaci, cognitione verò ſalutari prorſus amiſsâ. S. *Auguſtinus* (de Civ. Dei 9.21.) *Diabolis* ait, *qui perfectè omnino intelligebant priùs, propter peccatum aliquid acceſſiſſe tenebrarum.* Proinde etiam *Tenebras* appellari, & *eſſe in tenebris* dici, cœleſti nimirum luce deſtitutos, *Principéſque tenebrarum*, (*Eph.* 6. 12.) & in locum caliginoſum præcipitatos. Poſtquam igitur deſciviſſent à Deo, protinus de cœlo in aëris regionem atque infernum deturbati, (*Eph.*2.2. *Luc.*8.31.) judicium Dei ultimum, deſperatâ ſalute, ſuúmque miſerrimi exſpectant ſupplicium. (2 *Pet.* 2. 4. *Jud.* v.6.) Interim Deo ipſi operibúſque Dei maximè infenſi hoſtes, (*Matt.*13. 39.) omnia, quantum in ipſis eſt, peſſundare, homines præſertim ab officio & obſequio abducere, & in exitium præcipitare, pro ſummis viribus adnituntur. (*Joan.* 8. 44. 1 *Pet.*6.8.) Sed potentiæ Divinæ vinculis ità conſtricti omnes tenentur, ut nè tantillùm ſe movere loco, niſi juſſu permiſſúve Dei, valeant. (2 *Pet.* 2.4. *Job.*1.12.) Reliqui verò Angeli, qui gratiam Dei, per quam electi ſunt, (*Col.* 1.20. 1 *Tim.* 5. 21.) nativámque retinuerunt ſanctimoniam, ità ſunt confirmati à Deo, ut peccare jam non poſſint. (1 *Tim.*5.21.) Quare Divinâ in cœlo præſentiâ & claritate perpetuò fruuntur; (*Matt.*18.10. *Luc.*1.19.) etſi, durante adhuc mundo, maxima quæque in cœlis terríſque miniſteria obeant, & mandata Dei exſequantur. (*Pſal.* 103.20, 21. *Dan.*7.10. *Eſa.*6.6. *Heb.*1.14.) Atque ex hoc *Angeli* vocantur; quod nomen eſt officii, non naturæ. *Nuncium* ſignificat, & bonis ſpiritibus verè convenit; qui & Angeli *Domini*, (*Act.*5.19.) *Dei*, (*Act.*10.3.) *Sancti*, (*Matt.*25.31.) *cœli*, (*Matt.*24. 36.) *lucis*, (2 *Cor.*11.14.) *electi*, (1 *Tim.*5.21.) *potentiæ Dei*, (2 *Theſ.*1.7.) appellari ſolent. Sed & pravis ſpiritibus datur aliquando *Angeli* hoc nomen: (1 *Cor.* 6. 3. 2 *Pet.*2.4. *Pſal.*78.49.) qui *Dæmones* frequentiùs & *Diaboli* vocantur. Non deſunt qui Angelis pleriſque munera eſſe propria opinentur. Nam & Urbibus Gentibúſque præfectos, (*Dan.*10.13,20,21. & 12.1.) & hominibus etiam ſingulis, qui è numero ſunt Electorum, ab ortu ſtatim cuſtodes conſtitutos, volunt Patrum veterum in Eccleſia Chriſtiana permulti, & Theologi ex noſtris haud obſcuri. (*Gen.* 48. 16. *Matt.*18.10. *Act.*12.7,15.) Utcunque verò id ſit, hoc ſanè conſtat, magnóque debet eſſe in periculis piorum ſolatio, quòd cœleſtis militiæ cuſtodiis ubique muniantur & copiis. (*Pſal.*34.7. & 91.11,12. 2 *Reg.*6.17. *Gen.* 32.1,2.) Officia verò tria præcipuè ſunt quibus adminiſtrant piis Angeli. Primum, à malis omnibus tuendo cuſtodiendóque vitam & ſalutem corporis. (*Pſal.*91.11. *Gen.*24.7. *Exod.*33.2.) Aliud, ſalutem animarum omnibus modis procurando. (*Act.* 8.26, 29. & 10. 3, 4, &c.) Tertium, in adverſis quibuſcunque conſolando. (*Gen.*16.7,8,&c. 2 *Reg.*19.35.&c.)

Sidera quarto collocantur in cœlo.

§ 37. Die Quarto Cœlum, circulari fortaſſe motu agitatum priùs, & in partes ſive orbes (ſi qui ſunt orbes orbiúmque motus) diſtributum, jam tandem Luce ac Stellis donatum eſt, maximo totius mundi ornamento, elementarium terrenarúmque re-

rum

rum commodo. Stellarum Sol & Luna principes: ille clariſſimus, & lucis verè fons; hæc nobis proxima, luce reliquis notior, & efficaciâ nobilior. Horum beneficio fit opera Dei aſpectabilia ut ſint, opera ſua homines ut obire poſſint; (*Pſal.* 104.22,23.) multa ut calorem vitalémque concipiant vim, aliíſque variis afficiantur modis. Præterea, eorundem Aſtrorum eſt, motu vario tempora diſtinguere ac definire; Annos, Menſes, Dies, Anníque tempeſtates quatuor, Æſtatem, Autumnum, Hyemem, Ver, Diem quoque ac Noctem, ad gratam quietis laboríſque viciſſitudinem, diſtinguere; (*Gen.*8.22. *Pſal.*104.19.) ſtata verò nobis tempora, ut Ferias ac Nundinas, definire. (*Num.*28.11,16.) Poſtremò, ſidera etiam ſigna ſunt rerum futurarum; quæ non pluvias modò, ventóſque ac ſerenitatem, morbos epidemicos & ſanitatem, ſterilitatem agrorum & fœcunditatem, tempora denique medicis, agricolis atque nautis opportuna, præmonſtrent, ſed prodigioſè nonnunquam Omnipotentis Dei vel iram denuncient, vel portendant gratiam. (*Luc.* 21.25. *Act.*2.19,20. *Pſal.*65.8. *Eſa.*13.10.)

§ 38. Haud ineptè quærunt Theologi de Aſtrologica divinatione, an ex his eam inſtitui ſignis voluerit *Moſes*. Aliqui prorſus id negant, adeò ut, quæ vulgò ſolent de Lunæ atque Solis defectibus, de ortu & occaſu, oppoſitionibus & conjunctionibus aſtrorum aſpectibúſque, præmonſtrari, de pluviis etiam, ventis ac frigoribus edi conjecturæ, non vanitatis modò, ſed etiam impietatis arguant. Ità *Perkinſius*, (in Lib. dict. *Agricolæ reſolutio.*) Quin & alii quamplurimi judiciariam quam vocant Aſtrologiam in rebus humanis explodunt. E contrario, qui Artem hanc profitentur Mathematici, ex iſtis quæ *Moſes* commemorat aſtrorum ſignis, non modò naturalia, quorum certæ ſunt cauſæ, verùm fortuitas quoque res & quæ caſu contingunt, quæque vel à voluntate Divina vel ab humano pendent arbitrio, præſcire ſe ac prædicere poſſe gloriantur. Ab illis nihil ferè tribuitur ſignis cœleſtibus; ab his omnia. Mediâ nonnulli viâ incedunt: quorum fortaſſe probabilior & ſanior eſt ratio, atque à me propterea pluribus explicanda. Res aiunt eſſe futuras quatuor ferè generum. Primò, *naturales*: eáſque vel *neceſſarias*, quæ à certis oriuntur cauſis; ut luminis defectus in Luna Soléque, aſpectus varii ſiderum, anni quatuor tempeſtates, æſtus marinus, aliáque multa: vel *contingentes* & *incertas*; qualia ſunt, pluviæ, tempeſtates, venti, frigora, ſiccitas, ſterilitas, ubertas, inundationes, terræmotus, morbi epidemici, & ſimilia. Secundo loco ſunt humanæ res, partim *naturales*, partim *voluntariæ*; cujus generis habentur bella, ſeditiones, vitia, virtutes, & alia ejuſmodi. Tertiò numeranda ſunt quæ *ſupra naturam* fiunt, miranda ipſius Dei opera. Ea poſtremò quæ *caſu* & *fortuitò* eveniunt. Quæcunque igitur (ut à primo rerum genere incipiam) certâ & neceſſariâ quadam Naturæ fiunt lege, cùm certò præſciri, tum prædici verè poſſunt, modò legis Autor, & Prima omnium Cauſa, non prohibeat Deus. Verùm hæc *ſcientia* eſt potiùs quàm *divinatio*. Deinde, quæ in rerum natura contingenter eveniunt, humanæque res ex parte naturales, quas probabiliter licet proſpicere, probabiliter eaſdem licet prænunciare; ſed probabiliter tantùm. Præſciri hæc poſſe probabili conjecturâ, ſic demonſtrant. Tot ac tanta ſtellarum corpora otioſi tantùm ornatûs gratiâ quis credat eſſe collocata in cœlo? Quòd ſi aquis fontibúſque, ſi foſſilibus atque plantis, imò ſi ipſis animalium quorundam excrementis, propriæ ſint ingenitæ vires virtutéſque non contemnendæ; quis cauſam afferat ſatìs idoneam, cur non & ſuæ immenſis illis ſtellarum corporibus tribuantur? Agunt igitur in mundum hunc elementarem, (Philoſophis fatentibus;) motu, lumine, ac influxu quodam occulto, in ſingulas ferè agunt inferioris mundi res. Quid autem agant, quas quæque vires habeant, ubi exſerant ſtellæ has vires & exerceant, tum ſingulæ per ſe, tum conjunctæ, tum complicatæ, longâ tandem obſervatione ſummâque diligentiâ deprehenſum atque compertum eſt. Nec humana corpora, ut ex elementis compoſita, dum adhuc tenera ſunt, poſſunt non ſentire impreſſam à ſideribus vim, in ipſo partu maximè, cùm aëra primum ab aſtris infectum hauriunt. Itaque *in puero refert*, (ut habet *Cicero*) *quâ affectione cœli ſpiritum duxerit*. Et adeſſe infantibus etiam tum volunt quas *Influentias* vocant, cùm primùm corpus animâ donatur; ſi quo id momentum caſu artéve deprehendi poſſit. Corporibus autem infectis, animas quoque affici neceſſe eſt. Quare nec homines à ſiderum vi potentiâque liberi ſunt ac immunes. Non agunt ſtellæ in animam humanam; ſed in animæ inſtrumenta, in humores atque ſpiritus, agunt, per quos anima operatur, & homines inclinantur ad certa ſtudia, virtutes, & vitia. In humanum verò corpus ani-

Ex quibus certa divinatio non datur.

animámve quid quæque operentur cœlorum ſigna, id plurimis veterum experimentis creditur. Jam quas res probabili ratione licet ex cauſis prævidere, quæq; aliquando eveniunt, ubi propriæ ac propiores cauſæ non impediunt, quid prohibet quò minùs eaſdem liceat etiam prænunciare futuras probabiliter? Sed, ut priùs monui, *probabiliter tantùm*: ídque partim, quia cauſæ univerſales ac remotiores à cœlo minùs habentur efficaces, niſi proximæ ac particulares concurrant; partim, quoniam Aſtrologi nondum aſſecuti ſunt perfectam eorum omnium quæ probabiliter ſciri poſſunt rationem. Itaque ſæpius fieri videmus ut fallant prædictiones Aſtrologicæ; quod ipſi non negant Artis Magiſtri, cùm decreta ſua fatentur non eſſe prætoria. Quòd ſi-qui certas prædictiones de rebus tam incertis pollicentur, næ illi potiùs habendi ſunt impoſtores quàm artifices, vanitatis impiæ meritò condemnandi. Peſſimè profectò Deus generi conſuluiſſet humano, ſi neceſſariò quiſque iis dederetur vitiis ad quæ naſcentem fortaſſe inclinant ſidera. Quòd ſi *Zopyro Socrates*, ex vultu conjectanti, reſpondere potuit, *talem ſe fuiſſe naturâ qualem phyſiognomon prædicaverat, ſtupidum & mulieroſum,&c. ſed Philoſophiæ adminiculo correxiſſe ac ſuperâſſe naturam*; quantò id magis faciet homo Chriſtianus, atque dicet Aſtrologo, *Divinâ opitulante gratiâ?* Veriſſimè Poëta, Bonus vir ſive —*Sapiens dominabitur aſtris.* Suæ quemque Deus fortunæ fabrum eſſe vult, non ejus quam cœlum aſſignaverit miniſtrum. Cùm igitur nulla ſit ſignis cœleſtibus tribuenda certitudo vel in rebus naturæ contingentibus, vel in humanis etiam aliqua ex parte naturalibus, (quarum eadem eſt ratio,) quid, obſecro, cenſendum eſt de iis qui res planè fortuitas, aut ſupra naturam poſitas, (quas in tertio quartóque ordine collocavimus,) certò ſe prædicturos recipiunt? quandoquidem hæc ſigna nulla, nullas habent in rerum natura cauſas. Quid de iis qui Diluvium *Noachanum* & *Chriſti* adventum legere in aſtris potuiſſe jactant ſe? qui dubias explicandi, prodendi occultas, & amiſſas inveſtigandi quaſvis res, artem profitentur ſideralem? qui eò ſunt amentiæ delapſi, ut omnium humanarum rerum publica & privata fata in cœlo & ſideribus conſignata eſſe, tanquam in tabula, nihílque propterea tentandum, cenſeant, niſi conſultis aſtris, nihil agi poſſe feliciter, niſi faventibus; indè conſilia, indè auxilia petenda; adeò ut iis neque verbo Divino, nec ipſo ſit opus Deo, modò ſidera ſint propitia? qui, denique, omnium rerum anxias & ſuperſtitioſas inſtituunt Electiones, de omnibus Interrogationes, & ad res quæſitas Reſponſa judiciáque? Horum profectò eſt maximè impietas exſecranda, & legum ſeveriſſimarum coërcenda pœnis, qui mendaciorum nundinationes agunt, neque veri quicquam vendunt, niſi emptum rariſſimè à mendaciorum patre. Hos præcipuè irrident exagitántque, his minitantur Sacræ Literæ. (*Deut.*18.10, —14. *Eſa.*8.18, &c. & 19.3,12. & 44.25. & 47.13. *Jer.*10.2. & 27.9. & 29.8.) Hos imperiales damnabant leges, quos vel conſulere capitali erat pœnâ interdictum.

Cœli ſtellæ partes denſiores.

§ 39. Jam verò Stellæ (ut earum quoque naturam ſcrutemur quantum fas eſt & fieri poteſt) denſiores orbium ſuorum partes habentur, globosâ figurâ, & lucis participes. *Orbes* autem, ingentium corporum & contiguorum ſeries, quorum alia concludunt & comprehendunt, alia in his & ab his undique concluſa comprehenduntur; quomodo putamen ovi albumen & luteum complectitur. De his, *Pagnino* interprete, *Amoſus* Propheta, (9.6.) *Dominus contignavit in cœlis ſphæras ſuas.* Supremum ex his cœlum *Empyræum* Theologi vocant, ab ignea, quam ei tribuunt, clariſſimâque luce. Idem *Cœlum cœlorum* & *Tertium* dici, monuimus Die Secundo. Quietum hoc ſtatuitur & immobile, cùm ſedes præcipua & quaſi ſolium ſit Dei; Angelorúmque ac hominum beatitudini æternæ deſtinatus à Deo locus. Orbem proximum, qui octavus idem eſt, *Primum* vocant *Mobile*, quod horarum quatuor & viginti ſpatio, motu rapidiſſimo, mundum circuit univerſum, inferioréſque ſecum orbes corripit. In eo, conſtanti ordine immutabilíque, Deus collocavit ſtellas innumeras, quas, ab ordinis conſtantia, *Fixas* vocant plerique, *Inerrantes Tullius.* Ut ex his præcipuas aliquo numero comprehenderent Aſtronomi, in fictas 49 figuras animalium aliarúmque rerum, Urſæ, Arietis, Tauri, Coronæ, Virginis, & ſimilium, ſtellæ 1022 diſtributæ ſunt. Ipſæ Figuræ *Sidera Signá*que appellantur & *Aſtra.* Aliæ ſeptem quæ huic ſubjiciuntur ſphæræ totidem ſtellas, ſingulæ ſingulas, ferunt, quantum oculis percipitur vulgaribus. Has verò *Planetas*, hoc eſt, *Errantes*, nuncupant; quoniam præter motum diurnum, quo ab Ortu rapiuntur in Occaſum, motu omnes proprio & privato in Ortum ab Occaſu tendunt, ſed inter ſe diſcrepant, quanquam ſibi conſtent ſin-

ſingulæ. Aliæ igitur aliis propinquiores interdum, aliquando remotiores videntur à ſe invicem; (quod in octava ſphæra minimè fit;) ſuum tamen ſingulæ curſum conſtantiſſimè ſervant. Septimi orbis Planeta *Saturnus* vocatur, ſexti *Jupiter*, quinti *Mars*, medii *Sol*; deinde *Venus*, ſecundo loco *Mercurius*: infima eſt omnium *Luna*, eadémque minima, utcunque apud oculos vulgi magnitudinem propinquitas mentiatur. Stellæ inerrantes magnitudine diſtinguuntur, gradibúſque ſex: ità ut minima ex iis terrâ ſit major octies atque decies; centies verò atque ſepties maxima. Scintillatione agnoſcas, quâ Planetæ carent. Species enim fixarum, tenuiſſimæ propter magnam intercapedinem ſpatii, vix jam valent ſenſorium imbuere. Ità fit, dum ex illis viſionem elicere conatur oculorum vis, ut fatiſcat labore ac tremat; quo ſtella ipſa tremere videtur & micare. Unus maximus omnium Sol & clariſſimus, propter materiam coactam & copioſam. Non putabant veteres poſſe per ſe moveri ſtellas, ut aves in aëre, aut in aqua piſces, motu præſertim diverſo, tum ſuo in Ortum, tum diurno in Occaſum. Itaque ſolidis orbibus neceſſariò ſtellas affigendas, qui ultro citróque deferrent, arbitrati ſunt. Et ſomniabant *Pythagorici*, dum prætereuntes mutuò ſe orbes corraderent, arctiſſimâ contiguitate ſuaviſſimum edidiſſe concentum, ſi quis auribus *Midas* longioribus organis perciperet. Propter aliquam verò motûs quam animadvertunt Aſtronomi varietatem in cœlis, ideo nonum aliqui orbem addunt, alii decimum quoque; cùm fortaſſe nullo ſit opus. Si enim cœli materiam aëre multò tenuiorem ſtatuamus; cur aſtra non eodem ferantur modo in cœlis, quo vel ex tormento globus, vel nubes in aëre, vel Cometa altiùs, nihil (opinor) impedit. Nec proprius ille quem ferunt Planetarum curſus ad Orientem tam motus fortaſſe, quàm mora, dicendus eſt. Nam quò longiùs abſunt à Primo (quod vocant) mobili, ſtellarúmque fixarum conſtipato agmine, hòc Planetæ tardiùs quotidie progrediuntur, eóque citiùs redeunt ad punctum idem inter ſtellas inerrantes unde inceperant, qui curſus habetur ſingulorum proprius. Quòd enim Theologorum nonnulli objiciunt ex *Job.*37.18. *Cœlum eſſe firmum inſtar vitri fuſilis*, quod ſolidum ac durum eſſe conſtat, ideo & cœlum: dicimus *firmum* eo in loco cœli ſtabilitatem ſignificare, conſtantiam & immutabilem naturam; *vitrum* verò *fuſile* perſpicuitatem ejuſdem denotare. *Firmum* verò ad *vitrum* nullo modo eſt referendum. Et *Pagnini* ſphæræ, *Junii* cœnacula, (ut *Pſal.*104.3.) aut varias aëris regiones, meteororum & nubium domicilia, volunt, aut cœli triplicis conſtructionem. De vitreis *Peripateticorum* ſphæris minimè cogitârunt Prophetæ. Ut ad ſtellas redeamus: quæ inprimis materia ſuſtinuit & circumtulit lucem, ex ea videtur aſtra condidiſſe Deus, & eandem, ſed auctam, tranſtuliſſe lucem in ſidera. In aëre *lumen*, quòd *lux* in ſtella dicitur. Hoc ſtellarum, maximè verò Solis, lumine, quíque oritur ex eo calore, magna vis imprimitur in noſtra rerum inferiorum corpora. Experientia quoque diuturna fidem facit, ſiderum ingentes moles, variis qualitatibus unà cum luce tranſmiſſis, & variè confuſis, influere, imbuere modis variis afficeréque omnes elementares res. Suam habent lucem tenuiorem ſingulæ ſtellæ; claritatem à Sole mutuantur, fonte lucis unico. Luna igitur, ubi terra interponitur, umbrâque operit, propter defectum ſolaris luminis, obſcuratur; quod Philoſophi *Eclipſin Lunæ* vocant. Ubi verò Luna interpoſita Solis radios intercipit, nè terram illuſtrent, *Eclipſis* hæc *ſolaris* dicitur.

§ 40. Collocatus jam in cœlo Sol eſt; id à *Moſe* traditur. Qua in parte cœlorum fixus, quâque anni tempeſtate rerum exſtiterit Natura, non traditur. A Chronologis tamen Theologíſque diſceptatur hac de re; imò & definitur à quibuſdam, ſatìs temere, (ut mihi videtur) dies ipſe natalis mundi. Quod vel ipſa Autorum diſcrepantia ſatìs arguit. Alius (*Schillingius* Synopſ. Chronolog.) *Septembris* decimum ſeptimum Mundi eſſe primum vult: Alius, (*Joſ. Scalig.*) *Octobris* viceſimum tertium; Idémque poſtea, (à ſe diverſus) *Aprilis* decimum octavum: Alius, (*Euſeb.*) *Martii* vigeſimum quintum. Huic loco ut & nos aliquid lucis afferamus, quæ certa claráque ſunt præmittemus. Atque id conſtat inprimis, inveſtigari tempus quo in medium hic Mundus prodiit ejus loci tantùm ratione quo *Paradiſus* conſitus, hominéſque ſua poſuerunt domicilia prima. Nam ſi terrarum ſpectemus plagas univerſas, neceſſe eſt, variis in locis eodem tempore tempeſtates varias fuiſſe; alibi Ver, alibi Autumnum, alicubi Æſtatem, alicubi forſan & Hyemem. Alterum id quod præmonendum putavi adeò veriſimile eſt, ut negari vix poſſit, Mundum in hyeme non fuiſſe natum. Erant enim, ut primùm editi, fame homines perituri, & re-

lucere primùm in autumno incipiente cœperunt.

reliquæ animantes, propter inopiam victûs. Utrùm Autumno ineunte, an adulto jam, vel præcipitante Vere, an aliquâ Æſtatis parte, cœperint moveri ſidera, & emergere Natura; tacente *Moſe*, mihi certè nihil iis de rebus affirmandum videtur cum erroris periculo, quæ ſine periculo & impunè licet ignorare. Nullo enim eorum quæ dixi temporum alimenta erant animalibus defutura; quovis igitur eorum exoriri Mundus potuit. Veteres plerique nominis Chriſtiani Patres tempus Vernum, ut generationi rerum, ità origini primæ, aptiſſimum putavêre. Quippe,

Omnia nunc florent, nunc eſt nova temporis ætas.

Et ſi nunc florere omnia cœperunt, ſuo tempore florebant omnia; aliàs, fructus vernales aut nullos eo anno Arbores, aut alieno tempore, producebant. Quinetiam Vere *renati* homines, *redempti*que per *Chriſtum*, conceptum Vere, & Vere mortuum; eodem igitur & primò fuiſſe *natos* par eſt. Itaque *Judæi* annos à Vere inchoabant, imperante Deo, atque ad ipſa Mundi exordia initium Anni revocante. Hæc illi Veteres; qui nec Ethnici Poëtæ (*Virgil.* Georg.2.) ſuffragium aſpernantur:

Non alios primâ creſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem,
Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

In eandem ſententiam eunt & *Euſebius*, & *Hieronymus*, *Leo* Pontifex, & *Beda*, *Strabus*, *Rabanus*, aliíque Veteres & Moderni. (*S. Ambroſ.* de *Noa* & Arca c.17. *Jul. Scal.* Exerc.257.) At pleriſque viris hâc ætate literatis Vernum paulò maturius fuiſſe tempus videtur, quàm ut alere poſſet animalia; maximè verò illud Ver, in quo ex præcedente Hyeme nutrimenti ſupererat nihil. Imò verò, unum hoc ſi obſtaret, facilè reſponderetur, Non defuiſſe Veri, in plagis mundi calidioribus, ſuos fructus herbáſque ad humanum victum belluinúmque ſatìs idoneos. Nihilominus fatendum eſt, non multum habere momenti eas cauſas quibus hæc ſententia nititur. Nam Veris temperiem, utcunque rebus generandis opportunam, nihil prorſus adjumenti ad creandas contuliſſe, liquidò conſtat. Nec multùm refert anno primo ſi fructus Vernales in Autumno creati ſunt. Cur autem oriatur Mundus eo quo conceptus atque mortuus tempore *Chriſtus* eſt, magìs quàm eo quo natus perhibetur, hyeme (ut ferunt) mediâ? Nec initium anni apud *Hebræos* alia de cauſâ mutatum eſt ab Autumno in adultum Ver, ídque in rebus Sacris & Eccleſiaſticis tantùm, niſi quòd eâ tempeſtate *Judæi* ex *Ægypto* liberati ſunt. (*Exod.* 12.2.) De orbe tum temporis condito nè Gru quidem apud *Moſen*. *Ger. Mercator* & *Jul. Firmicus*, alios etiam ſecuti, in Æſtate mundum prodiiſſe volunt: quæ quanquam à multis ſententia rejicitur; mihi tamen nihilo minùs quàm aliæ ſunt probabilis videtur. Si enim ſatìs alimentorum præbere potuit animalibus Ver; multò magìs in Æſtate fructus frugéſque in ea quâ Paradiſus plaga ſitus eſt maturuerant: quod unum valet eatenus, ut ab incredibili vindicet opinionem hanc. *Ægyptii* quoque Sacerdotes 12 Calendas *Auguſtas* Mundi natalem judicârunt, Cœlo tum Soléque nato, Terrâ (ut ipſis videbatur) poſteriús. Annus etiam *Atticus* atque *Olympiadicus* ab æſtivo Solſtitio cœpit. (*Simplicius* in *Ariſtot.* Phyſ. lib.5.) Plurimi creationem rerum maximè tempeſtivam fuiſſe in Autumno putant: quorum ego fidei non adverſabor; demonſtraturus tamen arma quibus & hi pugnant non eſſe Achillea, ſed quæ facilè rejici atque retundi poſſint. 1. Ac primò diſputant, animalibus præparanda fuiſſe quibus veſci ac ſuſtentari poſſent alimenta. Alimenta verò matureſcunt in Autumno. Autumno igitur ortus rerum tribuendus eſt. Expeditus jampridem hic eſt nodus. Nec enim negari poteſt, quin adultum quoque Ver (Æſtas verò multò magìs) fructus herbáſque protulerit, tantæ hominum aliorúmque animalium paucitati quæ abunde ſufficerent. 2. Deinde arguunt, neque homines ætate infantili puerilíve primò editos, neque aliorum fuiſſe animantium pullos; verùm perfectâ maturâque omnes ætate productos: ergò & arbores maturis oneratæ fructibus prodierunt. Id autem non niſi in Autumno cùm fieri ſoleat, Autumno deberi volunt originem rerum. Sed & hoc admodum imbelle telum eſt, quódque ut amentata haſta retorqueatur facillimé. Vero enim ſimillimum eſt, ætate juvenili conditum fuiſſe *Adamum*, & ad prolem generandam ſatìs maturâ, non autem virili, & ſenectuti proximâ. Quare ut Pueritia ætatis humanæ ſit Ver, Æſtatis rationem Juventus habitura eſt, non Autumni.

ni. Neque gravida Mulier nata eſt, ſed concipiendis pariendíſque liberis jam idonea. Ità & arbores conditæ ſunt adeò perfectæ, ut ſuâ quæque tempeſtate fructus producerent; aliæ vernos, æſtivos aliæ, ſed plurimæ in Autumno. Nec enim quod Serpenti reſpondet *Eva*, *ſe de arboribus Paradiſi omnibus*, *unicâ tantùm exceptâ*, *comedere*, arguit fructus fuiſſe omnes eo maturos tempore; ſed licuiſſe tantùm, nullóque Dei mandato ſe prohibitos, quin de omnibus, ubi tempore idoneo maturuiſſent, poma colligerent comederéntque. 3. Aiunt in Autumno colligi atque reponi fructus frugéſque anni veteris, ſeríque in eodem futuri ſpem; eandem tempeſtatem novæ rerum generationi maximè naturâ convenire: in eadem igitur prior annus deſinere videtur, incipere novus. Quo autem annus tempore, mundum quoque incepiſſe credibile eſt. Fatemur verò nos, Autumnum præcipitantem dici quidem vulgò ſolere *poſterius Ver*. At priori, quod Hyemem conſequitur, anni ſenectutem partémque poſtremam, quódq; aliis frugibus ſerendis, aliis producendis fovendíſque, aptiſſimè conducit, potiùs deberi ac tribui juſtiùs anni principium, quis non videt? 4. Diluvium *Noachanum* ut cum Hyeme inciperet pluviali par fuit, quæ ſuas opes & undas ad augendam attollendámque inundationem contribueret. Etſi enim præter naturam divinitus ea contigerit immenſa vis aquarum, neque Deo rerum naturalium ſit opus ope; tamen conſtat omnipotentiâ ſuâ Deum uti frugaliter, (liceat loqui,) & miraculis parcere, quatenus naturæ vires peragendæ rei propoſitæ ſufficiunt. Adhibuiſſe igitur ad hanc inundationem & hybernas tempeſtates Deum, vero ſimillimum eſt. Cùm autem ſecundo menſe, non ætatis *Noachi* modò, ſed & anni, Diluvium, ac proinde hyems, cœperit, in Autumno initium ut ſtatuamus anni, ac proinde mundi, neceſſe eſt. In hac argutiola momentum prorſus nullum eſt, ſed magna & paulò craſſior incogitantia hominum minimè advertentium, eodem tempore, variis in locis terrarum, & hyemem & æſtatem fuiſſe. Sæviente in plagis Borealibus hyeme, in Auſtralibus torret Æſtas: Contrà, ubi nos in Septentrione reficimur calore Solis, hyemis frigoribus in Auſtro aduruntur omnia. Cedò igitur, quicquámne refert ad univerſale Diluvium, utrùm in *Europâ*, *Babyloniâve* aut *Judæa*, (quod illi volunt,) debacchetur hyems, an in *Africa* extrema? Imò verò majorem aquarum pluvialium vim in Auſtro per hyemale tempus abundare, *Nili* aliorúmque fluviorum inundationes arguunt. Et niſi menſis ille ſecundus, quo cœpit Diluvium, paritérque deſiit, verni potiùs temporis fuiſſet quàm Autumni, poſt Diluvium ſæviente novâ hyeme victus defuiſſet animalibus. 5. Credibile eſt, eodem tempore gentes orientales antiquitus exorſas annum fuiſſe quo mundus ipſe exortus eſt. At in Oriente apud pleraſque gentes in Autumno cœpiſſe annum, S. *Hieronymus* autor eſt, (in *Ezech*.cap.1.) Idem erat *Ægyptiis* anni *Iſraëlitiſ*que initium; ergò & mundi. Nos autem Veteres illos in Oriente dicimus non principia mundi ſpectâſſe, ſed uſum popularem agricolarum & pecuariorum, mutuóſque in agris locandis & conducendis contractus, ut nova ſementis in futuram ſequentis anni ſpem opportunè fieret; quæ omnia non tam Veri quàm Autumno conveniunt. Credibilia tamen eſſe hæc, neque nos negamus; pernegamus neceſſaria. Nam & Veri videntur non minùs convenire poſſe, unde multas gentes exordium ſui cepiſſe temporis perſpicuum eſt.

§ 41. Cœlo ſideribus ornato, perfecta eſt mundi ſuprema longéque maxima pars. Quinti Diei prodierunt opus Piſces Volucréſque. Aër volucribus, aquæ piſcibus repletæ ſunt, genere animalium ut fœcundiſſimo, ità mole maximo. (*Ælian.* Hiſt. animal. 15.21. *Plin.* Nat. hiſt.9. 3,4, 6, 12. & lib. 16.40.) Nullum enim eſt terreſtre animal cum aquatilibus vel minoribus multitudine fœtûs, vel grandioribus magnitudine, conferendum. (*Job*.41.33.) Quantum enim Ceto ſeu Balænæ (quam *Leviathanem* Sacri Libri nuncupant) cedit Elephas, bellua ex terrenis maxima; tantum Haleci fœcunditate Cuniculus & Sus. *In ſpatioſo mari* (Pſaltes ait Sacer, *Pſal.*104.25.) *reptilia ſunt innumera*. Fluidum ſcilicet elementum aquæ, generationi aptiſſimum, non ità facilè quantitatis cujuſquam terminis ut materia coarctatur terrea. *Sunt complura in iis* (de piſcibus ait *Plinius* 9.2.) *majora etiam terreſtribus. Cauſa evidens, humoris luxuria.* Pleraque etiam monſtrifica reperiuntur, perplexis, & in ſemet aliter atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu, convolutis ſeminibus atque principiis; ut vera fiat vulgi opinio, quicquid naſcatur in parte Naturæ ulla, & in mari eſſe, prætérque multa quæ nuſquam alibi: non ſolùm animalium, equorum, elephantorum, arietum, hominum, &c. ſed rerum quoque ſimulacra eſſe, uvæ, gladii, ſerræ, cucumis, & colore & odore ſimilis. Animalia tamen hæc, utut mo-

Quinto die Piſces Volucréſque prodeunt.

le immenſa, & propè infinita numero, nec ſibi, nec ſuæ materiæ ſequacis aptitudini ſuam debent originem primam, ſed uni omnium fictori Deo.

Animalia Piſces aquatica, § 42. Piſcis animal eſt aquaticum, ſive temperamentum ex quo, ſive locum ſpectes in quo ſit. *Animal*, corpus vivum animâ prædìtum ſenſitivâ. Corpori huic animato, & perfecto, maximè opus eſt variarum partium ut inſtrumentorum apparatu, quibus anima ſenſu inſtructa varias edat operationes ſuas. Aliis indiget *ſimilaribus*, quales habentur Spiritus animales, Oſſa, Cartilagines, Ligamenta, Membranæ, Arteriæ, Venæ, Fibræ, Nervi, Adeps, Caro, & Cutis. Aliis verò *diſſimilaribus*, quarum Cor & Cerebrum principes; Hepar deinde, Pulmo, Ventriculus, Inteſtina, Lien, Veſica fellea, Renes, Veſica urinalis, & organa Generativa. Hæc interiùs latent. Truncus autem, pluréſque Artus, ut Caput, Collum, Humeri ſive Armi, Brachia & Manus, ceu Pinnæ Alæve, Tergum, Venter, Nates, Crura, Tibiæ ac Pedes conſpiciendi proſtant forís. Hepar ſpiritus continet *vitales*, qui per Venas deferuntur in corpus; Cor *naturales*, quos Arteriæ devehunt; Cerebrum *animales*, qui per Nervos deſcendunt.

ſenſu prædita; § 43. Ab hac Anima, præter Nutriendi Creſcendíque vim cum ſtirpibus communem, & ſuo modo Generandi, habent Animalia Sentiendi quoque facultatem, Appetendi, & Loco-movendi ſe; quæque minùs habentur nobiles, Dormiendi, Reſpirandi, Micandíque. Hæ autem Plantis deſunt. *Sentiendi* facultas dicitur *Senſus*, *Senſio* actus; quæ notitia quædam eſt rerum ſenſilium, per ſpecies earum ſive imagines impreſſas receptáſque in ſenſorio & dijudicatas, cùm nutritionis atque ſalutis, tum in homine contemplationis, gratiâ. Ut rectè ſentiamus, 1. Oportet aliquid objici nobis quod ſenſiles emittat ſpecies. Id *Objectum* dicitur. *Species* verò, ſpiritalis imago animæ repræſentans ipſam rem. Objecta quinque ſenſuum ſunt plurium communia; Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo: quinque propria ſingulorum; Color, Sonus, Odor, Sapor, & qualitates Tactiles. 2. Oportet *Senſorium*, ſive inſtrumentum quo ſentimus, bene diſpoſitum eſſe, in quo recipiantur ſpecies emiſſæ; ut Aures, Oculi, Nares, Palatum, Cutis atque Caro. Primum Senſorium & principale membrum eſt Cor. Ab eo Nervorum eſt prima, ſed occultior, origo; à Cerebro manifeſta. 3. Oportet medium aliquid interponi, & juſtam diſtantiam atque ſitum, inter objectum & ſenſorium, morámque temporis, quo ſpecies ab altero in alterum rectà deferatur. Itaque non ſentimus res vel propinquas vel remotas nimis, vel devias, vel ſubitò avolantes. 4. Neque objectum nimis vehementer afficere debet perſtringeréve ſenſorium. Sic enim aliquando ſenſus amittitur; viſus quidem ſplendore magno, atque ſono auditus. 5. Neque ſenſorium debet ab eo præoccupari objecto quod recepturum eſt. Itaque non vident bene quibus oculi ſunt flavo colore ſuffuſi; nec audiunt qui aurium tinnitu laborant; nec cibum guſtant quibus lingua eſt imbuta bile. 6. Oportet animum adeſſe operi attentum in ſentiendo, non aptum modò: aliàs apertis oculis non videbimus, auribúſve audiemus. Quatenus recipitur ſpecies & ſenſorium afficitur, *Paſſio* quædam ſenſio videtur. Quatenus verò apprehenditur & ab anima dijudicatur, *Actio*. Senſus Exteriores, Interioréſve ſunt. Illi quinque, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, atque Tactus: hi tres, Communis (quem vocant) Senſus, Phantaſia, (ſive Imaginatio,) & Memoria.

1. Percipiuntur *Viſu* lucida & colorata corpora, ſpeciebus in medio perſpicuo ad oculos delatis, & in pupilla ſive humore cryſtallino, quaſi ſpeculo, receptis & dijudicatis: ut animalia ex intervallo ſalutaria quærant, noxia fugiant; Homo inprimis ad rerum magnarum quas videt contemplationem, Summíque Boni quod non videt cognitionem & cultum, deducatur. Viſui color & lux objiciuntur. De *Luce* dictum eſt alibi. *Color* eſt mixti corporis qualitas ex lucidorum commiſtione cum obſcuris orta. Obſcura ſolummodo & opaca eſt tellus. Tranſlucida ſive perſpicua ſunt reliqua elementa cum cœlo. Colorum Albedo & Nigredo extremi; Rubedo, Croceus, Purpureus, Flavedo & Viriditas, medii. *Albedo* eſt perſpicui prædominantis, opaci corporis *Nigredo*. Ex utraque compoſita æqualiter fit *Rubedo*. In *Croceo* ruboris plus quàm albedinis; in *Flavo* contrà. In *Purpureo* nigredinem rubedo, nigredo in *Viridi* ruborem ſuperat. Ex his compoſitis oriuntur & alii. *Platonici* viſionem fieri, non ſpeciebus recipiendis, verùm emittendis radiis & ſpiritibus ad objectum, docent. Id ſi eſſet, nec in aqua cernere quicquam nec in ſuccino liceret; nec videre aſtra, quò radii & ſpiritus illi non penetrant; nec in ventis & procellis,

cellis, quibus diſſipantur; nec daretur cauſa cur per vitrum viride omnia viridia, per rubrum rubra videantur; nec ſplendor nimius viſum offenderet; nec in ſpeculo denique rei cujuſquam oppoſitæ imaginem cerneremus. 2. *Auditu* percipiuntur Soni, per aërem vel aquam ad aurium delati ſenſorium, & indè ad cenſuram Senſûs communis. Soni qualitas auditum afficit ex colliſione corporum ſolidorum, aut mutuò ſibi reſiſtentium. Sonus reflexus & reciprocus *Echo* dicitur. Ex animalis ore editus, *Vox*; bruti quidem *inarticulata*, quæ in ſyllabas & verba diſtingui non poſſit; ut mugitus boum, rugitus aſinorum, equorum hinnitus, &c. Ex ore hominis *articulata* prodit vox, certis diſtinctâ ſyllabis, quæ res animorúmque ſenſa plerumque ſignificat. Audiendi modus hic eſt. Per aërem aquámve ad aures defertur ſonus. Is ad *tympanum*, (quod vocant,) hoc eſt, pelliculam tenuem & oſſicula in concavitate aurium, alliditur. Species illic ſoni formata in ſpiritum auditorium recipitur. Spiritus continuò, per auditorios nervos properans, Senſui communi proponit dijudicandum. Cauſæ præcipuæ hunc inſtituendi ſenſum fuerunt, primò, ut beſtiæ ſibi mutuos affectus ſignificarent, hominúmque obſequerentur imperiis: Homines verò ut oblectarent ſe Muſicæ harmoniâ; ut mutuam ſocietatem tuerentur Politicam & Eccleſiaſticam; ut Divinas humanáſque diſciplinas diſcerent ac docerent. Nam & *auditum diſciplinæ ſenſum* dicit *Ariſtoteles*; (Metaphyſ. 1.) & *ex auditu naſci fidem*, S. *Paulus*. (*Rom.* 10. 17.) 3. *Olfactu* cognoſcuntur Odores. Qualitates illi ſunt ex temperatione ſicci cum humido blandiore natæ, tenuiores partes reſolvente calore. Ubi temperatio illa humano cerebro amica & grata eſt, *Fragrantia* dicitur; ubi adverſa & ingrata, *Fœtor*. Hi extremi ſunt; Odores medii, *Amarus*, *Acris*. Omnes vel acuti, qui ex longinquo & validè ſenſum feriunt; vel ignavi, qui tardè languidéque movent etiam in propinquo. Odores grati halitu blandiore ſpiritus animales, cerebrum atque cor, memoriam & ingenium juvant, reficiunt, fovent. Beſtiæ nonnullæ, canes volucréſque faciliùs percipiunt odores & celeriùs: Homines verò meliùs diſtinguunt. Ut fiat Odoratio, 1. Per nares ex aëre vel aqua receptus odor realis per *os cribroſum* (quod vocant) & membranam ei adhærentem percolatur. 2. Indè ad cerebri ſinus, canales ſive receſſus mammillares accedit, & ſpiritus remotiores. 3. Mox à ſpiritibus vicinis communi ſenſui & phantaſiæ oblata ſpecies dijudicatur. Eò verò hic ſpectat ſenſus, ut alimenta diſcernant animalia, gratáſque aut inimicas ſibi res: Homines porrò ut ſpiritus eo reficiant, variáſque rerum vires inveſtigent. 4. Ut olfactu odor, ità *Guſtu* Sapor dignoſcitur. E ſicco terreſtri cum humido per calorem variè temperato varii ſapores oriuntur. Extremi ſunt *Dulcedo* & *Amaritudo*. Medii ſive mixti: ex abundante calore in materia aduſta, ſicca & tenui, *Acrimonia* vocatur; in materia craſſa humidâque, *Salſedo*. Acria, ut Piper, Zinziber, &c. valde penetrant, calefaciunt, exſiccant, incîdunt diſſipántque craſſam atque frigidam materiam. Salſa quoque penetrant, abſtergunt, abluunt, exſiccant, condiúntque res nè putreſcant. Ex calore debili in matera tenuiore *Aciditas* oritur, in craſſiore *Auſteritas*; &, ſi debiliſſimus calor ſit, *Acerbitas*. Appetitum irritant acida, corrugando ventriculi os. Siccum terreſtre temperatum & mediocre, humidúmque aëreum, Dulcedinem pariunt: Siccum terreſtre copioſum & aduſtum, humidíque menſura minor, Amaritudinem. Eſt in vino, eſt in frumento, tritico, ſiligine, hordeo, ſua dulcedo. Ambæ ad nutritionem conducunt. Habent etiam pinguia dulcedinem; ſed maximam ſaccharum & mel. Habet ſuum quoque modum atque finem Guſtatio. Sapor per ſalivam aliúdve humidum defertur in poros, per poros in linguam. Spiritus in guſtatorio nervo, qui linguæ inſeritur, ſpeciem ſaporis judicibus internis proponit, quorum ſententiâ Guſtatio fit. Summa guſtandi non tam utilitas, quàm neceſſitas, hunc peperit ſenſum; ut animalia nutriendo ſe, exploratione inſuper medicamentorum & uſu Homines vitam ſibi tuerentur. 5. *Tactus*, hoc in ordine poſtremus, maximè belluinus habetur, at idem neceſſarius maximè; utpote ſine quo nec generatur, nec vivitur. Tactilium eſt qualitatum hic ſenſus, quibus commune apud *Latinos* deeſt nomen. Ex iis, quatuor *Primæ* vocantur; Calor & Frigus, Siccitas Humiditáſque. Hæ poſteriores in generatione ac miſtione corporum patiuntur magìs; duæ priores agunt efficaciùs. *Secundæ* natæque ex his qualitates reliquæ in paria quinque diſtribuuntur: Aſperum & Læve, Durum & Molle, Aridum atque Lubricum, Lentum & Friabile; quibus Leve Gravéque à nonnullis addi ſolent. Senſorium Tactûs nulli eſt affixum loco, ſed per omne corpus diſperſum. Qualitas ergò tactilis, ſi

primi ſit generis, per ſe, ſin verò ſecundi, per ſpeciem, in cutem carnémque imprimitur, quaſi primum Senſorium: per cutem carnémque, (ſiqua adſit caro) quaſi mediam interpoſitámque rem, ut in aliis ſenſibus, defertur ad nervos ubique diffuſos. Indè ſpeciem receptam à ſe ad Communem ſenſum in cerebro ſpiritus traducunt.Ità quidem Tactus fit: Ideóque fit, quæ noxia commodáque ſibi futura ſint, animalia ut explorent omnia; homines verò inprimis ut indè ſibi quærant ſcientiam rerum, & artes exerceant.

Præter hos qui *Exteriores* vocantur, *Internos* numeravi ſenſus tres, Communem ſenſum, Phantaſiam, & Memoriam. Alia enim eſt vis dijudicandi ſpecies ſenſiles, alia componendi & quodammodo ratiocinandi, denique alia dijudicatas & compoſitas conſervandi. *Communis* ille *ſenſus* oblatas ab exterioribus ſpecies dijudicat, &, ubi eſt opus, diſtinguit. In eo, tanquam in centro, Senſus omnes externi conveniunt. In priore Cerebri parte collocatum putant Philoſophi *Arabes* Medicíque; in Corde *Ariſtoteles*. Deinde *Phantaſia*, *Latinis Imaginatio*, locum habet in medio Cerebri ventriculo. Eſt autem vis animæ quæ ſpecies à Communi ſenſu receptas, vel à ſe ad earum ſimilitudinem formatas, comparat, componit, æſtimat, & ſingulari quadam ratiocinatione concludit quid ſibi amplectendum, quid fugiendum ſit. Videt ovis lupum. Primò, lupum eſſe novit, non canem. Hoc ſenſûs Communis judicio fit. Tum verò inimicum ſibi eſſe cogitat, devoraturum ſe, ac proinde fugiendum ſibi. Hæc eſt Imaginationis quædam argumentatio. Ità canis, ubi dominum ſuum videt, huic adulandum, ubi adverſarium, hunc invadendum, ſibi imaginatur. Interiorum ſenſuum poſtremus, *Memoria*, eſt retinendi ſeu conſervandi ſpecies, reddendíque à ſenſu Communi & Phantaſia traditas, in Cerebello, ſive poſtrema Cerebri parte, vis. Et ineſſe hanc brutis animantibus conſtat, quia certa loca repetunt, certos homines noverunt, etiam abſentes diu, certas aliquando ſomniant res.

Alia eſt vis Animæ ſenſitivæ, quæ *Appetitus* dicitur. Eo animantes, conſervandi ſui causâ, vel inclinantur in bonum aliquod, monſtrante ſenſu, vel averſantur malum. Ubi gratum quid ſentitur, *Voluptas* oritur, ad quam naturæ quodam impetu feruntur; ubi verò ingratum, *Dolor* ſequitur, à quo refugiunt. Nihil igitur appetunt niſi quod bonum aut ſit, aut videatur. Huic tribuuntur generi Cupiditates & Affectus. *Cupiditates* primariæ tres, Fames, Sitis, & Libido. *Fames* contracto & corrugato inanis ventriculi orificio cibum concupiſcit, ſive alimentum calidum & ſiccius. *Sitis* alimentum humidum & frigidius appetit, areſcente ventriculi orificio. Utrumque ad inſtaurandum radicale humidum, conſervandámque vitam. *Libido* eſt Venerea cupiditas egerendi ſeminis excrementum, ad genus conſervandum inſtituta. Ubi ad certam aſtringitur perſonam, *Amor* nuncupatur. Huc & aliæ ſpectant Cupiditates, ejiciendi excrementa viliora, fimum, urinam, ſudorem, lacrymas, per alvum, veſicam, poros, oculóſque. Prout bona vel mala objiciuntur à ſenſibus, ità variè afficitur cor. Indè *Affectus* oriuntur, qui à *Tullio Motus* & *Perturbationes animi* vocantur. Ubi quid bonum in præſenti percipimus, dilatatur cor, ſuavitérque id ſpiritus amplectuntur; quod *Lætitia* dicitur. Ubi futurum objicitur bonum, *Spem* facit; quæ cordis quidam ſuavior eſt motus dilatantis præparantíſque ſe ad fruendum. Præſentis mali eſt *Triſtitia* ſive *Ægritudo*, quâ cor ſe contrahit & conſtringit, ſpiritibus ad principia ſua retractis ut reſiſtant. Mali futuri paſſio eſt *Metus*, quo conſtringit præparátque ſe cor ut fugiat. Hi *ſimplices*. Aliqui ſunt etiam Affectus *mixti*; ex quibus Ira & Odium. *Ira* ex triſtitia componitur & ulciſcendi cupiditate. Illâ cor aſtringitur, quò depellat à ſe præſens malum; hâc dilatatur, quò malum retorqueat in autorem. Ira continuata fit *Odium*.

Tertia eſt Animæ facultas *Loco-motiva*, ſeu *Progreſſus*, quo ex loco animal in locum tranſit traducítque ſe novum. Hæc Appetitum neceſſariò conſequitur. Fruſtrà enim appeterent animalia, ſi radicibus hærerent more plantarum, nec mutare locum poſſent, ad ea capeſſenda quæ deſiderant, & fugienda quæ averſantur. Itaque nervi ſpiritibus pleni, nec non muſculi, & oſſium juncturæ ſive articuli, dati ſunt à natura animantibus terrenis, pinnæ piſcibus, atque volucribus alæ, quibus ferantur quò volunt. Cúmque oporteat aliquid ſubſterni quietum quo animal totum forinſecùs innitatur moturum ſe; aqua piſcibus, volatilibus aer, terra ſe reliquis ſuſtentaculum præbet. Terreſtria gradiuntur; volant aves; natant piſces; ſerpentes atque vermes repunt; locuſtæ, pulices, atque alia nonnulla, ſaltant,

Nè

Nè motûs & operationis aſſiduitate perpetuâ laſſarentur animæ corporíſque vires, Naturâ comparatum eſt, ut Communis & externi Senſus, facultáſque Loco-motiva, certis vicibus, tum quieſcerent, tum ſuo libere perfungerentur munere. Quies illa *Somnus* appellatur; animæ libertas illa in operando, *Vigilia.* Somnus ligatio ſenſuum eſt per vapores, quibus perfunditur cerebrum, & radices obſtruuntur nervorum,ut ſpiritus liberam permeandi viam non habeant; ad recreandas confirmandáſque vires inſtituta, uſúmque rationis in homine magìs expeditum. Ubi vapores interni caloris vi reſolvuntur & diſſipantur, ità ut ſpiritus animales, liberi & agiles, nervorum permeare canales poſſint, tum è ſomno expergiſcimur & evigilamus. Quæ à Phantaſia imagines ac viſiones formantur inter dormiendum, peractâ potiſſimùm concoctione primâ, *Inſomnia* vocantur. Quæ aut fortuita ſunt, ſine omni ſignificatione; eáque vel ex temperamento corporis humoribúſque, vel ex alimentis, affectibus, aut caſu aliquo, nata: aut certum aliquid ſignificant, ex influxu quodam aſtrorum in certa ingenia. Quò ſpectant etiam Divina dæmoniacáque ſomnia, de quibus erit alibi plura dicendi locus.

Duo præterea ſunt (quos memoravi) motus partium in corpore animalis, nè in ſomno quieſcentes, Reſpiratio & Pulſus. *Reſpiratio* eſt motus thoracis & pulmonum, quo aër inſpiratur & exſpiratur, ad refrigerandum calorem cordis, ſpiritúſque reficiendos & inſtaurandos. Per vocalem arteriam externus aër diaphragmatis adjumento attrahitur in pulmones. Spongioſi pulmones, tanquam folles, dilatando ſe recipiunt aërem, & per venoſam arteriam effundunt in cor, ejúſque temperant æſtum. Mox, à corde calefactus, unà cum halitibus fuliginoſis refunditur in pulmones, qui contrahendo ſe foras ejiciunt. Quorum corda uberiore ſpirituum copiâ & fuliginum æſtuant, iis maximè animalibus Reſpiratio data eſt, quibus maximè opus fuit. Quibus pulmo fungoſus & concavus, aut nullo aut minimo ſanguine, minùs frequenti reſpiratione indigent. Indè fit quòd non reſpirent piſces, nec pulmones habeant, cùm naturâ ſint frigidiores quàm ut his aut eo indigeant. Branchias tamen, aut aliud quid, in majoribus putatur eſſe pulmonum inſtar; quia luctando & excandeſcendo incaleſcunt aliquando, ità ut fervente ſanguine cor æſtuans refrigeratione deſideret. *Micatione*, ſeu *Pulſu*, cor ipſum & arteriæ modò ſe dilatant, modò contrahunt, moderandi ſpirituum calores, propagandi ſpiritus atque purgandi gratiâ. Dilatatio cordis *Diaſtole*, contractio *Syſtole*, Medicis vocatur. Quæ ſi conſtent ſibi moderatis & paribus intervallis, integram cordis virtutem indicant; ſin minùs, læſam: vel caloris febrilis intemperie, ſi nimis feſtinent; vel frigido languore, ſi remittant; vel morte propinquâ, ſi interrumpantur aut ceſſent.

Alium eſſe dixi Animalibus *Generandi* modum quàm Plantis fuit. Nam in ſingulis ferè generibus bina oportet coire ad generationem animalis, non naturâ quidem, ſed ſexu, diverſa, Marem & Fœminam. *Mas* perfectior & nobilior, omnibúſque naturæ partibus vegetior & ſolidior. Frigidior *Fœmina*, humidiórque, laxius habet cor & mollius, minùs acres ſtabiléſque ſpiritus, & omnia corporis debiliora membra. Partes etiam corporis naturâ datæ ſunt animalibus & ad procreandum, & ad concipiendum, aptiſſimæ; tum in utroque ſexu commiſcendorum corporum miræ libidines. Neque tamen animantes omnes unico generant modo. Quædam ova inprimis pariunt; ex ovis fœtum excludunt. Alia integros partus edunt ſibi ſimiles.

Tandem igitur ad Piſces ut redeamus: hi, utplurimum, generantur ex ovis; Ceti, Delphines atque Phocæ tantùm vivos pariunt fœtus. Levi quodam contactu maſculi ova fœmellæ concipiunt; quæ tamen, niſi maris lacte aut ſemine irrigata, piſces non fiunt. Habent piſces cor quodammodo inverſum, ſerratos dentes, linguam duram & ſpinoſam, oculos eminentes & ſine palpebris, admodum obſcura odoratûs & auditûs organa. Pulmonibus carent, arteriâque aſperâ, ut reſpirare non valeant: ſed per quoſdam à branchiis meatus humore, cùm opus eſt, refrigeratur illis cor. Senſus illis quàm terreſtribus debiliores, obſcurior figuratio digeſtióque membrorum; & alimentum exiguum præbent. Pauciſſimi ex hoc genere manſuetudinis aut conſuetudinis & diſciplinæ ſunt capaces humanæ, præter Delphinos. Quidam ſunt exſangues, quorum alio quodam humore continetur vita. Ex his, Oſtrea, Cancer, Conchylia, &c. duri ac teſtacei ſunt; Sepia, Loligo, Polypus, atque Lupus marinus, molles. Sanguineorum maximi Balæna, Phocæna, Delphin, Salmo, &c. mediocres, Lucius, Carpio, Barbio, Mullus, &c. minimi denique, Funduli, Giruli, &c.

ut & Aves, ſed volucria.

§ 44. Aves calidiore quàm piſces temperamento ſunt, oviparæ omnes, & bipedales: ſed anſeres, olores anatéſque planis pedibus, aliæque aves nonnullæ aquis deditæ. His enim ut remis utuntur. Pedibus reliquæ multifidis incedunt. Minimùm bibunt, urinam non emittunt; veſicâ & renibus propterea carent. Cibum partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate roſtrorum. Hæ quoque variâ magnitudine diſtinguuntur; quâ præſtant aliis Candores, Aquilæ, Ciconiæ, Grues, Olores, Anſeres, Vultures, Pavones, Aves *Africanæ*, Struthiones, &c. Mediocrem habent Galli gallinacei, Anates, Phaſiani, Perdices, Pſittaci, Noctuæ, Columbæ, &c. Minimam verò Luſciniæ, Alaudæ, Paſſeres, Frigillæ, Carduelеs, Ficedulæ, Hirundines, Tomineii, &c. Piſces Avéſque, ut ejuſdem originis, ità in multis naturâ conveniunt. Pinnæ ſquamæque piſcium alas avium atque plumas referunt. Loca ubi degunt, Aër & Aqua, humida ſunt utriſque, pervia, penetrabilia, diaphana; ubi, ut natant piſces, ità volant aves, regente caudâ quaſi gubernaculo. Neutræ veſicas, mamillas, auréſve prominentes, habent. Sed & alia ſunt quibus differunt: non modò fœcunditate & numero piſcium, magnitudine, ac monſtroſâ variarum formarum ſpecie, quibus cuncta ſuperant animalia; ſed & pedibus cruribúſque piſces aut penitùs carent, aut breviſſimis utuntur, volucres non carent. Avibus contrà pleriſque dentes deſunt, quibus piſces utplurimum fruuntur.

Animantia ſe to edita ſunt terrena:

§ 45. Die Sexto denique Animantibus brutis, Pecudibus, Feris Reptilibúſque natis è terra, terra conceditur habitanda;

———ut Piſcibus æquor,
Ut Volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Iis autem omnibus, quemadmodum Piſcibus Volucribúſque, ut ſua quæque genera propagarent multiplicaréntque, virtus inſita eſt generativa. Id enim vult Benedictio, quâ *creſcere* Deus *& multiplicari* jubet, non aves atque piſces modò, (quanquam his, primò conditis, data ſit vice omnium ſolis,) verùm in his omne animantium genus. Perpetuam hanc eſſe legem voluit, ut continuaretur procreatione ſucceſſio. Serpentes plerique ova, Feræ Pecudéſque omnes completos, humano more, fœtus pariunt; quorum varia genera in aditu Arcæ *Noachanæ* numerata ferè ſunt omnia. Ut hujus autem Generationis ratio conſtet homini cum beſtia communis; Ex parentum ſemine genitali coëuntium formatur in utero materno fœtus, ídque citiùs tardiúſve, pro lege varia variis conſtituta generibus animalium à Deo. Mulieres plerumque infantes, ſex formatos hebdomadis, menſe decimo perfectos edunt; citiùs aliquando, ſeriùs rariſſimé. Semen genitale nutritionis excrementum habetur ex tertia concoctione, ſed alimentario ſucco purius; utpote non ſingularis animalis conſervationi deſtinatum, ſed generis. Oportet ea, quæ fœtus generatura ſunt, perfecta eſſe animalia & matura. Dum enim creſcunt, vix quicquam ſupereſt nutrimenti unde ſemen fiat. Ipſa quoque pari modo generata fuiſſe oportet. Nam quæ ſponte naſcuntur ex putri materia, ſibi ſimilia generare non poſſunt. Præter ea enim quæ dixi animalia, quædam ſunt Imperfecta, quædam 'Αμφίβια. Hæc in terra ſimul & in aqua vivunt; nec ſatis conſtat de quibuſdam, ſextóne die an quinto creata ſint. Alia quadrupedia ſunt, ut Crocodilus, Rana, Lutra, &c. Alia reptilia, ut Natrix, & id genus nonnulla. Quædam volucria denique, ut Mergus, Urinatrix Anas; quibus adjiciendi piſces volatiles, in Oceano *Indico* & *Americano* frequentes. Et *Plinius* olim (ut in Hiſtoria animalium *Ariſtoteles*) de Hirundine piſce meminit. (Hiſt. nat. *9. 26.*) In utrovis hi, avium piſciúmve, numero cenſendi. Nè quid autem deſit ad perfectionem Univerſi, & Imperfecta ſunt animalia, quæ à Philoſophis appellantur *Inſecta*. Tribus ferè partibus conſtant, capite, ventre, & quo illa cohærent ſpatio. Nec tantùm è ſuis ſeminibus, ſed ex putredine generantur etiam; fimi terræque Vermes, aquarum Culices, olerum Erucæ, taurorum Apes, equorum Veſpæ, aſinorum Scarabæi, &c. Sanguine pleraque & pulmonibus carent. Ex materia craſſiore terreâque Inſecta prodeunt craſſiora, præcipuè Teſtacea, & alia quæ repunt, ut Vermes, Bruchus, Eruca, Fullo, Nitedula, Tinea & Scorpius; quæque ſaltant, ut Locuſtæ, Pulices; quæ gradiuntur denique, ut Aranea, Pediculus, Formicæ, atque Cicadæ. Ex materia tenui ſubtiliora levioráque naſcuntur animalcula pennata, quæ alis volitant, vel binis, ut Muſcæ, Culices, Papiliones; vel quaternis, ut Apes, Veſpæ, Cicadæ, Scarabæi, Cantharides.

§ 46.

§ 46. *Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,* unúſque
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet, dominus omnium

quod ſuſpicere cœlum, contemplaríque omnia, quod prædicare venerarique poſſet poſtremus conditorem Deum. Poſtremò tandem *Natus Homo eſt*— conſtructæ jam ornatæque domûs incola nobiliſſimus, operíſque ingentis breve compendium. Alia oportebat præparata eſſe omnia, ut, nulla alia de re ſolicitus, toto eſſet animo in Dominum ſuum intentus Deum. Eum igitur ſibi Deus fingendum propoſuit ad perfectiſſimum exemplar, imaginem ſcilicet ac ſimilitudinem ſui: ídque non ut cætera, voce tantùm imperatoriâ, *Fiat*; ſed inito quaſi conſilio, & conſenſu communi Sacroſanctæ Trinitatis. Sic enim, narrante *Moſe*, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem ſimilitudinémque noſtram.* Qui locus admodum eſt perſpicuus & illuſtris, unde probetur, plures unius Dei eſſe Perſonas. Nec enim conſilium auxiliúmve Angelorum par eſt adhibuiſſe Deum in opere maximo. (*Gen.*1.27. & 2.7. & 5.1. *Eſa.*44.24.) Multò minùs beſtiarum. Nec in harum illorúmve fictus effigiem eſt Homo, ſed unius Dei. Ut enim primùm in hanc ivêre ſententiam Perſonæ Tres, (*Gen.* 1.26.) *Faciamus ad imaginem noſtram*; ità mox ab uno Deo geſtum narratur, *Et fecit ad imaginem ſuam.* (*Gen.*1.27. & 5.1.) Magnificæ verò aulicorum formulæ, de uno principe viro quaſi pluribus loquendi honorificè, recentiores eæ ſunt quàm ut illi, aut linguæ conveniant, (*Aben-Ezrâ* teſte in *Gen.*29.26.) aut ſeculo cùm ſcripta ſunt hæc. Alii verò tres loci occurrunt in Sacris Literis, ubi de ſe quaſi multis unico Deus ipſe loquitur, pari quo hîc modo. (*Gen.* 3. 22. & 11.7. *Eſa.*6.8.) Humano quidem exponuntur hæc more, quo nos hujus operis præſtantiam intelligamus, non difficultatem. Corpus igitur Homini congeſtum ex pulvere, ut, humillimæ originis memor, demiſſiùs de ſe in poſterum ſentiret. (*Eccles* 12.7. *Job.*4.19.) Quare ut *Latinis Homo* dictus, quia fictus ex *humo*; ità primus homo, quoniam è terra natus, *Adam*, ſive *terrenus*, etiam nominatus eſt *Hebraicè.* Homo Corpus hoc ſaluberrimè temperatum, & undiquaque pulcherrimum commodiſſimúmque, afflatu Divino ſpiritûs animavit. (*Job.*27.3. *Eccles* 12.7. *Luc.*23.46. *Act.*7.59.) Spiritus vivens, immortalis, intelligens, liberæ voluntatis, rerum humanarum Divinarúmque non capax modò, verùm ſcientiâ certâ jam claráque præditus, (*Col.*3.10.) juſtitiâ quoque ornatus integrâ, & innocuâ morum ſanctitate. (*Eph.* 4. 23, 24. *Eccles* 7.20.) Nec enim infans aut puer in mundi ſcenam prodiit *Adamus*; ſed, ut alia cuncta, ætatis maturæ, annorúmque quaſi circiter 60 vir. Neque legimus quenquam eâ ætate minorem liberos generâſſe in primo ſeculo. Reliquorum igitur animantium dignitate dominióque princeps, (*Pſal.*8.5, &c.) quantum capere terra potuit, erat beatus; ut in eo facilè agnoſceres imaginem quàm ſimillimam Viventis atque Æterni, Beatiſſimi, Sapientiſſimi, Sanctiſſimi, Liberrimi, rerúmque omnium Præpotentis Dei.

Certa ſint hæc & perſpicua neceſſe eſt, quæ profanus Poëta vidit tradidítque de origine ſui generis. Homo enim & illi recens erat tellus, quam *Prometheus*, hoc eſt, *Providentia Divina*,

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum, (*Ovid.* Met. 1.)

operúmque omnium finxit ultimum. Ità *Euryſus Pythagoreus*, (lib. de Fortuna) *Hominem*, ait, *ab optimo artifice conditum, qui exemplari ſemetipſo uſus eſt.* Parvus ille quidem, tot rerum tantarúmque dominus; at qui virtutes in exigua mole unus omnium comprehenderet: ut eſſet Μικρόκοσμος verè nominandus, corpore quidem elementarius, vitâ ſpiritibúſque cœleſtis, animo divinus. Miratur eximium hoc opus, etiam depravatum jam, *M. Tullius*, (de Leg. 1. ubi) *Animal*, ait, *hoc providum, ſagax, multiplex, memor, plenum rationis & conſilii, præclarâ quadam conditione à ſupremo Deo eſt generatum.* In ipſo artificio corporis attonitus princeps Medicorum hæſit *Galenus.* (Lib.3. de Uſu partium.) Quantò magis ambo animi ejus integri, nec dum vitiati, præſtantiſſimas dotes admiraturi? Sed primò *Corpus* intueamur. Nonne in ipſa ejus fronte erectóque ſtatu corporis elucet quædam dignitas imperatoria? Id etiam animadvertit Poëta,

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cùm

Cùm cæteras animantes abjeciſſet ad paſtum, (ait *Tullius* de Nat. deor. 2.) *ſolum hominem erexit, ad cœlique, quaſi cognationis & domicilii priſtini, conſpectum excitavit.* Indè à *Græcis* homini aptum eſt nomen, παρὰ τὸ ἄνω ἀθρεῖν τὴν ὦπα, *à ſurſum erigendo vultum*, Ἄνθρωπος. Quo certè par & æquum eſt commonefieri nos, non ſolùm ut ſidera aliáque Dei opera contemplemur, & prædicemus Opificem; ſed ut animos unà cum vultu ſurſum attollamus, quódque Apoſtolus jubet, (*Col.* 3. 1, 2.) *ut ſuperna ſapiamus, quæramúſque cœleſtia*; nè Philoſophi nobis dictum pudori ſit, qui, cùm excidium patriæ negligere videretur, ac rogaret aliquis, nulláne illi eſſet patriæ cura, *Imò vel maxima*, inquit, digito in cœlum ſublato.

Felices animæ quibus hæc cognoſcere primùm,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit!

Præterea, in humano vultu cùm infinita ferè formarum varietas, tum indicia ſunt animorum longè plura & certiora quàm in aliis animalibus quibuſcunque. Præſtantiores etiam partes habet Corpus humanum: Caput amplum atque rotundum, cerebróque plenum; Manus ad ſcribendum aptas, ad arma tractanda quibus arceat vim, ad exercendas artes, opificiáque varia excudenda; ſubtiliori etiam texturâ & temperamento Cor; benigniorem Sanguinem & pleniorem ſpiritibus; denique Spiritus & copiâ & puritate præcellentes. Itaque multas corporis humani partes dignatur ſibi Deus aſcribere, Caput, Cor, Aures, Manus, Pedes, &c. Totum verò Spiritus Sanctus pro templo habere, totum Dei Filius aſſumere. Jam verò *Animam* participem rationis habet, ——*Divinæ particulam auræ*; quæ, cœlitus demiſſa, infundendo creatur, & creando infunditur ab ipſo Deo. Si enim ex traduce, ut aliqui diſputant,

Corpore cùm reliquo Mens oritur, moritur.

Quàm præclaris verò ac planè divinis hæc anima dotibus ornata prodit, Intellectu, Voluntate, Memoriâ & Reminiſcentiâ; quáſque alias, aut magìs obſcuras atque remotas, aut minùs nobiles & illuſtres, comprehendit! 1. *Intellectus* cognoſcendi vera vis eſt, quo ſimiliores Deo fiant homines, ad eundem colendum aptiores, & ad converſandum mutuò in publica re, dominandúmque in cæteras animantes. Promptior hæc vis in quibuſdam & acutior *Ingenium* dicitur, habétque non vulgarem docilitatem. *Molles carne & melancholicos, ingenioſos* ait eſſe *Ariſtoteles.* Non affert Anima ſecum notiones rerum ab origine prima inſitas, nè Principiorum quidem; etſi ea notiſſima videantur, nec probatione indigeant ut cognoſcamus aſſentiamúrve. Tanquam abraſa tabula primùm accedit in corpus. Mox imagines ſive ſpecies intelligibiles rerum, in ſpiritibus intellectualibus per phantaſmata impreſſas, apprehendente judicantéque animâ, diſcimus, atque ſcientiam excudimus de novo. In Principiis, quas κοινὰς ἐννοίας vocant *Græci*, ubi partes ſimplices adminiculo ſenſuum didicimus, compoſito aſſentiri ſtatim recta monet Ratio. Ubi totum quid ſit, quid pars intelligimus, pomum totum vel pueri ſuâ eſſe majus parte concedent ultro. Ubi quid ſint & qui ſint parentes novimus, præcipiente naturâ, ſponte fatebimur eſſe colendos. Neq; directè ſolummodo ſingularéſque res noverunt homines, ut reliqua ſenſu animalia; verùm & univerſales & reflexivè ſciunt. Nam & hoc ipſum noverunt, ſcire ſe; quod ſenſus nulli docent. 2. *Memoria* imagines conſervandi eſt vis ab intellectu acceptas; quò cerebelli benignior humiditas & ſpiritus conducunt. *Reminiſcentia* verò imagines amiſſas recolligendi, & reparandi obliteratas, facultatem habet. 3. *Voluntate* appetimus eligimúſque Bona, & averſamur mala, apprehenſa priùs dijudicatáque ab Intellectu. Voluntatem attrahit Bonum, ut magnes ferrum; ſed notum priùs, & per intelligibilem ſpeciem delatum à ſpiritibus in cor. Nam ——*Ignoti nulla cupido.* Nihil igitur volumus niſi quod Boni ſpecie approbamus, vel honeſti, vel utilis, vel jucundi.

Ὅτι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.

Appetitus ſenſitivus non niſi ad bonum ſingulare cum materia conjunctum fertur, ídque vel delectabile, vel ad nutrimentum utile; & neceſſariò fertur. Voluntas in bono generali ſeparatóque à materia, etiam honeſto, liberéque verſatur, ità ut poſſit non velle: quòd *Arbitrium liberum* à Theologis vocatur. Quod Summum eſt Bonum, id amabiliſſimum, id maximè volumus appetimúſque, Max. ſcilicet Opt. Deum;

um ; quo fruendo, maximè perficitur & ſatiatur voluntas humana. 4. *Remotiores* atque *ignobiliores* quæ homini conveniunt Facultates, primò, Flendi atque Ridendi ſunt. *Riſu* diffunduntur ſpiritus, diſtenditur thorax, & blandè movetur cor, ex re quam percipit ridiculè jucunda. In *Fletu* comprimitur triſtitiâ cor ; unde humor excrementitius, è ſero in concoctione tertia natus, exprimitur per angulos oculorum, & in lacrymas reſolvitur. Infantes ut primùm naſcuntur flent, propter aëris frigidioris moleſtiam, & membrorum compreſſionem in partu. Vix ante trigeſimum vel quadrageſimum ab ortu diem rident. 5. Deinde, inſita eſt homini à natura vis in cœtus & civilem ſocietatem coëundi, adminiſtrandíque remp. 6. Efferendi animorum ſenſa colloquendo, ſcribendo, cantando, vultûs denique, manuum corporíſque geſtu. 7. Communicandi quæ habet, imitandíque in aliis quæ videt bona. 8. Sed præcipuè, colendi Numinis Divini ; naturæque impetus ad Religionem propriè competit ingenio humano. Hoc enim vel maximè homines à beſtiis diſcrepant, & conveniunt inter ſe. *Tullius* vidit (de Invent. l. 2.) *Religionem eſſe naturæ jus, quod nobis non opinio, ſed quædam innata vis, afferat.*

——Separat hæc nos
A grege mulorum ; atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorúmque capaces. (*Juvenal.* Satyr. 15.)

Hæc ità cùm ſint, malè profectò, nec ſine ſummo ingratitudinis probro, aliqui de Artifice queſti ſunt naturæ humanæ, quòd ſine veſtibus, ſine armis, ſine munimentis, nudum produxerit ; quòd multis brutorum animalium, etiam feris, præſtantiores dederit quàm noſtro generi dotes ; ídque proverbiis tradi,

Nos Aper auditu præcellit, Aranea tactu,
Vultur odoratu, Lynx viſu, Simia guſtu ;

quòd robore leones, levitate volucres, tauri nos impetu, velocitate cervi, magnitudine ſuperent elephantes. Quid *Stoicus* ad hæc aliáque *Seneca*? (de Benefic.l.2.29.) *Ex diverſis*, inquit, *& diſſidentibus bonis, quæ in idem coire natura non patitur, hominem non eſſe compoſitum, injuriam vocant, & in negligentem noſtrî Deum querimoniam jaciunt ; quòd non bona valetudo & virtus inexpugnabilis data ſit, quòd non futuri ſcientia. Vix ſibi temperant quin eouſque impudentiæ provehantur, ut naturam oderint, quòd infra Deum ſimus, quòd non in æquo illi ſtetimus. Aliquis ea animalia comparat nobis quorum poteſtas penes nos eſt? Quicquid nobis negatum eſt, dari non potuit. Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit Parens noſter, quantò valentiora animalia ſub jugum inſerimus, quantò velociora conſequamur, quàm nihil ſit mortale non ſub nutu noſtro poſitum.* Quantò igitur ſatius eſt ad contemplationem tot tantorúmque beneficiorum reverti, & agere gratias, quòd nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerit ſecundas ſortiri, quòd terrenis præfecerit? Addatur his, in ſingulis quibuſdam dotibus quædam fortaſſe animalia excellere ; in omnibus verò conjunctis hominem unum præſtare omnibus. Neque verò negari opus eſt, animantium propè omnium ſolos quidem homines nudos & inermes fingi à Natura, parvos eoſdem & imbecilles, ſi cum feris comparentur belluíſve quamplurimis. Non illi cornibus feriunt, non calcibus impetunt, non lacerant roſtris, non unguibus dentibúſve ; non aculeis venenatis pungunt, non ex tergo hirſuto ſpicula jaculantur. Imò nè effugia quidem habent pennarum. Innocentes planè prodeunt in hanc turbam ; ídque præſertim ut ſciant ad pacem genitos, ad concordiam, ad amorem ſe, non ad iras & prælia. Sed aliud etiam eſt cur Natura homini arma nulla induerit, eò quòd ingenium dederit, arte ac induſtriâ facili manuúmque operâ fabricaturum quævis arma. Cur enim fruſtrà corpus agile oneraret certis paucíſque telis, ejúſque deformaret pulchritudinem, cui inerat

——telo animus præſtantior omni,

omniúmque telorum artifex futurus? Quis igitur poteſt de Opifice rerum Deo jure conqueri, quòd arma nulla, quòd modicas vires, quòd parvum corpus accepit, qui viderit etiam boves & equos & elephantes cum ſuis immaniſſimis corporibus ſibi ſervientes? Mittantur impiæ ac degeneres querimoniæ: *Platoném*que potiùs imitemur, qui Naturæ (potiùs Deo) gratias egit, quòd eſſet *Homo*, non beſtia natus, non bellua ; quàm iſtorum dementiam ingratiſſimam, qui ſe pecudes natos eſſe maluerunt, & ingenium in cornua tranſire.

qui in Paradiſo

§ 47. Erat in *Edene* hortus amœniſſimus, die jampridem tertio conſitus à Deo, arboribúſque omnis generis refertus, tum quæ oculos voluptate paſcerent, tum quæ ſuavitate guſtum. Ipſa vox *Eden voluptatem* ſignificat, ut ἡδονὴ apud *Græcos*, loci amœniſſimi aptiſſimum nomen. Hæc autem *Edenis* regio *Meſopotamiæ* videtur magnam complexa partem, & *Babyloniæ*. Ad has enim ſpectat *Euphrates*, notus *Paradiſi* fluvius. Ad has *Charan*, *Retſeph* & *Telaſar*; quæ urbes unà cum *Edenitis* commemorantur *Eſai*. 37. 12. *Charan Charræ*, *Retſeph Rheſcipha*, *Ptolemæo*. *Telaſarem Thilutham* putat eſſe *Junius*, (in *Ammian. Marcell.* l. 24.) Erat enim hæc propugnaculum in *Euphrate* medio, *Aſſyriis* oppoſitum; quod ipſum *Telaſaris* nomen ſignificat. Summa denique ſoli fertilitas poſt Diluvium in *Babylonia* (*Plin.* 18. 17. & 6. 26. *Herodot.* l. 1.) magno eſt indicio felicitatis quâ floruerat priús. *Armenia major*, ubi *Paræus Edenem* ſtatuit, paulò aſperior eſt, nec ſatìs digna hoc nomine, quo voluptatum ac deliciarum commendatur locus. Eadem *Armenia* inter gentes numeratur Septentrionales; (*Jer*. 25. 9, 26.) inter Orientales *Eden*. (*Gen*. 2. 8.) In *Armenia* quidem oritur *Euphrates*, quod *Paræo* impoſuit. *Moſes* autem, non *ortum* ex *Edene* fluvium, ſed *egreſſum*, ait, qui hortum irrigaret ac pinguefaceret, per meatus occultos penetrando, certíſque inundando vicibus. *Indè*, ait *Moſes*, hoc eſt, vel ut primùm eſt *ex Edene* in Paradiſum delapſus, vel ut primùm elapſus ex Paradiſo, (quod probabilius) in *quatuor* unus fluvios abiit, eóſque nobiles; quanquam hâc nobis ætate vix noti ſint duo. *Perath*, qui poſtremus nominatur, *Euphratem* eſſe, nemo non fatetur, utpote rem ex aliis Literarum Sacrarum locis perſpicuam. Tertium ex fluviis, *Hiddecelem*, *Tigrin* eſſe, credunt plerique omnes. Eum *Plinius Diglito*, (Nat. hiſt. 6. 27.) *Joſephus* (Antiqu. *Jud*. 1. 2.) *Diglath*, appellatum ſuo ferunt tempore; hodie *Tegil* vocatur; omnia ex corrupto *Hiddecelis* nomine. At hoc in loco ſuperiorem *Junius* alveum *Euphratis Hiddeceli* tribuit; qui quidem in *Tigrin* fertur, ac ejus propterea nomen mutuatur. Nec enim alluere *Aſſyriam Hiddecel* dicitur, quod ab ipſo *Tigre* fit, ſed *eam verſus ad Orientem deferri*. (*Gen*. 2. 14.) Reliqui duo, quos *Piſhon* & *Gihon Moſes* nuncupat, prorſus ignoti ſunt hoc ſeculo; longè tamen ab *Euphrate* haud requirendi. Regiones quas lambunt, ſola indicia, magìs obſcuram reddunt & ambiguam rem. *Piſhon Havilæ terram circuit*, *auri* feracem optimi, nec non *bdellii* quoque arboris, & *ſardonychum*. Nam Bdellium *Plinius* (12. 9.) arborem eſſe nigram docet, magnitudine oleæ, gummoſam, in *Arabia* naſcentem *Indiâ*que. Etſi arbor nigra, gummi videtur album eſſe: namque *alba* Manna dicitur, (*Exod*. 16. 31.) eadem verò *Bdellii colore*, (*Num*. 11. 7.) Alter fluentorum, *Gihon*, *Cuſhi circundat regionem*. Ità *Moſes*. Jam verò aurum & opes *Havilæ* faciunt ut eam nonnulli partem *Indiæ* putent; *Piſhonem* fluvium *Gangem* eſſe. *Cuſhi* terram, *Æthiopiam* ſub *Ægypto* multi fuiſſe opinantur; *Gihonem* verò *Nilum*, qui ex *Æthiopia* deſcendit in *Ægyptum*. Sed *Ganges* atque *Nilus* multò abſunt remotiùs ab *Euphrate* quàm ut admitti debeant in hoc certamen. Neque rivi ſunt ex eodem flumine, quemadmodum *Gihon* & *Piſhon*; ſed fontibus, ut longiſſimè disjunctis, ità planè oppoſitis, nati: alter, ex meridionali *Africa*, in Mediterraneum decurrit mare; alter, ex *Scythicis* montibus, in Oceanum *Indicum*. Probabiliora dicunt, qui *Havilam Cuſhi* filium in *Suſianâ* collocant, fratribus propinquum in *Arabia*. Nam & aurum illic & gemmæ reperiuntur. Neque Bdellium defuiſſe par eſt, in eo ſaltem ſeculo, quod utrinque in vicinia; cis *Indum* fluvium & in *Arabia*, generari, apud autores idoneos conſtat. *Piſhonem* ergò fluvium, inferiorem eſſe rivum aiunt *Euphratis*, qui, *Tigrin* aſſecutus, *Paſitigris*, quaſi *Piſhotigris*, nominatus ſit. Hic omnem *Suſianam*, *Havilæ* ditionem, præterlapſus, in *Perſicum* ſe abſcondit ſinum. Sed vereor ut hæc ea ſit *Havila* (*Gen*. 25. 18. & 1 *Sam*. 15. 7.) à qua *Iſmaelitæ* habitabant uſque ad *Surem* ſolitudinem *Ægypto* vicinam, & à qua *Saulus Amalekitas* perſecutus eſt uſque ad eandem *Surem*. Nec enim aut *Saulus* aut *Iſmaelitæ* uſque ad *Suſianam* ſunt exſpatiati, ultra omnem *Chaldæam*. Quare *Havila*, puto, alius, *Joctanis* filius, aliquam *Arabiæ deſertæ* regionem incoluit ac denominavit, cui competunt ea quæ modò de *Iſmaelitis* & *Saulo* dicta ſunt. *Cuſhi* terram præcipuè *Arabiam* fuiſſe, in Libro Secundo, ubi de ſedibus gentium primis agitur, perſpicuè docebitur. Hanc, *Meſopotamiæ* & *Chaldææ* finitimam, aliquod ex *Euphrate* fluentum irrigâſſe quondam, credi par eſt, quod longo circuitu in mare *Perſicum* defluxerit, nulla tamen ſui nobis reliquerit veſtigia. Namque olim ſuum habuiſſe oſtium *Euphratem*, ac proinde alveum quoque, diverſum à *Tigre*, *Plinius* refert, (6. 28.) Sed utcumque de tribus reliquis

quis apud *Moſen* fluviis habeat ſe res, ad *Euphratem* ſitum eſſe *Paradiſum*, vel in parte inferiori *Meſopotamiæ*, vel in *Babyloniæ* inſulis, exploratum ſatis arbitramur. Veterum igitur hac de re commenta refutare, vix pretium eſt operæ futurum. Quorum alii totum in Paradiſo concludunt orbem terrarum; *Adamus* igitur, expulſus horto, excluſus eſt mundo: Alii ferè in orbem Lunæ, aut ſupremam certè aëris regionem, attollunt; longum profectò id & difficile iter Serpenti, ad ineundum cum *Eva* colloquium: Alii nodum, quem neſciunt ſolvere, malunt diſſecare; allegoricè omnia myſticéque interpretantur. Sed lucis affulget ſatis jam ad diſcutiendas veteris ignorantiæ tenebras. In hoc igitur Paradiſo collocatus eſt *Adamus*, ut eum colleret, & à ferarum injuria vindicaret; ſed ejuſdem horti quoque amœniſſimi ut deliciis & voluptatibus frueretur. Nam & illic præſtabat laborare ſine moleſtia, quàm otiantem ignaviâ diffluere, & perpetuæ voluptatis melle nimio nauſeam contrahere. Nec tam horti amœnitas labore hoc feſſos reparabat, quàm ſaturos deliciis recreabat ipſe labor, quaſi gratum ſuaviſſimi cibi, ſed paulò acrius, condimentum. collocatur.

§ 48. Arbores in medio Paradiſi, reliquis longè præſtantiores, eminebant duæ; altera *Vitæ*, altera *Scientiæ boni & mali*, imò & *Mortis* jure appellanda: utraque, opinor, ſui adhuc ſola generis; quanquam plures erant Vitæ arbores futuræ, ſi dignum vitâ ſe præſtitiſſet *Adamus*. Fructum prior ferebat ſaluberrimum, eâ vi ac virtute præditum, ut ejus eſu & uſu frequenti vires, valetudinem, vigorem ſui corporis, calorem & radicale humidum conſervare homines potuiſſent, fovere, ſtabilire, inſtaurare, denique vitam perpetuò incolumem tueri. (*Apoc.* 22. 2. *Gen.* 3. 22.) Eatenus enim creatus homo eſt immortalis, ut potuerit non mori, ſi obtemperaviſſet Deo. Hujus enim arboris beneficio vitæ ſaturos longiſſimæ feliciſſimæque, Deum credibile eſt in cœlos hinc ſublaturum fuiſſe, nepotibus conceſſuros locum; pari quo Apoſtolus optat ſibi *Paulus* modo, (2 *Cor.* 5. 4.) non exin vitâ ſe, verùm immortalitate ſuperindui. Altera *Scientiæ boni & mali* arbor ità eſt dicta, partim quòd ex ea primùm Deus hominem docturus erat boni malíque diſcrimen: quod Deus nimirum vult, id eſſe bonum, bonum in ſe; quod vetat, malum: (*Rom.* 3. 20.) id quod Deus vult exſequi, bonum eſſe nobis; negligere contemneréve, malum; eò quòd merces alterius, vita, bona ſit; mala verò alterius pœna, mors. Rectum eſt index ſui & obliqui; ità boni hæc prima lex atque mali. *Ex lege notitia peccati.* Ut ex malis moribus oriuntur bonæ leges, ità ex bonis legibus cognoſcuntur mali mores. Et hæc fortaſſe jampridem edocti erant in ipſa re, quid malum eſſet, quid bonum: ſed alterum in ſe nondum experti. Bonum experti quidem, non ſatis tamen æſtimabant niſi amiſſum, & cum oppoſito malo comparatum. Præcipuè igitur ab eventu hoc arbor nacta eſt nomen, quoniam *Adamus* infelici experimento indè cogniturus erat, ſi violâſſet præceptum Dei, diſcrimen ejus boni quo ante peccatum fruebatur, & mali quo poſtea implicatus eſt. Quare, ut primùm ingreſſus eſt Paradiſum, denunciavit illi Divinum Numen, humanâ, credo, ſpecie vocéque, Arboris Scientiæ boni & mali fructum nè comederet. De reliquis ei liberum fore ſuo arbitratu decerpere: hâc unâ tantùm abſtineret. Illud horti culturæ datum: hoc à ſe ſui cultûs gratiâ imperatum. Et nè pœna legi præmiúmque deeſſet, poſtremò additum, id ni faceret, moriendum illi eſſe; victuro, ſi faceret, in æternum. Hoc autem eo videtur conſilio factum, ut Homo quàm primùm & ſe cognoſceret, & Dominum ſuum agnoſceret Deum: imperare Dei eſſe, hominis obſequi & parére, ſciret. Suam igitur nudam voluntatem Deus, in re alioqui libera, homini pro ſanctiſſima eſſe lege voluit, ejus obſequium arbitriíque liberi propenſionem exploraturus. Mortem ſolummodo, & eam corporis, *Adamo* comminatur Deus; etſi pœnæ conſecutæ ſint plures in hac vita, æternæ in futura. Mors enim (quod ipſi animadverterunt Philoſophi, *Ariſtot.* Eth. 3. 6.) maximè omnium eſt malorum formidabilis, & quaſi terminus ad quem alia tendunt omnia. Et maluit inprimis Deus eam pœnam proponere, quam erant omnes neceſſariò ſubituri, ſi *Adamus* peccaret; quàm infernum animæque mortem denunciare, quæ reſipiſcentiâ & fide declinari potuit. Denique, ut S. monet *Auguſtinus*, (de Civ. Dei 13. 23.) Expreſſas ferè nullibi reperias in Veteri Teſtamento, vel æternæ mortis & ſuppliciorum apud inferos comminationes, vel æternæ vitæ gaudiorúmque promiſſiones in cœlo. Hæc non niſi à *Chriſto* apertè claréque demonſtranda erant in Evangelio. Quanquam æternæ vitæ, quam erant homines victuri obſequentes Deo, ex antitheſi ſub-

Ejus arbores præcipuæ, altera Vitæ, altera Scientiæ boni & mali; cujus prohibetur uſus.

obſcurè mors æterna reſpondeat, niſi morte ſuâ ſubveniret perituris *Chriſtus.* Sunt qui Arborem Scientiæ boni & mali *ſacramentum* faciant collatæ in hominem imaginis Divinæ; quod ſi parentes noſtri violâſſent, hanc amitterent; unde Boni præſtantiam carendo, mali eſſent gravitatem perferendo ſenſuri. Aliis pro *ſymbolo* eſt, quo Deus hominem èxplorabat, monebat, ipſóque nomine dehortabatur à peccando. Alii *ſignum dominii* eſſe Divini malunt. Hanc enim arborem exceptam à generali hominis dominio in alias res, indicare, Dei eſſe dominium ſuperius, cui ſubſit undéque pendeat humanum. Id hominem debere obſequendo & abſtinendo agnoſcere, aut moriendo luere contumaciam. Quin & arborem Vitæ multi è noſtris Theologi nihil eſſe niſi *ſacramentum* volunt. Sed cujus rei ſacramentum, nè ipſis quidem inter ſe convenit. Alii ſignum atque ſigillum fuiſſe dicunt vitæ præſentis & conſervandæ,ſi non peccaretur; alii melioris & commutandæ; alii æternæ ac donandæ à *Chriſto*; alii cœleſtis æternæ, ex fœdere operum promiſſæ *Adamo*; alii ejus gratiæ per quam victurus erat in æternum *Adamus*, modò paruiſſet Deo. Sed obſcuriora hæc videntur quæ de ſacramentis, quæque de ſenſu rerum allegorico & myſtico traduntur à nonnullis, quàm ut narrationis *Moſaicæ* perſpicuitati ac ſimplicitati ſummæ ullo modo competant. S. *Auguſtinus*, *Vitæ quidem Lignum ait Sacramentum fuiſſe*, (de Civ. Dei 13. 20.) non tamen alimentum negat: *ſed perinde ſe habuiſſe lignum hoc* dicit *in Paradiſo terreſtri*, *ac in ſpirituali ſe habet Sapientia Dei*, de qua *Prov.* 3. 18. *Sapientia vitæ arbor eſt*, &c. Potuiſſe verò arborem hanc revera homines immortales præſtare, id nobis fidem perſpicuam facit,quòd ejectus horto ſit *Adamus*, cuſtodiáque inſtituta, nè fortè comederet hinc, & in æternum viveret. (*Gen.*3.22,23,24.) Legis tamen & Evangelii arbores hæ, ſi cui libet, typi ſint.

Nomina imponuntur animalibus. § 49. In Paradiſo jam regnante *Adamo*, coràm illi ſubditos ſtitit Deus, inſtinctu quodam interiore actos, ac ſponte prodeuntes, feras & pecudes volucréſque omnium generum; ut ſingula pernoſceret, ac, pro rerum natura, nominibus etiam conſignaret ac diſtingueret. Nam

Principis eſt virtus maxima nôſſe ſuos.

Erat id profectò, ut humani certum dominii argumentum in alias res, (*Num.* 32. 38, 41. *Gen.*35.18. & 26.18.) ità ingenii perſpicaciſſimi atque ſcientiæ magnæ magnum indicium. Intima enim perſpicere animantium, quorum nos tantùm pelles intuemur, & in ipſam penetrare naturam, aptúmque naturæ quod reſpondeat nomen accommodare, *Platoni* meritò ſummæ ſapientiæ viſum eſt, (in *Cratylo.*) Unis piſcibus nulla dedit *Adamus*, nulla proinde habent *Hebræi* propria piſcium nomina. Nec enim ante Diluvium adhibitum videtur menſis hoc eduliorum genus.

humani dominii argumentum in alias res; § 50. Dominandi verò jus in reliquas animantes quaſi deſtinatur à Deo, & promittitur homini primam in lucem prodeunti; (*Gen.*1.26.) *Faciamus*, inquit, *hominem*, &c. *& dominetur in piſces maris*, &c. deinde utrique ſimul ſexui conceditur; (*Gen.*1.28.) *Dominamini in piſces maris*, *in cœli volucres*, *& in omnes terræ beſtias.* At *Gen.*2.19,20. uni viro, qui erat maximè uſurus hoc imperio, quaſi in manus traditur, non minùs dominandi poteſtas, quàm imponendi nomina. Hæc enim ex ea naſcitur. Et certè dum ſuos humanæ res tenebant ordines, dum ſenſus menti, affectus rationi obtemperabant,corpúſque animo, ſimul omnia Deo, tam diu ſponte animalia etiam ferociſſima, naturali quodam impetu & propenſione, obſecuta ſunt hominum imperio, & nutus obſervabant, ingenitâ quadam reverentiâ majeſtatis humanæ. Neque amiſſa peccando ſunt hæc regalia; ſed eodem autore Deo confirmata *Noacho* poſt Diluvium, (*Gen.*9.2.) qui primò deſtinârat, dederat, tradiderat *Adamo* poſt initia rerum. Veruntamen poſt hominis defectionem beſtiarum plurimæ imperium humanum, ut ille Divinum, detrectaverunt, extincto ferè inſtinctu naturæ; ut magnum & perdifficile jam ſit opus feras rebelles ſubigere, manſuefacere, & dicto audientes reddere; quod tamen arte ingenióque hominum fieri videmus indies. Nam ferarum quæ truculentiſſimæ ſunt cicurantur diſciplinâ, & ſub poteſtatem uſúmque rediguntur humanum. (*Jac.*3.7.) Eleganter *Ambroſius*, (Hexamer.6. 6.) *Videbatur elephantis nihil habere natura procerius atque robuſtius*, *nihil terribilius leone*, *nihil ſævius tigride. Verùm hæc ſerviunt homini*, *& naturam humanâ inſtitutione deponunt. Obliviſcuntur quod nata ſunt*, *induunt quod jubentur. Quid multa? Docentur ut pueri*, *ſerviunt ut famuli*, *adjuvantur ut infirmi*, *verberantur ut timidi*, *corriguntur*

guntur ut ſubditi, in mores tranſeunt noſtros, quoniam motus proprios perdiderunt. Hæc *Ambroſius.* In eundem ſenſum Poëta *Statius*, (*Thebaid.* 1.)

> ——— *Deſuetæ ſylvis in carcere clauſæ*
> *Manſuevêre feræ, & vultus poſuêre minaces,*
> *Atque Hominem didicêre pati.* ———

Nec aliter *Lucanus*, (libro quarto,)

> *Et Leo, materno cùm raptus ab ubere, mores*
> *Accepit, pectíque jubas, hominémque vereri,*
> *Edidicit, nulláſque ruit niſi juſſus in iras.*

Miraculum jure appellat *Plinius* (10. 74.) *aſpidis obſequium*; *quam autor eſt* (inquit) Philarchus, *cùm ad menſam cujuſdam veniens in* Ægypto *aleretur aſſiduè, enixam catulos, quorum ab uno filium hoſpitis interemptum: Illam reverſam ad conſuetudinem cibi, intellexiſſe culpam, & necem intuliſſe catulo, nec poſtea in tectum id reverſam.* Quid dicam de gratitudine Draconis apud *Ælianum*, (Var. hiſt. 13.46.) & Leonis apud *Plinium* (7.16.) ſubjugatione, & manſuetudine Tigridis in eodem? (lib. 8. 17. & 10.45.) Elephanti juſſa faciunt, Leones jugum ſubeunt, in mari vituli tótque piſcium genera miteſcunt. *Baſilius* quidem (in Hexamer.) nullo modo cicurari piſces ait; humanâ tamen vel umbrâ terreri atque fugari: ut Elephantes docet *Plinius* (8.4.) hominum veſtigia formidare. Sed duæ res hoc dominium ſpectant, quarum gratiâ Deo debeamus plurimum, & maximâ gratitudine obſtringatur humanum genus. Alterum, quòd, etiamſi æquum & par fuit animalia reliqua deſciſcere ab hominum imperio, qui deſciverant ipſi à Divino; ultionem hanc tamen itâ moderatus eſt ac temperavit benigniſſimus Pater, ut ex animantibus eæ maximè repugnarent, quarum obſequio minimè homines indigebant; ex majoribus feræ pleræque, ex minutioribus pulices culicéſque & varia muſcarum genera, quibus adde mures hirundinéſque, quas *Plinius* ſolas indociles ait eſſe. Quæ autem uſibus humanis magìs commoda ſunt, ſive ad utilitatem, ſive ad oblectationem, ut pecora, jumenta, canes feléſque, ſimiæ, pſittaci, aliáque multa, magìs obſequuntur nobis hæc, & jugum libentiùs ferunt. Alterum eſt quo hac nobis in re gratificatus eſt Deus, quòd voluerit eſſe aliquas animantes quæ famularentur ſervorum inſtar, operámque ſuapte naturâ commodis humanis, quanquam ſæpe neſcientes, darent: quarum è numero accipitres atque marini corvi; ſed præcipui canes; tum venando prædas dominorum gratiâ, tum ipſos dominos dominorúmque res vindicando ab injuriis, etiam cum ſuæ nonnunquam vitæ diſpendio. His adjiciantur & feles, quæ muſculos conficiunt, magnum aliàs daturos damnum rebus humanis; & ciconiæ, quæ ſerpentes, *Ægyptiæ*que Ibes, quæ peſtiferos volucréſque angues interficiunt atque conſumunt; Ichneumones quoque, crocodilorum hoſtes.

§ 51. Verùm ex tot animantium paribus quæ coram *Adamo* ſiſtebantur nullam ſibi *Adamus* ipſe reperit parem. Erant paſſim quæ pro ſervis haberet, jumenta, pecoráque alia; quæ pro ſociis nuſquam erant. Unus adhuc ſolúſque vir conſortem deſiderabat, & expetebat fortaſſe à Deo; cujus & conſuetudine frueretur in vita quotidiana uſúque domeſtico, & operâ uteretur in genere humano propagando. Fruſtrà enim tanta domus incolæ uni. Quare Deo viſum eſt, ex hominis latere, ſomno gravi & profundo conſopiti, auferre coſtam, carne (opinor) veſtitam, unde formata eſt *Mulier.* In coſtæ locum ſuffecta eſt caro. Ex oſſe viri ficta eſt cordi proximo, quò eam ardentiùs diligeret, ut ſui corporis partem, & cordi haberet. (*Eph.* 5.28,29.) Ex lateris oſſe, non capitis, non calcis; quò æqualem ſibi, conſiliorum laborúmque ſociam, agnoſceret, non aut ſuperiorem dominam quæ regeret, aut inferiorem quæ ſerviret ancillam. Et ſuberat huic rei myſterium (id unum non ſentiente *Adamo*) ex *Chriſto* morte conſopito renaſcentis Eccleſiæ; (*Eph.* 5.25, 26, 32.) imò aquâ & ſanguine profluentibus ex latere *Chriſti*, (*Joan.* 19. 34.) hoc eſt, Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramentis, regeneratæ. Reliqua in ſomnis illi divinitus indicata ſunt. Ligatis enim ſenſibus, libera mens hæc à Deo quæ fiebant omnia contemplabatur. Adductam igitur & oblatam experrecto ſibi uxorem libentiſſimè accepit; gaudióque perfuſus, "Tandem, inquit, conſortem inveni, & ſociam mihi aptiſſimam, alterám-"que Me. *Eſt* enim *os de oſſibus meis, & de carne mea caro. Virgo dicetur, quia de Viro* "*ſumpta eſt. Itaque parentes viro deſerendi ſunt, ut adhæreat conjugi*; ut ambo, non iiſdem

& Muliere conditâ conjugium inſtituitur:

"iiſdem tectis modò, ſed eodem corpore, adunentur. (*Matt.*19.5,6. 1 *Cor.* 6, 16. & 7. 4.) Sic *Adamus*, primâ quam edidit oratione, oblatum ſibi à Deo conjugis beneficium gratulatus eſt; ubi ad ſummum viri ſolatium, ad humani generis incrementum, ex uno facti duo ſunt, duóque in unum rurſus coïverunt.

quod gratulatur Vir oratione primâ, Hebraicâ;

§ 52. Linguam quâ uſus *Adamus* eſt primam S. *Hieronymus* (in *Sephaniæ* 3. 18.) & doctiſſimi quique Theologorum ſtatuunt *Hebræam* eſſe, utpote quæ in *Semi* & *Heberi* aliorúmque ſanctorum hominum familiis poſt confuſionem *Babylonicam* integra permanſiſſe creditur. Eam quippe locutus eſt Deus ipſe, cùm nomina quibuſdam rebus impoſuit, luci, terræ, cœlis, mari. Ex ea rationes nominum petendæ ſunt quæ ab aliis imponuntur in prima ætate mundi; ut *Heva*, *Cain*, *Sheth*, *Noa*, &c. Itaque deſunt *Hebræis* propria piſcium nomina, quoniam nulla indiderat *Adamus*. Quod *Goropius Becanus* diſputat, *Scythicè Gomericève* locutos fuiſſe parentes primos, nugaciſſimum videtur. 1. *Japhetum* ait *cum ſuis abfuiſſe, cùm gentium aliarum linguæ confunderentur, Babylone: eum igitur unum primitivam retinuiſſe incorruptam.* At hoc in hiſtoria conjurationis *Babylonicæ* erroris manifeſti coarguitur. 2. *Simpliciſſimam* ait *linguam Gomericam*; *ideo primam.* At verò *Chinenſis* multò ſimplicior, quæ tota ferè conſtat ex monoſyllabis; ergò prior *Gomericâ*; neque tamen prima. 3. *Ex Gomerica derivari linguarum aliarum voces* arguit; *eam itaque omnium quaſi parentem eſſe.* In Etymis propterea deſudat, non minùs anxiè quàm ineptè. Hanc enim *Hebraicæ* propriam viri eruditiſſimi laudem attribuunt veriſſimè, quòd ex ea in aliis linguis vocum plurimarum deducantur origines. At non hanc *Adamus* vel uſu didicit, quod poſtmodum uſu venit, vel ſuopte ingenio, quamvis acutiſſimo, excogitavit; ſed inſtinctu quodam concepit Divino. Nam & *Evam* protinus intellexiſſe, patet ex colloquio cum Serpente; quod vix adeò celeriter potuiſſet fieri, ſi à viro didiciſſet, ac non eodem potiùs inſtinctu percepiſſet quo acceperat *Adamus.* Atque voces quidem ſimplices in hac lingua orationi compoſitæ, ut natura, ſic uſus prætulit. Quippe ex illis nomina conſtabant animalium. Oratione *Adamus* non antè uſus eſt quàm eſſet conjugem & ſociam nactus, quæ intelligeret, ac reſpondendo colloqueretur. Qua verò in re donum hoc loquendi novum aut priùs aut potiùs impenderet, quàm in Deo ejus Autore, mundíque ipſius, tandem perfecti, Opifice prædicando? Nempe terram advertit jam, non modò generibus animantium fuiſſe omnium ad tempus completam, verùm ad propagationem & perpetuitatem quoque, ut aliarum rerum, ità generis humani, Eccleſiæque Dei. Gratulatus itaque videtur, ut ſibi Uxoris beneficium, ſic etiam Deo perfectum, conditâ Muliere, opificium totius Mundi. Atque hic eſt præcipuus maximéque neceſſarius orationis humanæ uſus, ut eo cultum celebremus Divinum: quem cùm prorſus omiſerit Is, (*Jul. Scalig.* Poët.1.1.) qui *ſermonis neceſſitatem indagatione tantùm veritatis, diſciplinarum doctrinâ, & ſapientiæ* neſcio cujus, definit, certè in ipſo veſtibulo elaborati Operis impingit graviter. Neque tamen poteſt negari, opus eſſe nobis jam oratione ac linguis pluribus (quod ab initio non fuit) ad animos noſtros artibus excolendos, ad conventus etiam civiles, concilia, judicia, bella, commercia; ſed inprimis tamen, ad docendam diſcendámque Religionem Dei, unde generetur ſalutifera Fides, ad ejus opem implorandam, iram deprecandam, & illuſtrandam quovis modo Gloriam, tum aures tum linguæ nobis condonatæ ſunt.

& Deus benedictione comprobat.

§ 53. Huic ergò pari conjugum primo ità dicit atque benedicit, qui copulavit, *Deus*: "*Generate liberos, ac multiplicamini*; *terras* omnes *replete, ac ſubigite*; *dominamini in piſces maris, in cœli volucres, & in omnes terræ beſtias.* Et nè quam ego vitam dedi exitioſa vobis adimat fames, olera & grana fructúſque arborum quibus nutriamini concedo; herbas verò & gramina etiam beſtiis avibúſque do, veſtrî à me generatis gratiâ. Effatus hæc, ſuo liberos arbitrio permiſit homines Deus. Illi autem, Paradiſi viridaria nemoráque peragrantes, etſi maturâ ætate, nudi tamen ambo incedebant. Eâ enim fuerunt firmitate corporis, ut neutri eſſet moleſta; eâ caſtitate animi & candore, ut neutri eſſet nuditas pudori.

Mundo perfecto,

§ 54. Ità Mundus quidem eſt factus, diéque ſexto perfectus omni ex parte; quod unicum nomen *Mundi* opera Dei comprehendit univerſa. (*Matt.* 24.21.) Mundus enim quid eſt aliud, niſi omnium quæ à me dictæ ſunt à Deo conditæ rerum ingenioſiſſimè ordinata compages ad ſuam gloriam? *Cœli atque Terra, & exercitus eorum*, apud *Moſen* vocatur. (*Gen.*2.1.) Angeli enim (1 *Reg.*22.19. *Luc.*2.13.) & ſidera (*Eſa.*34.4. *Deut.*4.19. *Jud.*5.20.) & reliqua cœli atque terræ complementa (*Pſal.*

119.

119.91. *Eſa.*45.12.) exercitus Dei ſunt; ejúſque hoſtes impugnant, Imperatore jubente, atque propugnant gloriam. Mundi verò, ut rotunda eſt Figura, & finita Moles, cœli ambientis ratione; ità Perfectio ſumma, (venia ſit verbo,) elegantiſſima Pulchritudo, partium, etſi contiguarum ſolummodo, arctiſſima tamen Connexio, ac, poſtremò, ea naturæ Conſtantia, ut corrumpi aut diſſolvi, niſi Divinâ quadam vi, nunquam poſſit. Quod aliqui addunt, mundo convenire peculiari modo, unicum & ſingularem eſſe; id certè hactenus & nos fatemur; noluiſſe Deum plures facere, cùm hic ſufficeret unus. Alios autem fieri non poſſe qui ſtatuunt, vereor nè minùs verè ac honorificè de potentia ſtatuant Dei. Nec enim Illi poteſt deficere aut deeſſe materia, (quod *Ariſtoteles* diſputat, lib. 1. de Cœlo, text.94.) qui novam ex nihilo poteſt creare. Primò igitur, Mundum eſſe perfectiſſimum, conſummatum, numeríſque omnibus abſolutum, ex eo perſpicitur, quòd in eo nihil aut mali ſit, aut boni deſit; ſed utilia ſibi invicem completáque ſint in ſe omnia. Nam & ex iis herbis, animantibúſque brutis, quæ peſtifera nunc habentur & perniciosa, tum temporis nihil erat noxium, nihil non commodum & ſalutare. Quanquam nè mala quidem nunc inutiliáve ſunt, quæ nobis fortaſſe videntur: ſed vel ad correctionem proſunt, animæque medicinam; vel ad corporis, ut Theriaca docet. Imò & noxias noſtro generi herbas nonnullas utilibus quibuſdam animantibus utiles eſſe conſtat.

> *Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicutâ*
> *Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.* (*Lucret.*)

Denique, ſine his etiam venenis deeſſet ac deſideraretur aliquid quod Mundum completum redderet atque abſolutum. Quare nec opus nec par eſt addere his, id quod à nonnullis malè conjicitur, humani peccati præſcium Deum has jam antè præparaviſſe pœnas. Secundò, Mundi Pulchritudo ex ſuavitate lucis, diverſarúmque rerum & colorum varietate ſpectabili, percipitur, unde oculi animíque hominum, niſi faſtidio quodam ſpectaculi diuturni & quotidiani tenerentur, mirabilem profectò voluptatem caperent. Tertiò, Partes Mundi, quamvìs continuæ non ſint, arctiſſimè tamen ſibi cohærent invicem, ut divelli à ſe, vacuúmque ſpatium admittere, nullo modo poſſint. Id enim nè fiat, repugnant, & quaſi conſpirant, omnia. Graviſſimæ res feruntur ſurſum, leviſſimæ deorſum; nutantes & pronæ ad motum quieſcunt; tenues condenſantur, denſæ rarefiunt; rumpuntur etiam ſolidiſſimæ: adeò ad conſervandam naturam & ſalutem Univerſi, ſingulæ ſuam res, fideli quodam obſequio, produnt atque proſtituunt. Per hiatum enim vacuáque ſpatia cœlorum virtus, quâ inferiora conſervantur omnia, non habet quò tranſmittatur. Poſtremò, licèt aſſiduè videamus, corporum inferiorum corrumpi ſingula, & generari, ut cœleſtia circumvolant quotidie; utrumque tamen à Deo conſtanti ſucceſſione fit curſúque perpetuo, ut Univerſum morbo mortéve naturali nunquam ſit interiturum. ità ut diſſolvi per ſe nunquam poſſit,

> *Eſſe quidem in fatis reminiſcimur, affore tempus*
> *Quo mare, quo tellus, correptáque regia cœli*
> *Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.* (*Ovid.* Metam.lib.1.)

Sed hoc eodem Autore flagrabit incendium, quo exundavit Diluvium *Noachanum.* Quare miror equidem, *Keckermannum*, qui ſe methodi artificem profitetur, adeò in hanc ipſam peccare, ut mundo imminens ab igne exitium inter naturalia numeret, cùm naturæ mundi immortalitas conveniat magìs quàm interitus. Verùm ad verſari video huic immortalitati, non modò veterem illam ſenum querimoniam, *ſeneſcere Mundum* quoque *ac deficere indies*, vociferantium; ſed Philoſophorum (ut appellat *Tullius*) plebeiorum ſententiam, qui mundum, ut genitum, ità interiturum, & diſſolutum iri aliquando compagem hanc rerum, opinabantur. Qui autem ardere aſtra putant, ſenſu caloris ducti quem indè percipiunt, Mundum iidem periturum igne ſtatuunt, conſumpto ſcilicet qui alit aſtra flammáſque temperat humore. *Quid enim mutationis periculo exceptum?* (inquit *Seneca*, Epiſt. 71.) *Non terra, non cœlum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvìs Deo agente ducatur: non ſemper tenebit hunc ordinem; ſed illum ex hoc curſu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus; naſci debent, creſcere, extingui. Quæcunque vides ſupra nos currere, atque hæc quibus innixi atque impoſiti ſumus velut ſolidiſſimis, carpentur ac deſinent.* (Idem in Conſolat. ad *Marciam*,) *Si poteſt tibi ſolatio eſſe commune fatum, nihil conſtat loco ſtabili. Omnia ſternet abducétque ſecum vetuſtas; ſupprimet montes, maria ſorbebit:*

& ſi-

& ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materiâ uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit. Hæc ille. Eadem ex eadem diſciplina Poeta docet *Lucanus:*

——Sic cùm, compage ſolutâ,
Secula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia: mixtis
Sidera ſideribus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutiétque fretum; fratri contraria Phœbe
Ibit, &, obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi; totáque diſcors
Machina divulſi turbabit fœdera mundi.

Epicureis hac in re cum *Stoicis* convenit, diſſimillimis aliás. Sic enim *Lucretius*;

Principio maria & terras cœlúmque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multóſque per annos
Suſtentata, ruet moles & machina Mundi.

(Vide & *Ælian.* Var. hiſt.8.11.) Neque noſtris temporibus deſunt viri doctiſſimi, qui cœlos ad terram declinare, & vergere ad interitum, cenſeant; ſimplicia quoque corpora, mixtorum elementa, & ex iis quæ conflata ſunt, langueſcere; hominum præcipuè diuturnitate temporis labefactari vires, ætatem, ingenia, mores; denique, mundum univerſum per ſe corruptum iri, quanquam nulla vis accedat Divina. Sed minuendus hic eſt error, & paucis à me hoc maximè in loco perſtringendus. Ac primò, Philoſophorum veterum principes (*Peripateticos* dico & *Platonicos*) reliquorum de ſenectute mundi atque interitu ſomnia explodebant. Nec oraculis Dei ſatìs conſona videntur. *Una ætas præterit, altera ſuccedit; Terra tamen permanet in æternum.* (*Eccles* 1.4.) *Telluris ità conſtituta ſunt* à Deo *fundamenta, ut nunquam dimoveri loco poſſit.* (*Pſal.*104.5.) Nec de cœlo tacetur. *In æternum ut Luna ſtabilietur* domus *Davidica.* (*Pſal.*89.37. & 148.6.) Secundò igitur, Spectentur ipſæ res, ex quibus per annos ferè ſexies mille nihil videmus immutatum, nihil novum; niſi quòd Diluvii *Noachani* contagio ſtaturam ætatémque humanam in ſpatium longè brevius contraxerit. Utramque tamen Deus ad menſuram certam ſtare aliquando voluit, (poſt *Moſis*, opinor, tempora) quam nulla unquam temporis longinquitas diminueret. Pauci ergò poſtea octogeſimum ſeptuageſimúmve annum ſuperabant, (*Pſal.*90.10.) aut longitudinem pedum ſex, eorum qui primâ ætate mundi, maximè proceri atque robuſti, vitam ad annos ferè millenos produxerant. Tertiò, Cœlum, ſuprema pars mundi & longè maxima, cùm nihil ſibi adverſum habeat, à quo tanquam ab hoſte conficiatur; cùm elementa ſicubi defecerint, id alibi ſemper abunde compenſetur; cùm denique mixta rerum compoſitarum corpora quandocunque diſſolvuntur, perpetuâ ſucceſſione reparetur jactura; Mundum certè univerſa reddunt immortalem. *Ut ſtellæ igitur nihil immutant ſempiternis ſeculorum ætatibus, quin eadem iiſdem temporibus efficiant:* (*Cic.* de Nat. deor.2.) ità rerum inferiorum, quæ ab illis pendent, viciſſitudinem perpetuam concedimus, interitum negamus. Nam quæ in circulum aguntur, nullum habent terminum in quo conſiſtant. Hinc illud *Pythagoræ* apud *Ovidium*, (Metam.15.)

Nec ſpecies ſua cuique manet, rerúmque novatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo;
Sed variat, faciémque novat: Naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud quàm quod fuit antè; Morique,
Deſinere illud idem. Cùm ſint huc forſitan illa,
Hæc tranſlata illuc; ſummâ tamen omnia conſtant.

Poſtremò, ſi daremus poſſe mundum corrumpi, quid eo fieret amabò? Nam ut in nihilum redigatur, & evaneſcat prorſus, id verò concedi non poteſt. Ejuſdem ſcilicet eſt potentiæ revocare in nihilum, cujus erat ex nihilo creare novas res. In chaos ergò neſcio quod confundi omnia eſt neceſſe. Sed viderint qui hæc diſputant,

tant, ſatíſne tribuant Sapientiæ Potentiæque Dei, aut Gloriæ conſulant, ſi opus tam eximium atque magnificum, prudentiſſiméque ordinatum, in deforme chaos aliquando ſuâ ſponte diſſolutum iri dixerint. Atque hæc ſunt aliqua noſtræ cauſæ propugnacula. Non deſunt adverſariis tela, fateor, quibus & ſuam tueantur cauſam, & noſtram convellant. His igitur à nobis quoque par eſt opponi clypeum. Inprimis, Quæ veteraſcunt, ea, inquiunt, modo naturali corrumpuntur. At verò de *cœlis* ait ſacer Lyricus, (*Pſal.*102.26.) *Illi peribunt*, Domine, *permanebis tu: Inveteraſcent illi ut veſtis*; *imò tu eos ut veſtimenta mutabis*, & *mutabuntur.* Quare cum cœlo mundum ſuâ naturâ tum ſeneſcere, tum extinctum iri, concedendum eſt. Sic illi. Nos verò ità locum hunc interpretamur, ut mundi conflagrationem ultimam intelligamus. Nec enim ſuâ ſponte, verùm à Deo immutabitur cœlum: & quemadmodum veſtes, uſu jam ceſſante, deponuntur & obſoleſcunt; ità cœli, (quos *ut telam extendit* Deus, & *expandit* hominibus *ut tabernaculum*, (*Eſa.* 40. 22.) hoc perfuncti munere, ſublatis ex terra incolis, meritò inveteraſcere dicuntur. Secundò, Opponunt alii, Solis vim langueſcere his temporibus, mundum ipſum propterea quaſi lentâ conſumi tabe. Illud autem ex eo confici volunt, quòd media Zona, quæ olim habebatur —— *non habitabilis æſtu*, incolis nunc, animantibus hominibúſque, ſit referta; quod, niſi caſtigato ac imminuto Solis fervore, haudquaquam poſſet fieri. Eundem verò Solem ad terram acceſſiſſe multò propiùs, tradunt alii noſtro ſeculo; quod ipſum indicio eſt magno, curſum ejus non diuturnum, maximo, non æternum, fore. Sed & hæc, ſi excutias, admodum infirma reperientur. Nam de intolerabili æſtu Zonæ mediæ fingunt quidem Poëtæ, ſed reclamant Geographi Hiſtoricíque. Nam ad *Syenen* cataractáſque *Nili*, Auſtrales *Ægypti* limites, Tropicus Cancri ſtatuitur; ultra quem & Zona quam Torridam vocant, & *Æthiopum* variæ gentes, ab Hiſtoricis atque Geographis collocantur. *Æthiopes* autem ipſi *Homero* noti, Scriptorum quos jam novimus *Græcorum* antiquiſſimo. De Solis autem propinquitate, nulla eſt ipſius rei, ſed Aſtronomorum malè obſervantium cœli altitudinem, variatio. *Altabeginus* enim in loco inferiore Solem ſtatuit quàm *Ptolemæus* ante annos 740 ſtatuerat: *Copernicus* & *Tycho Braheus* deinde, poſt annos ferme 700, ad locum altiorem tollunt eundem quàm quo *Altabeginus* collocârat: ut nemini ex his comperta ſatìs fuiſſe vera Solis altitudo videatur. Tertiò, Quid eſt, inquiunt, de oſſibus dicendum atque dentibus monſtroſis gigantum, ſeptuagenis altorum centeníſve cubitis, longiſſimè ſuperantium parvitatem noſtram? Nam & ea memorantur apud Scriptores, & oſtentantur alicubi. Decreviſſe igitur homines, marceſceréque mundum, videri. Quid dicendum? ais? Ego verò id dicam, ea quæ apud Scriptores memorantur eſſe pleraque fabuloſa; quæ oſtentantur, elephantorum aut piſcium oſſa, non hominum. Itaque reprehendit *A. Gellius*, (Noct. Att. 3.10.) *Herodotum*, hominem fabulatorem, qui inventum eſſe ſub terra ſcripſit *Oreſtis* corpus cubita longitudinis habens ſeptem; (cùm nè ſeptem pedes haberet *Hercules*;) multò magìs reprehenſurus 66 & 100 cubitorum fabulas. Quòd ſi primo ſeculo corpora hominum tantò fuiſſe majora, præcipuè gigantum, (*Gen.*6.4.) quantò diuturnior vita, conceſſero; eorúmque oſſa erui & monſtrari; nihil id reor cauſæ noſtræ obfuturum. Nam Incubos Dæmonas generâſſe hominum illa monſtra, haud facilè adducar ut credam, qui nec ſemen ab illis emitti vividum putem; neque videam quid obſtet, quò minùs ex iiſdem parentibus iidem partus etiam nunc edantur: quod tamen nuſquam fit. Quare nulla opinor ex Dæmonum coïtu monſtra naſci; neque hominum corpora, ex quo ætas conſtitit, imminuta; neque mundum propterea ad ſenium tendere, aut interitum. *Homeri* autem querimoniam, & ex eo *Plinii*, (Nat. hiſt. l.7.c.16.) *vaſtiora fuiſſe corpora hominum antiquorum*, & *cuncto mortalium generi minorem indies fieri ſtaturam*, Poëtâ quàm Hiſtorico digniorem, ipſa rerum humanarum per tot ſecula immutabilis conſtantia ſatis confutavit.

§ 55. Parentes humani generis hactenus feliciſſimè agebant, quamdiu ſui Parentis obtemperabant imperio; veréque fuit hæc ætas aurea: quam & profani Poëtæ pro ſuo captu celebrârunt *Heſiodus Ovidiúſque*. feliciſſimè homines agebant.

Ὥστε θεοὶ δ᾽ ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀϊζύος· οὐδέ τι δειλὸν
Γῆρας ἐπῆν· αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι
Τέρποντ᾽ ἐν θαλίῃσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων·

Θνῆσκον δ᾽ ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι· ἐσθλὰ δὲ πάντα
Τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ᾽ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ᾽ ἐθελημοὶ
Ἥσυχοι ἔργα νέμοντο, σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν. (*Heſiod.* Ἔργ. καὶ ἡμερ. α΄.)

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte ſuâ, ſine lege, fidem rectúmque colebat, &c.
Ipſa quoque immunis, raſtróque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus, &c.
Ver erat æternum; placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores, &c.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flaváque de viridi ſtillabant ilice mella. (*Ovid.*Met.l. 1.)

Quid enim beatius fingi poteſt, quàm ità bonis omnibus affluere, ut malum quid ſit neque ſentias, neque ſcias, neque liceat experiri?

Sed, im-pellente Satanâ,

§ 56. Sed mali Dæmonis invidia (*Sapient.*2.24.) hanc non tulit hominis felicitatem. Nam, ut filius terræ, tantò ignobilior ſe, in cœlum eveheretur, unde ipſe deciderat, eâque frueretur gloriâ quam ipſe amiſerat, vehementer indignatus eſt. Idem & Deo ſuam invidit ab hominis integri Religione pura gloriam. Huic igitur ut officeret quantum valuit, hominéſque in eandem ſecum perniciem traheret, ad violandum Dei mandatum quoquo modo ſtatuit impellere; & eodem inſanæ ambitionis telo, quo ſeipſum confecerat, jugulare. Neque ipſum tamen ſe prodit hujus conſilii autorem nequiſſimus Veterator, nè profeſſa ſimul prodant perdántque odia facinoris perpetrandi locum. Larvam induit. Ex ore Serpentis (cui ſoli fortaſſe permiſit Deus) tanquam ex inſidiis mulierem adoritur, quam longè noverat imbecilliorem, (1 *Pet.*3.7. 1 *Tim.*2.14. 2 *Cor.*11.3.) quæque deciperetur, quæque deciperet, magis idoneam. Ex omnibus enim beſtiis nulla eſt, ſeu malitiam, ſeu veneni exitioſam vim ſpectes, quæ magis referat ingenium Diaboli, (*Joan.*8.44.) quàm ſerpens. Idem aſtutâ quadam calliditate inſinuandi ſe, ac inſidiandi aliis nocendíque, ſuperat omnes feras. Unde ſerpentes ἀνελευθέρους καὶ ἐπιβούλους *Ariſtoteles* ait eſſe, (Hiſt. animal. 1. 1.) hoc eſt, *illiberales & perfidos*, ſive inſidioſos. Sic igitur perſonatus Dæmon, (*Judæi* nomen illi affingunt *Sammiel*) mulierem, abſente viro, ſolam aggreditur, die jam inclinante: *Itáne*, inquit, *malevolo in vos animo eſſe Deum, ut, quos horti cuſtodes inſtituit, iis arborum horti poteſtatem non faciat?* Mulier, nondum ſatis experta rerum, beſtiam venenatam nec pertimuit accedentem, nec loquentem admirata eſt. Illud ſecuritati, hoc ejus imperitiæ tribuendum. A periculis enim, à venenis, ab animalium ſibi ſubditorum inſidiis, quamdiu vetitæ arboris malo abſtinebat, nihil erat quod metueret. Loquendi verò facultas an & ſerpentibus data eſſet naturâ perinde ac ſibi, ante horam fortaſſe unam edita, mulier haud ſatis exploratum habuit. Nec enim noverat omnia, quamvis pro conditione mulieris docta ſatis. Multa reſtabant à viro diſcenda, & colligenda experimentis. Nec enim adfuit, imò nè fuit quidem, illa, cùm *Adamus* recognoſcebat, nomináque dabat animantibus. Et ignorare quædam ſimpliciter ab officiis muliebribus aliena, (modò nè falſa pro veris approbaret firmâ fide,) non officere videtur conditioni priſtinæ felicitatis humanæ. Quòd ſi malum bonúmve ſpiritum ſuſpicata fuiſſet locutum in ſerpente, (quæ Theologorum eſt quorundam conjectura;) (*Tho. Aquin.* & *Bonavent.* in 2. Sentent. diſtinct. 21.) dolum aliquem profectò ſuſpicata jure ab inſolito loquendi more, & ſpiritum ejus facinoris autorem delatura fuiſſet coram Deo. Interroganti verò de induſtria Dæmoni ut eliceret reſponſum, ità retulit mulier; *Imò verò Deus arborum nobis poteſtatem fecit, unâ tantùm exceptâ, quæ in medio Paradiſi eſt, omnium. Ejus guſtu quidem tactúque interdictum eſt, nè fortè, dum vitam alimus, mortem oppetamus.* Heu! quàm lubrica mulier & caduca res! Labaſcit jampridem nullo impetu. Diſplicet præceptum Dei; quod ut gravius reddat, hoc addit de ſuo, *tactum eſſe interdictum arboris.* Et [Nè *fortè* oppetamus] de certitudine minarum Dei ſubdubitâſſe mulierem indicat. Quare inſtat Serpens, *Quam tu mihi mortem narras? Haudquaquam ego vos morituros reor. Sed hoc nimirum eſt quòd vobis iſta minitetur Deus, quoniam novit optimè hujus arboris fructum oculos vobis patefacturum, ſimiléſque homines redditurum diis, cognitione imbutos boni & mali.* His machinis labefactata mulieris fides; etſi nihil ex his non ſceleratiſſimè confictum.

Po-

Poma jam interdictæ arboris (intus etiam ſuggerente ac irritante Satanâ) devorantibus oculis intuetur, quæ pulcherrima illi videntur ſuaviſſimáque. Sed præcipuè, melioris quàm quâ eſt à Deo donata conditionis ambitio, & ſcientiæ cujuſdam ac ſimilitudinis Divinæ ſuperba ſpes, in facinus illud, omni poſteritati luctuoſum, præcipitem egit. Heu nefas! Serpenti Dæmoníque magìs creditur quàm Deo. Pomi viliſſimo pretio Mors emitur: quæ quoniam extemplo non invaſit percuſítque mulierem, ſpei diabolicæ plena, poſtquam ipſa ediſſet, viro etiam ſupervenienti dedit, pellexítque verbis ut comederet mala, ſibi, generíque ſuo toti, funeſta & mortifera. Ambo timorem amorémque Dei, & quam Domino ſuo debebant obedientiam, exuerunt; ambo gratiâ Dei, quâ floruerant hactenus, exuti ſunt. Huic mulieris in Paradiſo, tentatio *Chriſti* quodammodo par eſt in deſerto. Illa in mundi principio dudum nati contigit; hæc in exordio mundi renaſcentis & Evangelii. Utriuſque anſam Diabolus arripuit ex verbo Dei. Hîc, *Gen.* 3. 1. *Itàne verò dixit Deus?* &c. Illic, *Matt.* 4. 3, 6. *Si tu Filius Dei es*, &c. quod è cœlo Deus dixerat. (*Matt.* 3. 17.) Hîc, mulierem Satanas aggreditur ex viro ſine mulieris ope natam: Illic, virum ex muliere ſola genitum. *Chriſtus* ex Dei verbo tantùm reſpondit, quo & Satanam profligavit, nobíſque victor victis reddidit ſalutem. Et *Eva* ſatìs fortiter pugnabat, quamdiu verbum Dei oppoſuit. Quòd ſi illud *habitaviſſet* in muliere, ac permanſiſſet uſque ad finem pugnæ, (1 *Joan.* 2. 14.) *ſuperaviſſet illum improbum*. Sed ubi hunc abjecit clypeum, partim narrando malè quæ Deus dixerat, partim non credendo verbis Dei, & ipſa victa eſt, & virum tradidit Satanæ ſuperandum, totúmque perdidit humanum genus. (1 *Cor.* 15. 22.) Non eſt hujus peccati gravitas ex levitate materiæ leviter æſtimanda; ſed ex autoritate prohibentis Dei, animóque hominis non obſequentis. Deus modò creaverat hominem ex pulvere terreno, animantiúmque omnium conſtituerat principem: Eum igitur, ut primùm creatus eſt, tanti oblitum beneficii, Conditoris autoritatem negligere, ac voluntati non obtemperare, Ingratitudinis erat ſummæ argumentum. Deinde, hominem creaverat Deus ſui tantùm cultûs gratiâ, ſibi ut ſubeſſet, paréret atque ſerviret uni: Hunc igitur Dei jugum excutere, detrectare imperium, atque mandatum violare unicum, eo ipſo quo datum eſt die, Contumaciæ videtur non ferendæ. Præterea, Serpentis atque Satanæ promiſſis fidem dare, negare Dei minis, Credulitas hæc fuit, an Incredulitas magís? exſecranda. Porrò, ſortem ſcientiámque diviniorem exſpectare, faciente ſpem Diabolo, quàm ei deſtinârat Deus, à quo meritus nihil acceperat omnia, Ambitionis erat hoc (Superbiam plerique vocant) prorſus inhumanæ. Poſtremò, Deum Opt. Max. malignitatis & invidentiæ cujuſdam aut reum agere, aut certè ſuſpectum habere, ut qui noluerit hominem ejus felicitatis participem eſſe cujus ille ſe capacem putabat; à Deo igitur deficere, ac ſigna ejus deſerere, cujus ad militiam natus eſt; in hoſtis autem jurati caſtra Diaboli tranſire; Impietatem atque Perfidiam hanc quo tandem nomine appellabo? Auget verò adhuc *iniquitatem in peccando, tanta non peccandi facilitas. Sicut enim* Abrahami *magna jure prædicatur obedientia, quoniam, ut filium occideret, res difficillima imperabatur; ſic & in Paradiſo* Adami *tantò major contumacia, quantò id quod præceptum eſt nullius difficultatis fuit.* (*Aug.* de Civ. Dei 14. 15.)

mandatum de arbore interdicta violant.

§ 57. Haud immeritò igitur homines, poſtquam tot nominibus horrendum facinus admiſiſſent, in pœnas ſuæ perduellioni debitas inciderunt. Corpora, modò immortalitatis capacia, ſpes à Serpente facta planè fefellit. Ærumnis enim continuò doloribúſque, morbis mortíque fiunt obnoxia: — *Indè miſeria,*

———*Macies & nova febrium*
Terris incubuit cohors.

Imago Dei vera in animis, dum falſam aucupantur, penè eſt amiſſa. Scientia rerum ex parte magna, præcipuè cœleſtium, obliterata: originalis illa Sanctitas & Juſtitia prorſus deleta: omnes denique vires animæ, ad intelligendum agendúmve quæ bona ſunt, debilitatæ. Intellectus, acutiſſimus antea, ſcientiæ capaciſſimus, imò rapaciſſimus, nunc, præſertim in rebus Divinis, hebeſcit caligátque: Voluntas, pietatem ac probitatem liberrimè ac lubentiſſimè amplexa priùs, jam ad vitia proclivis eſt, & ad omnem pravitatem. (*Rom.* 7. 15, &c.) Quin & Cupiditates Affectúſque, morigeri antehac rationi rectæ, jugum excutiunt;

——*Quâque impetus egit,*
Hàc ſine lege ruunt.

Itaque pruriente jam libidine, ſentiunt ſe nudos animo corporéque ; ſentiunt ea eſſe pudenda, foliíſque ficulneis, quæ fortè aderant latiſſima, cooperiunt, quorum nudos antea neutiquam pudebat. Sentiunt veraces nimiùm eſſe Dei minas, & fallaciſſima Serpentis promiſſa. Sentiunt ſe inviſos Deo, ſentiunt mortales, ſentiunt miſeros, pœnas denique ſentiunt ſe eſſe promeritos æternas. Poſtremò, nè quid eſſet foris quàm domi felicius, beſtias, maximè feras, pari contumaciâ deficere ſentiunt à ſe, quâ ipſi deſciviſſent à Deo. Nec ſibi modò accidiſſe hæc ſentiunt, ſed & poſteris ſuis in naturam tranſire, (*Rom.*5.12,&c. 1 *Cor.*15.22.) maximo ſeculorum omnium gentiúmque damno. Nec enim poſſe vitiatis fontibus aquas indè fluere ſalubres, (*Job.*14.4.) ſed veneni vim in una parte impreſſi à Serpente corpus univerſum ſentiunt pervadere. Ità quidem illis oculi aperti ſunt. Oculos, libidine peccandi cæcos dum facinus erant admiſſuri, poſt admiſſum peccatum conſcientia ſui ſceleris aperuit. Ità demum ſciunt, (quod ignorare mallent,) experientiâ, inquam, infauſtâ edocti ſciunt, quid ſit, non bonum modò, ſed & malum. ——Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω· Vexatio intellectum dedit. (*Eſa.*28.19.) Animis ità perturbatis, incerti quid agant, aut quò vertant ſe, ſonum repentè audiunt, ſub veſperam, deambulantis in horto Dei. Tum verò conſcientiæ horror in fugam dementes & in latebras agit, ut, ſi quo modo fieri poſſit, ſui Judicis conſpectum Vindicíſque devitent, non Patris jam. Sed fruſtrà fugiunt ubique præſentem Deum. Fruſtrà quicquam occultatur ab eo, qui cernit omnia. Terribili ergò voce reum citat, *Adame, ubinam es?* Proditus ille prodit è latibulis, & voce tremulâ, *Ego*, inquit, *cùm audirem advenientem te, abdere me volebam; quia nudum tibi verebar in conſpectum dare. Nudum verò te?* inquit Deus. *Quonam id tibi compertum eſt indicio? Arborémne à me tantopere interdictam violâſti?* Reſpondet *Adamus*, *Factum id quidem, fateor; ſed mulieris ejus culpâ factum quam tu mihi conſortem tradidiſti. Quæ ab ea mihi poma oblata ſunt, accepi, comedi.* Mulierem igitur compellat Deus: *Quid hoc à te factum eſt, mulier?* Ea continuò à ſe quoque avertit culpam, & in Serpentis conjicit impoſturam. Deus igitur nefarium hoc facinus, haud multò meliùs purgatum quàm admiſſum, vindicaturus, primam Serpenti plagam infligit, ut ex ejus pœna homini pœnitentia generetur. Exſecratus eam, ut ferarum omnium viliſſimam teterrimámque, gravem ſimul imponit tum humi reptandi moleſtiam, tum pulveris lingendi neceſſitatem. Nec id immeritò; quoniam ejus operâ Homo, ad cœlos erectus & immortalitatem, in humum peccando eſt devolutus, moriendo in pulverem. Cúmque familiaris conſuetudo mulieris cum Serpente tam fuiſſet humano generi exitioſa, mutuis inter ſe odiis in poſterum certare juſſit; quæ tanta ſunt, ut non ſerpentes modò homini veneno ſuo noceant, ſed & ſuo ſerpentibus homines. Quippe *ſalivam, maximè jejunioris, ut ferventis aquæ contactum fugiunt: quæ ſi in fauces penetraverit, etiam necat.* (*Plin.* 7. 2.) Nec enim ipſos modò *Evam* Serpentémque, ſed & Serpentis progeniem cum ſobole mulieris commiſit. *Tu* (inquit Serpenti Deus) *calcem illi punges aculeis, ea tibi pedibus conteret caput.* *Moſes Bar-cephas* (lib. de Paradiſo cap. 27.) & alii ſerpentem inter quadrupedes ambulaviſſe primò volunt; pedibus verò multatum, hujus fuiſſe criminis pœnam. Sed naturæ cujuſquam rei tantam fuiſſe illatam vim, ad immutandam & amittendam corporis figuram, nihil profectò in Scriptis reperio Sacris quod huic faveat conjecturæ. In *deteriorem* quàm quâ natæ ſunt conditionem eſſe dejectas res, hominis nimirum corpus animámque, mulierem, ſerpentem, ipſam denique terram, hujus facinoris causâ, ſatìs perſpicuè traditum videtur à *Moſe*: ſed in *diverſam* cecidiſſe, non traditur. Quænam igitur ſerpentis pœna eſt, inquies, ſi & pedibus antea carebat? *Pererius* quidem ſerpentibus ait competere naturâ, ut & humi repant, & pulvere veſcantur; ſed utrumque illis probroſum à Deo jam factum, & ex ignominia dedecoréque ſupplicium: ut, quæ antea infamis habebatur & exſecrata Crux, venerabilem fecit *Chriſti* mors amabilémque. Eadem ergò forma quæ ſumpta & accommodata eſt ad maleficium, damnata quoque ad ſupplicium fuit, probróque datum id quod naturale priùs fuerat. Sed & hoc minimum pœnæ videtur non ſentienti. Demus ergò, & humi repere ſerpentes, & pulverem naturâ lingere; credibile tamen eſt, tum hoc illis magìs neceſſarium accidiſſe, tum iſtud magìs moleſtum jam, terrâ maledictâ in pulverem ultro ſteriliſcente, quàm cùm fertilis eſſet & gra-

& pœna:

graminoſa. Ità malum ingraveſcens & auctum pœna fit, quod naturæ fuit. Hæc igitur ſerpentis pœna, ut inſtrumenti, non graviſſima. Neque verò mihi dubium eſt, primum hujus autorem peccati *Satanam* Deo dignas tam nefario ſcelere pœnas dediſſe, vel daturum eſſe; quin & poſtremam hujus pœnæ ſerpentinæ partem potiore quadam ratione Dæmonem ſpectare. Nec cæteræ partes alienæ ſunt. Nam & ille maledictus; &, è cœlo dejectus in regiones infimas, humi quodammodo jam repit; denique, terreno pulvere, hoc eſt, vitiorum ſordibus omníque illuvie, oblectatur, & paſcitur. Sed in pœna ultima myſterium conditur magnum & ſalutare, inſtaurati ſcilicet generis humani per *Jeſum* Virginis filium, prolapſi modò inſidiis Diaboli. Proſpexerat enim ab æterno Sapientia Divina, primos hominum parentes libertate arbitrii ſui malè uſuros, & in peccatum eſſe prolapſuros atque interitum. Noluit tamen indulgentiſſimus Pater abjicere prorſus ac derelinquere prolapſos ſine omni ſpe, ut perirent funditus: verùm eam inivit rationem, ut (quod homines ipſi luere non poterant) aliunde pœna juſtitiæ Divinæ pro peccatis debita ſolveretur, quo ab interitu vindicaretur humanum genus. Divino igitur æternóque conſilio decretum eſt, pro immenſo Dei erga nos amore, ut ipſe Filius Dei, ſecunda Sacroſanctæ Triadis Perſona, tempore opportuno, humanam, ſed puram, ex Virgine ſuſciperet in ſe naturam, omnibus Divinæ Legis apicibus cumulatè ſatisfaceret, indigniſſimâ tamen morte plecteretur innocens; ut, quicunque illum fide certâ apprehenderent, ejus morte ac meritis, gratiâque apud Deum, innixi, non ſolùm ex communi hominum clade per miſericordiam Divinam eximerentur, ſed & ſummâ tandem in cœlo perfruerentur felicitate. Humanâ victimâ, utpote quæ admiſerat peccatum, peccatum redimi quoque, & placari Deum, fas & æquum fuit. Humanis viribus, quas modò à ſe victas atque proſtratas gloriatur malus Dæmon, proſterni & ipſum ac ſuperari, Deo viſum eſt par. Hoc igitur Serpenti jam, non vero illi quidem, ſed *veteri*, (ut appellant Sacræ Literæ, *Apoc.* 12.9.) Diabolo, interminatur Deus. Hoc *Adamum* conſolatur, ut, conſcientiâ peccati dejectus, ſalutis promiſſæ gaudio erigatur & ſpe. Hoc ab eo ſuis filiis nepotibúſque per manus traditum: Hoc ſacrificiis & cæde pecudum erat ſignificatum: Hoc oraculis à Deo multis prænunciatum. Etenim ille Salvator hominum, proles mulieris, & quidem ſolius mulieris erat proles futurus. (*Eſa.* 7. 14. *Luc.* 1.35. *Gal.* 4.4.) Ejus erat præcipuè, (quanquam & noſtrum ſit pro virili) mutuo capitalíque odio Serpentem inſectari, & omne ſerpentinum genus, ſive Dæmonum, ſive hominum impiorum. (*Joan.* 8. 44. *Matt.* 23.33. 1 *Joan.* 3.10.) Ejus erat, Serpentis caput, hoc eſt, peccati mortíſque vim, conterere, operáque Diaboli & regnum deſtruere atque delere, noſtrî omnium gratiâ. (1 *Joan.* 3.8. *Heb.* 2.14. *Rom.* 16.20. *Joan.* 12.31.) Ejus calci denique ſtimulum erat admoturus Serpens; hoc eſt, humanam ejus partem, (2 *Cor.* 13.4. 1 *Pet.* 3.18.) & corpus, Eccleſiam, artibus atque inſidiis (cùm apertâ vi non valeat) oppugnaturus. Ad noſtras verò partes quod attinet, aliqui ſic interpretantur: Ut ſerpens hominis calcaneum mordet, partem infimam; ità Satanas bonorum operum conatur finem vitiare, nè Deo grata ſint acceptáve. Contrà, ut homo ſerpentis caput conterit; ità principiis obſtat tentationum Diaboli bonus vir. Hæc ità quidem ſenſu myſtico intelligenda ſunt. (*Luc.* 10. 19.) Magnum enim hoc, ſub humana ſpecie apparentis Dei, myſterium, (*Eph.* 3.9. *Col.* 1.26.) quo fides humani generis & obedientia ſeculis omnibus erat exercenda, verbis nimiùm perſpicuis & apertis non erat adhuc divulgandum. Itaque Angelos quoque, (1 *Pet.* 1.12. 1 *Tim.* 3.16. *Eph.* 3.10.) non malos modò, ſed & bonos, ſuum hac in re conſilium latére Deus eouſque voluit, donec omnia quæ ad ſalutem humanam ſpectabant perfectè abſoluta eſſent & conſummata. Quanquam eò ſemper hic dies clarior illuxit, quò *Sol juſtitiæ* propior acceſſit. Certam enim illi Deus deſignat per Prophetas & gentem, (*Gen.* 12. 3. & 18. 18. & 26. 3,4. & 28.14.) & tribum, (*Gen.* 49.8,9,10.) & familiam, (*Eſa.* 9.6,7. & 11.1,2,10. *Jer.* 23.5, 6.) & matrem, (*Eſa.* 7.14. *Gen.* 3.15.) & Patrem ſe, (*Pſal.* 2.7. *Eſa.* 7.14.) & locum unde oriatur, (*Mic.* 5. 2.) & tempus, (*Gen.* 49.10. *Dan.* 9.24,25,26.) & modum denique, ſuâ morte ſcilicet, à morte vindicandi (*Eſa.* 53.2,3, &c. *Dan.* 9.26. *Gen.* 22.9.) omnes terrarum gentes. (*Eſa.* 25. 7. & 40.10,11. & 49.6,7. & 2.4. *Jer.* 23.6. *Zach.* 14.16,17.) Ità in utrumque lata eſt Serpentem ſententia. Deinde mulieri Deus, " *Multiplicabo*, inquit, *ærumnas tuas*, " *etiam in liberis generandis*, quod tuum eſt proprium & peculiare munus: *in liberis*, " inquam, *generandis*; quippe quos tuo tu omnes veneno es infectos editura. Maximo

cum ſalutis tamen ſpe.

"mo fœtum geſtabis cum tædio, paries cum dolore, cum ſolicitudine demum educa-
" bis. *A viro* autem, quem blanditiis tuis perdidiſti, *tuæ omnes rationes pendebunt. Ejus*
" *imperio*, quæ noluiſti meo, *parebis* (utcunque permoleſtum id tibi futurum ſit) &
" *obtemperabis*.(1 *Tim*.2.12. 1 *Pet*.3.1.) Poſtremam Deus in *Adamum* pœnam ſtatuit.
" Quoniam, inquit, conjugis tuæ illecebris maluiſti obſecundare quàm mandatis me-
" is, Terra ipſa, cujus tu fructum à me tam vehementer prohibitum comediſti, terra,
" unde tot commoda, non modò ad neceſſitatem vitæ, ſed voluptatem quoque, per-
" cepturus eras, maledicta ſit jam tui causâ. Non niſi ſummo cum dolore ac mole-
" ſtia extorquebis indè quo veſcaris panem, toto illo, non tam vivendi quàm reſi-
" piſcendi, ſpatio quod ego tibi condonaturus ſum. Neque verò arbores fructiferas
" jam, ſed ſteriles tantùm, neque herbas utiles, ſed noxias tibi, ſed ſpinas tribulóſque,
" ſponte ſuâ tellus proferet. Arboribus Paradiſi frugibúſque deinceps neceſſariò tibi
" abſtinendum erit volenti nolenti, herbíſque agreſtibus & acerbis victitandum.
" Meliores enim fruges non niſi labore improbo ſudoréque multo, curâ & culturâ
" continuâ, tellus tibi ſubacta largietur. Quare hic labor eſt futurus tibi graviſſimus,
" ut victum quotidianum ex ingrata ſteriliſque terra exprimas : neque gravis modò,
" ſed perpetuus, —*labor actus in orbem*, finémque nullum habiturus, donec ip-
" ſe tandem ſpirandi finem facias, & revertaris in terram unde prodiiſti. Vaniſſima
" enim, quæ tibi facta eſt, immortalitatis ſpes. Ex pulvere natus es; in pulverem
" tibi mox, diſcedente animâ, eſt redeundum. (*Eccles* 12.7.)

Adamus jam ad labores perpetuos, ad morbos & mortem damnatus eſt. Salutis tamen ſpes à Deo facta, vitæque ad tempus producendæ, oppreſſum ægritudine reficit, & conſolatur mirificé. Quare liberis generandis operam daturus, uxori nomen impoſuit *EVA*, hoc eſt, *Vivens*; eò quòd eorum qui deinde victuri erant mortalium una eſſet omnium mater futura.

Veſtiti homines à Deo

§ 58. Sed Veſtibus indigebant novi nudíque homines, quibus non modò turpitudinem obtegerent verecundiâ, ſed & corpora vitámque ab intemperie cœli aliíſque tuerentur injuriis. Ex foliis enim ficulneis levius erat breviúſque tegumentum, quòd ſibimet induerant, quàm ut tot obſtaret incommodis. Quare Divini Patris indulgentia, hîc etiam, inopiæ mortalium & imperitiæ ſubvenire dignata eſt: Tunicas illis induit pelliceas. Nováſne creaverit, an victimis detractas conſuere *Adamum* induereque (unà cum ſacrificiorum uſu & ritibus) docuerit, tacente *Moſe*, mihi quoque tacendum eſt. *Plato* (in *Protagora*) antiquiſſimos mortalium veſtitos fuiſſe pellibus tradit. Et *Scythas*, hominum rude ac vetuſtum genus, *Pellitos* olim dictos *Hieronymus* (in Epitaphio ad *Nepotianum*) ſcribit; quomodo primos *Romæ* Senatores *Propertius* vocat, —*pellitos*, *ruſtica corda*, *patres*. Malè igitur hanc rem in tenebris palpans inveſtigavit *Lucretius*, qui nudos ait erraviſſe primos hominum, ubi

Necdum res igni ſcibant tractare, neque uti
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum.
Sed nemora atque cavos montes ſylváſque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare imbréſque coacti.

Sed in his tamen concedi videas, prima quibus induti ſunt mortales detraxiſſe veſtimenta feris. Opinantur aliqui, plura fuiſſe ab initio mundorum animalium paria condita, ut ſupereſſent carnes ad holocauſta, pelles ad veſtimenta. Aptiſſimum profectò huic tempori ex pellibus fuiſſe habitum conſtat. Simpliciſſimus enim, facilliműſque paratu, nullo textoris aliúſve artificis ingenio peritiâve indigebat. Deinde, luctui maximè convenit hominum exſulantium, atque deflentium ſuas miſerias. *Lugentes*, autore *Feſto*, *diebus luctûs in pellibus ſunt*. Sed & nudos gratiâ juſtitiâque originali, cùm in beſtias quodammodo degeneráſſent homines, (*Pſal*.49. 12,20.) beſtiarum & pellibus tegi decuit; ut quod intus erant, extrà ferrent præ ſe. Denique, ad labores perpetuos, tanquam ad metalla, damnati, ſervi pœnæ, ut ſervorum pelliceis veſtibus amicti prodirent è Paradiſo, par fuit. Unde *Tertullianus* (de Pallio c.3.) ità ſcribit de *Adamo*, *Quippe deliquerat, pellitus orbi, ut metallo, datur*. Veſtes igitur à Deo neceſſitati primitus datæ ſunt; ad ornatum corporis poſtea & dignitatem adhibitæ, occultandáque vitia, & diſtinguendos hominum in publica re varios gradus ordinéſque. Tandem ad vitia morum deflexit impietas humana Divinum be-

beneficium, ad luxum & laſciviam, ad faſtum rapuit ac ſuperbiam. Præter neceſſitatem & ornatum, ſunt qui typicum veſtibus uſum tribuant; monumentáque faciant peccati præteriti, ac futuræ ſalutis atque juſtitiæ, quâ nobis immundam nuditatem operit Deus. (*Eſa.* 61.10. 2 *Cor.* 5.2,3,4. *Apoc.* 3.18. & 19.8.)

§ 59. Homine jam donato veſtibus, exſequitur ea Deus ipsâ re quæ verbis illi denunciaverat. "Ecce, inquit, homuncio iſte, fictus è luto, audaciâ & ambitione "veſanâ conatus eſt exæquare ſe nobis, cognitione boni & mali; quid non auſurus "porrò, ſiqua ratio ſe opportuna det? Videndum eſt igitur, nè, arborem Vitæ guſtando, pari dementiâ immortalitatem quoque, jam negatam ſibi, aucupetur. Theologi plerique Deum ironicè inprimis locutum volunt, ejusíque à Serpente hominis deriſiſſe vanam ſpem. *Ecce ut homo*, inquit, *noſtrî ſimilis factus ſit*, quod, promittente Diabolo, facilè veſanus credidit. Alibi enim traditur, (*Prov.* 1.26. *Pſal.* 2.4.) ſolere Deum aliquando irridere impios. Protinus igitur è Paradiſo *Adamus* exire jubetur & exſulare. Ex Dei conſpectu fugerat ſponte: invitus fugatur ex Paradiſo. Qui noluit præſentiâ Dei, beatitudine non meruit frui, eum præſentiæ Divinæ ac beatitudinis humanæ locum obtinere non oportebat. Indè verò pulſus, in terram ſibi natalem, ut eam coleret, dimiſſus eſt. Angeli autem Cherubini cuſtodes Paradiſo dati ſunt, cum flammeo ſtrictóque & vibrato undique gladio, ut indè arcerent, non homines modò, ſed etiam dæmonas, ſi qui fortè hominum gratiâ erant fructus arboris Vitæ ſuffuraturi. Cherubini verò Angeli dicebantur, qui formam aliquam induebant quâ Dei peragerent mandata, quâque propterea pingi ſolebant à *Judæis*. Hominis quod erat munus, horti cuſtodia, Angelis demandatur. Quàm honorificum erat hominibus, quod viſum eſt ipſis Angelis non indignum? Illi quidem cuſtodiunt ipſos cuſtodes, nè horti ejus felicitate fruantur, cui colendo præfecti, legem culturæ unicam violaverant. *Adamus* geſſerat imaginem Dei, quemadmodum cœli *Paradiſus*. Hic enim locus felicitatis humanæ, ut illud gloriæ domicilium Divinæ. Quàm verò conſentaneum videtur, ut qui alteram deleverat, alteram quoque amitteret? utramque tamen aliquando recuperaturus in *Chriſto*; & imaginem Divinam, & Paradiſum in cœlo, (*Luc.* 23.43. 2 *Cor.* 12.4.) ubi & victoribus concedetur (id quod negatur jam *Adamo*) *de Arbore vitæ comedere, quæ in medio Paradiſi eſt.* (*Apoc.* 2.7.)

fugantur ex Paradiſo,

§ 60. Sed quænam hæc eſt *Adami* natalis terra, quam ad colendam ex Paradiſo relegatus eſt? Ad partem orientalem Paradiſi collocanda videtur; quoniam ejus partis cuſtodia commiſſa eſt Angelis, ut plerique interpretantur hunc locum. Mihi tamen illorum arridet magìs opinio, qui *Adamum* in *Judæam*, ſeu *Canaanitidem*, transferunt, ab occaſu. Ubi enim probabiliùs nati primò, quàm ubi poſtea homines primò renati? *Noachum* certè, qui *Adamo* ſucceſſit in iiſdem, puto, ſedibus, vel *Judæam* tenuiſſe, vel *Babyloniam*, bitumen quo Arca eſt oblita ſatis indicat. Id enim his maximè in locis, & penè ſolis, reperitur. Nec Angeli cuſtodes ab orientali, ſed à priore, parte, ſivè ante Paradiſum, collocati ſunt. Quòd ſi terra *Nod*, ubi *Cainus* exſulavit, ad Orientem ſtatuatur, quod plurimi volunt; credibile eſt diverſam fuiſſe *Adami* patriam, ex qua profugit *Cainus*. Etſi haud ingrata eſt fortaſſe diſquiſitio hæc, tamen ſunt qui, ſatis probabiliter, propriam *Adami* natalem terram hoc in loco minimè deſignari putent; ſed opponi tantùm Paradiſo, non certum deſignatúmve locum, ſed Terram universè, unde corpus illi fictum eſt: Illic enim facilia, fœcunda & amœna fuiſſe omnia; Hîc inamœna, ſterilia, dura: Illic laborandum quidem, at ſine omni moleſtia; Hîc verò ſudandum cum ſumma contentione corporis & defatigatione: Paradiſo ejici gravem fuiſſe pœnam; illuc ejici, graviſſimam.

ad colendam terram natalem,

§ 61. Hîc à me fortaſſe requiretur, diem ut demonſtrem quo ſint collapſi parentes primi; quámque diu felices integríque perſtiterint. Subobſcura ſanè, fateor, atque incerta res, conjecturis tantùm indaganda. Nonnulli tot annos in Paradiſo commoratos volunt quot *Chriſtus* vixerit, qui morte ſuâ luit ac ſuſtulit hoc peccatum. Alii tot duntaxat quot ille jejunavit dies, quo illorum compenſaret intemperantem edacitatem. *Pererius* in *Geneſin*, octavo poſtquam eſt creatus die, Sabbati veſperis poſt hebdomadam, lapſum opinatur *Adamum*. Quo enim hebdomadis die *Chriſtus* mortem paſſus eſt, eodem parentes primos admiſiſſe peccatum, ejus mortis cauſam, multi quidem Theologi ſuſpicantur, potiùs quàm ſtatuunt. Ingeniosè quidem ii qui decimum ſeptimi menſis apud *Hebræos* diem huic tribuunt peccato, quem peccatorum expiationi dedicat à Deo *Moſes*. Mihi verò ex his nulla eſt ſententia probabilis.

eo quo creati ſunt die.

lis. Nec enim videtur credibile, cunctatum *Satanam* fuiſſe, aut continere ſe potuiſſe tam diu, flagrantem invidiâ, quin primo quoque tempore hominem invaderet, ſuiſque machinis oppugnaret. *Erat* enim *homicida & mendax à principio*, (*Joan.* 8.44.) id eſt, à primo (niſi quid momenti majoris obſtet) quo conditus eſt *Adamus* die. Duo præterea ſunt quæ moram non ferebant, è quibus neutrum eſt factum in Paradiſo. Liberis procreandis operam nondum *Adamus* ante lapſum dederat,(*Gen.*4.1.) quamvìs benedictione Divinâ jampridem inſtructus. Si enim dediſſet, à parentibus integris ſine peccato *Cainus* fuiſſet conceptus. Nec de arbore Vitæ guſtaverant,quanquam unus omnium is fructus erat maximè optabilis. Horum ab alterutro cur multis horis, nedum diebus, abſtinerent, cauſam ſatìs idoneam nemo finxerit. Quare diu in Paradiſo non ſunt commorati. Quid, quòd aliqui verſiculum 12. *Pſalmi* 49. non de homine *generatim*, ſed de *hoc* interpretantur homine? Nam utrumque ſignificat Hebraïcè *Adam.* Eum ſcilicet in honore ac dignitate, ubi Deus collocaverat, non pernoctâſſe volunt. Sic enim Hebraïcam dictionem exponi debere, ex aliis Librorum Sacrorum locis ſtudiosè colligunt. (*Exod.* 23.18. & 34.25. *Deut.* 16. 4. 2 *Sam.*17.8. & 19.7. *Pſal.*30.5.) Denique, ſexto die fuiſſe lapſum *Adamum*, *Judæi* omnes tradunt. *Abulenſis* in cap.13. *Gen.* qu.611. ait *communem hanc opinionem eſſe.* Quòd *Pererius* & alii, tot res uno die peragi potuiſſe, non credunt; ſi quis per horas diſpertiat, ſatìs commodè temporibus diviſa non negabit omnia. Primâ enim horâ brutæ animantes, proximâ factus eſt homo: tertiâ quartâque impoſita ſunt animalibus nomina: quintâ & ſextâ mulier condita, & quæ deinde ſequuntur. Septimam & octavam ſi demus contemplandis Dei operibus, herbis, arboribus, frugibus fructibúſque, necnon ignotis mulieri animalibus; nonâ *Evam* opportunè Serpens, abſente viro, ſolam adortus eſt. Sub veſperam, redeunte Deo, abſcondunt ſe, producuntur, quæſtio inſtituitur, infligitur pœna. At ſexto inquiunt,die,ut primùm optima eſſe perſpexit Deus omnia ſua opera, continuò veſpera ſubſequitur. (*Geneſ.*1. 31.) Nihil igitur depravatum, nihil eo die maledictum. Certè nihil, ſi eo prorſus modo geſta fuiſſet res quo narratur. At perſpicuum eſt, multa in ſecundo capite *Geneſeos* narrari pòſt, quæ ſexto die ſint acta priùs; de nominum impoſitione, mulieris compoſitione, conjugio, benedictione, &c. Quidni & ea quæ in tertio capite commemorantur, de lapſu & miſeria & pœna hominis, ad ſextum quoque diem referantur? Nihil enim obſtat quò minùs horâ ſextâ ſeptimâve opera Deus omnia peregerit & comprobârit, etſi quæ ante veſperam interea geſta ſunt in alium rejiciantur locum, & in tertio demum capite conſcribantur. Et ex Angelis plurimi defecerant jampridem à Deo: Non minùs omnia tamen à Deo facta ſunt optima,ac proinde teſtimonio comprobata Divino.

Dei Providentia, Naturæque Jus.

§ 62. Poſtquam opera quæ inſtituerat Deus peregiſſet omnia, dierum ſpatio ſex, ſeptimo deſiit operari, &, humano loquendi more, *quievit.* Quievit à producendo res novas; (*Heb.*4.4.) à conſervando gubernandóque productas non quievit. (*Joan.*5.17.) Omnia igitur conſervat regítque vel adhuc Deus, legibus non quotidianis, ſed inſtitutis ab æterno. Quæ Dei Procuratio rerum Gubernatióque *Providentiæ* nomine cenſetur. (*Pſal.* 36.6. & 104.27. & 145.15. & 147.8,9. 1 *Reg.* 17. 4. *Matt.*6.26. *Luc.*12.6,7. 1 *Pet.*5.7.) Multi Veterum, etiam Philoſophi, de Providentia Dei quærebant, ambigebant, dubitabant; imò nihil ſentiebant eorum nonnulli,qui & Deum noverant, & Mundum à Deo conditum fatebantur. Prorſus negabant *Epicurei.* Moleſtum ſcilicet aiebant, neque ſatìs convenire beatis diis, alienas res curare. Imò verò debiles aut inertes, ſtulti aut improbi ſi qui ſint, moleſta eſt illis rerum vel optimarum procuratio. At providere, adminiſtrare regeréque res ſuas, bonis omnibus benefacere, impióſque malè mulctare, ſuavia Deo jucundáque cenſenda ſunt. Id ipſum igitur quod *Fortuna* illis vocatur, revera Dei eſt *Providentia.* (*Prov.* 16.33. *Exod.*21.13. *Matt.*10.29.) Cauſæ deſunt manifeſtæ cur multa fiant: At in nulla re deeſt conſilium Dei, quo, ut fieret, ab æterno conſtitutum eſt; Deo quod bonum eſt efficiente, & permittente etiam quod malum. *Nè paſſer quidem decidit in humum ſine Deo*; *omnéſque ſunt capilli nobis à Deo numerati.* Sed *eſt lætatus* etiam *Deus in operibus ſuis.* (*Pſal.*104.31.) Utrumque *Chaldæus Paraphraſtes* conjungit hoc in loco; Septimo, inquit, die lætabatur Deus in operibus quæ produxerat, & requievit. Utrumque nobis humano more imitandum eſt. In Dei operibus lætandum, quieſcendum à noſtris. Non defatigatur quidem operando Deus; (*Eſa.*40.28.) noſtræ imbecillitatis modo. Ceſſatio ipſa id erat Deo quod

nobis

nobis quies; quieſcendo igitur à nobis imitanda. Hanc enim ob cauſam ſeptimo diei benedixit *Jehova*, ſibíque uni ſacrum eſſe voluit, quò & homines à ſuis operibus Divino cultui vacarent, & in publicum omnes coïrent ad prædicandam celebrandámque Conditoris Dei Gloriam. Gloriam enim ſuam, Univerſitatis rerum cauſam primam finémque ſibi Deus ultimum propoſuit. Homines etiam eâ lege nati ſunt, ſolíque omnium donati mente, ut, cùm aliis rebus quæ in hoc orbe ſunt uterentur tanquam domini fruerentúrque omnibus, ipſi Deo ſupremo Domino ſubeſſent atque obſequerentur, in eum crederent, ab eo toti penderent, eum diligerent maximè timeréntque, illum denique colerent ac venerarentur unicum. Hæc ſuprema quidem Lex, membrorum quatuor. Primum eſt, ut hunc Univerſi Opificem Deum ſolum habeamus pro Numine: Secundum, ut ritè ritúque ſuo colamus eundem: Tertium, ut colamus privatim, ſinguli homines ac familiæ, neque debitam tanto Numini pietatem verbo factóve lædamus: Poſtremum, ut in publicis maximè conventibus, die certo Sacris deſtinato, Divinam concelebremus Gloriam. Aliam verò Juſtitiæ mutuíque Amoris Legem ſancivit inter conſervos homines, Nè quis alium damno malóve afficeret, ſed ut ſe benevolentiæ mutuis officiis proſequerentur. Hæc autem partibus conſtat ſex. Primò, ut Parentes, quíque parentum nobis loco ſunt, Præfectos quoſcunque, honore debito afficiamus: Deinde, nè quam inferamus vim, ſed hominum aliorum ſalutem, quantum in nobis eſt, incolumem tueamur: Tertiò, ut caſtè integréque vivamus: Quartò, nè quis aliorum vel obſit commodis, vel, cùm opus eſt, deſit: Quintò, ut veritatem in omni vita religiosè, in judiciis maximè, colamus, ubi aliorum fama agitur: Poſtremò, nè motus animorum leviſſimos contra pietatis, juſtitiæ aut charitatis normam admittamus. Utramque Legem hanc Deus quamprimùm inſitam eſſe voluit humanis mentibus, atque innatam; (*Rom.* 2. 15.) ut qui utramvis negligeret, vel Dei Religionem, vel hominum violando ſocietatem, nullam poſſet nequitiæ ſuæ ignorantiam vel excuſationem prætendere. Produnt *Judæi*, ſex fuiſſe Leges primis Parentibus vivâ voce traditas à Deo: 1. Alium nè Deum, ſtellas imaginéſve, colerent; 2. Nomen ſacrum Dei nè blaſphemarent; 3. Humanum ſanguinem nè effunderent; 4. Nè vagis libidinibus polluerent ſe, cum matre uxoréve patris, cum vicini conjuge, cum ſorore uterina, cum ſuo ſexu, cum beſtiis; 5. Nè quid alienum furto latrocinióve auferrent; 6. Maleficia omnia ut pœnis coërcerent. Septimam aiunt additam *Noacho* poſt Diluvium, Sanguinem nè comederent. Quicunque mortalium aliquod ex his præceptum ſponte violaret, morte dignum judicabant. Si qui verò ex profanis gentibus hæc ſe recipiebant obſervaturos, licuit illis apud *Iſraëlitas* ut inquilinis commorari, quanquam reliquis *Judaicæ* Religionis ritibus minimè obligabant ſe. Et Divina quidem ſatis hæc præcepta, fateor. Quòd tamen dicitur, eadem primis Parentibus fuiſſe à Deo tradita verbo tenus, quorum pectoribus Natura ipſa jampridem Decalogi mandata inſcripſerat; minimè id ab eo videtur factum, qui facit fruſtrà nihil. Multò enim tenacior eſt naturæ etiam corruptæ memoria, quàm præceptionis per manus traditæ, quæ facillimè corrumpitur.

§ 63. De ſeptimo quem dixi die non levis agitatur inter Theologos controverſia; Utrùm hoc tempore inſtitutum fuerit Sabbatum à Deo; an per anticipationem, frequentem in Sacra Hiſtoria, id priore loco dictum, quod multis poſt factum eſt ſeculis; an potiùs hunc jam Deus deſtinârit diem, ut apud *Iſraëlitas* poſt annos 2500 ſacer atque ſanctus haberetur. Mihi quidem hoc pro certo ſtatuitur, ad Deſtinationes atque Anticipationes non eſſe fugiendum in Scriptis Divinis, niſi cùm ſenſus occurrit verborum impeditus, qui ferat præ ſe vel falſum aliquid, vel abſonum & alienum. At nihil hîc ejuſmodi. Vera & perſpicua ſunt omnia; ſuæ Deum vacationis & quietis gratiâ ſanctificando benedixiſſe, vel benedicendo ſanctificâſſe, diem ſeptimum: quod eodem quo narratur temporis ordine cur intelligendum non ſit, equidem nihil perſpicio. Ex altera tamen parte reclamantes audio Deſtinationis atque Anticipationis autores, vociferantéſque, duos hanc rem nodos implicare, quos niſi hâc arte nemo expediat. Alterum, quòd è Patriarchis neminem legamus ante *Moſen* Sabbati feſtum celebrâſſe. Singulis tamen ſeculis plurimi extiterunt, pietate inſignes viri, Legem hanc Dei (ſi modò fuiſſet Lex) minimè neglecturi. Alterum verò, quòd ab initio lata Lex (&, quemadmodum aliqui volunt, in Paradiſo) abrogari non poſſe videatur: quod cùm hi de Sabbato neutiquam concedant, ceremoniali (ut illis videtur) & mutabili præcepto, neque Legem adeò antiquam concedendam putant de eodem. Præterea, hoc in loco nihil imperatum

Sabbatum inſtitutum.

aiunt eſſe, unde mandatum eliciatur. Quare Sabbati celebratio non præcipitur. Ego ad hoc poſtremum primo loco ut reſpondeam, Quid eſt aliud, obſecro, ſanctificare diem ſeptimum, (quo Deus more ſanctificat,) niſi ad uſus dedicare Sacros, & inſtituere ut à nobis pro ſacro deinceps habeatur? Hoc, etſi formâ careat, vim certè habet præcepti. Pauciora multò de Sacrificiorum inſtitutione prima traduntur à *Moſe:* neque tamen dubitari poteſt quin Deus inſtituerit, tum ſacrificia ut fierent, tum *Adamum* quomodo fierent. Nam unde filii didicerunt niſi à patre? unde pater niſi à Deo? At hoc idem eſt de Sabbato multò credibilius. De publico enim cultu Dei, cujus maximè causâ creatus homo eſt, ut primùm eſt creatus, moneri hominem par fuit. Hic autem quia peragi commodè niſi ſtatis quibuſdam diebus non potuit, nè hominibus fortaſſe vel non conveniret omnibus de tempore, vel minùs idoneum eligeretur, Deo ipſi placuit diem qui futurus erat huic negotio aptiſſimus, paulò poſt principia rerum, deſignare. Cùm enim poſtularet ipſa res, ut quàm primùm de cultûs ejus tempore conſtaret, propter quem & humanum genus præcipuè conditum, ipſéque mundus videtur; quis putet hoc à Deo non niſi poſt annos 2500 demum uni traditum genti, quod hominum intererat omnium cognoſcere? Ipſa igitur ſanctificatio Dei nobis præceptio eſt. Jam primus ut ſolvatur nodus, quòd nullus Patrum ſabbatizârit ante *Moſen:* haud ineptè forſan dici poteſt, defuiſſe *Moſi* de Sabbato celebrato narrandi locum, quia Patriarchis defuit celebrandi tempus. Quod ut demonſtrem quale ſit, neceſſariò tenendum videtur, quam ob cauſam inſtitutum ſit Sabbatum, & à quibus propriè celebrandum. Quæ res igitur apud homines maximè facit ad illuſtrandam ſupremi Numinis Gloriam, ejus gratiâ Sabbatum dedicâſſe Deum credimus. Nam ut in omnibus aliis quæ Deus egit ſuam Gloriam maximè, ità præcipuè in ſanciendo Sabbato, ſpectavit. Jam verò nihil eſt quo Divina Gloria magìs illuſtrari poſſit ab hominibus, quàm publicis conventibus ad cultum indictis Divinum. Nam ut *Regis honor in multitudine ſubditorum*, (*Prov.*14.28.) ità quodammodo Regis Regum. Etſi enim in cultu privato noſtra non minor pietas, Dei tamen eſt Gloria minor. Ut ritè honoremus Deum, non exardeſcere modò, ſed emicare debet noſtra lux. Quorſum ratio nobis & oratio ſolis data, quorſum nati homines ſocietatis mutuæ capaces, niſi ut in unum coëamus: non modò in bellis, quò nos & noſtra tueamur; in judiciis, quò cuique tribuatur ſuum; in nundinis, quò ex aliorum copia noſtram ſublevemus inopiam: ſed maximè omnium in templis conventibúſque Sacris, quò bonorum donorúmque omnium concelebremus autorem Deum? Id *Moſi* & *Iſraëlitis* indicatur ac præcipitur ab ipſo Deo, (*Lev.* 23.3.) *Die ſeptimo*, inquit, *Sabbatum & convocatio ſancta eſt.* Quare cauſam inſtituti Sabbati malè ſtatuunt, qui *Dei cultum* definiunt. Hic enim communis totius humanæ vitæ finis eſt. Quò enim vivemus, niſi ut colamus Deum ſingulis diebus, horíſque, ſi opportunum ſit? Idque mandatur in præcepto Decalogi tertio. Dies autem ſeptimus cultui eſt publico deſtinatus. Itaque non niſi publico in loco, ab hominum cœtu publico, ritè celebrandus. At verò cœtus publicus multarum familiarum eſt; qualem in Hiſtoria Sacra, hominum piorum, nullibi ferè cœtum invenies, antequam eſt egreſſus ex *Ægypto* populus *Iſraëliticus.* Etſi enim facilè credi poſſit, Eccleſiam fuiſſe publicam & conſtantem *Sethi Enoſhi*que temporibus, (*Gen.*4.26.) necnon poſt Diluvium, ante conſpirationem *Babylonicam*, dúmque ſacerdotio fungebatur *Melchizedecus*, & ſupra ducentos annos in *Ægypto:* cùm tamen de his nihil à *Moſe* memoretur, mirum videri non debet, eundem de Sabbato locutum eſſe nihil. Quotieſcunque tamen publici conventus agi poterant, conſentaneum eſt ut credamus, & Sabbatum fuiſſe toties ritè celebratum, quamvìs de utroque *Moſes* conticeſcat in primo ſuorum: quemadmodum in Libris qui poſt *Moſen* ſequuntur ſex, Sabbatum non legimus obſervatum; nec indè tamen colligimus neglectum. Ità ſolutus eſt prior nodus. Pari facilitate alter ſcrupulus, de abrogatione Sabbati, eximitur. Verentur, ſcilicet, ut tam antiqua Lex antiquari poſſit, quæ ſit unà cum ipſo mundo condita. Sed ea, inquiunt, de Sabbato jamdiu eſt abrogata; ideo ceremonialis & *Moſaïca.* Ego autem ejus timoris cauſam non ſatìs intelligo, nè perpetuæ ſint, & aboleri non poſſint, poſitæ ab initio Leges. Nam & ſacrificia, pari, opinor, antiquitate, ceremonialia fuiſſe tamen, & ſublata *Chriſti* victimâ, ultimo ſacrificio atque maximo, cui vel ignotum vel dubium eſt? Neque de Sabbato negari profectò poteſt, ſi propriè loqui volumus, quin abrogatum ſit. Nam quid eſt aliud Sabbatum, niſi à primo creationis rerum die ſeptimus, in quo Deus quieſce-

re

re viſus eſt, mundo jam condito, quémque propterea ſacrum eſſe juſſit? Nam à Deo quieſcente prima & præcipua nominis ratio petenda eſt. Nec ille unicus tantùm ſacer eſt dies; ſed ab eo deinceps, uſque ad *Chriſtum*, ſeptimus quiſque certâ ſerie, cui nos jam facimus à Planeta nomen *Saturno*. At neminem profectò latet, alium à nobis diem *Chriſtianis* jam celebrari, ídque juſtis multíſque de cauſis, cui à *Sole* nomen eſt vulgare, ſed religioſum, *Dies Dominicus*. Itaque Sabbatum illud vetus & *Judaïcum* à feſto *Chriſtianorum* hoc novo inductum eſſe conſtat. Neque tamen pugnabo negabòve, quin feſtum hoc noſtrum & *novum* dici poſſit *Sabbatum*: ídque non ſolùm analogiâ quadam, ut Baptiſmus noſtra Circumciſio, Dominíque Cœna dicitur noſtrum Paſcha; ſed ab ea etiam quiete quam nos eodem agimus die, feriantes ab operibus, & vacantes Deo; quemadmodum alia *Judæorum* feſta nonnunquam *Sabbata* vocabantur. Hæc ſecundaria eſt Sabbatici nominis ratio. Cùm autem à quieſcente Deo præcipua ſublata ſit, mutato jam die, cúmque feſto *Chriſtianorum Diei Dominicæ* nomen ab ipſis fuerit Apoſtolis datum, (*Apoc*.1.10.) *Sabbati* verò jamdiu obſoleverit, (ſi obſoleſcere dici poſſit quo nunquam ſunt uſi *Chriſtiani*;) utrùm *Judaïcum* nomen, antiquatum, poſt annos 1650 revocandum ſit quaſi poſtliminiò, (quod nonnulli faciunt,) an Apoſtolicum potiùs, quo *Chriſtiani* majores noſtri ſolo ſemper ſunt uſi, retinendum, æqui lectores dijudicent. Aliqui fortaſſe de Præcepto Decalogi quarto actum eſſe putabunt, niſi hoc mordicus retineatur nomen. Nihil verò conſequetur minùs. Nam de cultu publico eſt præceptum, ſi rem ipſam ſpectare volumus, & idoneo ad exhibendum cultum hunc tempore. Deberi enim Deo cultum publicum, & certa huic cultui tempora deberi, Natura ipſa docet. Hoc morale ac perpetuum eſt. Septimum verò diem deberi, & eum quo *Judæi* feriabantur ſeptimum, Natura non docet. Id accepimus à Deo; (*Gen*.2.2,3.) nec mutari niſi à Deo potuit. Si enim Eccleſiæ concedatur, ſine inſtinctu Divino, mutare pro arbitrio quæ inſtituit Deus, præſertim in tanti momenti re, vereor nè multis magníſque incommodis patefaciamus feneſtram. Quare ab Apoſtolis factum id fuiſſe, mutatum publici cultûs diem, dictante quo agebantur Sacro Spiritu, facilè credimus; cujus rei non deſunt indicia ſatìs manifeſta in Scriptis Apoſtolorum. De Sabbato igitur mandatum, quatenus de cultu publico temporéve Sacri cultûs præcipit generatim, abrogatum non eſt. Nam vis ac ſumma Præcepti non in unico illo (quod quidem deſcribitur) Sabbati feſto, ſed in genere ſpectatur univerſo, certis nimirum ſtatíſque diebus ad conventus publicos conſecrandis. Quis enim ignorat, in aliis pleriſque Decalogi Præceptis, *Non adorabis idola*, *Non adulteraberis*, *Non furaberis*, *Non occides*, *Non falſum dices teſtimonium*, *Patrem atque matrem honorabis*, &c. unum aliquid ſpeciale deſignari, totum verò genus intelligi? Itaque Præcepti quarti Lege, non minùs tenentur *Chriſtiani* ad celebrandum Diem Dominicum, quàm ad Sabbatum tenebantur *Judæi*. Valeant ergò Anticipationes, valeant Deſtinationes, quibus hac in re non eſt opus. Conſecratum ſit ab initio Sabbatum, poſt *Chriſti* tamen reſurrectionem abrogatum. Abrogatum eſto Sabbatum; neque tamen imminutum, ſed perpetuum, eſto id quo Sabbatum præcipitur Mandatum, ubi de cultu Dei publico, & idoneo ad cultum hunc tempore, æterna eſt nobis conſtituta Lex.

Naturæ humanæ depravatio nota profanis gentibus.

§ 64. Corruptæ ab initio naturæ humanæ, graviſſimo primorum Parentum lapſu, clara etiam nunc veſtigia exſtant, quæ deleri non poſſunt. Nam & homines profani, *Græci Latini*que, animadverterunt, longè magìs ad vitia quàm ad virtutem noſtros animos propendere: quod ipſos naturæ fontes jampridem eſſe vitiatos atque impuros indicat. Quid aliud ſibi volunt eæ Poëtarum atque Philoſophorum querelæ? "A virtute omnes ad libidinem eſſe proclives; Servam eſſe naturam; Virtutem poſuiſſe deos ſudoris in arce; Facilem eſſe deſcenſum *Averni*, arduum redire; Gentem humanam ruere per vetitum nefas; Niti ſemper in vetitum nos, & negata cupere, quemadmodum ——*interdictis imminet æger aquis*; Aliud ſuadere cupidinem ſive concupiſcentiam noſtram, mentem ſive rectam rationem aliud; Videre nos bona probaréque, deteriora ſequi tamen; Anguſtam eſſe viam ad virtutem & vepribus intercluſam, latam amœnámque ad vitia; Difficilia quæ pulchra; Cereos in vitium flecti adoleſcentes; Ferreum venæ pejoris ævum hoc, in quod erupit omne nefas; & *Pittaceum* illud, *Perdifficile eſt bonum fieri*; cui *Ariſtoteles* aſtipulatur, (Eth.2.) Ἔργον ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι. Poſtremò, *Æſopicum* illud de terra (humanum plectente ſcelus) humanis animis aptiſſimè convenit. Terram ille ſpinis, tribulis atque loliis matrem eſſe dixit; floribus, frumento herbíſque ſalubribus, non

niſi novercam: eò quòd illa ſuâ ſponte naſcerentur, ex terra etiam inculta & quieſcente; ſed hæc culturam poſcerent induſtriámque humanam. Sic ad vitia & virtutes habet ſe mens humana. Illis matrem ſe præbet, per ſe germinantibus.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur; optimus ille
Qui minimis urgetur. ——

Imò labor eſt inhibere legibus atque pœnis vitiorum luxuriantem ſegetem. Eadem virtutibus anima novercam agit; quandoquidem præceptis exemplíſque, & opimâ præmiorum ſpe, frugem indè bonam vix elicias. ——*Gratìs pœnitet eſſe pium*; impium libet ſine mercede. Huc ſpectat *Socratis* cum *Theodora* formoſiſſima meretrice colloquium apud *Ælianum*, (Var. hiſtor. 13. 32.) Ea cùm jactaret ſe quos vellet à *Socrate* diſcipulos abducere, *Socratem* verò à ſe neminem poſſe; *Nihil mirum*, inquit ille: *ſiquidem tu homines ad tramitem declivem rapis; ego ad virtutem cogo, arduâ ignotâque viâ.* His omnibus,& aliis hujuſmodi quamplurimis, læſam fuiſſe aliquomodo animam humanam, profanæ gentes fatebantur: ipſam perſpicientes rem uſu quotidiano, cujus cauſam, Divinæ lucis expertes, ignorabant.

A. M. 1. *Cainus* § 65. Poſt decem, opinor, menſes, (quod parturientibus fœminis præfinitum eſt à Natura tempus,) ex *Eva* uxore, filius *Adamo* natus eſt, cui nomen eſt datum *Cain*, hoc eſt, *Acquiſitus*. Eo enim nato, *Virum*, inquit mater, *à Deo conſecuta ſum.* Gratitudinis maternæ ipſum erat index nomen, quo profeſſa eſt, *hæreditatem eſſe liberos* & *Abel* nati. *à Deo.* (*Pſal.*127.3.) Annis, puto, quinque ſeriùs, *Caino* frater eſt genitus *Abel.* Pueris enim annos prope mille victuris, quatuor videntur pluréſve lactentibus tribuendi. Quò vita hominum erat diuturnior, eò ſingulæ partes erant longiores, ſenectus, maturitas, adoleſcentia, & pueritia. Acerrimè quidem *Torniellus* contendit, ſingulis *Evam* annis peperiſſe, ut quàm celerrimè augeret populum, & repleret mundum. Partum ergò priùs editum ſemper lactâſſe gravidam prægnantémque novo. At verò hoc ipſum, præbuiſſe prægnantem infantibus lac, minùs credibile cùm ſit, neque cauſa pateat quare tanta cum feſtinatione multiplicandus fuerit populus, ordinem ego generationis conſentaneum naturæ magìs, magìs & probabilem, cenſeo. *Abelis* nomen *Vanitatem* ſignificat, ſeu *evaneſcentem Vaporem*, qualis omnium eſt hominum vita, (*Jac.*4.14. *Pſal.*39.6.) *Abelis* præcipué. *Luctum Joſephus* interpretatur. Sunt qui ſorores fratrum utrique tribuunt, eodem partu genitas, *Caino Calminam*, *Delboram Abeli.* *Azuram* & *Aſuam* alii vocant. Et *Aſuam* vel *Savam* (ut *Epiphanius* appellat) *Caini* uxorem *Epiphanius*, *Azuram Sethi*, fuiſſe vult. Contrà *Cedrenus.* Aliqui *Judæi Cainum* & *Abelem* geminos faciunt. Quàm verè hi omnes ſine Autore Sacro, ipſi viderint. Hæc ea videtur *Heſiodi* Ætas argentea, quam *Jovem* ait iratum ſuſtuliſſe, impietatis ac ſcelerum cauſâ. In eadem verò longiſſimam hominibus ætatem, ipſíque pueritiæ centum annos, tribuit. Itaque ſingulis ferè quinquenniis, nunc ſingulis pueris, nunc geminis, auctam fuiſſe *Adamo* familiam, credibili conjecturâ licet opinari. Nam antequam interiit *Abel* multiplicatum fuiſſe genus humanum, *Caini* metus indicat, (*Gen.* 4. 14.) nè *à quovis obvio interficeretur.*

Prima domicilia, § *66. Adamum* è Paradiſo ejectum prima cura de victu ſolicitum habuit, proxima de commodo ad propulſandam ferarum hyemíſque vim domicilio.

Tum primùm ſubiêre domos: domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & junctæ cortice virgæ.

Sic de argentea ætate *Ovidius.* *Domos nativas*, ait *Seneca*, *dabant antra*; ut de *Saturni* ſeculo *Juvenalis*, Sat.*6*.

——*cùm frigida parvas*
Præberet ſpelunca domos, ignémque larémque
Et pecus & dominos communi conderet umbrâ.

Quibus antra vel non occurrebant, vel minùs placebant, ii vel ex pellibus animalium tentoria, vel ex truncis arborum, aut furcis longioribus, trabibúſque quoquo modo compactis, tuguriola & caſas exſtruebant, arundinibus tegebant aut frondibus, parietes denique luto & virgultis, hirundines, credo, imitati, contexebant. Tandem lapides in ædificiis, &, ubi lapides deerant, lateres inventi adhibitíque: adeò ut una domus multarum eſſet artium & artificum opus.

§ *67.*

§ *67.* Victum primò Natura præbuit, non paravit induſtria. Unicus enim colligendi fuit, non ſerendi metendíve, non coquendi aſſandíve, labor. & victus hominum.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus montanáque fraga legebant,
Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes. (*Ovid.* Met.l.1.)

Nec aliam credo culturam agris adhibitam inprimis, quàm ut fructiferas quaſdam ſererent & propagarent arbores, in æmulis Paradiſi hortis: ut *Noachus* (*Gen.* 9.20.) ſerendo vites agricolam egit. Poſtea, cùm frumentum ſæpius guſtâſſent, aliquibus in locis enatum ſponte, glandéſque jam fructúſque ſylveſtres eviluſcerent, unde panem conficiebant primitus, rationem inivêre quâ terram foderent, frumentum ſererent, maturum colligerent ac reconderent in cellis, victúmque ſibi reponerent hyemalem. Cùm enim à formicis apibúſque id fieri videamus, brutâ quadam inſtigante naturâ; idem feciſſe homines, ac in poſterum proſpexiſſe, multò credibilius eſt. Tandem verò aratrum, & reliqua inſtrumenta ruſtica, ut minuerent ſibi laborem, excogitârunt, omnéque onus hoc opúſque tranſtulerunt in jumenta. Sed an hæc in primo ſeculo ſit agriculturæ inventa ratio, haud facilè colligitur ex *Moſe*; aliunde fruſtrà quæritur. Cúmque agnis vel caſu amiſſis, vel oblatis Deo, vel ablactatis, ſupereſſe perſpicerent ac redundare pecudibus lac, ſibi homines quod vacabat emulgebant; mox eâdem arte vaccas quoque aggreſſi. Neque verò potum ſolummodo, ſed & cibum indè ſibi, experientiâ longiuſculâ edocti, confecerunt; ex coagulo caſeum, ex flore lactis butyrum. Quin & veſtes, ex lanatis pellibus ovium conſutas, hyemi frigoribúſque opponebant. Itaque animal tam utile ac fructuoſum magni facere, in greges cogere, opilionibus denique alendum, fovendum cuſtodiendúmque tradere. Quod munus inprimis *Abeli*, ſecundo ex *Adami* filiis, contigit. *Cainus* enim, natu maximus, agriculturæ præerat.

§ *68.* Utrumque (ut & reliquos filios filiáſque) pius pater à pueris jam Divinâ Religione imbuerat, Sacríſque ritibus initiârat. Quæ Deus ipſi dictaverat, ea liberis ille ſuis inculcabat ſeduló. Ità conatus eſt, educationis curâ, peccatum in filios redimere; piâque inſtitutione, quantum fieri potuit, eam reparare ac reſtituere imaginem Dei, quam ſuâ contumaciâ in Deum ſuis poſteris ademerat. Primitias frugum ut offerrent Deo quotannis inſtituit, quo ejus dominium & beneficium piis gratíſque animis agnoſcerent. Beneficium verò hoc, non ſolùm condendo concedendóque hominibus omnia, ſed & ea ipſa quibus utebantur fruebantúrque jam, quæque hoc anno percipiebant, benigniſſimè largiendo. Deinde, ſacrificia mactare docuit, ad expianda præcipuè peccata, placandúmque irritatum offenſis humanis Deum. Id autem fiebat, non tam ſuapte victimarum vi ac virtute, (quid enim victimis opus eſt Deo? *Pſal.*40.6. & 50.8,9, &c.) quàm ejus hoſtiæ poſt multa ſecula immolandæ, quam hæc interim adumbrabant ſacrificia, certámque hominibus fidem faciebant futuræ. (*Gal.*4.3. *Heb.*9.11,12,&c. & 10.1,4,10,14.) Nec ſupplicabatur ſolummodo his victimis, ad conciliandam irati Numinis gratiam, ſed & gratias agebant pro acceptis beneficiis. Hâc ratione ſacrificia *Euchariſtica* ſeu *Gratulatoria* vocabantur; altera illa pro peccatis, *Propitiatoria*, Græcè Ἱλαστικά. Iiſdem verò Sacris aliquando utraque peragebatur, Propitiatio, Gratiarúmque actio. Sed quo primùm tempore cœperunt inſtitui hæc Sacra? Nihil enim Sacris Literis hac de re traditur ante *Cainum* & *Abelem*, poſt triginta ferè atque centum annos ab exordio rerum. Sunt qui ex tunicis pelliceis quibus induti ſunt Parentes primi, quaſi veſtigiis quibuſdam, conjecturam faciant, jam indè à prima collapſi hominis Divinique fœderis inſtauratione, per promiſſionem de ſemine Mulieris, inſtitutam eſſe imperatámque *Adamo* hanc ſacrificiorum Religionem. Nam unde pelles, inquiunt, ad veſtimenta, niſi ex pecudibus mactatis ad ſacrificia? Hinc & legem poſtea natam, atque datam aiunt à *Moſe*, (*Lev.*7.8.) ut holocauſti pelle ſacerdos frueretur. Nam veſtibus, quæ nuditatem corporis operiunt, ſignificari tanquam ſymbolo expiationem quâ teguntur peccata; ídque doceri volunt à *Chriſto*, *Laodicenſibus* conſulente (*Apoc.*3.18.) ut emant à ſe veſtimenta alba, quibus induantur, nè nuditas probro ſit. Idem de inſtitutione ſacrificiorum ab Apoſtolo confirmari volunt, (*Heb.*9.18,22.) dicente, *ſanguine ſancitum eſſe primum fœdus*; *nec abſque ſanguinis effuſione remiſſionem poſſe fieri.* Itaque cœptum vel in Paradiſo putant hunc ſacrificandi morem, vel ut primùm indè

& Religio, in Sacrificiis præcipué.

ſunt ejecti Parentes primi. Nec enim *Cainus*, homo improbus, videtur ſuâ ſponte ſacrificaturus, niſi pater eum inſtituiſſet *Adamus*. Satis quidem probabiliter diſputantur hæc. Verùm utcunque cœperit hic ritus, negari profectò non poteſt, *Adamum*, quæ aliis tradiderit, iis ipſum eſſe perfunctum Sacris ſæpiſſimè; quanquam nulla inciderit cauſa patris commemorandi pietatem, qualis à filio eſt oblata, qui cæſus ipſe, & quaſi pro victima oblatus eſt. At unde conſtabit *Adamum Abelém*ve Sacrorum, quos diximus, ex Deo didiciſſe ritus? Nec enim deſunt qui id quærant, imò qui negent. Qua in re unus mihi ſatis locuples teſtis futurus eſt *Abel*; ejus enim victimam Deo gratiſſimam fuiſſe mox audiemus: ut nihil de *Noacho*, nihil de *Abrahamo* dicam, aliiſve, qui cultu hoc eidem Numini mirificè placuerunt. Cultum verò nullum Deo gratum eſſe, niſi monſtratum atque mandatum à ſe, Sacræ Literæ luculenter docent. (*Matt.*15.3,9. *Col.*2.22,23.) Præterea, ex fide obtuliſſe *Abelem* ſacra dicit Apoſtolus: (*Heb.*11.4.) At voluntate Divinâ verbóque nititur vera fides; *ex auditu* enim *fit*, *auditus per verbum Dei.* (*Rom.*10.17.) Itaque Patres antiqui, victimas immolando, non quem ipſis libuit cultum, ſed quem Deo gratum noverant, ab eóque mandatum, exhibuerunt, monſtratúmque. Ideo autem monſtravit mandavítque Deus cultum hunc, ut haberent ab exordio mundi quo *Chriſti* venturi mortem ſibi proponerent, fidémque ſalvatricem exercerent. *Chriſtus* propterea dicitur *Agnus ab ipſo mundi exordio immolatus.* (*Apoc.*13.8.)

A.M. 128. § 69. Secundùm patris inſtituta primi fratres ſua Deo Sacra obtulerunt. Factum id *in fine dierum*, ait *Moſes*, id eſt, poſt multos dies, longúmve tempus, ut aliqui exponunt; quod tamen quid ſibi velit ego vix capio. Sub anni exitum, alii videntur probabiliùs interpretari. *Annum* aliquando ſignificant *Dies.* (*Deut.*14.28. *Lev.*25.29.) Poſt collectam repoſitámque meſſem; quo tempore ſolebant poſtea, tum *Iſraëlitæ*, (*Exod.*23.16.) tum gentes profanæ, (*Ariſtot.* Polit.8.) ſuas litare gratias diis. *Nierembergius* (de Orig. S. Scripturæ 8.19.) celebrata fuiſſe à fratribus natalitia, vel ſua, vel Mundi, opinatur. Major quidem, agricola, de primitiis frugum, ſed pro more tantùm, nullo delectu, Religione nullâ, & ſacra tantùm Eucharittica, ut *Phariſæus* gratias, (*Luc.* 18.11.) tulit. Minor, de pecudum primogenitis, agnum egregium, fide pietatéque itidem eximiâ, immolavit. (*Heb.*11.4.) Propitiatorium videtur hoc & cruentum ſacrificium, eóque magis gratum fuiſſe Deo, *Chriſti* gratiâ. Tradunt *Judæi*, (*Hieron.* Tradit. Hebraïc. in *Geneſ.*) montem *Moriam* ſive aream *Araunæ* hiſce locum Sacris præbuiſſe; ubi & *Adamus* antea, & *Noachus* poſtea, & *Abrahamus* & *David* & *Solomon*, (2 *Chron.*3.1.) altaria condiderunt. Meritò quidem Deus minoris fecit majoris donum, & *Abelis* hoſtiam frugibus *Caini* prætulit; ídque incensâ victimâ igne cœlitus demiſſo, (quod ſæpius à Deo factum eſt, *Lev.* 9. 24. *Jud.*6.21. 1 *Chron.*21.26. & 2 *Chron.*7.1.) aliôve aliquo illuſtri ſigno, demonſtravit. Aliqui, ex proſpero tantùm ſucceſſu rerum *Abelis*, cùm fratri meliùs videret eſſe quàm ſibi, animadvertiſſe *Cainum* putant *Abeli* voluiſſe meliùs, ac magis propitium fuiſſe, quàm ſibi Deum. (*Heb.*11. 4.) Indignatus propterea vehementer *Cainus*, irâ protinus & invidiâ æſtuat, (1 *Joan.*3.12.) demiſſóque vultu incedens, grande aliquod malum fratri machinatur. Hinc ea ducit initium, quam prædixerat fore Deus, inter Serpentis progeniem & mulieris inimicitia. Ut veritas odium parit, ità pietas creat periculum: perantiquum ſanè periculum, & cum ipſa penè rerum origine ortum. Sed ex pietate periculum felicitati flagitioſorum hominum eſt longè præferendum. Facilè animadvertit Deus quid animo *Cainus* agitaret, admonuítque hominem ſalutariter ut caveret ſibi, nè animo eſſet vel dejecto, vel offenſo in fratrem, ſed omnem in ſe ſui ſpem reponeret. Si pœniteret benéque ageret, fore ut in gratiam Dei facilè rediret. Certum verò imminere pertinaci ſupplicium. Nihil eſſe cur à fratre ſibi metuat; quem, cùm natu minor eſſet, majoris imperio Natura ſubdidit. Ità quidem cœleſtis Pater optimè monuit, ſed inutiliter. Etenim ille, ſanguinem ſitiens, inducit fratrem verbis, nihil ſuſpicantem, ut in agros ſpatianti comitem ſe det. Ibi ſolum nactus & inermem, armatus invadit crudeliter, interficítque. Prima quæ in homines incidit mors, in virum optimum, Religionis causâ, incidit. Cujus modò victima erat gratiſſima, ipſe jam quaſi pro victima immolatus eſt. Agnorum ſanguine cùm placari Deum videret *Cainus*, agnum & ipſe mactavit inſontem. Quid putemus? pœnámne an præmium eſſe mortem? Vivit edax vultur, extincta eſt innocens columba. Certè alibi quàm in hoc mundo & præmium & pœnam eſſe putabit exſpectandam, nec vel gratiam Dei, vel homi-nis

Sacra faciunt primi fratres: ubi

Abelem, ſibi prælatum indignatus,

tollit *Cainus* è medio.

nis cujuſquam impietatem & ſanctimoniam, ex adverſis proſperíſve rebus in hac vita æſtimandam, qui *Abeli*, animam exhalanti, *Cainum* telo cruento inſultantem viderit. Facinus occultum ſperat, quoniam remotum longè ab oculis hominum; &, quaſi re bene geſtâ, clàm exſultat nefarius parricida: quanquam ſeipſum revera magis occîdit quàm fratrem. Sanguinem haurit *Abelis*, —*animâmque in vulnere ponit* ſuam. Hâc mortuâ in æternum, ille vivâ voce penetrat cœlum. (*Gen.*4.10.) Sed non opus eſt operâ noſtrâ moneri Deum. *A. M.*128.

——Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Aſpiciunt oculis Superi mortalia juſtis.

Vindex ille oculus Dei, contemplatus omnia, quæſtionem inſtituit, (*Pſal.* 19.13.) interrogátque *Cainum* ubi ſit frater. Homo protervus, tantum abeſt ut fateatur, ut pœniteat eum ſceleris pudeátve, quid eo factum ſit neſcire vociferatur ſe. Quid enim? inquit, *Egóne cuſtos ei conſtitutus ſum?* "Neſcire verò te? ait Deus. An & me "putas? Non tu fratri cuſtos datus es; at nec ſicarius. Quod hoc à te novum eſt "horrendúmque facinus perpetratum? *Cruorem* enim *fratris tui ex terra ejulantem* "*audio*,(*Heb.*11.4. & 12.24.) & vindictam à me importuniùs efflagitantem. Quare "maledictus eſto, exſulatóque procul ab hac terra, quam ſanguine fratris inquinâ-"ſti. Quamcunque verò colueris, ingrata ſterilíſque ſit, (*Lev.*26.20. *Pſal.*107.34.) "nec ſolitum tibi fructum præbeat. Stabilem verò certámque ſedem, in qua con-"ſiſtas diu, nullam uſpiam reperies. (*Pſal.*59.11. & 109.10. & 112.6,7. *Mic.*2.4.) "Per omnes enim terras, per ſylvas & ſolitudines, vagum palantémque te conſcientia "ſceleris, pudor pavórque, ſtimuli anxiæ mentis, exagitabunt. (*Lev.*26.17,36. "*Job.*15.20,21. *Prov.*28.1.) Tu ora vultúſque omnium, quaſi exſecrantium te, "parantiúmque inſidias & vim, perhorreſces. Omnes verò te ut monſtrum vitabunt, "&,cùm viderint, tanquam auſpicium malum deteſtabuntur. Hâc ſententiâ latâ, non potuit continere ſe homo ſceleſtus, quin ſævitiæ Deum ipſum & iniquitatis argueret. "Majorem queritur quàm ut ferre poſſit ſibi pœnam eſſe conſtitutam. Pa-"triâ extorrem, Divinâ præſentiâ, gratiâ patrocinióque orbatum, proſcriptum deni-"que, vagum profugúmque ſe, omnium injuriis atque telis objici; ut obvium interfi-"cere, cuivis futurum ſit, non veniâ modò, ſed & præmio, dignum. Hæc ille; graviora homini conſcientiâ ſuâ, quàm Dei juſtitiâ, interminante. Quare Deus, "Imò "verò vives, inquit; nè quid metuas. Sed ità vives, ut, animæ infeliciſſimæ one-"roſæque pertæſum, advocantem ſe mors refugiat. Ità longam vives miſeriam, in "hoc non domicilio, ſed carcere, ut mors pro munere, vita pœnæ tibi acerbiſſimæ lo-"co futura ſit. Vives, inquam,

Inſtitutâ quæſtione, damnatur à Deo.

——*Et ſic te meliùs quàm funere perdam.*

"Tu de fine pœnæ loqueris; ego pœnam volo, etiam in hac vita, quò exemplo ſis "omnibus horrifico parricidii ſine ſanguine ritè vindicati. Qui autem ceciderit te, "pœnas ille mihi ſolvet ſeptuplò graviores tuâ. Quare notam impreſſit illi Deus conſpicuam,& ſignum ejuſmodi, quo conterriti refugerent eum omnes,at à cæde abſtinerent. Adeò enim ferre non potuit homicidium, in ea præſertim paucitate hominum, ut nè parricidam voluerit interimi, ſed aliis ſuppliciis, quavis morte gravioribus, affligi potiùs & cruciari. Longius illi dedit, non vivendi, ſed vagandi, tremendi, moriendi ſpatium. *Ingrata miſero vita ducenda eſt in hoc, Novis ut uſque ſuppetat doloribus.* Ex terra igitur natali, ex ea terra ubi Deus maximè manifeſtóque ſe præſentem exhibere ſolebat, in exſilium *Cainus* profugit cum familia. (*Pſal.* 5.4,5.) Ut ille ſe fratri fuiſſe cuſtodem, ſic illi Deus fore ſe negat. Conſedit autem in terra *Nodi*, ad partem *Edenis* orientalem; in *Suſiana*, credo, vel *Aſſyria*. *Junius* legit, *ad orientem verſus Edenem.* In *Arabia* igitur *deſerta*, *Babyloniæ* contermina, *Cainum* ſtatuit, *Nomadum* illic (ſi quos ante Diluvium fuiſſe *Nomadas* opinabimur) autorem. Nec ibi tamen uno eodémque in loco diu conſedit. Suæ furiæ hominem agitabant ubique. Aut ſoli ſterilitas, aut anxietas animi, ad alias ſubindè ac alias quærendas mutandáſque ſedes compulit. Ità nullam unquam uſpiámve aut corpori quietem indulgere potuit, aut animo pacem. Ab hac, opinor, *Caini* pœna factum eſt, ut tacitâ & naturali quadam omnium ferè gentium lege, ſolum deinde verterint homicidæ.

§ 70.

A.M. 130. *Sethus* naſcitur,

§ 70. Alium hoc anno peperit *Adamo* filium uxor *Eva*, paterni ut peccati, ſic & pœnitentiæ ac pietatis hæredem. *Sethum* nominavit, hoc eſt, *Repoſitum.* Eum enim loco *Abelis* Deum ſibi repoſuiſſe, vel (ut exponunt alii) firmum poſuiſſe ac ſtabilem, quem nullus trucidaret parricida, gratulata eſt. Liberos *Adamum* poſtea complures genuiſſe, tradit *Joſephus*; at unum hunc memorabilem; & ex eo maximè memorabilem, quoniam ab eo *Noachus* atque *Chriſtus*, ab eo genus omne humanum erat propagandum.

A.M. 235. & *Enoſhus:*

A.M. 300. qui Religionem inſtaurant,

§ 71. *Sethus*, cùm centum & quinque annos peregiſſet, *Enoſhum* genuit, patrémque *Adamum* optimo nepote locupletavit. Tum demum cœpit reviviſcere ac recreari, quæ *Abelis* nece vulnerata langueſcebat diu, Religio vera. Cultus enim Divinus, qui privatis *Adami* parietibus delituerat hactenus, in publicum prodit. Familiæ multiplicatæ jam in unum coëunt, non reipublicæ modò, ſed & Eccleſiæ, manifeſtæ ac Viſibilis (ut appellant Theologi) Eccleſiæ, corpus. Templa Sacris conventibus dedicata, Aræ victimis, aliiſque ritibus Sacris peragendis conſtituti Sacerdotes, celebrandíſque (puto) Sabbatis. Ità claro diſcrimine viri boni ac pii ab improbis ac ſceleratis, Mulieris proles à progenie Serpentis, Eccleſia Dei à ſynagoga Diaboli, *Sethiani* à *Cainitis*, diſtinguuntur. Nec re modò, ſed & nomine, ſeparantur. Hos enim *filios hominum*, illos *Dei filios* nuncupabant. (*Deut.* 14.1. 1 *Joan.* 3.1.) Illi enim *Jehovam*, Patrem Deúmque cœleſtem, colebant unicum; quippe verbi Divini *ſemine immortali* (1 *Joan.* 3.9, 10. 1 *Pet.* 1.23.) regenerati: Hi aut falſum fictúmque, aut nullum, adorabant. Non igitur ſpirituali more nati ex Deo ſunt; ſed naturali tantùm ex hominibus geniti, *hominum* propterea *filii* dicebantur. (1 *Cor.* 3. 3.) *Suidas* ait *Sethum* ipſum ab hominibus ſuæ ætatis vocatum fuiſſe *Deum*, eò quòd *Hebraïcas* literas & ſtellarum appellationes inveniſſet, omnibúſque admirationi eſſet ob inſignem pietatem. Indè *Sethianos filios* dictos *Dei*. Alii verò (Hæretici, puto, *Sethiani*) ideo *Dei* nomen aſſecutum ferebant *Sethum*, quia natus annos 40, raptus ab Angelo, diebus 40 nuſquam apparuit. Eo tempore divinitus didicit, filios ſuos, quos *Dei filios* nominabant *Egregoros* etiam appellandos, graviter peccaturos, univerſúmque orbem præter paucos periturum aquis, adventurum quoque ſalutis autorem *Chriſtum.* Hæc omnia parentibus eum indicâſſe ferebant; ejúſque vultum deinceps, hoc Angeli congreſſu illuſtratum, ſplendorem quendam cœleſtem retinuiſſe per omnem vitam. Sed mittantur fabulæ. Non me latet, pleroſque *Judæorum* Interpretes, & *Chriſtianorum* nonnullos, diverſo planè ſenſu exponere verba *Moſaïca*, (*Gen.* 4.26.) *Enoſhi* ſeculo non cœpiſſe *invocari*, ſed *profanari*, nomen Dei, temeratam & corruptam Religionem veram, Homines aliáſque res venerando pro diis; vel, (ut *Moſes Maimonides* de Orig. idololatr.) ſtellis, quaſi miniſtris Dei præcipuis, cultum primò, Divinitatem poſtea, tribuendo. Itaque impietatis volunt hîc, non Religionis publicæ initia tradi, *Enoſho* inprimis procuratore. At *Enoſhum* impietatis autorem fuiſſe, filium *Sethi*, minùs credibile videtur. *Cainum* cum ſuis probabilius, *Enoſhi* quidem ætate, veram veterémque Religionem conſtuprâſſe, novas inſtituiſſe, ac deſciviſſe à Deo, quem unicum priùs univerſi mortales coluerant. Ego tamen id potiùs voluiſſe *Moſen* arbitror, (quanquam & hoc de *Caino* fortaſſe verum ſit,) *Enoſhi* temporibus collectam fuiſſe piorum hominum ex familiis multis, & *Sethi* maximè poſteris, Eccleſiam, ad celebrandam Dei Gloriam publicè, quod non niſi privatim antea factum eſt; quemadmodum *Cainitæ* in unum Civitatis jus (*Gen.* 4. 17.) & rempublicam, iiſdem ferè temporibus, coïverunt. De Republica igitur & Eccleſia, quoniam hîc nobis vagientis Eccleſiæ cunabula occurrunt, & Rerumpub. inſtitutio prima, pluribus hîc diſquirendum videtur.

in Eccleſiam coëunt,

§ 72. Diximus pridem, *Adamum*, læſæ Majeſtatis Divinæ reum, in maledictionem atque mortem, pœnáſque apud inferos æternas, incidiſſe; nec ipſum modò, ſed & nos ejus omnem progeniem, ſive germina, quæ ſuccum ex ejus corrupta radice vitiatum hauſimus. At benigniſſimus rerum omnium Parens ſuos liberos interire funditus non ferebat, quaſi produxiſſet ideo in theatrum hujus mundi, ut exirent omnes in Tartarum. Sed *ità dilexit mundum* hunc hominum immundorum, *ut Filium ſuum dederit unicum, ut quicunque in eum crediderint non pereant, ſed habeant vitam æternam.* At verò quî potuit fieri ut homines, depravati jam, in Dei Filium crederent, qui, cùm integri adhuc & ſani eſſent, Deo ipſi fidem negârant? Non eum hoc latebat, qui novit omnia, homines per ſe noluiſſe credere, noluiſſe vivere & ſalvari. Cùm igitur proſpiceret ab æterno quid eſſet futurum hac in re, niſi ope

ſuâ

ſuâ ſubveniret, ab æterno conſtituit, pro ſua ſumma bonitate, Spiritum Sanctum ſuum effundere; & ex univerſo genere mortalium fideles ſibi quoſque in omni ſeculo genteque omni eligere, quos ex clade hominum communi eximeret, iiſque ad finem perſeverantibus vitam æternam impertiret. (*Rom.6.23.*) Horum igitur fidelium piorúmque hominum cœtus univerſus, qui ab uno Dei Spiritu aguntur, ejuſdem præceptis reguntur, à reliqua fæce hominum & inquinamentis mundi ſegregantur, Dei *Eccleſia* dicitur in Sacris Literis. (*Eph.* 5.23, &c.) Eadem *Corpus Chriſti*, (*Col.* 1. 24.) & *Domus Dei.* (1 *Tim.*3.15.) Reliquos mortales, Spiritui Sancto reſiſtentes, in ſua meritò contumacia derelinquendos putavit Deus, ut meritis peccatíſque ſuis debitas Divinæ juſtitiæ pœnas luerent. Ità nihil habent aut hi, quòd conquerantur de iniquitate Dei, ſuo damnati vitio; aut illi, quòd glorientur de ſuis meritis, miſericordiâ ſervati & benevolentiâ Divinâ. Sed Electio Divina, pietas atque fides humana, occultiſſimæ ſunt res, neque ullo modo patent humanis oculis. *Quis enim novit mentem Domini*, (1 *Cor.*2.16.) ut ſciat qui verè ſint electi? Quis penetrare animos & ſcrutari hominum corda poteſt, ut qui verè pii fideléſque ſint cognoſcat? *Deus novit* (atque unus novit) *qui ſint ſui.* Eam igitur Eccleſiam hominum ſanctorum electorúmque Theologi meritò appellant *Inviſibilem.* Et rerum eſt inviſibilium fides. (*Heb.*11.1. 2 *Cor.*5.7.) In Articulis autem Chriſtianæ Fidei *ſancta & catholica eſt Eccleſia.* Quare alio modo Eccleſia vocatur laxiore ſenſu, Congregatio eorum omnium qui Evangelii prædicatione vocantur ad ſalutem, fidémque profitentur ac præ ſe ferunt *Chriſtianam.* Hæc *Viſibilis* Eccleſia & aſpectabilis. *Multi enim vocati, pauci verò ſunt electi*; ut ipſe nos *Chriſtus* docet. (*Matt.*20.16.) *Neque omnes qui dixerint, Domine, Domine*, hoc eſt, profitebuntur ſe *Chriſti* ſervos, *ingredientur regnum cœli.* (*Matt.*7.21.) Hæc ea *ſagena eſt* (*Matt.*13.47.) *quæ capit omnigenas res, bonas maláſque.* Hic *ager ille* (*Matt.*13.24.) ubi *cum tritico zizania* commiſcentur. Ità enim in Eccleſia quam *Viſibilem* appellant, hypocritæ, homines non renati, improbi reprobíque, permiſti bonis atque ſanctis degunt. Cùm enim fieri vix, ac nè vix quidem, poſſit, ut hos ab illis diſtinguat atque diſcernat ſumma ſagacitas ſolertiáve humana, multos neceſſe eſt à nobis in Eccleſia cenſeri, & haberi pro ſanctis, quos in ſuis electis non numerat Deus. Jam verò Univerſalis Eccleſiæ quam dixi, utrovis modo ſumptæ, pars altera in cœlo jam agit, quam Eccleſiam *Triumphantem* vocant Theologi; altera in terris contra ſpirituales animarum hoſtes, Diabolum atque Mundum Carnémque, militat ac præliatur aſſiduè, ſub vexillis *Chriſti.* Hæc *Militans* Eccleſia nominatur: cujus etiam partes in ſingulis regionibus, (*Apoc.* 1. 20.) atque urbibus, (1 *Theſ.*1.1. *Col.*4.16.) & in familiis aliquando, (*Col.*4. 15.) *Eccleſiæ* dicuntur. Et primam fuiſſe in *Adami* familia Eccleſiam, par eſt credere; *Enoſhi* temporibus auctam, & in oppida fortaſſe ac regiones totas propagatam. Hæc igitur fuerunt *Eccleſiæ* primordia. *Politiæ* jam videamus. A.M. 300.

§ 73. Ipſi Philoſophi docent, animal eſſe hominem ſociabile, tum quòd egeat mutuâ ſocietate, ac proinde appetat; tum quòd aptum ad eandem ineundam tuendámque Natura finxerit ac propenſum. Aptos reddunt homines ad mutuam conjunctionem Rationis & Orationis propriæ dotes, quibus aliis animantibus ſoli præſtant omnibus. Alterâ ſcilicet intelligunt res; alterâ voces hominum aliorum, & ſuorum animorum ſenſa exponunt. Quantum verò aliorum ſocietate homines ab initio indiguerint, ex eo facilè apparet, quòd ſine ſummo vel damno vel periculo non licuerit vivere ſeparatim. Feræ ingruebant, infeſtabántque greges, armenta, domicilia: Latrones, etiam armis inſtructi, deprædabantur, alienæ induſtriæ rapinis ſuam ſaginantes luxurioſam inertiam. Quid hîc agerent ſedulæ induſtriæque apes, quò à fucis feríſque alvearia ſua cuſtodirent? Quantum poterant, vim repellere vi, ſe ſuáque defendere, ſuadebat concedebátque Natura. Qui vitam dedit, nè fruſtrà dediſſe videretur, etiam tuendæ vitæ conceſſit præſidia; victum ſcilicet hominibus quo alerentur, &, quâ ſe defenderent, injuriáſque propulſarent, vim. Quin & armis tueri ſe viris bonis licebat. Ubi vita in diſcrimen vocatur, omnis honeſta ratio eſt expediendæ ſalutis. Tam chara eſſe debet ſua cuique & ſuorum ſalus, ut non modò liceat, ſed etiam oporteat, eripere potiùs alienam, quàm noſtram prodere. Quare cùm latrones armis graſſarentur, arma armis opponere, imò telis quibuſvis tegere vitam, & propulſare vim, ſancitum à Natura fas eſt. Sed nondum ſatis munitus videtur bonus vir. Luporum ſimul agmina, turbæ invadebant prædonum. Quòd ſi *nè Hercules contra duos*, quid vir unus, etiamſi armatus, contra multiplicatam vim valet? & Rempubl. conſtituunt.

A.M. 300. let? *Væ ſoli*, denunciat ſapientiſſimus Rex. (*Eccles* 4.10.) Qui autem ſolus objicitur periculis, ——— *in populo tutior eſſe poteſt.* Itaque ſinguli, ſuam experti ſatis imbecillitatem, primò in pagis atque villis, mox in oppidis, componere domicilia, & familias collocare, cœperunt, quò mutuâ ope juvarent ſe, faciliúſque à ferarum incurſionibus latronúmque præſtarent incolumes. At nè ſic ſe incolumes præſtabant. Robuſtiorum injuriis etiam hîc imbecilliores patebant, opibúſque præpotentium tenuiores premebantur. Hominum collecta in unum multitudo, nullis imperii vinculis colligata, tanquam arena ſine calce fuit. Satis firmus qui opponatur hoſtibus, ex lapidibus ſolutis, nunquam coaleſcit murus: cæmento eſt opus. Ità in populo, conjunctione virium, & regimine, quaſi funiculo triplici complicato. Viſum igitur eſt, ut omnes unum fortem moderatúmque virum appellarent, illi crederent ſe ſuáque omnia; ille ut imperaret, dicto audientes fore ſponderent ſe, ſuas in unum vires omnium atque poteſtatem conferrent. Ille inprimis publica Sacra perageret, purum tutúmque præſtaret cultum Dei, vindicarétque ſeveriùs violatum; ille vim vi repelleret, injurias prohiberet, ac ulciſceretur illatas; pacem denique ac juſtitiam foris domíque procuraret, cum eorum etiam interitu & ruina (ſi opus videretur) qui officerent ſaluti publicæ. Satius enim eſt ut unus pereat, quàm unitas. Utque in corpore humano uſu venit, ut ſit

——— *immedicabile vulnus*
Enſe recidendum, nè pars ſincera trahatur:

ità Reip. corpus nè intereat, vel periclitetur ſalus, quodvis amputandum eſſe membrum Natura docuit.

ſub imperio paterno, § 74. Nec erat inprimis ambigua difficultas eligendi hunc Principem. Communi omnium Parenti, *Adamo*, ipſa jampridem Natura tradidiſſe videbatur hoc imperium. Unde ſcilicet vivendi præſidia, venerandíque Deum, niſi ab eo, quærerent, à quo vitam ipſam acceperant, & Religionis veræ diſciplinam? Ac paternum fuiſſe dominatum, inter homines innocentes, credo futurum, ordinis gratiâ cultûſque Divini. Patre mortuo, ad *Sethum*, puto, *Sethi*que deinceps hæredes, imperium hoc ordine devolutum eſſe naturali; niſi cùm in regiones longinquas coloniæ deducebantur, quæ ſuis parebant ducibus. Ità res politicæ fuerunt nè à piis hominibus neglectæ prorſus, ut vitæ communis, imò & Religionis, adminiſtræ admodum neceſſariæ; quanquam ſtudio maximo Sacris & Eccleſiaſticis incubuerunt.

(præeuntibus *Cainitis*,) § 75. *Cainitæ* verò, disjuncti loco, ut ſuas tractabant ſeparatim res, ità in civilibus rebus operam diligentiſſimam navabant, quod ex primæ urbis molitione haud obſcuro argumento colligitur; de Divinis haud valde ſoliciti. Sagacior multò ad inveſtiganda hujus vitæ commoda impiorum eſt natio. Quippe difficillimum cùm ſit, prudentiam ſerpentinam & columbinam ſimplicitatem conjungere; hanc avidè arripiunt pii, illam ferè derelinquunt Serpentinæ ſoboli potiundam. Hominem bonum ſemper eſſe tyronem, nequiſſimus Poëta noverat. *Cainitas* igitur, antequam ſe murorum propugnaculis munierant, in Reip. corpus unum coiviſſe, conſentaneum eſt credere, & vel *Cainum* ſibi, vel *Henochum* ejus filium, præfeciſſe regem; ſuadente id partim ſolitudinis inopiâ, partim certorum ex mutua ſocietate commodorum ſpe. Imò *Cainitas* præiviſſe, ac *Sethianis* demonſtrâſſe viam adminiſtrationis atque diſciplinæ civilis, ex eo facilè conjicitur, quoniam profani homines, quibus, tanquam ſpuriis, omne patrimonium in hac vita largitur Deus, (*Pſal.* 17.14. *Luc.* 16.25.) multò ſtudioſiùs hanc artem excolunt quàm pii, orbis alterius hæredes; & plurium annorum ſpatio *Cainus* antiquior *Setho*, ſobolem quoque priùs numeroſam ſuſceperat, ſocietatis politicæ capacem.

& regali, § 76. Regio dominatui genus humanum paruiſſe in principiis mundi, cùm literarum docent monumenta poſt Diluvium, tum antea ex probabili conjectura elicitur. Quò enim aberant propiùs ab initiis rerum, eò magis credibile eſt imitari voluiſſe exemplum Dei, & regimen Univerſi, quod ignorare non poterant: neque verò eoſdem neglexiſſe autoritatem paternam, recente adhuc Naturâ, & (ſi unquam) in hominibus efficaci. Paternum verò eſt Regale imperium, adeóque naturale, ut in quinto naturalium ſeu Divinorum Præcepto, quoſvis præfectos nomen *paternum* complectatur. Nec obſtat regno patris debitus illic matri honos. Nam & uxor ipſa, quantumvìs præpoſita liberis atque ſervis, ut eſſent quidam gradus gubernationis in familia, tamen ut ſubeſſet viro Deus imperavit. (*Gen.* 3.16.) Et *Homerus* opti-

optimum regem eâ maximè ornandum laude cenſuit, quòd ſubditos filiorum loco haberet : ——Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. Ex mutis etiam brutíſque animalibus, examina, greges, armenta, non aliam habent, quæ aliquam habent, regiminis formam. Itaque *principio rerum, gentium nationúmque, imperium penes Reges fuiſſe, Juſtinus* docet : (lib.1.) Et *Saluſtius, in terris,* ait, *nomen Imperii primum fuiſſe. Ariſtoteles* quoque (Polit.3.1.) *& maximè vetuſtam, & maximè divinam,* ſcribit eſſe *Regiam gubernationem :* maximè vetuſtam, eò quòd in parvis urbibus, quales primò fuerunt, difficile eſſet excellenti virtute plures invenire qui regerent ; ideo Reges ab initio potitos rerum. Audiatur & *Pauſanias,* (in *Bœotic.*) *Tota* (inquit) *Græcia regibus parebat olim, rebuſpubl. nondum inſtitutis.* Nec eò tantùm præſtat Monarchia, quòd exemplar Divinum & Naturam ſequatur ducem : eandem uſu quoque maximè ſalutarem, utpote æquabilitatis & pacis & ſtabilitatis altricem unicam, jamdiu expertæ ſunt mortalium res. Ad reprimendos potentiorum conatus, ad motus populi coërcendos, ad conciliandam varietatem conſiliorum & diſcrepantiam, ad maximas quaſque res domi foríſque gerendas, denique ad illuſtrandum decus imperii & majeſtatem, expeditiſſima ratio eſt à regimine unius. Quantas *Athenienſibus* clades peperit numerus imperatorum ? Nec in extremis periculis aliunde remedium *Romanis* olim, aut ſalutis erat ſpes, quàm à Dictatore ; cujus Imperii perculſum diſcordiis inteſtinis & perturbatum corpus vix unquam coaluiſſet, niſi *Auguſtus Cæſar* ſuo nutu, quaſi animâ & mente, regendum & ordinandum ſuſcepiſſet. Quare pacis intereſt & ſalutis publicæ, imò felicitatis & gloriæ, omnem poteſtatem in unum virum optimum conferri ; nec alia populo certior libertas, quàm bonis ſubeſſe regibus. *A.M.* 300.

§ 77. Ac primò Regis unius liberæ cognitioni & arbitrio ſunt permiſſa omnia. Ità *Juſtinus,* (lib.1.) *Populus nullis legibus tenebatur : arbitria principum pro legibus erant.* Humana enim inventa ſolent ab imperfectis auſpicari ; multis experimentis & longitudine temporis corrigi ac perfici. Mox igitur abſolutum hoc regimen, cùm omnibus vel non placeret, iniquitatem judiciorum cauſantibus, vel non ſufficeret, multitudine creſcente ac ſuperante unius induſtriam quantamcunque, opus fuit excogitari quoddam æquabile Jus, quo tenerentur univerſi. Id in varia diſtributum capita reip. continebat *Inſtituta* ; vel, ſi literis erat mandatum, obtinebat *Legum* & nomen & vim. Ex harum præſcripto, vel per manus traditarum ſenſu, minores Præfecti in cauſis minoribus judicia dabant : Non niſi maxima quæque aut difficillima deferebantur ad Regem. Et abſolutum illud liberúmque imperii genus quòd primò valuit, deficiente (ubi cœpit) cognatione paternâ, facilè in tyrannidem tranſiit. Parentum poteſtas pari ſemper amore conditur atque temperatur. Itaque nimia parentibus difficulter, facilè traditur alienis. Sibi ſcilicet omnes bene malunt eſſe quàm aliis. At in liberis parentes ſuam putant verti rem, ſuam propugnari ſalutem. In ſubditis plerumque alieni principes non putant. Sed in ſumma licentia quid poſſint cogitant magìs quàm quid debeant facere ; quid ad ſuam conducat rem potiùs quàm ad publicam. Non jam pro filiis habere, ſed pro ſervis, ſubditos. Augere ſuæ familiæ res publico damno, & per funera graſſari reluctantium. Hæc nè fierent, neceſſe fuit infinitam potentiam Regum Legibus, quaſi cancellis quibuſdam, circumſcribi & terminari ; intra quos Regnum legitimum, extra Tyrannis conſiſteret. Tyrannis enim regni vitium eſt, ubi pro dominis habent ſe Reges, pro ſervis ſubditos, qui nec libertate ſuâ niſi regum arbitrio neque bonis fruuntur. Ubi huc poteſtas Regia degeneravit, abrogata eſt.

abſoluto inprimis, mox Legibus circumſcripto.

§ 78. Citra Diluvium igitur *Noachanum* trecenis fcrme ſupra millenos annis, novæ quædam exſtiterunt formulæ Gubernandi, extorto manibus Regum ſceptro. Erat ubi Optimates ordine quodam imperabant omnes ; quam *Ariſtocratiam* dixerunt. Ex his nonnunquam pauci rerum ſummam tranſtulerunt ad ſe ; quæ *Oligarchia* nominabatur : ut Triginta tyranni *Athenis,* Triumviratus *Romæ.* Alicubi ſceptrum Populus ipſe tractabat. Ille magiſtratus inſtituit, adminiſtratæ reip. rationem ſibi reddituros, cum provocatione ad populum quaſi judicem ſupremum. Hinc *Democratia* prodiit, ſive Status Popularis ; cujus *Attici* videntur autores primi ; quos *Plinius* (l.7.56.) dicit *popularem civitatem inveniſſe, ut* Ægyptii *regiam.* Alibi promiſcua plebs, illotis manibus, arripuit publicas res. *Ochlocratia* & Status Plebeius indè conſtitutus. Aliquæ gentes, ut ſimplicium formarum declinarent omnium incommoda, quæ certè plurima ſunt, mixtum, & ex tribus unum, conflârunt imperii genus ; ex quo præcipuè *Spartanum* habebatur priſcis temporibus, & noſtris *Venetum*

Aliæ Regiminis formæ tandem inſtitutæ.

tum. Neque ullum ferè *Chriſtianis* regnum eſt, quod aliquâ populi & Procerum au-
A.M. 300. toritate ac potentiâ non temperetur. Et certè rebus humanis, ità ut dictum eſt corruptis, præſtantiſſimum hoc eſſe imperandi genus, ſagax *Polybius* nullus dubitat aſſeverare.

Sethiani Artes inveniunt liberales: § 79. Hæc de originibus Eccleſiæ & Reipublicæ. Jam tandem redeamus ad *Sethum.* Nec enim res Divinæ modò ſeparabant *Caini Sethi*que progeniem, ſed humanæ quoque. Artibus feruntur ingenuis tantùm *Sethiani*, ſordidis *Cainitæ*, voluptatis & quæſtûs gratiâ, ſtuduiſſe. Hi terrena, illi cœlum & ſidera contemplati ſunt. Ut enim pietate *Sethus* & Religione clarus habebatur; ità earum *Artium* ſtudiis quæ *liberales* vocantur, Aſtronomiæ præſertim. Hanc enim diſquiſitionem, rerum tam ingentium, ſublimium, illuſtrium, & in hæc elementaria tam mirabiliter efficacium, animos hominum ingenuorum occupâſſe primam, & ingenia exercuiſſe, poſt Artes quaſdam neceſſarias, facilè crediderim. Quòd ſi *Judæos* audire volumus, ferunt illi quidem, *Sethi* poſteros, ab *Adámo* edoctos, duplicem fore interitum hujus Mundi, alterum aquis terram inundantibus, alterum igne depaſcente omnia, ut artes ſuas ab interitu quoquo modo vindicarent, duplicem columnam ſtatuiſſe, alteram lapideam, quæ aquarum diluvio ſupereſſet, lateritiam alteram, quæ incendio. In his artium ſuarum principia, & præcipua quæque myſteria, incîdiſſe. Quin & lapideam ſuis adhuc temporibus exſtitiſſe in *Syria*, *Joſephus* autor eſt: (Antiq. *Judaic.* 1.3.) ſed mihi profectò haud probabilis. Nec enim tantam rem, tam antiquæ vetuſtatis monumentum, affirmare tantùm ſatis eſt. Paucioribus expoſita eſt verbis, indiciiſque ac veterum teſtimoniis confirmata, quàm fides rei ab ipſis rerum principiis repetitæ poſtulat.

A.M. 325. Ex *Enoſho* naſcitur *Cenanus*, nonageſimo patris anno.
395. Ex *Cenano Mahalaleel*, anno *Cenani* ſeptuageſimo.
460. *Mahalaleelis* ſexageſimo quinto, *Jaredus* illi natus eſt.
622. *Jaredo Henochus*, ubi 162 vixiſſet annos.
630. § 80. *Cainus* ille exſecratus, annos circiter quingentos vagatus in terra *Nodi*, familiam indies auctiorem habuit, & quæ una jam urbi ſufficeret. Maximo filiorum *Henochus* nomen fuit; cui filius *Iradus*, nepos *Mehujael*, pronepos *Methuſael*, abnepos *Lamechus.* *Lamechus*, violato more patrum, duas unà ſibi uxores adjunxit, liberóſque ſuſcepit ex utraque: ex *Ada Jabalem* & *Jubalem*; è *Zilla Tubalcainum*, & ſororem ejus *Naamam.* Liberos *Lamecho* ſeptuaginta & ſeptem *Joſephus* tribuit. In

Cainitæ voluptarias & quæſtuoſas. hac maximè *Cainitarum* familia quæſtuoſas artes, & voluptatum miniſtras, excultas fuiſſe memorant. *Lamechi* filius *Jabal* tentoria figere, omnémque artem pecuariam, diligentiùs inſtituit. Sub dio paſtores, aut in antris, excubabant priús. *Jubal* muſicam organáque utriuſque generis invenit, tum quæ chordis, tum quæ follibus impelluntur. *Tubalcaino* fabrilis ars debetur, æraria ferrariáque; militaris quoque, ſi *Joſepho* credimus. Habent certè ipſæ artes, fabrilis & muſica inſtrumentalis, quemadmodum autores earundem, aliquam inter ſe affinitatem. Unde *Solinus*, (c.17.) *Studium*, ait, *Muſicum indè cœptum in Creta, cùm Idæi Dactyli modulos, crepitu ac tinnitu æris deprehenſos, in verſificum ordinem tranſtulerunt.* Jam verò ignem, quo ſubiguntur metalla, multíſque aliis nominibus utiliſſimum, ac ſummè neceſſarium humanæ vitæ, *Adamus* ipſe (credo) longè antè aut invenit, aut monſtratum à Deo uſurpavit. Sed nè *Tubalcaini* ſoror *Naama* (perperàm *Joſephus* filiam dicit) fruſtrà in Sacris Literis memorata videatur, *Genebrardus* & *Lipomannus* lanificii ac texturæ inventum illi tribuunt, cùm antea homines pellibus tantùm induerentur. Eam igitur *Minervarum* quas colebant *Græci* primam fuiſſe *Jo.Voſſius* (de Origin. idol. 1. 17.) opinatur. Muſicam vocalem potiùs *Hebræi Naamam* excoluiſſe volunt; eandémque fingunt conjugem habuiſſe *Noachum.* His conjecturis, quibus Sacra eſt autoritas nulla, haud ſcio an ulla debeatur fides. At præter has quas memoravi artes, lignarios quoque fabros ex eodem *Cainitarum* populo & lapidarios prodiiſſe, ædibus conſtruendis perneceſſarios, fide multò dignius videtur.

Oppidum à *Caino* conſtruitur primum, § 81. *Cainus* igitur, tot artificibus è ſua unius gente inſtructus, ex pluribus ædificiis atque vicis, in eodem compoſitis loco & muro circundatis, conſtruxit primus civitatem. Quâ id mente ſit ac ſpe aggreſſus, non ità promptum eſt dicere. Utrùm terroribus ſuis ut indè præſidium quæreret, erroribúſque finem, in uno fixus & communitus loco, útque arte hâc, ſi fieri poſſet, vagandi pœnam ſibi à Deo inflictam eluderet: an ut imperium tyrannidémque in reliquos mortales, unitâ ſuo-

rum vi, ex loco munito faciliùs invaderet: an ut impuniùs indè latrocinaretur & prædas ageret; quò improbitatis hominem non ſua ſolùm ſævitia & feritas adegit, ſed & ſoli ſterilitas, quacum diu erat, ſed fruſtrà, conflictatus, victum neceſſarium pernegantis: an verò, potiùs, ut ſuis conſuleret, hæredi præcipuè, damnatus ipſe ad errores perpetuos; ſuis, inquam, ut ſtabili tandem ſede conquieſcerent, ut à ferarum vi atque inſidiis tutiùs agerent, ut mutuis conſiliis, auxiliis opibúſque defenderent ſe ac juvarent, ut quam quiſque nôrat artem in hac ſe liberiùs exercerent. *Henocho* autem hæredi novâ urbis molitione proſpexit vel maximè, ut ille regno in omnes unus potiretur. Quam fortaſſe ob cauſam non à ſuo, (quod inviſum noverat) ſed ab hæredis nomine urbem quoque appellari voluit, *Henochiam.* (*Pſal.*49.11.) *Philo* quidem ſcribit *Judæus*, alias à *Caino* ſex fuiſſe urbes conditas, *Maicham*, *Jaredem*, *Teben*, *Jeſcham*, *Seletem*, & *Gebatem.* Et urbs *Palæſtinorum* Joppa *antiquior terrarum inundatione, ut ferunt*, ait *Plinius*, (5.3.) *Ante Diluvium (ut ferunt) condita*, ut ſcribit *Pomp. Mela*, (l.1.) Joppe *oppidum antiquiſſimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum.* (*Solin.*c.34.) *Strabo* quidem, (l.1. & 16.) aliquos ità dicere, at non omnium penè opinionem eſſe, tradit, ut aſſeritur à *Voſſio.* His accedunt noſtri quoquè temporis viri quidam doctiſſimi; *Lud. Vives*, *Raleius*, *Hugo Grotius*, (de Verit. Relig. Chriſtian. lib.1.) *Jo. Voſſius*, (de Origin. idololatr. 1.30.) Clarum ejus rei veſtigium eſſe aiunt, quòd titulum *Cephei* regis, & fratris *Phinei*, veteres aræ quædam retinuerunt; & belluæ marinæ oſſa immania oſtentabantur illic (in ædilitate *M. Scauri* apportata *Romam*) cui *Andromedam* expoſitam ferebant. Miratur etiam *Lud. Vives*, (in *Auguſtin.* de Civ. Dei 18.13.) *Laurentio Vallæ* opinionem hanc non probari in Libro ſuarum Elegantiarum ſexto. Mihi verò tantorum virorum incogitantia multò magìs admiranda videtur. *Cephea* enim *Apollodorus*, (lib.3.) *Ovidius*, (Metam.4.fab.18.) aliíque, *Euripidem* ſecuti, *Æthiopum* fuiſſe regem produnt; *Herodotus*, (l.7.) *Perſiæ.* Soli *Phœnices* aſſerebant ſibi. Et hæſitanter, non affirmatè, pronunciabant Autores illi veteres, priorem fuiſſe Diluvio *Joppam.* *Ut ferunt*, ait *Plinius*; cujus veſtigia legit *Solinus*: *ut ferunt*, addit *Pomp. Mela*: &, *aliquos ità dicere*, dicit *Strabo.* Neque conſtat de quo Diluvio dicatur hoc, *Ogygiano*, *Deucalionæo*, alióne aliquo. Nam de *Noachano* vix credibile videtur homines profanos vel cogitâſſe, vel audiviſſe. Sed unus hac in re nodus eſt inexplicabilis. *Cephei Perſeus* gener eam interemiſſe belluam fertur, cujus oſſa *Joppani* oſtentabant. *Perſeum* verò, avum *Euryſthei*, *Herculis* proavum, centum quinquaginta circiter annis ante *Trojana* tempora vixiſſe conſtat. Quomodo igitur aræ quædam ſuperſtites poſt inundationem generalem de *Cepheo* meminerunt, qui annos mille poſteriùs regnaviſſe dicitur? Oſſa verò quæ monſtrabantur, ejus monſtri fuiſſe cui devoranda exponebatur *Andromeda* (ſi quod monſtrum fuit; alia, puto, fabulæ mens eſt;) poſt annorum duo millia, quis mihi fidem vel probabilem fecerit?

§ 82. Præter ea quæ *Moſes*, de *Caino Joſephus* tradit, eum agros dividendi rationem excogitâſſe,

Communémque priùs, ceu lumina Solis & auræ,

inſtituit primus ut

Cautus humum longo ſignaret limite menſor.

Eundem ait pondera & menſuras adhibuiſſe ad emendas vendendáſque merces; cùm antea vel communes haberent omnes res, vel permutarent libere. Ità morum ſimplicitatem priſtinam & candorem callidis quibuſdam lucrandi artibus conſtupravit. *Caino* deinde nihil accidit memorabile, niſi eum eſſe credamus quem *Lamechus* interemptum à ſe, vel dolet, vel gloriatur. (*Gen.*4.23,24.) Eámque *Pererius*, *Cajetanus* aliíque interpretationem probant maximè, his impulſi conjecturis. 1. Quoniam hiſtoria & progenies *Caini* uſque ad *Lamechum*, & ab eo factam cædem, nec ulteriùs, progrediatur. 2. Et à pœna de interfectore *Caini* ſumenda comparatio inſtituitur. 3. Denique, traditio vetus *Hebræorum* apud *Hieronymum* (Epiſt. ad *Damaſc.* 125.) perpetratæ cædis modum narrat. *Lamechum* aiebant venationi magnopere deditum; at, ſenio caligantem, ductore uſum adoleſcente; cujus imprudentis monitu, latitantem *Cainum* ſagittâ fortè quaſi feram confecit; ſed errore cognito, arcu interemiſſe ductorem ſuum. Hanc eum geminam volunt Interpretes quos dixi apud uxores confiteri cædem: "*Audite, uxores, Virum occìdi, juvenémque interfeci*; " neque tamen metuo vindictam. Si enim pœnam *ſeptuplò* majorem comminatus

ei

A. M. 630.

Henochia.

Lamechus Cainum è medio tollit.

A.M. 630. "ei ſit Deus qui *Cainum* parricidam occideret; quantò graviore multabitur qui tru- "cidaverit me, ſceleſtiſſimi hominis, ídque per imprudentiam, interfectorem? *Lamechum* alii apud uxores ſuas ità magnificè jactare venditaréque malunt ſe: "Audite, uxores meæ, attendite diligenter; Injuriâ laceſſitus, & inflammatus irâ, vim "intuli, hominémque interfeci: Neque tamen vindicem qui ulciſcatur metuo. Vel, ut alii exponunt, "Si fortè injuriâ provocatus & incenſus irâ intulero vim, at- "que hominem interfecero, nè quid vos indè aut vobis mali metuite, aut mihi. Nul- "lum ſcilicet ultorem timeo qui vindicet. Si enim *Caino* ità indulſit Deus, ut pœ- "nam *ſeptuplò* graviorem interminatus ei ſit qui parricidam occideret; quantò ma- "gìs *Lamechi* cædes *ſeptuagies ac ſepties vindicabitur?* Sic irriſit homo nefarius juſtitiam Dei; quaſi *Cainus* inultum tulerit, qui morte non luerit parricidium. (*Eccles* 8.11.) Quòd autem *Moſes* progeniem *Caini* uſque ad filios *Lamechi*, nec ultrà, produxerit; id erat fortaſſe, quoniam hi, propter ingenia & artes, maximè omnium nobiles & memorabiles habebantur. *Theodoretus* alium à *Lamecho* juvenem interfectum, minimè verò *Cainum*, vult; at impunem evaſiſſe, quia doluit vehementer ob cædem admiſſam, & majori ſupplicio dignum ſe quàm ipſum *Cainum* judicavit. Verùm hunc obſcuriſſimum fateor eſſe locum, & cui *Delio natatore* ſit opus, ut inveniat fundum; nec eum fortaſſe magni jam pretii, ſi quis contigerit. *Cainum* verò *Cedrenus* (quo autore non conſtat) ſuæ domûs ait ruinâ contritum periiſſe, uno poſt *Adamum* anno.

A.M. 687. *Henochus alter, Vates,* § 83. *Henocho Jaredi* filio, filius *Methuſala* prognatus eſt, patre ſexageſimum quintum ætatis annum agente. Cùm autem gratiſſimus eſſet *Henochus* Deo, vir pietate inſigni præ aliis, Divino Spiritu quoque afflatus eſt, & vaticinatus multa, quorum ad Apoſtolos *Chriſti* nonnulla pervenerunt; ore tenus inprimis, tandem fortaſſe ſcriptis etiam prodita, (*Origen.* Homil. 28. in *Numer.* & in Evangel. *Joan.* tom. 6. *Procop. Gaz.*) ſed apocryphis. Eorum autoritatem (non *librorum* dico, ſed *vaticiniorum*) S. *Judas* (in Epiſt. v. 14.) non aſpernatus eſt, quâ ſupremi Judicii fidem ſtabiliret. Neque id novum videri cuiquam debet, vel ſuſpectum. Pro certo enim ſtatuendum eſt, non omnia quæ à majoribus erant tradita, eſſe à *Moſe* literis etiam conſignata; ſed multa prætermiſſa, & ad poſteros tranſmiſſa per manus. Ea verò diuturnitate temporis ità ſunt adaucta, mutilata, mutata, corrupta omnia, ut ſpiritu *Moſaïco* & planè Divino, ad vera falſáque dijudicanda, opus fuerit Quæcunque igitur hujus generis ab Apoſtolis *Chriſti* recepta ſunt in Sacros Codices, ea nobis licet fide certiſſimâ complecti: Alia non licet, quantiſcunque autoribus commendata. Audiatur hac in re, de *Noacho* ſimul & *Henocho*, Divus *Auguſtinus*, (de Civ. Dei 18.38.) *Quorum ſcripta* (inquit) *ut apud Judæos & apud nos in autoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas; propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta, nè proferrentur falſa pro veris.* Nam & proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicantur ab eis qui pro ſuo ſenſu paſſim quod volunt credunt. Sed ea caſtitas Canonis non recipit: non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur autoritas; ſed quòd iſta eſſe non credantur ipſorum. *Syncellus Scaligeranus* hæc Apocrypha *Henochi*, ut & alia quædam *Eliæ* Prophetæ, necnon *Apocalypſin Moſis*, atque aliam *Jeremiæ*, inter Libros ait Canonicos non cenſeri, quoniam à *Judæis* atque Hæreticis depravata ſint, multáque habeant tum futilia, tum ſanæ doctrinæ repugnantia. Neque tamen planè proſcribi, quoniam ex iis Apoſtoli teſtimonia quædam in ſuis ſcriptis adhibent; non modò *Judas* ex *Henocho*, ſed etiam *Paulus* 1 *Cor.* 2.9. *Sed ut ſcriptum eſt*, *Quæ oculus non vidit, neque auris audivit*, &c. ex Apocryphis *Eliæ*. Sic *Eph.* 5. 14. *Quare dicit*, *Expergiſcere qui dormis*, &c. ex *Apocalypſi Jeremiæ*. Etiam *Gal.* 5.6. *Neque circumciſio eſt aliquid*, *nec præputium*, &c. ex *Apocalypſi Moſis*. Ità ex profanis Poëtis, *Arato*, *Menandro*, *Epimenidé*que, non dedignatur, quæ commoda videbantur, in ſuas Epiſtolas traducere. Sed Prophetiam *Henochi* non habuiſſe *Judam* ex libro aliquo qui *Henochum* ſibi autorem prætenderet, ſed vel traditione, vel ex alio Scriptore quodam probatæ fidei, vero ſimillimum eſt; quia de illo *Henochi* Libro neque *Philo*, neque *Joſephus*, aliúſve quiſquam *Judæorum*, meminit. Eum verò qui *Tertulliano Auguſtinó*que viventibus præ ſe nomen *Henochi* ferebat, fictum fuiſſe (ut alii quamplurimi) poſt defunctos Apoſtolos: quemadmodum & *Eliæ* quæ tributa ſunt, illæque *Moſis* & *Jeremiæ Apocalypſes*. Neque S. *Paulus* ab iis impoſtoribus quicquam mutuatus eſt. Illud enim 1 *Cor.* 2.9. ex *Eſa.* 64.4. deſumptum eſt. Alterum [ad *Eph.* 5.14.] ex *Eſa.* 60.1. Tertius locus *Pauli* eſt ipſius, non traductus aliunde.

Methu-

Methuſala centeſimo anno & octuagesimo ſeptimo *Lamechum* genuit.

§ 84. Mortalium nemo hactenus mortem obiit, niſi violentam & immaturam. Jam tandem *Adamus*, cùm nongentos & triginta vixiſſet annos, naturæ debitum ſolvit, eámque mortem luit corpore quam peccando ſibi pœnam conſciverat. Nam animæ mortem, æternáſque pœnas apud inferos, pœnitenti credentíque in *Chriſtum*, remiſſas facilè credimus, (*Sapient.* 10.1,2. *Joſeph.* Antiq.1.4. *Auguſtin.* Ep.99.) & condonatas. Stadium ſanè longiſſimum ab *Adamo* eſt confectum. Sed tamen metam aliquando extremam attigit, fato propoſitam naturali. Immortalia nè ſperemus in hiſce terris, altâ nos voce monet generis noſtri Parens multò brevioris ævi poſteros. Quantum *Adamo* defuit ad annos mille, tantum modò nobis ad vivendum ſufficit. Quâ enim ille natus ætate videri poteſt, circiter annum ſeptuageſimum, eâ plerumque nos morimur. Quod illi pueritiæ tempus æſtimandum fuit, hoc vitæ nobis. Ætas enim hominis anni 70. (*Pſal.* 90. 10.) Cùm igitur tam certò nobis támque citò diſcedendum ſit, nè quam hîc inchoëmus longam ſpem, (Vitæ ſumma brevis id vetat,) ſed in poſterum tranſmittamus. Nè agamus humi radices altiùs: Eò enim ægriùs hinc divellemur. • Denique, mundum hunc nè pro domicilio habeamus, ſed pro diverſorio, unde alacres & expediti in cœleſtem patriam feſtinemus.

A.M. 874. 930. (Adamo mortuo, & ſepulto,)

§ 85. *Adami* corpus ubi ſepultum ſit, oſſáve recondita, utrùm *Hebrone*, an *Hieroſolymis* in monte *Calvariæ*, mihi vana omnis videtur & diſputatio, & diſquiſitio, de re ſcilicet quæ nec ſciri multùm interſit, nec omnino poſſit inveſtigari. *Joſuæ* (Latin. vet.) cap.14. ver.15. legitur, *Nomen Hebron antea vocabatur Ciriatharba*; *Adam maximus* ibi *inter Enachim* ſitus eſt: unde colligitur à nonnullis, *Adamum Hebrone* conditum jacuiſſe. At perſpicuè jam conſtat, Interpretis errori tantùm hunc *Adami* tumulum deberi. Genuina enim ejus loci expoſitio hæc eſt: *Hebron olim civitas Arbæ vocabatur*; *qui* (*Arba*) *homo* (non *Adamus*) *inter Anacenos maximus fuit.* Alii *Syrorum* traditiones neſcio quas ex *Jacobo* eruunt *Edeſſeno*: *Adami* ſcilicet oſſa *Noachum* in Arca repoſuiſſe, inter filios diſtribuiſſe poſt Diluvium, *Semo* tradidiſſe Calvariam, eam *Hieroſolymis* condidiſſe *Semum*, (unde *Calvariæ* dictus mons.) Sed hæc nimia eſt hominum credulitas, ultro in decipula tradentium ſe, dum vetera potiùs aucupantur quàm vera. Nam unde hæc *Syris* nota, quæ latebant *Hebræos*? Et S. *Hieronymus* (in *Matt.* 27.) docet, *Calvariæ* montem ex multitudine craniorum ità fuiſſe denominatum. Erat enim locus maleficorum ſuppliciis atque ſepulturæ deſtinatus.

A.M. 987. in cœlum rapitur.

§ 86. At verò *Henochus*, innocentiâ ſummâ moribúſque ſanctiſſimis vir, poſtquam tot vitæ peregiſſet annos quot ſolaris anni ſunt dies, 365, vivus in cœlum ſublatus eſt; (*Heb.* 11.5. *Ecclus* 44.16.) vitámque alia cum vita, cœleſti ac meliore, non cum morte, ut alii mortales, commutavit. (1 *Cor.* 15.51.) Cùm autem poſt annos vitæ tam paucos (ratione temporum illorum) ex hac ſcena diſceſſerit tam charus Deo vir, fateamur neceſſe eſt, hominis beatitudinem non eſſe in eò ſitam, ut producat hanc vitam, moretúrque diutiſſimè in terris; ſed in hoc potiùs, ut hinc in cœlos quàm primùm evocetur. Quanquam & alia videtur ſubeſſe cauſa, cur *Henochum* Deus ex hominum ſocietate tam feſtinanter ſubduxerit, nè, purus atque integer adhuc, ſui ſeculi contagione corrumperetur. (*Sapient.* 4. 10, 11.) Cœpit enim jampridem humana res

In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri,

pronis omnium ferè proclivibúſque animis ad impietatem & ſcelus.

Quare *Sethus* quoque, morte liberatus, è terris, jam in vitium & exitium præcipitantibus, migravit libenter ad Deum, exactis vitæ 912 annis.

A.M. 1056. Noachus naſcitur;

§ 87. *Lamecho* filio *Methuſalæ* natus eſt filius anno patris centeſimo octuageſimo ſecundo, cui *Noachus* nomen datum, hoc eſt, *Quies*, vel *Conſolatio*. "Hic enim eſt, inquit pater, divinans & præſentiens, "qui labores doloréſque noſtros, ex terra execrata & ſterili hauſtos aſſiduè, tandem requie conſolabitur. Quo autem id pacto præſtiterit *Noachus*, nominíque ſe reddiderit parem, haud ità promptum dictu & expeditum videtur. An quòd omnium primus, aratro ad colendam terram, jumentorum ſit uſus operâ? quæ *Judæorum* quorundam conjectura eſt. Ità enim quies videtur conſolatióque hominibus parta, laboribus à ſe tranſlatis in boves. Et certè *Noachum* agricolam fuiſſe conſtat ex *Gen.* 9.20. Ruſtica inſtrumenta reperiſſe jumentáque non traditur. An quòd animalium carne veſci *Noacho* Deus indulſerit, (*Gen.* 9.3.)

A.M. 1056. 9.3.) quod antea minimè conceſſum videtur? (*Gen.*1.29.) Eo enim quotidianus labor eruendi victum è terra diminutus eſt. An quòd vinum ille primus invenerit, (*Gen.*9.21.) quo mitigati hominibus labores, & vires feſſis inſtauratæ? An quòd ejus gratiâ non ſolùm generi humano, (*Gen.*9.1.) verùm terræ quoque, aut benedixerit placatus Deus, aut exſecrationem certè mitigârit; (*Gen.* 8.21,22.) imò & fœdus inierit cum *Noacho* & poſteris, ſigno Iridis confirmatum, quieturam exinde terram ab omni aquarum metu? Denique, an myſteria quædam altiora potiùs hoc in loco ſunt perſcrutanda? *Lamecho* enim fortaſſe proditum eſt divinitus, ex liberis ejus *Noachum* eum eſſe, qui non modò *Chriſtum* figurâ quadam deſignaret, conſervando humanum genus & Eccleſiam Dei à communi exitio; (1 *Pet.*3.20,21.) ſed etiam ex quo genus originémque duceret ipſe *Chriſtus*, à quo vera *quies* animabus, laborúmque omnium & dolorum *conſolatio*, nobis petenda eſt. Nam fieri poſſe ut *Lamechus* pater ipſum *Chriſtum* ſibi natum crediderit, (quem poſtea depoſuerit errorem,) nullo prorſus nititur fundamento *Paræi* conjectura. Nec ille *Noachus* forſan maximus natu inter *Lamechi* filios, ut nec *Sethi Enoſhus*, *Henochus Jaredi*, *Lamechus Methuſalæ*. Alios enim facilè poterant genuiſſe liberos antequam centeſimum attigiſſent annum ætatis. Quippe rara, puto, in principiis mundi ſterilitas. Sed hi nimirum quos enumerat *Moſes* rectâ ducebant ſerie ad *Noachum*, *Noachus* ad *Chriſtum*; ac ſoli propterea commemorati ſunt.

A.M. 1140. *Enoſhus*, ille acerrimus vindex pietatis, ac Religionis veræ propugnator, anno 905. ætatis fato functus eſt.

1235. *Cenanus* etiam anno 910.

1290. *Mahalaleel* autem 895.

1422. Denique, *Jaredus* anno 862.

1536. § 88. Apud *Sethianos* jam ſtudium Divini cultûs atque gloriæ paulatim deferbuit: *Cainitarum* verò impietas adeò pervagata eſt omnes mortales, ut in ipſos etiam

& in pietatis humanæ

Dei filios invaſerit. Eorum novâ indies defectione labefactata Religio, imminutáque eſt plurimùm Eccleſia Dei. Quemadmodum in exordio, ità nunc etiam prima mali labes à ſexu muliebri exorta eſt. *Cainitarum* fœminæ, formâ eleganti, cultúque ad laſciviam & illecebras de induſtria compoſito, *Sethianorum* oculis inſidiantur, & facilè incautos irretiunt. Ex illis igitur, poſthabitâ voluptati Religione, ſibi uxores ducunt; ipſique ab illis in omnem continuò ducuntur nequitiam, & morum pravitatem. Adeò eſt exitioſa probitati morum, ac peſtifera, cum pravis hominibus conſuetudo familiaris, (*Ecclus* 13.1.) & ſacra profanis permiſcere. Quare à Deo poſtea prohibita ſunt (*Deut.*7.3,4.) piorum cum impiis conjugia, quaſi juga inæqualia. (2 *Cor.*6.14.) His etiam temporibus è gente *Cainitarum* Gigantes extiterunt, homines ingenti mole corporis, viribúſque immenſis præditi; ſed arrogantiâ (ut fit) ferociâque intolerandâ. Robore igitur moléque ſuâ confiſi, reliquos mortales ſuis vi ſubigebant imperiis, ac ſuperbiſſimè crudeliſſiméque dominabantur. Et horum, opinor, ea fuerunt oſſa illa prægrandia, variis poſtea temporibus locíſque eruta, quæ tanto cum ſtupore ſpectabantur olim, ſcriptíſque plurium celebrantur. Neque enim credendum eſt, quod aſſerit *Macrobius*, (*Saturnal.*1.) *Gigantes nihil fuiſſe aliud quàm hominum quandam impiam gentem, deos omnimodos negantium*; ſed & corpora illis vaſta ingentéſque vires ſunt tribuendæ. Quin & *Sethianis* qui nati ſunt ex profanis conjugiis filii, *Cainitas* imitati, tyrannidem occupavêre, magnâque cum autoritate ac potentia famoſiſſimi apud ſuos imperitârunt. In *Apocryphis Henochi* traditur, (ſiqua fides) 200 ex his gigantes, *Egregoros* vocitatos, ducibus 20 paruiſſe, quorum & nomina ſunt conficta; &, præter alia ſcelera & veneficia, more ferino humanas quoque devorâſſe carnes.

monetur à Deo,

Sed tu, omnium ferè unus, *Noache*, juſtus integérque in ævo tam corrupto,

Temporibúſque malis auſus es eſſe bonus.

Tu *cum Domino ambulabas*; (ut loquitur *Moſes*:) hoc eſt, ità vivebas, quaſi Dominum ſemper haberes in conſpectu tuo; (*Pſal.*16.8.) quaſi Dominum ſequereris viæ tibi ſemper vitæque ducem. Quare tu apud Deum, flagrantem irâ, & exitium meditantem aliis, omnium unus gratiam adeptus es. Te colloquio dignatur, & conſilii ſui participem facit. “Hactenus, inquit, impietatem tuli atque pertuli humanam. “Hactenus quaſi luctatus eſt meæ gratiæ Spiritus cum iſtis carnium ſordibus, (*Joan.* “3.6. Epiſt. *Jud.*16,19.) monendo, prædicando, ſuggerendóque animis meliora,

ut,

" ut,ſi quo modo fieri poſſet, clementiâ tolerantiâque, beneficiis & bonitate, morbi
" hujus epidemici vim & malitiam ſuperarem. Hactenus incertum apud me fuit *A.M.*
" quid homine fieret, invitiſſimum tollere, ſi quid ſanari poſſet. Tandem aliquan- 1536
" do ſententia mihi ſtat, centum illis & viginti annos ad pœnitentiam concedere; futuræque
" cujus tu te præconem exhibeto. (1 *Pet.*3.20. 2 *Pet.*2.5.) Hoc ſpatio temporis tandem
" niſi reſipuerint, unâ univerſos clade obruam & extinguam. Hæc ad *Noachum* vindictæ,
Deus. O memorandam Numinis benigniſſimi clementiam! quàm invitus fe- niſi reſi-
rit, qui tot ſimul annos minitatur? Lento gradu ad vindictam ſui Divina proce- piſcant.
dit ira, tarditatémque ſupplicii gravitate compenſat: quod homo profanus animadvertit. (*Val.Max.*1.2.) *Noachus* itaque protinus in publicum prodit, in ſcelera hominum graviſſimáque peccata non minùs graviter invehitur; quibus poteſt ad reſipiſcendum ſtimulis impellit, aculeis pungit, cladémque inopinatam denunciat, ac pœnas contumacibus æternas. Etſi quotidie ac ſedulò eadem inculcaret, apud ſurdos tamen & pertinaces profecit nihil. Quare *Joſephus Noachum* ait, nè liberiùs prædicando, & denunciando vindictam Divinam, in ſe ac ſuos irritaret hominum furentium vim, in aliam procul migrâſſe regionem cum familia. Sed *Noachum* deſeruiſſe traditum ſibi munus à Deo, pietati hominis non videtur conſentaneum.

§ 89. Anno circiter ætatis quingenteſimo filios *Noachus* genuit tres, *Semum,Chamum,*& *Japhetum.* Ac primò quidem *Japhetum.* *Semus* enim poſt duos deinde natus *A.M.* 1556.
eſt annos, quia centeſimum attigit non niſi annis poſt Diluvium duobus. (*Gen.*11.10.) Minimus omnium *Chamus.* (*Gen.*9.24.) Quòd autem primus nominetur *Semus* apud *Moſen*, dignitati hominis tribuendum videtur, non origini. Ex ejus enim proſapia tum Eccleſia *Judæorum*, tum *Chriſtus* erat ipſe proditurus. An plures priúſve ſuſceperit liberos *Noachus*, minimè conſtat. Horum ſolummodo poſteri famam celebrârunt, utpote parentum generis humani. Uxor *Noachi* apud *Epiphanium Barthenos* appellatur. *Hebræi* malunt *Naamam* fuiſſe, *Tubalcaini* ſororem. At credibile non eſt, optimum virum ex progenie *Caini* conjugem ducturum, quod tantopere damnatur à Deo.

Lamechus,Noachi pater, anno 777. concedit fatis, patrémque prævertit ſuum. *A.M.* 1651.

§ 90. Ad ſummum ferè pervenerat jam nequitia & impietas humana. Depravata erant, imò tantùm-non deplorata, fraudibus, rapinis, libidinibus cædibúſque permiſta & repleta, omnia. Nihil ſacrum, nihil ſanctum, nihil uſpiam erat ſanum. Deſperatâ
Nullus Dei vel cultus vel metus: quem potentiorem ſe agnovêre nullum. Aut ſi hominum
quam Religionis umbram præ ſe ferebant, idolis omnem deferebant dæmonibúſque. pœnitentiâ,
Neque verba tantùm factáque impia, impura, nefanda; ſed intimi animorum ſenſus, corrupti, nihil unquam niſi quod pravum eſſet parturiebant. Hæc ea verè veterum Poëtarum ætas,

——De duro eſt ultima ferro.
Protinus erupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugêre pudor, verúmque, fidéſque;
In quorum ſubiêre locum fraudéſque, dolique,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi, &c.
Vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero; fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas; & Virgo cæde madentes
Ultima cœleſtum terras Aſtræa reliquit. (*Ovid.*Met.l.1.)

Neque hæc unius gentis ſcelera, ſed generis totius:

——Quà terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus jurâſſe putes.—— (Idem ibid.)

Moleſtiſſimè tulit hæc, vehementérque (ut more humano loquar) ſuccenſuit Deus; &, quaſi pœniteret condidiſſe, homines opprimere ſtatuit univerſos ac delere. Tum verò Deus iterum compellat *Noachum*: &, " Video, inquit, planéque perſpicio, ve-
" ſtri generis morbum, inſanabilem prorſus, omnem repellere ac profligare medici-
" nam. Quare atrocibus inhumaníſque ſceleribus, quem nolunt monitione meâ, ſuo
" ipſi exitio modum ſtatuent aliquando terminúmque. Aquis enim terram inun-

A.M. 1651.

Arcam apparari Deus jubet.

" dantibus non modò fœdas hominum conſceleratorum ſordes abluam obruámque, " ſed ipſius etiam terræ labes, fructuúmque ac animalium quæ terrena ſunt omnium. " His enim, conditis à me hominum gratiâ, illi ad ſcelera inſtrumentis, & ad mei Nu-" minis contumeliam, turpiſſimè ſunt abuſi. Maria tantùm piſciúmque genus nondum " contagione ſcelerum polluerunt. Tu interim conſtrue tibi navem conſtratam, in-" ſtar ingentis Arcæ, ſine velo, ſine remigio, ſine gubernaculo, (hæc à me tibi præſtan-" da ſunt,) ad aquas verò arcendas undique permunitam; quâ te tuóſque liberos, & " uxores veſtras, ex communi clade vindices. Nam ut faciam tibi gratiam hanc, tua " in me pietas facit. Quare tecum uno fœdus hoc ſalutare initurus ſum. Ex ligno " *Gopher* ædificabis *Arcam* hanc, multis manſiunculis diſtinctam, cubitos trecenos " longam, latam quinquagenos, triginta profundam; intus foríſque oblitam bitu-" mine. In tres univerſam partes, ordine ſibi ſubſtratas, tabulatíſque ſecretas, diſ-" tribues. In ſuprema feneſtram collocabis, in latere oſtium. Denique, tectum " impones operi, cujus faſtigium non niſi uno cubito aſſurget altiùs in medio. In " hanc animalium excipies terreſtrium paria, quo genera ſingulorum conſerventur " ab interitu. Omnibus autem paſcendis, victus annuus maturè tibi reponendus eſt. Ità quidem *Noacho* edixit Deus: ubi quædam videntur paulò dilucidiùs explicanda. Et inprimis advertendum, huic navigio defuiſſe roſtrum quoque, (præter ea quæ memoravi priùs,) quo penetraret diſſecarétque fluctus. At ea non ad iter faciendum comparata eſt, ſed ut incubaret ſolummodo aquis innatarétque. Deinde, ubi tecti faſtigium uno tantùm cubito aſſurgere altiùs in medio, plerique omnes interpretantur; *Junius* ait, ſubgrundam eo ſpatio exſtitiſſe ac prominuiſſe, ad arcendas ab Arca feneſtrâque pluvias; imperfectámque Arcæ deſcriptionem fore, ſi taceatur de ſubgrunda. At verò ſi de tecto faſtigióque ſileatur, minúſne imperfecta futura eſt Arcæ deſcriptio? *Torniellus*, ubi dicitur, *conſummandum fuiſſe tectum in cubito*, more novo fatetur expoſiturum ſe, cum eo ſcilicet inſtrumento fabrili quod *Cubitum* vocabant, quaſi ad amuſſim, perficiendam fuiſſe Arcam ad faſtigium uſque. Culmen verò duodecim cubitos & ſemis altum ſtatuit. At fatetur idem, unius cubiti altitudinem (quam *Buteo* ſtatuit, autor hac in re diligentiſſimus) culmini ſufficere ad profluvium aquæ. Id verò ſi detur, quid opus eſt (inquam ego) interpretatione hâc novâ, cùm altera, quæ à plurimis probatur, ſatìs aptè conveniat? Etſi enim ſoleant tecta fieri multo altiore culmine, ad pluvias demittendas, in ædibus per multa duraturis ſecula; tamen ad uſum annuum, ventorúmque eludendam vim, tectum erat aptius humile ac demiſſum. Tertio in loco, quod lignum illud *Gopher* ſit, ex quo fieri mandavit Arcam Deus, quæritur; an *pineum*, ut *Munſterus* & alii volunt, Germanicè *Kyter*; an *cedrinum*, abietis inopiâ haud ineptum, ut *Rabbini* veteres; an *cupreſſinum* potiùs, ut, conſonantiâ vocis & firmitate ductûs materiæ, *Nic. Fullerus* opinatur; an quadratum, aut lævigatum, aliúdve quid: definiri profectò non poteſt. Nec enim, niſi hoc ſemel in loco, vox *Gopher* uſpiam occurrit in Sacris Literis.

Cui *Noachus* obſequitur.

§ 91. Acceptis Dei mandatis, *Noachus* alacriter obſecutus eſt. Quanta erat hæc religioſiſſimi viri fides in Deum, qui tantam, tam novam inauditámque rem, tot moleſtiis ac difficultatibus implicatam, tot obſitam periculis, tantorúmque ſumptuum, ità promptè intrepidéque unus aggredi auſus eſt? (*Heb.* 11.7.) Operas undique conducit, ſylvas cædit, bitumen effodit, trabes & tabulas compingit, pice inducit; tribus contignationibus Arcam univerſam, cellis cubilibúſque variis, ipſas contignationes dirimit ac diſtinguit. Paucis annis machinam ingentem erectam ſtatuit perfectámque. Nam, quod alii volunt, ante annos centum aut ampliùs opus hoc imperatum ſuſceptúmque, filiis *Noachi* nuribúſque (quorum illi ſpondet ſalutem Deus) nondum fortaſſe natis, proculdubio non conjugatis; id verò mihi neutiquam vero ſimile videtur. Nec obſtat quod opponitur ex Epiſtola S. *Petri* 1. (3.20.) *Patientiam Dei exſpectaviſſe* hominum pœnitentiam *vivente ac prædicante Noacho*, (quod annis quidem 120 factum eſt,) *dum apparabatur Arca.* Aliquâ fatemur ejus temporis parte quo exſpectavit Deus, Arcam condidiſſe *Noachum*, tum demum, cùm nihil prædicando proficeret; negamus toto. Iniquum enim videri poteſt, ſimul jubere Deum & prædicari pœnitentiam, & præparari pœnam, humanúmque genus præjudicio condemnare nondum ſatìs exploratum, aut deſperatâ ſalute. Itaque priùs & ſeparatim de centum ac viginti annis pœnitentiæ datis, de Arca fabricanda poſteriùs, narratur à *Moſe*, tanquam de rebus tempore diviſis atque diſtinctis.

§ 92.

§ 92. *Methuſala* tandem, etſi omnium diutiſſimè moratus in terris, corpus effœtum exuit, communíque mortalium cladi maturè ſubductus eſt, anno ætatis 969. *Adamus* tamen, utcunque annos pauciores vixerit, provectior ætate habendus eſt grandiórque. Virili enim ætate condidit *Adamum* Deus, quam non niſi poſt annos ſexaginta pluréſve attigit *Methuſala.* Hanc hominum vivacitatem exigebant illa tempora, & facilè præſtabant. *Exigebant* quidem, ut homines, quò vivebant diutiùs, eò plures liberos procrearent ſinguli, ad propagandam Eccleſiam atque Gloriam Dei, occupandámque terram incolis. Altera & hæc videtur cauſa, ut longo rerum uſu homines, obſervatione diuturnâ, multíſque tandem experimentis, utiles generi ſuo parerent artes ac perficerent: nè quid hâc ætate valeret magni ejus querela Medici, *Artem longam eſſe, vitámque brevem*, cauſantis. *Præſtabant* verò prima ſecula diuturnitatem hanc vitæ humanæ variis modis. Divina vis Parentibus impreſſa primis non niſi paulatim & pedetentim elangueſcebat. Ex æquabili ergò juſtâque humorum ac elementorum permiſtione, ſanitate integrâ fruebantur & diuturnâ. Aërem præterea puriſſimum hauriebant, & victu ſaluberrimo ex terræ frugibus veſcebantur; nondum ſcilicet corruptâ vel terrâ marinis aquis, vel terrenis halitibus aëre. Quod nonnulli adjiciunt de temperantia ſeculi ejus, (quæ quidem ad tuendam ſanitatem producendámque vitam plurimùm valet, *Ecclus* 37.29, &c.) haud ſcio an *Cainitarum* hæc, aliorúmque hominum conſceleratorum, qui diutiſſimè tamen vixerunt, poſſit eſſe vera laus. Sed & ſidera fortaſſe in ætate illa benigniùs operata ſunt, atque influxerunt ſalutariùs, aſpectu propitio, in hunc mundum inferiorem. Denique, *Adamum* noviſſe par eſt, ac ſuis monſtraviſſe, medicamenta varia, herbáſque illâ ætate ſaluberrimas, quibus valetudini laboranti ſubvenirent, vitámque tuerentur & ſanitatem. Neque tamen *Adamus*, *Methuſalá*ve, vitæ annos mille attigit, quoniam hunc Deus terminum eſſe voluit quouſque nullus mortalium pertingeret. Qui verò annum vitæ milleſimum aiunt ideo non compleviſſe *Adamum*, nè (quod minitatus fuerat Deus) non eodem quo peccaverat die moreretur; *quoniam Deo inſtar unius diei mille ſunt anni*, *Pſal.* 90.4. (*Irenæus* adverſus Hæreſ. l.5.) eorum paulò arguta magìs quàm ſolida eſt ratio. Neque verò fidem ſuperat ea quam diximus ætatis humanæ diuturnitas. Nam de vita priſcorum hominum tradunt eadem Veterum Hiſtorici, autore *Joſepho*, (Antiq. *Judaic.* 1.4.) *Ægyptiorum Manetho*, *Chaldæorum Beroſus*, *Mochus Heſtiæus* & *Hieronymus Ægyptius Phœnicum*, *Græcorum* denique *Hecatæus*, *Hellanicus*, *Acuſilaus*, *Ephorus*, & *Nicolaus*, cum *Heſiodo* Poëta.

A.M. 1656

Methuſalâ mortuo, hominum vivaciſſimo,

§ 93. Opere abſoluto, paratíſque omnibus, *Noacho* denunciatum eſt à Deo, ut in Arcam ipſe conſcenderet cum familia. Septimo enim pòſt die (vel, ut alii legunt, poſt ſeptem dies) pluvias demiſſurum ſe quadraginta diebus continuas; quibus, in terris quæ viverent, ſuffocata exſpirarent omnia. In eandem Arcam beſtiæ quoque terrenæ volucréſque ſuâ ſponte conferebant ſe, Divino quodam inſtinctu; ex immundis quidem ſingula paria, è ſingulis autem mundorum generibus paria tria; ſeptimo etiam ad ſacra Euchariſtica, periculo defunctis, addito. Mundorum enim gratorúmque Deo in ſacrificiis atque immundorum animalium diſcrimen primis parentibus, jam indè ab initio rerum, oraculo Divino proditum videtur. Eo enim ſymbolo pios ab impiis, populum Eccleſiámque ſuam ab immunda gentium profanarum colluvie, diſtinguere Deus voluit ac ſeparare. (*Act.* 10.15.) Neque verò propter numeri ſanctitatem, ſed utilitatem animalium, conſervare ſeptem voluit ex mundis Deus; ex immundis unum, nec niſi unum, par: nè vel deeſſent ad pœnam humani generis, ſi nulla ſupereſſent; vel ad cladem verteret, ſi plura, abundaréntque.. Reliqui ſex dies *Noacho* partim dati, ad ordinandas & conſtituendas in Arca res, antequam procellis fluctibúſque jactaretur; partim aliis conceſſi mortalibus, ut, metu malorum ſibi jam imminentium ſuſpenſos, ad pœnitentiam Deus adigeret vel ſeram. Cæcis enim interea denſíſque nubibus caliginoſum undique iratúmque cœlum dirum neſcio quid terrarum incolis minitabatur. Omnibus ex voluntate Divina ingreſſis Arcam, oſtium quoque obturatum Deus (operâ, puto, Angelorum) pice obduxit extrinſecùs & communivit, nè quid apertum, laxiúſve clauſum, vel incluſis obeſſet, admittendo per rimas aquam; vel impiis prodeſſet excluſis, faciendo ſpem aditûs & ſalutis. Cùm interitûs manifeſta ſigna nullum tamen ex hominibus ſignum elicerent fructûs melioris, ſed ſecuri omnes conviviis atque conjugiis indulgerent, (*Matt.* 24.38.) ſeptimo, ut denunciaverat, die ſordes terrenas Deus aquis eluendas tradidit.

Terreſtria quæque

A.M. 1656. Inundatione delet;

§ 94. Annum ætatis ſexcenteſimum agebat *Noachus* cùm hæc fierent. Ejus anni ſecundo menſe, ſeptimodecimo die, ex nubibus aquâ gravidis, horribili cum fragore, pluviarum rivi præcipites in terram ruunt, immenſámque aquarum deſuper profundunt vim: quæ ut ad juſtam augeantur profunditatem, ſidera, quæcunque vim habent imbriferam, in unum coëunt; aër ipſe terris contiguus, earúmve inclusus in cavernis, conſtipante novo frigore, in aquam condenſatur. Terra etiam ad ſe inundandam præſtat quam poteſt opem. Multis in locis putreſcit, laxatáque & reſoluta colliqueſcit in humorem, aſſiduâque tabe defluit. Indè fontes, & crebriores ubique ſcaturiunt novi, & ſolito uberiùs pleniúſque veteres promanant. Flumina torrentibus cumulata, & plùs nimiò adaucta, tranſiliunt ripas, & per campos apertos libere exſpatiantur;

Cùmque ſatis arbuſta ſimul, pecudéſque, viróſque,
Tectáque corripiunt.——

Nec flumina modò, ſed & maria, ſedibus ſuis excita, pluvialibus aquis & fluvialibus intumeſcentia, multò altiùs quàm pro more aſſurgunt. Mox, æſtu ſuo & ventorum procellis vehementiùs concita, ——*vaſtos volvunt ad littora fluctus*, ultra extremum tempeſtatis maximæ veſtigium, perrumpunt clauſtra, proſternunt aggeres, & horrendo cum fremitu murmuréque terras undique pervadunt, obruunt, depopulantur. Quicquid erat humilius, & in plano ſitum, unda protinus occupavit; torrentibus, incitatis, unà ſylvas ex præcipiti devolventibus & ſaxa. Villas & urbes mox, & implicitos trahit mœnibus ſuis populos, ruinam an naufragium querantur incertos. Inundaverant modò peccata; pœnæ jam inundant. Quantos hîc audîſſes ædium corruentium fragores, animalium ſtridores pereuntium, hominum tumultus, clamores inconditos & ejulatus, fluctuum interea mugitus ingruentium, & horriſonas murmurationes? quanta ubique rerum omnium confuſio & perturbatio? Oppletæ valles Oceano. Montes adhuc patebant. Eò qui ex campis evaſerant miſelli, cum trepidatione feſtinationéque ſumma, tanquam ad aſylum confugiunt. Eò liberi & uxores perſequuntur, actis ante ſe gregibus. Sed & eò fruſtrà. Nec enim pluviarum ille impetus, quò magìs violentus, eò minùs erat (quod plerumque fit) diuturnus. Pertinax hyems invaſit mundum. Diebus enim quadraginta continuati imbres, nec interdiu nec noctu intermiſſi, ipſa tandem cacumina montium cubitis quindecim ſuperârunt. (*Job*.28.25,26.) O quantus horror animos hominum, etiam gigantum illorum feróciſſimos, occupavit, in his extremis poſitorum anguſtiis! Eſſe jam cœleſte Numen, ac præeſſe mundo, reipſa fatui ſentiunt, quod aut nullum fuiſſe credebant priùs, aut vanum. Ejus gravem in ſe iram ſentiunt, atrocia ſcelera non minùs atroci pœnâ vindicantis. Ejus maximam potentiam irrogantis pœnam, ſuámque ſentiunt propulſantium imbecillitatem. Quid enim faciant? quò effugiant? quas latebras quærant? quæ arma expediant? quibus viribus hoc arceant periculum? quibus artibus eludant? Aqua, rerum viliſſima imbecillimáque, validiſſimos hominum belluarúmque indomitâ ſubigit vi. Doluit omnes vehementiſſimè, tam inauditam ſe miſerrimæ cladis & exitii ſuſtinere pœnam. Nonnullos verò, prædicationis *Noachanæ* memores, etiam ſcelerum pœnituiſſe, ſeriò, quanquam ſerò, piè creditur: (*S.Hieronym.* Tradit. *Hebraic.* in *Geneſ. Rupertus* 4. Comment. in *Geneſ.* cap.16. *Lyranus*, *Cajetanus*, &c.) eorum clamores ex profundo Deum propitium exaudiviſſe: eoſdem, aquâ Diluvii ſatìs lotos, ab igne Inferni liberâſſe. Næ quod *Pererius* (in *Gen*.6.13. Diſputat.3.) contendit, *Noachi* tot annis prædicationem planè ſterilem fuiſſe, caruiſſe omni fructu, reſipuiſſe neminem, ea verò dura mihi, & indigna videtur optimi viri pietate ſedulitatéque ſententia. Jam tandem igitur aquarum vi ſubmerſa, abſorpta, ſuffocata, quæ tellus aluerat, interierunt omnia. Nihil firmitudo virium, fortitudo animorum, proceritas gigantea corporum, pernicitas tibiarum alarúmve, nihil prudentia, conſilium, induſtria, nihil exercitus copiæque, nihil caſtra, nihil arma, nihil omnia, contra tantum pelagi ſævientis impetum profuerunt. Neque verò ex aliqua ſiderum conjunctione, intemperiéve cœli, æſtu marino, aliíſve cauſis naturalibus, ortam eſſe putemus calamitatem hanc: quanquam & hæ omnes affuerunt. Ego facilè adducor ut *Ariſtoteli* (Meteorol.1.) aſſentiar hactenus, & credam, ad univerſale Diluvium naturæ vires non ſufficere. Sed qui hoc fieri voluit, (*Gen*.6.17. & 7.4. & 8.1.) idem & facere voluit, Deus, & miraculo addere quod Naturæ defuit.

Jámque

Jámque mare & tellus nullum diſcrimen habebant.

Ipſi lacus & flumina, undis profundioribus quaſi ſubmerſa, obruebantur: maria inter ſe committebantur. A.M. 1656.

Omnia pontus erat; deerant quoque littora ponto.

De humano genere belluinóve reſtabat nihil, niſi quod Arcæ *Noachanæ* cuſtodiendum tradiderat Deus. Ea primùm ex humo levata paululùm, mox, tumeſcentibus undis, in ſublime paulatim attollitur, Oceanóque immenſo tuta incubat innatátque. Non aqua in illam inſinuando penetrare, non fluctus pulſando ſubmergere, non impellendo evertere tempeſtates, non imbrium diuturna verberatio potuit obruere. Sed quò aqua profundior, eò Arca ſublimior inſultabat in pericula, & ex alto quaſi deſpiciebat furentes pelagi minas, —— *adverſis rerum immerſabilis undis.* Nam quæ aliis rebus exitium attulerat, manus eadem hanc ſartam atque tectam conſervabat. Eccleſiam, hoc tempore, una hæc univerſam portabat navicula, eandémque typo quodam ſignificabat. Non extra Eccleſiam, nec niſi intra Arcam, ſalus. Munda immundáque animalia continebat hæc; ità homines illa pios impióſque. Ut Arca fluctibus & procellis, ità malis adverſíſque rebus agitatur Eccleſia. Ut Arca demum in montibus conquievit, ex undarum periculis liberata; ſic in cœlis Eccleſia, poſt omnes hujus vitæ calamitates, pace tandem perfruetur æternâ. præter ea quæ continebat Arca.

§ 95. Solvit jam ſcelerum pœnas Deo vindici, cujus Numen violaverat, humanum genus. *Noacho* igitur terram, & terræ *Noachum*, redditurus, ventum excitavit vehementem, qui aquas permearet, exſiccarétque. Ineſſe verò ventis etiam naturâ ſiccandi vim, adeò certum fuit *Lucretio*, Poëtæ philoſophico, ut iis partim tribuat, quòd tot fluminibus receptis non exundent maria. Hæc, decreſcentibus aquis,

—— Venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt, verrentes æquora Ponti.
Unâ nocte vias quoniam perſæpe videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas. (*Lucret.* l. 6.)

Pluviæ jam in nebulas evaneſcunt. Fontes antiqui leniùs lentiúſque fluunt, areſcunt novi. Aquæ leviores in aëra tenuantur, craſſiores condenſantur in terram. Ità paulatim ſubſidunt, & minuuntur indies. Poſt centum & quinquaginta dies ex quo primùm pluviæ terras obruerant, in ſummis montium jugis vada fiunt. Itáque ſeptimi menſis decimoſeptimo die, deficientibus aquis quæ ſuſtulerant fluctuantem, Arca reſidet & conquieſcit, in aliquo montium *Araratis*, hoc eſt, *Armeniæ* Majoris. (*Eſa.* 37.38. *Jer.* 52.27. 2 *Reg.* 19.37.) *Armenia* verò Major in *Aſia* Majore ſita eſt, inter fluvii *Euphratis Cappadociæ*que partem ab Occidente, partémque maris *Caſpii* & *Mediam* ab Oriente. *Aſſyriæ Meſopotamiæ*que imminet ad Meridiem ſitis; *Colchidi*, *Albaniæ Iberiæ*que ad Septentrionem ſubeſt. A *Cappadocia* uſque undecies centena millia paſſ. ad mare *Caſpium* patet: ſed in latitudinem millia 700 porrigitur. Regio montoſa, neque tamen infœcunda, cultoribúſve ingrata. Ad Orientem, ubi *Aſſyriam* contingit, gens erat *Cardyeorum Epiphanio* dicta, (contra Hæreſ. lib. 1.) *Cordyæorum Beroſo*, *Cordæorum Curtio*; quos plurimi *Gordiæos*, vel *Gordyæos*, vocant. (*Ptolem. Plin. Strabo*, &c.) Inter hos *Gordiæos Armenóſ*que veros, in monte *Lubari*, dicit *Epiphanius* hæſiſſe Arcam. *Nicol. Damaſcenus*, apud *Joſephum*, (Antiq. *Judaïc.* 1.4.) montem hunc *Barin* vocat, voce (ut conjicitur) ex *Lu-barin* corruptâ. Eundem *Joſephus* ait *Armenos* ἀποβατήριον appellare, hoc eſt, *exitûs locum* ſive *deſcenſûs* ex Arca. *Beroſus* verus (eodem autore) hujus navigii partem narrabat in monte *Cordyæorum* ſuperfuiſſe (ut ferebant) ſuâ ætate; cujus bitumine abraſo amuleti vice utebantur accolæ. in Armeniæ montibus reſedit:

Principio menſis decimi vertices montium, quæ res poſtremò ſubmerſæ opertæque ſunt, primò emergebant, & aperuerunt ſe. Deinde, poſt dies quadraginta, feneſtram Arcæ *Noachus* aperit, unde Corvum emittit, aquarum tanquam hoſtium vires exploraturum, & an terra uſpiam exſiſteret. Eum quippe noverat non rediturum, ſicubi tutus poſſet conſiſtere. Et ille quidem ſæpius Arcam repetit, ſed non ampliùs ingreditur: vermibus interea foris & cadaveribus paſcitur. Poſt hebdomadam id muneris Columbæ demandatur. Ea, cùm terram ſiccam, ubi pedem figeret, nuſquam reperiret, ad feneſtram rediit unde prodierat. Itaque manu à *Noacho* prehenſa,

A.M. *1656.* ſa, in Arcam recepta eſt. Eadem, poſt alteram hebdomadam, denuo vadit exploratum; quæ ſub veſperam rediit, retulítque, decerptum ex arbore, virentis olivæ folium. Non id novum ſubitò germinavit, (quorſum enim hoc miraculum?) ſed hactenus retinuerat arbor ſubmerſa; cùm ex iis oliva ſit, quæ nunquam vel hyeme ſoleant calveſcere, deponeréve comam. (*Plin.* Nat. hiſt. 16. 20.) Magno autem id erat indicio decreviſſe aquas, multúmque jam eſſe imminutas. Alios tamen ſeptem dies moratus, columbam emittit tertiò; quæ, paſtum aſſecuta foris, foris deinde permanſit, neque ad *Noachum* reverſa eſt. Quòd *ſeptimus* dies repetatur ſæpius, non Sabbati ratione id fit, ut ſuſpicantur nonnulli; (*Hoſpinian.*de Feſtis c.3.& *Joſ.Simlerus* in *Exod.*c.20.) quis enim Sabbati uſus in hac re? ſed vel curſûs Lunaris, cujus quarta quæque pars variam habet in humores vim: (*Toſtat.* in *Gen.* 8.) vel quia ſpatium hebdomadæ ſatis longum eſt arbitratus, quod variis explorationibus interponeret. Haud temere faciunt vel ineptè, qui ex his de Corvo traditis & Columba myſterium eliciunt ſalutis humanæ. *Corvum* aiunt, animal immundum, *Legem* ſignificare *Moſaïcam*, quæ fruſtrata eſt humanam ſpem de ſalute. *Columbam* verò cùm oliva in ore, ſymbolo pacis, denotare *Spiritum Chriſti Sanctum*, (*Matt.*3.16.) vel Miniſtros verbi Divini, qui columbis etiam comparantur, (*Matt.* 10. 16. *Eſa.* 60. 8. *Rom.*10.15.) & veſperi, ſub mundi exitum, (*Heb.* 1. 2.) prædicando Evangelium, iræ placatæ jam Dei fidem faciunt.

A.M. *1657.* Anni ſui ſexcenteſimi primi primo die *Noachus* operculum Arcæ aperuit, remotis aliquot, opinor, tecti tabulatis. Indè verò proſpiciens, omnes mundi plagas quaquaverſum contemplatus eſt. Nullæ oculis obverſabantur aquæ, præter fluvios ripis alveíſque ſuis jam contentos. Terra cœpit revireſcere, frondeſcere arbores, campi herbis graminéque veſtiri, florere omnia. Humus tamen adhuc uda molliórque videbatur, quàm ut hominum brutorúmque animalium veſtigia commodè ſuſtineret, multis in locis uliginoſa & limo coöperta. Aër impurus adhuc, halitibus vaporibúſque nondum ſatis ardore Solari concoctis. Fruges denique fructúſque & herbæ nondum fortaſſe maturuerant, quæ pabulum jumentis præberent, hominibúſque cibum. Quare diutiùs paulò in Arca *Noachus* ſibi exſpectandum ratus eſt; eóque magis, ut eundem haberet exeundi autorem, quem fabricandi & ingrediendi habuerat. Viceſimo tandem ſeptimóque die ſecundi menſis, Divino mandato excitatus, ex Arca egreditur cum familia. Animantia quoque bruta in campos atque ſylvas libera dimiſit; ex mundis tantùm ſeptimo quoque ad ſacrificium relicto Eucharisticum.

non in *Caucaſo.* § 96. Liceat nobis hìc in portu navigantibus paululùm ſpatiari, & reſumere controverſam rem de montibus *Araratis*, quam, nè hiſtoria turbaretur, huc diſtuli. Nec enim ferendum videtur, ut homines doctiſſimi, tam *Judæi*, quàm Theologi *Chriſtiani*, ad unum ferè omnes, qui rem hanc ſcriptis agitârunt, à viro in armis & aula magis verſato quàm in literis immeritò vapulent ac impunè. Neque verò nihil intereſt omnium gentium hiſtoriam traditurі, etiam has conſtituere, quantum fieri poteſt, gentium origines. *Raleius* (in Hiſtoria Mundi *Anglicana*,lib.1.cap.7.§ 10.) *Armeniam* invadit totis viribus, & chartæ jacturâ plurimæ; *Caucaſum* opponit in *Paropaniſo*, ubi *Taurus* mons occurrit *Imao* Illic reſediſſe Arcam vult; proximam regionem occupâſſe *Noachum*; indè colonias in orbem emiſſas univerſum. Arma quibus propugnat cauſam hanc multa quidem & alicujus numeri ſunt, ponderis nullius. Singula percurram, ſed quàm breviſſimè; *Anglorum* præcipuè Nobilium gratiâ, qui ſolent *Raleii* has, & hujuſmodi alias, *eſſe aliquid putare nugas*. Primò, *Si ex Armenia*, inquit, *vicina regione, in Babyloniam adveniſſent, citiùs profectò quàm annis centum & triginta* (tot enim ille numerat) *breve hoc peregiſſent iter.* || 3. Veriſſimè, inquam ego, ſi rectâ viâ, & menſe annóve primo poſtquam ex Arca ſunt egreſſi, hoc iter ingreſſi eſſent. Ab extrema *India* hoc ſpatio temporis longè citiùs eò pervenirent. At non opus erat pauciſſimis mutare ſedes, quibus nulla non ſufficere terra potuit. Secundò, *In Oriente populi priùs multò quàm in Occidente opibus, artibus cultúque omni floruerunt. Itaque conſentaneum eſt, illas regiones primò cultas fuiſſe poſt Diluvium.* || 4. At ego *Indos* floruiſſe priùs quàm *Europæos* aut *Africanos* (præter unam *Ægyptum*) facilè conceſſero, utpote propiores *Babyloni*, unde prima gentium ſcaturigo. Sed *Aſiâ* reliquâ *Ægyptóve* priùs, pernego: Etſi regio *Indorum* ſit pulcherrima, & quæ facilè invitet alliciátque ad ſe cultores. Tertiò, *Ingenti Semiramidis exercitui majorem oppoſuerunt Indi. Quare major illic populi multitudo, & cultura*

ra prior. || 5. Sed autori *Cteſiæ* (unde deprompta ſunt hæc) in aliis rebus non magna fides, in militum numero minima, debetur. Ut demus autem, beatiſſimam & amœniſſimam *Indiæ* regionem cultores *plurimos* habuiſſe, ut quæ nullas unquam emiſerit colonias; ideóne *primos* etiam neceſſe eſt? Quartò, *Noachum* ait *unà cum aliis in vallem Shinaris non deſcendiſſe. Nec enim tuliſſet veſanam ille turris Babylonicæ molitionem. Sed ejus coloniæ Nimrodum conſtituiſſe ducem. In locis igitur Indiæ propinquis cum reliquo populo continuiſſe Noachum ſe.* Quod eo eſſe probabilius putat, quia *Moſes, in omni Hebræorum hiſtoria, nuſquam poſtea meminit de Noacho.* || 6. Multiplex hìc ſimul coacervatur hallucinatio. Primò, *non adfuiſſe Noachum Babylone.* At *Moſes* (*Gen.* 11.1.) omnes mortales unâ uſos communi linguâ narrat; cùm proficiſcerentur ab Oriente, vel in Oriente potiùs iter facerent, in *Shinaris* campum eſſe delatos. Quinam verò delati ſunt? An ex iis aliqui tantùm, quorum una erat omnium lingua? Id ſi *Moſes* voluiſſet, uno ſaltem verbo ſignificandum fuerat. Cùm verò addatur nihil; eos quorum unam dixerat fuiſſe linguam priùs, hoc eſt, *omnes mortales*, intelligamus neceſſe eſt, & in his Principem *Noachum:* Qui quidem inceptum illud de Turre veſanum improbare potuit ac prohibere, impedire unus multitudinem non potuit. Deinde, *Nimrodum*, juvenem, *Cuſho* patri *Chamó*que avo ſuo (quos interfuiſſe conſtat) ducem dare, minimè profectò convenit. Verùm alibi de his pluribus agendum eſt. Poſtremò, Si abfuit *Noachus*, cur in *Margiana* vel *Paropaniſo* ſubſtitiſſe magis quàm in *Aſſyria* credamus, *Armeniâ*ve? Quintò, *Imò*, (inquit) *hujus rei manifeſta eſt ratio. Neceſſe fuit vitem ſuâ ſponte naſci loco vicinam ei quo reſedit Arca, unde vineam conſereret Noachus. Sed in Armenia vites nullæ; optimæ verò in radicibus Caucaſi, Margiana præcipuè. Illic igitur & Arca, & Noachus ipſe collocandus.* || 8. Unde verò conſtabit, nullas in *Armenia* fuiſſe vites? *In Galliam*, inquit, *Tyrrhenus, in Latium Saturnus aliunde vites tranſtulit, plagas Armeniâ calidiores. Ergò & Armenis defuiſſe par eſt.* At ego *Aruntem*, (id enim erat nomen) *Tyrrhenum* patriâ, *vinum* in *Galliam*, non *vitem*, attuliſſe; & *Saturnum* in *Latio* conſerendi vineas tantùm, & vini fortaſſe conficiendi, docuiſſe rationem, contendo. Utrique ſolo erant Vites propriæ: uvas comprimendi ars deerat, vitéſque plurimas in unam cogendi aream, quò ſufficeret ſuccus & abundaret ad potum. Quòd ſi *Margiana* vitibus tam beata ſit, necnon & *Gallia* jam *Italiá*que omnis, quid prohibet *Armeniam*, ut ejuſdem climatis, ità ejuſdem eſſe felicitatis participem? Verùm, ut concedam nullas in *Armenia* vites naſci: quid ſi *Noachum* dixero indè in *Aſſyriam* ſe quàm primùm contuliſſe, ut in proximam, ſed commodiorem, terram; illic ſeviſſe vineam, indè poſtea profectum in *Babyloniam?* Annon hoc magis conſonum videtur, quàm in ultimas terras ablegare *Noachum*, ipſi *Moſi* fortaſſe inauditas? Quid ſi vitium plantas aliarúmque arborum generoſarum repoſitas dixero & conſervatas in Arca, poſt Diluvium in locis conſitas opportunis? Hâc etiam ratione retunditur argura illa de Vite ratio. Sextò, Inſtat porrò, *perabſurda quædam conſequi ex noſtra ſententia, à quibus altera ſit immunis.* Quænam verò ea? Primum, *Non conſtare qui mons ille Ararat, vel ubi ſit. Nam Sibylla Phrygium eſſe, quem Beroſus Armenium vult.* || 12. Quaſi verò *Ararat* ſit Montis nomen; aut quicquam ſit tribuendum *Beroſi Anniani Sibyllæ*ve impoſturis, flammâ dignioribus quàm luce. Sacris Literis agatur hæc res. Proximum eſt, *Debili nos fundamento niti: Barin ſcilicet Armenium eſſe montem altiſſimum, eóque aptiſſimam Arcæ Noachanæ ſedem. Caucaſum enim eſſe multóſque alios altiores.* Eſto. Nos verò id non contendimus, nec in montis altitudine collocamus fundamentum hujus cauſæ. Tertiò, *Nullum eſſe in rerum natura montem*, ait, *Barin; fruſtrà igitur in hoc monte collocari Arcam.* Siccíne verò? Nullus ſi ſit, quî novit *Caucaſum* eſſe altiorem? *Nic. Damaſcenus Barin* appellat quem *Epiphanius Lubarem*, unum ſcilicet è *Gordiæis.* Quid igitur? An apud *Plinium* aut *Ptolemæum* non reperitur hic mons? Id forſan vult. Sed apud *Strabonem* (l. 2.) *Imbarum* legimus, eo ſitum in loco. Quòd ſi nullus Geographorum de hoc aliquid monte ſcripſiſſet, eorúmne ſilentio ex rerum natura exterminabitur? Tradunt illi quidem generalia montium nomina, *Pyrenæorum, Alpium, Gordiæorum*, & ſimilia. Singulorum propria fruſtrà quæras apud Geographos. Poſtremò, *Autores ipſos noſtræ ſententiæ non ſtatuere*, ait, *in qua demum regione ſint hi montes Gordiæi. Ptolemæus enim montes Armeniæ Moſchicos appellat, & Paryardes, non autem Gordiæos.* || 10. & 12. Hoc argumentum quàm inſulſum eſt quàm multis modis? Si *Ptolemæus Gordiæos* montes excluderet *Armeniâ*, ideóne conſequitur non convenire inter nos ubi ſint

A.M. 1657.

A.M. 1657. ſint lccandi, quos Ille hanc ob cauſam exagitat, quòd eos *Armeniæ* tribuamus? Quid autem ſi *Ptolemæus* (Geogr.l.5.c.13.) verbis ſtatuat diſertiſſimis, eſſe *Armenos*, eodem in loco ubi *Paryardes* & *Moſchicos*? Quid ſi deſcribantur in tabula *Mercatoris*? Quid ſi *Raleius* ipſe hoc ipſum ſciat, ac doceat? (‖ 2. & 10.) Equidem haud ſatis capio quid ſibi voluerit prudens vir hâc puerili contentione. Pergit tamen, Septimò, *montéſque Ararat ſolâ Armeniâ contineri non vult, ſed æquè hos patére Moſi ac profanis Geographis Taurus mons, qui totam pervadit Aſiam. Itaque nihil eſſe* ait *in nomine momenti, quò minùs Caucaſum intelligamus.* ‖ 13. At hæc dixiſſe non ſufficit: docuiſſe oportuit, ubi montibus *Araratis* tanta ſpatia terrarum concedat *Moſes*. Nos enim aſſerimus, vocem *Ararat* in Sacris Literis Regionem ſolummodo ſignificare, *Armeniæ* ſcilicet Majoris; Montes verò nullibi. *Eſa.*37.38. & 2 *Reg.* 19.37. *Araratis terra*, *Jer.*51.27. *Araratis regnum* memoratur. Num ejus montis Terram aut Regnum volunt? Octavò, Quod poſtremo loco arguit (ex *Gen.*11.2.) maximam habet veri ſimilitudinem; ubi ab Arca in *Babyloniam*, ſive in terram *Shinaris*, cùm populus deſcenderet, *ab Oriente proficiſci* dicitur. *Sed Armenia Babyloniam à Septentrione reſpicit; Margiana, India, Paropaniſus, ab Oriente. His igitur in locis Arca eſt collocanda.* ‖ 15. Ad hæc primò dicimus, non dicere *Moſen*, populum *ab* Oriente profectum eſſe, verùm *in* Oriente potiùs, vel *ad* Orientem, feciſſe iter. *Nic.* enim *Fullerus*, vir literatiſſimus, (Miſcell. ſacr. 1.4.) perſpicuè docet, præpoſitionem *Hebraïcam* motum ſignificare aliquando *verſus*, vel *ad*, locum, ut *Gen.*13.11. aliquando ſitum abſque motu. Deinde, *Oriens* eo in loco non *Babyloniam*, ſed fortaſſe *Canaanitidem*, ſpectat, ut alibi ſæpe, *Gen.*2.8. *Num.*23.7. eorum ſcilicet patriam futuram quorum gratiâ ſcribebantur hæc; vel *Arabiam Petræam*, ubi ſcribebantur. Etſi ergò à Septentrione *Armeniam* habeat *Babylonia*; ex *Armenia* tamen in *Babyloniam* iter, ſi *Canaanæam* ſpectemus *Arabiámve*, Orientale potiùs dicendum quàm Septentrionale videtur. Tertiò, Credibile non eſt, in *Armenia*, nec fœcundiſſima nec amœniſſima regione, centum habitaviſſe annos *Noachum*; ſed in *Aſſyriam*, aliámve provinciam Orientalem, unà cum ſuis migraviſſe primò, indè profectos in *Babyloniam*. Ab Oriente igitur hoc iter inſtitui potuit, quanquam à Septentrione *Armenia* ſita ſit. Sed jam finis eſto. *Araratem* eſſe *Armeniam*, montes *Araratis Armeniæ* montes, fide Prophetarum *Eſaiæ* ac *Jeremiæ* credimus. Nec à *Raleio* quicquam, tanto cum apparatu, eſt oppoſitum, cur non credamus ea quæ antiquitus tradita, & ab omnibus ferè ſunt recepta, de Arca *Noachana* in montibus *Armeniæ* poſt Diluvium conquieſcente.

Ut ad propoſitum redeamus: Hunc habuit exitum Seculum prius, moribus meritíſque ſuis digniſſimum. Diluvio eſt Impietatis causâ deletum; etiam Paradiſus ipſe vaſtatus, nè quod priſcæ amiſſæque Beatitudinis exſtaret veſtigium. Quo moneamur & Nos, tam ſevero támque potenti ſcelerum Vindici debitum præſtare obſequium, atque cultum exhibere. Hinc igitur novum Seculum, ſive novus Mundus auſpicandus eſt, eodémque Deo duce mihi deinceps deſcribendus.

Teſtimonia veterum de hoc Diluvio.

§ 97. Sed antequam digrediamur, haud tacendum videtur, ad illuſtrandam Hiſtoriæ Sacræ veritatem, famam memoriámque hujus Diluvii apud gentes etiam profanas divulgatam fuiſſe, & à Scriptoribus profanis longo pòſt tempore celebratam. Nam, præter *Beroſum Babylonium*, qui narrat de Arca, Diluvio, *Armeniíſque* montibus, eadem ferè quæ *Moſes*; (*Joſeph.* cont. *Appion.*l.1.) & *Nicolaum Damaſcenum*, qui ex fama ſcribit, eum, de quo *Moſes* memorat *Judæus*, in *Armeniæ* fuiſſe monte *Bari* ex Cataclyſmo ſervatum in Arca, ejúſque illic diu manſiſſe reliquias; (Hos enim jampridem ex *Joſepho* (Antiq. *Judaïc.*1.) retulimus:) eodem Autore, *Hieronymus Ægyptius*, qui antiquitates *Phœnicum* ſcripſit, de univerſali meminit Diluvio, Arcâque *Noachana*; ut & *Mnaſeas*, aliíque plures. *Euſebio* autem referente, (Præp. Evang. 9.12.17.19.) *Alexander Polyhiſtor*, & *Molon*, & *Eupolemus*, & *Abydenus Aſſyrius*. Hic *Siſithrum*, *Xiſuthrum Polyhiſtor*, (referente *Cyrillo*, adverſ. *Julian.* lib.1.) *Noachum* appellant. Eum ferunt à *Saturno* didiciſſe, magnam futuram imbrium vim decimoquinto die menſis *Deſii*: mandâſſe *Saturnum*, ut quicquid Scriptorum eſſet *Heliopoli Sipparorum* occultaretur: eundem in Arca ſervatum, unà cum animalibus omnium generum, remiſſâ tempeſtate, poſt dies tres Aves emiſiſſe ter; & ſublato è mortalium cœtu *Siſithro*, hæſiſſe navigium in *Armenia*, ubi vicinis ligna præbuit, quæ, amuleti quadam vi prædita, de collo ſuſpendebantur. *Ovidius* etiam Poëta, quanquam *Deucalionis* nomini affingat quam narrat inundationem, (nam & ejus ætate aliquam partem *Græciæ* ſubmerſam undis ferunt,) non unius tamen

men Provinciæ, ſed totius Orbis, calamitatem ſibi enarrandam proponit, eámque ut impietatis pœnam ſceleratiſſimis hominibus illatam à diis. *Deucalionis* nomen *Plutarchus* etiam & *Lucianus* adhibent, *Græcorúm*que alii ; ut qui ſuum illud noverant, barbarum verò non legerant *Noachi*. *Lucianus* quidem (in Dea *Syria*) accepiſſe ait ſe à *Græcis* (*Syrus* ipſe) de impietate ac interitu generis humani, impetu aquarum obruentium terras : *Deucalionem*, unà cum familia, & ſingulis animantium generibus, in ingenti Arca conſervatum. *Hierapolitas* in *Syria* addidiſſe his, in magno ſuæ terræ hiatu abſorptam fuiſſe tantam aquarum vim : *Deucalionem* proinde illic Aram ſtatuiſſe *Junoni*, (hoc eſt, ſereno Aëri,) & hiatum operuiſſe Templo ; denique, ritum inſtituiſſe, (nè quando interiret tantæ rei memoria,) ut bis quotannis aquam ex mari peterent *Syri Arabéſ*que vicini, quæ in Templo effuſa deſcenderet in hiatum hunc, cujus ille capax quantæcunque, nullâ unquam exundabat copiâ. *Plutarchus* (de Animal. terreſtr. & aquatil.) non ſolùm de Diluvio & Arca meminit, ſed etiam de emiſſa indè ad explorandum Columba. Λάρνακα, ſive *Arcam*, appellant navigium *Deucalionis Apollodorus*, (lib. 1.) & *Andron Teïus*, & *Homeri* Scholiaſt. (in *Iliad*. 1.) Et *Parnaſſum* indè *Larnaſſum* primò dictum, *Stephanus* (de Urbibus) palàm facit. Eaſdem Arcæ reliquias, eodem in monte, & ſuo monſtratas ævo *Theophilus Antiochenus*, (lib. 3.) & ſuo *Epiphanius* (nè inferiùs deſcendam) contra *Nazaræos* docet. *Plinius* aliíque, qui *Joppam* Diluvio dicto antiquiorem eſſe volunt, ut ſciant & concedant Diluvium illud neceſſe eſt ; & generale confiteantur, ut quæ non modò *Græciam*, ſed *Syriam* inſuper obruerit. Sed apertiùs alibi *Plinius* (lib. 3. 14.) gentem *Italiæ* antiquiſſimam *Umbrorum* ait exiſtimari ; ut quos *Ombrios* à *Græcis* putent dictos, quòd inundationi terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Alii verò (*Strab*. l. 3.) memorant (id quod omnibus patet) conchas, & oſtrea, & lapides concharum referentes formam, qui temporis diuturnitate in lapides induruerant : ſalinas quoque affirmat *Tullius* (de Nat. deor. 2.) multis in locis reperiri, variíſque regionibus, ab ora maritima remotiſſimis. A.M. 1657.

Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ,

inquit *Pythagoras* apud *Ovidium*. (Metam. l. 15.) Cujus rei nullam profectò ſatis probabilem attulerit quiſquam, præter hanc unam univerſalis Diluvii, cauſam. Quinetiam Ille (*Solinus* cap. 9.) qui aſſeverat, *Irruptionem diluvialem, cùm univerſa obduceret humido ſitu, inacceſſas reliquiſſe montium eminentias qui inter Theſſaliam & Æmoniam porriguntur*, Hiſtoriæ huic ſuffragatur ; *ejúſque veſtigia durare*, ait, *in latebroſis rupium cavaminibus quæ reſederunt conchylia.* De quo etiam *Dionyſius Afer*,

Speluncæ veteris ſervant inſignia cladis.
Finibus in mediis terrarum namque videntur
Oſtrea.———

Denique, certiſſimo ad hanc rem eſt argumento, quòd nulla rerum memoria in univerſo Orbe geſtarum (quæ modò fidem aliquam mereantur) *Noachani* Diluvii tempora, niſi in Bibliis noſtris, excedat.

NOACHUS,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER SECUNDUS;

Qui,

A Diluvio *Noachano* ad Peregrinationem *Abrahami*, annos continet 422.

§ 1. CUM ex Arca jam deſcendiſſent *Noachus* & uxor, cum tribus filiis nuribúſque, nihil prius habuit pius vir quàm ut altare conderet; ubi ex avibus pecudibúſque mundis, omnium generum, holocauſta Deo Servatori oblata ſunt. Bovem ovémque, capram, turtures, columbarúmque tenerarum par, immolaviſſe ferunt. His enim ſolis ad ſacrificia Veteres utebantur. Nec ad celebrandum ſolummodo ſalutis beneficium ſingulare pietatem hanc adhibuit *Noachus*. Perſpexit, ad inſtaurandum genus humanum ſemina tam exigua minùs efficacia fore, niſi Divina vis, bonitáſque ſumma, in conſervando ſimul & augendo accederet. Gratiſſima erat Deo tam prompta & opportuna hominis gratitudo. Ità enim placavit offenſum Numen, ut in poſterum conſtituerit, & juraverit quodammodo, (*Eſa.* 54.9.) miſericors Pater, denuo nunquam ſe aquis obruturum terras hominum causâ. Ingenio enim ità eſſe pravo humanum genus, & prono ad nequitiam, ut publicis id calamitatibus cladibúſque corrigendi nulla ſupereſſet ſpes. Non igitur deinde ſe ordinem Naturæ temporúmque vices interrupturum, ad extremum uſque mundi exitum. *Noacho* deinde ac filiis benedixit Deus, (quod ſecundo loco viſus eſt petere bonus vir,) tribuendo illis maximam generandi vim & fœcunditatem, ut quàm celerrimè terras incolis replerent: deinde, nè quid à belluis metuerent ſuæ paucitati, promittendo, omnibus illos animantibus terrori futuros, ut ſubditis imperaturos, denique, pro cibo uſuros libere, modò ſanguine abſtinerent, tam comedendo brutorum animantium, quàm profundendo hominum. Nam illum eſſe vitæ vehiculum, ſibíque ſacrum Autori vitæ. Et cruore paſci, crudelitatem in homine paſcere ferinam videbatur. Humanum verò ſanguinem cædémque etiam in beſtiis ulturum ſe (*Exod.* 21.28.) Deus edixit; multò magìs in hominibus, talionis lege: non per judices modò, ut *Num.* 35.30,31. ſed per ultores etiam ſanguinis, ubi judices deſunt. (*Num.* 35.12. *Deut.* 19.6.) Ipſi enim ſibi homicidium eſſe probroſum, cujus imaginem ſpirantem tollit qui tollit hominem. Poſtremò, cùm animadverteret terrere hominum —— *etiam nunc nubila mentes*, etſi pollicito incolumitatem ſe; quò ſecuriùs agerent, fœdere quodam ſe obſtringebat, humanum genus animantiáque cætera nòn ampliùs Diluvio ſe deletu-rum.

A.M. 1657.

Sacrificanti *Noacho*

benedicit Deus,

A.M. 1657. rum. *Iridem* ergò ſignum illis conſtituit, ut, eo in nubibus conſpecto, Divinæ pactionis memores, ab univerſæ cladis periculo ſecuri forent. Etſi enim hoſtili more arcum ſuum tendere, minitaríque perniciem, videatur: tamen iratum ſe clementiæ miſericordiæque haud immemorem futurum, ipſo illo pollicetur arcu. Itaque *Judæos* ferunt, etiam his temporibus, ſolere, ubi ſignum hoc in cœlo conſpicitur, Deo ſtatim, ejus fœderis Autori, promiſſorum gratiâ benedicere.

& concedit carnibus veſci, quod ante Diluvium non licebat.

§ 2. Ex ea Nûminis indulgentia, carnes animalium concedentis homini ad victum, ſatìs perſpicuum videtur, quòd iiſdem veſci hactenus non licuerit. Fruſtrà enim liberum fit quod liberum fuit; fruſtrà permittitur quod nullo modo prohibebatur; atque ità permittitur, quemadmodum aliæ res expreſſis donatæ verbis. "Liberum vobis jam facio, inquit Deus, carnes comedere, quomodo fructus frugéſque, olera & herbas, condonavi priús. (*Gen.* 1.29.) Deinde, in rebus ejuſdem generis, ubi alterum expreſsè conceditur, alterum tacitè prohibetur. Quorſum enim venia daretur utendi re, quâ ſine venia frui licebat impunè? At verò terræ fructus carnéſque animalium ejuſdem ſunt generis ratione victûs humani. Illis igitur donatis à Deo, (cujus, quæ bona ſunt, dona ſunt omnia,) has minimè concedi, ſed implicitâ quadam ratione vetari, colligitur conſequitúrque neceſſarió. Præterea, carnium cibo non erat homini opus ante Diluvium; cùm ineſſet herbis fructibúſque ſuccus præſtantior atque ſalubrior, nutriendíque major vis, nondum eluvione ſalſedinéque maris ſterileſcente humo; cúmque validiſſimorum corporum ſtomachi glandibus concoquendis ſufficerent.

§ 3. Neque verò dominium in alias res (quod *Cajetanus* diſputat, qui cum aliis quibuſdam noſtræ ſententiæ adverſatur,) mactandi & comedendi tribuit jus magìs in beſtias homini, quàm in homines regi. Quare Apoſtolus, (1 *Cor.* 9.7.) *Quis paſcit gregem*, inquit, *& de lacte gregis non comedit?* De carne verò non dicit, antiquiſſimum, puto, morem ſpectans. Quòd à *Cajetano* additur, *Immeritò laudari Abelem, quòd pinguia offerret pecora, ſi comedere non licebat: nam ad pelles lanáſque non minor eſt macilentorum utilitas:* Imò verò minor eſt (inquam ego) ad pelles lanáſque, multò magìs ad lactis copiam atque fœtûs. Sed hoc & *Abelis* curam diligentiámque, in deligendis & deſignandis optimis quibuſque ſuarum pecudum ad aram Dei, non ſibi tantùm utiliſſimis, commendabat: ac fortaſſe noverat etiam tum, adipem fuiſſe Deo gratum in ſacrificiis, ac proinde imperatum Lege *Moſaïcâ*; at hominibus vetitum nè comederetur. (*Lev.* 3.9,10,11. & 7.30,31.)

§ 4. *Sotus* (de Juſtitia & Jure lib.5.quæſt.1.artic.1.) *Adamo* nondum lapſo prohibitas fuiſſe carnes opinatur, quòd unà cum fructibus atque herbis non concedantur: (*Gen.* 1.29.) poſtea verò liberas licitáſque. Quæ igitur hæc erat *Noacho* indulgentia Dei, concedere quod jàm licebat? quod beneficium, id *Noacho* liberum facere, quod liberum jam antea fuerat *Adamo*? Fruſtráne tot verba prolocutus eſt (*Gen.* 9.3.) ſapientiſſimus Deus? Sic autem *Sotus* arguit. 1. *Cibum nullum à Medicis præſtantiorem carnibus haberi, aut magìs naturalem ſalubrémque corporibus humanis, aut majore præditum ad conſervandas augendáſque vires vi: ergò deſideratum & expetitum fuiſſe, naturæ quodam impetu & ingenitâ fame; ac proinde conceſſum à Deo.* Eſto: concedamus & nos, carnes jam tandem poſt Diluvium humano eſſe corpori ſaluberrimas, deſideratas igitur ab homine, ac donatas à Deo. Priùs autem neque neceſſarias fuiſſe dicimus, cùm aliorum alimentorum ſuppeteret abunde gratiſſima ſaluberrimáque varietas; & fructibus frugibúſque minùs, credo, ſalubres corporibus humanis, tam validis, aptíſque ad cibos duriores & ſolidioris nutrimenti concoquendos. 2. Multis diſputat *Sotus*, *homines non abſtinuiſſe carnibus ante Diluvium.* Impios facilè damus; non & pios. 3. *Animalia quædam ſunt quæ ad cibum*, (inquit ille) *nec niſi ad cibum ullo modo, proſunt humano generi; ut gallinæ, piſces, &c. Animalia verò cuncta hominum gratiâ condidiſſe Deum, conſtat. Iſtis ergò veſci homines licebat, niſi fruſtrà fuiſſe nata fateamur.* At ego, Nè fruſtrà fuiſſe nata videantur, ſatìs, inquàm, eſt, ad victum humanum deſtinata fuiſſe hæc poſt Diluvium. Interea, non minùs ad perfectionem ſpectabant Univerſi quàm feræ, aliæque res, quibus neque opus, neque uſus eſt frequens humano generi: ut herbæ medicales quàm plurimæ non erant inutiliter editæ, quibus tamen, in tanta corporum ſanitate, non niſi poſt multa demum ſecula uſos fuiſſe homines ad medicamenta credimus. 4. *Venationi & aucupio homines naturâ eſſe deditos tradit Ariſtoteles.* (Polit.1.3.) *In primo igitur mundi ſeculo venabantur homines & aucupabantur. Quorſum verò id, niſi ut cibum ſibi fructibus atque*

fru-

frugibus delicatiorem acquirerent? Quorſum verò id? inquis? Ad animorum ſolatia & oblectationem, credo; útque plumas avium & pelles quadrupedum lucrarentur, quibus veſtimenta ornamentáque ſibi conficerent & tabernacula: quæ ſola etiamnum ex feris pleriſque utilitas percipitur; imò & ex vaccis tauríſque in *Americanis* quibuſdam inſulis, quorum tanta eſt copia, ut in mercibus coria tantùm diſtrahant inſulanei, & abjiciant carnes. (*Joſ. Acoſta* Hiſt. *Ind.* 1.21.) Artémque plumariam fuiſſe inprimis excultam, credibile eſt, ad ornatum corporis, quæ à barbaris *Americanis* jam ſola ferè ac peritiſſimè tractatur. 5. *In ætate mundi prima obtuliſſe homines animalia in ſacrificiis conſtat; ergò & partem aliquam ſibi apparâſſe ad convivia, probabile videtur. Is enim poſt Diluvium mos apud omnes ferè gentes inolevit.* At verò in holocauſtis id fieri non poteſt. Holocauſta obtulit *Noachus*, more (opinor) inſtitutóque Veterum. Holocauſta & *Abelem* immolâſſe plerique credunt, qui agnum ejus incenſum opinantur cœlitus. Holocauſtis & *Græcos* litaviſſe primò, aliáſque gentes unde hunc morem *Græci* acceperant, *Promethei* docet fabula; qui, cùm tenuiores ſumptum totius victimæ tolerare non poſſent, cum *Jove* pactus fingitur, ut dimidio contentus deinde, reliquum iis comedendum qui offerebant concederet. Cùm igitur inprimis & fruges & hoſtias animales Deo conſecrarent, hunc opinor Veterum fuiſſe morem, ut has totas incenderent, illis autem ipſi epularentur. Concludat ergò *Pythagoras*; — *A.M. 1657.*

> *At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,*
> *Fœtibus arboreis &, quas humus educat, herbis*
> *Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.* (*Ovid.* Met. l. 15.)

§ 5. De novo carnium cibo jam diximus. Novum ſibi homines & potum excogitârunt. Ex montibus *Armeniæ* in *Aſſyriam* primò deſcendiſſe *Noachum*, vicinam, ſed magìs commodam, regionem, vero ſimillimum eſt, ibíque centum ferè annos habitâſſe. Quò commodiùs viveret, coluit agros, vineáſque ſevit; & ex uvis vinum exprimere primus (opinor) inſtituit, quò mœrorem ſibi & ſuis, ex tot ærumnis doloribúſque hauſtum, leniret, viréſque, animi ſimul & corporis, languidiores jam poſt Diluvium, recrearet. Eóque magìs de vino erant ſoliciti, quoniam aqua, ſuaviſſimus ante Diluvium ſaluberrimúſque potus, corrupta jam degenerârat. Sed *vinum illudit*; (*Prov.* 20.1.) cujus vim nondum ſatìs pernoverat pius vir. Cùm igitur, paulò plùs potus fortè, ſeminudus inhoneſto more procumberet in tabernaculo, minimus filiorum, *Chamus*, ludibrio patrem habuit, fratribúſque ſuis deridendum expoſuit. Vindicta ſanè juſta, & planè Divina. *Noachus* optimus quidem vir, ſed tamen peccat; imò palàm peccat, & exemplo malo. Peccanti verò Deus, peccanti publicè, nè optimo quidem viro parcit. Quò melior quis publicè peccat, eò peccat graviùs, eò magìs violat gloriam Dei. Et ipſa ebrietas non minùs grave ſupplicium eſt quàm peccatum. Ejus enim *Circeo* poculo, ex homine ridiculum & deſpicabile fit brutum pecus. Sed & aliunde ſupplicium hoc ſupplicio graviore, peccatum hoc publicum alio peccato cumulatur. Impiis plerumque hominibus, quibus maximè peccatis ſuis officiunt pii, tanquam virgâ Deus utitur quâ corrigat delinquentes. *Noachus*, ebrius, à *Chamo* vapulat nequiore: ídque tam feſtinanter fit, ut pius vir peccati ſe luiſſe pœnam ſentiat priùs quàm peccâſſe; ut, ſi fieri poſſit, ex peccato expergiſcatur citiùs quàm è ſomno. Sed inprimis memorabile, quòd peccatum filii pœna ſit patris. Scelere ipſo, cui patrando anſam dederat, jure optimo caſtigatur. Patrem irridet *Chamus*, at ebrium. In patrem violatur pietas; ejuſdem ebrietas plectitur: indè *Chami* peccatum, hinc *Noachi* ſupplicium. *Semus* autem *Japhetúſque*, piâ verecundiâ ſuffuſi, retrò cedentes averſiſque oculis, nè cernerent nudum, pallio ſenem operuerunt. Ut primùm *Noachus* evigilavit ex vino, *Chamique* impietatem reſcivit, diris ipſum poſteróſque, filium *Canaanem* præcipuè, devovit. Ejus enim fortaſſe indicio pater avi pudorem viderat, ——*oculóſque videndo Conſcelerârat.* Uterque punitur in altero. Qui peccaverat in patrem, in filio punitur, ſed ejuſdem, credo, ſceleris participe. *Semo* autem pater *Japhetóque* omnia bona comprecatus eſt. Quæ omnia tandem ità certò veréque illis obtigerunt, ut ille pater gentium non tam precari bona, maláve imprecari, filiis, quàm quæ futura erant prædicere, viſus ſit. Sic igitur *Noachus*: *Exſecratus*, inquit, *Canaan*; *ſervus ille ſervorum eſto fratribus ſuis. Benedictus autem Dominus Semi Deus: at illi ſervus Canaan ſit. Deus alliciat Japhetum, ut habitet in tabernaculis Semi*, ejúſque be-

A.M. 1667.

Ebrius *Noachus*

à *Chamo* deriſus;

Canaanem exſecratur.

A.M. 1667. benedictionum particeps fiat: *at illi etiam Canaan ſervus eſto.* Ità *Noachus* exſecratus ſimul & vaticinatus eſt. *Adamus* edendo intemperantiùs, poſt mundum conditum, poſt eundem inſtauratum, bibendo *Noachus* offendit. Fructus arboreus utrique impoſuit. Illum puduit cùm ſe nudum cerneret; huic, nihil ſentienti, nè ipſa nuditas pudori fuit. Utrumque mox pœnituit: nobíſque ſalutaris fit *Noachi* noxius calix, ad operiendam animarum nuditatem veſtibus *Christi.* (*Matt.*26.27,&c.) Quod autem *Japheto* apprecatur genitor, ut in tabernaculis habitet *Semi*, ſic interpretantur nonnulli probabiliter, ut in veram Eccleſiam inſerantur ejus poſteri, poſt ejectos indè *Judæos*, poſteros *Semi*; (*Rom.*11.11,12,&c.) quemadmodum *Reubenitæ* (1 *Chron.* 5.10.) in tentoriis *Hagarenorum* victorum expulſorúmque habitârunt. Neque verò *Noachi* à *Chamo* inflicta & *Canaane* pœna vel juſtior vel aptior videtur, quàm *Chami* & *Canaanis* à ſuis fratribus infligenda. Quid enim æquius aptiúſve fieri aut fingi poteſt, quàm ut ii, qui debitum naturâ parentibus obſequium & reverentiam non præſtiterint, gravius ferant ſervitutis jugum, & libidini pareant alienæ, nullius ipſi honoris aut reverentiæ capaces? Hæc ſervitutis origo, hic fons, peccatum, impietatis, peccatum in parentes. Liberi omnes naſcimur. Irritatis tandem in bella gentibus, victi captíque hoſtes, à *ſervando*, dicti factíque *ſervi* ſunt. Ubi enim vita illis donata eſt quos jure belli occidere licebat, eâ donata eſt lege, ut eorum commodo viverent quorum beneficio vivebant: ídque mox in gentium quoddam jus tranſiit, quo ſervi, more pecudum, pretio diſtracti, dominorum in peculio habebantur.

A.M. 1757. § 6. Hactenus una erat totius generis humani Reſpublica; ſed aucti jam, poſt centum annos, tantâ multitudine, quantam unius loci anguſtiis concludi, cùm totus orbis terrarum incolis pateret, nec ſatìs hominibus conſultum videbatur, nec ipſi Deo gratum. Omnibus enim uno in loco minùs commoda victûs ratio ſuppetebat. Sed & bellorum morborúmque popularium calamitas, toti hominum generi communis, erat multò crudelior futura; & cum impiis conſceleratíſque hominibus conſuetudo & convictio neceſſaria, Religioni, moribúſque bonis, multò magìs periculoſa. *Noachus* igitur, ſeptingentorum annorum ſenex, liberis nepotibúſque ſuis autor fuit (ut credi par eſt) in diverſas proficiſcendi regiones, deducendi colonias, conſtituendi civitates. Id antequam fieret, vel potiùs nè fieret omnino, unam omnes urbem ingentem, & in ea immenſæ turrem altitudinis, ad *Euphratem* fluvium, moliuntur. Eò enim ex *Aſſyria* jam devenerant, ſive in *Canaanitidem* hâc migraturi viâ, quam priùs fortaſſe incoluerat *Noachus*, *Adami* terram natalem; ſive inveſtigaturi locum *Paradiſi*; ſive qua alia de cauſa, minimè conſtat. Verùm hujus loci amœnitate ac fertilitate mirâ capti, habitandum ſibi omnibus & permanendum illic ſtatuerunt. *Edenici* horti fortaſſe aut partem fuiſſe hanc, aut agrum certè vicinum, ex *Noacho* didicerant. Alii, credo, nihil ſibi proponebant aliud hoc opere novo, niſi perpetuum ſui nominis apud poſteros monumentum ut relinquerent. At *Nimrodus*, *Noachi* ex *Chamo* pronepos, hujus conſilii primus autor, (ut multi opinantur) tyrannidem ſibi, totiúſque generis humani monarchiam, unà machinatus eſt. Mihi verò *Nimrodi* ætas tantæ ambitioni fuiſſe longè impar videtur. Ipſum potiùs *Chamum* ea molitum eſſe, nationis impiæ parentem, ſi cui tribuendum ſit uni, meritò credamus. *Ægyptum* enim ſolam, *Chami* ditionem, ejuſmodi opera, immenſi quidem, ſed vaniſſimi, laboris, proſecutam eſſe ac celebrâſſe poſtea, Pyramidum indicio patet. Quod aliqui addunt ex *Joſepho*, ædificatam hanc turrem fuiſſe alterius Diluvii metu, ut eſſet quò refugerent ſupra nubes; id verò indignum eſt fide. Nec enim poterant ignorare, Deum illis caviſſe jampridem ab hoc metu. Verùm, ut homines improbi parùm hac in re confiſi Deo ſint, quæ tamen eſſe poterat è terra ædificium ſupra nubes erigendi ſpes, imò ex terra humillima profundæ vallis? Denique, ut potuerint falſam & inanem dementes hanc fovere ſpem, at quàm paucos è toto genere hominum conſervâſſet incolumes una turris? Reliqua interim periiſſent omnia. Quàm exigua erat hæc tantorum ſumptuum ac laborum merces futura? At nec lateritia turris aquæ diutinam ſuſtinere potuiſſet vim. Nullum igitur ex hoc opere contra novum Diluvium quærebatur præſidium. Glorioſum nomen ſolummodo quærebatur, & mortalibus magnifici operis fama immortalis. Sed qui famam aucupantur, umbras captant; quíque auram concipiunt popularem, ventos plerumque pariunt ignominiæ infamiæque. At conſtruendo huic ædificio lapides deerant. Lateres proinde coquunt, invento atque arte (puto) ſeculi prioris. Nec aderat illis calx. Bitumen arripiunt, operíque incumbunt ſtrenué. Bitumen verò picis quoddam ſulphureæ genus eſt, quæ

Homines, turrem aggreſſi *Babylonicam*,

propagandi ſui nominis cauſâ,

non alterius Diluvii metu,

quæ ex eo ſolo paſſim exæſtuat, ebullítque tantâ copiâ, ut non modò ædificiis omnibus liquida, ſed pro ligno etiam ſiccata ſufficiat. Contemplatus omnia Deus, ambitioſum gloriæ ſtudium, & in iiſdem cohærendi ſedibus pertinaciam, non tulit. Neque tamen delendos iterum putavit; quandoquidem priore clade ad mentem ſaniorem profeciſſent nihil. Itaque ſuperbos rebelléſque hominum conatus irritos facere ſatis habuit, cogeréque in colonias vel invitos. Quâ linguâ unicâ uſi fuerant hactenus mortales univerſi, ea in plures variáſque prodigio repentino diſtracta eſt, hominéſque (ut appellat profanus Poëta) μέροπες facti, diviſis diverſíſque linguis. Non jam ampliùs mutuò ſe intelligebant, quid aut ſocii peterent, aut principes imperarent. Aſcendere quis jubetur? ille deſcendit. Alius afferri ſibi lateres vult: bitumen traditur. Sublatâ igitur ſermonis communione, quaſi mutuæ ſocietatis cæmento, omnis conſpiratio populi, & unius dominatio, pariter ſublata eſt. Nihil enim aptius potuit accidere ad dirimendam ſocietatem hominum, quàm ſermonis varietas; quæ tanti eſt, ut externus alieno non ſit hominis vice; nemóque ſit qui non lubentiùs ſuum habeat canem pro ſocio, quàm hominem eum quem non intelligit. Ab opere inchoato ceſſandum erat, & aliò pleriſque migrandum neceſſariò, ut cuique cum aliis maximè linguâ & cognatione conveniebat. Alii aliò paſſim diſperſi ac diſſipati ſunt; quod ipſum timebant, cavebántque nè fieret. Impiis enim id ferè ſolet contingere quod horrent maximé. (*Prov.*10.24.) Indè urbs *Babel*, hoc eſt, *Confuſio*, poſtea *Babylon*, dicta: ab urbe, univerſa regio *Babylonia*; cujus eam partem quæ ad Meridiem tendit, *Chaldæam* appellant. Hîc autem audiendi non ſunt *Paræus* atque *Raleius*, & ſi qui alii *Noachum Semi*que gentem his rebus interfuiſſe negant. *Nimrodo* ſcilicet commiſſam hanc aiunt à Principibus coloniam. Pium enim ſenem, viróſque, ſi qui adfuiſſent, bonos, nullo modo probaturos fuiſſe veſanam turris molitionem, conſpirationémque hominum improborum. Quin & linguæ patriæ primæque in *Semi Heberi*que familia integritatem arguere, procul eos abfuiſſe à culpa, qui à pœna procul. Hæc illi. At verò Libri Sacri (*Gen.*11. 1.) *totam terram*, hoc eſt, *omnes mortales*, *unâ* uſos narrant communi *linguâ*. Eoſdem *ab Oriente*, vel *in Oriente* potiùs, *dum iter facerent*, in *Shinaris campum* deſcendiſſe, verſu 2. Illic à Deo confuſam totius terræ linguam: Illinc homines in terram univerſam diſſipatos. Neque conſequens videtur, viæ comites ſcelerum quoque conſcios atque ſocios fuiſſe. Aderant corporibus boni permiſti malis; animis aberant ab hoc facinore. *Noachum*, & qui cum eo ſentiebant viros bonos, (qui plerumque ſolent eſſe numero pauciores,) monuiſſe reliquos temeritatis, ac vetuiſſe verbis, & quantâ valuerunt prohibuiſſe vi, quod tamen impedire opus non potuerant, pietati hominum conſentanea eſt fides. Avitus enim ſermo cùm in *Chaldæa* ſola relictus ſit, ibi *Noachus* etiam & *Semus*, aliíque homines pii, apud quos hic ſermo eſt relictus, neceſſariò ſunt ſtatuendi. Fruſtrà igitur hoc nos telo *Paræus* oppugnat, quo ipſius cauſa jugulatur. *Heberi* enim poſteros ex *Pelego* in *Chaldæa* ſitos fuiſſe, *Abrahamus* & *Thara* indicant; quanquam poſtea, expugnati à *Nimrodo*, paulatim exuerint pietatem, & mutaverint idolis. Unus omnium *Abramus*, cum ſuis, maluit ſolum quàm Religionem vertere. Præterea, quid illud ſibi vult, *Gen.*11.4. *Ut gloriam nobis acquiramus*, *nè*, vel *antequam*, *in terram diſſipemur univerſam?* Hæccine paucorum, & unius coloniæ, vociferatio, an omnium potiùs mortalium, videtur? Quam enim illi diſſipationem metuant, qui, nuper in coloniam emiſſi, ſedem ſibi hanc apparabant novam? Poſtremò, *Nimrodum* juvenem *Cuſho* patri, *Chamó*que avo, & patruis tribus, viris ſtrenuis, magnæque autoritatis, (quos adfuiſſe conſtat ex locis in Occidente quos incoluerunt,) ducem dare, præpoſterum videtur & ineptum. Non igitur hæc *Nimrodi* colonia, ſed univerſus mortalium cœtus, *Noacho* duce, jamjam in varias diſſolvendus colonias. *Goropius Becanus*, quò ſuis de primatu linguæ *Cimbricæ* commentis aliquid prætendat, *Japhetum* cum ſuis unum in *Shinaris* campo negat adfuiſſe; ità retinuiſſe puritatem linguæ primitivæ. Id autem ex eo probat, quoniam (*Gen.* 10. 5.) tradit *Moſes*, inſulas gentium coloniis occupatas fuiſſe à filiis *Japheti*, ante molitionem Turris *Babylonicæ*, quæ capite pòſt undecimo narratur. Sed errat *Becanus* vehementer, quia Scripta Sacra non intelligit. Nam in decimo capite ſummatim, & per anticipationem, ea traduntur quæ poſt linguarum calamitatem acciderunt. *Nimrodi* memoratur imperium verſ.8, &c. & *Palæſtinorum* ortus verſ. 14. & *Canaanis* regio deſcribitur verſ.15. & *Joctanidarum* verſ.30. & ab omnibus *Noachi* filiis nepotibúſque nationes per orbem terrarum conſtitutas dicitur verſ.32. Omnes ergò abfuerunt *Babylone*, ſi rectè

A.M. 1757.

confuſis linguis,

in varias regiones diſſipantur;

Noacho etiam præſente, ac *Semo*,

*Japhetó*que.

Be-

A.M. 1757. *Becanus* arguat, unúſque adfuit *Noachus*. Sed & *Japhetidarum* linguæ variæ verſ.5. non minùs quàm aliarum gentium, memorantur. Linguarum igitur minimè intellectarum varietate impediti ſunt nè *Babylonem* conderent, ſive Mundanam Civitatem. Contrà, ut conſtruerentur *Hieroſolymæ*, Dei Civitas, Eccleſia, varias linguas intelligere ac loqui (nè quod operi Sacro foret obſtaculum) à Deo datum eſt. Quare caſu fortuitóque, non conſultò & ſorte, (ut *Epiphanius* habet Tom.2. contra *Manich.* & in *Gen.*10.19.) diviſus eſt inter *Noachi* filios mundus. Factum enim id *Rhinocoluræ*, ſive ad *Sichorem* torrentem prope *Ægyptum*, (procul igitur à *Babylone*) *Epiphanius* vult. Sed quæ ſortium eſſe potuit ratio inter homines minimè ſe intelligentes mutuó? aut unde nobis conſtabit de ſortibus, quas non memorat *Moſes*?

Nota hæc profanis gentibus. § 7. De turri *Babylonica*, & confuſis mortalium linguis, Vatem quoque *Sibyllam* *Joſephus* ait (Antiq.1.5.) meminiſſe, his aut hujuſmodi verbis: *Cùm univerſi mortales uno ſermone uterentur, turrem ædificaverunt celſiſſimam, quaſi ad cœlum aſcenſuri. Dii verò procellis immiſſis turrim ſubverterunt, & diverſam ſingulis dederunt linguam. Eámque ob cauſam urbs* Babylon *eſt nominata.* Apud eundem *Joſephum*, agri *Senaar* in *Babylonia* *Heſtiæus* meminit, quò Sacerdotes ab aquarum clade ſuperſtites, *Enyalii Jovis* ſacra ferentes, pervenerunt, ac in omnes deinde regiones diſſipati ſunt. *Abydenus* etiam *Aſſyrius* ità ſcripſit, (*Euſebio* referente, Præparat.9.14.) " Fuiſſe qui di-" cerent, primos homines è terra natos, mole corporum viribúſque fretos, potentiam " Superis majorem affectâſſe. Turrim propterea immenſæ altitudinis molitos; " quæ, cùm jam propiùs abeſſet à cœlo, ventorum impetu opitulantium diis, ſuis " autoribus diruta pro ſepulcro fuit. Ex ruderibus *Babylon*, ſeu *Babel*, prodiit, quæ " *Confuſionem* ſignificat *Hebræis*: natum ex eo nomen, quòd eodem tempore confu-" ſæ mortalium ſint linguæ, apud quos una priùs univerſos fuit. Secutum eſt dein-" de inter *Saturnum* atque *Titana* bellum. *Abydenus* hæc. *Eupolemus* verò, (Ibid. lib.20.17.) *Babylonem*, turrémque illam à Gigantibus qui ex Diluvio evaſerant conſtructam, numinúmque vi dejectam, Hiſtoricorum fuiſſe omnium ore jactatam, tradidit. Ipſos quoque Gigantes mox toto paſſim orbe disjectos, atque diſſipatos. Nec ineptiunt fortaſſe qui Poëtarum *Græcorum* fabulam de Gigantibus hiſtoricâ ſignificatione huc referunt.

Affectâſſe ferunt regnum cœleſte Gigantes,
Altáque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes. (*Ovid.*Met.1.)

Ex tribus *Noachi* filiis, § 8. Ex tribus autem *Noachi* filiis, filii ac nepotes *Semi Aſiæ* Majoris maximam partem, ad Orientem præcipuè, tenuerunt. *Chamus*, cum pleriſque ſuorum, ab *Euphrate* Occidentem petiit; *Aſiæque* regiones *Ægypto* vicinas, & *Africam* totam, occupavit. Poſtremò, *Japhetus* in *Europa* ferè univerſa, Minore *Aſia*, & aliqua Majoris ad Septentriones parte, ſe ac ſuos collocavit. Hæc neceſſe eſt mihi perſequi omnia ſingulatim, quantum vel ex Literarum Sacrarum certis teſtimoniis, vel ex conjecturis probabilibus, aſſequi licet, ut reliquæ hiſtoriæ fundamenti loco ſubjiciantur.

Japhetus Aſiam tenuit Minorem cum *Europa*; Inprimis igitur, *Japheti* numerantur filii ſeptem, (*Gen.*10.2.) *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Javan*, *Tubal*, *Meſhech*, & *Thiras*. *Gomeri* tres etiam filii memorantur, *Aſchenaz*, *Riphat*, *Togarma*: (verſ.3.) *Javani* quatuor, *Eliſha*, *Tharſis*, *Cethim*, *Dodanim*. (verſ. 4.) Ex his *Madai Mediæ* nomen impoſuit: (2 *Reg.*17.6. & 18.11. *Eſa.*13. 17. & 21.2. *Jer.* 25.25. &c.) *Thiras*, ut conjicitur, *Thraciæ*. Quanquam & in *Ruſſia* fuerit *Tyras* fluvius olim dictus, cui jam *Nieſter* eſt nomen. *Gomer* autem cum filio *Togarma* Minoris *Aſiæ*, *Magog Syriæ*, *Tubal* & *Meſhech Syriæ* vel *Arabiæ* videntur partem aliquam tenuiſſe. *Ezechielis* enim Prophetæ cap. 38. hi omnes in iis numerantur qui erant auxilium daturi principi *Gog*, hoc eſt, *Syriæ* regi, bellum *Judæis* inferenti, poſt reditum ex *Babylone*. Sic enim verſ.2. *Fili hominis, diſpone faciem tuam verſus Gogum, terram Magogi, principem primarium Meſhechi & Tubalis*: deinde, (verſ.6.) *Gomerum cum omnibus agminibus ſuis, domum Togarma ad latera Aquilonis*: & (cap. 39. 2.) *Deducam te* (de *Gogo* loquitur) *è lateribus Aquilonis.* Sed *Gomerii*, ſive *Gomeri* poſteri, *Cimmeriorum* gentem fortaſſe, ad *Mæotidem* paludem, condiderunt; & illi *Cimbros* in *Germania*; unde *Galli* quoque tandem, & *Britanni* (qui ſuâ ſe linguâ *Cimbros* appellant) oriundi. Multi *Magogum* in *Scythiam* ſive *Sarmatiam* conjiciunt. Eos enim (autore *Joſepho*) *Magogas* antè nominatos aiunt, *Maſſagetas Ptolemæo*. Eorundem reliquias in *Syria* intelligendas *Ezech.* 38. Quo enim tem-

tempore *Aſiam* obtinuerunt *Scythæ* bello ſubactam, non modò *Scythopolin*, ſed *Bambycen* quoque, ſive *Hierapolin*, condidiſſe in *Syria*, quæ *Syris* ipſis *Magog* dicitur. *A.M.* 1757. (*Plin.* 5. 2. & 3.) *Togarma* verò, qui ad partem Borealem *Judææ* ſtatuitur ab *Ezechiele*, in *Armenia* Minore collocatur à pleriſque; unde *Tigranis* etiam nomen genti *Armenorum* peculiare deducunt. Quòd *Chaldæus Paraphraſtes* (*Ezech.*27.14.) *Togarma* in *Germaniam* vertat, ex nominis quadam affinitate, ridiculum eſt. Nam quæ *Germanis* fuerunt illis temporibus cum *Tyro*, ullâve parte Mediterranei maris, commercia, de quibus illic agitur? *Meſhech* (*Pſal.*120.5.) *Cedarenis* adjungitur in *Arabia*: *Væ mihi, quia peregrinor in Meſhech, & habito in tentoriis Cedar.* Etſi locus hic aliam ferat interpretationem: *Hei mihi, quòd peregrinor tam diu, habito tanquam Scenitæ Cedareni.* Itaque aliis, ortos ab eo *Cappadoces*, placet magis. Illic enim urbs *Mazaca*, & populus *Moſſyni*, *Plinio*, (6.4.) *Epiphanio* & *Melæ Moſſynœci*. Alii denique *Moſchos Albanenſes*, de quibus *Plin.* 6.10. & montes *Moſchicos* in *Armenia* vicina, & *Moſchovitas* tandem, ab eo dictos ductóſque volunt; ut de *Mazacis Sarmatiæ Aſiaticæ* (*Plin.*6.10.) nihil dicam. *Tubal* fratri *Meſhecho* ut vicinus locetur neceſſe eſt, quia ſæpius apud *Ezechielem* Prophetam conjunguntur, ſive in *Arabia Syriâve* id fiat, ſive in *Iberia, Albania* & *Cappadocia*. Qui *Meſhechum* igitur in his regionibus, etiam *Tubalem* ſtatuunt, *Chalybúm*que & *Iberorum* faciunt autorem. *Iberi* enim, ſi *Joſepho* credimus, *Thobeli* olim dicti; & eorum eſt *Thabilaca* apud *Ptolemæum* urbs. Ad has conciliandas conjecturas, ab aliis conjicitur, hos fratres in *Arabia Syriâve* primò, poſteros eorum in *Cappadocia, Iberia* & *Albania*, ſibi vicinos, habitâſſe. Indè *Chalybum* & *Iberorum* colonias in *Hiſpaniam*, ferro quoque nobilem, propagatas. Nam ut *Iberos*, ità *Chalybes* in *Hiſpania*, populum fluviúmque, apud *Juſtinum* (Hiſt.l.44.) reperias: & *Tubal* apud *Eſaiam* (66.19.) transmarinam regionem ſignificat. *Javan* ex *Aſia* Minore *Ionum* coloniam traduxit in *Græciam*. (*Dan.*8.21. & 10.20.& 11.2. *Joel.* 3.6.) Etſi enim ſe Αὐτόχθονας, id eſt, *Aborigines*, prædicare ſoliti ſint *Athenienſes*, cùm originem ſuam ignorarent; tamen *Ionas* antiquitus dictos fuiſſe conſtat, vel ex columna quam *Theſeus* olim in Iſthmo ſtatuit *Corinthiaco*, poſtquam *Atticæ* regioni *Megaricam* adjunxiſſet. (*Plutarch.Theſeo*, & *Strabo* lib.9.) Quò enim limites regionum diſtinguerentur, inſcriptum erat columnæ, ab orientali quidem parte, *Hæc non ſunt Peloponneſus, verùm Ionia*; à parte verò altera, *Sunt Peloponneſus iſta, non Ionia.* Et *Strabo*, (ibid.) *Attica*, inquit, *Ionia* & *Ias* antiquitus vocata eſt. Quòd nonnulli prodiderunt, ab *Ione Xuthi* filio *Ionas* nuncupatos; quis credat advenæ filium, qui & ſe cum ſuis in alia regione collocavit, genti ſatis per ſe nobili novum addidiſſe nomen? Mihi credibilius videtur, *Ionas Achaiæ Peloponneſios*, veros hujus *Ionis* poſteros, non tam ab eo nomen ſuſcepiſſe, quàm ab *Ionibus* illis quorum ope operâque adjutus eâ regione potitus eſt. Nec *Iones* modò, ſed etiam *Iaones* vocantur *Athenienſes* ab *Homero*, quod propiùs ad *Javanum* accedit. Ἐνθάδε Βοιωτοὶ, καὶ Ἰάονες —— *Athenienſes*, inquit *Strabo*, ſignificat; à rege quodam *Iaone*, ait *Æſchyli Scholiaſtes*. Ex *Gomeri* filiis, *Aſchenaz* in Boreali parte Minoris *Aſiæ* conſtitutus videtur à Propheta *Jeremia*, (cap.51.27.) ubi, cùm de *Babylonis* excidio agatur, variiſque gentibus quæ *Medis* erant arma ſocia contra *Babylonios* collaturæ, *Ararat*, *Minni* & *Aſchenaz* nominantur. *Ararat* ſignificare Majorem *Armeniam*, penè in confeſſo eſt; *Minni* verò Minorem. Itaque *Aſchenaz* gentem eſſe non longè remotam, ſubditámque *Medis*, multò credibilius eſt, quàm aut *Gothos*, (ut *Euſebius* vult,) aut *Germanos*, (ut *Judæi*,) aut *Rhegines* denique neſcio quos, (ut *Joſephus* opinatur;) quos etiam *Aſchanaxos* primò nominatos fingit. In illis enim *Aſiæ* locis, quos dixi, *Aſcaniam* regionem, (unde *Aſcanius* ille apud *Homerum* dux *Iliad.*2.) & urbem, lacum fluviúmque, deſcribunt Geographi, ejuſdem ferè nominis. Utrùm ex ejus poſteris aliqui migraverint hinc in *Germaniam*, & an *Tuiſco* quaſi *Di-Aſchenaz* dictus ſit, (nam *Tuiſcones*, quod propiùs accedit, in plurali numero, *Latinum* eſt, non *Germanicum*,) ipſi viderint qui hæc augurantur. (*Carionis* Chronic. lib.1.) De poſtremo filiorum *Gomeri*, *Riphato*, Sacri Scriptores eò fortaſſe rariùs meminerunt, quòd longiùs receſſerit à fratribus, nullúmque habuerit cum *Iſraëlitis* commercium. Non deſunt tamen qui *Paphlagonas*, quos *Græci* vocant, *Riphatæos* primò dictos fuiſſe, credunt *Joſepho*: Eoſdem *Henetos* poſtea, vel *Enetos*, (ut *Homerus* appellat *Iliad.*2.) nuncupatos, in *Sarmatiam Europæam* longè latéque diffuſos, *Arimphæorum* quoque gentem, montium *Riphæorum* accolas, conſtituiſſe. (*Plin.* 6.7.) Jam verò ex filiis quatuor *Javani*, *Eliſam*, ſi nihil ſpectes præter ſonum vocis, *Eliſæos*, ſive *Æoles*, gentem *Græcam* in Minore *Aſia*, genuiſſe, cum *Joſepho* credi-

A.M. 1757. deris. Sed longè poſt hæc tempora natus eſt *Æolus*, ejus nominis atque gentis autor; multò longiùs in *Aſiam* traducti ſunt *Æoles*. *Ezechielem* verò autorem habemus multò certiorem, (cap.27.7.) *Eliſam* inſulas tenuiſſe Mediterranei maris, quæ cum urbe *Tyro* mutuis commerciis negotiabantur. Nec inſulæ modò veræ, ſed quævis regiones à ſua Continente ità diviſæ, ut non niſi navibus eò perveniretur, pro inſulis habebantur à *Judæis*. *Elis* ergò, *Peloponneſi* regio, ab *Eliſa* fortaſſe denominata eſt: quanquam *Græci Eleo* regi nomen hoc deberi volunt. *Tharſis Ciliciam* obtinuiſſe videtur, Minoris *Aſiæ* regionem; cujus urbs primaria *Tarſus*. (*Jonæ* 1.3.) *Cethini*, vel *Cittini*, in *Cyprum* inſulam rejiciuntur à *Joſepho*, tunc *Chetinam* vocatam. Urbem ait *Cittium* ſatis valido eſſe argumento, unde *Zeno Cittiæus* prodiit. Alii *Macedones* illis attribuunt, qui Μάκεται olim dicti, autore *Stephano*; & Μακετία eſt apud *Heſychium Macedonia*. Quin & *Cittium Macedoniæ* oppidum reperias apud *Livium*, (lib.42.) Verùm ut (1 *Maccab*.1.1. *Num*.24.24. *Eſa*.23.1. *Jer*.2.10.) terra *Cittim Macedoniam* vel *Græciam*, ità (*Dan*.10.30.) naves *Cittim Italas* potiùs vel *Romanas* denotare videntur. *Ezechielis* igitur 27.6. inſulæ *Cittim*, nihil prohibet quin & has Continentis regiones ſignificent; quod ſuprà de inſulis *Eliſæ* monuimus. At verò hæc omnia quæ de *Cittim* dicuntur in Sacris Literis nonnulli de *Ciliciæ* portubus interpretantur; ubi hunc *Cittim*, primum *Citidis* regionis incolam, in citeriore *Cilicia* ſtatuunt, & indè *Cittium* in *Cypro Cilicum* fuiſſe coloniam. Et *Cetei* apud *Homerum*, (*Odyſſ*.11.) qui ſub *Eurypylo* meruerunt in bello *Trojano*, *Cilices* fuiſſe creduntur; ſed alii longè ab his ad fluvium *Caycum Cilices*, haud ſcio an ex his oriundi. Poſtremò, *Dodanim* in *Epirum* trajicitur, ubi *Dodona* eſt urbs: vel, ſi *Rodanim* ſcribatur, (harum enim literarum ſimilitudo apud *Hebræos* vocem hanc ſibi diſſimilem reddit,) in *Rhodo* inſula collocatur. Hucuſque *Japhetus* cum ſuis in varias ſedes ac regiones diſtributi ſunt.

Arabiam Chamus & Africam; § 9. Proximo loco etiam *Chamo*, ejúſque filiis ac nepotibus, ſua loca ſpatiáque terrarum aſſignanda. Primò igitur, *Chamus* ipſe, cum filio *Mizraïm*, in *Ægyptum* ſe contulit. Hæc ea *Chami* terra & tentoria, *Pſal*.78.51. & 105.23,27. & 106.21, 22. dictámque in Sacris *Iſidos Chemiam* eſſe, *Plutarchus* docet. (Lib. de *Iſid*. & *Oſir*.) A *Mizraïm*, *Meſtra Ægyptus* apud *Cedrenum* primitus vocata, ſibi ipſis *Ægyptiis* & accolis *Meſori*. Erat *Mizraïm* filiorum ſeptem pater, qui *Ludim*, *Anamim*, *Laabim*, *Naphtuim*, *Pathruſim*, *Caſluim* & *Caphtorim* appellabantur: quorum nomina, ut etiam patris *Mizraïm*, non propria videntur ſingulorum hominum, ſed, in plurali numero, quaſi totidem populorum gentilia. Nec tamen eos populos deſignare ac deſcribere ità promptum fuerit. *Ludim* (*Jer*. 46.9. *Ezech*.30.5. *Eſa*. 66.19.) inter *Ægyptiorum* ſocios *Phutæis* adjungitur, ut aliquam *Libyæ* partem tenuiſſe videatur. *Æthiopiam* ei tribuunt nonnulli. (*P. Heylin* Coſmograph.) At eam in Sacris Literis *Cuſho* dari perſpicuè demonſtrabitur. Qui *Lydos Aſiaticos* huic *Ludim* aſcribunt, procul nimis ablegant à patre. *Caſluim* & *Caphtorim Palæſtinorum*, ſeu *Philiſtinorum*, autores (*Gen*.10.14. *Jer*.47.4. *Amoſ*.9.7.) memorantur. Fratrum reliquorum ſedes *Joſephus* ignotas ait, *Ægypti* rebus ità turbatis *Æthiopico* bello, ut ipſa veſtigia priſcorum nominum deleta ſint. De his tamen, ut de aliis, quid viri docti ſuſpicentur, quàm breviſſimè tradam. *Ludim*, ſive *Ludæos*, *Mareoticæ* Præfecturæ in *Ægypto*, ſive *Marmaricæ*, incolas fuiſſe; *Laabim*, ſeu *Laabæos*, *Libyæ*, unde genti regioníque nomen datum: niſi *Græcæ* originis hoc nomen potiùs habendum ſit. *Lubæi* certè *Africæ* nominantur ab *Ezra*, (2 *Chron*.12.3. & 16.8.) cui *Græcum* nomen iis fortaſſe temporibus non erat inauditum. *Caſluæis* Præfectura *Caſſiotis*, *Caphtoræis* autem *Sethioïtis* tribuitur; unde, conjunctis viribus, in *Canaanitidem* colonias *Philiſtinorum* emiſerunt. (*Deut*.2.23. *Amoſ*.9.7. *Jer*. 47.4.) *Pathruſim*, ſive *Pathruſæi*, *Phauruſios Ptolemæo*, *Pharuſios Plinio*; (*Eſa*.11.11.) *Anamim*, ſive *Anamæi*, *Cyrenæos*; (eos, opinor, vult, qui ante colonias *Græcorum* ea tenuerunt loca;) *Nephtuæi*, *Æthiopes* ſub *Ægypto*, (quorum urbs vel præcipua, vel ſola, erat *Napata*,) propagârunt. Horum *Eſaias* quoque meminit, (cap.11.11.) Sed aliam atque aliam poſthac *Æthiopum* originem audiemus, quas haud ſcio an gens tam ſingularis, & reliquo generi hominum diſſimilis, ferre poſſit; niſi fortè qui candidi eò primùm advenerant, vel ſitu & naturâ loci, vel *Æthiopum* verorum permiſtione, colorem mutaverint. *Cuſh*, natu maximus natorum *Chami*, maximum terræ ſpatium cum progenie ſua complexus eſt. *Arabia* enim omnis, à flumine *Gibon* in *Chaldæa* (*Gen*. 2.13.) uſque ad *Arabicum* ſinum, & ultra ſinum hunc *Æthiopia*, unius *Cuſhi* nomini apponuntur.

nuntur. De *Æthiopia Jeremias* Propheta, (cap.13.23.) *An Cuſhita mutare poteſt cutem ſuam?* De *Arabia* multa ſunt quæ fidem faciant. *Zippora*, uxor *Moſis*, *Cuſhitis* appellatur *Num.*12.1. Eadem (*Exod.*2. 16, 20.) *Midianitis* habetur; *Jethronis* filia, *Midianitarum* ſacerdotis. In *Arabia* verò *Midianitæ* omnes cum *Iſmaëlitis* permiſti & *Amalecitis* fuêre. In *Arabia* igitur & *Cuſhitæ* collocandi. Multis præterea in locis ea de *Cuſhitis* dicuntur (2 *Reg.*19.9. 2 *Chron.*14.9. & 21.16. *Eſa.*18.1. & 20.3,4,5,&c.) quæ non niſi *Arabibus*, *Æthiopibus* nullo modo, conveniunt. Malè igitur hanc rem definiunt, tam qui *Cuſhitas Æthiopiâ* excludunt, quàm qui omnes concludunt in eadem; quod faciunt LXXII Interpretes, *Joſephus*, *Hieronymus*, & Veteres ferè omnes. *Pererius*, ut huic errori veteris Tranſlationis (cujus in verba juratus eſt) diſtinguendo ſuccurrat, *Æthiopiam* duplicem ait fuiſſe, alteram orientalem, occidentalem alteram, *Arabico* ſinu diſcluſas; illam in *Arabia* ſitam voluiſſe Veteres, non *Africanam*. At verò *Plinius*, (lib.5.8.) cui diſtinctionem hanc debere ſe præcipuè fatetur Jeſuita, *Æthiopiam* utramque collocat in *Africa*, neutram in *Arabia*, ubi nulli unquam *Æthiopes* reperti ſunt. Quos autem *Herodotus* (lib. 7.) memorat *Æthiopes Aſiaticos*, ad fluvium *Indum*, longè ab *Arabia* ſemoti ſunt. *Cuſhi* omnes filii, præter *Havilam* & *Nimrodum*, *Arabiam* ſibi ſedem delegerunt, Felicem præcipuè, unde in *Africam* & *Æthiopiam*, anguſto tranſitu, probabile eſt colonias trajeciſſe. *Seba*, vel *Saba*, occidentalem *Arabiam* tenuit, ad *Arabicum* ſinum, ubi urbem *Sabam* ſtatuit *Ptolemæus*. *Regma*, vel *Raama*, cum filio *Sheba*, orientalem, ad ſinum *Perſicum*, ubi urbs *Regama*. *Mercatores de Sheba & Raama, mercatores tui.* (*Ezech.* 27. 22.) *Sabta*, vel *Sabatha*, & *Sabatheca*, vel *Sabtheca*, mediam occupârunt, ubi *Stabæorum* gens *Ptolemæo*, & *Maſſabatha*; etiam *Sabatha*, vel *Sabota*, urbs *Plinio* (lib.12.14.) *Ptolemæo*que; & *Sabotale* 60 templa muris includens. (*Plin.* 6. 28.) *Dedan*, *Raamæ* filius, partem Borealem ejuſdem regionis nactus eſt, quia & patri vicinus, (*Ezech.*27.15.) & *Idumæis*. (*Ezech.*25.13. *Jer.*49.8.) Sunt in *Arabia* quoque Deſerta urbes *Ragana* & *Saba*, vel *Save*. Sed hæc fortaſſe à *Sheba*, vel *Saba*, nepote *Abrahami* ex *Cetura*, (*Gen.*25.3.) adepta eſt nomen. *Havila Suſianam* ad fluvium *Tigrin* ſuo nomine primùm donavit, *Havilæ*que terra vocata eſt. (*Gen.* 2. 11.) Quanquam *Suſa* metropolis à *Cuſho* potiùs denominata videatur. De *Nimrodo*, filiorum *Cuſhi* poſtremo, & fortaſſe minimo, alius erit dicendi locus. Tertius *Chamitarum*, *Phut*, ultra *Ægyptum* in *Libyam*, & reliquam *Africam* occidentalem, progreſſus eſt. *Joſephus Libyes Phutæos* quondam nominatos ait. In *Mauritania* certè *Plinius* meminit (lib. 5. 1.) fluvii *Fut*, *Ptolemæo Phthuth*: Et *Ægypto* vicinum fuiſſe, utpote armorum eorundem ſocium, (*Ezech.*30.5.) nemo ambigat. Exſecratus ille *Canaan* partem Auſtralem *Syriæ*, Terram Benedictam & Sanctam aliquando futuram, incoluit: cujus termini erant, Septentrionales, emporium celebre in *Phœnicia*, *Sidon*, à maximo filiorum *Canaanis* nomine mutuato; Auſtrales, urbs *Gerar*; ab Occidente, Mediterraneum mare, ſive *Syriacum*; ab Oriente, *Pentapolis*, *Terra ferax*, *dum terra fuit*,——— mare jam quod *mortuum* appellatur, uſque ad civitatem *Laſham*, *Hieronymo Callirrhoën.* (*Gen.*10.19.) Alius erat ex filiis undecim *Canaanis Hethus*, à quo *Hithæi*, bellicoſa gens ad meridiem tractûs ejuſdem. (*Gen.*23.19.) Tertius *Jebuſæus*, à quo, ejúſve poſteris, *Jebus* (poſtea *Jeruſalem*) condita. (*Joſ.* 18. 28.) Quartus *Amorrhæus*, à quo *Amorrhæi*, ad ripam orientalem *Jordanis* fluvii, (*Deut.*2. 24. & 3.8.) aliíſque multis in locis diſperſi, adeò ut nonnunquam hoc nomen omnes *Canaanitas* comprehendat. Ità *Gen.*15.16. *Nondum completa eſt Amorrhæorum nequitia.* Hanc etiam gentem fuiſſe admodum validam, teſtatur *Amos* Propheta, (2.9.) *Etſi deleverim*, inquit, *Amorrhæos*, *quibus proceritas erat cedrorum*, *& robur quercuum.* Quintus *Gergeſæus*, à quo *Gergeſeni*, ad lacum *Tiberiadis.* (*Matt.* 8.28.) Sextus *Hevæus*, è cujus poſteris alii tenuerunt *Palæſtinæ* partem, (*Joſ.*11.3.) unde à *Caphtoræis* expulſi magna ex parte. (*Deut.*2.23.) Reliquiæ tamen duraverunt ad tempora uſque *Solomonis*; alii ad montem *Hermonem*, *Libani* partem, (*Joſ.* 11.3. & *Jud.*3.3.) *Gibeoném*que civitatem permanſêre. (*Joſ.*11.19.) Septimus erat *Aracæus*, quem ferunt *Arcam Phœniciæ* urbem, ad radices *Libani*, ſtatuiſſe. *Sinæus*, octavus, vel *Sinæ* deſertum incoluit; vel, ut alii volunt, urbem *Sin*, aut *Sinochin*, *Arcæ* vicinam. *Aradæus*, vel *Arvadæus*, nonus, in *Aradum* inſulam *Phœniciæ* objectam conjicitur. (*Ezech.*27.8,11.) Decimus *Zemaræus*, vel *Samaræus*: non ille quidem *Samariæ*, vel *Samaritanorum*, autor; alius enim (1 *Reg.*16.24.) memoratur: ſed ejus, puto, *Samaraïm* quæ in ſorte *Benjaminis* numeratur, (*Joſ.*18.22.) totiúſque tractûs

A.M. 1757.

A.M. 1757.

indè ad montem uſque *Samaraïm* in tribu *Ephraïmitica.* (2 *Chron.*13.4.) Eoſdem & *Perizæos* nonnulli à *Moſe* appellatos opinantur. *Hamathæus* denique, undecimus, vel civitati *Hamath* in tribu *Naphtali*, (*Joſ.*19.35.) vel urbi ac regioni *Hamath*, ſeu *Emath*, à *Libano* monte ad *Arabiam* Deſertam, nomen originémque dedit. Urbium quas condidit *Canaan*, *Hebronem* ſtatuiſſe omnium primam videtur, utpote antiquiſſimam, & *Tani*, primâ *Ægypti* urbe, ſeptem annis priorem. (*Num.*13.22.) De *Canaane* meminit *Sanchuniatho*,(*Euſeb.* Præpar. 1. 10.)ubi *Chna* vocatur.Et ipſa *Phœnicia Stephano* Χνᾶ, & Χναὸς *Phœnix Heſychio*. Univerſæ genti commune *Canaanæi* erat nomen, patronymicum ſcilicet. Idem aliquando populum unum in Sacris Literis peculiariter ſignificat; ut (*Numer.* 13. 29.) *Canaanæus habitat juxta mare.*

Majorem *Semus Aſiam.*

§ 10. *Noacho* interim ipſo quid factum ſit, filióque *Semo*, exploratum nihil habeo. Procul in Orientem credibile eſt, in *Chinam Indiámque*, deduxiſſe colonias. De *Semi* verò filiis quibuſdam certa indicia ſunt in Libris Sacris: *Elamum* ſcilicet *Elamitas* genuiſſe, (*Act.*2.9.) hoc eſt, *Perſas*. Sic enim *Danielis* 8. 2. *Cùm eſſem in palatio Suſis, quod in Elam provincia eſt.* *Elymaïs* apud *Plinium* (6.33.) *Perſidi* vicina regio eſt. Et *Stephanus Elymæs Aſſyriis* juxta *Perſiam* & *Suſianam* aſcribit. Et ſatis credibile videtur, *Paraſum*, qui ab *Elamo* eſt ortus, dediſſe *Perſis* nomen originémque, ut *Mercerus* animadvertit. Ab *Aſſuro Aſſyrii*, ab *Aramo Syrii*, *Meſopotamii* & *Armeni* ſunt procreati. Nam *Syria* (*Eſai.*7.8.) *Aram* appellatur; *Meſopotamia Aram-Naharaïm*, (*Gen.*24.10.*Deut.*23.4.) & *Padan-Aram*: (*Gen.* 28.2.) *Armenia* denique Minor quaſi *Aram-Minui* dicta videtur; (*Jer.*51.27.) Major enim *Ararat* vocatur. Quos nos,inquit *Strabo*, (lib.1.& 13.) *Syros* vocamus, ipſi *Syri Aramenios* & *Aramæos* appellant. Idem (lib.16.) docet, ex *Poſidonio*, *Syros* ab *Homero* & *Græcis Arimos*, vel *Aramæos*, vocari. Etiam *Scythæ* ab antiquis appellati ſunt *Aramæi*, teſte *Plinio*, (6.17.) novum hoc nomen adepti fortaſſe poſt ſubactam *Syriam*, conditáſque illic urbes novem. De reliquis filiis *Semi* nihil conſtat, niſi quòd *Lud* cum *Lydiis Aſiæ* Minoris affinitatem habeat nominis: & *Joſephus Arphaxado* progenitori *Chaldæos* tribuat; quos *Arphaxadæos* propterea dictos vult, *Caſdim* Hebraïcè, à literis, opinor, tribus ultimíſque nominis *Arpha-cſad.* Sed à *Naboris* potiùs filio *Cheſed* nuncupatos *Caſdim Chaldæos*, autumat ex *Hieronymo Mercerus.* Illud certum, *Heberi* poſteros, *Arphaxadi* ex filio *Sala* nepotes, *Ur*, ſive *Urchoam*, *Chaldæorum* civitatem incoluiſſe. (*Gen.*11.28,31.) Alibi & alios, vero ſimile videtur. *Arrhapachitin* in *Ptolemæo Aſſyriæ* regionem *Arphaxado*, quaſi *Arphaxitin*, tribuunt nonnulli; filióque *Salæ Salam* in *Suſiana*. *Aramo* filii erant 4; *Hus*, *Chul*, *Gether*, & *Meſch*. *Huſis* regionem hiſtoria *Jobi* nobilem reddidit, ab Oriente *Canaanitidis*, (*Job.*1.3.) *Chaldææ* finitimam, (*Job.*1.17.) & *Sabæis Arabiæ* Deſertæ. (*Job.*1.15.) Si modò hic ſit ille *Hus* in libro *Jobi*, ac non filius *Nahoris* potiùs. (*Gen.*22.21.) *Huſem Arami Joſephus Trachonitidem* habitâſſe, & condidiſſe *Damaſcum*, tradit. De reliquis, præter nomina, certi nihil. Conjecturæ quædam *Hullo*, ſive *Chullo*, *Palmirenas* ſolitudines ad *Euphratem* uſque, ubi oppidum *Colle*; *Gethero* medium *Syriæ* tractum, ſupra *Palmirenas* ſolitudines, *Caſſiotida* nimirum & *Seleucidem*, ubi oppidum *Gnidarus*, & *Gnidareni*; denique *Meſcho*, ſeu *Maſo*, tractum *Syriæ* ſupremum tribuunt, inter *Ciliciam* & *Meſopotamiam*, ad illam uſque montis *Amani* partem quam vocant *Maſium*. *Noachi* jam filii ac nepotes in varias terrarum plagas ac regiones diſtributi ſunt; ac primæ mortalium ſedes poſt Diluvium, primæ gentium origines & autores, quoquo modo conſtituti. Neque verò ità cenſendum eſt, hos tantùm, qui à *Moſe* nominantur, fuiſſe omnes filiorum *Noachi* liberos ac nepotes; ſed principes tantùm, & nationum autores. His reliqui admiſti & aſcripti ſunt. Neque ab his uno & eodem anno gentes conſtitutas: ſed, quò propiùs aberant à *Babylone* regiones, eò citiùs fuiſſe occupatas atque cultas; quò remotiùs, eò tardiùs. Hoc autem anno contigiſſe diſperſionem hanc, indè colligimus, eò quòd *Pelegus*, ſive *Phaleg*, *Heberi* filius, qui hoc anno natus eſt, ab hac terrarum diviſione ſit nactus nomen. (*Gen.*10.25.) Quod *Judæi* aſſerunt in Chronico *Sedar Olam*, non *Pelego nato*, ſed *mortuo*, vel *moriente*, diviſam fuiſſe terram, ídque futurum hoc nomine vaticinatum eſſe *Heberum*, nullius momenti eſt. Cùm enim poſtremis *Nini* temporibus (qui annis imperavit 52, & *Aſiam* ferè totam ſubegit armis,) natum fuiſſe *Abrahamum* tradat *Euſebius*, quo Synchroniſmo ſacrarum profanarúmque hiſtoriarum conciliare tempora conatur, annis verò

Quæ *Pelego* jam nato contigerunt.

duodecim

duodecim tantùm priuſquam natus ſit *Abrahamus* deceſſerit *Pelegus*; neceſſe eſt jam antea, eo vivente videntéque, terram fuiſſe variis gentibus diſtributam. Nec illud profectò pluris faciendum, quod alii volunt, mediâ *Pelegi* ætate contigiſſe hæc, eâque de cauſa nomen illi mutatum, quomodo *Abrahamo Jacobó*que fuerunt. At verò quæ ſatis juſta ratio afferri poteſt, cur *Pelegi* potiùs quàm aliorum indè mutaretur nomen? Hunc ut expediat nodum *Torniellus*, (A. M. 1931.) præmonſtratam ait fuiſſe patri ejus *Hebero* diſperſionem hanc ſub ipſo *Pelegi* ortu; ideo datum hoc illi, non mutatum, nomen. At ego, Quis, obſecro, Propheta nunciavit *Torniello*, *Heberum* fuiſſe Prophetam, prænunciatámve illi hanc rem? Rabbi *Joſeph*, opinor, in *Sedar Olam*. Fictis enim prophetiis, nulla eſt tam excors fabula quæ probari facillimè non poſſit. *At magno*, inquit, *eſt argumento, diſperſas fuiſſe gentes longo poſt natum Pelegum tempore, quòd fratris ejus, & natu minoris, (ut credibile eſt) Joctanis, filii tredecim in ſuas unà cum reliquis mortalibus diſtribuantur ſedes; quod Pelegi anno natali fieri nullo modo potuit. (Gen. 10.26.)* Nos verò dicimus, multa in Sacris Literis per anticipationem in locis narrari opportunis, ut & hæc de *Joctanis* filiis; quos, cùm (ex *Hebero* generati) cognatione quadam attingerent *Iſraëlitas*, qui ex altero fratre *Pelego* prodierant, ideo dignos putavit *Moſes* quorum ſedes deſcriberet, popularibúſque ſuis proderet ac demonſtraret unà cum aliis, etſi multò ſeriùs occupatas. Nec enim vel omnium gentium ſortes deſcribuntur à *Moſe*, vel ſuo, quæ deſcribuntur, tempore, poſt immiſſam linguarum diſſonantiam: ſed loco alieno, ante conjurationem *Babylonicam*, enarrantur hæc omnia; ut & *Nimrodi* dominatus, qui poſt annos (opinor) ducentos conſecutus eſt. Conciliaturus hæc *Tatianus*, diviſam ait ſortibus terram à *Noacho* naſcente *Pelego*, & ſuam cuique partem aſſignatam; at non niſi poſt annos complures occupatam à ſingulis. Verùm ea, de diſtributione terrarum per ſortes, *Epiphanii* traditio nihil habet quo nitatur in Sacris Literis; ac proinde haud ſcio an fabulâ probabilior habenda ſit, fidémve ullam mereatur. In *Pelegi* ortum igitur, cùm nihil prohibeat, ea gentium diſperſio conjicienda eſt. Scrupulus enim hac in re, qui malè habet nonnullos, revera nullus eſt. Non intelligunt, ſcilicet, quomodo, ex tribus hominum paribus, centum annorum ſpatio, tot potuerint generari quot uni *Babyloniorum* turri, nedum tot gentibus condendis, ſufficerent. At verò gentibus variis hoc tempore patres tantùm exhibendi erant, non populus. Mille autem & quingentos viros juvenéſque, præter fœminarum & puerorum turbam, ædificâſſe turrem *Babel*, ſi dixero, nihil profectò ſupra fidem dixero, etſi præter multorum opinionem, multa illic hominum adfuiſſe millia ſomniantium. Tot enim viri & adoleſcentes, non

Οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ,———

Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

ſed eo robore ac præſtantiâ quâ primo poſt Diluvium ſeculo præditi fuerunt, nullum non, quantumvis magnum arduúmque opus, conjunctis viribus, continuíſque annorum plurium laboribus, conficere potuerunt. Mille autem & quingentos juvenes atque viros primo ſeculo procreari potuiſſe, additâ præſertim Dei ſupra naturam benedictione, ſatis fidei conſentaneum eſt.

A.M. 1757.

§. 11. Non deſunt qui has, quas diximus, hominum centurias pluribus augeant *Noachi* liberis, etiam poſt Diluvium genitis. (*Torniellus* A. M. 1662.) Nec enim Dei benedictionem, fœtificandi creſcendíque, fruſtrà *Noacho* datam (*Gen.* 9.1.) arbitrantur. Sed mihi fruſtrà data non videtur, quæ in filiis *Noachi* valuit benedictio, avúmque nepotibus locupletavit, etſi non filiis patrem; ut *Chami* erat in *Canaane*, *Canaanis* pariter in ſuis poſteris, exſecratio. (*Gen.* 9.25.) Cùm enim ſileat *Moſes*, nec vel uſitatâ formulâ Generandi plures, (*Gen.* 5.4,7,10,13, &c.) quicquam ſignificet hac in re, (*Gen.* 5.32. & 9.28.) de *Noacho*; imò verò ſatis perſpicuè doceat, (*Gen.* 10.32.) ex trium *Noachi* filiorum progenie ortas fuiſſe omnes nationum gentes; ego ſatius opinor in iis quæ tradita ſunt acquieſcere, quàm velle ultra præſcriptum ſapere. De *Jonicho*, ſeu *Jonitho*, nihil dicam, quem ex *Methodio* quodam fabulatore *Abulenſis* (in *Gen.* 10. quæſt. 5.) & *Comeſtor* (Scholaſt. Hiſtor. cap. 37.) *Noacho* filium pepererunt.

A.M. 1767.

Chamus & *Mizraïm* *Ægyptum* obtinent;

§. 12. Poſt annos decem, non erat *Chamo* difficile, cum filiis *Mizraïm* & *Phuto*, nepotibúſque, in *Ægyptum* ex *Babylonia* pervenire, *Canaane* à dextris in Auſtrali *Syria*, *Cuſho* à ſiniſtris in *Arabia* relicto. Nec certè potuit celeriùs confici tantum itineris,

A.M. 1767. neris, hinc denſitate ſylvarum, indè ſolitudinum inopiâ impeditum. Regionem hanc *Æriam* à *Græcis* primò dictam, ex nigredine ſoli, docet *Euſebius*; (in Chron.) *Potamiam* & *Potamitin* quoque à fluvio; tandem *Ægyptum*, vel ab eodem fluvio, qui *Ægyptus* vocabatur, vel à nominis ejuſdem rege. Eſt autem *Ægyptus Africæ* prima regio ad Ortum *Arabicum*que ſinum, ab utraque ripa fluminis *Nili*; cujus beneficio, & inundatione annuâ, tellus mirâ fœcunditate pingueſcit. Id *Chamum* fortaſſe cùm non lateret, ad has potiſſimùm plagas terrarum allicuit. Termini regionis, iidémque muri, ſunt, à Septentrione, *Ægyptiacum* mare, Mediterranei pars, quod, periculis ferè clauſum, unico tantùm portu patet: ab Auſtro, montes *Æthiopici*, & Cataracta *Nili* maxima, ubi fluvius, inter montium anguſtias admodum præcipites, & ſaxis eminentibus confragoſas, ſtrepitu horriſono, non tam fluit, quàm ruit. In his autem finibus, longo itinere, neque flumen navibus aſcendere licet, neque pedibus terram peragrare, niſi regio planè commeatu & comitatu inſtructis. Occidentem *Ægypti* claudunt vaſtæ ſolitudines, & infeſtæ feris; Orientem, *Arabiæ Africanæ* loca deſerta, & ſinûs *Arabici* pars, unde Iſthmus paſſuum ſeptuagies mille ad mare tranſit Mediterraneum, *Aſiæ* communis *Africæ*que terminus. Sed & hâc etiam, inſidioſæ paludes & incultæ ſolitudines viam neque tutam neque facilem præbent. Lacus enim *Serbonis*, (*Sirbonis Plinio*,) paludéſque aliæ, arenis oppletæ quodammodo & obductæ, terram ſimulant; eâ ſpecie imperitos viarum alliciunt, decipiúntque. Incautiùs enim progreſſi, hærent ſubitò, & in barathrum profundum nec opinantes hauriuntur. At de *Serbonide* ait *Plinius*, (5.13.) *Quem quidam 150 mill. paſſ. in circuitu tradidêre, nunc eſt palus modica.* Porrigitur *Ægyptus* ad urbem *Syenen* uſque, (nunc *Aſna* dicitur,) ſub Tropico Cancri conſtitutam, 560 paſſ. mill. Ad Boreales & maritimas partes extenditur latitudine paſſus, opinor, centies & ſexagies mille. Aliis verò in locis, ut ſe montes propiùs ingerunt & ſolitudines, in anguſtius multò ſpatium contrahitur. Nam ultra *Memphim*, vix octo milliaribus ad meridiem latior pleriſque in locis, vix quatuor eſt alicubi. Inferiùs, ad mare Mediterraneum uſque, amplior. Unde *Lucanus* ad *Nilum*, (*Pharſal.* 10.)

qua deſcribitur:

Prima tibi campos promittit apertáque Memphis
Rura, modúmque vetat creſcendi ponere ripas.

In partes commodiſſimè dividebatur tres: 1. Superiorem *Ægyptum*, quæ *Thebaïs* (nunc *Sahid*) ab urbe primaria *Thebis* dicta eſt; 2. Inferiorem, quam, inter *Nili* alveos collocatam, *Græci* à figura nominabant Δέλτα; 3. & Mediam, inter *Deltæ* verticem, & urbem *Antinoën*, ſive *Antinoiam*, ad *Nilum* ſitam, novo nomine *Anthios* appellatam. Hanc partem *Heptapolin* & *Heptanomiam* vocabant.

& de *Nili* augmento,

§ 13. *Nilus* unde oriatur in Geographicis dictum eſt. Is in *Æthiopia* imbribus continuatis auctus, medio circiter *Junii* menſis humiliora *Ægypti* loca inundat quotannis. Editiora interim, ubi villæ oppidáque, totidem inſulæ fiunt. Nam Sole ad Cancrum accedente, illic æſtas torret omnia; ſub Æquinoctiali verò & ultrà ſævit hyems, non frigoribus nivibúſve, ſed pluviis aſpera, Eteſiis eò nubes cogentibus. Itaque ab æſtivo Solſtitio ad Æquinoctium Autumnale, ultra dies nonaginta, fluvius augetur.

——Surgere in ipſis
Jus tibi Solſtitiis, alienâ creſcere brumâ:
Nilus enim leges aliarum neſcit aquarum.
Nec tumet hybernus, cùm, longè Sole remoto,
Officiis caret unda ſuis: dare juſſus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æſtatibus exit.
Sub torrente plaga, nè terras diſſipet ignis,
Nilus adeſt mundo, contráque incenſa Leonis
Ora tumet; Cancróque ſuam torrente Syenen,
Imploratus adeſt: nec campos liberat undis,
Donec in Autumnum declinet Phœbus, & umbras
Extendat Meroë.—— (*Lucan.* l. 10.)

Septembri ferè medio feſtinanter diſcedens, ante finem *Novembris* in ſuum totus alveum redit, duobus vix ampliorem ſtadiis. Sed eſt quidam certus creſcendi modus, intra quem ſi aſſurgat amnis, ubertas promittitur & copia; ultra citráve, ſterilitas denunciatur. In medio igitur flumine inſula quædam ſpeculam tenet, (Νειλοσκοπεῖον

Græci

Græci vocant,) & ciſternam; ciſterna columellam cubitorum numero ſignatam. Indè aquarum certò deprehenditur altitudo, quam in omnes continuò regni partes nuncii deferunt expediti; & pretia edicuntur frumento conſequentis anni. Minores aquæ aridiſſimæ terræ haud reſtinguunt ſitim: Ampliores tardiùs recedunt, & culturam morantur. *Juſtum incrementum eſt* (inquit *Plinius* 5.9.) *cubitorum* 16, *maximum ad hoc ævi* 18. At verò noſtrâ ætate ad cubitos 24 attollitur interdum, ſine magno terrarum incommodo. Cùm ſteterunt aquæ, apertis molibus, admittuntur in agros, breviſſimâ paſcuorum jacturâ. Hoc magno cum tripudio & ludorum apparatu fieri jam ſolet. Feræ, ſi quæ adſunt, ſuffocantur undis. Pabulo in ſtabulis præparato aluntur pecora. Populus, remiſſis operibus, indulget epulis, & exſultat ſpe fœcunditatis futuræ. Ut quæque liberata eſt terra, ſeritur, vel aratro leviter proſciſſa, vel, ſparſis in humum incultam ſeminibus, à pecore tantùm proculcata. Indè, poſt paucos menſes, maximos frugum acervos minimis impendiis metunt, moleſtiiſque. Nec paſcua ſunt *Nilo* ingrata. Irrigatio enim efficit, oves ut bis pareant, bis tondeantur. Nec frumentum & pecora tantùm huic inundationi, ſed & ſalutem aliquando acceptam ferunt. Peſtis enim, quæ in magnis hìc ſtipatiſque urbibus graſſatur ſæpius, auctu fluminis primo ſanatur, & planè tollitur. Alias olim hujus diluvii cauſas afferebant, obſoletas jam, quas hìc referre aut refutare non multùm refert. Veriſſimam eſſe quam priùs tradidi, *Æthiopes* fatentur ipſi. Auram fluvius hic nullam exhalat. Aqua fluminis, potu ſuaviſſima, piſces alit abunde, ſed limo infectos, omnium ferè generum, ut ſufficiant etiam ad ſalſamenta. Eadem gignit etiam belluas, Equum fluvialem, & Bovem, præcipuè verò Crocodilum. Crocodilus, animal vorax, è minimo maximus evadit. Ex ovo enim anſerinis non diſſimili excluſus, ad ſedecim cubitos magnitudinis, nonnunquam duodeviginti, convaleſcit; cujus dimidium caudæ tribuitur, quâ prædam in aquas implicatam trahit. Metatur locum nido naturali providentiâ; nec alibi fœtus premit, quàm quò creſcentis *Nili* aquæ non poſſunt pervenire. In partu fovendo, mas & fœmina vices ſervant. Quadrupes malum in terra & in flumine pariter valet. Linguam non habet; unica è belluis maxillam movet ſuperiorem tantùm. Morſus ejus horribili tenacitate conveniunt, ſtipante ſe dentium ſerie pectinatim, è quibus duo grandiores exſtant. Nec dentibus modò ſæviunt, ſed & unguibus. Quicquid lacerant mordéntve, arte nullâ ſanatur. Homines, & quæcunque ad flumen accedunt propinquiùs, arripiunt. In terra dies agunt, noctes in aqua; teporis utrumque ratione. Oculis ſuillis, in aqua cæcus, ſub dio perſpicaciſſimus. Corpus reliquum habet ſquamis undique duris mirificè communitum, tenuiore ac teneriore ventris cute. Animal fœcundum, (60 enim utplurimum parit ova,) & perniciosum nimis futurum, niſi Ichneumones ova belluæ inveſtigarent, & confringerent. Idque faciunt naturâ duce, nullâ cibi aut alterius emolumenti ſpe. Ichneumones murium eſſe videntur majorum genus, felibus par, *Ægypto* peculiare. *Amm. Marcellinus* (lib. 22.) *Enydras* vocat, *Solinum* ſecutus: verùm, ſive lutras, ſive angues volunt aquatiles, errore manifeſto. Trochilos avis parvula eſt. Ea dum reduvias eſcarum affectat, vel potiùs, ut Sanguiſugas devoret, (moleſtum Crocodilo malum,) os belluæ hujuſce paulatim ſcalpit, & ſenſim ſcalpurigine blandiente, aditum ſibi in uſque fauces facit. Quod Ichneumon conſpicatus, penetrat belluam, populatiſque vitalibus, eroſâ exit alvo. (*Herodot.* l. 2. c. 68, 69.) Aiunt aliqui, 100 eos ova parere, 100 incubare dies, totidem annos vivere, corporúmque augeri mole. Verùm in Crocodilo peſtis major eſt, quàm ut uno ſit ejus hoſte Natura contenta. Itaque Delphines, quorum dorſa ſerratas habent criſtas, Crocodilos ſtudio eliciunt ad natandum, demerſíque aſtu fraudulento, tenera ventrium ſubternatantes ſecant, & interficiunt. Præterea, habitabant in inſula *Nili*, (urbem *Strabo* dicit) quam *Tentyram* vocabant, homines formâ perexigui, ſed audaciâ eouſque præditi, ut Crocodilis ſe offerrent obvios. Nam hæc monſtra fugientes inſequuntur, reſiſtentes fugiunt. Ergò capiuntur, ſubactíque etiam intra aquas ſuas ſerviunt; & perdomiti metu ità obſequuntur, ut, immemores atrocitatis, victores ſuos inequitantes dorſo vehant. Hianti belluæ ad morſum clavum in os ingerunt, cujus extrema tenentes utrinque, ut frænis in terram agunt captivos, ac voce etiam ſolâ territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Hanc ergò inſulam, & hanc gentem, ubicunque indicio odoris perſenſerint, procul fugiunt. Nec fabula hæc, ut videri quibuſdam fortaſſe poteſt. *Romæ*, ſcilicet, cùm in ſpectaculo proponendi erant Crocodili, unà & aliqui *Tentyritæ* ſequebantur, qui ex piſcina belluas in locum

A.M. 1767.

ac belluis, Crocodilo,

A.M. 1767.

Equo fluviali, &c.

locum apricum viſendas producerent. Hyeme nullum cibum capiunt, ſed quatuor menſes inediâ exigunt in latebris abditi. Retibus in aqua & hamis capiuntur, laqueis in terra machiniſque. Sed inferiorem *Nili* partem pauciſſimi jam infeſtant. Equi & Boves aquatiles multò rariores. Bos terreſtri quidem ſimilis, magnitudine vituli. Equus flumineus, Ἱπποπόταμος Græcè, bellua quadrupes cubitorum quinque, duriſſimâ pelle, ungulis bifidis, auribus, caudâ & voce haud diſſimilis equo, elephanto in cæteris. At equino dorſo, jubâ & hinnitu, roſtro reſimo, caudâ tortuosâ, inquit *Solinus*. Tres utrinque dentes prominent aprugnis majores. Interdiu latitat in aquis, noctu ſegetes depaſcitur; ad quas pergit averſus, aſtu doloſo, ut, fallente veſtigio, nullæ revertenti comparentur inſidiæ. Idem, cùm diſtenditur nimiâ ſatietate, arundines recèns cæſas petit; per quas tam diu volutatur, quoad ſtirpium acuta venam quandam in crure vulnerent, ut profluvio ſanguinis levetur ſagina. Plagam deinde cœno oblinit, uſque dum vulnus conducatur in cicatricem. Vorax animal, & magnam illaturum agricolis calamitatem, ſi fœcundius foret, anniſque ſingulis pareret.

commodiſque regionis, agitur.

Greges pecorum & armenta ſecum attulerat *Chamus* in *Ægyptum*; feras illic reperit, quibus abundat *Africa*. Aves aquaticæ in locis paluſtribus frequentes, præſertim Ciconiæ, quarum operâ utili moleſta ranarum turba comminuitur. Sed Ibides, ad maximam illis utilitatem, à natura datæ ſunt; volucres gruinis cruribus, roſtro maxima ex parte adunco. Ex his aliæ candidæ, præter caput cervicémque, & alarum extrema nariúmque. Aliæ ſunt prorſus nigræ. Nigras ſolum *Peluſium* mittit, reliqua pars candidas. Harum operâ ſerpentes, magnum daturi damnum *Ægyptiis*, arcentur indè cæduntúrque. Nam ineunte quotannis Vere, in *Ægyptum* ex *Arabia* volantibus (ex vaſtitate *Libyæ* vento *Africo* invectis, ait *Cicero* de Nat. deor. 2.) occurrunt Ibides, atque profligant. Alæ ſerpentibus, quales veſpertilionibus, glabræ, non pennatæ; ſed virus tam citum, ut morſum antè mors quàm dolor inſequatur. Horum ſpinas & oſſa, multis magniſque acervis cumulata, vidiſſe quidem ſe refert *Herodotus* in *Ægypti* finibus, ubi montium quorundam *Arabicorum* anguſtiæ in vaſtam ſe planitiem expandebant. Serpentum Ibides in ripis *Nili* ova quoque populari *Solinus* prodit, gratiſſimámque ex his eſcam nidis ſuis deferre: ſic rareſcere proventus fœtuum noxiorum. His meritis ſacræ ſunt & illæſæ. Metallorum *Thebaïs* ferax; nec gemmæ deſunt lapidéſque pretioſi. Radices herbæque naſcuntur ad cibum utiles quamplurimæ; Lotos præcipuè, & quæ *Bata* vocantur, *Ægyptiæ*que fabæ. Sycaminorum aliæ mora, aliæ ficubus ſimilem fructum ferunt; qui cùm toto ferè anno proveniat, paratum indigentibus victum præbet. Hæc enim arbor (quam *ficum Ægyptiam* vocat *Plinius*, 13.7.) ſi ſcalpatur ferreis unguibus, matureſcit fructus uno ſepties anno, perquam fœcundo proventu. Si non ſcalpatur, novus fœtus priorem expellit immaturum quater. Pomum caudice, non ramis fert, niſi craſſioribus, qui caudicum inſtar videantur. Ejus materies in aqua ſponte ſubſidit; mox indè ſiccior leviórque aſcendit, alieno eam humore ſugente, qui alias rigat. Sunt *Ægyptiis* & Palmæ, etiam Caryotæ in *Thebaïde*. Alibi aut fructus deſunt, aut eſui minùs apti ſunt. *Ægyptus* & Ficum, & Perſeam ſui generis habet, ſimilem Pyro, folia retinentem. Fertilitas ei aſſidua, ſubnaſcente craſtino fructu. (*Plin.* 3.9.) A *Perſis* tranſlatam ex *Æthiopia* ferunt. Nec herbas modò cibarias, ſed & medicatas plurimas edit, de quibus Poëta, *Odyſſ.* 4.

——— πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος. ———

Singuli ergò ſibi pro medicis fuerunt. Habebatur etiam in hujus terræ divitiis Arundo *Niliaca*, Papyrus, unde olim charta omnis conficiebatur. Et hoc *Ægypto* ferè uni tribuitur, quòd raræ illic pluviæ ſint, nec eæ ſalubres, in parte præſertim ſuperiore. (*Herodot.* 2. *Deut.* 11.10,11. *Zach.* 14.18.) Hanc igitur terram, fluvio maximo irrigatam, copiâ rerum affluentem, ſibi *Chamus* filióque *Mizraïm* incolendam delegit, quæ, ut Poëtæ verbis concludam, eſt

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis; in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

Urbem

Urbem in *Ægypto Zoanam* condidiſſe primam videtur; Septuaginta Interpretes *Tanin* appellant; in inſula *Nili Aſiæ* proxima. Hæc enim ut maximè antiqua memoratur *Num.* 13.22. *Phutus*, ex filiis *Chami* alius, in *Africam* ulteriùs occidentalem cum ſuis penetravit. *A.M. 1767.*

§ 14. *Heberi* filius, *Arphaxadi* pronepos, *Joctan*, tredecim genuerat filios: quorum primus *Elmodad*, ſive *Almodad*; 2. *Saleph*, ſeu *Sheleph*; 3. *Hazarmaveth*, *Aſamah*, vel *Chalzar*; 4. *Jare*, vel *Jerah*; 5. *Adoram*, vel *Hadoram*; 6. *Uzal*; 7. *Diclah*; 8. *Obal*, vel *Hebal*; 9. *Abimael*; 10. *Sheba*, vel *Saba*; 11. *Ophir*; 12. *Havilah*, ſeu *Hevila*; poſtremus *Jobab*. Hi, etſi cum reliquis *Noachi* filiis ac nepotibus numerentur *Gen.* 10. ut omnium poſterorum *Heberi*, gentilium *Abrahami*, genealogia *Iſraëlitis* conſtaret patriáque; tamen non niſi his demum temporibus deducti videntur in colonias. Deſcribitur à *Moſe* regio quam incoluerunt *Gen.* 10.30. *à Meſha, quà venis Sephar montem orientis.* Quod ſpatium terræ *Hieronymus* ex *Joſepho* (Antiq. 1.7.) definit, à fluvio *Cophene*, cujus *Strabo Pliniúſque* meminerunt, omnem *Indiæ* tractum qui vocatur *Ieria*, à quarto (ut videri volunt) *Joctanis* filio, ad *Aſſyriam* uſque. Nam & *Meſham* regionem, & *Sephar* ejuſdem *Indiæ* montem eſſe contendunt. Neque huic conjecturæ defuit veriſimile argumentum ab uno è fratribus *Ophiro*, quem *Indiam*, regionem auri feracem, tenuiſſe, pro certo plerique habent. (1 *Reg.* 9. 28.) *Sabæos* quoque à *Saba*, fratrum alio, (ut credibile eſt) oriundos, *Dionyſius Afer Indis* annumerat: *A.M. 1827.* *Filiorum Joctanis ſedes.*

Τῶν δὲ μέτα ναίουσι Σάβαι, καὶ Τάξιλοι ἄνδρες.

Havilæ terram quoque, auro gemmíſque divitem, huc nonnulli referunt. Quæ jampridem exploſa eſt opinio: & Σίβαι ſcribendum in *Dionyſio*, non Σάβαι, ex *Arriano*, *Strabone* ac *Stephano* colligitur: & *Ophirana* regio in *Africa* potiùs quàm *India* quærenda eſt. Συεία legitur apud *Joſephum*, non *Ieria*. Aliqui *Ariam* legi debere putant, & *Joctanidarum* ſedem à monte *Maſio* in *Syria* ad urbem *Ariæ Sipharam* extendi 2160 mille paſſus; amplo magìs quàm credibili terrarum ſpatio. *Joctanem* ex *India* trajeciſſe in *Jucutanem Americæ* opinatur *Montanus*, ſolius nominis conjecturâ. At verò conſtat *Jucutanis* nomen regioni fortuitò accidiſſe, nec aliud quicquam ſignificare quàm [*Quid ais? Quid tibi vis?*] Ità enim *Hiſpanis*, rogantibus nomen loci, Barbaros (cùm non intelligerent) reſpondiſſe ferunt; ídque reſponſum *Hiſpanos* in nomen loci tranſtuliſſe. Aliam igitur affert verborum expoſitionem *Junius*, aliáque deſignari loca vult. *Fuitque habitatio eorum*, inquit, *à Meſha quà Sepharam venis, ad montes orientis uſque:* hoc eſt, à regione illa quæ ſubeſt monti *Maſio*, (de qua dictum eſt priùs) uſque ad *Sipharam*, oppidum ſuper *Euphratem* in *Meſopotamiæ* ſitum, & montana *Chaldææ*, quæ *Euphratem* excipiunt, dirimúntque *Chaldæam* ab *Arabia* Deſerta. Sic enim hos montes Orientis, unde *Balaam* vocatus eſt, (*Num.* 23. 7.) eſſe intelligendos, ex *Deut.* 23.4. intelligitur.

§ 15. Jam tandem, opinor, abundante hominum multitudine, cùm *Ægyptum* Inferiorem, *Aſiæ*que proximam, vicis oppidíſque compleviſſent, in loca ulteriora ad meridiem ductæ ſunt coloniæ, & conſtituta quædam regna; plura quidem regna pro numero coloniarum, plures coloniæ pro multitudine hominum: quod in aliis terrarum ubique plagis factum eſt. Quanquam & hi fortaſſe coloniarum principes parentum ſuorum *Chami* & *Mizraïm* ſubeſſe imperio non recuſârunt. Sed *Ægyptiorum* Hiſtoriæ quædam, poſt multa demum ſecula è tenebris erutæ editæque, regna hæc omnia quaſi continuâ ſerie ſibi ſuccedentia tradiderunt: ſive id per ignorantiam factum, ſive per jactationem inanem ſuæ antiquitatis; ut erat ea gens præter cæteras hujus levitatis dementiſſimè ſtudioſa. Hinc tot *Ægyptiorum* Dynaſtiæ, multa complexæ annorum millia, prodierunt apud *Manethonem:* quas *Joſ. Scaliger* (in Canon.) ità digerere videtur, ut priores quindecim Diluvio præponat, reliquas indè protinus ordiatur. At eæ quindecim Diluvio præpoſitæ ipſius mundi ætatem annis mille octingentíſque ſuperant: illúdque perabſurdum, viróque docto indignum videtur, *Ægypti* regnum, vel ab exordio mundi primùm inchoare, vel ante Conjurationem *Babylonicam* inſtaurare denuo. Aliis igitur alii conjecturis harum Dynaſtiarum rationem aucupantur. Monumenta quædam fortaſſe rerum & regum *Ægyptiorum*, in columnis æneis lapideíſve, ſuperfuiſſe Diluvio; indè Sacerdotes excudiſſe quæ obtruderent poſteris mendacia. Ità *Raleius* opinatur. Et ſi hæc minus habeat ponderis conjectura, alteram addunt. Non ipſos Reges fortaſſe in Dynaſtiis, *A.M. 1900.* Variæ in *Ægypto* Coloniæ ſeu Dynaſtiæ monſtrantur;

A.M. 1900.

ſtiis, ſed regni Procuratores Præfectóſque ſub Regibus quidem ſummos, intelligi; qualis erat *Joſephus*, (*Gen.*42.30,33.) quem, ignotum, reliqui fratres *terræ Dominum* nuncupabant. Verùm utcunque homines peregrini opinione ità falli potuerint; ipſos *Ægyptios*, imò Sacerdotes, ità per imprudentiam decipi potuiſſe, aut voluiſſe alios decipere ſine fructu, nemo facilè crediderit. Quid autem hoc refert ad minuendam ejus imperii diuturnitatem, Regéſne ſibi invicem, an Præfecti ſucceſſerint? Et unde Dynaſtiarum diſtinctio petenda erit, ſi ad Præfectos eæ referantur, non ad Reges? Facillima igitur *Ægyptiorum* Dynaſtias expediendi ratio (ſi quid in illis veri ſaníque ſit) ea eſt quam dixi, ut ex prioribus pleræque varia quidem & diverſa regna, variorum locorum, ſed ejuſdem temporis, denotent; quæ tamen omnia tandem in Monarchiam coaluerunt. Nec omittenda eſt quorundam apud *Diodorum* de annis *Ægyptiorum* conjectura, ubi regum ſuorum antiquiſſimos mille ac ducentos regnaviſſe annos, poſteriores tercentos, ferunt. Primò enim, motu Solis nondum explorato, Lunæ circuitum pro annis fuiſſe; poſtea, ſpatium quadrimeſtre. Hujus enim generis anni tres apud *Ægyptios* olim, Ver, Æſtas, atque Hyems, unum adimplebant ſolarem. Quòd ſi regum antiquiſſimi præponantur Diluvio, nihil vetat cur anni quadrimeſtres non & illis concedantur, mille ac ducenti ſcilicet, hoc eſt, quadringenti ſolares.

Hæ autem ſunt quas *Manetho Ægyptius* Pontifex tradidit Dynaſtiæ, tribúſque Tomis ad regem *Ægypti Ptolemæum Philadelphum* perſcripſit. Primò quidem, in regione *Thinitarum* regnaviſſe ait *Menam*, ſive *Menen*, per annos *62*, ab Hippopotamo cæſum. Eum deos venerandi, & rem divinam faciendi, tradidiſſe populo rationem ſcribit *Diodorus*. Aliquid, puto, *Menam Iſidis Oſiridiſ*que addidiſſe inſtitutis vult. Eundem *Herodotus* (lib.2.) prodit, ubi *Nilus* in plures alveos diſcedit, aggeſſiſſe terram, & in ſolo quod à flumine lucratus erat condidiſſe urbem, quæ *Memphis* appellata eſt. 2. Succeſſit ei filius *Athothis* per annos 57, qui primus palatium conſtruxit *Memphi*, & de rebus Anatomicis, utpote medicus, quædam ſcripſiſſe dicitur. 3. Poſt *Athothin* patrem *Cenicenes* imperavit ann.31. 4. *Enephes* 23: cujus tempore magnâ fame laboratum eſt. Pyramides ab eo conſtitutas memorant in regione *Gochon*. 5. Poſt hunc *Saphædus* ann.20; *6. Semempſis* 18; 7. *Bieneches 26* regnavit. Imperante *Semempſi* lues maxima in *Ægypto* graſſata eſt. Ann.*263*.

Dynaſtia 2. *Thinitarum* quoque. Iiſdem fortaſſe temporibus, in alia ejuſdem regionis parte regnatum eſt à *Boëtho* ann.38. cujus ætate terra díſceſſit magnâ voragine ad urbem *Bubaſtin*, quâ multi mortales perierunt. 2. *Boëthum* conſecutus eſt *Catechos* ann.*39*. Tum demum inſtitutum, ait *Manetho*, ut Boves colerentur pro diis, *Apis* præcipuè ac *Mnevis*. 3. *Binothris* ann. 47 regnavit; à quo ſancitum eſt, ut mulieres ad ſucceſſionem regni admitterentur. 4. *Tlas* ann. 17. 5. *Sethenes* 41. *6. Cheres* 17. 7. *Nephercheres* 25. Tum *Nilum* ferunt melle commixtum fluxiſſe; cujus fabulæ meminit *Philoſtratus* in *Apollonii* Vita, (lib. 7.) 8. *Seſochris* ann. 48. vir ampliſſimus, cubita 5 procerus, craſſus tria. *9. Ceneres* denique 30. Ann.302.

Dynaſtia 3. In regionem *Memphitarum* coloniam duxit *Echerephes*; à quo *Libyes*, ſubditi priùs, defeciſſe dicuntur: ſed cùm Luna viſa eſſet augeſcere ſupra modum ſolitum, objectâ religione dediderunt ſe. 2. Huic poſt annos 28 ſucceſſit *Toſorthros*, qui regnavit ann.*29*. Hunc ferunt pingendi ſtudioſum & architecturæ, excogitatâ lapidum quadratorum ſtructurâ: eundémque *Aſclepium* illum fuiſſe, medicinæ periti ſſimum. 3. Deinde *Tyris* regno potitus eſt annis 7. 4. *Meſochris* 17. 5. *Zoyphis 16. 6. Toſertaſis 19. 7. Aches* 42. 8. *Siphuris* 30. *9. Herpheres 26.* Ann. 194.

Dynaſtia 4. Alteram partem ejuſdem regionis occupavit *Soris*, qui annos *29*. regnavit. 2. *Suphis 63*; à quo maximam Pyramidum conſtructam ferunt, quam *Herodotus Cheopi* tribuit. Idem contemptor deorum habitus eſt, librúmque ſcripſit qui *Sacer* dicebatur. Eum ſe *Manetho* nactum eſſe gloriatur. Citatur à *Stobæo* in Phyſicis. *3. Suphes* deinde ann.*66*. 4. *Mencheres 63*. 5. *Ratoeſes* 25. *6. Bicheres* 22. 7. *Zebercheres* 7. 8. *Tamphthis 9*. *9. Seſochris* 48 annos tenuit imperium. Hic etiam cubitos fuiſſe 5 longus dicitur & palmos tres, latus verò palmos novem. Ann. 332.

Dynaſtia 5. erat *Elephantinorum*. Reges, 1. *Vſercheres* annis 28. 2. *Sephres* 13. 3. *Nephercheres* 20. 4. *Siſiris 7*. 5. *Echeres* 20. *6. Rathuris* 41. 7. *Mercheres 9*. 8. *Tacheres* 44. *9. Vnos 33*. Ann. 215.

Dy-

Dynaſtiam *6.* in *Memphiticâ* regione fertur conſtituiſſe *Othoes*, qui à ſtipatoribus ſuis interfectus eſt; regnum verò tenuit annos 30: 2. *Phios* 3: 3. *Methuſuphis* 7: 4. *Phiops* 100; qui cùm eſſet annorum ſex inivit imperium: 5. *Metheſuphis* 1: 6. *Nitocris* 12; quæ tertiam Pyramidum condidiſſe dicitur, &, capillitio flavo, fœminarum fuiſſe omnium in ævo ſuo formoſiſſima. Ann. 153.

A.M. 1900.

Dynaſtiam 7. faciunt reges 70, qui regnârunt ſinguli totidem dies.

Octavam 27 reges, annis 148.

Dynaſtia *9. Heracleopolitarum*, reges habuit 19, per annos 409. Eorum primus *Achthoes*, crudeliſſimus tyrannus, furore tandem correptus, à crocodilo ſublatus eſt.

Dynaſtiam 10. reges 10 conſtituerunt, per annos 185.

Dynaſtiam 11. in *Thebaïde*, reges 16, ann. 43.

Hucuſque pertingunt ea quæ *Julius Africanus*, *Euſebio* vetuſtior Chronographus, ex primo collegit Volumine *Manethonis*. Reliquæ Dynaſtiæ in ſeriem hiſtoriæ locis, ut fieri poteſt, opportunis digerentur. Quanquam ab his quæ tradit *Manetho*, tam diſcrepant ea quæ *Diodorus Siculus* & *Herodotus* didicerunt ex *Ægyptiis* ſacerdotibus, homines profectò veri admodum ſagaces, imò & ea tam ſibi diſſimilia ſunt, quæ varii autores uni attribuunt *Manethoni*, ut certi nihil his de rebus jam ſtatui poſſit, è ſcriptis vetuſtate injuriâque temporum atque hominum ità corruptis atque depravatis.

§ 16. Pyramides verò ſuprà nominatæ à me (nè quem ignorantiâ ſui morentur) *turres* erant *faſtigiatæ ultra omnem celſitudinem quæ manu fieri poſſit.* Ità *Solinus.* A regibus tamen *Ægyptiis* conſtructæ, opum vaniſſimâ oſtentatione. Verè Poëta *barbara* vocat *Miracula.* Et erant ex iis 7, quæ mundi habebantur miraculis vel maxima; maximè omnium certè ſtabilia, utpote quæ, reliquis planè deletis, ſola tot ætates ferant, integráque permaneant etiamnum & incorrupta. *Græcum* à figura nomen ſurſum decreſcente. Quò altiores enim, eò contractiores, graciteſcunt paulatim & extenuantur; ut ex ampliſſima baſi in ſummitates acutiſſimas deſinant. Ignis hæc forma, & in cœlum aſpirantis flammæ. Maximæ altitudinem atque molem ex parte infima quadrata æſtimare licet, quæ incubuit baſi cujus latera ſingula ſtadium latitudine ſuperabant cubitis 50, æquabant altitudine. Multæ enim fuerunt, præcipuæ tres; & complurium inchoatarum exſtant veſtigia. (*Plin.* 36.12.) Ac inprimis conſtitutas crediderim vanâ æmulatione turris *Babylonicæ.* Deinde ſepulcra ſibi condebant reges vivi, quibus conderentur mortui, & nomina ſupereſſent pereuntium. Neque tamen id ipſum, quod tanto molimine affectabant, conſecuti ſunt, juſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis autoribus. Opera quidem exſtant; ea produnt ſe: qui condiderint, nihil prodit, nullus novit; quódque tantâ operâ cavebant nè fieret, ignorantur. Non deſunt qui ſuſcepta putent opera hæc, partim ad minuendas regum opulentiſſimorum pecunias, inſidiarum ab æmulis illecebras; partim ad occupandam laboribus plebem, nè otioſa laſciviret, rebúſque ſtuderet novis. Denique, *Proclus* in *Timæum* (lib. 1.) ait, ſacerdotes indè ſiderum cœlíque motus obſervâſſe; quod in terra humillima, niſi tantarum adminiculo turrium, commodè fieri non potuit. Sed uſus hic arreptus, non deſtinatus.

& Pyramides.

§ 17. In ipſis confiniis *Europæ Aſiæ*que fluvius *Tanaïs*, ab Aquilone deſcendens, per oſtia duo, 60 ſtadiis inter ſe diſtantia, in paludem *Mæotin* effunditur. *Mæotis*, octo aut novem in circuitu millia ſtadiorum patens, *Boſphori Cimmerii* anguſtiis Ponto *Euxino*, longè ampliori pelago, annectitur. Accolæ *Mæotæ* paludis freto *Cimmerii* nomen dabant. Ab utroque latere *Tanaïs Mæotidiſ*que ad oceanum Borealem, indè verò *Seras* uſque remotos longiſſimè in Orientem, omnem tractum ultra *Ponticum Caſpiúm*que maria & fluvium *Iſtrum* varii tenebant populi, quos omnes *Græci* olim uno *Scytharum* nomine continebant, quod etiam in *Sarmatas* tranſiit. (*Plin.* 4.12.) *Tartari* jam plerique nominantur in *Aſia*, *Poloni* in *Europa* & *Moſcovitæ.* Habet enim *Scythiæ* partem *Europa*; ſed parte maximâ per omnem ferè *Aſiam* Septentrionalem porrigitur. Plana & campeſtris regio, ſed uliginoſa. Crebra magnáque flumina, & excedentia ripas ſuas plerumque, partem ejus occidentalem, notam proximámque *Græcis*, nuſquam non ad pabula fertilem reddunt; è quibus 8 navium capacia numerantur ab *Herodoto*, *Iſter*, *Tyras*, *Hypanis*, *Boryſthenes*, *Panticapes*, *Hypacyris*, *Gerrhus*, atque *Tanaïs.* *Lycus* præterea, *Oarus*, atque *Syrges*: in *Mæotin* illi à *Thuſſagetis* fluunt; *Syrges*, ſive *Hyrgis*, in *Tanaïn* priùs. *Bugen*, & *Axiacen*, aliόſque,

Scytharum regio.

A.M. 1900. alióſque, alii commemorant. *Boryſthenes*, ab *Iſtro* ſecundus, potu ſuaviſſimus, optimorum & paſcuorum ferax & piſcium, etiam ſine ſpinis; & in oſtio ſalis copiam dat. *Hypanis*, quinque dierum navigatione dulcis, quatuor aliis in *Pontum* amariſſimus fluit. Quippe fontis *Exampæi*——— *ſalibus vitiatur amaris*, per Sandarachæ venas tranſeuntis, ut *Vitruvius* docet, (lib. 8.3.) Ad hunc fluvium naſcitur æſtate beſtiola, volucre quadrupes, quod non ultra unum diem vivit; unde *Hemerobion* vocatur. Aquila *Scythis* nulla; nec ſues alunt. Imò *animalia pauciſſima Scythiam gignere* ait *Plinius*, (8.15.) *inopiâ fruticum.* Adeò enim lignorum egentes eſſe feruntur, ut ignes oſſibus alant. Unica ferè *Hylæa* regio, ad oram *Euxini* & *Hylæi* maris, ſylvas edit; eas verò maximas. Et unum *Scythis* proprium eſt animal, quadrupes albúmque, cervo minus, at velocius; (*Colos* vocabant;) quod, hauſtâ in caput per nares aquâ, & compluribus diebus retentâ, in locis etiam aridioribus facillimè vivit. Huic (opinor) & Tarandum addere licebit, inter *Gelonos* natum; quanquam *Solinus* in *Æthiopiam* rejiciat: cui *magnitudo quæ bovi, caput majus cervino, nec abſimile, cornua ramoſa, ungulæ bifidæ, villus magnitudine urſarum. Sed cùm libuit ſui coloris eſſe, aſini eſt ſimilis. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborum, fruticum, florum, locorúmque reddit in quibus latet metuens; ideóque rarò capitur. Mirum eſſet, habitum corpori tam multiplicem dari; mirabilius & villo.* (*Plin.* 8.34.) Cornua bovino generi non ſuccreſcere in *Scythia*, *Herodotus* autor eſt; aut multò tardiùs oriri, propter immenſum frigus, quàm in *Libya* calidíſque regionibus, ubi maturè exſiſtunt, ut *Homerus* docet. (*Odyſſ.* 4.) *Scythicis* Smaragdis præcipuus honor eſt, & Cyanis. Cryſtallus & illic pretioſiſſimus. Herba eſt, quam *Scythicam* vocant, (circa *Mæotin* naſcitur, *Plin.* 27.1.) prædulcis; utiliſſimáque habetur ad aſthmata. Glycyrrhizam eſſe docet Clariſſ. *Salmaſius*, cui *Plinium* verè *Secundum* debemus. Eam *Scythæ* in ore habentes, ſitim tolerant vel in duodecimum diem. (*Plin.* 25.8.) Idem præſtat apud eos Hippace; non herba, ut erravit *Plinius*, (eodem caſtigatore,) ſed equinum lac. Eâdem Scythicâ tolerant & famem, curántque vulnera. (*Plin.* 26.14.)

Populi, *Scythici* nominis in *Europa* populi habebantur præcipui, *Auchetæ*, apud quos *Hypanis* oritur; *Neuri*, apud quos *Boryſthenes*; *Budini*, *Geloni*, *Thuſſagetæ*, *Baſilidæ*, ſeu *Regii*, & *Agathyrſi*. Super eos *Nomades*; iidem *Anthropophagi*. A *Buge* fluvio ſuper *Mæotin Sauromatæ* & *Eſſedones*; ac per oram ad *Tanaïn* uſque *Mæotæ*. *Sitarchæ* præterea, *Boryſthenidæ*que & *Melanchlæni*. Inter *Axiacas Callipidáſ*que *Axiaces* deſcendit amnis. *Gerrhus Nomadas* à *Regiis* dirimit. *Hypanis* per *Nomadas* & *Hylæos* fluit. *Panticapes Nomadas* & *Georgos* diſterminat. In *Aſiatica Scythia* multitudo populorum innumera. Eorum celeberrimi, *Eſſedones*, *Sauromatæ*que, ut in *Europa*; *Argippæi*, *Sacæ*, *Maſſagetæ*, *Dahæ*, &c. (*Plin.* 6. 17.) Nobilia apud eos flumina *Mandagræum* & *Caſpaſium*: maximum *Volga*. Ultra *Imaüm*, puto, qui *Scythiam Aſiaticam* in partes ſecat, *Anthropophagos* collocare *Plinius* videtur, & vaſtas juxta ſolitudines feráſque; iterum deinde *Scythas*, iterúmque deſerta cum belluis, uſque ad jugum incumbens mari, quod vocabant *Tabin*. Primos deinde hominum, poſt oram longiſſimam rariſſimè cultam, *Seras* occurrere. A *Serica Oroſius* ad mare *Caſpium* 42 gentes numerat, indè ad *Tanaïn* 34.

Antiquitas, *Scytharum* ut regio ampliſſima, ſic antiquiſſima ſemper natio viſa eſt; adeò ut cum *Ægyptiis* diu contendiſſe de generis vetuſtate dicatur. (*Juſtin.* 2.) Inter *Ægyptios* atque *Phrygas* contentionem hanc ſtatuit *Herodotus*. At ſi attendamus ea quæ de *Scytharum* initiis vel *Scythæ* ipſi prodebant, vel *Græci* apud *Herodotum*, (lib. 4.) omnibus ferè gentibus ortu poſteriores fateamur neceſſe eſt. Sive à *Targitao*, *Jovis* filio, (ut ipſi memorabant,) *Scythæ* prognati ſunt, mille annis ante *Darium Perſam*, ſive à *Scytha*, *Herculis* nato *Thebani*, paulò ante *Trojana* tempora, ut *Græci* fabulantur; utrovis modo ſera ſunt admodum *Scythicæ* gentis primordia. *Scythen*, (unde genti nomen) *Jovis* filium, arcúmque & ſagittam inveniſſe, tradit *Plinius*, (7.56.) Sed è ſcriptis *Moſaïcis* de origine gentium certiora jam conſtant, diſcuſſæque magna ex parte ſunt eæ tenebræ quibus *Græci* veteres aliæque nationes laborabant. A *Babylonia* igitur, unde ſparſa in reliquam terram quaſi ſemina fuerunt generis humani, cùm non ſit longè admodum remota *Scytharum* terra, cum primis ferè habitatam eam fuiſſe veriſimillimum videtur; ſive *Gomer Cimmeriorum* parens, ſive *Magog*, ſive *Meſhec*, aut quicunque alius, eam primus occupavit.

Ingenia & mores, Antiquam hanc gentem, quaſi moribus etiam antiquis ornatam, magno celebrat encomio

comio *Juſtinus*, (lib. 2.) *Hominibus inter ſe nulli fines*, inquit; (*neque enim agrum exercent:*) *nec domus illis ulla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Uxores liberóſque ſecum in plauſtris vehunt; quibus, coriis imbrium hyemiſque causâ tectis, pro domibus utuntur. Juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum ſcelus apud eos furto gravius: quippe ſine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret? Aurum & argentum perinde aſpernantur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ iis uſus ac veſtium ignotus: & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen veſtiri ſolent ferinis mariniſve. Hæc continentia illis morum quoque juſtitiam dedit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippe divitiarum cupido ibi eſt, ubi & uſus: prorſus ut admirabile videatur, hoc illis Naturam dediſſe, quod Græci longâ ſapientium doctrinâ, præceptíſque Philoſophorum, conſequi non poterant; cultóſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari. Tantò plùs in illis profecit vitiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis. Eadem gens & laboribus & bellis aſpera. Vires corporum immenſæ. Nihil parare quod amittere timeant; nihil victores præter gloriam concupiſcere.* Hæc de laude *Scytharum Juſtinus*, at *Nomadum* ſolummodo; quos ab *Heſiodo* & *Homero* etiam prædicari credebant Veteres, ubi A.M. 1900.

Γλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων,

Abiorum aliorúmque juſtiſſimorum hominum fama celebratur equino lacte veſcentium. At *Strabo*, (lib. 11.) & alii, alios produnt fuiſſe, qui in tentoriis degerent, coleréntque terram. Et (lib. 7.) alios ad *Pontum* memorat, qui hoſpites immolarent, eorúmque veſcerentur carnibus; unde *Pontus* ἄξενος dictus eſt, hoc eſt, *inhoſpitalis:* poſtea verò *Euxinum*, ſive *hoſpitalem*, ab *Ionibus* fuiſſe appellatum, cùm in ejus ora urbem condidiſſent. Imò plura fuiſſe genera *Scytharum* Anthropophagorum indicat *Plinius*, (7. 2.) Magìs ergò credibilia narrant, qui varia tot populis ingenia ritúſque varios fuiſſe narrant, aliqua pleriſque tamen communia. *Baſilidis*, maximæ nationi, regii mores; arma tantùm ſagittæ. Colebant *Georgi* exercebántque agros ſibi. Sed aratores frumentum ferebant quod aliis venderent, unde aurum ſibi conficerent, non panem. Vagi *Nomades* pecorum pabula ſequebantur. *Axiacæ* furari quid eſſet ignorabant; ideóque nec ſua cuſtodiebant, neque contingebant aliena. *Sarmatæ*, auri & argenti vice, maximarum peſtium, commercia rerum exercebant; atque, ob ſævitiam hyemis, defoſſis in humo ſedibus, antra & ſpecus habitabant. De iiſdem Poëta,

Pellibus hirſutis arcent mala frigora Braccæ;
Oráque de toto corpore ſola patent.

Melanchlænis (ſoli *Scythici*, non & ſanguinis, genti) veſtis atra, & ex eo nomen. *Agathyrſis* non cæruleus modò capillus; (*Plin.* 4. 12.) ſed ora artúſque pictos tribuit *Pomponius* notis indelebilibus, eóque majoribus quò genere major quis, eò minoribus quò humilior: ornatus etiam ex auro *Herodotus*, ut luxurioſis. Fœminæ iis communes, quò eſſent omnes inter ſe germani familiaréſque, & amorem mutuum alerent, ſine odio ac livore pacatiſſima gens. Immanes *Taurici* advenas, præcipuè *Græcos*, virgini (ut ferebant) *Iphigeniæ* ità immolabant: Peractis precibus, clavâ caput percuſſum & cruci affixum eſt. Truncus vel de rupe deturbatus ubi fanum ſtabat, vel humo conditus. Capita hoſtium in ſublimi quiſque ſupra tectum ſuffigebat, quæ cuſtodes ædium habebantur. Ex bello raptóque tantùm victitabat ſæva gens. *Iſſedonibus* juſtitiæ laus apud *Herodotum*; quos inter feros *Anthropophagos* numerat *Solinus* immeritò. Eorúmque uxores pari fortitudine tractabant arma quâ viri. Maximè immanes *Anthropophagi*, carnes devorabant humanas, ſine legibus, ſine judiciis, veſte tenus *Scythæ*, genere alieni & linguâ. *Thuſſagetæ*, in ſolo *Scythico* aliena gens, venando ſibi victum quæritabat. Ampla terrarum ſpatia occupabant *Budini*; inter quos degebant, *Græci* genere, ſed expulſi ſuis ſedibus, *Geloni*, linguâ moribúſque, habitu & colore diverſi. *Budini* enim, cæſii omnes & rufi, pecuariam exercebant: agros *Geloni* atque hortos colebant, arborum omnium eâ feraci tellure. Erat illic & *Gelonus* urbs ampla & quadrata, cujus latera ſingula tricenis porrigebantur ſtadiis: ſed è ligno domus, templa, muri, omnia. Nam & templa *Geloni* ponebant *Græcanicis* diis, & ſimulacra, & ſacra *Græcanico* more. In *Aſiatica* parte *Argippæi*, (*Argimpæi* mavult *Salmaſius*, unde *Arimphæi* Latinè *Plinio*,) calva gens

A.M. 1900. gens ab ortu, (ſi *Herodotum* audiamus,) ſimis naribus, ingentíque mento, ſub excelſis montibus degebant, voce quadam propriâ utentes. Locum deſcribit *Plinius*, (6.13.) ubi *laſſata* (verſus meridiem) *unà cum ſiderum vi Riphæorum montium deficiunt juga.* Sedes illis nemora, baccæ arborum quarundam alimenta; quarum & rami pro domibus fuerunt, ſed hyeme pileo quodam albo firmóque contecti. Sacra gens, & inviolata feris accolarum gentium; nec ipſi modò, ſed quicunque ad eos perfugiſſent. Quippe ſoli pacifici, uſque adeò à bellis abhorrebant, ut finitimorum controverſias dirimerent, arbitri communes autoréſque pacis publicæ. *Neuros* aliquando magna ſerpentum vis ſuis ſedibus exegiſſe memoratur. Iiſdem ferunt, imò *Scythæ* finitimi dejerabant olim, ſtatum fuiſſe tempus, quo in lupos transfigurati diſcurrerent quotannis, mox in homines redirent. Sibi tamen id nullo modo perſuaderi ſcribit *Herodotus*, (lib.4.) Et *Plinius*, (8.22.) *Falſum*, inquit, *eſſe confidenter exiſtimare debemus*, *aut credere omnia quæ fabuloſa tot ſeculis comperimus.*

Hæc propria ſingularum gentium: Nonnulla pleriſque ſunt communia. Bellico apud eos more, quem primum quis hoſtem ceperat, ejus potabat ſanguinem. Qui hoſtium in prælio cæſorum à ſe capita regi obtulerat, prædæ parte donabatur. Ex capitis hoſtilis cute mantelia facta; quæ vel ante pectora gerebant, vel equorum appendebant habenis. Ut ex his quiſque plurima oſtentabat, ità fortiſſimus habebatur. Ex tota cute interdum, aut ſibi chlænas conficiebant, aut equis tegmina. (*Herodot.*4.) Equitatûs in bellis & equorum gloriâ maximè ſtrepebant. Sed *fœminis uti malebant*, *quoniam urinam curſu non impedito redderent* (*Plin.*8.42.) Equis verò non niſi caſtratis utebantur, eóque aptioribus ad fræna & imperia. Parvi quidem ii, ſed acres admodum & contumaces habebantur. (*Strab.*7.) Præfecti provinciarum quotannis vinum ſuaviſſimè temperatum iis propinabant ſolis, qui ex hoſtibus aliquem interfeciſſent. Ut quiſque plures interemerat, ità eximius habebatur, & combinatis potabat poculis; qui erat honos præcipuus. Expertem eſſe cædis, inter opprobria vel maximum erat. Pocula ex hoſtium & cæſorum à ſe inimicorum calvariis expolire mos. *Sagittas tingebant viperinâ ſanie, & humano ſanguine. Irremediabile id ſcelus, mortem illico affert levi tactu.* (*Plin.*11.53.) In ignem conjectis herbis, & fumo hauſto, haud aliter quàm vino epoto, inebriabant ſe. (*Herodot.*4.) Venationum illis prædæ, in paludibus erant cervi apríque, capreæ in campis & onagri.

Religio, Deorum quos venerabantur, *Veſta* quidem prima, ſed præcipuus *Mars*; cui pro templo fuiſſe ferunt 150 ſarmentorum plauſtra, quotannis digeſta in aream tribus longam latámque ſtadiis: (Tentoria *Pomponius* appellat:) pro ſimulacro, Acinacem. Aliis nec aræ nec ſimulacra nec delubra diis. Nam & *Jovem*, & *Tellurem* ejus conjugem, *Apollinem* quoque, *Venerem* cœleſtem, atque *Herculem*, pro numinibus colebant univerſi: *Regii Neptunum* ſoli. Præter alia pecora, equos inprimis, & ex hoſtibus captivis centeſimum quemque, immolabant. Victimas, prioribus pedibus implicatas, percuſſas atque proſtratas humi, laqueo injecto, baculóque circumducto, ſtrangulabant ſacrifici; & carnes, ob penuriam lignorum, coquebant oſſibus; coctarum porriciebant primitias. Hoſtium immolandorum & jugulatorum, cruore perfuſo acinace, humeros dextros manúſque projiciebant in aërem, quóvis locorum deferendos. Erant ſua & illis vaticinia, & pars religionis divinatio. Aliqui ex virgarum ſalignarum faſcibus divinabant; homine immolato apud *Maſſagetas* in Oriente. *Enaries*, vates evirati, (ut quibuſdam videtur) tiliarum frondibus vaticinabantur, *Veneris* dono. Ex his plerumque tres, ad regem ægrotantem vocati, aliquem nominare ſolebant qui perjurio ſolium regis violâſſet, eóque corpus morbo. Nam per ſolium regis juramentum habebatur ſanctiſſimum. Si & alii pluréſque vates hominem inficiantem condemnarent, perjurium erat capite luendum. Sin plures, ídque ſæpius vocati, abſolviſſent, ipſi plectebantur vates incendio, qui inſontem perjurii temere inſimulârant. In fœderibus feriendis, ſuum potabant cum vino commixtum ſanguinem, tinctis in calicem priùs acinace, ſagittâ, ſecuri, jaculóque.

Funera, Funerum hæc apud *Gerrhos* ratio, ubi *Regiorum* ſepulcra erant. Mortuo rege, purgatum cadaver conditúmque, plauſtro impoſitum, in omnes regni ſui provincias portabatur. Populus interea, plangens, macerabat lacerabátque ſe, aures, carnes, brachia, frontem, nares, atque ſiniſtram manum, ad arma operáque minùs utilem. Deinde, ſuper torum in loculo collocatum, cum una pellacarum, famulíſque ac rebus

bus maximè neceſſariis, tumulo quàm poterant maximo obruebant. Poſt annum, ex aliis miniſtris quinquaginta, ſuffocatos, purgatóſque, & farcinatos paleis, in equis totidem palis defixos, & in orbem tumulo circumfuſos, præſtò eſſe voluerunt, ut mandata regis apud inferos exciperent. Miniſtrabant verò & famulabantur, in aulis regum apud *Scythas*, non ſervilia venalia, ſed quos è ſubditis ipſi reges ſibi deligebant. Alios autem *Scythas*, fato ſuo functos, purgatis itidem corporibus, quadraginta ſimul dies, quaſi Vale ſupremum dicturos amicis atque propinquis, circumferebant. Comitibus plauſtri epulum erat ubique paratum. Soli *Eſſedones* corpora ipſa parentum laniata, cæſorum pecorum viſceribus immixta, epulando cum amicis conſumere, capita expolita, inductáque auro, pro ſimulacris habere, annuíſque ſacrificiis colere, ſolebant. Rituum patriorum tenaciſſimi *Scythæ*, ab externis, maximè *Græcanicis*, abhorrebant: quod exitio ſuo *Anacharſis*, regii generis vir, ipſéque poſtea *Scyles* rex, comprobavit.

A.M. 1900.

Remotiſſima locorum, quæque abſunt longiſſimè ab humaniore cultu, neque patuerunt induſtriæ indagationis humanæ, ea maximè opportuna ſunt fabulis. Indè poſtrema *Scythiæ*, ultimáque ad Orientem, *Anthropophagis* tribuuntur, & feris Gryphibus, *Arimaſpis* & *Hyperboreis*; imò & quibuſdam capripedibus, aliis adeò ſomniculoſis, ut ſenos menſes dormiant quotannis. *In quadam valle magna Imaï montis regio eſt* (ait *Plinius* 7.2.) *quæ vocatur Abarimon*; *in qua ſylveſtres vivunt homines*, *averſis poſt crura plantis*, *eximiæ velocitatis*, *paſſim cum feris vagantes. Hos in alio non ſpirare cœlo*, *ideóque ad finitimos reges non pertrahi*, ferunt. Gryphes, volucre ferarum genus, auri quod ex cuniculis eruebant ferociſſimi cuſtodes fingebantur. *Arimaſpi*, uno oculo in media fronte inſignes, (quod nè ipſi *Herodoto* credibile videtur,) cum his aſſiduè bellum circa id metallum gerebant. *Philoſtratus* (lib. 3.) Gryphes etiam *Indis* fuiſſe prodit, Soli ſacros, magnitudine roboréque leonibus pares; ſed volatu gravi, quòd ſatìs plumati non eſſent. Sed commentum hoc de Gryphis, quod *Solinus* à *Plinio* accepit, *Plinius* à *Pomponio Mela*, *Pomponius* ab *Herodoto*, *Herodotus* ab *Ariſtea Proconneſio* verſificatore, &, ut ſuum faceret, *Philoſtratus* in *Indiam* tranſtulit, *Aldrovandus* & *Matthias Michovius* refutârunt abundè; imò & ipſa res, quâ planè jam conſtat, in illis plagis ubi collocabantur Gryphes nullum eſſe aurum, nedum Gryphes aut *Arimaſpos*. In *Aſiatico litore* (in *Europæo Plinius* mavult agi fabulam, 4.12.) *ſuper Aquilonem Riphæóſque montes*, *ſub ipſo ſiderum cardine*, *Hyperborei jacent*, ait *Pomponius Mela*; *ubi Sol*, *non quotidie*, *ut nobis*, *ſed primùm verno Æquinoctio exortus*, *autumnali demum occidit: & ideo ſex menſibus dies*, *& totidem aliis nox uſque continua eſt.* Regio *aprica*, *per ſe fertilis*, felici temperie, omni afflatu noxio carens. Addit *Diodorus Sic.* ultra Boream cùm ſint, bis in anno meſſem fieri: at in inſula eos collocat *Siciliæ* pari, obverſa *Galliæ*. Innuere *Britanniam* videtur, ubi & *Elyſios campos* aliqui ſtatuunt. *Cultores* verò *juſtiſſimi*, (ait *Mela*,) *& diutiùs quàm ulli mortalium & beatiùs vivunt. Quippe feſto ſemper otio læti*, *non bella novêre*, *non jurgia*; *ſacris operati*, *maximè Apollinis: quorum primitias Delon miſiſſe initio per virgines ſuas*, *Hyperochen* & *Laodicen*, feruntur, amiciſſimi *Græcis*; iíſque non redeuntibus, aut malè acceptis in itinere, ſacra pòſt, ſtipularum triticearum faſce involuta, *populos* detuliſſe, alios aliis *ſubindè tradentes ulterioribus*, *Delon* uſque. Mox & hoc ipſum exolevit. *Nemora & lucos habitabant.* Sed & urbem illis *Diodorus* (lib.2.) *Apollini* ſacram dat, plenam cithariſtis. Templum inſuper rotundum, cujus penes *Boreadas* cura, & urbis principatus fuit. *Ubi eos ſatietas vivendi*, *magìs quàm tædium*, *cepit*, *hilares*, *redimiti ſertis*, *ex quadam rupe in pelagus præcipitabant.* (*Mela* 3.5.) Hoc beatiſſimum videbatur ſepulturæ genus. Jure quidem *Plinius* fabuloſa hæc appellat miracula; regionem ſcilicet temperatiſſimam, terram fertiliſſimam, vitámque hominum beatiſſimam, in frigidiſſima plaga, ubi ſemeſtris nox prorſus inutiles reddit nemorum atque lucorum domos, & frigoribus perpetuis rigent omnia.

Fabulæ.

Trogus Pompeius autor eſt, *Aſiæ imperium Scythas quæſiviſſe ter*; *ipſos perpetuò ab alieno imperio aut intactos*, *aut invictos permanſiſſe.* Et *primum illis intuliſſe bellum Vexorem Ægyptium*, *miſſis priùs legatis*, *qui parendi legem dicerent. Scythas verò*, (*quorum Tanaüs rex*,) *jam antea de adventu regis à finitimis certiores factos*, *legatis reſpondiſſe*, "*Mirari ſe*, *tam opulentis populi ducem ſtolidè adverſus inopes occupâſſe* "*bellum*, *quod magìs domi fuerit illi timendum*; *quia belli certamen anceps*, *præmia* "*victoriæ nulla*, *damna eſſent manifeſta. Non igitur exſpectaturos Scythas ut ad ſe ve-* "*niatur*,

Impetium in *Aſia*.

A.M. 1900. “ *niatur, cùm tantò ſibi in hoſte plura concupiſcenda ſint, ultròque prodituros obviàm. Nec dictum fuiſſe moratam rem : quos cùm tantâ celeritate venire didiciſſet rex, in fugam fuiſſe verſum, &, exercitu cum omni apparatu belli relicto, in regnum ſe trepidum recepiſſe. Scythas ab Ægypto paludibus prohibitos : deinde converſos, Aſiam perdomitam feciſſe vectigalem, modico tributo, magis in titulum imperii, quàm in victoriæ præmium, impoſito. Quindecim annis pacandæ Aſiæ moratos, uxorum flagitationem revocâſſe, per legatos denunciantium, ni redirent, ſobolem ſe ex finitimis quæſituras; nec paſſuras, ut in poſteritatem Scytharum genus per fœminas intercideret. His igitur Aſiam per mille quingentos annos vectigalem fuiſſe. Pendendi tributi finem Aſſyriorum regem impoſuiſſe Ninum.* Hæc de *Scythis Trogus :* quibus aliquod fortaſſe fundamentum geſtæ rei aliquando ſuberat, verùm huic ſtructuræ minimè par. Cùm enim rerum potiretur *Ninus*, nondum anni quadringenti à Diluvio *Noachano* præterierant; quod ex urbe *Nino*, *Abrahamí*que ortu, apud *Euſebium* ſatis perſpicuè conſtat: tantum abfuit à mille quingentíſque annis *Scythicum* in *Aſia* imperium. Et quis tam vetuſta de *Scythis* credat, natione barbara & ſine literis, cùm in *Babyloniorum Ægyptiorúm*que rebus antiquioribus, cultiſſimarum gentium, ſuſpecta ſit Annalium fides?

Indè *Amazonum Aſiaticarum* origo. *Apud* eoſdem *Scythas* ante *Ninum* (eodem *Trogo* referente) *duo regii juvenes, Plinos* & *Scolpythus , per factionem Optimatum domo pulſi, ingentem juventutem ſecum traxêre, & in Cappadociæ ora, vicinæ regionis, juxta amnem Thermodonta, conſedêre, ſubjectóſque Themiſcyræos campos occupavêre. Ibi per multos annos ſpoliare finitimos aſſueti, conſpiratione populorum, per inſidias trucidantur. Horum uxores, cùm viderent exſilio ſuo additam orbitatem, arma ſumpſêre, finéſque ſuos, ſummoventes primò, mox inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omiſêre; ſervitutem, non matrimonium, appellantes : ſingulare omnium ſeculorum exemplum,* (ait *Juſtinus*, verè, niſi *Siculus Diodorus* muliebre in *Africa* quoque imperium ſtatueret.) *Auxêre remp. ſine viris : jam etiam cum contemptu virorum ſe tuentur. Et, nè feliciores aliæ aliis viderentur, viros qui domi remanſerant interficiunt. Ultionem quoque cæſorum conjugum excidio finitimorum conſequuntur. Tunc, pace armis quæſitâ, nè gens interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares naſcerentur, interficiebant. Virgines in eundem ipſum morem, non otio atque lanificio, ſed armis, equis, venationibus, exercebant; inuſtis infantium dexterioribus mammis, nè ſagittarum jactus impediretur; unde* Amazones *Græcis dictæ ſunt.* Dubitari video à nonnullis, fueríntne quas vocant *Amazones*; an ævi poëtici apud *Græcos* licentiæ earùm debeatur memoria, ſive fabula. *Palæphatus* quidem tradi à quibuſdam ſcribit, nullas fuiſſe bellatrices fœminas; ſed habitu muliebri viros, oblongis veſtibus, ad talos uſque demiſſis, barbíſque raſis, mitrâ continentes comam, ab hoſtibus per contumeliam mulieres vocatos. At *Alexandri* Magni temporibus quæ de *Amazonibus* ſcribuntur, ſatis arguere videntur, fuiſſe. Eâ enim ætate, Hiſtoriarum clara lux omnem fabularum diſpulerat caliginem. Traditur autem *Thaleſtris*, ſive *Minothæa*, *Amazonum* regina, *Alexandri* nomine invitata, & mulierum trecentarum ſtipata ſatellitio, in *Hyrcania* regi occurriſſe, generoſæ prolis ſuſcipiendæ cauſâ. (*Juſtin.* 12. *Curtius* 6.) Et à *Plinio* inter ſui ſeculi *Scythas* numerantur, (lib.6.13.) Et earum cum *Gynæcocratumenis* memorantur connubia, (ib.cap.7.) Eaſdem *Scythis Eorpatas* dici, hoc eſt, Viricidas, docet *Herodotus*, (lib.4.) fatentibus eſſe, quas nomine dignantur. Sed *Palæphato* gravior autor, *Strabo*, dubitat hac de re, diſputátque; (lib.11.) & quæ de iis narrantur inter *Alexandri* geſta, non ab optimæ fidei ſcriptoribus tradita, nec ipſis ait inter ſe convenire qui tradunt, aliis à *Themiſcyra* eas veniſſe prodentibus, aliis è *Scythia*. Quare illi *Amazonica* omnia prodigioſa, & à fide aliena, fabulíſquè propiora videntur quàm hiſtoriis. Ego nè quid temere ſtatuam & definiam de tam antiqua incertâque re, quæ autores varii de iis ferunt, ea retuli fideliter, ità ut liberum cuique futurum ſit, probare ac reprobare quæ libet.

A.M. 1910. § 18. Vivente ac dominante apud *Ægyptios Chamo*, homine impio ac temerario, terra ubique ſylveſcere inculta, ſtagnare in paludibus flumen, in pecora hominéſque ſæviebant feræ, ipſíque homines moribus efferati ſemet infeſtabant mutuò. *Chamo* defuncto, Caulibus radicibúſque & herbis paluſtribus maximè victitabant, & lacticiniis. Accedebant mox piſces, & fructus arborum, & ex Loto panis. Carnibus pecorum eò parciùs rariúſque veſcebantur, & veſtiebantur pellibus, ut greges armentáque, ſolas ejus ſeculi divitias, eò celeriùs & faciliùs accumularent. Ex arundinibus contexebant domos,

quas

quas ejuſdem gentis paſtores, multis poſteà ſeculis, retinebant mordicus. Hæc de antiquiſſimis *Ægyptiis* cùm tradat *Diodorus*, ea jure nos in *Chami* tempora contulimus, qui cultores huic terræ primos intulit. Sed poſtquam *Oſiris*, vel *Miſraïm*, patre defuncto, ſuſcepit imperium, (tempora enim faciunt, & *Hammon*, ſive *Cham*, pater, & nominum quædam ſimilitudo, ut *Oſiridem* & *Miſraïm*, ſive *Miſorim*, eundem faciam,) Ille (inquam) homines barbaros & belluinos ad humanitatem revocavit, mox ad cultum traduxit elegantiorem, legibus, artibus, & quodam fuco religionis. Primò, æquitate legum vim & injuriam prohibuit; effecítque, non modò ut à cædibus mutuis temperarent ſibi, verùm etiam ut, ſorte ſuâ contentus, ab aliena quiſque abſtineret. Perluſtratâ & occupatâ coloniis regione univerſâ, in extremis finibus ad meridiem apertæ metallorum venæ, & inſtitutæ ſunt officinæ. E ferro inſtrumenta fabrilia cujuſque generis, è ferro tela ſibi & arma fabricati ſunt, quibus propulſarent vim, & feras inſectarentur: è ferro denique ligones, raſtra, omníſque apparatus ille ruſticus quo terra ſubigitur, & frumentum ſeritur, minimo cum labore, ſed lucro maximo, factus eſt. Triticum enim hordeúmque, in agris neglectum, *Iſis* prima inveniſſe dicitur, & ſerendum agricolis tradidiſſe, *Oſiridis* eadem *& ſoror & conjux.* Quin & vitis conſerendæ, conficiendíque vini, ars quædam inventa eſt. Ubi ſolum vites non ferebat, quæ vino ſufficerent, ex hordeo potum ſatis gratum & jucundum excoquere didicerunt. Sic renovata eſt tandem, quæ jacuerat hactenus, ob ferramentorum præcipuè inopiam, agricultura, *Oſiride* autore. *Tibullus* agnoſcit;

A.M. 1910.

Oſiris, qui & *Miſraïm*,

Agriculturam inſtituit,

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomáque non notis legit ab arboribus:
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

Neque tamen aut Leges aut Artes ſatìs efficaces putavit, niſi & frænum aliquod Religionis populo ſuperſtitioſo injiceret, veræne an falſæ, haud ſolicitus. Etſi enim hujus rei gratiâ homines nati & collocati ſunt in hoc mundi theatro, ut ſuum totiúſque mundi Opificem colerent; exciderat tamen penè omnibus, non modò Religionis veræ, ſed & omnis ferè unius veríque Dei memoria. Inſtituerat quidem ſuos *Noachus* in rebus Divinis, & ſuo etiam exemplo ad peragenda ritè Sacra præiverat. Neque tamen deerant, puto, homines profani, *Chamus* inprimis cum pleriſque ſuorum, qui, *Noacho* etiam vivente videntéque, Sacra omnia neglectui habebant contemptuíque. Sed poſtquam in loca diverſa, procul à *Noacho*, diſſipati ſunt, quemadmodum aqua tepefacta, remoto igne, ad ſuam frigiditatem, ſic homines plerique omnes ad nativam in rebus Sacris cæcitatem pravitatémque redierunt. Quæ filii nepotéſque audiverant ex *Noacho* viderántque, paulatim obliviſcuntur. Poſteri, quæ nec viderant nec audiverant, facilè omnes ignorant. *Noachus* tantummodo & *Semus*, paucíque alii, variis in locis diſperſi, veram Dei notitiam cultúmque, à majoribus, *Adamo Sethóque*, traditum, retinuerunt ad extremum.

& Idololatriam: cujus primi fontes indagantur.

Inhærebat tamen vel adhuc animis omnium lumen quoddam naturale, quo & eſſe aliquod, & colendum eſſe, Divinum Numen monebantur. Pulchra enim hæc perfectáque Mundi machina Machinatorem Opificémque longè pulcherrimum & perfectiſſimum latére in obſcuro neutiquam ſinebat. Non ea quidem verum vel Numen planè demonſtrabat, vel cultum Numinis. Etenim clariſſimus ille ſpirituum Sol non niſi ſuo lumine conſpiciendus eſt. At reos agere neglecti Numinis, qui aut ipſum non noverant, aut cultum ei debitum non præſtabant, id verò potuit nativa lux, & operum Divinorum contemplatio. Quicquid enim hîc, vel ad cognoſcendum vel ad colendum Deum, naturæ deerat, non autoris vitio, ſed ipſius naturæ, deerat, in primis Parentibus, & à primis, jam antea corruptæ. Sed & hoc naturæ vitium (quæ ſumma erat in nos Dei benignitas) diſciplinâ corrigere licebat. Doctrina enim cœleſtis, à Deo inprimis tradita, ab *Adamo* per manus traducta, apud *Noachum* & *Semum* his temporibus depoſita, erat omnibus expoſita obviáque: ut meritò damnanda eſſet eorum impietas, qui, quod ſcire debebant, didiciſſe poterant, inexpiabili cum ſocordia ignorabant.

A.M. 1910. Et hominum intereſſe videbatur, ad tuendam ſocietatem ſui generis, & juſtitiam, aliquod ſibi colendum Numen proponere. Nam, ut *Cicero* docet Naturâ magiſtrâ, (de Nat. deor. 1.) *Sanctitate & religione ſublatâ, perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio* (inquit) *an, pietate adverſus deos ſublatâ, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus Juſtitia, tollatur.*

Sed omnibus de Religione conſiliis hominum immiſcebant plerumque ſe Dæmones mali. Hi facilè incautos in fraudem inducebant. Niſi enim Dei cultum vel impedirent, vel depravarent, nihil à ſe actum videbant præcipitando in ſcelus Parentes primos. Facilè enim animadvertebant fore, ſi homines ritè ac ſecundùm præcepta Dei Sacra peragerent, ut abdicati adoptarentur; ut ad iram, ad mortem, ad inferos damnati, ad gratiam redirent mox, ad vitam, ad cœlum denique. Nec Deo tantùm auferri diminuíve honorem, & hominibus quam conceperant beatitudinis ſpem, verùm & ſuam augeri dignitatem, volebant maligni ſpiritus, & adæquari Divinæ. Plures igitur ut deos, potiùs quàm unum, imò quoſvis ut colerent, potiùs quàm verum, ſuis artibus impulerunt. Et certè, Deum ejuſmodi, qui nullis pateret ſenſibus, animo tantùm intelligere, perdifficile id, nec ingenii cujuſvis erat. Quamobrem, ex iis quæ obvia ſenſibus occurrebant, maximáque humano generi aut afferre commoda videbantur, aut minitari mala, pro Deo aliquid ſibi quiſque habuit, ac veneratus eſt. Quod *Cæſar* de *Germanis*; *Deorum*, ait, *numero eos ſolos ducunt, quorum opibus apertè juvantur.* Alibi tamen verum & illud *Petronii*,

Primus in orbe deos fecit timor———

Itaque primò Cœlum & Sidera, Solem præcipuè ac Lunam, plerique omnes veneratione divinâ proſecuti ſunt. Unde in Hieroglyphicis, *Ægyptii* Stellæ figurâ ſignificabant Deum. Et θεὺς *Græcis* ἀπὸ τοῦ θεῖν, *à* perpetuo ſiderum *curſu*, denominatos *Plato* vult, (in *Cratylo*.) Nam ab his mortales & beneficia percipiebant communia, & pertimeſcebant mala. Solem verò unum nulla ferè gens non ut numen colebat; qui, ut maximus atque clariſſimus omnium, ità facere omnes res, ac reficere conficeréque, idem putabatur. Vulgatum eſt, inquit *Euſebius*, (de Præp. 1. 6.) *Phœnices* & *Ægyptios* divinitatem ſtellis primos tribuiſſe, ortûſque rerum atque interitûs cauſam. *Maimonides Judæus* (lib. de Idololat.) opinatur, ſtellas quidem primò coluiſſe homines, non ut deos, verùm ut opera Dei magnifica, & miniſtros, quorum veneratio ipſi Deo eſſet gratiſſima. Poſtea, oblitos Dei, quaſi non eſſet qui non appareret, ſidera tantùm habuiſſe pro diis, quorum oculis humanis lumina quaſi numina affulgebant. Deinde verò, alias quoque res omnium generum, variis autoribus, variíſque in locis, in eundem ordinem cooptârunt. Neque res tantùm, ſed & homines defunctos conſecrabant in deos, nimio vel amandi, vel honorandi, ſtudio. Pater aliquis indulgentior, amiſſo filio, quem unicè amabat, cùm abſentis deſiderium ferre non poſſet, imaginem illi pingendam fingendámve, quàm potuit fieri ſimillimam, curavit. Cùm & hanc deperiret miſer, tanquam ſolas reliquias tam chari capitis, viſitabat frequenter, amplectebatur, compellabat quaſi viventem, victum vinúmque porrigebat, ſuis demum proponebat quibus poſſent honoribus ornandum. (*Sapient.* 14. 15.) Nec deerant interdum ſpiritus malefici, qui ſignis quibuſdam fictis credulitati amoris paterni imponebant, quaſi manes defuncti adeſſent. *Viſis quibuſdam* (inquit *Tullius*, *Tuſc.*Quæſt. 1.) *ſæpe homines moventur, hiſque maximè nocturnis, ut videantur ii qui vitâ exceſſerunt vivere.* Tum verò proſternere ſe coram ſimulacro, auxilium indè atque conſilium petere, lac vinúmque offerre indies, denique certum præſénſque ſibi numen agnoſcere. *Diophanes Lacedæmonius*, qui Antiquitatum libros 14 ſcripſit, *Syrophanem* ait *Ægyptium*, hominem locupletiſſimum, filio ſuo ſuperſtitem, ſimulacrum ejus domi poſuiſſe. Hoc aſylum eſſe voluit, quò, irato domino, ſervi confugerent. Ejus gratiâ veniam conſecuti ſæpius ac impunitatem, floribus decorare ſtatuam, ornare ſertis, coram adolere thus aliáque odoramenta, denique, ut deum ſibi tutelarem colere tandem cœperunt, eíque ſupplicare. Hæc in privatis ædibus, quæ facilè manabant in publicum. Qui enim civibus ſuis utilem navârant operam, funere magnifico elati, ad memoriam beneficiorum honorificam, ſepulcris donabantur & ſtatuis. Apud has parentabant; his litabant, & ſupplicabant publicè. Sed & gloriâ poſt obitum (quod natura fert) indies creſcente, præſertim ſi quæ Dæmonum accedebant impoſturæ, honores tandem divinos conſecuti ſunt, vel populi con-

conſpiratione, vel mandato principum. S. *Ambroſius* (in Epiſt. ad *Rom.* cap. 1.) ſcribit, *Ninum* patri *Belo* (*Arbelum Cyrillus* vocat, lib. 3. contra *Julian.*) ſtatuam poſuiſſe; apud ſtatuam inſtituiſſe Aſylum; cujus uſi beneficio malefici, pro deo cœperunt venerari. *Conſtantinus Manaſſes*, in Annalibus ſuis, ait, Regum primum viris præclaris, inventoribúſque rerum, ſimulacra & columnas ſtatuiſſe, ad memoriam gratam beneficiorum: vulgus hominum, ejus propoſiti non ſatis capax, ad impietatem rapuiſſe, ſtatuáſque ceu deos adoràſſe. Et alicubi fortaſſe, veri adhuc Numinis vigente memoriâ, quos benevolos atque beneficos erant homines experti dum viverent, eoſdem in cœlo apud Deum ſummâ valere gratiâ putabant. Eoſdem igitur, ut amicos Dei atque miniſtros tantùm, invocare primò; indè verò ſentire interdum (procurante Satanâ) opitulatricem quandam vim: eoſdem igitur ut deos tandem venerari, ſupremi jam Numinis immemores. *Euſebius* tres eorum quaſi ordines tradit, quos ex hominibus homines conſcripſerunt in deos: 1. qui rerum utilium vitæ aliquid inveniſſent; 2. qui imperium & tyrannidem primi occupâſſent; 3. qui veneficiis præſtabant ac præſtigiis. (Præpar. 2. 6.) De primo genere, *Perſeus*, auditor *Zenonis*, apud *Tullium*, (de Nat. deor. 1.) eos dicit eſſe habitos deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa; ipsáſque res utiles & ſalutares eorum eſſe vocabulis nuncupatas. Quò enim viris optimè de patria meritis gloria & divinitas foret diuturnior, ipſas res, Cœlum, Solem, Aëra, Ignem, Frumentum, Vinum, & ejuſmodi reliqua, non niſi virorum illuſtrium commendata nominibus & conſecrata ſtatuis adorabant: eorum præcipuè, qui vel uſum vel artem earundem rerum primi tradidiſſent. Idem videtur *Philo Byblius* docere in Operum *Sanchuniathonis* prooemio. (*Euſeb.* Præparat. 1. 9.) *Tulliúſ*que, (ibid.) *Vtilitatum*, inquit, *magnitudine conſtituti ſunt ii dii qui utilitates quaſque gignebant*; *atque his ipſis nominibus quæ vis ſit in quoque declaratur.*

A.M. 1910.

Iſtum qualemcunque impetum naturæ ad Religionem, & homines qui prudentiores habebantur, & mali Dæmones, ad ſuam utrique rem arripiebant: Dæmones quidem, ut cultum uni Deo debitum interciperent, & derivarent ad ſe. Opera enim edere nonnunquam mirifica viſi ſunt, occulta etiam prodere, variiſque artibus prædicere futura. Hæc, ut hominibus imperitis magnum incutiebant ſtuporem, ità divinam autoribus venerationem facilè pepererunt. (*Lev.* 17. 7. *Deut.* 32. 17.) Et his credo autoribus natam eſſe Veterum de duplici principio theologiam; quorum ab altero bona manabant, ab altero mala. Illud colendum eſſe, ut faceret bene, credebant; hoc, nè læderet. Hanc à *Zoroaſtre* Mago profectam religionem, & *Perſis* traditam, pervetuſtam fuiſſe *Plutarchus* docet, (de *Iſid.* & *Oſir.*) 600 annis ante bellum *Trojanum*: quam & alii rerum ſacrarum antiſtites, legúmque latores ac Philoſophi, deinde ſunt amplexi. Dei melioris nomen *Oromazam*, pejoris *Areimanium*, fingebat *Zoroaſtres*. Cùm enim nihil non ab aliqua pendeat cauſa, plurima verò in rerum natura noxia maláque ſint, quæ Deo bono minimè videntur tribuenda; malum aliquod Numen mali principium neceſſariò putabant ſtatuendum. *Ægyptios* quoque in *Oſiride* ac *Typhone* idem voluiſſe, *Plutarchus* idem opinatur. Et hâc inſaniâ *Manes* poſtea conatus eſt *Chriſtianam* quoque Religionem corrumpere. Ità malus Dæmon, ubi Opt. atque Max. Deum excutere omni cultu & prohibere non potuit, ſe tamen effecit, quaſi alterum Deum, in partem honoris recipi atque admitti. Viri autem urbium gentiúmque principes propenſionis humanæ ad cultum divinum ſunt uſi adminiculo, tum ut cives ſuos hoc Religionis metu obſtringerent & continerent, tum ut divinitatis ſpe ad opera præclara excitarent. Nam ut quiſque erat optimè de patria meritus, in deorum eſt numerum aſcriptus. *Euſebius* (Præparat. 5. 3.) omnia divorum apud gentes profanas nomina in ſeptem claſſes diſtribuit. In prima deos collocat naturales, *Solem*, *Lunam*, *Terram*, *Æthera*, &c. Secundam bene meriti de genere gentéve ſua homines tenent. Tertiam invenêre Mythologi, naturalia ſub fictis hominum nominibus atque geſtis fabuloſè colenda ſuis proponentes; in *Apolline* Solem, in *Diana* Lunam, Æthera in *Jove*, in *Junone* Aërem, Terram in pluribus. Quartum erat genus deorum ex iis fabuloſè conflatum rebus quæ ad homines naturâ ſpectant: ut *Mercurius* erat Loquendi vis, Generandi *Venus*, Amor *Cupido*, &c. Quintum, ex rebus ad uſum ſpectantibus humanum, non naturam: ut Prudentia bellica in *Pallade*, bellica Vis in *Marte* colebatur, Ignis in *Vulcano*, &c. Sextæ claſſis erant Manes Inferíque dii. Septimæ, Dæmones, boni (ut habebantur) malíque. Atque hæ ſunt idolorum primæ origines, & idololatriæ fontes: quæ deinceps, templis,

 aris,

A.M. 1910.

aris, ſacrificiis, lucis ſacratis, Poëtarum lenociniis, ſacerdotum præſtigiis, malorum Dæmonum oraculis, ità propagata eſt, ut in orbe terrarum plures 30 millibus deorum fictitiorum viri quidam docti numeraverint. Adeò multiplex & fœcunda eſt impietas & ſuperſtitio; cùm, ut Deus verus eſt unicus, ità Religio vera unica ſemper fuerit, ac immutabilis. En quò turpitudinis ignominiæque impietas adegerit humanum genus. Domini rerum omnium in terris nati, dum ſuum Cœleſtem atque Omnipotentem Dominum nihili faciunt, ſervi ſervorum ipſi fiunt. Ad res enim pleraſque venerandas pro diis abjiciunt atque proſternunt ſe, quæ non niſi hominum gratiâ, ut eorum ſervirent commodis, natæ ſunt, productæque in naturam rerum. Imò ſpiritibus infernis, (quæ ſervitus eſt omnium teterrima,) ſuis, Deíque Domini ſui, juratis hoſtibus, divinos honores deferunt.

Illud inprimis memorabile, quòd præcipuus idolorum cultus apud profanas gentes victimarum cæde conſtabat, immolandíſque ſacrificiis peragebatur. Quippe veterem hunc ritum, ex Dei veri præſcripto inſtitutum, acceperunt à majoribus per manus, & in ſuos divos tranſtulerunt novos. Voluit miſericors Deus, ut haberent aliquid quo de *Meſſia* venturo, Vindice ac Salvatore ſuo, monerentur, Agno illo Dei vero, qui ab initio rerum immolatus eſt, tollítque ſolus peccata mundi. Nam & illi peccatis hominum iraſci deos facilè credebant. Indè magnas excitari calamitates, privatim & publicé. At has averti poſſe, irámque Superûm placari cædibus; quæ malorum atque pœnarum extrema eſt. Et vice hominum, cædibus animantium brutorum, clementiâ divûm, id præſtari poſſe. Sacrificiis ergò conabantur placare offenſa numina, purgare ſontes, expiare ſcelera; imò & humanis aliquando, ut humanis peccatis λύτρον ſive redemptionis pretium quodammodo par ſolveretur. Ità de ſacrificio *Chriſti* ultimo, quæ Patribus antiquis tradita erant à Deo, non omnia prorſus deleta, ſed aliqua in animis uſúque hominum profanorum ea de re veſtigia expreſſa remanebant.

Ægyptiorum qualis fuerit Religio.

§ 19. Primos idololatrici cultûs autores *Ægyptios* fuiſſe, in libello de Dea *Syria* *Lucianus* prodit: primos nimirum deorum notitiam percepiſſe, primos templa & lucos dedicâſſe, ſolennes conventus denique celebrâſſe primos. Hæc igitur ea ſunt *Ægyptiorum* prima ſacra quæ *Oſiris* inſtituit. Ut enim aliquâ barbaram ferocémque gentem religione imbueret ac cicuriret, deos illis conſtituit, alios quidem Cœleſtes, &, ſicuti credebatur vulgò, æternos; Terreſtres alios, è noſtro mortalium genere. E Cœleſtibus primò Solem atque Lunam, quorum lucem atque virtutem ſuſpiciebant ac demirabantur maximé. Deinde quæ res ad generationem animalium conferre plurimum videbantur, in deos relatæ ſunt: 1. Spiritus; 2. Calidum, ſive Ignis; 3. Humidum, ſive Aqua; 4. Siccum, ſive Terra; 5. poſtremò Aër. Spiritus, à quo animalem vim vitámque proficiſci putabant, *Jupiter*, ſive (ut meliùs Græcè) Ζεὺς, dictus,

—— πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, —— *hominum pater atque deorum.*

Calidum, ſive Ignem, ſine quo nulla generatio, *Vulcanum* appellabant: Humidum, ſive Aquam, *Oceanum*. Unde *Græci* (*Homero* teſte, *Iliad.* 14.)

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθὺν,

crediderunt. Siccum, ſive Terra, *Mater* vocabatur. Ità *Græcis* Δημήτηρ, quaſi Γημήτηρ, dicta, hoc eſt, *Terra mater:* & *Latinis* quoque *magna Parens Tellus.* Denique, Aëra *Minervam* dixêre, *Jovis* natam ex vertice, eò quòd ſummum teneat Univerſi locum; & Τριτογένειαν vocabant, quòd ter mutetur annuatim, vere, æſtate, hyeme. Eámque *Græci* Γλαυκῶπιν, à colore aëris, non oculorum, cognominabant. *Ægyptia* quidem hæc non ſunt nomina; at ea quibus *Græci* & *Latini* *Ægyptia* interpretati ſunt. Additi ſunt his & dii Terreſtres. Qui primus ignem, ejúſque multiplicem ad varias res uſum, demonſtravit, *Vulcanus* itidem appellatus eſt: ſed Diluvióne prior is, an poſterior, incertum. Ignis enim poſtea, non tam inventus, quàm in uſum denuo revocatus, videtur. Sed maximi beneficii gratitudinem perpetuò ſibi retinendam, atque præſtandam, putaverunt. Alius deorum *Saturnus*; idem *Noachus*, opinor; cui ex *Rhea* conjuge nati *Jupiter* & *Juno.* *Jupiter Ammon*, ſive *Hammon*, dictus eſt: non ab arena, quæ ἄμμος Græcè vocatur, ut inſulsè nonnulli; eſt enim illud nomen *Ægyptiacum*, teſte *Herodoto*, (lib. 2.) non *Græcanicum:* ſed à *Chamo* potiùs, primo apud *Ægyptios* rege. *Jovis* atque *Junonis*

nis liberi quinque, *Oſiris*, *Iſis*, *Typhon*, *Apollo*, *Venus*. *Typhon* ex *Nephtha Anubin* genuit; quem capite canino deum poſtea venerati ſunt. Parentibus *Jovi* & *Junoni* templum *Oſiris* poſuit, magnitudine ac ſumptu nobile. Fana duo præterea *Jovi*, majus quidem cœleſti, minus *Ammoni*, aurea. Sed & aliis diis ſua dedicavit ex auro ſacella, cum ſacris, & qui præeſſent ſacerdotibus. In omnibus autem his operâ maximè conſilióque uſus eſt *Mercurii*, quem ſacrorum habuit notarium. Ille *Græcis* 'Ερμῆς· *Taant*, ſive *Taat*, *Phœnicibus*; ipſis *Ægyptiis Thort*, *Thorth*, *Thoth*, *Thevet*, *Tat*, *Thoot*, *Atothis* nuncupatus eſt. Nomina enim hæc, à variis autoribus tradita, unum omnia eundémque ſignificant. Et fortaſſe *Atothis* idem eſt quem *Thinitarum* regem ſecundum facit *Manetho*, *Menæ* filium. Ille communem linguam *Ægyptiorum* expolivit, multíſque vocabulis, quæ rebus deerant priùs, locupletavit. Ille primùm templa, ſacrificia, ſacerdotes, & quæ alia ſpectabant ad religionem deorum, inſtituit. Ille primùm literas, quibus res memoriâ dignæ ab injuria oblivionis vindicarentur, in memoriam uſúmque apud ſuos reduxit. (*Euſeb.* Præp. 1. & *Gellius* apud *Plinium* Nat. hiſt. 7. 56.) Ille Artibus quas *liberales* vocant nova initia dedit, poſt Diluvium neglectis & penè amiſſis: Muſicæ præſertim, Aſtronomiæ, &, ad agros poſt receſſum fluvii dimetiendos, Geometriæ. Lyram invenit trium chordarum atque tonorum, acuti, gravis, & medii; qui tribus anni tempeſtatibus apud *Ægyptios*, æſtati, hyemi veríque, reſponderent. Quin & motum palæſtricum artémque primus uſurpavit, oleámque invenit; non (ut *Græci* ferunt) *Minerva*. Denique, medicamenta quædam vulneribus morbíſque ſanandis adhibuiſſe primus memoratur. Artium enim & diſciplinarum omnium, quæ primo ſeculo viguerant, jam indè à Diluvio ſemina quædam ſparſa remanebant. In *Ægypto* & *Chaldæa*, puto, adoleverunt, & prima ceperunt incrementa. Præ cæteris autem utrobique Siderum ſcientia exculta eſt, propter locorum opportunitatem; (ait *M. Tullius* de Divinat. 1.) quoniam hi, in camporum patentium æquoribus habitantes, cùm ex terra nihil emineret quod contemplationi cœli officere poſſet, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt. Cùm autem primus apud *Ægyptios* menſis *Theut* appellatus ſit, quo ipſe *Mercurius* nomine, probabili ratione colligitur, eum anni diſtributionem in menſes reperiſſe. Et Mathematicas artes in *Ægypto* à ſacerdotibus inventas, dicit *Ariſtoteles*. (Metaphyſ. 1. 1.) Sed *Proclus* Geometriam *Ægyptiis* tribuit, propter Inundationes *Nili* ſuo limo terminos agrorum obruentis; Arithmeticam *Phœnicibus*, propter mercaturas & commercia. Et *Medicinam* (inquit *Plinius*, 7. 56.) *Ægyptii apud ipſos volunt repertam*; *alii per Arabum*, *Babylonis & Apollinis filium: Herbariam & medicamentariam à Chirone*. In *Græcia*, opinor, vult: multò enim priùs artem hanc exercuiſſe *Hebræos* conſtat, (*Exod.* 21. 19.) ab *Ægyptiis* acceptam, ut credibile eſt. Urbem regiam *Oſiris* incoluiſſe *Babylonem* videtur, ſupra *Ægyptium Delta*. Hæc enim *Judæis* & aliis appellabatur *Miſraïm*.

A.M. 1910.

§ 20. Sed de Literis, quas *Mercurium Ægyptiis* tradidiſſe primum diximus, agendum pluribus videtur, & diſquirendum quis eas primus autor invenerit; nè ignotæ ſint ejus rei origines, cui omnium aliarum notitia debetur. Deinde, quis hic *Mercurius* ſit, quem tantopere prædicamus; an celeberrimus ille veterum *Triſmegiſtus*. Ac de Literis illud inprimis tenendum eſt, apud Veteres fuiſſe duplicem ſcribendi rationem; literarum duo genera plerique nuncupant, ſacrum, & vulgare. Vulgari, ex parvis elementis ſyllabas conflabant & verba, quæ voces ore prolatas exprimerent, ſignificarent res. Eas verò à dextra ſiniſtrorſum *Hebræi* ducebant *Ægyptii*que; à ſiniſtra plurimæ gentes dextram verſus collocabant. Sacro ſcribendi genere, animalium effigies, aut partium humani corporis, aliarúmque rerum, immediatè deſignabant ipſas res, non rerum nomina vocéſve, quomodo *Chinenſium* characteres. *Hieròglyphica* vocabant *Græci*; de quibus *Pierii Hori*que *Apollinis* libri ſunt. *Clemens Alexandrin.* triplicem hanc ſcripturam facit, Imitativam, Tropicam, & Ænigmaticam. *Imitativam* appellat, quæ deſignat res per alias figurâ formâve perſimiles; ut circulo Solem, cornibus Lunam, & ſimilia. *Tropica* eſt, ſive tranſlatitia, ubi aliâ quadam ratione præter formæ ſimilitudinem ſpecies animalium, aliarúmve rerum, ad ſignificandas alias res transferuntur. Ut Accipiter, quòd in cœlum aſcendat volatu, Deum notabat: Piſcis marinus, odium; *Ægyptiis* enim id genus odio fuerunt: Equus fluviatilis, impietatem atque injuſtitiam; quòd parricida haberetur, & inceſtus in matrem. Infans delineatus nuper natos, Senex decrepitus mox morituros, ſignificabant. *Ænigmatica* denique ſcriptura eſt, ubi ex imitativis

Literæ à *Mercurio* traditæ;

A.M. 1910.

tativis ſive tropicis pluribus conjunctis, tanquam ex vocibus ſimplicibus, componebant ſententiam: ut quæ modò congeſſi tropica, ſimul omnia ſi componantur, hanc habent ſententiam; *O pueri nuper nati, vóſque ſenes mox morituri, Deus odit injuſtitiam & impietatem.* Literis aliquando vulgaribus deſcribebantur Ænigmata: ut, *Ibis per Scarabæum participat pulchritudinem Accipitris*; hoc eſt, Luna per Solem Dei lucem. Et has quidem literas *Lucanus* vulgaribus priores exſtitiſſe putat, utpote rudiores.

Nondum flumineos Memphis contexere biblos
Noverat; in ſaxis tantùm volucréſque, feræque,
Sculptáque ſervabant magicas animalia linguas.

Mihi tamen haud ſatis expeditum id atque perſpicuum videtur, qui ſciam, genus hoc literarum religioſum fuiſſe tantùm, eóque ſacerdotes ea celâſſe myſteria quæ neſcire populum volebant. Eas potiùs, quarum uſus erat vulgaris ad publicandas res, priore loco fuiſſe notas editáſque, credibilius videtur. Etſi enim occultior hieroglyphica ſcribendi ratio, at operoſior eadem, tardior, & inutilior, quàm ut uſui populari; libríſve Artium aut propriis nominibus deſcribendis, nedum actis geſtíſve publicis, ubi propria nomina ſæpiſſimè ac neceſſariò adhibenda ſunt, ullo modo ſufficiat. Jam verò inventores harum literarum ſi quærimus, *Corn. Tacitus* (Annal. 2.) *Ægyptios* tradit reperiſſe: *Primi per figuras*, inquit, *animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant; & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ, impreſſa ſaxis cernuntur.* At *Diodorus Siculus*, qui foris extra *Italiam*, in *Ægypto* præcipuè teſtis oculatus, plus & acutiùs vidit quàm *Tacitus*, *Æthiopicas* vocat has literas, & ab iis manâſſe in *Ægyptum* docet. *Ægyptii* tamen ejus inventi gloriam præripuerunt, quos *Græci* notiores habebant, ſolóſque uſos credebant eo genere. Sed præter *Ægyptios Æthiopáſque*, haud ſcio an, aliquam aliam gentem has uſurpaviſſe literas, autor aliquis idoneus tradat. Sed hæc de literarum alphabeticarum inventore potiſſimùm inſtituitur

non à *Moſe* primùm inventæ.

diſquiſitio. *Joh. Euſ. Nierembergius* (de Origine Sacræ Scripturæ libris tribus prioribus) pugnat acerrimè, fuiſſe nullas in orbe terrarum literas (præter hieroglyphica) ante *Moſen Hebræum*: Eum, Divino eruditum Spiritu, tradidiſſe primum generi mortalium hoc immortale beneficium, quo Divina Lex, & rerum Eccleſiaſticarum hiſtoria, cum vaticiniis de *Chriſto*, fideliter integréque propagarentur ad poſteros; quod per traditiones, aut literas (ſi modò literæ appellandæ ſunt) hieroglyphicas, commodè fieri non potuit. Si quæ igitur de ſcriptis literíſve memorantur alicubi ante *Moſen*, aut ficta eſſe omnia vult, aut hieroglyphica tantùm intelligenda. Sed hieroglyphica per *Aſiam Europámve* quærenda non ſunt; quandoquidem iis, præter *Æthiopas* & *Ægyptios*, ídque in ſacris tantùm, (quantum ex monumentis Veterum conſtat,) nulla ſit uſa gens. Mihi ergò probabilius videtur, inventas fuiſſe literas ante Diluvium: indè, operâ *Noachi* atque *Semi*, unà cum lingua primorum patrum, ad *Heberum* ejúſque poſteros, *Moſen* inprimis, perveniſſe: ab *Hebræis Ægyptios* atque *Chaldæos* accepiſſe, aut, vetus exemplar imitatos, novam ſibi characterum finxiſſe formam: ídque feciſſe apud *Ægyptios Mercurium* credo. Atque hoc puto voluiſſe *Plinium*, (7.56.) ubi *literarum* ſcribit *uſum æternum* fuiſſe, hoc eſt, adeò vetuſtum, ut fruſtrà inveſtigetur certus verúſque autor. S. *Auguſtinus* (Quæſt. 18. in *Exod.*) ignorare ait ſe, unde probari poſſit, ità deſcendiſſe literas à primis hominibus ad *Hebræos*. Et ignorare fatebor me quoque, ſi certa quærantur & indubitatæ fidei argumenta. Sed probabiliora dicere, quàm qui *Moſi* tribuunt, alíive cuiquam poſt Diluvium, id verò & conabor pro viribus, & præſtare me poſſe arbitror. Ut in arenam ergò deſcendamus: 1. Non aquâ, non igne pluribus locis utimur, quàm divino literarum beneficio. Earum ope, ſcilicet, præterita novimus, longinqua videmus, loquimur tacentes, alloquimur abſentes, vitâ defuncti vivimus, mortui docemus & conſilia damus, Dei cultum & opera, hominum geſta inventáque, ad poſteros tranſmittimus; pacta conventáque, promiſſa & fœdera, quibus ſervandis integerrimâ eſt opus fide, harum cuſtodiæ tutiſſimæ commendamus; in hoc ærario, denique, omnium diſciplinarum theſauros, monumentáque Veterum pretioſiſſima, recondimus. Quò autem præſtantior eſt quæque res, eò plerumque difficiliùs acquiritur. Acutiſſimi quidem erat ingenii, ſonos vocis penè infinitos paucis literarum notis terminare. At verò primis temporibus ingenia fuerunt hominum acutiſſima per ſe, ſed & longo eadem uſu rerum magis exacuta. Quis igitur putet, ævum il-

lud

lud ingenioſiſſimum potuiſſe rem adeò utilem & neceſſariam, vel non requirere, vel non excogitare, in quo artes aliæ, uſu ac utilitate multò inferiores, repertæ ſunt? 2. *Suidas* (in *Adamo*) *Adamum* ſcribit literas omnéſque Artes inveniſſe: aut, nè uni tribuantur omnia, eo vivente, ab ejus filiis nepotibúſque inveniri certè potuiſſe, nihil obſtat. De vaticiniis *Henochi* meminit S. *Judas*; (in Epiſt. v. 14.) & S. *Auguſtinus* ait, (de Civit. Dei 15.23.) *Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch, eum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus.* Ergò literarum uſus antiquior *Noacho* fuit, multò igitur magìs *Moſe*. *Nieremberg.* (2.15.) apocryphum & fictitium probat fuiſſe librum *Henochi* eum qui primis Eccleſiæ temporibus in manibus Patrum verſabatur. Id verò nos facilè concedimus. At nihil *Henochum* ſcripſiſſe, non probat. De columnis liberorum *Sethi* quid dicam, quibus inſcripſiſſe ſuas Artes, *Joſephus* autor eſt? (Antiqu. *Judaïc.* 1. 4.) Et factum fatetur *Nierembergius*; verùm hieroglyphicis id literis factum ait, non alphabetariis. Quaſi verò & ante *Noachum* nota fuerint, quæ poſtea non niſi *Æthiopibus* & *Ægyptiis* nota ſunt. 3. Poſt Diluvium, nullus traditur uſpiam certus literarum atque primus autor, quanquam ſingulis gentibus qui tradiderint memorentur ſæpiſſimé. Quare primis & caliginoſis illis ante Diluvium temporibus ortas fuiſſe credibilius videtur. Verùm his opponit adverſarius, "literas Hebraïcas multas denotare artificiales res primo *Adami* ſeculo in-"cognitas, rudi adhuc & infante mundo: quare poſteriùs longè, & à *Moſe*, inven-"tas potiùs. At verò has literas, quibus Libri jam Sacri conſcribuntur, quáſque ille ſignificare dicit (opinor) artificiales res, non eſſe *Hebraïcas*, *Moſaïcas*, veteres, ſed *Aſſyrias*, ab *Eſdra* uſurpatas, Codicibúſque Sacris adhibitas, fatetur ipſe; imò ex *Hieronymo* & Rabbinis probat; (lib.4.11.) *Hebraïcos* verò characteres *Samaritanis* relictos. Verùm, ut concedamus & hos quibus uſus eſt *Moſes* artificia quædam denotare; nihil prohibet, quin temporibus primi ſeculi poſtremis & artificiales eæ inventæ ſint res, & literarum uſus. Sed inſtant porrò, "Si quis Patriarcharum ante "*Moſen* literas inveniſſet, *Moſen* celebraturum fuiſſe memoriam utiliſſimi artificii, "clariſſimíque artificis; quomodo Muſicæ ferrariæque artis & tentoriorum primos "autores prodidit. (*Gen.*4.) De ſe verò ut prædicaret, mitiſſimi hominis mode-"ſtia non tulit. Ad hæc, neque noviſſe *Moſen* omnia dicimus, neque ſcripſiſſe forſan omnia quæ noverat. Quis ignem reperit primus, quis lanificium, quis inſtituerit immolare victimas, ſilentio *Moſes* præterit; aliarúmque multarum utiliſſimarúmque Artium origines apud eum tacentur. Non itaque mirum, ſi de literis quoque ſiluerit. Quòd ſi primus ipſe tradidiſſet, autore (ut volunt) Deo, utcunque modeſtus de ſe, at laudes Dei omittere non debuit magìs in his, quàm in miraculis quæ autore Deo edidit. Sed & *Moſis* laudes *Joſua*, vel *Samuel*, vel poſterorum aliquis, prædicaviſſet. 4. At *Moſen* ipſum non docuiſſe primum ſcribendi artem, id verò multis demonſtrari poteſt. In *Actis Apoſtolorum* (7.22.) dicitur, *Moſen fuiſſe omni ſapientiâ Ægyptiorum* (id eſt, Artibus cunctis) *eruditum.* At ſi S. *Auguſtinum* (de Civit. Dei 18. 39.) audire volumus, *Nemo illum dicere audebit mirabilium diſciplinarum peritiſſimum, antequam literas nôſſet.* *Diodorus* igitur (lib. 1.) ſcribit, *Ægyptios* ſacerdotes erudiviſſe ſuos filios literis tum ſacris tum communibus, & ſacrorum myſteriis, mathematicíſque artibus. Eaſdem, & literas & Artes, maximè verò occultam philoſophiam, literis deſcriptam hieroglyphicis, accepiſſe *Moſen* à ſacerdotibus, utpote puerum regium, facilè credimus. Sed hieroglyphicis tantùm literis hæc omnia *Ægyptios* tradidiſſe, *Nieremberg.* pugnat, contra fidem ſcriptorum veterum. Literis enim communibus & vulgus inſtructum, Artéſque traditas populares, *Diodorus* prodit: hieroglyphica verò ſacris tantùm & ſacerdotibus peculiaria. Eadem quoque tam anguſtum ſterilémque uſum habuiſſe, tam fuiſſe difficilia, obſcura, dubia & incerta, ipſe fatetur *Nieremberg.* ut diſciplinis tot ſufficere profectò non potuerint. 5. Librum *Jobi Origenes*, multíque Rabbinorum & alii, ſcriptum putant *Arabicè* ab ipſo *Jobo*, vel amicorum aliquo, à *Moſe* tranſlatum *Hebraïcè*: ergò alia erant ſcripta *Moſaïcis* antiquiora. Quòd reſpondeat *Nieremberg* hieroglyphicis quoque librum hunc fuiſſe deſcriptum; antequam ſuæ conjecturæ fidem poſtulet, doceat inprimis, notum fuiſſe *Arabibus* hunc ſcribendi morem; aut, librum tantâ rerum ac nominum propriorum varietate refertum, hieroglyphicè ſcribi potuiſſe. *At non deſunt* (ait *Nieremb.*) *qui Moſen ipſum Jobi ſcripſiſſe res arbitrentur. Nihil igitur Moſe vetuſtius.* Detur & id: ſcripſerit *Moſes.* At *Job.* 19.23,24. & 31.35. ipſe *Jobus* de ſcriptis libríſque meminit; ut neceſſe ſit, jam ante *Jobi* ætatem fuiſſe libros, multò

A.M. 1910.

A.M. 1910. multò igitur magis antè *Moſen*. 6. *Debir* urbs (*Joſ.* 15. 15. *Jud.* 1. 11.) *antea*, hoc eſt, ante adventum *Iſraëlitarum*, *Ciriath-Sepher* vocata eſt, quod *urbem literarum*, ſive *librorum*, ſignificat. Fuiſſe igitur in ea literarum vel ſtudia, vel monumenta, priuſquam adveniſſent *Iſraëlitæ* in *Canaanæam*, perſpicuum eſt; multò igitur magis in *Ægypto* & *Chaldæa*, ubi multarum Artium florebant diſciplinæ. *Nieremberg.* ex *Toſtato* arguit, "illud [*Antea*] non ſignificare, ante *Calebi* & *Iſraëlita*-"*rum* adventum ità fuiſſe appellatam *Debir*; ſed ante *Samuelis*, vel ejus viri æta-"tem, quicunque libros *Joſuæ Judicúm*que ſcripſerat, vel interpolârat. At perſpicuè hallucinatur *Toſtatus* hac in re. *Calebus* enim ipſe *Ciriath-Sepher* appellat (*Joſ.* 15.16.) nondum expugnatam ab *Othoniele*, quam pari facilitate *Debir* vocare potuiſſet, niſi alterum eo tempore proprium loco nomen fuiſſet. Ad literas ergò hieroglyphicas, ultimum refugium, ſed nihil ei profuturum, hîc etiam adigitur *Nieremb.* *Otho* quidem *Heurnius* (in *Chaldaïco*) ſcribit, *Phœnices*, *Canaanæis* vicinos, literis ex *Ægypto* uſos hieroglyphicis ante adventum *Iſraëlitarum*; ídque altâ voce clamare *Lucanum* ait,

Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

At *Lucani* verba *Heurnius* in alienum planè ſenſum rapit. Nec enim ille de hieroglyphicis agit, quæ ipſas denotant immediatè res, verùm de alphabeticis loquitur, quæ vocem figuris formant, allatæque ſunt in *Græciam* à *Cadmo*. 7. De *Turdetanis*, *Bæticæ* in *Hiſpania* populis, nihil dicam, qui, teſte in Geographicis (lib. 3.) *Strabone*, prædicabant ſe literas ſcriptas habuiſſe duo annorum millia ante imperium *Octaviani Cæſaris*, (ergò & ante *Moſen*,) oſtentatione forſan glorioſâ magis quàm verâ. At *Ægyptiis*, *Diodorus* tradit, *Mercurium* tradidiſſe literas Artéſque multas regnante *Oſiride*, longè antequam natus eſt *Moſes*; alphabetarias, inquam, literas, non hieroglyphicas, quas *Æthiopibus* tribuit *Diodorus*, non *Mercurio*. Idem ferè *Plato* ſcribit, (in *Phædro*) *Theuth* (hoc eſt, *Mercurium*) Artes & literas inveniſſe, obtuliſſéque *Thamo* regi, qui deus *Ammon* (ſive *Chamus*) idem fuit. Quod neceſſe eſt, verum ſi ſit, multis ante *Moſen* ætatibus contigiſſe. *Anticlides* verò apud *Plinium* (lib. 7.56.) tradit, *in Ægypto inveniſſe quendam literas, nomine Menona, (Menam* fortaſſe vult *Thinitarum* regem,) 15 *annis ante Phoroneum, antiquiſſimum Græciæ regem:* multò ergò pluribus ante *Moſen*. 8. *Ælianus* (de Var. hiſtor. 13. 3.) narrat *Xerxem*, *Perſiæ* regem famoſum, effoſſo vetuſti *Beli* monumento, vitream in eo urnam, in urna oleum reperiſſe, & in oleo cadaver. Sed deerat oléo aliquid ut impleret urnam. Exigua propè aderat columna, cui erat inſcriptum, *ſiquis aperuiſſet ſepulchrum, neque urnam repleviſſet oleo, eum peſſimè habiturum.* Urnam igitur implere *Xerxes* cùm fruſtrà conatus eſſet, triſtem abiviſſe. Multis ante *Moſen* ſeculis *Belus* vixerat; multis igitur ſcripta fuerunt *Babylone* vetuſtiora *Moſaïcis*. *Nieremb.* hoc & hujuſmodi monumenta vel operâ Dæmonum, vel multò ſeriùs, ab aliis poſtea regibus, conſtructa, ſuſpicatur. Mihi fabulæ potiùs credibilior ſuſpicio eſt. Autor hiſtoriæ fidem præſtet. At *Plinius* (ibid.) ex *Epigene*, *gravi autore*, *apud Babylonios* 720 *annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas* docet: *ex quo*, inquit, *apparet æternus literarum uſus.* Hæc pro antiquitate literarum atque ſcribendi ante *Moſen* dicta. Videamus jam quibus indiciis hoc *Moſi Nieremb.* inventum afferat. 1. "Hiſtoriæ, inquit, & ſcriptæ Leges unà cum literis ortæ ſunt, earum "ſcilicet gratiâ præcipuè inventis. Nam ad memoriam rerum geſtarum, Legúm-"que præcepta conſervanda, literis maximè opus eſt. At verò *Moſis* & hiſtoria pri-"ma eſt omnium, & Leges. *Moſes* ergò literarum parens. Sic ille. Neque negamus nos, eorum qui his temporibus exſtant Hiſtoricorum & Legiſlatorum, non dignitate modò, ſed & tempore, primas tenere *Moſen*. At hiſtorias à ſacerdotibus conſcriptas legéſque apud *Ægyptios* priores fuiſſe conſtat, ſi vera tradat *Manetho*, & apud *Babylonios*, ſi quid in *Cteſia* veri ſit: nè quid de Artibus *Chaldæorum* ſcriptis dicam; & Æra eorundem, cujus anno 1903. ab *Alexandro* Magno *Babylon* capta eſt, ut ex archivis *Babylonicis* reſcripſit *Ariſtoteli Calliſthenes*, autore *Simplicio*. 2. "*Exod.* "18.21. & alibi ſæpius, poſt decuriones, conſtituuntur à *Moſe* γραμμάτων εἰσαγωγεῖς, "(ut habent *Græca* LXX Interpretum,) hoc eſt, Magiſtri qui docendis literis præ-"eſſent: cujus nulla ratio reddi probabilior poteſt, quàm voluiſſe *Moſen* ut literæ, à "ſe nuper inventæ, diſcerentur à populo, antequam traderetur Divina Lex, nè im-

"paratis

paratis traderetur. Sed facillimè diluuntur hæc. Iſti enim literarum Magiſtri ab Interpretibus LXX creati ſunt. *Moſes* ipſe, in libris *Hebraïcis*, nullos conſtituit. 3. " *Ægyptii* ſacerdotes, cùm ſcriptum à *Moſe* nomen Dei legere in tabula non poſ-" ſent, literas deridebant, ut ex *Artapano Euſebius* tradit, (de Præpar. Evang.) Er-" gò alphabetarias ignorabant *Ægyptii*, ſolas noverant hieroglyphicas. At neque in his quicquam difficultatis, utpote fabuloſis. Idoneum certè Autorem de rebus *Moſaïcis*, præter Sacras Scripturas, habere nullum potuit. Sed ut verum ſit quod *Artapanus* narrat: Literas *Hebraïcas* ignorabant fortaſſe, ac propterea deridebant, ſacerdotes *Ægyptii*; at ſuas noverant, non hieroglyphicas modò & ſacras, verùm & alphabeticas, ſive communes, in uſu vulgari poſitas, quibus filios ſacerdotum à pueris inſtitutos fuiſſe *Diodorus* narrat. *A.M. 1910.*

§ 21. Satis, opinor, jam de Literarum origine dictum: de ipſo tandem, qui *Ægyptiis* tradidit, *Mercurio* inveſtigandum, utrùm hic ſit Ἑρμῆς τρισμέγιςος, hoc eſt, ille *ter-maximus Mercurius*, qui multa (ut ferunt aliqui) ſcripſit volumina, ex quorum naufragio aliqui adhuc ſuperſtites libri apud nos aut *Græci* leguntur, aut *Latini*. *Iamblichus* (de Myſteriis *Ægyptiorum*) ex *Menæco* & *Seleuco* ait, eum ſcripſiſſe libros 36525, de univerſa *Ægyptiorum* Philoſophia. *Clemens* (Stromat. 6.) ſuâ dicit ætate exſtitiſſe libros, de univerſa *Ægyptiorum* Philoſòphia 33, de Medicina 6, de Sacerdotibus 10, de Aſtrologia 4. Quòd ſi hos libros audiamus quibus *Mercurii* jam nomen præfigitur, eum præcipuè qui *Aſclepius* dicitur, aperta ſatis res eſt, duos in *Ægypto* claruiſſe *Mercurios*, ter-maximum utrumque, propter ſummam doctrinæ præſtantiam: Hunc de quo agimus, avum; qui non potuit non aliqua ſcripſiſſe, quò ſua poſteris commendaret Artium & literarum inventa: Alterum verò hujus nepotem, centenis, aut fortaſſe ducenis, annis poſteriorem avo, cujus libri fuiſſe traduntur innumeri. At verò *Pœmandras* & *Aſclepius*, & ſi quæ alia *Mercurium* ſibi ſcripta mentiuntur patrem, ſpuria profectò ſunt, nec ſatis idonei teſtes hac in re; iiſdem, credo, parentibus quondam geniti quibus *Sibyllæ* & *Zoroaſtris* oracula. 1. Certum enim hoc atque ratum eſſe debet, Quicunque de Sacra Triade clariora ſcripſerunt quàm aut *Moſes* aut Prophetæ veteres, ex fide Chriſtiana hauſiſſe quæ ſcripſerint. Neque enim hoc myſterium luce aliâ quàm Evangelii clarè unquam patefactum eſt. Opinari verò quenquam, illuſtriùs id proditum fuiſſe idololatris profaníſque gentibus, nulla de cauſa, quàm *Judæis*, populo Dei, hominis profectò eſt vigilantis ſomnium. Jam verò perſpicuum eſt, apud hunc *Mercurium* clariora eſſe multò de Trinitate indicia, quàm aut in *Moſis* aut in Prophetarum libris uſpiam invenias. Hæc igitur qui ſcripſerunt, ex fidei Chriſtianæ arcanis ea didiciſſe fatendum eſt. Præterea, libellum qui *Aſclepius* dicitur, *Franc. Fluſſas*, qui reliqua *Mercurii* edidit, genuinum haberi non vult, ſed corruptum, & idololatriæ veneno infectum ab *Apuleio*. Eundem *Clovus*, cujus operâ prodierunt *Apuleii* opera, è ſtylo ſilóque orationis, inſulſiorem cenſet quàm ut *Apuleio* tribuendus ſit. 2. In eodem multa ſunt vocabula *Græca*; cujus linguæ peritum *Hermetem Marcilius Ficinus* & *Franc. Fluſſas* arbitrantur, & in eam ſuos ipſum libros tranſtuliſſe. *Aſclepius* autem, *Hermetis* diſcipulus, in Definitionibus ad *Ammonem* regem, de *Græcis* multùm conqueritur depravantibus *Ægyptiorum* ſcripta, in linguam traducendo *Græcam*. At verò nihil certius, quàm, quâ *Hermes* vixit ætate, (quamvìs nepotem fingamus, annis ducentis avo minorem,) nondum *Græcos* cognoviſſe literas, à *Cadmo* demum poſt annos ducentos trecentóſve allatas in *Græciam*. Nec oratione ſolutâ ſcriptum eſſe quicquam apud *Græcos* ferunt ante *Pherecydem Syrum*, 60. circiter Olympiade. 3. Deinde, capite 12. *Pœmandræ*, unà cum *Ægypto* & *Græcia* memoratur *Perſia*, quæ ante *Cyrum* obſcuriſſima, nullius erat nominis; imò neque *Græcia* in illo ævo quo vixiſſe *Mercurium*, vel minorem, neceſſe eſt. In eodem capite, *Urſa* nominatur cœleſte ſignum; in 14. Εὐφρονεῖν, formula ſalutandi *Græca*, epiſtolæ præfigitur: quorum neutrum, opinor, ejus erat vel populi, vel ſeculi. Certè, Urſa *Græcorum*, nondum erat nata *Caliſto*. 4. Poſtremò, multa ſunt in his è Sacris deprompta Libris Prophetarum & Apoſtolorum, quæ impoſturæ ac novitatis arguunt manifeſtò. *Pœmandræ* cap. 1. Mundi opificium proponitur, verbis quidem obſcurioribus de induſtria, eodem planè ſenſu quo apud *Moſen*, quantum impoſtor ille *Moſis* capere ſenſum potuit. 2. Deus Pater nominatur, & Dei Filius, idem Verbum Dei, Verbum Domini, imò & λόγος ὁμοούσιος· Deus Ignis & Spiritus quoque in eodem loco. 3. Hominem facit Deus ad imaginem ſuam, (ut *Gen.* 1.26,27.) 4. Dei benedictio memoratur, *Creſcite*

Mercurium libelli quidam ſibi mentiuntur autorem.

A.M. 1910.

ſcite & Multiplicamini, (ut *Gen.*1.28.) 5. Bonis ait ipſum Deum adeſſe; impios verò Dæmonem agitare, ac in mala omnia impellere, Deo concedente. 6. Divinorum notitiam Dei gratiam eſſe. 7. *Verbo conſtituiſſe Deum quæ ſunt*; & (Cap.4.) *Mundum conſtruxit Opifex*, non manibus, ſed *verbo:* ex 2 *Pet.*3.5. *Heb.*11.3. *Jo.*1.3. 8. Cap. 5. *Quis mari limites circumſcripſit? quis terram firmavit?* ex *Job.* 38. 5, 6, 8, 11. 9. Cap.13. Neminem ait ſalvari poſſe antequam regeneretur: Regenerationis autorem eſſe Dei Filium, hominem unum Dei voluntate. Ibid. Tabernaculum hoc quod exuimus, pro corpore humano, & Cap.15. ex 2 *Pet.*1.13,14. Et alia hujus generis quàm plurima. Quid igitur putemus? Nullum fuiſſe *Mercurium* in *Ægypto?* ſcripſiſſe nullum? Imò verò, duos fuiſſe, & ſcripſiſſe alterum. Nam ex iis quinque apud *M. Tullium*, (de Nat. deor. 3.) tot *Ægyptii* nominantur. Poſteriorem ex iis, *Thoïth* appellatum, *Ægyptiis* Leges & Literas tradidiſſe. *Plato* etiam (quod ſuperiùs monui) eum Numeros, Geometriam Aſtronomiámque inveniſſe primum refert, necnon luſus talorum alearúmque, & Literas. Deinde, ad *Thamum*, totius *Ægypti* regem, qui poſtea deus *Ammon* dictus eſt, profectum, Artes ſuas demonſtrâſſe, ac docuiſſe. Sed *Mercurium* alium, hujus nepotem, qui multa ſcripſerit volumina, eáque in linguam tranſlata *Græcam*, neque *Plato* aliquem noviſſe, neque *Cicero* videtur. Hos igitur *Mercurii*, qui feruntur, libros, & magni fiunt à quibuſdam, conſultò fictos, & affixos huic nomini, jure ſuſpicamur.

A.M. 1925. *Oſiridis* expeditio,

§ 22. Conſtitutis, ut dixi, rebus *Ægypti*, ferunt *Oſirin*, ut nepotes ſuos Artium novarum participes faceret, alióſque fortaſſe finitimos atque cognatos ſuos, omnem regionem peragrâſſe, & ſingulas obiviſſe colonias ſuas, vicináſque regiones. Quippe à ſuis in *Æthiopiam*, & *Arabiam*, tum *Africanam* tum *Aſiaticam*, tranſiviſſe, ut aliis quoque impertiret frumenti atque vini commune beneficium. Regimen interea Inferioris *Ægypti* adminiſtrabat *Iſis*, cui *Mercurius* à conſiliis aderat, prudentiſſimus vir; *Hercules* fortiſſimus militiæ præerat. Ad *Æthiopiæ* fines progreſſus, *Nilum* utrinque aggeribus communivit, ut minimo deinde terrarum incommodo, accolarum arbitrio exundaret, non ſuo. Quod autem ab *Ægyptiis* olim tradebatur, *Oſirin* peregrinationem inſtituiſſe in orbem univerſum, magno inſtructum exercitu, comitibus *Apolline Paneque*, virginibus *Muſis* cantatricibus, atque ſaltatoribus *Satyris*, necnon *Anubi* venatore, caninam gerente pellem, ut *Macedo* lupi geſtabat, unde poſtea canino capite fictus atque pictus eſt *Anubis*; in *Thracia Lycurgum* interemiſſe, reliquiſſe *Maronem* vitiſatorem, qui *Maroneam* condidit, & *Macedonem* in *Macedonia*, *Triptolemum* denique agricolam in *Achaia*; *Indiam* quoque peragrâſſe, ubi *Nyſam* condidit, *Nyſæ Arabicæ* cognominem, ubi nutritus ferebatur; hoc inter fabulas *Ægyptiacas* reponendum eſt: quemadmodum & ea quæ de *Prometheo* & *Hercule* traduntur. Quippe dum *Oſiris* peregrinabatur, in *Promethei* ferunt provincia fluvium exundâſſe præter ſolitum, maximo terrarum damno: id peſſimè *Prometheum* habuiſſe, ac fluvium propterea dictum eſſe *Aquilam*, ab aquarum rapida vi, cùm antea vocaretur *Oceanus:* tandem aquas coërcuiſſe *Herculem*, & in alveum revocâſſe: indè locum fabulæ datum, aquilam *Promethei* depaſcentem cor ab *Hercule* telis confixam. Hæc, inquam, fabuloſa omnia. Etſi enim brevius iter multò hâc ætate quàm proximè futurâ erat habiturus; nondum ſcilicet cultura humana vel *Gangem* trajecerat ab Oriente, vel tranſcenderat in Occidente *Græciam*, vel in *Scythiam* longè penetrârat: viæ tamen ità incertæ, ſylvis, fluminibus, ſolitudinibus atque feris ità erant obſitæ ac impeditæ, ut tam difficilis peregrinatio fidem non minùs difficilem inveniat. *Triptolemum* verò conſtat, *Græcis* agriculturam multis poſt hanc ætatem ſeculis tradidiſſe, expertem interea frumenti *Græciam* fuiſſe. Quî autem potuit *Oſiris Macedoniam* & *Achaiam* uſque proficiſci cum exercitu, cùm, longè poſt hæc tempora, *Seſoſtrin* ex *Thracia* propinquiore fames & inopia rerum abegerit? Et *Muſæ* novem non niſi caſu numeratæ ſunt *Græcis*; ut mirum ſit, parem fuiſſe numerum apud *Ægyptios*. Mihi quidem hæc omnia, de *Apolline Paneque*, de *Muſis Satyriſque*, de *Marone*, *Macedone*, *Triptolemo*, *Hercule* & *Prometheo*, accepta videntur à *Græcis*, poſtquam *Ægyptus* eorum ſubdita eſt imperio. Hoc autem ideo factum, nè in religione veteri de ſuo *Græci* quicquam habere ſe crederent, verùm ab *Ægyptiis* didiciſſe omnia. Quòd ſi tamen, *Oſiridis* nomine, Solem intelligant, ut ſolebant in ſacris, ità quidem circumire terras, & ſuo modo uvas frugéſque mortalibus præbere, facilè concedemus. Itidem, ſi pro Vino ſumatur, (ut ſolet apud Poëtas *Dionyſius*,) omnes eum domae gentes, cantus & muſicam, tripudia & ſaltationes (quod *Apollo*,

Muſæ

Muſæ ac *Satyri* ſignificabant) eum comitari, libentes fatebimur. Verùm utcunque *Oſiris* magnam his rebus gloriam ſibi apud ſuos vicinóſque conciliârit; non deerant tamen ex coloniis aliquæ, paſtoritiâ contentæ, quæ alias artes legéſque, ac religionem *Oſiridis*, repudiârunt, nec potuerunt induci ut priſtinos mores deponerent. Cùm apud alios propterea magnâ flagrarent invidiâ, alii ſolum vertere coacti ſunt demum; alii paluſtribus locis, & naturâ munitis, tueri ſe; interim odio capitali à reliquis *Ægyptiis* diſſidebant. Hinc, opinor, illud *Ægyptiorum* in *Hebræos*, utpote paſtores, odium atque faſtidium fuit, ut nè menſâ illos eâdem dignarentur. (*Geneſ.* 43. 32.) Erant qui rationem colendi deos acceptam referrent *Menæ*, *Thinitarum* regi primo; quem credibile eſt, emiſſum coloniæ ducem ab *Oſiride Chamó*ve, rem divinam faciendi ſuis autorem fuiſſe. Eundem ferebant ſternendi lectos menſáſque, ac deliciarum lautitiarúmque magiſtrum fuiſſe. *Meinim Plutarchus* appellat, (de *Iſid.* & *Oſir.*) gloriâ tamen inventorum hâc ratione fraudatum. *Gnephachthus* quidam *Ægyptiorum* rex, multis poſterior ſeculis, & *Bocchoridis* ſapientis filius, (*Technatis Plutarcho*, & *Bocchoridis* pater,) bellum gerebat cum *Arabibus* vicinis. Ibi fortè cùm deficeret commeatus, unius diei penuriam victu vili admodum tolerare coactus eſt. Hanc inſolentiam cibi adeò gratam habuit, homo deliciis tantùm aſſuetus antea, ut luxum & lautitiam damnârit, diráque imprecatus ei ſit qui menſis eam adhibuerit primus. Nec eo contentus, imprecationem hanc in columna ſacris literis, in templo *Jovis Thebano*, conſignandam dedit. A.M. 1925.

§ 23. His ferè temporibus, *Ægialeus* quidam, in ea peninſula *Græciæ* quam *Peloponneſum* poſtea denominârunt, urbem de nomine ſuo *Ægialeam*, (quæ *Sicyon* poſtmodum dicta eſt,) & in ea regnum conſtituit primus, tenuítque annis 52. Ab eodem Borealis peninſulæ plaga *Ægialus* vocata. Sed & arcem in illis principiis rerum ſibi exſtruendam putavit, antiquiſſimus totius *Græciæ* rex, contra ſubitam & ſuorum & hoſtium vim perneceſſariam. Eodem in loco poſtea *Minervæ* templum collocatum ferunt, Artium atque munimentorum præſidis deæ. Ab hoc anno auſpicamur *Sicyoniorum* tempora, quoniam *Euſebius* (in Chronico) tradit, anno viceſimo ſecundo *Europis*, qui *Ægialeo* ſucceſſit in hoc imperio, natum eſſe *Abrahamum* : *Abrahamum* verò genitum A.M. 2008. ſtatuimus. A.M. 1931. *Ægialeus* in *Græcia* primus regnum inſtituit, *Sicyonium.*

Eſt autem *Græcia* ex *Europæis* Orienti proxima regio ad meridiem, cum inſulis adjacentibus, quæ plurimæ ſunt; *Creta* & *Eubœa* maximæ. Tres ejus Continentis partes mari alluuntur, oriens *Ægæo*, occidens *Ionio* & meridies. Ad Septentriones à *Dalmatia*, *Myſia Thraciâ*que montes dirimunt. *Macedoniam*, *Epirum*, *Achaiam*, & *Peloponneſum*, communi nomine complectebatur. Quanquam *Epirus* & *Macedonia* impuri mixtíque generis habebantur, & aliquam barbariam ex vicinis gentibus contrahebant. Harum una partium *Peloponneſus* (quam *Ægialeus* incoluit) 600 circiter milliaria in circuitu patet, *Ægialea* primò, *Apia* & *Argos* deinde appellata; à *Pelope* tandem diuturnum nacta nomen, cujus latè in ea filii poſteríque dominati ſunt. *Morea* jam vocatur. Peninſula hæc, ut platani folium receſſibus & promontoriis figurata, divortium facit inter *Ægæum* & *Ionium* mare; iſthmo quatuor (vel, ut alii, ſex) non ampliùs millium *Helladi* propriæ, ſeu *Achaiæ* Magnæ, annexa. Nobiliores *Peloponneſi* partes habebantur olim 6; *Argolis*, *Laconia*, *Arcadia*, *Meſſenia*, *Elis*, & *Achaia* Propria, cujus partem tenuit *Ægialeus*. Terra non frugum fructuúmque modò, ſed & ingeniorum, ferax olim: quin & cœli temperie, ſoli amœnitate, rerúmque omnium copiâ, vel cum optimis comparanda.

Quâ viâ modóve in *Græciam* perventum ex *Aſia* ſit, pelago interjecto, ut primæ antiquitatis res, in obſcuro latet. An per anguſtias fretorum, primò in *Thraciam*, indè in *Græciam* perrexerunt? An per *Ægæum* pelagus, inſulatim, (ut ità dicam) & quaſi ſaltuatim, ſunt progreſſi? Aliquâ certè navigiorum uſos ope, perſpicuum videtur. Ac primò, fortaſſe, ſcaphis aduſtis, & excavatis igne, (ut eſt ingenioſa neceſſitas,) aut lintribus pellitis, cùm inſtrumenta deeſſent fabrilia ob inopiam ferri, commeabant in fluviis, & piſcabantur. Sed poſtquam eruiſſent *Chalybes* metalla, ferreorum inſtrumentorum adminiculo æreorúmve, rates è tabulis compactæ ſunt, quales fortaſſe viderant priùs apud *Euphratem*, imitatione quadam factas Arcæ *Noachanæ*. Sed & eæ primò non niſi ad piſcandum. Mox ad inſulas proximas tranſiliebant, vel inviti, procellis impellentibus, vel ſpe rerum novarum invitati. Ad alias ſubindè aliáſque ſeriatim, donec ad ipſam *Europæ* tandem & *Græciæ* Continentem delati ſunt. Neceſſarius & quotidianus navigiorum inter tot inſulas uſus Naviũ origo.

 auxit

A.M. 1931. auxit eorum indies & numerum, & molem; remos etiam addidit mox, quibus impellerentur. Ità minores, brevioríſque formæ, factæ ſunt rates. *Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaüs advenit: antè ratibus navigabatur, inventis in mari Rubro, inter inſulas, à rege Erythra.* (*Plin.*7.56.) At,

Prima ratem ventis credere docta Tyros,

ait Poëta. *Sidonios* intelligat neceſſe eſt, vicinos quidem, ſed *Tyriorum* parentes. *Atlantem Libycum* & fabricâſſe navem primum, & uſum eſſe in mari, apud *Clementem Alexandr.* legimus; at triremem *Sidonios* inveniſſe, & longis navibus longinquas navigationes inſtituiſſe primos. Sed apud *Græcos*, *longâ nave Jaſonem primum navigâſſe*, ex *Philoſtephano Plinius* docet; & *triremi Aminoclem Corinthium*, ex *Thucydide.* At navigia nec unius erant generis, nec unius hominis vel ætatis inventa. *In oceano Britannico* (ait *Plinius* ib.) *vitiles fiebant corio circumſutæ*; *in Nilo ex papyro, & ſcirpo, & arundine.* In fluvio etiam *Indo* ex arundinibus, tantæ capacitatis, ut ſingula internodia duobus navitis cymbam præberent. Idem præſtabant orbiculati lintres, è ſalicibus compacti, & circundati pellibus, qui ſecundo *Tigre* ex *Armenia* deferebantur *Babylonem. Onerariam Hippus Tyrius invenit, lembum Cyrenenſes, cymbam Phœnices, celocem* (*celetem* alii legunt) *Rhodii, cercuron Cyprii*, vel *Corcyræi*; *ſiderum obſervationem in navigando Phœnices, remum Copæ, latitudinem ejus Plateæ, vela Icarus*, vel, qui *malum & antennam, Dædalus*; *hippagum Samii, aut Pericles Athenienſis*; *tectas longas Thaſii: antea ex prora tantùm & puppi pugnabatur. Roſtra addidit Piſeus Tyrrhenus, anchoram Eupalamus, eandem bidentem Anacharſis, harpagonas & manus Pericles Athenienſis, adminicula gubernandi Typhis.* (*Plin.* ibid.) Licet verò & nobis dicere, quod *Lucretius* olim, præter hæc omnia quæ memoravi,—*Nunc addita navigiis ſunt Multa*,— Pyxis nautica, & Tormenta bellica, & alia quæ ignorabant Veteres.

utilitáſque docetur. Malè ac immeritò calumniantur Poëtæ veteres navigandi artem, non niſi magnó Dei beneficio, hominúmque natam commodo. Inter Aurei ſeculi prædicatur laudes hæc, quòd,

Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut viſeret orbem,
Montibus, in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nulláque mortales, præter ſua littora, nôrunt. (*Ovid.* Met. I.)

Alius paulò aſperiùs:

Necquicquam Deus abſcidit
Prudens oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada. (*Horat.*l.1.od.3.)

At ſi naves deeſſent, non modò maxima pars terrarum, vacua jam quibus deſtinata eſt cultoribus, ſylveſceret, fruſtrà fertilis; ſed populi ejuſdem Continentis mutuis carerent commerciis auxiliiſque, ipſis ignoti ſibi. Summâ etiam ſummi Dei ſapientiâ factum eſt, ut regio nulla ſibi ſola ſufficiat, nec requirat alienas opes; nulla verò ità ſterileſcat, quin aliquâ re abundet, juvaréque poſſit alias.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi;
At Chalybes nudi ferrum.———
Ipſa igitur —*has leges æternáque fœdera certis*
Impoſuit Natura locis,——— (*Virg.* Georg.I.)

ut per maria longinqua navigantes, alienis divitiis mutuò ſuam levarent inopiam; itáque quæ dotes à Deo ſingulis regionibus propriæ datæ ſunt, navigiorum ope communes omnium fierent.

Chalybes autem, ſive *Alybes*, metallorum (quos dixi) ſcrutatores atque opifices, *Tubalis Japhetani* (ut plerique volunt) progeniem, (de quo A.M. 1757.) *Iberos* fuiſſe, aut ſanè finitimos, aliqui opinantur: in *Themiſcyrana* regione *Plinius*, (6. 4.) nec indè procul *Strabo*, collocat. Eos ferrariæ argentariæque primos fuiſſe autores in *Aſia*, probabilis conjectura eſt: quoniam apud eos plerumque ars, apud quos res naſcitur, artis materia; materia præſertim ejuſmodi, quæ non ſit ubivis locorum obvia, ſed certis & propriis quaſi ſedibus affixa. At verò *Chalybes*, apud Antiquos,

quos, ferri argentíque fodinis maximè celebres habebantur: unde illud *Homeri*, (*Iliad.2.*) A.M. 1931.

> Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.
> *Dant Chalybes nudi ferrum* ———

Apud eoſdem igitur metalla hæc perſcrutandi purgandíque artem ortam eſſe, meritò credamus; indè ad alias quoque gentes emanâſſe, ut in venas metallicas vel fortè incidebant, vel induſtriâ. *Strabo* (lib.12.) *Chaldæos* ait appellatos ſuo tempore, qui *Chalybes*, &c, mutato paulùm nomine, *Alybes*, antea dicebantur, *Halizones* apud *Homerum*, montibus tantùm divites metallorum, ferri argentíque, plenis.

§ 24. *Oſiris*, poſt reditum, cùm juſtiſſimè regnaret apud *Ægyptios*, à *Typhone* fratre, homine impio ac feroce, conjuratione cum aliis initâ, è medio ſublatus eſt. A.M. 1945. Corpus, in fruſta 26 diſſectum, (14 habet *Plutarchus*,) inter ſociós facinoris totidem diſtributum ferunt, quò firmiùs ad mutuam ſibi opem præſtandam obligarentur. Cædes *Oſiridis* *Copti* agebat *Iſis*, in extrema *Thebaïde*, cùm triſtis de nece conjugis nuncius vulneravit aures. Protinus è cincinnis alterum ſibi reſecuit, veſtémque induit lugubrem. Neque tamen luctui muliebriter indulſit; ſed, *Horo* filio auxiliante, parricidas vi ab *Iſide* & armis perſequitur, prælio fundit, captóſque meritis afficit ſuppliciis. vindicata; Et reliqua viri ſui membra, indagatione multâ, *Anubis*, quaſi canis ſagacis, operâ invenit, præter virilia; quæ cùm ſociorum nullus reciperet, in flumen abjecta ſunt. Sed & ea, muliebri exſecrabilíque religione, ficta pictáque in templis, veneratione divinâ ſacríſque ritibus dignata eſt. Indè poſtea *Phallus Græcorum* & *Priapeïa* feſta prodierunt. E fruſtis autem quæ reperta ſunt totidem nova effinxit corpora; cerâ videlicet aromatibus ſuffarcinatâ, fruſtúmque *Oſiridis* complexâ in medio. Deinde ſacerdotes acceſſivit ex omni regno tributim. Jurati nè rem fidei commiſſam enunciarent, è novis corporibus unum, quaſi verum *Oſiridis*, atque unicum, accipiunt ſinguli clàm, ſepulturâ donandum, & honoribus divinis. Additum his, ut ex animalibus & animalia ſacra *Ægyptiis* inſtituta, brutis unum aliquod *Oſiridi* ſingulæ urbes conſecrarent, alerêntque ſumptu publico; defunctum ſepelirent honorificè, & luctum indè, ob ademptum *Oſiridem*, renovarent. Quò hæc promptiùs & alacriùs fierent, tertiam ſacerdotibus terræ totius partem aſſignavit. Tum verò civitates *Ægypti* ſingulæ ſingula ſibi animalia delegerunt, *Oſiridi* ſacra, quæ vel maximè benefica putabant, vel optabant propitia; Oves, Capras, Simias, Crocodilos, Ichneumones, Lupos, Leones, Scarabæos, Cepos, Latum piſcem, Cynocephalum, aliáque multa. Sed & Hominem quoque in pago *Anabi* divinis honoribus & victimis adorâſſe, *Porphyrius* docet. (*Euſeb.* Præp.3.4.) Horum effigies ad bellum pugnámque in ſignis præferebant. Quædam ab univerſis haberi ſacra voluit, & quæ ſummum eſſet piaculum violare: è terreſtribus Canem, Felem, Bovem; ex avibus Accipitrem & Ibin; è piſcibus denique Lepidotum & Oxyrrhinchum. (*Strabo* 17.) Unum autem Bovem, quem vocabant *Mnevin*, colore nigro, præcipuè dedicatum *Oſiridi*, aluerunt & coluerunt *Heliopoli*; alium religione majore *Memphi*, quem *Apin* nominabant. Quamvìs hunc *Ælianus* (Hiſt. animal. 11.11.) Lunæ, ſive *Iſidi*, conſecratum vult; illum *Oſiridi*, ut Soli. Aptiſſima ſanè ſymbola inventæ agriculturæ Boves; utpote humanorum laborum ſocii, & *Cereris* miniſtri. Qui *Joſephi* Patriarchæ memoriam in *Api* & *Serapi* ab *Ægyptiis* cultam volunt, quoniam frumento recondito maximam ſublevârat famem, mihi quidem illi difficillimè perſuadent quod volunt. Neque enim par eſt, tantam venerationem delatam eſſe homini peregrino, & peregrinæ religionis homini, quantam è ſuis nemini. Aut ſi quem vivo detulerunt, (quod è Sacris tamen Literis non conſtat,) par eſt, eidem abſtuliſſe mortuo, cujus progeniem, atque omnem cognationem, tam capitali odio ſunt proſecuti. *Saïtæ* & *Thebani* Ovem, Latum verò (qui piſcis in *Nilo* eſt) *Latopolitani*, Lupum *Lycopolitani*, *Hermopolitani* Cynocephalum, Cepum *Babylonii* *Memphitis* vicini, Aquilam *Thebani*, *Leontopolitani* Leonem, Capram & Hircum *Mendeſii*, Mygalen *Athribitæ*, colebant: ex Capris feris *Coptitæ* fœminas, tanquam *Iſidis* delicias, (*Ælian.* Animal.10.23.) Ichneumonem *Heracleotæ*, (ibid.47.) *Onibitæ* Crocodilum, *Tentyritæ* Accipitrem & *Philæ*, aliáſque alii beſtias venerati ſunt. Ac fortaſſe non ob ſolam hæc ſpem utilitatis, aut damni metum, faciebant: verùm, ut *Lucianus* habet, (de Aſtrolog.) quòd in cœlo his, aut illis, ſubditi eſſent ac obnoxii ſignis, *Tauro*, *Arieti*, *Piſcibus*, *Capro*, &c. vel etiam, quia in has putabant majorum ſuorum animas tranſmigrâſſe. Hiſce curandis alendíſque belluis agri dedicabantur,

&

A.M. 1945.

& conſtituti ſunt miniſtri. Nec pudori erat munus hoc, ſed decori, famulari beſtiis. Itaque ſua ſinguli palàm geſtabant inſignia; unde honor, etiam procul agnitis, deferebatur. Cùm pro reddita liberorum ſalute vota ſolvebant diis, quantum abraſi capilli pendebant, pecuniæ tantum numerabatur ſacri animalis curatori. Ille cibum, ut cuique aptiſſimum, apparabat. Ille aquâ lavabat calidâ, unguentíſque. Ille ſumptuoſos ornatóſque ſternebat pecudi lectos. Idem fœmellas, ut inirent legibus naturæ, ſpecioſiſſimas cuique, pellicum nomine alebat. Tantum autem his vulgò tribuebatur, ut, premente fame, cùm humanâ homines carne veſcerentur, abſtinerent belluinâ. Mortuas quaſi ſuos lugebant liberos. Sindone involutas, multo cum ululatu & planctu, condiebant primò ſale, deinde oleo cedrino, & quæ alia odorem fragrantem redderent; ut cadaver integrum quàm diutiſſimè conſervarent. Ità conditæ, in locis etiam ſacris condebantur. Maximo hæc omnia cuſtodum ſumptu, etiam ſupra vires nonnunquam. Qui ſponte aliquam ex his interemiſſet beſtiam, capite luebat; etiam qui imprudenter Felem aut Ibin, populo per furorem præcipitem vindice, nec ferente judiciorum moram. Si quis ergò fortè incidebat in aliquam ex his extinctam in via,

Palluit, ut nudis preſſit qui calcibus anguem;

procul timidè refugiebat, magno clamore conquerens vociferánſque, inveniſſe hoc ſe cadaver, non feciſſe. Quacunque in domo Canis occidit, lugendum erat omnibus, toto raſis corpore. Quicquid erat edulii paratum in ædibus repoſitúmve, cùm expiraret animal, ex eo damnabatur inutile.

Apis præcipué:

Sed reliquis omnibus præſtabat *Apis*, quem *Epaphum Græci* vocabant. Bos niger, notæ albæ maculâ inſignis, quæ, dextro ejus lateri ingenita, corniculantis Lunæ referebat ſpeciem. *Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant.* (*Plinius* 8.46.) *Herodotus*, (in 3.) Vitulo huic, ait, in fronte candorem fuiſſe quadratum, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. *Straboni* hæc ſigna, quòd albus frontem & quaſdam parvas corporis partes, cætera verò niger eſſet. Quæ notarum, apud varios Autores, variatio, ſatìs indicat, non fuiſſe has (quod creditur) certas omnibus, & neceſſarias, utcunque ſacerdotes ſuas diſſimulabant fallacias. Raròenim naſci putabatur; nec pecoris coïtu, ſed divinitus, & cœleſti igne, ſeu lunaribus radiis, conceptus. Unde S. *Auguſtinus*, non niſi Dæmonum vi & auxilio tali formâ genitum, arbitratur. *Non erat fas, eum certos vitæ excedere annos*; *merſúmque in ſacerdotum fontem enecabant, quæſituri luctu alium, quem ſubſtituerent. Donec inveniſſent, mœrebant* univerſi, *deraſis etiam corporibus: nec tamen unquam diu quærebatur.* (*Plin.* ibid.) Quod ipſum haud obſcurum mihi ſignum eſt, ſigna illa quæ dixi propria non fuiſſe ac perpetua. Multis enim ſeculis vix unum ità notatum repeririſſent. Inventus, primùm in civitatem *Nili* perducebatur à ſacerdotibus. Illic deum agere docebatur diebus 40; quibus, non niſi fœminis beſtiam videre fas erat. Illæ, fœcunditatis conciliandæ gratiâ, fœdiſſimo more (quid autem idololatris fœdum?) ſublatis veſtibus, abraſum illi femur oſtentabant. Deinceps fœminis in conſpectum ejus prodire nefas. Ex *Nili* urbe, in nave conſtrata, deauratâ camerâ, 100 ſacerdotes *Memphin* proſequebantur, in *Vulcani* lucum deducentes. Antiſtes, diademate redimitus, certis eum conſecrabat ritibus. Interim populus gaudiis atque conviviis diem feſtum celebrabat. Erant *Api delubra gemina, quæ thalami vocabantur, auguria populorum. Alterum intrâſſe* adventu primo, *lætum erat*; *in altero dira portendit. Reſponſa privatis dabat, è manu conſulentium cibum capiendo.* Si recuſâſſet, mala ingruentia divinari putabant. *Cæterò ſecretus, cùm ſe proripuit in cœtus, ſummotu lictorum incedebat*; *gréxque puerorum comitabatur carmen honori ejus canentium. Intelligere videbatur, & adorari velle*, ait *Plinius*. *Hi greges, repentè lymphati, futura præcinebant. Fœmina bos ſemel ei quotannis oſtendebatur, ſuis & ipſa inſignibus, quanquam aliis; ſempérque eodem quo Apis die & inventam eam, & extinctam, tradunt. Apis* natalem celebrabant *Memphi*, jactu aureæ pateræ argenteæque in *Nili* gurgitem, quem *Phialam* vocabant à figura. Hæc ſolennitas per dies ſeptem agebatur ſingulis annis. *Mirum Plinio* videtur, *neminem per eos dies à Crocodilis attingi*; *octavo redire belluis feritatem*, quaſi finitis induciis. Sed, magnâ hominum & cymbarum frequentiâ ſtrepitúque abſterreri belluas, & diſcedere ad tempus, reverti quieto flumine, nihil habet quod miremur. Eum *Nili* gurgitem, *Phialám*que *Plinii*, *Seneca* (Natur. quæſt. 4.) inter *Syenen* & *Elephantinen* collocare videtur, inter ſcopulos duos eminentes, quos

Nili

Nili venas vocabant incolæ; longiſſimo ſanè à *Memphi* ſpatio, ubi *Apis* hoſpitium, & ſacra hæc præcipuè celebrabantur. A.M. 1915.

Inſolens hic mos conſecrandi bruta nè & ipſe brutus & inhumanus videretur, multas *Ægyptii* quondam comminiſci cauſas, ut inſanire cum ratione viderentur. Sacerdotes veram, in myſterio neſcio quo, latére abditam ferebant. Inprimis fingebatur, paucos olim, & imbelles adhuc, deos, ſub horum animalium ſpeciebus latuiſſe in *Ægypto*, & gigantum effugiſſe vim. Ideo ſtatuiſſe, hunc illis deferendum ab *Ægyptiis* honorem. Alii prædicabant, *Ægyptios*, cùm ſignorum in bello atque ordinis beneficio propuliſſent atque profligâſſent hoſtilem vim, ea quorum hæc ſigna erant animalia, ſalutis & victoriæ gratiâ, magni à ſe facienda cenſuiſſe. Probabiliùs fortaſſe loquuntur ii, qui beneficiorum ac utilitatis gratiâ ex ipſis perceptæ beſtiis, conſecratas putant. Nullum enim erat eorum quæ conſecrabantur omnium, unde aliquod allatum ſibi commodum non agnoſcebant. Boves arant, ex lacte butyrum caſeúmque dant, fœtúſque pariunt; Ovéſque itidem, quibus & veſtes alimentúmque debet humanum genus. Canes ad venandum, ædiúmque ſunt cuſtodiam utiles. *Anubis* ergò Deus canino capite pictus eſt, ut prætorianorum præſidem fuiſſe, *Oſiridi* atque *Iſidi* à cuſtodiis, ſignificarent. Felium adverſus aſpidas, alióſque ſerpentes, (non mures tantùm,) ope operâque utebantur. Ichneumones contra Crocodilum ſalutares, necnon contra ſerpentes etiam, atque mures. Ibides auxilium contra locuſtas & erucas, volatiléſque ſerpentes, conferebant. Accipitres contra ceraſtas & ſcorpiones; præter aucupii fructum, & augurii. Et regium quid præ ſe ferre Aquila videbatur. Ut taceam, quod *Porphyrius* addit, miſereri hominis accipitrem, & cadaver conſpicatum ingemiſcere, ac terram oculis ingerere. (*Euſeb.* Præpar.3.4.) Scarabæum, propter affinitatem cum Sole quandam, pro ſacro habebant. Hircus ipſe cultus eſt, propter libidinem (quomodo *Priapus*) & ſalacitatem. Et virile membrum, ut inſtrumentum generationis, (non *Oſiridis* tantùm gratiâ,) in ſacrorum initiis *Ægyptii* aliæque gentes conſecrabant: ut *Panas* & *Satyros*, eadem qua Hircus de cauſa, venerati ſunt. Lupi quoque ſacrabantur, præter affinitatem cum canibus, eò quòd *Iſidi Oſiris* lupi formâ opem tuliſſet contra *Typhonem* belligeranti: vel, ut alii prædicabant, quòd *Æthiopes* à luporum agmine fugati fuiſſent in regione *Lycopolitana*. Crocodili verò, quòd eorum metus contineret latrones *Libycos Arabéſque*, nè tranſmitterent *Nilum*. *Plutarchus* verò ideo cultos ait, quòd ſimiles deo elingues, & in aqua non viſi videant. Aliam *Porphyrius* horum omnium cauſam reperit, (apud *Euſebium*, de Præpar.3.4.) eò quòd agnoſcerent *Ægyptii*, divinitatem non ſolùm homines, verùm omnia propè animantia permeare. Itaque feras belluáſque ſacras non minùs, colendáſque, putabant quàm ipſos homines. Et certè hactenus excuſandam hanc ſuperſtitionem *Plutarchus* opinatur, quòd per has animatas res verum Numen præſtet venerari, quàm per inanima ſimulacra cujuſvis pretii. At prudentiores inventum hoc fuiſſe regum ſuſpicabantur, varietate religionum ac numinum animos diſtrahentium, ac nimiam populorum concordiam & conſpirationem prohibentium. Eâ ſcilicet ratione ſatis cautum videbatur, nè unquam deficerent univerſi, regiúmque tollerent dominatum, quod aliquando cogitabant. Nihil eſt enim quod vel amicitiam animis humanis, vel diſcordiam, ingerat fortiùs quàm religio.

Quorum ratio traditur,

Ardet adhuc Ombos, & Tentyra; ſummus utrique
Indè furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit uterque locus.———

Doctiores autem hanc afferebant hujus impietatis rationem, (de qua ſuperiùs memini,) Quoniam veteres *Ægyptii* credebant, animas hominum, etiam nobiliſſimorum, tranſmigrare in beſtias; *Oſiridis* ipſius in Bovem. Ultra hæc omnia, *Mnevin* & *Apin*, boves, eo dignati ſunt honore ſingulari, non modò quòd agros colerent hæc jumenta; ſed ut eorum præcipuè memoria, merita, gloriáque propagaretur indè, qui fruges culturámque agrorum primi reperiſſent. Verùm, ut dicamus quod res eſt, impietatem Deus, & contemptum ſui Numinis, in hominibus (ut ſibi videbantur) omnium ſapientiſſimis, hâc dementiâ & ſtoliditate, quaſi juſtiſſimâ ultione, vindicare voluit. Quid enim æquius, quàm ut illi, qui verum ſuum Dominum ignorabant, ſervorum ſuorum ſe ſubjicerent imperio? qui ſupremi Numinis oblivíſcebantur, infimas res pro numinibus haberent? qui Opt. atque Max. cœli terræque Opificem non colebant, ipſi, belluis belluini magìs, animantia bruta venerarentur pro diis? imò & ſua opera, imagines rerum & ſimulacra?

§ 25.

A.M. 1945. & Sacrificiorum ritus.

§ 25. Cultus deorum apud *Ægyptios* Sacrificiis maximè conſtabat; quem, à vero Deo quaſi ſurreptum, detulerunt idolis. Capras & Hircos nunquam admovebant aris; neque Vaccas, utpote ſacras *Iſidi*, præterquam rufas, *Typhonis* damnatas colore; neque Sues, præterquam *Lunæ* & *Libero* tantùm, immolandas in plenilunio. Tum verò veſcebantur etiam ſuillâ carne; quam, aliàs, nè tangere quidem fas erat. Sed flumine oportebat immergi, unà cum veſtibus, eum qui vel fortè contigiſſet hoc ſpurcum animal. Cum ſubulcis igitur neque templa illis communia, neque matrimonia fuerunt. Verùm ante convivium porcinum in plenilunio, extremam Suis caudam, lienem omentúmque convoluta, & alvi adipe cooperta, Lunæ oportebat adolere. Tenuiores farinaceas offerebant Sues. Ubi erant Boves immolandi diis, (Vitulos & Anſeres quoque pro victimis habebant,) multis priùs explorabantur ſignis, à ſacerdote aliquo, mundíne forent. Exploratis imprimebatur ſigillum. Aliis hoſtiis rem divinam ſi quis feciſſet, capite plectebatur. Piſcibus & immolandis, & comedendis, abſtinebant ſacerdotes. Præparatâ obſignatâque victimâ, ad templum & aram ejus dei cui ſacra fiebant pyra ſtatuebatur accenſa, vinóque ſupra hoſtiam libato, mactatæ victimæ auferebant caput. Id in forum, (ſi quod illic forum aderat,) ad mercatores *Græcos*, deferebant emendum. Si non emebatur, abjiciebant in flumen, certis priùs exſecrati verbis, ut ſi quod ipſis *Ægyptóve* impenderet malum, in hoc omne caput conjicerent dii. Excoriatâ deinde apparatâque victimâ, epulabantur. Majoribus *Ægyptiorum* diis, *Jovi*, *Latonæ*, *Apollini*, *Marti*, *Minervæ*, *Herculi*, *Dianæ*, *Serapidi*, non deerant ſua variis in locis oracula inſtituta. Sed poſt hæc (opinor) tempora, *Latonæ* præcipuum habebatur, in urbe *Buti*. Feſta etiam celebrabantur iiſdem, ritibus variis, maximâ plerumque populi frequentiâ.

atque Funerum.

Religionis pars aliqua in Funerum ratione collocabatur. Ea triplex apud *Ægyptios*: Sumptuoſiſſima magnatum, quæ talento conſtabat; mediocris minorum gentium, quæ viginti minis; & pauperum viliſſima. Ac primò cognati & amici omnes, conſperſis luto capitibus, lugebant mortuos, totâque urbe lamentabantur, dum parabatur funus. Alere crines *Ægyptii*, quos *Græci* tondere ſolebant in luctu funebri. (*Herod.*20.) Interea, poſtquam ex hæredibus didiciſſent libitinarii, quem funeris modum ſervari vellent, cadaver miniſtris tradebatur. Princeps eorum, quem *Scribam* vocabant, deſignabat in ſiniſtro latere, quantum eſſet reſecandum, ut via pateret ad viſcera. Inciſor aderat, qui lapide *Æthiopico* id muneris peragebat; qui, diſſectâ carne, protinus in pedes conjicere ſe præcipiti fugâ. Qui aderant omnes, lapidibus perſequi & exſecrationibus, quaſi piaculum violati corporis in eum unicum conjecturi. Deinde *Taricheutæ*, ſeu conditores cadaverum, adhibebantur. Inteſtina, præter cor & renes, evulſa; necnon ferreo quodam inſtrumento & cerebrum. Purgabatur alvus, & viſcera, & cranium: deinde vino palmeo aromaticíſque odoribus perluebantur. Denique, totum cadaver viri ſimul triginta pluréſve, unguento cedrino aliíſque delibutum, myrrhâ & cinnamomo condîtum, propinquis reddebant fragrantiſſimum, formâ totius corporis integrâ, & jam penè immortali. Tum dies indicitur ſepulturæ: Judicibus & conſanguineis denunciatur, eum paludem trajecturum. *Acheruſia* palus *Memphi* ad meridiem ſuberat. Gubernator navis *Charon* eſt appellatus: unde *Orpheum* ſuam de cymba *Charontis* fabulam mutuatum, *Ægyptii* volebant. Ultra lacum, die conſtituto, plures quadragenis conſidebant judices in hemicyclo. Liberum erat coram his cuilibet, malè actæ vitæ mortuum poſtulare. Interdictus erat damnato ſepulturæ honos. At calumnia in defunctum gravi multabatur ſupplicio. His in terra judicibus plùs proficere ſe poſſe putabant *Ægyptii*, ad vitia coërcenda morúmque pravitatem, quàm *Rhadamanthi* cujuſquam terrore apud Inferos. Si accuſatio aut nulla eſſet, aut vana, poſito luctu, propinqui encomiis quàm poterant ampliſſimis, ab omni virtutum genere, per ſingula vitæ ſpatia, cumulabant. De genere dicebant nihil, quod aliæ ſolent gentes. Omnes enim *Ægyptii* ſe pariter nobiles venditabant. Poſtremò, infernos deos, ut piorum hunc reciperent in cœtum, obteſtabantur, magnâ populi acclamatione. Ità in certis ac præparatis reponebant conditoriis, vitâ probatâ laudatâque, mortuos. Sepulturâ prohibiti, vel criminum objectorum, vel debitorum cauſâ, in privatis ædibus condebantur. Eos liberi nonnunquam redimebant, & ſepeliebant parentes honorificé. Aliquando pignori dabantur à filiis parentum corpora. At niſi redemiſſent, ſummâ laborabant infamiâ, & ipſi carebant ſepulturâ.

§ 26.

§ 26. Devota jam *Iſis* vidua, cùm *Oſiridis* religionem ſanxiſſet, æquiſſimo jure adminiſtravit regnum, plurimíſque ſibi univerſos obſtrinxit beneficiis. Nuptiæ verò iſtæ, quanquam fratris cum ſorore, habebantur feliciſſimæ. Itaque leges *Ægyptiorum*, præter morem aliarum gentium, conjugia fratrum atque ſororum libera eſſe voluerunt. Sed & hoc in more fuiſſe poſitum *Diodorus* (lib. 1.) autor eſt, ut honore poteſtatéque regi præſtaret regina. Hoc *Iſidis* virtuti eſt datum. In tabulis etiam dotalitiis inter privatos, fœminis imperium eſt conceſſum in viros. *Plutarchus* (lib. de *Iſide* & *Oſir.*) ſcribit, poſt interitum *Oſiridis*, ex *Iſide* natum fuiſſe *Harpocratem*, ſilentii deum. Juvenem ille fingit, quaſi recentis, imperfectæ, & incompoſitæ hominum ſententiæ de diis præſidem ac moderatorem. Puerum alii, nudum & imberbem, qui dextræ indice digito quaſi obſignat os, ut ab *Ovidio* deſcribitur; A.M. 1965. *Iſide* mortuâ,

Quique premit vocem, digitóque ſilentia ſuadet.

Huic deo menſe *Maſori*, id eſt, *Auguſto*, legumina afferentes, ità canere ſolebant *Ægyptii*, Γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων. Lentes enim & leguminum primitias ei offerebant. Hic ille videtur eſſe *Auſonii Sigaleon* deus;

Aut tua Sigaleon Ægyptius oſcula ſignet;

ex eo ità dictus, quòd populo ſilentium indicat, in ſacris præcipuè diviníſque rebus. Artis Medicæ periti ſſima quidem *Iſis*, (ut ea ætas & ſexus ferebat,) *Mercurio* ſcilicet uſa præceptore, tamen fato ſuo tandem fungitur; *Memphi* ſepelitur, ubi ſacellum ei dedicatum eſt, in *Vulcani* luco. Alii & *Iſidem* & *Oſiridem* ſepultos in extremis aiunt finibus *Ægypti* Superioris, in exigua inſula prope *Philas*, ſupra *Syenen* & Cataractam minorem. Campum indè *ſacrum* vocabant. Pateras ibi ſacras 360 (*choas* nominabant *Ægyptii*) lacte replebant quotidie certi ſacerdotes, & ad ſepulcrum *Oſiridis*, deorum nominibus invocatis, fletus edebant & lamentationes. Inſulam propterea nemini patuiſſe præterquam ſacerdotibus ferunt; maximíque juramenti vim habuiſſe apud *Ægyptios* ſuperiores, Per *Oſirin* apud *Philas* conditum. Eam verò inſulam petram fuiſſe opinor, quam *Seneca*, (Nat. quæſt. 4.) ἄβατον *Græcis* dictam, exiguo à *Philis* ait ſpatio diſtare, ſolis calcatam ſacerdotibus. Illud profectò conſtat; quos arguebant mortuos ſepulcra, eos immortales, atque deos, à mortalibus fuiſſe factos, aut fictos, maximorúmque numinum loco habitos ab *Ægyptiis*, nomine *Oſiridis*, *Nilum* fluvium, Solem, *Bacchum*, ſeu *Dionyſium*, vini autorem, nomine *Iſidis*, Terram, Lunam, *Cererem*, venerantibus. *Typhon* Mare ſignificabat, à quo perimitur quodammodo diſcerpitúrque *Nilus*. Ideo ſacerdotes mare, marinóſque piſces, averſabantur; neque nautas facilè ferebant. Imò *Typhon* habebatur omnis mali, ut omnis boni principium *Oſiris*. (*Plut.* de *Iſid.* & *Oſir.*) Ac *Oſirin* pro Sole habitum cultúmque, ex ipſo nomine arguit *Euſebius*, (Præparat. 1. 9.) Nam *Oſirin* ait ſignificare, *multis oculis præditum*; *Os Ægyptiorum* ſermone *multum*, *Iri oculum* notante. (*Plut.* ib.) *Iſidi* verò cornua affigebant, propter Lunæ creſcentis formam præcipuè; ideóque, partim, Vaccam habuit cornutam ſibi conſecratam. Eandem ægrotis medicatam ferebant, non modò vivam, ſed mortuam quoque. Supplicibus enim, in ſomniis, indicare ſolitam & ſuggerere medicamenta, quibus aliquando ex graviſſimis, ac propè deſperatis, morbis convaleſcebant. Cujuſmodi ſi quid factum fuit, fraudibus Dæmonum atque præſtigiis factum, humanæ imponentium credulitati, certò nobis tenendum eſt. Sed & immortalitatis pharmacum inveniſſe fingebatur, quo filium *Orum*, à *Titanibus* diſcerptum, vitâ animavit novâ: quod tamen ipſa præſtare ſibi non potuit. *Iſidis* religionem ſuſceperunt etiam *Græci*, præter ea quæ ad *Cererem* ſpectant. Multa illi fana, ſanctiſſimum in *Phocide* fuit, cum area ſacra, quò ingredi nefas, præterquam iis quos dea in ſomnis monuerat. *Tithoreæ* quotannis, vere autumnóque, celebrabantur illi nundinæ. Sacerdotes autem *Ægyptii*, *Iſidis* indulgentiâ, prædia tam opima, & pinguia nacti otia, non ſacris vacabant modò, ſed ſtudiis quoque rerum terreſtrium cœleſtiúmque; & iis fortaſſe primò utilibus, poſtea vanis magicíſque, Dæmonum artibus ambitionem humanam ad peſſima quæque inclinantibus.

§ 27. Poſt matrem in *Ægypto* filius regnavit *Horus*. Is, vaticinandi medicandíque artes edoctus à matre, de popularibus ſuis optimè meritus eſt, & *Ægyptiis* diis, vel (ut alii) ſemideis, poſt mortem aſcriptus. Solem ſignificari & hoc numine volunt: indè *Græcis Horas* quoque dictas, anni ſcilicet tempeſtates tres (nec enim plu- in *Ægypto* regnat *Horus*.

A.M. 1965.

res olim *Ægyptiis*) quæ circuitu Solis fiunt. Alii Tempus ipſum, vel Annum, denotari cenſent *Hori* nomine. (*Heſych. Erotian.*) *Cenſorinus* autem, (cap.19.) ex aliis Autoribus, tradit, annum trimeſtrem ab *Horo* inſtitutum eſſe; indè anno, partibúſque anni quatuor, annalibúſque, datum ejus nomen. Annalium enim ſcriptores *Horographi Græcis* vocantur, *Heſychio* teſte. Viginti quinque annos regnaviſſe *Horum* dicit *Manetho*; *Menam* ſucceſſiſſe, *Diodorus* & *Herodotus* ferunt: quem & *Manetho* Dynaſtiæ primæ, poſt deos, primum regem ſtatuit. *Menis* idem, *Menes*, *Menon*, *Meinis* & *Men*, dictus; de quo eſt alibi dictum à me. Sed nè dimittamus *Ægyptios*, antequam priſcos antiquiſſimæ gentis mores expoſuerimus, & leges, quæ; vel ob inſolentiam, vel ob utilitatem, ſcitu inprimis dignæ videantur.

Mores *Ægyptiorum* & inſtituta;

§ 28. Primos accepimus *Ægyptiorum* reges, non, ut alios, ſua populo dictata pro legibus obtuliſſe, ipſos interea omni legum vinculo ſolutos; ſed ad normam præſcriptam & publicam inſtituiſſe rem, & privatam. Non vitæ illis quotidianæ, non victûs ratio libera. Miniſtros habebant optimè inſtitutos, nobiliſſimorum ſacerdotum filios tantùm, eóſque jam adultos, & vigeſimum egreſſos annum. Hi non tam aſſeclæ aderant, quàm comites perpetui, & regiæ integritatis cuſtodes. Arcebantur aulâ inſidioſæ ſervorum adulationes, & paratæ ad quævis imperia facinoráque manus. Rarò enim principes in vitia prolabuntur, ubi vitiorum deſunt miniſtri; nec, niſi impulſi, graviter impingunt. Ad regulam igitur & vigilabant, & dormiebant. Horis tam nocturnis quàm diurnis ſua erant diviſa munia. Manè primo epiſtolas omnes perlegebât rex; quò faciliùs regni ſui res intelligeret, & quæ opus erant expediret. Tum lotus, trabeâque ſplendidâ ornatus, ſacrificatum perrexit diis. Stante ad aras victimâ, ſacerdotum princeps, magnâ voce, omnia bona bono juſtóque principi apprecabatur, virtutes regias prædicabat, exſecrabatur vitia; & quæ alia conducere videbantur ad excitandam in regibus juſtitiam, pietatem, modeſtiam, inculcabat. Cùm antiſtes perorâſſet, & perlitâſſet rex, è ſacris libellis ſacerdos quædam, vel prudenter conſulta, vel facta glorioſè, majorum prælegebat; quò indies & prudentiam rex augeret, & ſui moneretur officii. Neque publica tantùm obeundi judicia, & apud populum agendi, tempora erant definita; ſed & lavandi, relaxandi animum, operámque dandi rei uxoriæ. In judiciis autem, nec ſævire in aliquem intemperantiùs quàm ferebant leges, nec indulgentiùs tractare licebat, vel iræ, vel nimii favoris libidine. Jam verò victu erat ſimplici regibus utendum, anſerum aut vitulorum carnibus, & certâ moderatâque vini menſurâ. Dum hæc viguit apud reges diſciplina, ſummo ipſi apud populum amore vigebant ac veneratione; de illorum incolumitate ſinguli magìs erant quàm de ſua ſoliciti. Publica etiam viguit res, pace bellóque; bello victoriis, magnificis in pace operibus & regni ornamentis. Neque populi amor & ardor principes viventes modò, ſed etiam defunctos, proſequebatur. In luctu erat univerſa gens; lacerare veſtes, ſacras ædes claudere, non feſta celebrare, non ſacrificia, per dies octoginta continuos: verùm, capitibus luto conſperſis, & ſindone infra mammas ſuccincti, obibant civitatem, duceni treceníve, miſti fœminis viri, qui carmine lugubri modulabantur defuncti laudes. Bis hoc factum ſingulis diebus. Interea, non carnibus, non frumento veſci, abſtinere vino & lautitiis, necnon balneis, unguentis, lectorum ſtragulis, omníque re venereâ. Cadaveris arcâ tandem in veſtibulo ſepulcri expoſitâ, publico flamines præconio, & laudibus rerum in vita præclarè geſtarum, regem adornabant mortuum. Accuſare licebat etiam, ſi cui libuit: qui metus ignominiæ poſt mortem, multorum coërcuit licentiam in vita.

Univerſa *Ægypti* regio in partes diviſa erat quadraginta, quas *Græci* Νόμȣς appellabant; ſuúſque ſingulis aderat præfectus. Totius regni reditus in tres diſtributi portiones. Prima erat ſacerdotum; unde & miniſtros alebant, & procurabant victimas, quæque alia poſtulabat religio deorum. Sacerdotes, regni ſenatus, primo erant apud regem in loco, maximâque apud populum autoritate, tum propter deorum curam, tum propter doctrinam atque prudentiam. Ipſum indè regem eligi, aut, electum, protinus coöptari oportebat in hunc ordinem. Tanta erat, apud gentes etiam profanas, eorum qui religionem procurabant, & miniſtrabant diis, dignitas & veneratio. Pudeat ergò *Chriſtiani* nominis, pudeat ſacrilegos, qui veri viventíſque Dei ſacerdotes rapinis exhauriunt, & ornamentis exuunt; nec alios Domino cœlorum terrarúmque ſupremo ſervos putant conducendos, quàm de fæce plebis infimos, & ſtipendiis vilioribus quàm ſuos. Mulier apud *Ægyptios* nulla deo deæve

deæve cuiquam ſacerdotio fungebatur. (*Herodot.* 2.) Secunda *Ægypti* portio ceſſit regibus: militibus poſtrema, ut eo præmio animarentur ad pericula, & haberent ſuum, pro quo dimicarent; ex quo & liberos alerent, ſuæ diſciplinæ ac virtutis hæredes. Complexa eſt Reſpublica ordines quoque inferiores totidem, Paſtorum, Agricolarum, & Opificum. Agricolis vili pretio locabant fructus agrorum, paſcuorum Bubulcis & Opilionibus, reges, ſacerdotes, milites. Quò magis autem exercebant in ea ſe arte quam quiſque noverat, quámque traditam acceperat à majoribus, eò ſemper facti ſunt peritiores. Itidem Opifices, neque publicæ rei curis, (ut alibi,) neque agrorum paſcuorúmve culturâ, implicati & diſtracti, artes, quibus vacabant ſolis, multò magis politas & excultas tradiderunt ſuis liberis. Sed Paſtores infimi habebantur, & omnium deſpicaciſſimi. *A.M.* 1965.

Judicia publica diligenti ratione inſtituta ſunt, ut paratum eſſet ſupplicium improbis, præſidium bonis, ſuum verò ſingulis redderetur. His enim humanæ vitæ ſocietatem contineri omnem exiſtimabant. Ex ordine igitur ſacerdotum, nobiliſſimíſque urbibus, *Heliopoli*, *Thebis*, & *Memphi*, optimos viros deligebant huic muneri: è ſingulis verò decem. Hic triginta judicum conſeſſus unum ſibi è ſuo collegio præſidem creabat; cui judex alius ex eadem urbe, ad complendum numerum, ſubſtitutus eſt. Stipendia ſingulis à rege data, prætori cæteris ampliora. Geſtabat Is à collo pendulum aureâ catenâ ſimulacrum Veritatis, è lapillis pretioſiſſimis. Ubi hoc induit ſimulacrum, auſpicabatur judicium, productis in medium octo legum codicibus. Actor & crimen, & facti modum, & damni æſtimationem, ſcripto exhibebat. Reus criminationibus libello ſcriptam opponebat defenſionem. Vel enim negabat, vel non concedebat peccatum, vel minori pœnâ dignum excuſabat. Bis uterque auditus eſt, datâ reſpondendi morâ. Tum collatis judicum ſententiis, alteri litigantium Veritatis tradebatur, Victoriæ jam, ſignum. Scriptis *Ægyptii* nudam rei veritatem citiùs expediri poſſe quàm orationibus putabant, & voce vivâ. Cauſidicorum enim artibus, multum juri caliginis offundi, judicibus ipſis fucum fieri aliquando & fraudem.

Judiciis addamus & Leges aliquas inſigniores. 1. Perjuri morte multabantur. Nam & pietatem in deos violabant, & fidem, maximum ſocietatis humanæ vinculum. 2. Si quis in via hominem vel interfici cerneret, vel pulſari, neque ſubveniret auxilio, ſi poſſet, morte damnandus erat. Sin auxiliari non poterat, prodere latrones jubebat lex, & accuſatione perſequi. Id qui negligeret, plagis ad certum numerum cæſus, triduo carebat cibis. 3. Calumnioſi accuſatores ſtatutam falsò à ſe delatis pœnam ſubibant. 4. Neceſſe erat profiteri omnes apud Magiſtratum, & nomina ſua, & quâ arte viverent. Si quis aut mentiri deprehenſus eſt, aut malis artibus quæſtum agere, in mortis pœnam incidebat. 5. Qui mortem intulit vel ſervo ſponte, morte luebat homicidium. Scelera enim conſilio factorum, non conditione hominum, æſtimanda credebant; &, vindicatâ morte ſervorum, liberos reddi ſecuriores. 6. At cædes liberorum parentibus non erat capitalis. Sed in cæſi cadaveris complexu tres dies noctéſque, adhibitâ cuſtodiâ, detinebantur. Eos enim vitâ privari natorum cauſâ, qui dediſſent vitam, non ſatìs æquum videbatur; ſed dolore potiùs affligi, & pœnitentiâ. 7. Parricidis exquiſitam pœnam irrogârunt. Nam articulatim præacutis calamis cæſos, in ardentium ſpinarum acervo cremari vivos voluerunt; maximum inter mortales judicantes ſcelus, ei mortem per vim inferre, à quo vitam quis accepiſſet. 8. Mulierum morti deſtinatarum, ſi prægnantes eſſent, partus exſpectabatur. Nec enim ſine injuria fieri poſſe, ut inſons cum facinoroſa puniretur; ut peccati pœnas, quod unus admiſit, duo ſolverent; denique, ut matris unius lueret ſcelus communis etiam patri ſoboles. Hæc de pœnis capitalibus. 9. Qui ordines deſerebant in bello, vel non parebant imperio, infamiâ tantùm notabantur, ſed maximâ; quam tamen poſtea fas erat virtute ac meritis eluere. Sic infamiam pœnâ mortis graviorem cenſebant: & licuit honore dejectis, redimere famam, utilémque regno navare operam; mortuis non licuit. 10. Qui ſecreta hoſti prodidiſſent, amittebant linguas. 11. Qui falſi arguebantur in nummis, ponderibus & menſuris, in ſyngraphis tabulíſve, aut ſigillis, utramque illis manum præcîdi lex voluit; ut quâ parte quis peccaverat, eâdem plecteretur. 12. Qui fœminæ ingenuæ attuliſſet vim, amputabant ei genitalia. Mutuo conſenſu adulteris, viro plagæ fuſtibus mille infligebantur; fœminæ truncabantur nares. Mulieri enim ad vetitas libidines exornanti ſe, præcipua venuſtatis lenocinia mutilanda, deformandúmque

Legéſque inſigniores.

A.M. 1965.

dúmque vultum, judicabant. Quæ ad commercia mutua ſpectabant leges, *Bocchoridem* habuiſſe autorem ferunt. 13. Datæ mutuò ſine teſte aut ſyngrapha pecuniæ, ſi negarentur, ſtari juramento debitoris juſſit lex, quò magni faceret jurisjurandi religionem. Cùm ſcirent enim, quò plùs jurarent, eò minùs fidei habituros, non erant temere hoc periculum facturi. Cúmque fidem cernerent in probitate morum poſitam, huic eò diligentiùs operam daturi videbantur. Denique, injuſtum putabant, quibus abſque juramento eſt habita fides, iis in eadem re nè juratis credere. 14. Fœnerantes, ultra duplum augere ſortem, vetuit lex: & uſuras ex facultatibus obæratorum exigi tantùm voluit; corpora creditoribus addici, nullo modo concedebat. Hæc enim reip. deberi, ad belli pacíſque munia. Iniquum igitur eſſe, fœnoris causâ in carcerem duci milites, qui pro patria ſe objicerent periculis; &, ob privatorum avaritiam, communem omnium ſalutem in diſcrimen venire. 15. De furibus quædam ſingularis erat *Ægyptiorum* lex. Qui furari volebat, apud furum principem profiteri nomen oportebat, & protinus deferre ad eundem quicquid furatus eſſet. Ità qui amiſerat res, tempore furti monſtrato, ſua recipiebat, quartâ modò conceſſâ furi parte. Satius enim viſum eſt, cùm prohiberi omnino furta non poſſent, alicujus portionis, quàm totius rei, jacturam fieri. 16. Sacerdotibus unam duntaxat ducere uxorem licuit; reliquis, pro arbitrio & facultatibus, plures. Hanc plurimùm conferre legem putabant ad hominum augendam multitudinem, & potentiam regni. 17. Liberi nè è ſerva geniti habebantur ſpurii. Solum enim patrem exiſtimabant generis autorem; matrem, non niſi locum infanti & alimentum præbere.

Pueros *Ægyptii* minimo educabant ſumptu, annis ferè viginti drachmis totidem: unde hominum abundabant multitudine, ac urbium. In *Ægypto Herodotus Pliniúſque* referunt, habitata quondam urbium viginti millia, regnante *Amaſi*; octodecim *Diodorus*, & tria ſuperfuiſſe tantùm ſuo ſeculo. Literis erudiebantur ſacerdotum filii, tum communibus, tum ſacris; ex Artibus, præcipuè Mathematicis, Aſtronomiâ, & Geometriâ. Aſtronomorum enim *Chaldæorum* videri volebant magiſtri: æmuli certè fuerunt, & qui artium divinandi palmam nulli concederent. Vulgus *Ægyptiorum* communes literas, & paternas pueri artes, ediſcebant; palæſtram & muſicam non attingentes. Hanc enervare animos, illam nec verum addere, nec diuturnum, corporibus robur exiſtimabant. Morbos occupare malebant, quàm depellere: ídque partim jejuniis, & vomitu, partim potionibus, & clyſtere; quam *Ibide* monſtrante artem didicerant. Hæc enim, roſtri aduncitate, per eam partem ſe perluit quâ reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Et hæc repetebant medicamenta vel ſingulis diebus, vel triduò quatriduóve interpoſito. Nam in omni cibo ſupereſſe aliquid inutile dicebant, quod morbos generet, niſi his artibus auferatur. Medici erant etiam publici, morborum ſingulorum, nullus plurium. Unde omnia referta fuiſſe Medicis, ait *Herodotus*, (lib.2.) Qui militabant foris, aut aliquò iter conferebant in *Ægypto*, Medicis utebantur publicis. Ii, ſi, codicum ſacrorum ſecuti leges, ægrum ſanare non poterant, culpâ tamen omni vacabant: ſin traditam à majoribus, & longo ſpectatam uſu, formam curandi neglexiſſent, ægroti mortem ſuâ penſabant. Fœminas tradit *Herodotus* negotiari ſolitas cauponaríque, viros domi texere; viros onera capitibus, fœminas humeris, bajulare; fœminas ſtantes mingere, viros autem ſedentes; filias neceſſariò parentes aluiſſe inopes, non niſi volentes filios; majoribus natu minores aſſurgere ſolitos, *Laconico* more, & de via cedere. In via, pro ſalutatione, adorabant ſe mutuò, genu tenus demiſsâ manu. Primi animarum immortalitatem, & tranſmigrationem, docuerunt *Ægyptii*; quas, poſt ter mille annorum circuitum, per alia omnium generum animantia, in humanum redire corpus opinabantur. Non ſunt fortaſſe vera omnia de regibus *Ægyptiorum* & moribus quæ traduntur: non tamen utilia minùs, vera ſi putentur, quàm ſi forent.

Nimrodus

§ 29. In *Aſia* & *Europa* hactenus ſeculum fuiſſe aureum videtur. Imperia, niſi patrum, in principio nulla pertulerant. Ii liberis nepotibúſque ſuis & jura dabant, & adminiſtrabant ſacra. Lites paucæ admodum de finibus, cùm ubique, pro multitudine hominum, abunde terrarum eſſet, quod ſufficeret omnibus. Si quæ tamen incidebant, ex æquo & bono dirimebantur. Denique, maleficia & noxas prohibebant naturæ legibus. At verò auctis jam familiis atque villis, cùm vel ſupereſſet nullus vel adeſſet communis pater, qui præeſſet omnibus, tum viro alicui, ſpectatæ inter bonos moderationis atque virtutis, ultro deferebant imperium. Nam mutuam

tuam ſocietatem colere, publicámque rem facere ac tueri, etiam privatæ uniuſcujuſque intererat. Nullum enim erat cuiquam ſatis firmum, ſine imperio, contra vim & injuriam præſidium. Ille igitur optimus vir, juſtitiâ domi, fortitudine foris, ubique prudentiâ, publicam rem procurabat, mutuam tuebatur pacem, & cuique reddebat quod ſuum erat. *Nullis populus tenebatur legibus: Arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tuebantur magìs, quàm proferebant. Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.* (*Juſtin.*l.1.) Quot urbes, plerumque, tot reges. Hunc *nativum quaſi gentium morem primus omnium Ninus*, ſive *Nimrodus*, *novâ imperii cupiditate ſuſtulit*; (Idem ibid.) altámque ſui ſeculi quietem claſſico perturbavit. Ejus exemplo, mox & alii aliis in locis, aut ambitione populari, aut armis & vi, tyrannidem occupabant. *Nimrodus*, homo audacis ferocíſque ingenii, giganteâ mole corporis, (ſi *Joſepho* credimus) nec ſuâ, nec humanâ ferè, ſorte contentus, in alias etiam gentes, quantum fieri potuit, univerſas dominatum atque regnum ambiit. *Fuêre quidem* (autore *Trogo*, haud ſcio an fide digno) *temporibus antiquiores*, *Vexores Ægypti rex*, *& Scythiæ Tanaüs*; *quorum alter in Pontum, alter uſque Ægyptum exceſſit. Sed longinqua, non finitima bella quærebant*; *nec imperium ſibi, ſed ſuis gloriam. Nimrodus bella finitimis primus intulit, rudéſque adhuc ad reſiſtendum populos, ad Libyæ terminos uſque, perdomuit.* Creſcente igitur hominum & civitatum numero, tempus opportunum ſuo propoſito adeſſe jam ratus, à rege *Arabum Ariæo*, fratrum aliquo vel cognatorum ſuorum, qui *Arabiam* propè ſolam obtinebant, auxilium petit. *Babyloniam* primò invadit, *Arabiæ* conterminam & *Aſſyriæ*; nobiléſque in ea, *Meſopotamiâ*que proximâ, urbes quatuor, *Babylonem*, *Erec*, *Accad* & *Chalne*. *Erec*, ſive *Arach*, *Edeſſam* fuiſſe ad *Euphratem* fluvium in *Meſopotamia* creditur, quam *Bambycen* & *Hierapolin* quoque vocabant, ubi dea *Syria* colebatur, tantopere à *Luciano* celebrata. Indè *Arectæos* campos habet *Tibullus*, & regionem *Aractenam Strabo*, ut legendum *Joſ. Scaliger* opinatur. *Achad*, ſive *Accad*, *Niſiben* poſtea dictam plerique putant; & indè *Acadenen Meſopotamiæ* partem, quam *Ptolemæus Acabenen* vocat. *Chalne* volunt eam eſſe *Chalanne*, ſive *Chalanno*, apud Prophetas, (*Amoſ.*6.2. & *Eſa.*10.9.) quæ poſtea vel *Seleucia*, vel *Cteſiphon*, eſt nominata, in regione *Chalonitide*: (*Plin.*6.26.) quod *Chalanitide* potiùs legendum *Franc. Ribera* monet, ab hac urbe *Chalne*, ſeu *Chalanne*, quam diximus. His igitur, propter armorum deſuetudinem, non difficulter expugnatis, reliquam deinde *Meſopotamiam* imperio ſuo adjeciſſe facilè, credendum eſt. Ea verò *Babyloniæ* adjacet à Borea, nomen à ſitu nacta, eò quòd inter *Tigrin* & *Euphratem* fluvios media ſit. *Mediamnem*, ſive *Interamnem*, Latinè dixeris. Erat olim diſperſa vicatim, urbe nullâ memorabilis, hæc regio: tamen par ferè huic ſolo ubertas quæ *Babylonico*, eorundem fluminum beneficio, niſi quà ſpectat *Arabiam*. Feraciſſima frumenti *Babylonia*; arborum fructiferarum non item, ficuum ſcilicet, vitium & olearum. Palmas verò ſponte fert, etiam Caryotas; unde cibos, & vinum ſibi, & mel conficiunt, & acetum, variáque opera textilia. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarii, pro pabulo iiſdem in aqua maceratis utebantur paſtores & armentarii. Carmen quoddam *Perſicum* ferebatur, in quo 360 palmæ numerabantur commoda. (*Strab.* 16.) Agricolæ ducena lucrantur, aliquando etiam trecena. Hordei triticíque folia quatuor digitos lata feruntur. *In quam verò altitudinem milium atque ſeſamum arboreſcant*, *etſi probè nôrim*, (inquit *Herodotus*) *non referam tamen*, *nè aliis incredibilia referam.* Atque hanc ille felicitatem terræ flumini tribuit *Euphrati*, non ſuâ ſponte in agros tranſeunti, more *Nili*, ſed ſcrobibus derivato ac tollenonibus. In foſſas enim ſecta eſt univerſa regio; quarum maximæ, ad hybernum ſolſtitium, ſunt capaces navium. Paulò hæc aliter *Plinius*, (18.17.) *Babylone*, inquit, *ſegetem bis ſecant*, *tertiò depaſcunt: alioquin folia tantùm fierent. Sic quoque cum quinquageſimo fœnore reddit exilitas ſoli*; *verùm diligentioribus cum centeſimo quinquageſimo. Neque eſt cura difficilis*, *quàm diutiſſimè aquâ rigandi*, *ut præpinguis & denſa ubertas diluatur. Limum autem non invehunt Euphrates Tigríſque*, *ſicut in Ægypto Nilus.* Eò autem felicior *Ægypto Babylonia*, quoniam rigandi modus, hîc manu temperatur, illic flumini permittitur. Exundat verò hic fluvius ſub initium veris, ubi nives in *Armeniæ* montibus liquefiunt. Lignorum utilium ædificiis magna *Babyloniis* penuria eſt. Nuda enim regio, magna ex parte, frutices tantùm & palmas fert; quod habet cum *Suſiana* finitima commune. (*Strabo* 16.) Bitumen quoque dat, non modò ſiccum, & idoneum ad ædificia, ſed liquidum quoque, ſive Naphtham, quæ flammam admotam facilè corripit, extinguitur difficillimè.

A.M. 1965.

Babyloniam invadit & *Meſopotamiam*;

quæ deſcribuntur.

Sunt

A.M. 1965.

Sunt qui malint, ab initio *Babylonem* tenuiſſe *Nimrodum*; aliáſque tres poſt annos complures, abundante hominum multitudine, in eadem regione urbes condidiſſe; imperium in omnes uni ſibi vendicâſſe; paulatim denique *Meſopotamiam* totam ſubegiſſe armis. Quorum ſententiæ haud equidem valde repugnabo, (nec enim multùm refert,) hoc unum præfatus, ex Hiſtoria Sacra non conſtare, condiderítne primò urbes quatuor, an vi redegerit in ditionem: *Diodoro* autem, profaníſque Autoribus, ea quæ priùs narravi convenire magís. Sic armis & vi potentia *Nimrodo* aucta eſt indies; unde proverbium illud natum eſt, *Tanquam Nimrodus ille venator potens coram Domino. Babyloniâ*que, unde cœpit ejus imperium, apud *Micham* Prophetam (5.6.) *Terra Nimrodi* appellatur.

Idem *Ninus.*

§ 30. Sed hoc in loco nodus mihi explicandus eſt, ex eo natus, quòd *Nimrodum Ninum*, *Nimrodum*, inquam, illum robuſtum venatorem in Sacris Literis, *Ninum* eſſe dixerim, apud Scriptores profanos famigeratum. Cujus opinionis autores me neque multos habere, neque magnos, fateor; *Gerard. Mercatorem* in Chronologia, & *Chronicon Alexandrinum*, (ubi *Nimrodo Aſſyrios* dediſſe *Nini* cognomen traditur,) Autorémque Recognitionum *Clementis*, lib. 4. Mihi tamen ex eo ſatis conſtare videtur, quòd utriuſque geſta, utriuſque tempora conveniant; & *Nimrodus Ninum* urbem, ſive *Nineven*, condidiſſe dicitur. Nec ipſa nomina multùm diſcrepant. De geſtis *Nimrodi* memoratur, eum fuiſſe *potentem in terra*, (*Gen.*10.8.) *& principium ejus imperii Babylonem*, unà cum tribus urbibus vicinis, *Erec*, *Accad*, & *Chalne*. Ità *Diodorus Sic.* (lib.2.) de *Nino*.tradit, ex autoribus proculdubio antiquis relatum, primò illum duxiſſe exercitum contra *Babylonios*; poſtea multis magníſque victoriis amplificâſſe imperium. Utrique igitur initium imperii *Babylonia*; uterque ad ſummam potentiam continuis tandem victoriis provectus eſt. Jam verò, tempora ſi numeres, *Ninum* plerique mortuum tradunt 360 circiter annis poſt Diluvium. *Nimrodus* autem 50 circiter à Diluvio natus eſt. Erat enim natu minimus (ut credibile eſt) *Cuſhi* filius. *Ninum* ergò ſi *Nimrodum* fuiſſe ſtatuamus, annos eum 310 vixiſſe, ſtatuamus neceſſe eſt. At ineptum fuerit, eo brevius *Nimrodo* vitæ ſpatium concedere, *Noachi* ſcilicet pronepoti; cùm alius ejuſdem pronepos, filius *Araphaxadi Sala*, 433 annos vixerit, ejúſque filius *Heber* 464: ut veriſimile ſit, *Nimrodum*, ſi, naturæ uſus beneficio, non immaturâ nece interiiſſet, vitam potuiſſe ad centum annos longiorem producere. Præterea, ſi *Nimrodus Nineven* condidit, quod Interpretes doctiſſimi, *Junius* atque *Tremellius*, ſcripſiſſe *Moſen* arbitrantur; (*Gen.*10.11.) nullus hac in re ſupereſt ambigendi locus. *Ninum* autem ejus fuiſſe urbis conditorem, & omnes docent profani Scriptores, & ipſum nomen arguit. Sic autem narrat *Moſes*, iis Interpretibus; *E terra hac proceſſit in Aſſyriam*, (è *Shinaris* terra *Nimrodus*) *ubi ædificavit Nineven.* Sed quid moratus eſt tam diu (inquies,) homo ferox & ambitioſus, antequam bella inchoaret? Facillimè reſpondetur, defuiſſe urbes quas expugnaret, defuiſſe milites quibus expugnaret, defuiſſe homines quos regeret, defuiſſe arma, defuiſſe artes bellicas, quas armorum uſus nondum pepererat. Quid igitur potuit ambitio, cùm & materia deeſſet in quam ageret, & inſtrumenta quibus uteretur? Et fortaſſe *Cuſhi* patris adhuc imperantis reverentia impedierat. Adverſantur huic opinioni, primò, illi qui *Nimrodum Beli* patrem, avum *Nini*, faciunt *Babyloniæ* regem. Sed horum ſententia conjecturis tantùm nititur, nec iis ſanè probabilibus. Tempora enim illa, ætatéſque hominum longiores, non facilè patiuntur, obiiſſe *Nimrodum* ante imperium *Nini* annis 65, quot *Belus* imperâſſe traditur. Eâ enim ratione vix 200 vixiſſet annos, brevius multò ſpatium quàm pronepotibus *Noachi* tribuendum ſit. Præterea, *Ninus Babylonem* ſubegit armis; patrem itaque, aut avum, *Babyloniæ* regem non habuit. Aut ſi demus hoc Veterum traditionibus, *Cuſhum*, cognomine *Belum*, annis 65, vel 55, præfuiſſe *Babyloniis*; eo, non moriente, ſed in *Suſianam* potiùs, *Arabiam* & *Æthiopiam*, ad reliquos filios atque nepotes diſcedente, quid prohibuit *Nimrodum* arripere imperium, ídque annis 52 tenuiſſe? Nec enim ea tempora ferebant, ut *Noachi* nepotes ante annos vitæ ſuæ quadringentos ferè morerentur. Ut concedamus ergò id quod ſcribit S. *Hieronymus*, (in *Hoſeæ* cap. 2.) *Ninum* ad tantam perveniſſe gloriam devictis *Bactrianis*, ut patrem ſuum *Beli* nomine referret in deum; ex his tamen, alium à *Nimrodo* fuiſſe *Ninum*, non conſequitur. Ii deinde opponunt ſe, qui *Nimrodum* ipſum *Belum* fuiſſe exiſtimant, eúmque *Nini* patrem. Quod etſi argumento eodem, quo prior conjectura, falſi arguatur, uberiùs tamen confutabitur

ubi

ubi de *Belo* tractaturi ſumus. Poſtremò, diſſentiunt vel maximè, qui *Ninum Aſſuri* filium eſſe contendunt, longè igitur alium à *Nimrodo*. (*Lydyatus* A. M. 1772.) At verò id ſi fingamus, dari & hoc oportet, eodem utrumque ſeculo vixiſſe, utpote *Noachi* pronepotem utrumque. Ubi autem potens ille *Nimrodus* fuit, cùm *Ninus*, proximæ ditionis rex, *Aſiam* victoriis peragraret? Aut quâ ratione *Nimrodus* potens in terra dicendus eſt, cùm *Ninus*, eâdem ætate, longè potentior exſtiterit? Aut ſi poſterior *Ninus*, quorſum ab eo exordiuntur hiſtoriæ *Babylonicæ*, quaſi primo humanæ pacis perturbatore, cùm *Nimrodus* & prior, & vulgari proverbio famoſior, in eaſdem gentes dominatus ſit? Quomodo autem potuit illud proverbium tot ſeculis de *Nimrodo* celebrari, ſi *Nini* paulò pòſt, iiſdem in locis, & victorias plures, & latius imperium fuiſſe concedatur? Quare *Ninum* & *Nimrodum* eundem eſſe, niſi quis probabiliora iſtis attulerit, ratum eſto. *A.M.* 1965.

§ 31. *Ninus*, (ſic enim poſthac *Nimrodum* appellabimus,) confirmato in *Babylonia Meſopotamiâque* imperio, ejus propagandi libidine, ulteriùs in *Aſſyriam* quoque ſibi tranſeundum putavit, quæ *Meſopotamiam* claudit ab Oriente, *Tigri* interfluente. Aliquam ejus partem fortaſſe obtinuerat priùs. Indè ſcilicet eum prodiiſſe *Diodorus* narrat. Sed ei pars nimis erat anguſta, cui nè tota ſufficere potuit. Eâ tandem perdomitâ, in *Armeniam* traduxit exercitum. Cùm & illic urbes aliquas aut deditione cepiſſet, aut vi, *Barzanes* rex, impar viribus, donis ſibi potiùs quàm armis certandum ratus, & ſeſe ultro & regnum tradidit. *Ninus* illi regnum reſtituit, commeatu & militibus tantùm imperatis. *Mediam* deinde auctis viribus aggredienti, *Pharnus* occurrit cum exercitu rex. Sed victus prælio, cum uxore & ſeptem filiis, cruci affixus eſt. *A.M.* 1970. *Aſſyriam* ſubigit & *Mediam.*

§ 32. In *Africæ* occidentali parte gens erat muliebri ſubdita imperio. Fœminæ regnum adminiſtrabant; rei familiaris curam agebant viri, nullam reip. partem attingentes. Militabant virgines. Peractis militiæ ſtipendiis, ducebant conjuges, unde ſobolem crearent. Ut primùm erat infans in lucem editus, viris tradebatur lacte aliiſque rebus nutriendus. Fœmellis adurebantur mammæ, nè maturâ ætate militiæ munera impedirent. Indè *Græcis Amazones* dictæ. Inſulam ferunt incoluiſſe magnam, *Heſperiam* à ſitu dictam, & *Tritonidi* paludi vicinam, ſub *Atlante*. Fructibus arborum & pecore gentem hanc abundaviſſe, frumento illis nondum cognito. Cùm autem fortitudine præſtarent *Amazones*, reliquas inſulæ urbes adegerunt ſub imperii ſui jugum, præter *Menam*, quæ ſacra illis habebatur. Indè in Continentem tranſeuntes, *Afros* & *Numidas* vicinos debellârunt, & in ipſo *Tritonidis* lacu poſuerunt urbem: urbi à figura *Cherſoneſi* nomen. *Myrinâ* regnante, in *Atlantæos* tulerunt arma, mitiore quidem ingenio populum, ſed glebâ divite beatum. Habuit in exercitu millia triginta peditum, equitum duo. Arma quibus propulſabant vim, exuvias gerebant ſerpentum; quibus inferebant, arcus, lanceas, gladióſque. *Cercenen* adorti primò, cùm cives effuſos in fugam egiſſent, unà cum turba fugientium illapſæ mœnibus, urbem occupârunt. Quò majorem finitimis terrorem incuterent, atrociùs in victos ſævitum eſt. Viri omnes trucidati; fœminæ cum liberis in ſervitutem raptæ. Hâc vulgatâ clade perculſi *Atlantæi* dedunt ſe omnes, imperata facturi. Cum his ergò non minùs clementer actum. Amicitia initur: diruta *Cercene* reſtituitur, ſed, victricis novo nomine, *Myrina* jam dicenda. Muneribus *Atlantæi* & honoribus publicis cùm ſuam eſſent teſtificati gratitudinem; illa, nè beneficiis magìs vinceretur quàm armis, eorum gratiâ *Gorgones*, vicinam *Atlantæis*, ſed æmulam gentem, armatâ invadit manu. Signis collatis, cruentum fit prælium. Superiores tandem *Amazones*, plurimas hoſtium interficiunt, tribus circiter abductis mancipiorum millibus. In ſaltus erat proximos iis refugium quæ pugnâ evaſerant, abdiderúntque ſe. Gentem univerſam ut deleret *Myrina*, nè quæ fœminæ imperarent præter *Amazones*, igne ſubjecto ſylvam incendere conabatur. Cùm autem res non ſuccederet, intra ſui regni fines rediit. Hîc, ob res bene geſtas, negligentiùs (quod fit) agebantur excubiæ, nullum timentibus hoſtem domi. Idoneum ergò noctis tempus præſtolatæ *Gorgones* captivæ, ſuis *Amazones* gladiis dormientes jugulant. Haud læta longâve illis hæc victoria fuit. *Amazones* enim, ſuſcitatæ mox, undique circumfuſâ multitudine *Gorgones* opprimunt, & ſtrenuè pugnantes ad unam cædunt. Socias mortuas regina ſepelit, tribus magnis aggeribus, qui longo pòſt tempore *Amazonum tumuli* appellabantur. Magnam deinde partem *Africæ* cùm peragrâſſet *Myrina* ſignis victricibus, tandem in *Ægyp-* *Amazones Africanæ.*

tum devenit. Ibi cum *Horo*, in his jam terris rerum potito, fœdus & amicitia con-
A.M. trahitur. Ex *Ægypto Arabiam* bello petit. Multis *Arabum* interfectis, in *Syriam*
1970. profecta eſt. Cùm & *Syros* bello fractos ſubegiſſet imperio, *Cilices* cum donis obvios, quoniam ultro dedidiſſent ſe, liberos juſſit eſſe. Qua ex re in poſterum *Liberi Cilices* vocati ſunt. Subegit validas quoque circa *Taurum* gentes; unde per *Phrygiam* cùm ad magnum mare deſcendiſſet, *Caïcum* flumen ſtatuit victoriarum ac militiæ terminum. Urbes etiam in provinciis, *Myrinam*, *Cymen*, *Pitanen*, *Prienen*, condidit, ſuo & ſociarum nominibus. Et has quidem maritimas. Alias quoque plures in mediterraneis. Nec in terra tantùm, ſed in pelago etiam valuit, ubi aliquas inſulas occupavit, *Lesbum* præcipuè. Hîc, germanæ ſuæ commilitantis nomine, *Mitylenen* conſtruxit. Dum & alias inſulas claſſe perſequitur, magnâ tempeſtate afflicta, & votis Matri deûm pro ſalute nuncupatis, deſertæ cuidam appellitur; ubi per ſomnum admonita, ut eidem hanc deæ, cui ſupplicaverat, dedicaret, aram conſtituit, ſacráque peragit magnifica. Inſulam *Samothracen* vocant. Tandem ferunt *Mopſum* quendam *Thracem*, à *Lycurgo* expulſum, *Sipylúmque Scytham* exſulem, è vicinia, viribus conjunctis, *Amazonum* invaſiſſe fines, & conſerto prælio ſuperâſſe, ipsâ etiam interfectâ *Myrinâ*. De *Myrinæ* tumulo in agro *Iliaco* meminit *Homerus*, (*Iliad.*2.) *Amazonis* quidem, ut ferebant, ſed *Aſiaticæ*, non *Africanæ*. (*Strab.* 12.) Cùm igitur frequentibus vexarentur præliis, ídque annis pluribus, quod reliquum erat *Amazoniæ* gentis in *Africam* ſe retulit. *Hercules* tandem (ut aiunt) *Amazonum Gorgonúmque* nomen in *Africa* delevit, indignum ratus, ſubeſſe fœminis viros. Quin & paludem *Tritonidem*, terrâ motu dehiſcente, abſorptam ferunt. Haud ſcio an *Heſperiam* quoque magnam inſulam idem gurges devoraverit: nec enim exſtat ullibi. Quanquam hæc de *Amazonibus Africanis*, longè antiquioribus quàm erant *Scythicæ*, admodum ſeriò exponantur à *Diodoro*; mihi tamen fidem non facit.

§ 33. *Ninum*, proſperâ fortunâ elatum, cupiditas tandem cepit, totius *Aſiæ* inter
A.M. *Tanaïn* & *Nilum* fluvios potiundæ. Nam ſecundæ res (ut plurimùm) non tam
1975. reſtinguunt ſitim ambitionis, quàm excitant ſpem ad majora capeſſenda. Itaque præſes *Mediæ* datus; ipſe ad reliquam ſubigendam *Aſiam* profectus, omnem eam annis 17, præter *Indos* & *Bactrianos*, in poteſtatem redegit. Nam & *Syriam* & *Ægyptum* & Minorem *Aſiam* adjecit imperio, & communi complexus eſt jugo. Inito cum *Bactrianis* bello, cùm & locorum difficultate & hominum numero tutarentur ſe, ratus, in aliud tempus differre ſatius, quàm perſequi rem opinione majorem, in *Aſſyriam* rediit. *Arabiæ* regem, cujus in his bellis auxilio uſus fuerat, donis ſpoliíſque cumulatum, magnificè in patriam remiſit.

Aſiâ reliquâ potitur Ninus, præter Indos & Bactrianos.

A.M. 1983. *Ægialeæ* ſecundus rex in *Græcia Ægialeo* ſuccedit *Europs*, anníſque imperat 45.
1993. Erat *Nino* imperium ſanè ampliſſimum: Sedes imperii deerat. Itaque urbem condere ſtatuit ampliſſimam quoque, & dignam quæ daret tanto corpori caput. Quod igitur *Babylone* opus non ſucceſſerat ex voluntate, in *Aſſyria* molitur, imperii ſui meditullio. Coactis undique viribus, & his quæ ad tantum ſpectabant opus comparatis, ſupra *Lycum* fluvium urbem ſtatuit, non æquâ laterum dimenſione. Nam duo muri latera longiora ſtadiorum erant 150, breviora ſtadiorum 90. Ambitus 480 ſtadia complexus eſt. Murorum altitudo centum erat pedum, latitudo trium curruum capax. Turres 1500, pedes altæ ducentos, propugnacula murorum ſimul & ornamenta. Operas huic operi non pauciores decem millibus octo ſimul annos adhibuit. Incolere juſſit hanc civitatem, maxima ex parte *Aſſyrios*, & quidem potentiſſimos quoſque. Ex aliis gentibus, ſpontaneos advenas permiſcuit. Denique, ſuum urbi nomen impoſuit *Ninus*; quæ apud ſacros ſcriptores *Nineve* appellatur. Sed & alias idem, in eadem regione, urbes condidit, *Rehobothas*, *Chalachum*, & *Reſenum*. At verò *Ninum*, ut omnium longè maximam, ità imperii *Aſſyriaci* regiam civitatem eſſe voluit. *Nauclerus* (in Chronico) non feciſſe novam, ſed ampliorem ſolummodo, *Ninum* tradit, quæ *Campſor* dicta ſit priùs. Sed vereor ut hoc autoritate ſatìs efficaci tradat. Maximam fuiſſe, (*Jon.*1.2. & 3.3.) poſitam quoque in *Aſſyria* vera, (*Gen.*10.11.) teſtimonio conſtat Divino. Quo autem in *Aſſyriæ* loco poſitam, teſtem ſatis locupletem vix ullum reperio. Adeò mortalia ſunt mortalium opera vel munitiſſima, ut uni omnium quas vidit Sol ampliſſimæ urbium, ſuæ jam perierint ruinæ, ipſáque loci quem obtinuit veſtigia requirantur. *Diodorum Siculum*, qui ad *Euphratem* fluvium collocat, manifeſti erroris omnes arguunt

Nineven condit,

ad Lycum in Aſſyria fluvium;

guunt. In eodem verſatur *Plinius*, & *Herodotus* quoque. Ille, (lib.*6.13.*) impoſitam *Tigri*, ſed ad Solis, ait, occaſum ſpectare, ſeu ripam fluminis occidentalem. Eam verò *Meſopotamia* ſibi vendicat, non *Aſſyria* vera. Hic, alterum ex *Euphrate* flumen exire in *Tigrin* vult, ubi *Ninum* conſtituit. Omnes igitur *Aſſyriâ* excludunt propriâ, cujus *Tigris* in Occidente terminus; nuſquam attingit *Euphrates*. *Ptolemæus*, paulò propiùs ad rem, huic urbi ſedem deſignat ripam *Tigris* orientalem: (*Aſiæ* Tabul. 5.) *Strabo*, (lib. *16.*) *Lyci* fluminis, in *Tigrin* defluentis; quod *Paulus Diaconus* videtur *Zabam* appellare, *Amm. Marcellinus* (lib. 18.) *Anzabam*. *Zaba* verò *Lupum* ſignificat *Hebraïcè*; (quod hoc in loco animadvertit literatiſſimus vir *Nic. Fullerus*, Miſcell. Sacr. *3. 6.*) quemadmodum λύκος *Græcè*. Priores Geographi variant; *Straboni* cum *Paulo Diacono* & *Marcellino* convenit de ſitu *Ninevés*, quorum poſtremus erat etiam oculatus teſtis. Omnes enim hi ad ortum Solis, ultra *Lycum*, ſtatuunt, in *Aſſyriæ* provincia quam *Adiabenam* vocabant, campis latiſſimis uberrimíſque patentem. His igitur potiſſimùm tribuenda fides videtur. Eoſdem fluvios *Zabam* & *Anzabam*, *Diavas* & *Adiavas* apud *Marcellinum* appellari putat *Nic. Fullerus*, vel nominibus indè corruptis, vel ex *Arabica* vicinorum lingua derivatis. Illi enim *Diavas lupos*, *Adiavas hos lupos* demonſtrativè, nominant. Et ex ea voce, [*Adiavas*,] *Adiabenæ* deductum regionis nomen ambo ſtatuunt. Vulgò tamen *Græcum* eſſe malunt, ex eo impoſitum, quòd regio ſit maximis intercluſa & communita fluviis, ut nuſquam adiri vado, aut flumina pertranſiri poſſint. Quare videndum eſt, nè ipſa nomina *Diavas* & *Adiavas*, Zaba & *Anzaba* ex iis corrupta, quæ tantâ *Fullerus* operâ ex *Hebræorum Arabúmque* fontibus eruit, *Græca* ſint potiùs, Διαβὰς & Ἀδιάβας, fluviorum ſcilicet, è quibus alter poſſit vado pertranſiri, alter non poſſit; & ex altero nomen etiam ſolo datum. Neque nomen fluvii *Græcum* eſt Λύκος apud *Ptolemæum*, (lib.*6*.cap.1.) quod *Lupum*, ſed Λευκὸς, quod *album* ſignificat, limpidum ſeu perſpicuum. Sunt qui *Adiabenos* ex eo dictos putant, quòd plerique compernes eſſent, nec poſſent διαβαίνειν, hoc eſt, crura aperire & varicare dum incederent. Ideo & Σαλκόποδας apud *Strabonem* appellatos. Doctè quidem, ut ſolent. Viderint tamen, nè à fluvio potiùs *Adiabas* regioni ſit nomen datum, à regione populo.

§ 34. Regio certè *Aſſyriorum*, etſi non admodum ſpatioſa, plana eſt tamen, & fœcunda, tot fluminum irrigatione. *Lycus* enim, *Caprus*, atque *Gorgus*, fluvii nobiles, mediam pertranſeunt; præter *Tigrin*, qui ab Occaſu excludit *Meſopotamiam*. *Armenos* habent *Aſſyrii* à Septentrione, ab Ortu maxima ex parte *Medos*, & *Suſianos* à Meridie. Nihil habet ſuum hæc regio, & memorabile præter cæteras, niſi quòd montibus careat, & imperii caput *Ninum* teneat, eo fortaſſe conſtructam in loco, ubi *Noachus* ferè centum annos, poſtquam ex montibus *Armeniæ* deſcendiſſet, cum ſuis commoratus eſt. *Aſſyriis* numina eadem ferè quæ *Babyloniis* erant. Primus deorum utriſque *Belus*. Sed *Macrobius*, (Saturnal. 1. 23.) *Aſſyrios*, ait, *deo quem ſummum maximúmque venerabantur* Adad *nomen dediſſe*. *Ejus*, inquit, *nominis interpretatio ſignificat*, Unus. *Hunc ergò ut potentiſſimum adorant Deum. Sed ſubjungunt eidem deam, nomine* Adargatin: *omnémque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terrámque intelligentes. Simulacrum* Adad *inſigne cernitur, radiis inclinatis; quibus monſtratur, vim cœli in radiis eſſe Solis, qui demittuntur in terram.* Adargatis *ſimulacrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt, monſtrando, radiorum vi ſupernè miſſorum enaſci quæcunque terra progenerat.* Hæc *Macrobius*. Memoratur & *Niſroch Aſſyriorum* numen, (2 *Reg.19.37.*) Sed an hujus ætatis numen, incertum, cujúſve poteſtatis fuerit. Si *Pauſaniæ* credimus, (in *Attic.*) primi omnium *Aſſyrii Venerem Uraniam* colebant; *Aſcalonii* deinde ac *Cyprii*. *Adargatin*, puto, vult, quam *Macrobius* Terram interpretatur: alii fortaſſe Lunam potiùs, rerum terrenarum genitricem, ac propterea *Venerem* cœleſtem. Ejuſdem generis habetur *Aſcaloniorum Derceto*. *Venerem*, *Heſychius*, *Delephat Chaldæis* atque *Aſſyriis* dictam, ait, *Babyloniis* autem *Salambo*. Proprium hoc *Aſſyrios* habuiſſe accepimus à *Strabone*, (*16.*) quòd ſingulis tribubus viros præfecerint tres integerrimos, qui puellas nubiles maritis darent, conciente populum præcone. *Ælianus*, (Var. hiſt. 4. 1.) in unam omnes civitatem coactas, ait, & venum expoſitas: quam quiſque emerat, eam ſponſam abduxiſſe. Conjugibus, à coitu manè lavare ſe, perinde religioſum atque à mortuis fuit. Tres erant ordines & conſeſſus judicum, præter inſtitutum à rege concilium: primus eorum qui militiâ jam defuncti eſſent, alter

A.M. 1993.

quæ regio deſcribitur.

S opti-

A.M. 1993. optimatum, ſenum poſtremus. Atque hujus erat, virginum procurare nuptias, atque de adulteriis cognoſcere; ſecundi, de furtis; primi, de vi.

Hoc demum anno ſuum ab hominibus repetere cœpit natura jus. Cæſos enim bello vis abſtulit potiùs quàm natura. Pelegus, *Heberi* filius, *Arphaxadi* pronepos,
A.M. 1996. primus Patrum à Diluvio mortuus eſt, (quantum ex Literis Sacris profaniſve conſtat,) qui à confuſione *Babylonica* primus eſt natus. Annos tantùm vixit 236. Eum anno proximo ſecutus eſt *Nahor* pronepos, *Serugi* filius, annos natus 148.

A.M. 2001. § 35. *Ninus*, conſtructâ ſibi jam urbe regiâ, pro magnitudine imperii ſatìs magnificâ, novum ingentémque in *Bactrianos* exercitum cogit ex variis gentibus; peditum decies & ſepties centena millia, (ſi fas credere,) equitum ducenta, currus verò falcatos paulò minùs decem millibus & ſexcentis. Priore enim expeditione cùm nihil profeciſſet, majoribus ſibi opus eſſe copiis exiſtimavit. *Bactriam*, ſeu *Bactrianam*, ab urbe primaria dictam, ultra mare *Caſpium* in Oriente, ab Occaſu montes à *Margiana* ſecludunt; & alii pariter ab *Aria* & *Paropaniſi* parte ad Meridiem. *Oxum* habet fluvium à Septentrione, quo à *Sogdiana* dirimitur. Oriens eodem flumine clauditur, & *Paropaniſi*, credo, parte apud *Strabonem*. Ad *Emodos* uſque montes *Indiæ* pertingit. Plures eam fluvii penetrant: *Ochus* navigiorum capax, at aquâ ſemper turbidâ & minùs ſalubri. In *Oxum* exonerantur omnes, *Oxus* in *Caſpium* mare. Ambo ex *oppoſitis montibus deferunt ſalis ramenta, quo duo vaſti lacus æſtuant.* (*Plin.* 31.7.) Ampla & temperata regio, ſed & varia: magnis alicubi ſolitudinibus arenarum deſerta; non minùs alibi frugum, paſcuorum, vitium arborúmque omnis ferè generis ferax, præter oleam; metallorum atque gemmarum quoque. *Tradunt, in Bactris* (inquit *Plinius* 18.7.) *grana tantæ magnitudinis fieri, ut ſingula ſpicas noſtras æquent.* Hæc tellus & camelos generat, de quibus in Geographicis. *Oneſicritus* tradebat, *Bactrianos* olim, tum ſenes qui ætate, tum alios qui morbo aliquo penè confecti eſſent, vivos adhuc projeciſſe canibus devorandos, quos indè *ſepulcrales* vocabant. (*Strabo* 11.) & *Euſebius* (Præpar. 1. 4.) ferunt, mulieres *Bactrianas* omni cultûs elegantiâ ornatas fulgentéſque incedere ſolitas, & prodire in publicum: eaſdem, ſine offenſione maritorum, cum ſervis, peregrinis, quibuſvis conſueviſſe. Levioris furti reos conſpuebant *Bactrii*, quos verberabant *Romani.* (*Euſeb.* Præpar. 6. 10.) *Bactrianis* erat mos, ut inter pocula de bellis conſultarent; & ſi quid complacitum erat, merum largiùs infunderent. (*Alex. ab Alex.* 5.21.) Ex quo domiti ſunt *Aſſyriorum* armis, *Medorum Perſarúm*que ſemper fortunam ſequuti ſunt, unà cum vicinis gentibus; niſi quòd poſtremis jam temporibus, *Tartaros* ferunt *Zagatæos* in ſui fines imperii *Bactrianos* alióſque, *Perſico* imperio avulſos, coëgiſſe. Montibus ità clauſa eſt & munita hæc regio, ut neceſſe habuerit *Ninus* exercitum in partes dividere, quò ſe faciliùs per difficiles aditu montium anguſtias inſinuarent. Interim *Oxyartes Bactrianorum* rex, contracto quadringentorum millium valido exercitu, *Nino* in finibus occurrit, admiſſâque in provinciam parte hoſtium de induſtria, congreſſus fundit, & ad proximos uſque montes perſequitur. *Aſſyriorum* jam cæſa erant centum millia, cùm *Ninus* auxilium ſuis laturus adeſt, explicato totius exercitûs robore. Tum verò, multitudine oppreſſi, *Bactriani* cedunt loco, & ad ſuam quiſque urbem propugnandam dilabuntur.

Bactra capit,

Euſebius (in Chronicis) & alii *Zoroaſtrem* appellant *Bactrianorum* regem, quem *Oxyartem* ex *Cteſia Diodorus*; & magum fuiſſe volunt celeberrimum. Ex *Trogo Juſtinus* de eodem, *Primus*, inquit, *artes magicas inveniſſe dicitur, & mundi principia ſiderúmque curſus diligentiſſimè ſpectâſſe.* Itaque *Arnobius*, (lib.1.) *Inter Aſſyrios*, ait, *& Bactrianos, non ſolùm ferro & viribus, ſed magicis quoque artibus decertatum fuiſſe.* Sed magum illum *Zoroaſtrem* plerique *Perſam* fuiſſe tradunt; & multis poſt hæc ſeculis vixiſſe, qui credibilia ſcribunt: de quo alibi eſt nobis differendum.

Erant *Bactrianis* multæ urbes magnæque. Mille à quibuſdam numerantur. Sed una præ cæteris *Bactra*, tum magnitudine tum arce, conſpicua, quam poſtea *Zariaſpam* vocabant; eámque fluvius ejuſdem nominis perfluebat; qui *Bactros*, opinor, antea dictus, urbi nomen *Bactra*, urbs regioni dedit. De hoc fluvio *Lucanus*, (3.)

Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, &c.

Ninus,

Ninus, ubi cepiſſet reliquas, hanc autem, naturâ & arte communitam, vi expugnare non poſſet, obſidionem inſtituit. Aderat in caſtris illi *Syriæ* præfectus *Menon*, cujus uxor *Semiramis* omnibus ætate ſuâ mulieribus & ingenio & formâ præſtabat. Natam *Aſcalone* ferunt, urbe *Palæſtinorum* in *Syria*, incertis parentibus, niſi antiquæ fabulæ habeamus fidem, *Dercetûs* cujuſdam fuiſſe filiam (quæ pro dea illis in locis poſtmodum culta eſt) ex adoleſcentis cujuſdam ſtupro; matrem, peccati pudore, ſe in ſtagnum proximum abjeciſſe, ſed infantem expoſuiſſe priùs in edito quodam & deſerto loco; ibi nutricatas eam, & lacte primùm coagulato, ex propinquis paſtorum mapalibus rapto, poſt annum caſeo, aluiſſe columbas; unde nomen illi datum *Semiramis*: quod *montanam columbam*, *Heſychio* autore, ſignificat; at *Syris Hebræiſque*, *inclytum* atque *excelſum nomen.* Tandem, ex arroſo caſeo perſpectâ re, à paſtoribus inventam eſſe, & regio paſtorum præſidi, cujus nomen *Simma*, dono datam. Eum, liberis carentem, educâſſe pro ſua. Cùm jam nubilis eſſet, eximiâque præ cæteris virginibus formâ, *Syriæ* præfectum *Menonem*, ad recenſendos greges eò miſſum à rege, apud *Simmam* fortè divertiſſe. Ibi virgine conſpectâ, ejus amore ità correptum fuiſſe, ut *Ninum* uſque civitatem ſibi uxorem duxerit, liberóſque duos, *Japatem*, ſive *Hypatem*, atque *Hydaſpem*, ex ea ſuſtulerit. *Menon* igitur cùm ad *Bactra* videret ſibi deſidendum eſſe diutiùs, amoris impatiens, uxorem accerſit in caſtra. Nec moratur illa; novam ſolummodo ad hoc longinquum iter ſibi ſtolam induit, ità comparatam, ut vírne an mulier eſſet haud facilè quis dignoſceret; habilem præterea, & quæ agilitatem corporis non impediret, ab æſtu tamen defenderet. Tam commoda etiam aliis gentibus viſa eſt, ut *Medi*, cùm *Aſiæ* imperarent, *Perſæ*que, ſtolam hanc *Semiramidis* uſurpârint. Eâ imperante, byſſinam quoque inventam fuiſſe veſtem, *Clemens* apud *Euſebium* tradit, (Præpar. Evang. 10. 6.) Cùm veniſſet in caſtra mulier perſpicacis ingenii, magníque animi ſupra ſexum, ſitum urbis & ordinem obſidionis diligenter perluſtravit. Tandem animadvertit, arcem in rupe ardua & excelſa collocatam cuſtodiis nudam eſſe. Neque enim opus videbatur, loco tam à natura munito, & quò nullus patére aditus putabatur, præſidium adhibere: eo partem urbis inferiorem, & campeſtrem, potiùs firmandam exiſtimabant. Aſſumptâ igitur ſibi militum expeditorum manu, eorum præcipuè qui locis ejuſmodi abruptis & inviis aſſueti fuiſſent, per aditum vallis præcipitem ſuperatâ loci aſperitate, arcis partem occupavit. Magno deinde ad terrorem excitato tumultu, arcis captæ ſignum obſidentibus dedit. Arce (ut putabant) amiſſâ, obſtupefacti qui urbem propugnabant, relictis mœnibus, fugâ ſaluti ſuæ conſuluerunt. Urbe captâ, *Ninus*, mulieris virtutem primò, mox formam quoque admiratus, non ſolùm donis cumulat *Semiramidem*, ſed & uxorem ſibi concupiſcit. Cúmque marito perſuadere non poſſet, etſi filiam ſuam eo nomine *Soſanen* ei pollicitus, minis agit; ni pareat ei, ſe oculos eruturum. Hoc perculſus metu, ſimul & amore flagrans, *Menon* laqueo ſibi vitam ſuſtulit, *Nino Semiramidem* reliquit. Ità victoriâ & triumpho duplici rex (ut ſibi videbatur) potitus, & theſauris *Bactriorum*, & *Semiramidis* conjugio, provinciam ordinat, exercitum dimittit, *Ninum* redit.

A.M. 2001.

Semiramidis Aſcalonitidis.

ingenio, quam uxorem ducit.

§ 36. *Noachus* tandem, nongentorum & quinquaginta annorum ſenex, moritur, poſtremus Patrum qui ad annos vitæ prope millenos aſpirârunt. Ætatis præcipitatio facta eſt per Diluvium, (*Bacono* noſtro judice.) Elementa enim exinde, & alimenta corporis humani omnia, corrupta jam & impura, vivacem illam naturæ vim debilitârant;

A M. 2005.

Moritur *Noachus*: humanaque vita contrahitur.

> *Semotique priùs tarda neceſſitas*
> *Lethi corripuit gradum.*

Singulis enim ætatibus, hominum creſcente numero, ætas diminuta eſt; donec tandem, poſt annos, opinor, mille, infra centum annos conſtitit. (*Eſai.*65.20.) Nec enim hæc noſtra tempora multùm ab iis diſcrepant Prophetæ *Moſis*, *Pſal.*90.10. (ut plerique credunt,) qui humanam vitam ſeptuaginta (ut *Solon* apud *Laërtium* 1.14.) octogintáve annis ut plurimùm definiebat. Sic in *Thalia Herodotus*. *Berbiceæ* igitur (apud *Ælianum* Var. hiſtor. 4. 1.) annum ſeptuageſimum egreſſos mactabant viros, fœminas ſtrangulabant. Centum anni pauciſſimis contingunt. (*Ecclus* 18.9.) *Seneca*, (de Brevit. vitæ cap. 3.) *Perveniſſe*, ait, *te ad ultimum ætatis humanæ videmus: Centeſimus tibi premitur annus.* Quare *Seculum Varroni* à *Sene*

dictum videtur, (lib.5. de Lingua Lat.) quòd longiſſimum ſpatium id putârint ſeneſcendorum hominum.

A.M. 2015. *Hycſoſi Paſtores in Ægypto regnant.*

§ 37. Hactenus in *Ægypto* Dynaſtiis decem regnatum eſt, variis in locis, at iiſdem, credo, temporibus; de quibus alibi jam traditæ à me ſunt *Manethonis* reliquiæ. *Ægyptum* Inferiorem *Timaüs* quidam hoc tempore tenebat rex: cùm ex *Arabia* ignobilis paſtorum gens eam partem invaſit non opinantem ex propinquo, & occupavit ſine bello. *Hycſoſi* dicebantur, id eſt, Reges paſtores, vel Paſtores captivi. Regem ſibi *Saltim* præfecêre, qui annis imperavit 19. *Memphitidem* inferiorem ſuperiorémque tributis & præſidiis oneravit, regem fortaſſe non ſuſtulit. Nam ad Orientem *Bubaſtis* fluminis, civitatem *Avarim* in præfectura *Saïte* inſtauravit communivítque, ubi ducenta quadraginta ſuorum millia in præſidio collocavit. Indè in aliarum civitatum reges dominatus eſt, & tributa exegit. Hæc proculdubio decimaquinta eſt apud *Africanum* Dynaſtia, quæ *Paſtorum* quoque dicitur: quam dum ex eodem tradunt *Manethone Joſephus* (lib.1. Contra *Appion.*) & *Julius Africanus*, operæ pretium fuerit animadvertere, immane quantum diſcrepent; ut vel indè pernoſcamus quàm incertæ ſint *Ægyptiacæ* res. Eandem Dynaſtiam ab utroque tradi, ex eo conſtat, quia Paſtorum eſt utraque, & regum ſex; quorum nomina & regnorum tempora in pleriſque ità conveniunt, ut eadem voluiſſe utrumque Scriptorem ſcias facilè, at alterum vehementer hallucinari. Primus rex annis 19 regnaviſſe dicitur ab utroque; ſed ab *Africano Saïtes* appellatur, à *Joſepho Saltes.* Secundus rex *Bæon Joſepho*, *Anon Africano* vocatur: at in imperio 44 annorum uno tantùm anno diſcrepant. Tertius rex *Apachnas Joſepho*, *Pachnan* dicitur *Africano*: ſed apud eum 36 tantùm annos regnat, apud hunc 61. Quartus apud *Joſephum*, *Apophis*, ſexto reſpondet apud *Africanum*, qui *Aphobis* nuncupatur: nam utrique 61 anni tribuuntur. Quintus *Joſepho*, *Janias*, annos regnavit 50, menſ. 1. *Staan Africano* vocatur, & octennio tantùm imperâſſe traditur. Sextus, *Aſſis* apud *Joſephum*, *Arcles* apud *Africanum*, totidem annis utrobique 49 imperat. In *Saïte* nomo ſibi urbem eos communiviſſe ait *Joſephus*, in *Sethroïtide Africanus*. Nec plures aut reges fuiſſe, aut regnaviſſe annos, dicit *Africanus*: at *Joſephus*, primos tantùm ejus Dynaſtiæ fuiſſe, quos nominavit ſex; omnes autem 511 regnaviſſe annos prodit, hos autem ipſos 259, quibus non niſi 241 tribuit *Africanus*.

A.M. 2014.

Anno decimo Paſtorum, quos *Hycſoſos* appellabant, cœpiſſe traditur regnum *Thebanum Dioſpoli* apud *Ægyptios*, quæ Dynaſtia undecima habetur, & in Tomo primo ultima deſcribitur à *Manethone*. Reges ſexdecim annos tantùm 43 regnaverunt.

A.M. 2017. *Nino extincto ſuccedit Semiramis,*

§ 38. *Ninus*, effundendi per ambitionem ſanguinis humani primus autor, hactenus evaſit homicidii pœnas Divinâ conſtitutas lege. Sed,

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Quæ armis acquiſiverat incolumis, non eâdem impunitate retinet. E pluribus quas vi ſubegerat, urbs una defecit ab imperio. Hanc ille dum armis revocat ad officium, ſagittâ ictus interiit. (*Oroſ.* 1.4.) *Semiramidi* reliquit imperium, & ex ea filium adhuc impuberem, *Ninum*, ſeu *Ninyam*, vel (ut aliqui appellant) *Zamem*, & *Zamein.* (*Euſeb.* Chron.) Uxor ei monumentum in regia, terræ aggerem ingentem, conſtruxit, altum ſtadia novem, decem verò latum. Alio modo rem hanc de *Semiramide Juſtinus* ex *Pomp. Trogo* narrat. *Hæc*, inquit, *nec immaturo puero auſa tradere imperium, nec ipſa palàm tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum fœminæ, parituris, ſimulat ſe, pro uxore Nini, filium, pro fœmina, puerum. Nam & ſtatura utrique mediocris, & vox pariter gracilis; figura formæ, lineamentorum æqualitas, matri ac filio ſimilis. Itaque brachia & crura velamentis, tiarâ caput tegit. Et nè novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri jubet: quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet. Sic primis initiis ſexum mentita, puer credita eſt. Magnas deinde res geſſit; quarum amplitudine ubi invidiam ſuperatam putat, quæ ſit fatetur, quémque ſimulâſſet. Neque hoc illi dignitatem regni ademit, ſed admirationem auxit, quòd, mulier, non fœminas modò virtute, ſed etiam viros anteiret.*

A.M. 2020. quæ *Babylonem* condit,

Aſſyriorum ſuſcepto in ſe imperio, *Semiramis*, muliebri ambitione ſuperandi, vel æquandi ſaltem, viri ſui gloriam, *Babylonem*, urbem adhuc modicam, perficere inſtituit: quod *Ninus* ipſe non auſus erat fortaſſe, prodigio linguarum deterritus. *Herennius Philo Byblienſis*, (apud *Stephanum* de *Babylone*) qui *Babylonem* fingit

neſcio

neſcio quem, *Beli* filium, condidiſſe hanc urbem mille octingentíſque annis ante *Semiramidem*, ignoraſſe videtur, urbi eſſe nomen hoc à confuſione linguarum, non à conditore, datum; nec potuiſſe annos mille & octingentos inter *Semiramin* atque Diluvium intercedere. Ea igitur opifices undique accerſit, adhibétque huic operi ex variis gentibus myriadas hominum viginti. *Murum urbi coctо latere circundedit, arenati loco bitumine interſtrato*; (*Juſtin.*) quo fervente cannas etiam inter ſingulos laterum ordines, ad continendam ſtructuræ molem, conglutinabant. *Herodotus* (lib. 1.) & *Plinius* (6. 26.) æqualem *Nino Babylonem* faciunt; cui alter 480 ſtadia, 60 millia paſſuum alter tribuit in circuitu. At *Diodorus* & *Strabo* (16.) majorem fuiſſe *Ninum* volunt. *Babyloni* ambitum 380 ſtadiorum *Strabo*, 365 ſtatuit *Diodorus*. Unus omnium hac una in re modeſtiſſimus *Cteſias*, è minima ſtadiorum ſumma 5 detrahit. Malè igitur *Pauſanias*, (in *Arcadicis*) qui urbium quas unquam Sol vidit maximam fuiſſe *Babylonem* ſcribit. Amicos quoſdam muris ædificandis præfecit, ſingulíſque ſtadium aſſignavit, quorum operâ diligenti factum eſt, ut ſingulis diebus ſingula ſtadia, unóque anno mœnia tota, ſint abſoluta. Turres ducentæ ſolùm & quinquaginta eminebant. Paludes reliqua tuebantur. Murorum altitudo quinquaginta cubitorum *Diodoro*, ſed orgyiarum totidem *Cteſiæ*, quadruplò major, quemadmodum *Herodoto*, (lib. 1.) Latitudo aliquantò amplior quàm ut duobus ſimul curribus ſufficeret; quinquaginta cubitorum autore *Cteſiâ*, ſed regiorum *Herodoto*, quos tribus fuiſſe digitis majores communibus docet. His etiam addit, altâ latâque foſsâ muros, unde orti ſunt, circundatos fuiſſe. Ex terra enim egeſta lateres ducti quibus conſtructa mœnia, in terræ locum ſuppeditante aquam flumine. Centum ait in mœnibus æneas fuiſſe portas, & in ſummo domunculas obverſas unius contignationis, ædificatas ab utroque latere, ſpatio interjecto quadrijugi currûs capaci. Inter murum & ædificia duo ferè jugera pomœrio patebant. A mœnibus regina ad pontem fabricandum ſe contulit, ſtadia quinque longum, pedes latum triginta, ſuper anguſtias *Euphratis*, mediam perfluentis urbem. E cedrinis cupreſſiníſque trabibus, palmarúmque caudicibus, & prægrandibus ramis conſtructum, columnæ ſuſtinebant lapideæ, arte mirâ in profundum jactæ. Diſtabant à ſe invicem pedes duodecim: lapides ferreis uncis & illiquato plumbo compacti. Ad reprimendum aquæ impetum, anguli ſunt columnis præſtructi. Ab utroque fluminis latere murum eduxit, quaſi crepidinem, ſtadia longum centena, pari mœnibus latitudine. Regias juxta flumen, ex utraque pontis regione, duas ædificavit, opere magnifico, unde non modò proſpectum haberet in totam urbem, ſed frænum quoque. Earum altera ſpectabat Orientem, Occidentem altera. Hæc altis mœnibus incluſa, 60 ſtadiorum ambitu. Alius deinde interior circuitus, ubi animantia varia in opere lateritio coloribus ad vivum expreſſa. Hujus longitudo ſtadiorum quadraginta, laterum trecentorum latitudo, denique altitudo quinquaginta orgyiarum; 70 turres. Murus intimus, qui arcem continebat, ſtadia tantùm 30 longus, aliis tamen altior latiórque. Hîc non ſolùm animantia varia, ſed & venatio eorum quæ magnitudine quatuor cubitos excedebant in muris turribúſque ficta cernebatur. Ipſa etiam *Semiramis* ex equo eminus pardalin jaculo feriebat, *Ninus* lanceâ cominus leonem. Tres portæ inerant huic muro, iíſque ſuberant tria ex ære cœnacula, quæ non niſi machinâ quadam aperiebantur. Orientale palatium, ex adverſa fluminis ripa, huic nullo modo par, vel magnitudine vel ornatu, fuit. Triginta ſtadia tantùm muri ambiebant, loco animalium ornati ſtatuis æneis, *Nini*, *Semiramidis*, præfectorum, & *Beli*, *Jovis Babylonii*. Quin & ſtructæ acies, & ferarum venationes, oculis ad voluptatem illic propoſitæ. Viam tranſitúmque inter hæc palatia privatum, ſub ipſo *Euphratis* alveo, hâc ſibi arte commenta eſt. In loco *Babyloniæ* humillimo lacum effodit quadratum, 35 pedes profundum, cujus latera trecentorum ſtadiorum ſingula muro lateritio erant confirmata. Huc averſo flumine, foſſam profundam oblongam duxit inter utramque regiam, ubi conſtruxit fornicem quindecim latum pedes. Tectum ex aſſo latere bitumine decocto oblevit utrinque, ad quatuor cubitorum ſpiſſitudinem. Parietes viginti lateres lati, duodecim alti pedes. Opere diebus 260 perfecto, fluvius in alveum priſtinum revocatus eſt. Portas etiam cuniculo æneas addidit ex utraque parte, quæ ad *Perſarum* uſque regnum duravêre. *Herodotus* (l. 1.) & lacum & pontem *Nitocridi* reginæ tribuit, *Labyniti* (*Nabuchodonoſoris*, opinor) uxori, & alterius *Labyniti* regis matri. Et quo tempore fluvius in lacum derivabatur, alveum flexuoſum fecit, ad retardandam aquarum præcipitantiam: & noctu ſublata quædam pontis tabulata

A.M. 2020.

muros,

pontem,

Regiáſque duas,

A.M. 2020.

& templum *Beli*;

bulata prohibebant, nè, tranſeuntes hinc indè, cives mutua furta exercerent. In urbis medio templum *Belo* conſtituit, ſupremo *Babyloniorum* deo, æneis portis, quadratâ formâ, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine. In templi medio turris eminebat ſolida, craſſitudine ſimul & altitudine unius ſtadii; cui alia turris impoſita, & huic alia ſubindè, ad octavam uſque. Nec abhorret à vero, turrem hanc eam fuiſſe, cujus molitionem primam confuſio linguarum diſturbaverat. Additæ erant ſcalæ forinſecùs, quibus ad ſingulas turres conſcenderetur. In mediis gradibus ſellæ, ubi à laſſitudine qui aſcenſuri erant reſpirarent. In ſummo ſacellum erat, ubi lectus quidem ſplendidè ſtratus, & appoſita menſa aurea, ſtatua verò nulla. Neque illic hominum cuiquam licebat recubare, præter unam ex indigenis fœminam, quam ex omnibus iſte deus, vel dei ſacerdos potiùs, delegiſſet. Sed in templo aliud erat ſacellum inferius, quod magnam habuit ſtatuam *Jovis* (*Beli*, opinor, vult) pone menſam, & ſuſtentaculum cum ſella; quæ omnia, ex auro, *Chaldæi* octingentis talentis æſtimabant. Extra ſacellum altaria duo: minus aureum, ubi hoſtias tantùm lactentes immolabant; aliud ingens, in quo integræ ætatis victimæ immolabantur, & centum millia talentorum libanoti adolebant quotannis *Chaldæi*. Ità *Herodotus*, (l. 1.) At *Diodorus*, de templo hoc certi nihil, ait, affirmari poſſe, ſuâ ſaltem ætate, cùm & Scriptores inter ſe diſcreparent, & opus ipſum vetuſtate jam eſſet collapſum. Summæ tamen altitudinis fuiſſe, ut indè *Chaldæos* ſidera cœlúmque contemplari ſolitos ferant. In ſacello etiam ſupremi gradûs, ex auro malleis educto, ſtatuas fuiſſe collocatas tres, *Jovis*, *Junonis*, & *Rheæ*. *Jupiter*, ambulanti ſimilis, pedes longus quadraginta, mille pendebat talenta *Babylonica*. *Rhea*, ſive *Ops*, æquali pondere, in aureo throno; cujus ad genua duo leones adſtabant, juxtáque prægrandes colubri ex argento, ponderis quiſque talentorum triginta. Denique, *Juno*, talentorum octingentorum ponderis, dextrâ caput ſerpentis tenebat, ſceptrum gemmis ornatum ſiniſtrâ. His omnibus communis erat menſa aurea, quadraginta pedes longa, lata ſeptendecim, talentorum 50 ponderis. In menſa duo carcheſia talentorum 30, totidémque thuribula trecentorum. Crateres etiam aurei tres: quorum qui dicatus *Jovi* talenta pendebat 1200; reliquorum uterque 600. His ſpoliis poſtea *Perſarum* reges potitos. Mihi tamen hæc *Diodori* de ſtatuis admodum ſuſpecta ſunt. Quid enim *Babyloniis* cum *Græcorum* diis, *Jove*, *Junone*, *Rhea*, non niſi poſt hæc demum tempora natis? Religionis tamen apud *Babylonios* vel inprimis habitam eſſe rationem conſtat. Procuratio religionis erat iis demandata quos *Græci Latini*que, gentis totius nomine, *Chaldæos* appellabant. Ut ſacerdotes apud *Ægyptios*, ſic hi apud *Babylonios*, & ſacris vacabant, & literarum ſtudiis, Aſtronomiæ præſertim & Aſtrologiæ genethliacæ; interim à publicæ rei cura liberi ac immunes. Quin & inani apud vulgum gloriâ incenſi, & præſtigiis malorum Dæmonum incitati, alias artes tandem, divinandi, ſignificandíque futuras res, etiam in caſu & fortuna poſitas, commenti ſunt. Cùm pecudes mactarent in ſacrificiis, exta præcipuè obſervabant, unde ariolabantur; hinc Aruſpices nati. Ex volatu garritúque avium conjiciebant futura; indè Auguria, & Auſpicia. Monſtra quoque interpretabantur, & ſomnia. Nec prædicebant modò futuras res, verùm ſacrificiis, expiationibus & incantamentis quibuſdam, tum bona conciliabant, tum averruncabant mala. Harum diſciplinarum principia quædam filiis ſuis tradebant parentes; filii majorum inventis aliquid ſemper addebant de ſuo; donec tandem vaniſſimarum rerum quædam Artes prodierunt: è quibus Aſtrologia, etiam noſtris temporibus, inter *Chriſtianos* (prô pudor dolórque!) ſuos reperit cultores. In prædictionibus plurimum deferebant Planetis, quos propterea *deorum* vocabant *Interpretes*. Solis defectionem, unde ſit, terræque forma qualis, non ſatìs videntur percepiſſe. Hanc enim cavam, ſcaphæque ſimilem, putabant: illam prædicere, vel non poterant, vel non audebant. Primi omnium *Indi* & *Chaldæi* hominum animos immortales dixerunt. Eos ſecuti *Græcorum* Philoſophi, *Plato* inprimis. Tranſmigrationem *Pythagoras* prior ab *Ægyptiis* acceperat. De principiis autem rerum ità ſtatuebant: (*Diodoro* teſte, lib. 2.) Æternum fuiſſe mundum hunc, principio carentem & fine. Ordinem verò & ornatum Univerſi divinâ quadam providentiâ conſtare. Ea igitur quæ in cœlo fierent, non caſu accidere, ſpontéve ſuâ, ſed rato certóque deûm conſilio gubernari. *Alexander Polyhiſtor* (apud *Euſebium* in Chronicis) ità hæc narrat ex *Beroſo Chaldæo*: Chaos quoddam ab æterno fuiſſe, aqueum & tenebroſum. Illic mira, mixtáque hominum omniúmque ferè animalium, volitâſſe monſtra. Quibus fortaſſe volebant ſignificari confuſa illa,

cujus ſacerdotes *Chaldæi*.

Chaldæorum artes vanæ,

doctrináque de principiis rerum, traduntur.

con-

A.M. 2023.

——congeſtáque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum. (*Ovid.*Met.1.)

Fœminam his omnibus imperâſſe *Omorcam.* Aut Mare, aut Lunam, denotare hanc vocem ferunt. *Omorcam* verò *Belum* diſſecuiſſe mediam; indè cœlum & terram prodiviſſe: de quo idem Poëta,

——Quiſquis fuit ille deorum,
Congeriem ſecuit, ſectámque in membra redegit.

Eundem homines, animantiáque bruta, & in cœlo ſtellas, condidiſſe. Ex genere humano, primum regnâſſe *Alorum*, ſaros decem; (ter milleni ſexcentíque anni *ſarum* illis conficiebant;) *Alaſparum*, ſive *Alaparum*, ſaros tres, *Amelum* 13, *Amenum* 12, *Metalarum* 18, *Daüm*, ſive *Daorum*, 10, *Ædorachum* 18, *Amphin* 10, *Otiarten* 8, *Siſuthrum* 18. Hâc ætate contigiſſe Diluvium, decimâ ſcilicet ab initio rerum: quod Sacris etiam Libris conſentaneum eſt. *Siſuthrum*, à *Saturno* monitum, Arcam eſſe fabricatum, ubi genus humanum ac belluinum ab internecione conſervatum ſit. Egreſſum ex Arca, monuiſſe tantùm ſuos, (aderat uxor, & filia, præfectúſque navis,) *Armeniam* fuiſſe terram illam in quam deſcendiſſent; libros, & monumenta rerum præteritarum, in urbe *Sippari*, ſacra Soli, reconditos, petendos indè, ac generi communicandos humano. Hæc locutum, ſacráque operatum diis, evanuiſſe. Vocem protinus auditam è cœlo, ut religiosè deos colerent. Ablato *Siſuthro*, qui ſupererant, cùm ſacra diis ritè peregiſſent, *Sipparin* adiiſſe, libros, & quæ alia iſthîc abdita latebant, eruiſſe; templa & urbes tandem, inprimis *Babylonem*, inſtaurâſſe. Sed multis ante Diluvium ſeculis tradunt iidem Autores, *Oannem*, ſive *Annedotum*, formâ hominis atque piſcis confusâ monſtrum, è Rubro mari prodiiſſe, literas Artéſque omnes docuiſſe *Chaldæos*, templa etiam ponere diis, urbes conſtruere, ſancire leges, & quæ alia videbantur humanæ vitæ maximè profutura. Eundem ea conſignâſſe literis, quæ de primordiis rerum ſuprà memoravimus. Poſtquam tradidiſſet hæc, eò unde prodierat mox deſcendiſſe. Plura ejuſdem generis monſtra *Pentabiblum* adveniſſe, quæ *Chaldæorum* civitas erat eo ſeculo primaria; quatuor autem ſimul *Daoro* imperante, *Ædoracho* rege, *Odaconem.* Hæc *Beroſus:* ubi veſtigia quædam agnoſcas, ſed turbata obſcuráque admodum, Hiſtoriæ Sacræ. Scripsêre *Chaldæi*, duas quoque poſt Diluvium Dynaſtias fuiſſe *Babylone*, annis 440, *Nini* priores imperio.

§ 39. Poſt *Ninum*, de religione *Babyloniorum* & moribus feruntur hæc. Summum illis numen fuiſſe *Belum*; (cui templum à *Semiramide* poſitum diximus;) quemadmodum *Græcis Jupiter.* Et ejus oraculum *Chaldæi*, ut *Græci Delphicum*, celebrabant. Quis autem iſte *Belus* fuerit, dubia res & controverſa. Multi regem *Babyloniorum*, & *Nini* patrem, fuiſſe volunt, *Nimrodi* filium, qui *Babylonem* condiderit, loca humiliora *Babyloniæ* ſiccaverit, & à poſteris habitus pro deo cultúſque ſit, filio conſecrante *Nino. Pererius* (in *Gen.*) & alii, *Nimrodum* ipſum fuiſſe opinantur. *Euſebius*, (in Chronico,) primum *Aſſyriorum* regem, *Nini* patrem, deúmque conſecratum ab *Aſſyriis.* At verò *Nini* patrem, *Babyloniorum* regem, *Diodorus* atque *Trogus*, diligentiſſimi antiquitatis ſcrutatores, nullum reperiunt. *Ninum* ipſum, ſcilicet, primum aſſerunt in *Aſia* regnaviſſe, de quo literis aliquid memoriæque ſit mandatum. Quid quòd *Babylonem Diodorus* tradit à *Nino* ſubactam, non relictam à patre? Ipſum verò *Nimrodum* fuiſſe *Belum* hunc, quod *Pererius* contendit, id vel ex eo ipſo refellitur, quo *Pererius* maximè argumento ad ſtabiliendas ſuas partes nititur: *Facta*, inquit, *utriuſque congruunt*, *ingenia*, *mores. Uterque fuiſſe traditur ferocis ingenii*, *crudelis animi*, *inſatiabilis imperandi cupiditatis*, *vel ad tyrannicam uſque dominandi violentiam.* Ut hæc omnia vera ſint de *Nimrodo*; de *Belo* nihil. Hoc unicum *Abydenus* ei tribuere videtur, (apud *Euſebium*, Præparat. 9. 41.) *Chaldææ* regionem, aquis ferè contectam, ſiccaviſſe, & condidiſſe *Babylonem.* Itaque *Lud.Vives* (in *Auguſt.* de Civit. Dei 16. 3.) eum ait modico fuiſſe imperio contentum, bellaci tantùm filio inclytum. *Plinius*, (6.26.) at ſolus, tradit, ſideralis eum ſcientiæ inventorem fuiſſe, ac eo ſcilicet beneficio divinitatem aſſecutum. Apud *Diodorum* (lib.1.) gloriantur *Ægyptii*, *Belum*, *Neptuni* & *Libyes* filium, *Babylonem* in *Chaldæa* ex *Ægypto* traduxiſſe coloniam, & ſacris literíſque inſtituiſſe *Chaldæos.* Sed *Ægyptiorum* eſt hoc dandum levitati, gentium clariſſimarum origines arrogantium ſibi. Ex hoc tamen *Pauſanias* (in *Meſſen.*) *Beli* nomen *Jovi* additum vult,

Babyloniorum Religio.

Belus,

ab

A.M. 2020.

ab eo qui templum *Jovi Babylone* ſtatuit primus. Imò *Jovis* nomen *Belo* eſt additum potiùs: quippe *Belum* noverant, *Jovem* ignorabant, deum *Græcanicum*, *Babylonii.* S. *Hieronymus*, (lib.1. in *Hoſeam*) *Ninum*, ait, cùm *Zoroaſtrem* magum, *Bactrianorum* regem, prælio ſuperâſſet, in tantam perveniſſe gloriam, ut patrem ſuum *Belum* retulerit in deum. S. *Ambroſius*, (in Epiſt. ad *Roman.* cap. 1.) *Ninum*, ait, ad ſtatuam *Beli*, ſui patris defuncti, aſylum ſupplicibus aperuiſſe: cujus beneficio, qui ſcelerum ſuorum pericula evaſiſſent malefici, eum pro numine colebant; mox & alii. *Sanchuniatho*, antiquiſſimus *Phœnicum* Theologus, *Belum Saturni* filium, atque *Jovem* fuiſſe ſcribit: (*Euſeb.* Præpar. 1.10.) ut à *Semiramide Babylonem* traductus è *Phœnicia* hic deus videatur. *Servius*; El *Aſſyriis*, *alii* Hel *ſcribunt*, (*unde Græcorum* Ἥλιος,) *Phœnicum linguâ ſignificare Solem ferunt. Indè* Bel *factum*, *ſeu* Bal, *&* Baal, *tributum Soli nomen*, *deo certè Aſſyriorum Babyloniorùmque*, *necnon Phœnicum*, *ſacratiſſimo.* At verò extra omnem eſt aleam poſitum, *Bel Chaldæis*, *Bal*, ſeu *Baal*, *Phœnicibus*, appellativum eſſe, ac *dominum* ſignificare. Unde *Hannibal*, *Haſdrubal*, *Adherbal*, dominorum ſeu principum virorum nomina apud *Pœnos*, ex *Phœnicibus* oriundos. Unde *Baal-zebub*, (2 *Reg.*1.6.) *Beelzebub*, (*Matt.*19.25.) *Ecronitarum* deus, *dominus muſcarum*; *Baal-peor*, (*Num.*25.3.) *deus*, vel *dominus*, *montis Peor*; *Baal-zephon*; & alia ejuſmodi *Syriacarum* gentium idola. Aptiſſimum certè Deo *Domini* videtur nomen, quod in Sacris etiam adhibetur Literis frequentiſſimè. Ac, ſi *Beroſum* audiamus, (quem verò potiùs de *Belo*, quàm *Beli* ſacerdotem?) cœli ac terrarum Opifex Deus hoc *Beli* nomine primò celebratus eſt, in *Omorcæ* fabula. Utrùm poſtea vel Solem, *Jovem*, *Saturnum*, *Martem*, (habent enim ſinguli ſuos patronos,) vel avum patrémve *Nimrodi*, ſeu *Nini*, hoc deſignârint nomine, vel ex iis aliquem quos impii ac profani homines coluerunt pro diis ante Diluvium, equidem probabili conjecturæ vix reperio locum, ex omnibus iis fabularum *Chaldaicarum* quæ ſuperſunt reliquiis. Solem profectò (ſive *Belum* hunc vocârunt, hoc eſt, *dominum*, ſeu *Rach*, id eſt, *regem*, utpote Planetarum ſtellarúmque omnium principem,) divino cultu proſecutos eſſe *Chaldæos*, necnon *Aſſyrios*, *Phœnices*, *Perſas*, ac omnes propè gentes, id verò Sole ipſo clarius eſt. Ejus *Babylone* ſacerdotes *Rachiophantæ* nominabantur. Quoniam verò animales dii (quos vocant) in ipſis naturalibus colebantur ab Antiquis; credibile eſt, unà cum Sole, *Nini* patrem eodem *Beli* nomine cultum fuiſſe à *Chaldæis Aſſyriiſ*que; ut apud *Ægyptios Oſiris*, & *Apollo* neſcio quis in *Græcia*. *Xerxem Strabo* (lib.16.) feciſſe ait *Beli* ſepulcrum; *Ælianus*, aperuiſſe: (Var. hiſtor. 13.3.) Templum ei condidit *Semiramis*. Hominem ergò fuiſſe, ſepulcro demonſtratur; templo, deum. Et *Belum* dignitatis (ut *Pharao* apud *Ægyptios*) vel divinitatis fuiſſe nomen potiùs quàm perſonæ, ex eo poſſe colligi videtur, quòd & nepos *Nini*, *Arius*, *Beli*, ſeu *Baalis*, nomine, ab *Aſſyriis* pro deo conſecratus cultúſque ſit. (*Joan. Antiochen.* & *Suidas* in *Thuras.*) Hactenus de *Belo.*

Nego, *Sacha*, & *Mylitta*, dii.

Alius erat *Babyloniis* deus, *Nego*, ſive Ignis; qui luce caloréque Soli cognatus videbatur. *Chronici Alexandrini* Autor, *Nimrodum*, ait, ſive *Ninum*, primum inſtituiſſe cultum ignis. Ac pro ſymbolo forſan ejus dei cœleſtis hunc ejus affinem, & quaſi vicarium in terris, habuerunt. Duas præterea deas coluêre, *Sacham*, & *Mylittam*. *Sacham*, Tellurem interpretantur; *Mylittam*, *Venerem*, ſive Lunam: nam Chaldaïcè *genitricem* ſignificare fertur. *Sachæ* Saturnalia quædam celebrari ſolita, medio circiter *Auguſti* menſis, poſtquam omnes terræ fructus collegiſſent in horrea ope operâque ſervorum. Tum enim, diebus quinque continuis, imperare ſervis permiſſum, domini famulabantur & parebant. Servorum princeps, veſte indutus regiâ, *Zoganes* appellabatur; feſtum, *Sacea*. (*Athenæus* Deipnoſoph. 14. ex *Beroſo.*) Sed *Heſychio Seches*, *Babyloniorum* deus, *Mercurii* ſtella eſt. Sacra *Mylittæ* pudendo more peragebantur. Mulieres oportebat omnes, ſemel duntaxat in vita, libidini alienæ proſtituere ſe. Pro templo *Veneris* conſidebant, comptæ quantum poterant ornatæque. Accedebant adulteri, conjectâque in ſinum pecuniâ, ſeducebantur in penetralia, præfato eo qui abduxerat, *Imploro tibi Mylittam hoc munere.* Nec pecuniam repudiare ſacram, quantulacunque foret, hominémve, qualiſcunque, licebat. Pulchriores ocyùs abſolvebantur, tardiùs deformes; quæ, nonnunquam, annos aliquot exſpectabant anxiè aliquem *Priapum*, qui damnoſâ miſeras levaret caſtitate. Nec enim niſi adulteratis diſcedere fas erat. Poſt hæc, nullo pretio licuit vendere pudicitiam. (*Strabo* lib.16.) Et *Cypriis* alicubi *Herodotus* (lib.1.) morem hunc tribuit. Quod 2 *Reg.*17.30. ſcribitur, *Babylonios* in *Samaria* idolum ſibi patrium ſtatuiſſe *Succoth-*

Benoth:

Benoth : id doctiſſimus *J. Seldenus* (lib. 2. de Diis *Syris*, cap. 8.) ad hanc referendum eſſe *Mylittam* putat; nec tam ejus numen propriè, quàm templum ſignificare, *A.M.* ſive muliercularum tabernacula. A *Benoth* etiam *Venerem* Latinè dictam potiùs *2020.* opinatur, quàm ex eo, quòd ad omnes *veniat*; à *Succoth Benoth*, *Siccam Veneream* in *Africa* Minore coloniam appellatam. Haud improbabili ſanè conjecturâ, hoc unum ſi conſtaret modò, unde *Romanis*, longè diſſitis, tantum eſſe potuerit cum gentibus *Aſiaticis* linguæ commercium; iis præſertim temporibus cùm *Venus* primùm in templa *Romanorum* eſt recepta, & hoc donata nomine. *Valerius* quidem *Max.* (1. 6.) *Siccæ* fuiſſe tradit propè ſimilia *Mylittæ* ſacris *Babylone*; ut hinc in *Phœniciam*, indè in *Africam* tranſlata, unà cum nomine *Veneris*, videantur. Sed videamus, nè *Veneris* nomen (undecunque ſacra devenerint, ex *Aſſyria*, *Cypro*, aut *Babylone*,) petendum ex *Græcia* ſit potiùs, unde religionis *Romanæ* pars maxima. Nec alia certè dea Βίνος apud *Suidam* videtur, quàm *Latina Venus*, ἀπὸ τοῦ βινεῖν, *à coëundo.* Libro *Baruchi*, 6. 43. eum derideri morem in *Mylittæ* ſacris, facilè credamus. Mulierculas dicit in vicis proſtitiſſe apud *Chaldæos*, vinctas funiculis: ſtupratas autem objicere integris ut probrum ſolitas, quòd haberentur indignæ quæ ruptis funiculis violarentur à viris. Adeò has fœminas ipſius pudebat pudicitiæ. De funiculis etiam *Strabo* (l. 16.) meminit. Habent nomina inter *Babyloniorum* deos, & *Nebo*, (*Eſa.* 46. 1.) & *Merodach*: (*Jer.* 50. 2.) ſed nomina ſolummodo.

Religione monſtratâ, de moribus etiam *Babyloniorum* peculiaribus annotare pauca non pigebit. Mores eorundem. Nubiles quotannis virgines publicâ præconis voce locabantur viris. Ex pecunia quæ formoſis pretium erat, deformioribus conflabant dotes. Alius erat mos, ægrotos in forum deferendi. Nec enim utebantur medicis. Nemini autem præterire licuit, niſi morbo explorato priùs, & indicato, ſi quod expertus noverat, remedio. Capita *Babylonii* mitris ornabant, unguentis toto corpore delibuti. Annulum ſignatorium geſtabant ſinguli, & ſceptrum, cui ſemper aliquod affixum erat inſigne; aquila, malum, roſa, lilium, aut aliud quiddam ejuſmodi. Iſta quidem *Herodotus*, & indè *Strabo*. *Beroſus*, *Chaldæorum* hiſtoricus, (apud *Joſephum*, lib. 1. Contra *Appion.*) *Græcos* reprehendit Scriptores, quòd ea tribuerint *Semiramidi*, quæ *Nabuchodonoſoris* erant opera, mille quadringentis ferè pòſt annis. Sed nihil obſtat, quò minùs & *Semiramis* condere potuerit *Babylonem*, & *Nabuchodonoſor* multorum ſeculorum ruinas magnificentiùs inſtaurare.

§ 40. Conditâ *Babylone*, *Semiramis* alias ad *Euphratem* atque *Tigrin* civitates, & in his emporia conſtituit, mercium ex *Media* & aliis regionibus per hos fluvios *A.M.* deferendarum *Babylonem*. Ex *Armeniæ* quoque montibus lapidem eruit 135 pe- *2026.* des longum, 25 latum, craſſúmque. Hunc, magnâ vehiculorum multitudine ad Aliis ad flumen perductum, navíque impoſitum, *Babylonem* detulit, & in via celeberrima, *Euphratem* ſummâ ſpectantium admiratione, ſtatuit Obeliſcum. Navigia verò, quæ ſecundo atque *Tigrin* conflumine deſcendebant ex *Armenia* in *Babyloniam*, orbiculata fuiſſe inſtar clypei, ſcribit ſtitutis *Herodotus*, è ſalicibus compacta, & circundata pellibus. Singula viri gubernabant emporiis. duo; quorum alter attrahebat introrſum, alter extrinſecùs propellebat. Maxima ex his 5000 talentorum ferebant. Merces *Armenorum* præcipuæ dolia erant referta palmularum vino. Aſinus inerat ſingulis, majoribus plures; quibus navium pelles, diſtractis mercibus, imponebant, unde, reduces in *Armeniam*, rates inſtruerent ſibi novas. Navigari enim adverſo flumine, aquarum impetus non tulit. Reliqua navium materia vendebatur *Babylone*.

Telchin, ſeu *Telchines*, *Ægialeæ* tertius regnat in *Græcia*, poſt *Europem*, an- *A.M.* nis 20. *2028.*

Semiramis, cùm opera jam abſolviſſet omnia quæ *Babyloniam* ornarent, magnis 2030. inſtructa copiis, movet in *Mediam*, ad montem *Bagiſtanum*, *Jovi* (opinor, *Belo*) ſacrum. Ibi hortum, in patente campo, 12 ſtadiorum ambitu complexa eſt. Fons in *Mediam* magnus planitiem irrigabat. Imminebat verò mons, ſaxis præruptis, altus ſtadia caſtra movet *Semi-* 17. Radicibus *Bagiſtani* abraſis, imaginem ſuam inſculpſit, 100 ſtipatam ſatel- *ramis*. litibus. Ipſi quoque rupi *Syriacis* inſcripſit literis, *Semiramis jumentorum ſuorum ſarcinis in altum congeſtis & cumulatis, ex plano in juga montis evaſit.* Motis indè caſtris, ad *Chaonem* acceſſit, *Mediæ* quoque urbem. Hìc, in edito quodam campo, celſiſſimam animadvertit rupem, quam horto etiam circundedit immenſo. Ipſi rupi ſedes ædéſque ſuas impoſuit, ad voluptatem quantiſcunque ſumptibus comparatas; unde amœniſſimum hortum inferiùs, exercitúmque in campis metatum

caſtra, cum delectatione ſumma deſpiceret. Hoc in loco deliciis perfruitur omni-
A.M. 2030. um generum, eóque diutiùs commoratur. Legitimo conjuge abſtinuit, nè fortè regno excuteretur. Virorum conſuetudine non abſtinuit; ſed militum formoſiſſimos quoſque ad ſtuprum admiſit, & protinus è medio ſuſtulit. Sed & equum adamatum à *Semiramide* uſque ad coïtum, *Juba* autor eſt, inquit *Plinius*, (8.42.) Adeò in ſumma fortuna pronum eſt intemperantiùs laſcivire, ubi nulla Divini Numinis cohibet reverentia. Propter inundationem *Euphratis*, aggeres exſtruxit ingentes; (*Herod.*1.) quos *Julius Africanus* mœchorum ait ſepulcra fuiſſe, quos, concubitu ſatiata, vivos ibi coöperuit. Verſo deinde ad *Ecbatana* itinere, metropolin *Mediæ*, *Zarcæus* occurrit mons; magnus ille quidem, multíſque in locis abruptus & præceps. Itaque viam aut impeditam invenit regina, aut magno circuitu longam. Ut hîc igitur monumenta relinqueret ſuæ magnificentiæ, perrupit ſaxa, tumulos altiores dejecit, valles congeſtâ terrâ complanavit, viam denique brevem atque expeditam reddidit, *Semiramidis* nomine multis poſtea ſeculis nobilem. *Ecbatanis* regiam ædificavit magnificam. Sed, campeſtris urbs, fontium penuriâ & aquarum laborabat. Aberat 12 ab urbe ſtadiis *Orontes*, 25 ſtadiis altus mons; cujus ab altera parte ingens palus in fluvium vicinum exonerabat ſe. Foſſam igitur ad radices montis, altam pedes 40, 15 latam, ad urbem uſque perduxit, & in hanc è lacu traduxit amnem. *Media* verò ampliſſima eſt regio, duabus vicinarum quibuſvis par: nam ſingula ejus latera aliæ non niſi conjunctæ regiones æquant. Majorem habet *Armeniam* & *Aſſyriam* ab Occidente, *Hyrcaniam Parthiám*que ab ortu Solis, *Perſiam* atque *Suſianam* à Meridie; ad Septentrionem denique *Hyrcanum* eſt mare. In partes olim dividebatur duas. *Atropanem*, ſive *Atropatiam*, ad mare *Caſpium*, ab *Armenia* ſeparat fluvius *Araxis*. Reliqua pars longè major, ubi totius caput *Ecbatana*, quæ jam *Tauris* vocantur, & *Turcis* parent. Plaga meridionalis opulenta, vini frumentíque ferax & pecorum. Septentrionalis vix quicquam, præter arbores quaſdam frugiferas & ferinas carnes, edit, frigida, & montibus confragoſa. Malus *Medica* (*Plinius* 12. 3. *Aſſyriam* vocat, *Latini Citream*) venenis mederi putatur. Fructibus nunquam caret, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, ſubnaſcentibus aliis. Ejus grana incoquere ſolebant eſculentis, commendandi halitûs gratiâ. Hinc aliæ gentes tranſtulêre ad ſeſe, propter remedii & odoris præſtantiam. Sed, niſi apud *Medos* & in *Perſide*, tanto proventu feracem eſſe nullibi ferunt. Hæc de regione *Medorum*. De populo ibi fortaſſe opportuniùs dicetur, ubi geſta gentis occurrent prædicanda.

A.M. 2040. Ex *Media Perſiam*, aliáſque imperii ſui provincias, adiit *Semiramis*, & perluſtravit. Ubique itinera & vias publicas explicuit, urbes condidit; ducibus in itinere extinctis ſepulcra poſuit; tumulos congeſſit, unde omnem exercitum è ſuis tentoriis eminus deſpiceret; denique, animi ſui maximi & potentiæ veſtigia exſtare voluit ubique: nec ea preſſa leviter, ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa (quantum potuit) ad memoriam omnium ſempiternam. Nunc credibile eſt *Arachoſiam* condidiſſe, in regione ac fluvio ejuſdem nominis; quam quidam *Phoclin* dixêre: (*Plin.* 6. 23.) & *Melitam* in *Cappadocia*, haud procul *Euphrate*. (*Plin.*6.3.) In *Sogdiana* denique, inter *Oxum* & *Jaxartem* fluvios, aras poſuit, imperii ſui terminos. (*Plin.*6.16.) Neque omittendum videtur, quod *Valerius Maximus* (9.3.) geſtum refert, quo tempore geſtum non refert. Cùm *Semiramidi*, circa cultum capitis ſui occupatæ aliquando, nunciatum eſſet, *Babylonem* defeciſſe, alterâ parte crinium adhuc ſolutâ, protinus ad eam expugnandam accurrit; nec priùs decorem capillorum in ordinem, quàm tantam civitatem in poteſtatem ſuam, redegit. Quocirca ſtatua ejus *Babylone* poſita eſt illo habitu, quo ad ultionem exigendam, celeritate præcipiti, tetendit.

aliáſque provincias Aſiæ;

A.M. 2051. *Apis*, *Telchinis* filius, *Ægialeæ* quarto loco regnâſſe dicitur ann. 25. Ab eo peninſulam denominatam ferunt *Apiam*: quanquam hoc ab aliis *Apidi Argivorum* regi (de quo poſtea) tribuatur. *Æſchylus* (in Supplicibus) *Apin* (opinor hunc) Ἰατρόμαντιν ait fuiſſe, ac beſtiis regionem noxiis purgâſſe: cujus beneficii causâ, *Ægialenſes*, ab eo, regionem deinde *Apiam* denominâſſe.

A.M. 2053. § 41. Poſt annos aliquot *Semiramis* ex *Aſia* in *Africam* tranſiit; ubi cùm *Ægyptum* omnem pervaſiſſet *Libyæ*que partem, ad *Hammonem Jovem* divertit, de obitu ſuo conſultura. Oraculum ei datum eſt, fore ut ex hominum tolleretur conſpectu, & honores in *Aſia* divinos apud aliquas gentes tum demum adipiſceretur, cùm filius ei

deinde in Africam:

Ninyas

Ninyas inſidias ſtrueret. Hinc, *Æthiopiæ* cùm aliqua loca ſuo adjeciſſet imperio, in *Aſiam* rediit, & in *Bactriam* recepit ſe. *Plutarchus* (de Fortun. *Alexand.* Orat. 2.) *Semiramidem* ait, Rubrum mare circumvectam, *Æthiopes* & *Arabes* ſubegiſſe. Hîc, nè quid Lectores minùs intelligant eorum quæ modò ſunt à me dicta breviter, de Oraculis uberiùs, de *Æthiopia* quoque ac *Libya*, mihi differendum putavi. *A.M.* 2050.

Ultra *Ægyptum*, ad *Africam* uſque Minorem, *Libya*, quam Exteriorem vocant, Mari mediterraneo adjacebat. A *Syrti* magna ad *Ægypti* fines patebat, circiter ſeptingenta & quinquaginta mill. paſſ. A Meridie, ſolitudines arenarum vaſtæ inhumanæque, nihil tolerantium præter feras & monſtra. Per intervalla tamen & ſparſim, nunc fontium ſcatebræ, nunc paludes magnæ, humoris nexibus conſtringunt arenas, & pulverem in ceſpitem ſolidant. Hæc fertilioris glebæ fragmenta *Abaſes* ab *Ægyptiis* vocari, *Strabo* eſt autor; unde *Abaſſinorum* forſan *Æthiopum* nomen. *Libyam* hanc in tres poſtea diviſerunt partes Geographi. *Ægypto* proxima Exterioris *Libyæ* nomen retinuit. *Plinius* (5. 6.) *Mareotin Libyam* videtur appellare, quam tenebant *Mareotæ*; nec non *Oaſſitæ*, *Chattani*, *Adyrmachidæ*, aliíque. Remotiſſimam ex tribus, & Minori *Africæ* conterminam, *Cyrenaïcam* vocabant, ab urbe *Cyrene*, ſed longè ſeriùs hâc ætate. Illic, præter alios populos, *Barcitæ*, *Ararauceles*, *Aſbetæ*, & *Heſperides*, quarum ſacer lucus, & horti ad *Lethonem* fluvium, fabulis *Græcorum* nobilitantur. Hæc *Ptolemæus*, atque *Plinius*, (5. 5.) Sed tamen veriùs in oceano *Atlantico Heſperides*, earúmque horti atque inſulæ, quærendæ ſunt. Urbem ſanè hujus fuiſſe nominis, *Heſperida*, & *Eueſperida*, etiam pluralis numeri, conſtat, in *Pentapolitanæ* regionis occidentali parte ſitam; eandem poſtea *Berenicen* dictam. *Heſperides* verò nymphæ, ſive *Heſperi*, ſive *Atlantis* & *Heſperidis*, filiæ, ad Occidentem *Africæ*, quò ipſe *Atlas* etiam, ſpectabant, ibíque recipiebant cadentem Solem. In *Cyrenaïca* & *Pſylli Ptolemæo*, quos *Plinius* in *Africam* rejicit Minorem. Inter *Cyrenaïcam* & *Libyam* extremas, *Marmarica* in medio collocabatur; ubi *Marmaridæ*, *Naſamones*, &c. & *Hammonis* oraculum, quod *Semiramis* adiit. *Naſamones* quaſi *Meſammones Græci* dixêre, argumento loci, quippe medios inter arenas ſitos. *Pſyllorum* gens à *Pſyllo* rege dicta, cujus ſepulcrum in parte *Syrtium* majorum erat. Horum corpori ingenitum fuit virus ſerpentibus exitiale, quorum olfactu ipſo fugabantur. Mos verò his, liberos recèns natos objiciendi ſæviſſimis earum; ità conjugum explorandi pudicitiam; anguibus morſu venenato ſpurios partus invadentibus, horrentibus genuinos. Hoc ipſum genus propè internecione ſublatum eſt à *Naſamonibus*, qui eaſdem occupârunt ſedes. Ager *Libycus*, 15 millia paſſ. latitudine à litore, & arboribus fertilis habetur: intus, eodem ſpatio, frugibus tantùm: mox 30 mill. paſſ. latitudine Laſere modò. Σίλφιον *Græci* vocant, fruticem & foliis & caule, ſed præcipuè ſucco, magnificam in uſu medicamentíſque. Sed ſpoliata hoc fructu antehac de induſtria, propter vectigalium corraſorum indè gravitatem, provincia, jam ſponte ſterileſcit. *Strabo*, (17.) ab hoſtibus impreſſione factâ, radices penè omnes laſerpitii erutas, ait. *Arrianus* publicanorum avaritiâ factum vult, qui paſcua illa conducebant, pecoribúſque omnem laſerpitii depaſcebant & fructum & ſpem. Pabulum enim id ferunt ovibus gratiſſimum. *Herodotus* (4.) in hac regione fructus ait matureſcere ordine quodam: in plaga maritima primò, deinde paulò pòſt in collibus, meſſem poſtremam exhibere montes. Unde frugum recentem illis copiam ſuppetere octo ſimul menſibus. *Plinius*, (2. 45.) rupem, ait, in hac regione quandam *Auſtro* ſacram fuiſſe, quam profanum eſſet attrectari hominis manu, confeſtim *Auſtro* involvente arenas. Probabiliùs paulò, ſed ridiculè magìs, *Herodotus*, (4.) *Pſyllos*, narrat, neſcio quâ ventorum laceſſitos moleſtiâ, armis in *Auſtrum* ſumptis, profectos ad bellum: ſed, cumulis arenarum opertos, miſerè omnes periiſſe. Magna enim *Auſtri* vis, & crebri flatus, in ea ſunt plaga. Oræ terrarum ut fertiliores in *Libya*, ità & cultoribus habitabantur ad noſtrum maximè ritum moratis. (*Mela* 1. 8.) Ulteriùs ad Meridiem nullæ quidem urbes ſtabant, ſed mapalia tantùm. In his victus aſper, & munditiis carens. Primores ſagis velabantur, vulgus beſtiarum pecudúmque pellibus. Humi quies capiebatur, & epulæ. Vaſa ligno aut cortice fiebant. Potus lac ſuccúſque baccarum; cibus erat caro, plurimùm ferina. Nam gregibus, quoad fieri potuit, parcebatur, quibus peculium gentis, & univerſa conſtabat ſubſtantia. Interiores etiam, incultiùs, ſequebantur vagi pecora; útque à pabulo ducta ſunt, ità ſe ac tuguria ſua promovebant. Ubi defecit dies, ibi noctem agebant. Quanquam in familias paſ-

Marginalia: ubi explicantur Exterioris *Libyæ* populi; laſerpitium,

ſim & ſine lege diſperſi, nihil in commune conſultabant; tamen, quòd ſingulis aliquot *A.M.* 2050. ſimul conjuges, & plures ob id liberi erant agnatíque, nuſquam pauci degebant. Hæc deſerta Baſiliſcum generant, malum in terris ſingulare. *Duodecim non ampliùs digitorum amplitudine* ſerpens eſt, *candidâ in capite maculâ, ut quodam diademate, inſignis. Nec flexu multiplici, ut reliqua, corpus impellit; ſed celſus & erectius medio incedens.* basiliſci, *Sibilum* ejus etiam *ſerpentes* alii perhorreſcunt, & *fugiunt. Necat frutices, non contactos modò, verùm & afflatos. Exurit herbas, rumpit ſaxa,* ipſas etiam corrumpit auras. Quicquid morſu ejus occiderit, non depaſcitur fera, non attrectat ales. *Huic tali monſtro muſtela* tantùm *exitio eſt: adeò Naturæ nihil placuit eſſe ſine pari: Inferciunt eas homines cavernis*, ubi deliteſcit malum, *cognitis ſoli tabe. Necant illæ ſimul odore, moriuntúrque, & naturæ pugnam conficiunt.* (*Plin.*8.21.) His in locis, *Manes tantùm deos putabant, per eos dejerabant, eos ut oracula conſulebant. Precati enim quæ volebant, ubi tumulis incubuêre, pro reſponſis ferebant ſomnia.* (*Pomp.Mela* 1.8.) Sed per optimos juſtiſſimóſque viros jurare mos, eorum tangendo ſepulcra. Ad ſuorum divinabant monumenta. (*Herod.*4.) De *Augilis* hæc *Plinius* (5.8.) & *Pomponius*, quæ de *Naſamonibus* tradit *Herodotus*. Sed vicinas gentes, & ab origine forſan cognatas, iiſdem uti ritibus ſacrorum nihil obſtat. Omne latifundium quod & ſimiæ. inter *Libyam* atque *Æthiopiam* diffunditur, quâcumque lucis opacum eſt, varium implevit Simiarum genus. Quòd aliqua ex parte ſpeciem referant humanam, indè Poëtis arrepta fingendi licentia, homines fuiſſe aliquando, *Pithecuſarum* inſularum incolas, qui *Cercopes* dicebantur. Eorum *Jupiter* cùm perfidiam deteſtaretur,

> *In deforme viros animal mutavit, ut iidem*
> *Diſſimiles homini poſſent, ſimiléſque videri;*
> *Membráque contraxit, naréſque à fronte remiſſas*
> *Contudit, & rugis peraravit anilibus ora:*
> *Totáque velatos flaventi corpora villo*
> *Miſit in has ſedes; necnon priùs abſtulit uſum*
> *Verborum, & natæ dira in perjuria linguæ.*
> *Poſſe queri tantùm rauco ſtridore reliquit.* (*Ovid.* Met. l. 14.)

Et Simias in his *Africæ* locis habitas alicubi fuiſſe pro diis, *Diodorus* narrat, ut apud *Ægyptios* Canes; iiſdem tectis quibus homines, iiſdem cibis uſas libere; pœnâ mortis denunciatâ iis qui hanc feram interficerent. Vulgus ſimiarum in his eſt, quas paſſim videmus, non ſine ingenio æmulandi; quo faciliùs in manus veniunt. Nam dum avidè venantium geſtus affectant, relictâ conſultò viſci unguillâ, quod mendacio factum vident, oculos ſuos oblinunt; ità viſu obducto, pronum eſt eas corripi. Exſultant novâ lunâ, triſtes non minùs deficiente luce. Immoderatè fœtus amant: geſtant catulos, quos manſuefactæ intra domos peperêre; omnibus demonſtrant, tractaríque gaudent; tractatu gratulationem intelligentes. Itaque magna ex parte amplectendo necant. Cercopitheci caudas habent. Hæc ſola diſcretio eſt inter priùs dictas. Inter ſimias habentur & Sphinges, villoſæ, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Cynocephali & ipſi ſunt è numero ſimiarum, ſed majores validioréſque. Caninæ ſimilior facies; unde & nomen. Vultu horrifico, ſævóque morſu; ferum animal prorſus, atque indomitum. Sunt & quas vocant *Satyros*, facie admodum gratâ, geſticulatis motibus inquietæ. Callitriches, quibus à pulchritudine pilorum eſt nomen, toto penè aſpectu à cæteris differunt. In facie barba eſt, cauda lata. Has capere non eſt arduum, ſed proferre: neque enim vivunt in alio quàm *Æthiopico* ſolo, hoc eſt, in ſuo. *Libyam* univerſam, noſtrâ ætate, *Barcam* appellant, *Arabum* latrociniis infeſtam; cujus proximam ſibi partem adſciſcit *Ægyptus*, *Barbaria* reliquam.

Æthiopum nomen, § 42. *Æthiopum* nomen *Græcos* habuiſſe Autores, proculdubio eſt, à nigris aduſtíſque vultibus ardore Solis nimio. Quod affert *Plinius* (8.30.) de *Æthiope Vulcani* filio, eandem rem, ſed poëtico more, ſignificat. Quid enim aliud eſt *Vulcani* filius, niſi calor, unde illis & color & nomen datum? Ab *A* & *Thebets*, (quod hæc *Ægyptiæ Thebaïdi* ſit confinis regio,) commentum eſt novum, ſed veteri, & & color: *Vulcani* filio, infelicius. Unde autem hanc gentem præter cæteras peculiaris color invaſerit, vexata multùm quæſtio. Ingenioſè quidem Poëta fingit, incendio *Phaëtontis* accidiſſe primùm ut nigreſcerent *Æthiopes*.

Sanguine

A.M. 2050.

Sanguine tum memorant in corpora ſumma vocato,
Æthiopum populos nigrum traxiſſe colorem. (*Ovid.* Met. 2.)

Herodotus (3.) nigro parentum ſemini hoc dat. At verò neque id conſtat eſſe nigrum; neque, ſi conſtaret maximè, ſolvit hunc nodum. Quæro enim, unde hic ſemini color ſit. Unde fiat, quæro, ut ſeminis color in cutem tranſeat ſolam, non & reliqua. Alii cauſam in ſoli ariditatem conjiciunt. Quaſi verò aliæ in *Africa* & *America* ſolitudines non pari ſiccitate laborent. In occultam alii terræ iſtius vim; aliqui in ſiderum & cœli; aquarum nonnulli, ſubterraneis quibuſdam infectarum venis. Plurimi ad Solis referunt ardorem, vehementiſſimum in hac parte. Nam in extremis terrarum locis, quò remotius hoc aſtrum, eò candidiores vultus hominum; in medio igitur, quò propius, eò nigriores oportet eſſe. Sed calori Solis opponitur, quòd in advenas & peregrinos non idem valeat: nec ardor ille moderatior in *Americæ* Zona torrida; ubi tamen *Æthiopes* veri, ſi qui fortè ſunt, peregrini ſunt, indigenæ nulli. Ut ſolvatur hic inexplicabilis quibuſdam nodus; primùm dico, nigredinem hanc à primis torridæ Zonæ in *Africa* incolis poſt Diluvium contractam, poſteris deinde in naturam quodammodo tranſiviſſe; adeò ut *Æthiopes* veri non magìs liberos generare candidos valeant, quàm nigros, in plaga cœli temperata, nos. Primis autem poſt Diluvium incolis torridæ regionis in *Africa*, radios quidem ſolares impreſſiſſe colorem hunc, ſed perpetim pluribúſque ſeculis adurentes eadem corpora. Nec enim valent efficere jam, ſeptuaginta octogintáve annis, quod longiſſimum humanæ vitæ ſpatium eſt, quantum olim efficiebant trecentis quadringentíſve, quot primis poſt Diluvium ſeculis vivebatur. Si quis ergò quæret ex me, cur, hâc ætate, inquilini advenæque in *Æthiopia*, indigenæ ipſi in *Americæ* torrida plaga, non afficiantur eâ nigredine quâ *Æthiopes* veri; reſpondebo, neutros juſto in his locis commorari tempore, ad inurendum hunc penitùs imbibendúmque colorem. Nec enim niſi trecentis, pluribúſve, id annis poſſe fieri. Et credibile eſt, *Americam* nè habitatam fuiſſe, calcatámve humanis veſtigiis, antequam ætas humana in eam brevitatem contracta eſt quâ nunc vivimus, quæ tantæ nigredini penitùs imprimendæ neutiquam videtur ſufficere.

Longè latéque patebat in *Africa Æthiopum* nomen. A Boreali Tropico ad Æquinoctium, inter *Atlanticum Rubrúm*que maria, quicquid terrarum eſt idoneum humano cultui, occupabat ea gens; indè ad Auſtrales & extremos uſque terminos *Africæ* tandem diffuſa. Erant ex his nationes aliquæ agreſtes & feræ, inhumanis moribus, quæ ritu ferè belluino victitabant. Pugnabant etiam hæ, (id omnibus commune, quorum ſtomacho impoſita eſt inſana Leonis vis;) armáque ferebant, haſtas exiles, & ex crudo boum corio ſcuta: alii mucronibus aduncis jacula. Arcubus ligneis utebantur alicubi, quibus admoto pede ſagittas intorquebant; iíſque abſumptis, decertabant ſudibus. Armabant & fœminas, ad certum ætatis terminum: quibus utplurimum moris erat, annulum æreum geſtare in labris. Nullis aliqui veſtibus induebantur, per omnem vitam nudi. Quæcunque ſibi caſu occurrebant, Solis opponebant fervori. Ovium caudis nonnulli (ſed multò latioribus quàm apud nos) pudenda velabant; pellibus alii. Non deerant qui ſubligacula ſibi ex capillis contexerent, quibus inferiora corporis contegebant. Ità enim ejus loci natura fert, ut oves lanam non ferant. Cibus quibuſdam herbæ paluſtres; aliis arborum ramuſculi teneriores, quorum & umbrâ ſe ab æſtu meridiano tuebantur. Seſamum & Lotum ferebant pauci. Erant qui teneras arundinum radices ederent. Multi ſagittis volucres aucupabantur. Pars maxima carnibus & lacte pecudum caſeóque vivebant. *Plinius*, (6.30.) *Nomades* quoſdam, ait, Cynocephalorum lacte ſedâſſe famem; *Aſachæos* devorâſſe captos venatibus elephantos; *Agriophagos* pantherarum atque leonum ediſſe carnes; *Pamphagis* eſcam fuiſſe quicquid mandi poteſt; *Anthropophagos* humanâ ſolitos carne veſci; nonnullos denique ſupervolantes locuſtas, fumo captas, fumo & Sole itidem durâſſe, in annua alimenta. Ii quadrageſimum vitæ annum non excedebant. His *Diodori* addes, *Ichthyophagos* & *Struthiophagos*, piſcium ſolummodo vel ſtruthionum edaces. Licebit hîc, opinor, ſine injuria, monſtroſas gentium facies præterire, linguâ, ore, labro, naribúſve carentium, aut alio quovis more deformium; de quibus multa Veteres: ut & Sphingas, Pegaſos, Tragopanes, & aves cornutas, multáque alia monſtro ſimilia. Nam remotiſſima quæque ab oculis malè cernimus: malè igitur judicamus de iiſdem. Quadraginta

Feræ gentes:

quinque

A.M. 2050.

quinque, vivente *Plinio*, tradebantur *Æthiopum* reges. Idem, à *Syene* in finibus *Ægypti*, ad inſulam *Æthiopum* in *Nilo*, *Meroën*, paſſuum numerat 874 millia. Ultra medium itineris, *Napata*, parvum oppidum, & propè ſolum. Reliqua, puto, depaſcebant *Nomades*. *Juba* rex *Nili* accolas à *Syene*, non *Æthiopum* populos, ſed *Arabum*, eſſe dicit, uſque *Meroën*. Et fieri quidem potuit, *Æthiopibus* vel cæſis, vel metu hoſtium in ſuperiora fugatis, ut vicini *Arabes* loca ſibi proxima invaſerint. Ità ſe res habebant *Æthiopicæ* in his locis, paulò ante *Plinii* ætatem, *Neronianis* temporibus, attritâ jam *Ægyptiorum* bellis *Æthiopiâ*. Plures antea magnæque urbes, florentibus *Æthiopum* rebus, utrinque *Nili* cingebant ripas. *Meroë* inſula totius imperii caput, & magnæ claritatis fuit. Tradunt, armatorum 250000 dare ſolitam, artificum 400000 alere. Imperium ab *Ægypto*, & cum *Ægypto* nonnunquam, longiſſimè porrectum ad Meridiem ultra *Meroën*; latiſſimè verò occupâſſe *Nili* utrumque latus. Contra *Meroën Megabari*, quos aliqui *Adiaboras* nominavêre. Pars eorum *Nomades*, quæ elephantis veſcebatur. Ex adverſo, in *Africæ* parte, *Macrobii Æthiopes* vocabantur. Dimidiò enim eorum protenſior quàm noſtra vita erat. Hi juſtitiam colebant, æquitatem amabant, plurimùm valebant robore, præcipuâ pulchritudine conſpicui. Ornabantur ære; auro vincula faciebant noxiorum. Locus apud eos fuit opiparis epulis quotidie refertus, quibus indiſcretim veſcebantur incolæ advenæque. Eas per noctem exponi curabant magiſtratus, in aperto quodam prato. Quòd divinitus hæc apparari putabant, & interdiu tantùm, Ἡλίου τράπεζα, *Solis* appellabatur *menſa*. Erat illic & fons, cujus aquis perfuſa corpora velut olivo niteſcebant, olebántque violam. Per pingues enim terræ venas penetrantes aquæ, oleoſum quid præ ſe ferunt, cùm ex fontibus prodeunt. Potus indè ſaluberrimus; cui *Herodotus* propterea longioris vitæ cauſam tribuit. Adeò ſanè liquidus erat, ut nè frondes quidem fortè incidentes veheret, ſed illico folia lapſa demitteret in fundum, laticis tenuitate. *Cteſias* tradidit, (*Plin.* 31.2.) rubrum eſſe fontem in *Æthiopia*, cujus aquam bibentibus adeò mutaretur mens, ut ſolerent vel occultiſſima confiteri. Creandi reges apud has gentes varii quondam ritus. *Macrobiorum* ſacerdotes ex ordine ſuo optimos quoſque ſeligebant. Quem ex his cunque deus gentis neſcio quis, circumlatus pro more quaſi comeſſabundus, cepiſſet, hunc populus creabat regem; hunc flexis genibus, quaſi divinitus datum, adorabat. Ille autem non imperabat pro ſua libidine, ſed ex præſcripto legum. Ut alia ſecundum patrios mores omnia, ità pœnas præmiáque diſpenſabat. Alii regna formoſiſſimis tradebant; ut qui utramque, tum formæ elegantiam, tum dignitatem imperii, fortunæ acceptam referrent. Nonnulli optimo paſtorum deferebant imperium; ut qui & ſubditis optimè conſulturus eſſet. Quidam ſibi reges civium expetebant opulentiſſimos; ut qui ſuis facultatibus inopiæ plebis ſubvenire ſoli poſſent. Denique, non deerant qui fortiſſimos tantùm præficiendos regno judicarent; ut qui cives propugnare ſoli, & propulſare hoſtium vim, valerent. Quid de *Poëmphanis* dicam, qui Canem habebant pro rege, motu ejus imperia augurantes? Apud *Macrobios* nemo, quanquam jure damnatus capitis, tradebatur carnifici. Lictor aliquis cum ſigno mortis mittebatur ad reum: quo ille accepto, domi mortem conſciſcebat ſibi. Capitis pœnam exſilio commutare, quod alibi fas, illic nefas. Ferunt quendam, miſſo ad ſe moriendi ſigno, adornâſſe fugam; matrem, id præſentientem, zonâ filium ſtrangulâſſe, minimè reluctantem, nè ſuis dedecori foret. In *Meroë*, de morte regum inolevit mos inauditus. Sacerdotes enim præpotentes illic, & maximæ autoritatis, cùm id ſibi opportunum videbatur, denunciabant ei ut moreretur. Reſponſa deûm id poſcere; nec fas homini repugnare diis. Huic ſacerdotum tyrannidi paruit ſuperſtitioſa regum credulitas, ad tempora uſque *Ptolemæorum* in *Ægypto*. His quippe monentibus, *Ergamenes*, *Æthiopum* rex, morem hunc autoréſque unà ſuſtulit; ſolus autoritate regiâ dignus, qui ſolus uti noverat. Hoc etiam in more poſitum huic populo, ut rege quavis parte mutilato, amici regis eodem ſe mutilarent membro. Turpe enim ducebant, regem claudum comites integros conſectari. Nec membra ſolùm, ſed & vitam, qui videri volebant fideliſſimi, cum rege deponebant; ad inferos comites futuri, quos habuerat in vita ſocios. Nec enim dignos amicorum nominè cenſebant, qui rerum proſperarum participes, adverſas amicorum refugerent; qui calamitatum, dolorum, mutilationum, ipſius denique mortis communionem reformidarent. In mortuorum quoque funeribus variabant *Æthiopes*. Alii projiciebant in flumen; optimam hanc ſepulturam exiſtimantes. Alii vitro circundatos

Margin notes: cultiores; *Meroïtæ*, & *Macrobii*:

cundatos conſervabant domi, poſt annum foris reponebant. In urnis aliqui fictilibus conditos circum templa ſepeliebant. Per hos à ſuis jurabatur ſanctiſſimè. Proceres, ut plebi colore non minùs quàm dignitate præſtarent, minio ſe totos illinebant. Idem illic erat ſimulacris quoque deorum color. (*Plin.* 33.7.) De diis autem, ultra *Meroën Æthiopes* ità ſentiebant: Eſſe quoſdam ſempiternos ac immortales; quo ex genere Sol & Luna, Mundúſque univerſus: quoſdam verò naturâ eſſe mortales, immortales tamen honores meritis conſecutos in humanum genus. Hoc nomine *Panà* & *Iſidem*, *Herculém*que, ſed præcipuè *Jovem*, colebant, *Ægyptios* deos. *Meroïtæ* Lunam Solémque pro diis, & *Bacchum* venerabantur. Supra *Meroën* (ut ferunt) terræ magna ubertas, ubi fluvii maximi fœcundant ſolum: *Aſtabus* & *Aſtaboras* *Ptolemæo* vocantur, qui ad *Meroën* aſſequuntur *Nilum*. *Plinius* quidem, haud aliam frugem quàm milii hordeíque noviſſe, dicit *Æthiopes*, (18.10.) Ciceres tamen & fabas, aliáque nobis ignota naſci apud eos legumina, compertum eſt. Sacchari etiam arundines, & vites, maláque variorum generum, non deſunt. Mellis immenſa copia. Sed merces præcipuæ Cinnamomum & Caſia, ſi *Plinio* credimus, (12.19.) A *Syene* ad *Meroën*, per nongenta ferè millia paſſuum, raræ arbores; nullæque niſi palmarum generis. Meridiano tamen cardine, ſylvæ ebeno maximè virebant: unde poſtea, in tributo ex *Æthiopia Perſico*, præter aurum & ebur, tertia res pendebatur Ebenus. Lemones, rapas oleáſve non habent *Æthiopes*; nec animalium urſos, cuniculóſve. Pecoribus ferè omnibus abundant quibus & nos, ſed & ſuis feris. Præter leones enim, lynces, tigrides & elephantes, notiores, & in omni *Africa* frequentes, alit etiam Camelopardalin & Cepum *Æthiopia*; de quibus in Geographicis dictum: Rhinocerotem quoque, Lycaones, atque Hyſtricem, Crocutas, Leocrocutas, Ealem, Tauros ſylveſtres atrociſſimos, & Catoblepam: Dracones verò *Indicis pares*, *vicenûm cubitorum*, (*Plin.* 8. 13.) apud *Aſachæos*; *quorum in maritimis quaternos quinóſque ferunt*, *inter ſe cratium modo implexos*, *erectis capitibus velificantes*, *ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus.* Rhinoceroti color buxeus, in naribus unicum & repandum cornu; quo, ad ſaxa limato, adverſus elephantes præliatur, par ipſis longitudine, brevior cruribus, naturaliter alvum petens, quam ſolam intelligit ictibus ſuis perviam. Lycaon lupus eſt, cervicem jubatus, & tot modis varius, ut nullum illi colorem abeſſe dicant. *Indi* quoque hanc noverunt feram. Hyſtrix erinaceo ſimilis, ſpinis tergum hiſpida, quas plerunque laxatas jaculatione emittit voluntariâ, ut aſſiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes. Crocottæ, velut ex cane ac lupo conceptæ, omnia dentibus frangunt, protinúſque devorata ventre conficiunt. Leocrocotta, perniciſſima fera, leoni ſimilior; ſed ungulâ biſulcâ, ore ad aures uſque reſciſſo, dentium locis oſſe perpetuo. Hanc feram humanas voces aiunt imitari: quam lea parit ex hyænæ coïtu. (*Plin.* 8.30.) Eale, magnitudine equi fluviatilis, caudam elephanti, cornua habet mobilia, majora cubitalibus, quæ alternant in pugna, prout res poſtulat. Iiſdem & Tauri ſylveſtres dimicant, velociſſimum animal, rigidis in pugna cornibus, mobilibus aliàs, colore fulvo, pilo in contrarium verſo, rictu ad aures dehiſcente, tergore impenetrabile. Ipſas feras venantur in prædam. Tam indomitâ ferocitate, ut capti foveis, animas projiciant furore. Catoblepas juxta *Nigrim* fontem apud *Heſperios Æthiopas* naſcitur, modica atque iners beſtia, prægrave caput ægre ferens, aſpectu peſtilenti: Nam qui oculos ejus offenderint, protinus vitam exuunt.

§ 43. *Æthiopes Africani*, etſi reliquo generi hominum, præter *Indos* quoſdam, colore non magìs diſſimiles quàm ignobiles habeantur; non minora tamen prædicabant de ſe quàm gentes nobiliſſimæ. Se natos hominum primos, & *Aborigines* fuiſſe, utpote Soli proximos. Se religionis cultûſque deorum, conventuum ſacrorum, pomparum ſacrificiorúmque autores primos; & ab *Homero*, apud *Græcos* magnæ autoritatis Poëta, hâc laude celebratos, qui *Jovem* reliquóſque deos epulatum deſcendiſſe in *Æthiopiam* fingit, & 12 illic dies commoratos. (*Iliad.* 1.) Mercedem pietatis hanc ſibi dediſſe divos, quòd libertatem invicti ſemper integram retinuerint. *Semiramidem* enim ſe tentâſſe magis quàm ſuperâſſe, aliarum licèt victricem gentium. *Ægyptios* à ſe oriundos, imò & ipſam *Ægyptum Æthiopum* fuiſſe coloniam, *Ægyptias* teſtari leges, moréſque gentis, teſtari literas & ſacrorum miniſtros. Quòd enim *Ægyptii* reges antiquos habeant pro diis, quòd tantum in ſepulturis operæ impendant & ſtatuis, aliáque multa, ex *Æthiopum* diſciplina traduxiſſe. Literas verò, etiam ſacras & hieroglyphicas, apud ſe tractari vulgò, quas recondunt *Ægyptii* ſecretâ ſacerdotum fide. Ordines & collegia ſacerdotum,

A.M. 2050.

animantéſque feræ.

Eorundem prædicatio de ſe.

A.M. 2050. cerdotum, raſuras, omnémque munditiem à ſe profectam. Ipſam verò *Ægyptum*, primò demerſam, & marinis coöpertam aquis, limo poſtea, quem advexit ex *Æthiopia Nilus*, auctam & elatam, repuliſſe incubantem oceanum. Multis hoc patére indiciis. Experimentum aggeſti limi, ſcilicet, annuum fieri; & conchas marinas etiamnum in agris erui à colonis. Hæc & alia jactabant olim *Æthiopes*, probabiliter quidem, ſed verè nequaquam. Nam gentium vicinarum ſimiles eſſe leges atque mores nihil prohibet, etſi ex diverſis ortarum initiis. Neque centum annis *Ægyptum* ſub undis latuiſſe, quanquam ſeriùs fortaſſe ex Diluvio emerſerit, veroſimile eſt; quam cum primis habitatam fuiſſe, tantopere prædicata gentis vetuſtas arguit. Diſſimiles verò gentium colores, ex *Æthiopia Ægyptios* non prodiviſſe, manifeſtò indicat.

De Oraculorum origine, Quo primum loco temporéve Oracula exſtiterint, perobſcurum videtur, & quod ipſum Oraculo egeat quo explicetur. Etſi enim hæc de *Ammone* ac *Semiramide* ſuſpecta mihi ſunt, ut pleraque ſunt alia quæ *Cteſias* tradit; tamen hoc inprimis loco de origine Oraculorum diſſerere, non erit fortaſſe alienum. Atque illud inprimis certum videtur ac perſpicuum, præter ſacerdotum fraudes artéſque malas, Cacodæmonum quoque acceſſiſſe impoſturas atque præſtigias hac in re. Hos, divini honoris atque cultûs æmulos, ut alias, ità & hanc divinandi artem inſtituiſſe primos. Deum enim ſibi proponebant imitandum in omnibus, quantum fieri potuit, quò & ipſi haberentur pro diis. Cùm igitur Deus verus Prophetas veros numine ſuo ac vi afflaret, quâ correpti, magno cum ſtupore hominum, ſecretas res prodere ſolebant, & prædicere futuras; hoc ſibi quoque ſpiritus malefici tentandum putabant, eóque magìs, quòd homines futura de ſeſe ſciendi avidiſſimos viderent, eáque veriſſimè à diis peti crederent. Aptos igitur nacti ſacerdotes, in eorum corpora inſinuabant ſe; ex eorum, plerumque furentium, ore dictabant quærentibus reſponſa. Cùm autem pleræque res, de quibus conſulebatur, ipſis Dæmonibus vel ignotæ penitùs eſſent, vel incertæ; nè oracula falſi arguerentur, unde fidem & autoritatem amitterent, reſponſa obſcura plerumque, perplexa & ambigua edebantur, quæ, utcunque cecidiſſet res, viderentur vera. *Porphyrius* (in libro de Oraculis, apud *Euſebium* Præpar. 6. 1. & 5.) ait, *Apollinem*, hoc eſt, malum Dæmonem, ex arte Aſtrologica ſolitum de futuris vaticinari: quæ quidem ars, in rebus etiam naturalibus pleriſque, admodum incerta cùm ſit, non potuit non ſæpiſſimè in humanis, maximè fortuitis, hallucinari & fallere, ipſo quidem fatente *Porphyrio*. *Quoniam*, inquit, *exquiſitam de aſtrorum motu ſcientiam, & futuris indè pendentibus, nec homines, nec plerique Dæmones aſſequi poſſunt; indè fit, quòd conſulti ſæpe mentiantur*, &c. Scribit *Herodotus*, (lib.2.) *Thebis Ægyptiis* primò natum eſſe hoc di-

Dodonæi præcipuè, vinandi genus: Ex *Jovis* autem *Thebani* ſacerdotibus didiciſſe ait ſe, duas fœminas, iis ſacris initiatas, à *Phœnicibus* abductas, unam in *Africa* veniiſſe, quæ oraculum *Ammonium*, alteram in *Græcia*, quæ *Dodonæum* inſtituit. Idem ferè ſibi antiſtites *Dodonæas* narrâſſe: Columbas nimirum geminas nigráſque *Thebis* avolâſſe, alteram in *Libyam*, alteram ad ſe veniſſe. Hanc incidentem quercui, voce humanâ elocutam hoc, *Eo in loco fata velle Jovis oraculum condi*. Alteram verò idem in *Libya* fieri juſſiſſe. *Jovi* propterea gratulari volebant oraculo ſuo, quòd ejus obiviſſent ſacra *Thebis*. *Columbas Herodotus* peregrinas mulieres dictas putat, ob ſonum vocis barbarum, avibus non diſſimilem: *nigras* verò, quòd *Ægyptiæ* fuerint, ob colorem gentis. Tum demum voce humanâ locutam eſſe, cùm linguam edocta *Græcam*, intelligi potuit. *Dodona*, nunc *Theſprotorum*, nunc *Moloſſorum*, vicinarum gentium, urbs antiquiſſima, templo *Jovis* oraculóque, omnium apud *Græcos* antiquiſſimo, illuſtris fuit. Ipſum nomen, *Dodanim Javani* filium urbi conditorem aſſerere videtur. At *Græci*, à *Dodona Oceanitide* dictam, vel à *Jovis* & *Europæ* filia, volunt. Sub monte *Tmaro* fanum ſtetit, (*Strab*.7.) qui *Tomarus* idem *Tamarúſ*que dicebatur, centum fontibus circa radices *Theopompo* celebratus. (*Plin*.4.1.) *Jovis* in *Dodone* fons, cùm ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit, qua de cauſa *Anapauomenon* vocant: mox increſcens, ad medium noctis exuberat. (*Plin*.2.103.) Initio quidem oraculum hoc à viris edebatur. Tandem verò tres anus ad hoc miniſterium deſignatæ ſunt, poſtquam *Dione* in templi ſocietatem recepta eſt. (*Strab*.ibid.) Ubi *Suidam* ait gratificari *Theſſalis* voluiſſe, cùm fabulatur, ex *Pelaſgia Theſſalica* tranſlatum fuiſſe in *Theſprotiam* templum *Jovis*. At *Bœotiis* viri oracula ſoli ſolis tradidêre, quod multis poſt

hanc

hanc ætatibus contigiſſe ferunt. Jam verò conſulendi ac reſpondendi modum ut videamus: Si qua gens aut morbo populari, aut ſterilitate agrorum, aut aliâ calamitate publicâ laborabat, eò legati ad quærenda remedia miſſi: ſi quis dubiæ rei anxius præcipere volebat exitum, ſi quis obſcuræ certiorem fidem indagabat, indè reſponſa emebant ſibi donis. Quercum ait *Suidas* prope fanum ſtetiſſe: eam verò arborum in *Græcia* omnium antiquiſſimam, poſt *Samiam Junonis* viticem, ut habet *Pauſanias*, (in *Arcadicis*.) Hominis in cacumine ſimulacrum virgam tenebat. Juxtà lebes aderat æneus. Accedentibus qui conſulerent, movebatur quercus, & reſonabat. Percuſſus à ſtatua lebes, inconcinnum quendam reddebat ſonum. Quippe Dæmonum inarticulatæ ſunt voces. Fœminæ ſacerdotes quæ ſacra miniſtrabant, ſortéſque dabant rogantibus; pronunciabant illico, *Hæc dicit Jupiter.* Nam ſolæ intelligebant quid ſibi vellet inconditâ voce fatidicus Dæmon. Hoc eſt igitur quod apud *Homerum* narratur, (*Odyſſ.* 14.) *Ulyſſem Dodonam* eſſe profectum, ut ex alta quercu *Jovis* mentem cognoſceret. Hoc eſt *Dodonæum æs*, & *Theſproteus lebes*, de quo *Clemens Alexand.* (in Protreptico) meminit. Aliqui, primarum ſacerdotum alteram *Tritonem* vocatam, alteram verò *Periſteram*, (quod nomen *Græcis columbam* ſignificat,) indè fabulam de columbis vaticinantibus ortam, ferunt. *Peleas* & *Peleades* appellat *Pauſanias*, (in *Phocaïc.*) quæ primæ apud *Dodonæos* fœminæ divinârunt. Neque tamen habitæ ſunt pro *Sibyllis*. Ac *Phemenöe Delphicâ* fuiſſe antiquiores ait, illóſque verſus decantâſſe primas;

> Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἔστι, Ζεὺς ἔσσεται· ὦ μεγάλε Ζεῦ.
> Ἃ καρποὺς ἀνίει, διὸ κλήζετε μητέρα γαῖαν.

At hoc ſi verum ſit, non prima carmen heroïcum *Phemenöe* compoſuit, quod vulgò creditur. Ex *Ephoro* affirmat *Strabo*, (lib. 7.) hujus oraculi fuiſſe *Pelaſgos* autores, multis poſt hæc ſeculis. Indè *Homerus Dodonæum Jovem* etiam *Pelaſgicum* appellat, (*Iliad.* 16.)

> Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικὲ ——

Sed credibilius videtur, *Pelaſgos* dedicâſſe fanum oraculúmque ipſum *Jovi*, quàm inſtituiſſe primos. Refert enim *Herodotus*, (lib. 2.) *Græcos* inprimis ſacra feciſſe generatim diis, nulli nominatim: *Pelaſgos* alienorum deorum didiciſſe nomina, ab *Ægyptiis* præcipuè; quæ cùm illi attuliſſent in *Græciam*, oraculum *Dodonæum* conſuluerunt, quod tum temporis erat unicum in *Græcia*, utrùm recipienda eſſent à *Græcis* barbarorum deorum nomina. Cùm recipienda reſpondiſſet oraculum, ſingulis *Pelaſgi* diis ex eo cœperunt ſacra facere nominatim. A *Pelaſgis* verò eadem nomina deorum reliqui mox *Græci* acceperunt. Tum primùm, credibile eſt, oraculum *Dodonæ Jovi*, deorum principi, conſecratum fuiſſe à *Pelaſgis*; quod miniſtra *Jovis Thebani*, quæ prima inſtituit hoc oraculum, præceperat. *Dodonæus* ergò *Jupiter Pelaſgicus* indè dictus eſt.

De *Ammonis* oraculo traduntur hæc. In *Africa*, regione torridiſſima, inter vaſtas arenarum ſolitudines, multas exſtare ferunt quaſi terræ fertilioris inſulas. Harum unam, in *Marmaricæ* meridionali parte, *Ammonii* tenebant. Regiuncula quinquaginta ſolùm ſtadiis longa latáque, ſed in medio ſolitudinis deſertæ viridiſſima, uberrimáque. Herbas arboréſque, omnium generum, crebri fontes alunt & amœniſſimi. Cœli temperies verna omnes anni partes pari ſalubritate percurrit. Populus pro loci amplitudine ſatis frequens. Plebs habitat diverſa locis. Mediam inſulam pro arce habebant, triplici muro circundatam. Prima munitio regiam clauſit. In proxima reginæ ac liberi cum pellicibus habitabant. Hîc *Ammonis* templum erat, & oraculum, & ſacer fons, quo ſolebant dona luſtrari, antequam offerebantur deo. Ultima munimenta ſatellites armigeríque tenebant. Id quod pro deo colebatur, non hominis habebat effigiem, cornibus inſignem arietinis, quod vulgò traditur: quanquam & formam hanc in templo affixam aliqui exiſtimant. Sed umbilico maximè ſimilis erat habitus, ſmaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, cùm reſponſum petebatur, navigio aurato geſtabant ſacerdotes 80, cùm multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Eò tendebant, ferebántque idolum, quò ejuſdem nutu fortuito, ſacerdotibus fortaſſe noto, agebatur. Matronarum ingens virginúmque turba ſequebatur, patrio more inconditum quoddam carmen canentium, quo propitiari *Jovem* credebant, ut certum ederet oraculum. Sortes hîc nutu ſigníſque

A.M. 2050.

& Ammonii.

A.M. 2050.

dari tradunt aliqui, non verbis. Quod de reſponſo ipſius idoli fortaſſe verum. At ſacerdotes verbis expoſuiſſe oraculum, pro certo eſt. Alterum haud procul hinc aberat *Ammonis* fanum, in opaco nemore, cui Solis fons propinquus. In hoc, eò ſemper aqua erat frigidior quò Sol propior; mediâ nocte calidiſſima. Quod *Pauſanias* ait, (in *Meſſen.*) *Jovem* traxiſſe *Ammonis* nomen à paſtore qui templum dedicârat, id etiam de *Chamo* fortaſſe verum, primo & maximo paſtorum in *Africa.* Idem (in *Lacon.*) *Lacedæmonios* ait omnium *Græcorum* primos, & maximè, hoc adiiſſe oraculum, & *Ammoni* ædem poſuiſſe.

A.M. 2056.

Indos poſtremò invadit *Semiramis*;

§ 44. *Bactris* jam agebat *Semiramis*, pacéque fruebatur damnoſâ. Nam exercitum alebat ingentem fruſtrá. Provinciæ jugum pacis libertati bellicæ præferebant, & imperiis haud invitæ obſequebantur. De bello igitur cogitare cœpit honorifico, ubi militum ſuorum bene ac utiliter collocaret operam. Regno *Semiramidis* ab Oriente confinis erat *India.* Hæc digna videbatur quam ſuo adjiceret imperio. Genti nomen à fluvio datum, eo certè maximo, regníque totius ad Occidentem limite. *Græci* enim veteres & *Latini* Scriptores, in partibus *Aſiæ* orientalibus & longinquis peregrini, univerſam regionem ultra *Indum* fluvium ab eodem denominârunt *Indiam*; ignari fortaſſe, Continentem ſe 3600 millibus longam, totâque majorem *Europâ*, (præter maximarum quoque inſularum copiam,) uno hoc nomine concluſiſſe. Poſtea tamen, hanc tertiam terrarum partem crediderunt. *Diodorus* ab Ortu ad Occaſum 28000 ſtadiorum patére vult: à Septentrione ad Meridiem 32000. A *Scythia Sacarum Emodi* ſejungunt montes, ab *Aſia* reliqua *Indus.* Ab Oriente ac Meridie claudit oceanus, indè Orientalis, hinc *Indicus.*Ità *Diodorus* & *Pomp. Mela.* Sed Orientem *Indiæ Sinas* terminare, *Ptolemæus* docet, ſaltem ex parte, ubi jam *Chinæ* regnum eſt.

quorum deſcribuntur ordines,

Tradunt, in *India.* fuiſſe multitudinem populorum innumeram: gentes verò centum ac duodeviginti, ſcripſit *Megaſthenes:* in eo tractu quem ſubegerat *Alexander Macedo*, quinque millia oppidorum, præcipuâ capacitate, gentes novem. Utrumque probabili ſanè ratione. *Indi* enim propè gentium ſoli nunquam emigravêre ſedibus ſuis. His pleræque gentes inſtitutis adminiſtravêre publicas res. Singulis è populo ſua erant munia. Magna pars Agricolæ; Mercatores, Artifices, Pecuarii, ſeu Venatores, multi; Militiam plurimi exercebant. Optimi ditiſſimíque remp. curabant, reddebant judicia, aſſidebant regibus. Unum erat genus celebratæ illic ſapientiæ deditum: *Gymnoſophiſtas Græci* appellant, quaſi Philoſophos nudos; *Indi*, *Brachmanes.* Nec fas erat ullis mutare conditionem, aut agricolis tranſire ad militiam, aut paſtoribus ad mercaturam; imò ex aliena tribu nè uxorem ducere. Agricolarum erat maxima multitudo, ut qui rem procurabant maximè omnium neceſſariam. Hi non à militia modò publicíſque muneribus liberi, ſed ab hoſtium injuriis quoque, ob communis beneficii reverentiam. Vectigal de fundis pendebant regi, quartámque ſimul fructuum partem. Omnis enim *India* ſub clientela regum erat, nec privato cuiquam agros poſſidere fas equóſve, (ait *Strabo* 15.) aut elephantos. Paſtorum erat, præter ovium curam & armentorum, elephantos venari, tutámque præſtare terram à feris, & infeſtis quoque ſementi volucribus. Hi tentoria circumferebant, ſedibus ædibúſve nullis affixi. Artifices conficiendis telis præcipuè, armíſque bellicis, & ruſticis domeſticíſque inſtrumentis, operam dabant. Hi & immunes agebant, & certâ frumenti menſurâ donabantur regii armorum fabri. Milites quoque regiis alebantur ſumptibus: bello pugnabant, pacis tempore otio tantùm indulgebant & ludo. Mercatores & ſuas evehebant res, & invehebant externas, autore *Plinio*, (6.19.) Horum in loco Ephoros ponit *Diodorus*, ſeu Delatores, qui magno ſtudio rimabantur omnia quæ cives agerent; quæque opus videbatur, regi clàm renunciabant. Senatores & Optimates, numero quidem reliquis inferiores, ſed nobilitate generis & prudentiâ primas tenebant. Hi, ut magiſtratus domi & in pace obibant, ità in bello imperia quoque. Domi annonæ præerant, & urbi, & rei militari. Annonæ, curando flumina, metiendo agros, ut in *Ægypto*, inundationum ex æquo ſingulis uſum ſuppeditando. A venatoribus iidem fabríſque omnibus rationem exigebant, colligebant tributa, ſternebántque vias; per dena ſtadia lapidibus locatis, diverticula indicantibus, diſtantiámque locorum. Ædiles urbani, alii opificibus præerant, alii curabant hoſpites & peregrinos, tertii naſcentium ortus & obitus morientium obſervabant, nè qua vis facta, nè qua fraus indè tributis fieret; útque pro foribus cujuſque defuncti anteacta ejus vita moreſque deſcriberentur, quò

vitia laudéſque innoteſcerent. (*Alex. ab Alex.* 3. 7.) Quarto ex genere cauponis præficiebantur, commerciis, menſuris atque ponderibus. Quinti ordinis præfecti urbani locandis operibus præerant. Sexti venditarum rerum decimas exigebant. Qui autem vectigali remp. defraudabat, capite plectebatur. Tertium erat Præfectorum collegium, qui præerant rei militari. Primus præfecto claſſis adjungebatur; alius ei qui boves curabat vectores cibariorum, inſtrumentorúmque militarium, Tympanis quoque præerant & tintinnabulis. Tertius pedites curabat, quartus equites. Quintus curruum, elephantorum poſtremus curam geſſit. Jam verò *Brachmanes* liberi habebantur; nec ſuberant imperio cujuſquam, nec imperabant. Sed funerum rationem noverant, & religionem deorum. Hoc igitur nomine honoribus vulgò afficiebantur, muneribúſque. Id erat maximum, ſolennibus novi cujuſque anni comitiis, ventos pluviáſque, morbos & ſiccitates prædicere, quò cautiùs ſibi omnes à malis impendentibus proſpicerent. Si quis in divinando erraverat ter, perpetui tantùm ſilentii pœnâ multabatur. *Plinius* (7. 2.) ait, hos *Indorum* Philoſophos, ab exortu ad occaſum, perſtare contuentes Solem ardentem immobilibus oculis, quaſi rimantes ſecreta quædam: eoſdem ferventibus arenis, toto die, alternis pedibus inſiſtere; quo uſu magis ad malorum patientiam indureſcerent. Miſeri mortales, qui tantillum vitæ, ſatis ærumnoſum per ſe, malis cumulent voluntariis! Iidem, cùm afflictos morbo, aut aliâ causâ, tædebat vitæ, voluntariâ morte, accenſo priùs rogo, finiebant. Duo fuiſſe horum genera tradit *Porphyrius*, (4. de Sacrific.) Qui *Brachmanes* nominabantur, ſucceſſione quadam generis ad religionis & ſapientiæ ſtudia accedebant. Electione quidam alii amplexabantur, quos *Samaneos* vocabant; *Germanes* fortaſſe apud *Strabonem*, (15.) Ubi tradit *Brachmanes* parcè ac duriter 37 annos vixiſſe, auro ac Venere, omníque animalium carne, abſtinuiſſe; diſcentes interim atque docentes in lucis quibuſdam. Auditoribus loqui, ſcreare, aut exſpuere, non licebat. Poſtea liberiùs vivendi facultatem fuiſſe in victu habitúque, ſindones induendi, geſtandi aurum in manibus auribúſque, veſcendi carnibus, præterquam animalium quæ opera adjuvabant humana, & ducendi conjuges quàm plurimas. Acribus tantùm in victu condimentis abſtinendum fuit. Ficûs majoris pomo, ſuavitate præcellenti, vixiſſe *Indorum* ſapientes, *Plinius* docet; (12. 6.) cui arbori nomen *Palæ* ſit, fructui *Arienæ*. De morte iis præcipuæ diſputationes. Hanc vitam quaſi conceptum eſſe; piè caſtéque viventibus, mortis diem vitæ melioris ac veræ quaſi natalem, dicebant. *Germanum* (quos dixi) honoratiſſimi habebantur *Hylobii*, quòd in ſylvis degerent ità dicti. Frondibus fructibúſque ſylveſtribus victitabant, ex corticibus arborum veſtiti, Venere abſtinentes & vino. Cum his per internuncios agebant reges, ubi cauſas rerum ſciſcitabantur: (neque enim in aulam dignabantur accedere.) Per eoſdem colebant ſacris & placabant deos. Poſt hos colebantur & Medici, Philoſophi & ipſi, ad malorum ſe tolerantiam pariter exercentes, hoſpitio cujuſlibet benignè accepti vulgò ſalutaris artis gratiâ. Erant etiam alii Divinatores atque Incantatores, rituum eorum gnari qui ſpectabant ad mortuos: iíque per vicos & urbes errabant. Erant & *Pramnæ* (quos vocabant,) contentioſum genus hominum, & argutiis implicandis deditum; qui *Brachmanum* Phyſiologiam Aſtronomiámque deridebant. Sic autem *Brachmanes* docebant: Mundum ſphæricum eſſe, ortum ex aqua & interiturum; terram in medio ſitam; Deum, conditorem gubernatorémque mundi, totum pervadere, ut anima corpus; præter elementa quatuor, quintam eſſe naturam cœlum, ut *Peripatetici* docent.

A.M. 2056.

Hi ordines populorum apud *Indos*. Varii mores. Pleriſque barba nutriebatur per omnem vitam; addunt aliqui cæſariem. Hunc à *Dionyſio* morem acceperant, quem *Barbatum* appellabant. Parci aliàs, in cultu corporis nimii fuerunt. Aurum geſtabant, comarúmque fuco & coloribus variis multi decorabant ſe; ſed non niſi barbarum, ait ex *Nearcho Arrianus*. Ad pulchritudinem tuendam adhibebant umbracula. Sed cultus erat præcipuus in gemmis. Parcus funerum apparatus. Pro ornatu reges habebant, ut, cùm foras prodirent, aureâ mitrâ pluribus gemmis diſtinctâ & ſindone floridâ amicti, tympaníſque & tintinnabulis præcedentibus, conſpicui fierent. In quantum mores populorum diſſonabant, habitus quoque diſcrepantiſſimus fuit. Alii linteis, alii laneis peplis veſtiebantur, alii ferarum aviúmque pellibus. Pars nudi agebant, pars tantùm obſcœna velati. Ad orientalem *Gangis* ripam, aliqui è ſcirpis paluſtribus quaſi tegetem contexentes, pro thorace gerebant.

& mores:

A.M. 2056.

Hi piſcibus tantùm crudis alebantur, quos in navigiis captabant arundineis. Alii fructibus arborum vivebant. Nam pleriſque animal occidere, veſcíque carnibus, nefas. Lepores *Cteſias* atque vulpes avibus quibuſdam venari ſolitos, corvis, cornicibus, milvis aquilíſque, non canibus, ait. Multi proximos parentéſque, priuſquam annis aut ægritudine in maciem irent, velut hoſtias cædebant; cæſorúmque viſceribus epulari fas, & maximè pium, erat. At ubi ſenectus aut morbus invaſerat, procul à cæteris abibant, mortémque in ſolitudine nihil anxii exſpectabant, cùm eſſet ſuorum nullus, qui vel ægrotos curaret, vel mortuos. Plurimis caliſtiæ ſemen cibarium fuit: ipſi reges oleribus & palmulis plerumque victum quæſiverunt; ciborum affluentiam, velut invitamenta ignaviæ, averſati. (*Alex. ab Alex.* 3.11.) Quò autem parciores, eò fortaſſe minùs hoſpitales. Nec enim peregrinis ultra dies tres hoſpitium dabant, nè cives longo uſu diſſimiles mores induerent, & in alienas leges ritúſque tranſirent. (*Alex. ab Alex.* 4. 10.) Nec minùs abſtemii fuêre; ut, niſi ſacrorum causâ, vinum bibere nulli fas fuerit. Erat etiam conſtitutum hoc mulieri præmium quæ regem temulentum occidiſſet, ut ſucceſſori nuberet. Multæ uxores in ejuſdem viri matrimonium coibant, quas pari boum à parentibus emebant plerumque; luctatione aliquando & pugnis victores, præmium certaminis abducebant. Cùm deceſſerat maritus, in certamen judiciúmque veniebant uxores, quam plurimùm ille dilexerit. Quæ erat victrix, ea læta, proſequentibus ſuis, unà cum viro in rogum imponebatur. Illa victa mœſta diſcedebat, quòd unà cum eo non liceret, quocum vixerat, mori. Ex eo nàtum ferunt hoc moris, quòd ſolerent multæ, ut novis potirentur adoleſcentum conjugiis, graviores ætate maritos veneno & inſidiis tollere. *Cathæi* regem pulcherrimum eligebant. Formas igitur magno colebant ſtudio. Nato puero, poſt menſes duos in medium producebatur, ut publico concilio decernerent, utrùm legitimam haberet formam, & vitâ dignam. Nam ex forma de indole judicabatur. Si probaretur forma, ſublatus infans curatori ſeu magiſtro tradebatur, diſciplinis bonis informandus & præceptis. Sin forma non placebat, nec vitâ dignus putabatur. *Jovem* pluvialem, & *Gangem* fluvium, & indigetes Genios, colebant pro diis. *Brachmanes* operabantur. In ſacrificiis coronatus nemo. Victimam ſtrangulabant; nè non integrum donarent diis, ſi jugularent. Cùm capillos abluebat rex, feſtus dies magnâ ſolennitate agebatur; miſſíſque hinc indè donis pretioſiſſimis, opes ſuas glorioſè oſtentabant. E legibus *Indorum* memorabiles hæ. Nullum apud ſe non liberum, ſervili conditione nullum ferebant. Peregrinis etiam & hoſpitibus, non ſibi ſolùm, proſpiciebant, advenarum præfectos inſtituendo, qui æquiſſimum illis dicerent jus, & ab injuriis vindicarent; quíque ægrotos & mortuos non minùs curarent, quàm vivos valentéſque. Teſtis falſus manuum pedúmque digitis multabatur. Qui membro aliquem orbaverat, præter talionem, truncabatur manu. Artifici manum oculúmve qui ademiſſet, luebat morte.

Monſtra hominum;

Liceat hîc addere monſtra populorum in Oriente, ut aliquid habeant Lectores unde rideant; quæ tamen graves olim autores narrabant ſerió. In monte cui nomen erat *Milo* homines fuiſſe ferunt averſis plantis, octonos digitos in ſingulis pedibus habentes. In multorum montium ſpeluncis genus hominum habitare capitibus caninis, ferarum pellibus velatos, dentibus unguibúſque longioribus quàm habeant canes, & caudis; pro voce latratum edere; vocem tamen intelligere humanam, pariterque latratum ſuum: eoſdem commercia inire cum vicinis fide ſummâ, loqui per ſigna intelligíque, venatu & aucupio maximè veſci, prædâ Solis calore toſtâ, fructu quoque ſuaviſſimo Siptachoræ arboris; cujus lacrymæ, per 30 cujuſque anni dies in fluvium prætereuntem collapſæ, dureſcunt in electrum, & ejiciuntur. *Calyſtrios* ab *Indis* vocari, hoc eſt, *Cynocephalos*; & ex iis 120000 numerari. Oves capráſque & aſinos alere, nullum exercentes artificium. Quaſdam fœminas apud *Indos* ſemel in vita parere, illico autem genitos caneſcere. Eſſe rurſum gentem alteram, quæ in juventa ſit cana, nigreſcat in ſenectute; *Pandoras* dici, & annos ducentos vivere. Eadem *Cteſiæ* utraque gens, quæ primò cana, poſt annum ætatis trigeſimum incipiat nigreſcere; quæque digitos in manibus pedibúſque ſingulis octonos habeat, & aures in humeros atque tergum demiſſas undique. Alios, qui *Monoſceli* vocarentur, ſingulis cruribus, miræ pernicitatis ad ſaltum: Eoſdem *Sciopodas* vocatos, quòd in majori æſtu, humi jacentes reſupini, umbrâ ſe pedum protegerent. *Gangis* fontem qui accolebant *Aſtomos*, ſine ore, corpore toto hirtos, frondium lanugine veſtitos, halitu vixiſſe tantùm & odore quem naribus traherent. Nullum cibum illis,

is, nullúmque potum: tantùm radicum florúmque, aſſarúmque carnium, varios odores, & ſylveſtrium malorum, quæ ſecum portabant longiore itinere, nè deeſſet olfactus. Graviori paulò odore haud difficulter exanimari. Inter *Nomadas Indos*, gentem, loco narium, foramina tantùm habuiſſe, anguium modo loripedem. Vocabantur *Syrictæ*. Quibuſdam, cervice carentibus, oculos in humeris fuiſſe. *Choromandas* ſylveſtres, horrendo ſtridore loco vocis, hirtis corporibus, dentibus caninis. Alibi fœminas ſeptimo ætatis anno parere, ſenectutem quadrageſimo accedere. *Calingarum* quinquennes concipere fœminas, octavum vitæ annum non excedere. Naſci etiam homines alicubi villoſâ caudâ, pernicitatis eximiæ. *Enotocoitos* aures ad talos uſque dependentes habuiſſe, homines robuſtiſſimos. Alios *Cyclopas*, uno tantùm in media fronte oculo, caninis auribus, crinibus erectis, pectore hiſpido, carere naſo, omnia cruda edere, vitâ breviore. Nec omittamus *Pygmæos*, monſtra minorum gentium, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes, non excedentes. Duo cubita gigantibus eorum concedit *Cteſias*; colorémque nigrum, & linguam *Indis* omnibus communem etiam his tribuit, atque leges. Reliqua ejuſdem ſoli animalia pariter exigua, boves ovéſque, aſinos & equos. Fama ferebat hos à gruibus infeſtari. Itaque inſidentes arietum caprarúmque dorſis, armatos ſagittis, veris tempore, univerſo agmine ad mare deſcendere, & ova pullóſque earum alitum conſumere. Ternis expeditionem eam menſibus confici; aliter futuris gregibus non reſiſti. Veſte nullâ viros, præter crines & barbas ultra genua demiſſas, uti. Caſas eorum luto penníſque & ovorum putaminibus conſtrui. Tria tamen ex his millia, ſagittariis nempe peritiſſimis, *Indorum* regi militâſſe. Verùm ut paria faceret his Natura, populos quoſdam adeò proceros edidiſſe fingunt, ut elephantos, velut equos, facillimâ inſultatione tranſilirent. Venia ſit de fontibus etiam & fluviis dicere admirandis. Fontium alter, ſexdecim cubitorum ambitu, auro liquido impletur quotannis, unde centum hauriuntur talenta; ferrúmque in fundo habet, quod, in terra fixum, nebulas avertit turbinéſque. Alterius aqua, ut primùm hauſta eſt, caſei more coagulatur; unde ſi quis tres obolos cum aqua miſtos bibit, mente alienatur ad tempus, quæque admiſit prodit omnia. Hoc igitur indicio regem explorare, ſontéſne ſint qui inſimulantur; & vel confitentes condemnare, vel tacentes abſolvere. Et ex fluviis unus è petra mel, alter per triginta dies quotannis electrum profundit. Quid de ligno dicam quod πάρηβον vocant, cujus ex radice vel cubitus mirâ quadam vi agnos & aves attrahit, aucupio inaudito? Hæc & alia in aliis multa regionibus tantùm non credebant Veteres, quæ jam exploſa ſunt omnia, magis magíſque indies, Divino conſilio & induſtriâ humanâ, rerum ſe pandente naturâ. A.M. 2056.

Hæc de populo. Ipſam nunc regionem contemplemur ſpecioſiſſimam. Cœlum in locis pleriſque ſaluberrimum, eâque temperie, ut indigenæ, moderato Solis vapore durati, non exſpuere ſoleant, non capitis aut dentium aut oculorum dolore affici, raro aliarum corporis partium. (*Plin.*7.2.) Indè centum & viginti annos vivere, quibus breviſſima eſt vita; quibus longiſſima, ducentos. Terra omnium feraciſſima; utpote quæ fluminibus abundet maximis, iiſque terram rigantibus inſtar *Nili*. Præcipui ſunt, poſt *Indum* & *Gangem*, hâc ætate, *Mandora*, *Micon*, & *Cantam*, *Indiæ* terminus orientalis. *Aceſines* & *Ganges*, præter alia commoda, etiam gemmas ferunt. (*Plin.*37.13.) *Sillam* fluvium memorat *Diodorus*, (*Silia Straboni* dicitur,) cui nihil innatat, omnia merguntur. *Cteſias* de *Side* ſtagno id refert: (*Plin.*31.2.) quod tamen *Ariſtoteles* non probat. Alibi fontem eſſe narrat, ubi nihil demergitur, fluitant omnia, & ejiciuntur in terram; præter metalla ferri, auri, æris & argenti, quæ ſola fundum petunt. Et fluminibus irrigari hoc ſolum, non pluviis, idem autor eſt; nullas enim eſſe, ut nec fulgura tonitruáve: ventos autem turbinéſque, ut frequentes, ità impetuoſos. At *Plinius*, tantùm æſtivos imbres non habere *Indiam* & *Æthiopiam*, aſſerit, (l.17.18.) Regio;

Animalia pleraque ſunt qualia & in Occidente, terrâ maríque; ſed in omni genere, præter equos, grandiora; ut & arbores, quæ tantæ proceritatis traduntur, ut ſagittis ſuperari nequeunt. (*Plin.*7.2.) Canes robuſtiſſimi, & leonibus pares. Capræ ovéſque aſinis majores. Porcis caret *India*. Solitudines & hîc ſylváſque ingentes feræ incolunt. Serpentes elephantis pares, quibuſcum illis bella perpetua. Ex eo de magnitudine judicium, quòd cervos, & animantium alia ad parem molem, tota hauriant: quinetiam oceanum *Indicum*, quantus eſt, penetrent, inſuláſque magno ſpatio à Continente ſeparatas pabulandi petant gratiâ. Sed & tanto numero ſerpentes Feræ;

A.M. 2056. pentes alit hæc terra, ut, niſi fluviorum inundationibus tollerentur, vaſtaturi omnia viderentur. Armenta illic elephantorum, longè præſtantiorum *Africanis*; qui quidem pavent *Indicos*, nec contueri audent, quippe minores, ut in ſolo aridiore nati. His arabant *Indi*, his invehebant & vehebantur; hæc maximè novêre pecuaria; denique, his dimicabant, militabántque pro finibus. Ex horum numero potentia regum æſtimata. Præter omnes propè feras *Æthiopum Indiæ* communes, Monocerotes quoque ſunt, Mantichoræ, ac Boves unicornes atque tricornes, ſolidis ungulis; etiam Axis, fera hinnuli pelle, pluribus candidioribúſque maculis. Sylveſtres & Aſinos *Cteſias* prædicat maximos & velociſſimos, purpureo capite, albo corpore, cubitali cornu in fronte armatos; unde pocula fiebant, morbis quibuſdam veneníſque retundendis ſalutaria. Monoceros reliquo corpore equo ſimilis, capite cervo, pedibus elephanto, apro caudâ. Mugitu horrido monſtrum, cui mediâ fronte unum cornu cubitorum duûm eminet, adeò indomitum, ut interimi quidem poſſit, capi non poſſit. Mantichoræ, ſeu Martichoræ, facie & auriculis humanis, glaucis oculis, ſanguineo colore, corpore leonino, triplici dentium ordine pectinatim coëuntium, magnæ velocitatis feræ, humanæque carnis avidiſſimæ. Vocem habent, ut ſi miſceatur fiſtulæ & tubæ concentus; caudam, ſcorpionis more, aculeorum ſpinis armatam. Ab hominibus non niſi elephantorum tergo inſidentibus (in quos feræ ſolos nullam habent vim) interfici. *Pauſanias* (in *Bœot.*) non aliam eſſe à Tigride opinatur; & famam de triplici dentium ordine, de armata ſpiculis cauda, ex terrore magìs quàm ex re, apud *Indos* natam. Formicáſne *Indicas* commemorem, vulpibus majores, quæ venatu vivunt, aureáſque arenas egerunt ex cavernis hyeme; eáſque dum *Indi* furantur æſtivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis, odore tamen ſolicitatæ provolant, crebróque lacerant, quamvìs prævelocibus camelis fugientes, carnéſque ſpargentes in via quæ morentur? Et alatas ex his aliquas fingunt. Dicámne de Viperis 16 cubitorum, Simiíſve parvis caudas trahentibus quatuor cubitorum? Satìs fabularum jampridem audivimus. Scrutemur & aquas: nam & eæ gignunt miracula non minora terris. *Gangem* aiunt vermes alere (qui à forma nomen traxerunt) cæruleos, duabus branchiis cubitorum ſexaginta. (*Plin.* 9. 15.) *Cteſias* cubita iis non niſi ſeptem dat. His tantas eſſe vires, ut non boves & camelos modò noctu egreſſi trahant ad fluvium, devoréntque totos præter ventrem, ſed elephantos etiam, ſi *Plinio* fides, ad potum venientes, mordicus comprehensâ manu eorum, abſtrahant. *Indica* maria balænas habent quatuor jugerum, & ducentorum cubitorum priſtes; quippe ubi locuſtæ quaterna cubita impleant, anguillæ quoque in *Gange* amne tricenos pedes. (*Plin.* 9. 3.) Teſtudines verò tantæ magnitudinis emittunt ea maria, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant; atque inter inſulas, Rubri præcipuè maris, his navigatur cymbis.

Commoda. Jam verò ea regionis fœcunditas atque felicitas, quæ in granditate animalium tantopere luxuriat, in frugibus fructibúſque terrarum haud obſcurè perſpicitur atque prodit ſe. Soli gratitudo colentibus, duplicem quotannis meſſem, laborum ſolvit ampliſſimam mercedem. Fruges varias edit, hordeum inprimis & oryzam, legumina, fructúſque arborum ſuaviſſimos. Itaque fames illic nulla, caritas annonæ rariſſima, calamitáſve agrorum. Frumentum tamen perexiguum, neque vites copioſæ. Ex hordeo & oryza potum conficiunt, ex palma vinum. Ex arundinum quoque radicibus dulcis humor exprimebatur ad melleam ſuavitatem; unde noſtris temporibus, arte nondum Veteribus notâ, Saccharum fit. Ferebant etiam arundines quaſdam paluſtria fluviorum, altitudine malis navium pares, amplitudinis arboreæ, quas ambabus ulnis haud facilè quis complecteretur; imò vix bini homines conjunctis ulnis comprehenderent, ſi *Cteſiæ* credatur. Marem in his & fœminam; illum ſolidiorem fuiſſe, cum nucleo hanc & concavam. Singula calamorum internodia cymbæ vicem præſtabant, quæ binos navitas, aliquando tres, alveo vectitabat. Magna illic bombycinæ lanæ copia, & ſerici, & arborum linigerarum. Nam ut *Arabes* ex cucurbitis in arboribus genitis, ità *Æthiopes Indi*que è malis quarundam arborum, maturitate ruptis, lanuginis pilas colligebant, ex quibus pretioſo linteo faciebant veſtes. Ebenus arbor illis ferè propria; & palma quæ *Coquos* dicitur, utiliſſima ſanè omnium, ut quæ navem unà & inſtruit materiâ, & onerat mercibus. Caryotam verò palmulámque dactyliferam communem, *Indi*, opinor, non habent.

Diviſa

A.M. 2056.

Diviſæ arboribus patriæ: ſola India nigrum
Fert Ebenum,——

(ait Poëta Georg. 2.) Ex eo reges *Indorum* ſceptra & imagines deorum habebant, & pocula; quòd noxium in eo liquorem contineri non poſſe crederent. Sed compertum eſt, ebenum in *Æthiopia* quoque, *Indico* prælatum à *Dioſcoride*, alibi Coquum arborem, & pſittacos, & arundines ſacchari feraces, reperiri jam, quæ *Indorum* ſolùmmodo putabantur deliciæ. Mittit *India* & calamos odoratos, aliáque multa fragrantia mirificâ ſpiritûs ſuavitate. Piper ſolis debetur. Quid dicam de ficu *Indicâ*, quæ filis quibuſdam radicantibus more fragorum creſcit in ſylvam, ut ſub unâ ficu turmæ condantur equitum? quid de arboribus aliis innumeris, maximè fructiferis? quid de medicamentis & coloribus, de herbis, quadrupedibus, avibúſque ac piſcibus, *Europæ* ignotis? Auro & argento metallíſque aliis ditiſſima hæc regio; quanquam *Plinius* (35.17.) plumbum ei & æs deeſſe dicat, gemmíſque ſuis ac margaritis hæc permutare, quibus abundat, lapillíſque omnibus magni pretii, quos non modò ſuis præbet, ſed mercatoribus quoque omnium gentium. Itaque gemmiferam *Plinius Indiam* terrarum eſſe maximè omnium dicit, (lib.37.13.) Sed & ære fuſo etiam *Indos*, utì *Strabo* eſt autor; (lib.15.) ductili nequaquam. *Oromenus* ibi ſalis nativi mons, in quo lapicidinarum modo cæditur renaſcens: majúſque regum vectigal ex eo eſt, quàm ex auro atque margaritis. (*Plin.*31.7.)

His *Indorum* divitiis inhiabat *Semiramis*; bellúmque propterea, nullis laceſſita injuriis, ultro vicinis inferebat. Et omnium prima quidem *Indis*. Verè *Juſtinus*, eò *præter illam & Alexandrum Magnum intrâſſe neminem.* Nam quod *Ægyptii* tradunt de ſuo *Baccho*, id eſt, *Oſiride*, de ſuo item *Græci*, *Ægyptiorum* exemplo, ac de *Hercule* poſteriùs, illos *Indiam* ſubegiſſe, *Eratoſthenes* & alii meritò rejiciunt ad Poëtarum fabulas. Quem enim ipſi (apud *Diodorum*) *Indi* ab Occidente ad ſe *Dionyſium* adveniſſe ferebant, apud ſe quoque mortuum aſſerebant eundem, poſtquam 52 regnaviſſet annos, filiíſque tradidiſſet imperium. Cùm vicatim diſperſi mortales habitarent, magnum aiebant exercitum *Dionyſii* facilè totam peragrâſſe *Indiam*. Ac primò peſte magnâ correptos milites laborâſſe. Ducem prudentiſſimum è campeſtribus in montana copias traduxiſſe, ubi frigidioris auræ afflatu, & purioris aquæ hauſtu, morbo levatæ ſunt. Mons ille *Meros* vocabatur, quod Græcè *femur* ſignificat. Indè *Græcos*, *Bacchum* in femore *Jovis* nutritum, finxiſſe. Hunc *Dionyſium* poſtea omnem agros colendi artem & vindemiandi, conſtruendi civitates, ferendi leges, denique Numinis religionem docuiſſe. Tympanis in exercitu cymbalíſque uſum loco tubarum, quæ nondum repertæ. Ità & *Herculem* apud ſe dominatum eſſe, virum fortiſſimum, prædicabant, maria terráſque perpurgâſſe monſtris, filiis denique morientem, & filiæ quam unam ſuſceperat *Pandææ*, diviſiſſe imperium. Filiam, quòd unica eſſet ſui ſexûs, ob id gratiorem, præcipuo regno donatam, gentémque *Pandæam* indè appellatam, & ſolam *Indorum* poſtea regnatam fœminis. Hæc *Indi*, quæ non multùm cum fabulis *Græcorum* conveniunt.

De *Dionyſio* & *Hercule Indorum* traditio.

§ 45. Majoribus autem *Semiramis* ſibi opus eſſe copiis facilè perſpexit, contra tantas potentiſſimæ gentis opes. Ad præfectos igitur ſingularum provinciarum dedit mandata, ut juvenum valentiſſimos ad militiam conſcriberent, & ſedulò exercerent armis. Paratos, armíſque inſtructos, *Bactris* anno tertio ſibi ſiſterent. Navium quoque architectos è *Phœnicia*, *Syria* & *Cypro* acceſſiit, aliíſque locis maritimis. Imperatum his, ut fluminibus aptæ naves, eæque diſſolubiles, compingerentur; quibus ad tranſitum *Indi* plurimis erat opus futurum. Cùm autem in locis fluvio propinquis deeſſet materia, eò ex *Bactria*, itinere terreſtri, neceſſe fuit tranſportari. Sed ab *Indorum* elephantis præcipuè timebatur. Hunc ut ſuis metum eximeret, hoſtibus incuteret, elephantos & ipſa oſtentare voluit, ſimulatos potiùs quàm nullos, *Indis* minimè omnium exſpectantibus hunc hoſtem. Ter centena boum cæſa ſunt millia: carnes datæ ſutoribus, quorum arte ſimulacra elephantorum ex coriis erant fingenda. Ità enim ſtramine ſuffarciebant, ut vacuus in medio locus, & camelo qui geſtaret, & homini qui regeret, relinqueretur. Neque verò palàm hæc agebant & in propatulo; ſed altis ſepti mœnibus, ſub fideli cuſtodia, nè qua rei fama in vulgus emanaret, hoſtibúſque proderet artificium. Poſt annos duos parata omnia: milites in *Bactriam* ex omnibus imperii partibus confluunt, millia peditum tricies centena, equitum quingenta millia, curruum centena, ut & camelorum, quibus inſidebant

Copiæ *Semiramidis*.

A.M. 2056. bant viri fortiſſimi, gladiis accincti cubitorum quatuor; navium denique duo millia. *Suidas Dercetæo*, ſpectatæ prudentiæ fideíque viro, demandâſſe hunc apparatum *Semiramidem* ſcribit: & myriadas fuiſſe (ſi qua fides) equitum centenas, peditum ter centenas, curruum falcatorum 10, totidem militum è camelis pugnantium, camelorum ad onera 20, coriorum bovinorum 30, quæ cruda geſtabant; longarum navium tria millia, roſtris æneis, & inſtructa nautis è *Syria*, *Phœnicia*, *Cypro*, *Cilicia*, peritiſſimis; fictorum elephantorum denique 200000. Elephantes etiam, crebrâ pugnandi exercitatione, redditi ſunt equis familiares, nè belluarum novâ formâ ferociâve conſternerentur. *Indis* hoc tempore fluvio propinquis *Indo* imperabat *Stabrobates*, ſive *Staurobates*. Ille cùm de tanta belli tempeſtate imminente ſibi nuncios accepiſſet, belli ſtudiis & ipſe ſedulò incubuit, *Semiramidém*que ſuperare contendit, non bello tantùm, ſed & apparatu bellico. Navigiorum fabricata ex arundinibus quatuor millia. Eóque præſtantior eſt hæc materia navium, quòd cariem non ſentiat. Deinde, militibus cogendis *Indiam* obiit univerſam, unde majorem longè (ſi fieri poſſit) hoſtili exercitum contraxit. Elephantorum poſtremò auget numerum venationibus novis. Illi tantâ erant multitudine, itáque inſtructi & armis & arte ad prælium, ut eorum impetus vix humanis viribus ſuſtineri poſſe videretur.

& Staurobatæ Indi.

A.M. 2059. Rebus omnibus utrinque ad bellum ritè præparatis, *Staurobates* primò per legatos apud *Semiramidem* agit, jampridem iter ingreſſam, injuſtiſſimæque ambitionis arguit, quòd vicinos, nullis provocata injuriis, bello quietos laceſſeret. Deinde, per literas probra in vitam ejus fœdam & flagitioſam ingerit. Deos denique obteſtatus, eam ſe, devictam armis, cruci affixurum interminatur. Lectâ epiſtolâ, ſubridens *Semiramis*, *Quæ mea*, inquit, *virtus ſit*, *ex factis periculum Indus faciet*, *non ex literis.* Cùm ad fluvium tandem utriuſque regni terminum perveniſſet, claſſem hoſtium paratam invenit ad prælium, prohibiturum tranſitum. Suam igitur & ipſa inſtruit claſſem, & rem prælio navali experitur. Terreſtres etiam copias in ripa ſic objecit hoſtibus, ut plurimùm in prælio adjuverint. Ibi acre certamen commiſſum eſt, ac diutiùs magnis utrinque viribus pugnatum. Tandem ſuperata *Indorum* claſſis, navibúſque mille ſubmerſis, plurimi capti ſunt. Inſulas quoque ac urbes in flumine ſitas occupavit regina, milliáque hominum propè centena in ſervitutem redegit. Claſſe amiſſâ, *Indorum* rex, fugam ſimulans, ſuas procul à flumine copias abduxit, ut hoſtes, id formidine factum rati, fluvium eò tranſirent audaciùs: quod & factum eſt. Cùm enim ex voto res *Semiramidi* ſuccederet, latiſſimo ponte, quò facilior eſſet tranſitus, fluvium conſtravit, omnéſque traduxit copias. Ponti longitudinem *Suidas* 20 ſtadiorum tribuit, ubi fluvius erat anguſtiſſimus; latitudinem verò incredibilem ſtadiorum 300. Millia militum 60 ad pontis cuſtodiam relicta: *Indos* cum reliquo exercitu perſecuta eſt. Præcedebant elephantorum ſimulacra, quò regii exploratores, elephantorum apparatu conſpecto, ſuis novitate inopinatæ rei metum injicerent. Verùm ea ſimulatio haud diutiùs latuit. Nam admirantibus *Indis* unde tanta *Semiramidi* copia elephantorum ſuppeteret, quidam ex hoſtium exercitu, qui metu pœnæ ob neglectas excubias transfugerant, rem prodidêre. Eo animoſior multò rex, elephantorum figmento vulgato per exercitum, ut hoc ſublato metu pugnam alacriùs capeſſerent, copias omnes adverſus *Aſſyrios* eduxit. Inſtructâ acie *Semiramis* quoque ad hoſtem accedebat. Appropinquantibus exercitibus, rex equites & currus in prima acie ante phalangem deſtinavit. *Semiramis* ſimulatis elephantis adverſus equites præmiſſis, initóque certamine, regios equites profligavit. Aſſueti enim veris elephantis equi, novâ formâ olfactúque inſueto turbati ſunt. Itaque pars in terram proſternitur, pars in hoſtes equorum impetu, pars in alia loca defertur. *Semiramis*, cum delectis militibus victoriam ſecuta, *Indos* in fugam vertebat. Quibus ad phalangem refugientibus, *Staurobates*, quamvìs nonnihil animo perculſus, aciem tamen peditum præcedentibus elephantis promovebat. Ipſe in dextro cornu pugnans, generoſóque inſidens elephanto, adverſus reginam virili animo ſe intulit, in acie oppoſita fortè præliantem. Veri elephanti contra ſimulatos ibant; neque pari robore pugnabatur. Superiores jam regii, magnam edebant *Aſſyriorum* ſtragem, qui partim elephantorum pedibus conterebantur, partim proboſcide jactati, aut lacerati dentibus, interibant. Cùm magnus interfectorum acervus cumularetur, timórque ac terror omnia compleviſſet, nulli jam ordinem ſervabant. Ità omnibus ferè *Aſſyriis* ad fugam intentis, rex *Semiramidi* caſu obvius, primò ſagittâ

Navali pugnâ victrix,

terreſtri ſuperata, *Semiramis*

tâ brachium ejus, deinde jaculo humerum ſauciavit. Ea protinus, vulnere haud morante, (leve enim erat,) equo velociſſimo in fugam ſe proripit, belluâ non æquis paſſibus inſequente. Omnes jam in fugam verſi ad naves tendunt, ſed per loca tantæ multitudini anguſta. Cùm igitur, equitibus peditibúſque permixtis, alter alteri impedimento eſſet, neque fugæ, neque ſalutis ullus dabatur locus, ſed ipſi ſuomet tumultu oppreſſi interibant. In ipſo ponte, *Indis* tergo inhærentibus, multi ex utroque latere, præ fugientium multitudine, in aquam præcipitati ſunt. *Semiramis*, ubi major pars eorum qui prælio ſuperfuerant tranſiiſſet, pontem ſuper naves fabricatum diſcidit, nè hoſtibus ad ſe aditum daret. Diſtractæ naves disjectæque per flumen, multis *Indorum* qui perſequebantur, unà cum *Aſſyriis*, fluminis vi abreptis atque deletis. Rex, multis prodigiis augurúmque reſponſis monitus nè flumen tranſiret, finem perſequendi fecit. *Semiramis* autem, permutatis captivis, vix tertiâ exercitûs parte ſalvâ, in *Bactriam* revertitur. Paulò pòſt, detectis quas ei filius *Ninyas* per Eunuchum fecerat inſidiis, *Ammonis* reſponſum in memoriam revocat. Remiſſâ igitur omni injuriâ, cùm, ut filio regi parérent, omnibus præfectis mandaviſſet, è medio ſublata eſt, ad deos juxta oraculi reſponſum (ut creditum eſt vulgò) tranſlata. Aliqui fabulantur, eam in Columbam tranſiiſſe. Compluribus enim avibus domum ingreſſis, & illam unà cum reliquis avolâſſe ferunt. Quo factum eſt, ut *Aſſyrii* Columbam pro dea coluerint. Atque ejus fortaſſe gratiâ *Palæſtini*, unde *Semiramis* orta eſt, lege latâ columbis olim pepercerint: de quo *Tibullus*,

A.M. 2059. fugit,

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Signum ejus bellicum fuiſſe Columbam, ex *Hebræo* quodam *Scaliger* (in *Euſebium*) tradit. *Arrianus* periiſſe, nec reverſam ex *India*, *Semiramin* refert. *Strabo*, (lib.15.) cum viginti hominibus tantùm evaſiſſe fugâ: & priuſquam aggrederetur, obiiſſe. *Juſtinus*, cùm filii concubitum petiiſſet, ab eodem interfectam ait, ſeu abhorrente fœdiſſimam rem; ſeu verito fortaſſe, nè pari fato interiret (niſi occupâſſet) quo reliqui perierant mœchi. *Suidas* (in voce *Thurras*) & Faſti *Siculi*, potitam fuiſſe concubitu filii ſui *Semiramidem* ſignificant, natúmque indè *Thurram*, ſive *Arium*, qui patri ſucceſſit in imperio. Nam *Zamen* & patrem ejus, eundémque fratrem, vocant. Denique, *Hyginus*, (Fab.243.) eam equo amiſſo, eo fortaſſe quem turpiter amaviſſe dicitur, in pyram ſe conjeciſſe, prodit. Imperavit univerſæ *Aſiæ*, præter *Indos* atque *Scythas*. Vixit annos 62, 42 regnavit. Sed vixiſſe longiùs neceſſe eſt, ſi filium habuit decedente *Nino* formâ ſibi & ſtaturâ æqualem, duorum antea ex *Menone* liberorum parens. Et hæc quidem *Cteſias Cnidius* pleraque de *Semiramide* ſcripſit atque *Nino*; quorum in multis videtur mihi, non tam fidem dictis ſuis conciliare voluiſſe, quàm admirationem, adeò ſumma ſunt & hyperbolica. *Athenæus* nonnullíque alii Scriptores produnt, *Semiramin* fuiſſe meretricem elegantis formæ, ab *Aſſyriorum* rege adamatam: ac primùm in mediocri apud regem gratia, mox etiam legitimæ uxoris loco habitam, perſuaſiſſe viro, ut quinque dies ſe ſolam regnare pateretur. (Non niſi unum diem *Plutarchus* refert, in Amatorio.) Sceptro potitam, primo die ſplendidum inſtituiſſe convivium, in quo duces omnes principéſque adegit, ut ſibi veluti reginæ ſacramento fidem obſtringerent. Poſtridie, cùm jam proceres populúſque dicto illi audientes eſſent, virum in carcerem compegiſſe. Ità magno ingenio animóque fœminam occupâſſe imperium, & ad ſenium uſque, multis à ſe præclarè magnificéque geſtis, tenuiſſe. (*Ælian.* Var. hiſt. 7. 1.) *Hyginus* (Fab.240.) etiam *Ninum* ab ea interfectum ſcribit. *Plutarchus* (in Apophthegmat.) narrat, *Semiramidem*, cùm ſibi ſepulcrum condidiſſet, inſcripſiſſe hæc, *Si quis rex pecuniâ indiguerit, is, hoc recluſo monumento, ſumat quantum volet. Darium Perſam*, aperto ſepulcro, nullam inveniſſe pecuniam, ſed aliud ſcriptum hujuſmodi, *Niſi malus eſſes avariſſimúſque, mortuorum loculos non excuteres.* Hoc *Nitocridi* ab *Herodoto*, (lib.1.) *Babyloniorum* reginæ, pariter attribuitur. Meminit *Plinius* (33. 3.) de cratere *Semiramidis*, cujus pondus 15 talenta colligebat, quem *Cyrus*, devictâ *Aſiâ*, in ſpoliis nactus eſt.

moriturque,

§ 46. Mortuâ *Semiramide*, *Ninyas* filius, qui *Zames* & *Zameis* quoque dictus eſt, contentus elaborato à parentibus imperio, belli ſtudia depoſuit, &, veluti ſexum cum matre mutâſſet, rarò à viris viſus, in fœminarum & eunuchorum turba conſenuit. Summam enim regis felicitatem in eo ſitam credidit, ut curis & moleſtiis vacaret, volup-

filio ſuccedente *Ninyâ*.

A.M. 2059. voluptatibúſque afflueret. Poſteri quoque, ejus exempla ſecuti, reſponſa gentibus per internuncios dabant. Itaque provinciarum plurimæ in *Aſia*, & ſi quæ in *Africa* fuerunt, (ut credibile eſt) excuſſerunt jugum. Unde *Dionyſius Halicarnaſſ.* (in Procemio ſui Operis) *Aſſyriorum* ait pervetuſtum fuiſſe imperium, at non niſi exiguam obtinuiſſe partem *Aſiæ*. Nec enim tranſiiſſe videtur *Euphratem* ab Occidente, vel attigiſſe *Indiam Scythiámve*. *Meſopotamiæ* verò, *Mediæ*, *Babyloniæ*, & aliis quæ manſerunt in fide, præſides dati, & mutati quotannis, cum exercitu ſemper novo: ut hoc fræno ſubditi continerentur in officio; nec tamen, imperii & armorum diuturnitate, præſides ipſi militéſve ſolicitarentur ad novandas res. In urbe *Nino* apud *Aſſyrios* regiam ſibi ſedem *Ninyas* collocavit, deſeruit *Babylonem*. Poſt *Ninyam*, 38 annis potitum imperio, regnârunt 30, ut *Cteſias* probabiliùs tradit, vel, ut alii, 37 *Aſſyriorum* reges, hærede ſemper filio patri ſuccedente; quorum nomina (ut vulgò feruntur) temporáque libuit apponere, ídque ſimul ac ſemel omnia, nè vel nomina ipſa deſiderarentur, vel nominibus nudis interrumperetur hiſtoria. Quippe nihil ab iis geſtum eſt memoriâ dignum; niſi quòd *Arium* gentes Arctoas debellâſſe, *Teutamum* ferunt auxilia miſiſſe *Priamo* ad bellum *Trojanum*, & *Sardanapalum* ſocordiâ ſuâ exitium huic imperio & exitum attuliſſe: de quibus propterea ſolis plura mihi ſuo loco dicenda ſunt. *Arius* verò, 4. à *Nino*, regnâſſe dicitur annis 30; 5. *Aralius* 40; 6. *Xerxes* 30; 7. *Armamithres* 38; 8. *Beluchus*. 35; 9. *Balæus* 52; 10. *Sethus* 32; 11. *Mamythus* 30; 12. *Aſcalios* 28; 13. *Sphærus* 22; 14. *Mamylus* 30; 15. *Sparthæus*, ſive *Sparetus*, 42; 16. *Aſchatades* 38; 17. *Amyntes* 45; 18. *Belochus* 25; 19. *Balatores* 30; 20. *Lambrides* 30; 21. *Soſares* 20; 22. *Lampraës* 30; 23. *Panyas* 45; 24. *Soſarmus* 42; 25. *Mithræus* 27; 26. *Teutamos* 32; 27. *Teutæus* 44; 28. *Arabelus* 42; 29. *Chalaos* 45; 30. *Anabos* 38; 31. *Babios* 37; 32. *Thinæos* 30; 33. *Dercylus* 40; 34. *Eupacines* 38; 35. *Laoſthenes* 45; 36. *Pyritiades* 30; 37. *Ophratæus* 21; 38. *Ephatheres* 52; 39. *Acracarnes* 42; 40. *Tonos Concoleros*, qui & *Sardanapalus*, vel *Sardanapallus*, 20. Qui omnes, unà cum *Beli* regno annorum 55, annos conficiunt 1484. At hic annorum numerus, imperiíque *Aſſyriaci* diuturnitas minimè probanda videtur, eò quòd minimè conveniat Sacris Literis. Nam *Sardanapalum*, hujus Dynaſtiæ regem ultimum, interiiſſe oportet antequam *Salmanaſſar*, alterius Dynaſtiæ rex, regnum evertere potuit *Iſraëliticum*. At ſi *Ninus* eo tempore ſtatuatur quo ab *Euſebio* ſtatuitur, annis 42 ante ortum *Abrahami*, conſequetur, *Samariam* fuiſſe captam à *Salmanaſſare*, nondum nato, nedum defuncto, *Sardanapalo*. Quòd ſi, ad ſanandum hoc incommodum, retro agatur *Ninus* annis 130 pluribúſve, ut initium ejus regni collocetur circiter mundi annum 1800. alterum indè naſcetur incommodum; nullo modo potuiſſe *Ninum* ea bella gerere, victoriáſque reportare, quæ memorantur, quia paucitas humani generis eo tempore nondum ei vel milites ſuppeditare potuit, vel hoſtes. Paulò minus ergò ſpatium temporis huic imperio tribuendum eſt, ídque nobis petendum ex aliquo probabili autore. Tradit *Herodotus*, (lib.1.) quingentis viginti modò annis *Aſſyrios* eſſe dominatos in *Aſia*. At hoc aliorum hiſtoriis repugnat omnium, *Cteſiæ*, *Diodori*, *Trogi*, *Africani*, *Paterculi*; qui tamen, ut poſteriores tempore, ità res *Aſiaticas*, præcipuè poſt *Alexandri* Magni victorias, & opportuniùs diſcere potuerunt, & veriùs tradere. Sed ipſa urbis *Nini*, ſeu *Nineves*, antiquitas hunc perſpicuè refellit errorem; quæ, à *Nino* denominata, eodem ſeculo vixiſſe ac dominatum eſſe *Ninum* arguit neceſſariò. Nec enim dici poteſt, conditam fuiſſe ab alio, poſt multa ſecula inſtauratam à *Nino*, & donatam ſuo nomine. Moſes enim *Nineven* appellat, antequam ii regnaverunt *Aſſyrii* de quibus meminit *Herodotus*. *Pomp. Trogus* ait, *Aſſyrios* imperium mille trecentis annis tenuiſſe. *Diodorus Siculus* haud multùm diſcrepat, qui annos addit 60. Eo *Trogi* numero annorum facilè conciliantur cum Sacra profanæ gentium Hiſtoriæ, neque ullo is urgetur incommodo. Eum itaque nos aliis prælatum amplectemur.

A.M. 2076. § 45. *Apide* mortuo *Ægialenſium* rege, quintus imperavit *Telexion* annis 52. Hujus regis tempora uſque adeò mitia fuerunt lætaque, ut eum defunctum velut deum coluerint, ſacrificando, & ludos celebrando, quos ei primos omnium inſtitutos ferunt. (*Aug.* de Civ. Dei l. 8. c. 2.)

ABRA-

ABRAHAMUS,
SIVE
ANNALIUM MUNDI
Primi Tomi
LIBER TERTIUS;
Qui,
A Vocatione *Abrahami* ad Obitum, annos comprehendit 105.

§ 1. PErvaſerat jampridem univerſas ferè mundi gentes exſecranda ſuperſtitio Idolorum, malorúmque Dæmonum cultus. Homines enim pleroſque omnes ſuæ Deus naturæ permiſit, ducendóſque in Sacris Diviníſque rebus tradidit. Ea verò cùm in his caliget, declinétque per ſe in deterius, ille rugiens Leo ſuâ vi, ſuíſque artibus ille Serpens vetus, facilè in omnem homines pravitatem impietatémque non opinantes impulit. Non deerant tamen veri Numinis ac Religionis cultores aliqui, (Deo id agente,) variis in locis tanquam ſtellæ ſparſi, quò latiùs elucerent in illis tenebris, & aliis præferrent ſuæ pietatis facem. Ex his vel nobiliſſimus poſt *Noachum* erat è *Chaldæorum* gente *Abramus*. Ex ejus nimirum ſtirpe *Chriſtum*, ſive generis humani Salvatorem, naſci, jam antè ab æterno conſtituerat Deus. Majores habuit *Tharam* patrem, *Nachorem* avum, *Serugum* proavum, de quo antea meminimus, & reliquos è gente *Semi:* Sed & hos pleroſque, patriæ ſuæ vitio, idololatras. (*Joſ.* 24. 2.) *Abramum* ipſum tradunt, Aſtronomiæ peritiſſimum, utpote *Chaldæum*, à cœlo ſideribúſque aſcendiſſe animo ad primum cœli Autorem, Motorémque ſiderum. Nec enim hæc ſuâ vi conſtare poſſe; ſed vim eſſe quandam perſpexit his omnibus altiorem majorémque, à qua iſta pendeant univerſa. Illud eſſe Divinum Numen, illud præcipuè ſuſpiciendum, illud ſolummodo venerandum colendúmque. Itaque cœpit receptam vulgò perſuaſionem de Diis convellere; primúſque omnium clarâ voce prædicavit unicum eſſe Deum, Univerſitatis rerum Opificem, præterea nullum. Pictos autem fictóſque deos *Chaldæorum*, veri Numinis rivales, animo deteſtatus, ferro comminuit, igníque mandavit. Cùm enim ipſi homines opera Dei ſint, iſtos deos, opera hominum, flammâ digniores quàm cultu cenſuit. Quin & patrem ſuum *Tharam*, ſtatuarum primum artificem arte figulari, (ut *Serugus* imaginum fuiſſe dicitur,) impietatis arguiſſe ferunt, quòd homines in fraudem induceret malis artibus lucri gratiâ. (*Epiphan.* adverſ. Hæreſ. 1. 1. § 6. *Suidas* in *Seruch.* & *Abraham.*) Et hæc *Abramum* agitâſſe puerum, annos tantùm 14 natum; 48 ait *Maimonides*, *Cedrenus*, & alii. Eadem ferè *Joſephus*, (Antiq. *Judaïc*. 1. 8.) Sed incertæ veritatis hæc omnia. Ea verò certa quæ traditurus ſum: *Urem*, ſive *Uriam*, fuiſſe urbem

A.M. 2078.

Veri Dei cultor *Abramus*.

A.M. 2078. *Chaldæorum* ; *Ignem* ſignificâſſe ; ac itâ fortaſſe denominatam, quòd in ea coleretur Ignis pro numine, ex inſtituto *Nini*. *Eupolemus* (apud *Euſebium*, Præparat. 9.17.) *Camarinam* vocat ; regionem *Ptolemæus* *Orchoën*. Ex hac *Abramum* urbe, anno ætatis 70. circiter, Dei fuiſſe mandato evocatum. Voluit enim Deus à ſceleratiſſimæ gentis commercio liberum, à contagione immunem conſervare, ut in eo ſibi colligeret Eccleſiam. Voluit etiam obſequium fidémque hominis exercere, & ad exemplum poſteris reddere illuſtriorem. Sic igitur locutus illi Deus eſt, non humano, (reor) ſed modo quodam ſpiritali, animo ſuggerens quod intelligi volebat. " Migran-" dum hinc tibi eſt, *Abrame* ; linquenda tellus & domus, amici & familiares cog-" natíque omnes deſerendi : in regionem ignotam proficiſcendum, quam ego tibi de-" ſignaturus ſum. Unum enim ego diffundam te in gentem magnam. Proſpera " tibi ut cedant omnia efficiam : afficiámque gloriâ te, nominíſque magni celebri-" tate. Nec uni modò tibi, ſed & aliis benedicam tui gratiâ. Tuis amicis amicum " præſtabo me, inimicis hoſtem. Denique, in uno te gentes terrarum benedicentur uni-" verſæ. Hæc ad *Abramum* Deus. Ille, oraculo accepto, ſpe fidéque plenus, ad iter protinus accingit ſe, nullâ interpoſitâ vel deliberandi morâ, etſi quò ſibi migrandum eſſet neutiquam intelligeret. (*Heb.* 11.8.) *Abramum*, *Joſephus* tradit, cùm *Chaldæi* contra eum inſurgerent, quòd nova quædam docere videretur de Deo, aliò migrandi conſilium cepiſſe. Alii fabulantur *Judæi*, traditum à *Chaldæis* eum quaſi devorandum igni, eò quòd Ignem, populare gentis numen, recuſaret colere ; (*Hieronym.* Tradit. in *Geneſ.*) ſed liberatum à Deo effugiſſe. Ejus tamen fratrem *Aranum*, cujus erat pietas tepidior, interiiſſe combuſtum eodem igne. Fuerant enim illi duo fratres natu majores, *Aranus*, quem dixi, & *Nachor*. *Aranum* amiſerat, patri præreptum vel morte immaturâ, vel nece (quam dixi) violentâ religionis & pietatis causâ ; cujus in *Ure*, oppido *Chaldæorum*, ſuâ etiam ætate ſepulcrum extitiſſe, narrat *Joſephus*. *Nachor* in iiſdem hæſit ſedibus apud *Chaldæos*, donec, *Tharâ* mortuo, in paterna bona ſucceſſit hæres. *Lotum* verò fratris *Arani* filium, ejuſdémque filiam (ut credibile eſt) *Saraiam*, ſive *Iſcham*, uxorem ſuam, viæ comites habuit *Abramus* ; patrem *Tharam* itineris ducem, ſive amore filii ductum, ſive odio impulſum impiæ impuræque gentis. *Tharam* *Joſephus*, propter obitum luctuoſum *Arani* filii, exoſam habuiſſe *Chaldæam* prodit. *Lotum* verò adoptatum à patruo *Abramo*, qui carebat liberis. Unà igitur proficiſcuntur omnes ex *Ure*, ſive *Camarina*, civitate *Chaldæorum* ; *Haranam*, ſive *Charras*, *Meſopotamiæ* tandem perveniunt. Iſthìc *Thara* figit baculum, aut loco ipſo captus, aut tædio diutinæ peregrinationis. Reliqui omnes uſque ad mortem adhærent patri.

Marginal notes: oraculo juſſus vertere ſolum, paret ;

A.M. 2084. § 2. *Tharâ* mortuo, cùm annos vixiſſet 205, *Abramus*, ſeptuageſimum quintum ætatis agens, *Lotúſque*, unà cum familiis boníſque omnibus, diſcedunt *Charris*; novúmque iter inſtituunt, auſpice ducéque Deo, in regionem *Canaanitidem*. Eò quidem ex *Chaldæa* brevius iter per ſolitudines *Arabiarum* fuiſſet : at verò tutius atque facilius per *Meſopotamiam*, unde jam novi hoſpites adveniunt. Qui vix annuum *Charris*, aut *Tharæ* vivendi, aut *Abramo* commorandi, ſpatium concedunt, (*Torniell.* A.M. 2114.) vereor ut ea *Moſis* verba ſatis perpendant, (*Gen.* 12.5.) *Profecti ſunt cum omnibus facultatibus quas comparaverant, & animabus* ſeu *liberis quos genuerant Charris*. Perexiguus profectò ille proventus, aut rerum aut liberorum, quem annus unus erat editurus, nec memoriâ dignus.

§ 3. Profectum eſſe *Abramum* ex *Meſopotamia* non niſi 75 annos natum, ex *Moſe* diſcimus ; (*Gen.* 12.4.) nec niſi poſt *Tharæ* obitum, præter *Moſen*, beatus *Stephanus* docet. (*Act.* 7.4.) *Poſtquam pater eſt mortuus*, inquit, *in hanc eum terram deduxit* Deus *quam vos nunc obtinetis*. Ex his efficitur, natum fuiſſe *Abramum*, non ſeptuageſimo *Tharæ*, (ut multi diſputant, *Joſeph.* Antiq. 1.7.) ſed centeſimo demum atque triceſimo patris anno, 60 ſeriùs quàm tradit *Joſephus*. Hoc igitur in loco peropportunè ſe ingerit de *Abrami* anno natali à multis agitata quæſtio. Vixit enim *Thara* 205 annos ; unde ſubducantur *Abrami* patre moriente 75, reliqui erunt 130, quo tempore natum conſequitur. Validiſſimum eſt hoc telum ad propugnandam hujus ſententiæ veritatem. Alterum eſt ejuſmodi. Eandem fuiſſe *Arani* filiam *Iſcham*, (*Gen.* 11.29.) & *Saraiam* *Abrami* uxorem, *Judæorum* veterum & Theologorum noſtrorum doctiſſimi quique probabiliter ſanè opinantur. At *Saraiam* non niſi decem annis minorem natu ſe, teſtatur *Abramus* ipſe. (*Gen.* 17.17.) Quòd ſi fingamus ergò *Abramum* è fratribus maximum fuiſſe, *Aranum* verò, *Saraiæ* patrem,

Marginal note: qui centeſimo trigeſimóque demum patris anno natus eſt.

vel uno tantùm anno poſteriorem ; neceſſe eſt ut fateamur eundem adhuc novennem *Saraiam* genuiſſe: quo ineptius fingi nihil poteſt. Qui diſſentiunt hac in cauſa, ut probabilia ſaltem dicere videantur, duplicem aiunt fuiſſe adventum *Abrami* in *Canaanæam*, alterum patre vivente, de quo *Moſes Gen.* 12. 4. alterum poſt *Tharæ* mortem, cùm reverſus *Charras* ut funeri patris intereſſet, & vel hæreditatem adiret, vel bona ſibi teſtamento legata reciperet, eo animo diſceſſit in *Canaanæam*, ut ſe nunquam in *Meſopotamiam* deinceps rediturum ſtatueret. De hoc adventu S. *Stephanum* in oratione ad *Judæos* locutum volunt, qui quidem altero 60 erat annis poſterior. Atque hâc arte, quod fortiſſimum dixi telum, declinare conantur & eludere. Sed inani prorſus operâ conantur. Nihil enim hîc præter conjecturas opponunt ſummæ verborum ſacrorum perſpicuitati, nec eas ullo modo probabiles. Quis enim credat *Moſem* omiſiſſe hunc *Abrami* reditum in *Meſopotamiam*, qui reliquam ejus peregrinationem, per ſpatia locorum ſingula, tam diligenter exſecutus eſt? Quòd ſi omiſit *Moſes*, unde, obſecro, didicit, qui nos docet, S. *Stephanus?* Aut quî fit, alium ut ille tradat nobis *Abrami* adventum in *Canaanæam*, quàm à *Moſe* acceperit? At verò demus hoc, patre mortuo, *Charras Abramum* rediiſſe, ſive ſolum, ſive cum familia, inter *Canaanæos* jampridem ſexaginta verſatum annos. Cùm hoc fieret, neceſſe eſt *Iſaacum Abrami* filium attigiſſe annos ætatis 35, quibus Patrum ſanè plurimi liberos genuerunt, etſi nondum uxorem duxerat *Iſaacus*. Quæro igitur quî factum ſit, cùm adeſſet *Abramus* ipſe *Charris*, filiúmque haberet adeò maturum nuptiis, ut tantam rem negligeret, quæ poſt quatuor aut quinque annos erat ſervi committenda fidei? Sed fuerit oblitus tantæ rei, tam ſeriæ, tam neceſſariæ, tam opportunæ, *Abramus*. At ſi *Charris* adfuit ante annos tam paucos, unde factum, ut nec ille cognatorum res, nec *Abrami* noverint cognati? Nec enim ille aut *Rebeccam*, aut quam aliam virginem deſignare potuit uxorem filio. (*Gen.*24.4.) *Bethuel* autem & *Labanus*, non opes modò & potentiam ejus, verùm & hoc ipſum ignorabant, eſſe *Abramo* filium. (*Gen.*24.35,36.) Quare migrationem hanc alteram in *Canaanitidem* patet ab iis fictam eſſe, qui aliter ſuam de natali anno *Abrami* ſententiam tueri non poterant. Supereſt ut eorum diſcutiamus argutias, qui ſeptuageſimo patris anno natum fuiſſe *Abramum* acriter contendunt. Etiam hi Sacræ Hiſtoriæ verbis quibuſdam nituntur, (*Gen.*11.26.) *Thara*, cùm 70 vixiſſet annos, *Abramum* genuit, *Nachorem* & *Aranum*. Unum ex his eo ipſo anno genitum ut concedamus, neceſſe eſt. Quem autem probabiliùs quàm *Abramum*, qui primo in loco nominatur, qui primo in loco prædicandus *Moſi* proponitur, cujus natalem niſi hoc in loco nullibi reperiemus, unde manca futura ſit ejus propè ſolius apud *Moſem* Chronologia? Denique, centeſimo triceſimóque anno *Tharam* genuiſſe *Abramum* haud facilè credat, qui *Abramum* ipſum ſciat miratum eſſe, quòd centenarius filium eſſet ſuſcepturus. (*Gen.*17.17.) Has igitur ut diſpellamus Soli offuſas nubeculas: non conſequitur, *Abramum*, quia nominatum, ideo & natum primò. Nam pari modo (*Gen.* 5.32.) dicitur, anno quingenteſimo *Noachum* procreâſſe *Semum*, *Chamum* & *Japhetum*. Neque tamen *Semum* eodem anno primum ; quem centenarium fuiſſe non niſi ſexcenteſimo & ſecundo patris, altero poſt Diluvium anno, ex *Gen.* 11. 10. ſatis perſpicuè docemur. Sanctus igitur *Auguſtinus* audiendus eſt. (Quæſt. in *Gen.* 25.) *Pietas*, inquit, *vel ipſa potiùs Electio Divina, quæ comitem ſecum trahit pietatem & Dei timorem, primas partes dat Semo in liberis Noachi, & Abrahamo in liberis Tharæ.* At *Abrami* res, inquiunt, non *Arani* aut *Nachoris*, proponit ſibi *Moſes* explicandas. Ab eo enim *Iſraëlitæ*, ab eo populus Dei, ab eo Dei Filius erat oriturus. Cur igitur *Moſes* annum *Arani* aut *Nachoris* natalitium exponat, negligat *Abrami?* Ad hæc, primò, dicimus, nec *Aranum* aut *Nachorem* fuiſſe negligendum, à quibus maternum genus Dei populus atque Filius erat deducturus. Verùm eò loci non erat *Moſi* propoſitum, ut nec *Gen.*5.32. annum cujuſquam deſcribere natalitium ; ſed tempora ſolùm ea denotare quibus *Thara* & *Noachus* cœperunt liberos generare. Unde igitur conſtabit, inquiunt illi, quoto *Abramus* anno ſit natus, hâc ratione ſublatâ, quod in aliis omnibus *Abrami* majoribus atque poſteris diligenter exponit *Moſes?* Nos verò, indicâſſe *Moſem* & hoc, dicimus, non *Gen.*11.26. ſed partim *Gen.*11.32. partim 12.4. Nam de obitu *Tharæ* locutus *Moſes*, qui ducentos & quinque annos vixerat, protinus, ex *Meſopotamia* in *Canaanitidem* ait migrâſſe *Abramum*, 75 annos ætatis agentem. Et ne quis hæc per anticipationem dicta ſuſpicetur, quomodo alia quædam in eodem capite, beatus etiam *Stephanus*, (*Act.*7.4.) non niſi patre mortuo profectum

A.M. 2084.

A.M. 2084. ſectum *Charris Abramum*, dicit. Satis igitur apertè annus indicatur *Abrami* natalis, utcunque primus non ſit è fratribus, maximúſque natu. Poſtremò, miratum aiunt *Abramum*, quòd annos natus centenos filium eſſet generaturus; multò igitur magis mirandum, ſi *Thara* centeſimo trigeſimóque anno genuiſſet *Abramum*. Ad hæc facillimè quidem *Raleius*, non tamen aptiſſimè, reſpondet: Mirum *Abramo* viſum, non tam ſe ſenem gignere, quàm *Saram* nonagenariam, menſtruis jam ſiccatis, parturire. Et erat hoc ſanè inauditum, ſupra omnem naturæ vim, & planè miraculum. (*Gen.*18.11.) Sed & alterum demiratus eſt *Abramus*, (*Gen.*17.17.) hominem centenarium procreaturum ſobolem, in illo jam ævo raram fortaſſe aliàs rem, in majoribus tamen *Chriſti* frequentem, *Jacobo*, *Boozo*, *Obede*, *Jeſſæo*, multis poſtea ſeculis. *Abramo* etiam ultra ætatem *Tharæ*, quâ eſt ipſe genitus, provecto, complures nati ſunt ex *Cetura* filii. Denique, minùs erat mirandum in *Thara*, annos pluſquam ducentos victuro. Quare valeat ratúmque ſit, *Abramum*, etſi primo loco meriti ac honoris gratiâ nominetur *Gen.*11.26. ultimo tamen editum fuiſſe, centeſimo demum trigeſimóque patris anno. Eóque libentiùs accedo ad hanc ſententiam, quòd ſeculum *Abrahami*, atque *Nini* regnum, eâ ratione longiùs removeatur à Diluvio, ampliúſque ſpatium creſcendi generi concedatur humano; quod ex altera parte 60 contrahunt annis anguſtius, unde hominum generationes duæ amputantur. Nam vivente *Abrahamo*, ac imperante *Nino Semiramidé*que, tanta ubique hominum fuiſſe traditur multitudo, tantâque urbium, ut niſi detur idoneum tempus illis procreandis, hiſce condendis, veterum Annalium fides plurimùm laboratura videatur.

In Canaanæam pervenit. § 4. Ut redeamus jam unde ſumus digreſſi: Cùm in *Canaanis* terram perveniſſent *Abramus* atque *Lotus* cum familiis, pergunt penetrántque agrum uſque *Sichemiticum*, & quercetum *Moræ*. Hoc primùm in loco apparuit *Abramo* Deus; quâ formâ, quóve modo, incertum. Et, *Tuis*, inquit, *poſteris*, *Abrame*, *terram ego hanc daturus ſum*. Ille continuò aram ſtatuit eodem in loco, ubi ſacra illi faceret qui apparuerat Deo. Hâc primùm Religione terra populo Dei à Deo promiſſa quaſi conſecratur. Mox tamen diſcedit hinc, occupátque montem, quem ab Occidente urbs *Luza*, (poſtea *Bethel* dicta,) ab Oriente claudebat *Haia*. Hoc etiam in loco altare conditum eſt Deo, Dominíque nomen invocatum. Rurſus indè promotis caſtris, ad partes regionis Auſtrales iter contulit. Quorſum verò toties mutat hoſpitium? An terræ perluſtrandæ causâ donatæ ſuis poſteris? an quærendi jumentis pabuli, intemperie hujus anni ſterileſcente terrâ? an hoſpitum inhumanitate coactus? an quò latiùs diſpergeret cultûs Divini ſemina, & ſuæ pluribus in locis relinqueret ſanctitatis veſtigia? Silet quidem *Moſes*. Sed nunquam aberratur, Deo duce. Etſi ad ignotos ignotus accedat, Deus idem, qui ex *Chaldæa* eduxit, in *Canaanæa* comitatur, tuetur ubique. Interim verò magna intolerandáque in *Canaanitide* ſuborta eſt fames. In *Ægyptum* igitur, quæ proxima erat, compulſus eſt, ut, ſuæ ſuorúmque ſalutis causâ, illic ad tempus commoraretur. Sanctus vir planetam in terris agit, quò faciliùs circumferat impertiátque variis gentibus doctrinæ cœleſtis lucem. Nec id vocis prædicatione magis, quàm exemplo facit integerrimæ ſanctiſſimæque vitæ. Laboribus enim periculíſque propè quotidianis ad omnem virtutem exercetur, & quaſi purgatur igne, perficitúrque. Illis eximia Dei providentia elucebat, gratiáque in *Abramum*; illis potentia Dei ſumma emicuit gloriáque, in conſervando liberandóque *Abramo*; illis denique *Abrami* fides in Deum, & certa ſpes, conſtantia, obſequium, pietáſque omnis illuſtrabatur, ad imitationem non ſui modò ſeculi, ſed poſterorum omnium. Præter itineris longinqui moleſtiam, incommodáque varia, in loco ipſo, quem tot laboribus incolumis tandem aſſecutus eſt, fames protinus molitur exitium, niſi quàm primùm effugiat. Si effugiat, laſciviſſimæ gentis petulantia effrænis haud multò levius periculum minitabatur. Erat enim *Saraia*, ejus uxor, egregiâ pulchritudine, & apud *Ægyptios*, ardore Solis nimio decoloratam gentem, rarâ; quæ propterea meritò ſibi à ſubſeſſoribus metueret. Ipſa tamen laſcivia petulantiáque hominum leges pepererat in adulteros neceſſarias. Sed, homini peregrino, nè in legibus quidem contra indomitam libidinem præſidii ſatis eſſe videbatur. Artes enim non deerant quibus facilè virum è medio tollerent, ut conjuge potirentur. Hæc omnia cùm reputaret apud ſe *Abramus*, in ipſis regni finibus monet uxorem, (qua de re priùs inter eos convenerat, *Gen.* 20. 13.) nè ſe jam pro marito habeat; id enim ſibi exitio futurum; ſed pro fratre tantùm,

Indè in Ægyptum diſcedit, premente fame:

ubi diſſimulat conjugem,

tantùm, ut virginem credant *Ægyptii*. Id enim ſibi gratiam conciliaturum: Nam proximorum fratrum conjugia, apud barbaras etiam gentes, illis temporibus illicita. *Saraiam* ergò vocat ſororem *Abramus*, quomodo *Lotum* fratrem, *Gen.* 13. 8. Ità ſuæ incolumitati conſuluit; uxoris pudicitiam precibus Deo, qui ſolus præſtare potuit, tuendam atque propugnandam tradidit. Vereor equidem, nè hoc à ſancto viro *cautè magìs* (ut aiunt) *quàm castè* factum, niſi autore factum ſit Deo. Id enim aliqui opinantur, tacente *Moſe*. At in rebus incertis, providentiæ auxilióque cœleſti eouſque diffidere, ut *cum carne & ſanguine* (quemadmodum loquitur Beatus *Paulus*) *conſilium ineamus*, vitámque tueamur malis artibus, aut dubiis quidem, nec planè bonis, hoc ſi peccatum fortaſſe non ſit, peccati certè ſpeciem præ ſe fert, à qua ipſa abhorret pius vir. (1 *Theſſ.* 5.22.) In hoc autem *Abrami* facto peccata ſe oſtentant duo. Primum, in extremis & ambiguis veri falsíque limitibus, & quaſi marginibus, incedere, quo & aliis non modò fucum poſſis facere, ſed fraudem quoque, ut *Ægyptio Gerarīſque* regi *Abramus*, hîc, ſi fortè abſit mendacium, at certè magnum non abeſt mendacii periculum. Præterea, vitæ ſuæ conſervandæ causâ, proſtituere uxoris pudicitiam, vel, ut leviùs dicam, deſerere ac negligere, quam ipſâ vitâ redimet bonus vir, haud ſcio an culpâ vacare poſſit. Quo argumento ad excuſandum *Abramum* nititur maximè S. *Auguſtinus*, (in *Gen.* quæſt. 26. & contra *Fauſtum Manich.* lib. 22. cap. 33.) & ex eo alii, quàm infirmum ſit facilè patebit. *Ubi duo*, inquiunt, *mala concurrunt*, *quæ vitari ambo non poſſunt*, *alterum quomodo poſſumus declinandum eſt*, *nè tentemus Deum*; *alterum ad providentiam Divinam remittendum. Id aiunt feciſſe Abramum.* At verò mala non ſunt unius generis. Alia naturæ ſeu pœnæ vocantur mala, vitii ſeu culpæ alia. Ex his adulterium eſt, ex illis mors. Culpæ malum admittere, ut vitemus pœnæ, imò & conſulere ſaluti noſtræ cum alterius periculo, haudquaquam licet. Quòd ſi tamen oraculo Divino inductus rationem hanc inierit expediendæ ſalutis, factum certè abſolvitur, at non commendatur exemplum. Non hæc ideo ſunt à me pluribus expoſita quàm ſoleo, ut viri optimi inſecter manes, patríſque reverendi nuditatem (ſi qua eſt) exponam aliis deridendam. Procul abſit à me hoc ſcelus. Verùm eò ſpectant, nè quis temere opinetur, vel ipſius *Abrami* facta omnia propoſita eſſe nobis ad imitationem, errore periculoſo. Homines enim quotquot ſumus, caduci profectò & fragiles ſumus. *In multis omnes offendimus.* (*Jac.* 3.2.) Recta perfectáque vivendi norma unicus Dei eſt Filius. Eorum igitur labor mihi non modò inanis videtur, ſed inutilis atque damnoſus, qui veterum Patrum aliquos ab omni labe nævóque aſſerunt peccati. Ex hominibus nimirum antiquis, novos creant Angelos. Sancto quidem *Auguſtino* condonanda videntur quæ ſcripſit hac in re, ut quæ impetu quodam vindicandi *Abramum* à calumniis *Manichæorum* ſcripſerit. Quòd ſi remiſſiùs paulò egiſſet, conceſſiſſétque, hominibus etiam ſanctiſſimis integerrimíſque aliquid humanitus accidere nonnunquam, nullum profectò indè vel hæreticis lucrum obtigiſſet, vel pietati damnum. Licet enim ex nævis ipſis atque noxis optimorum virorum, documenta nobis elicere ſalutaria. Primò, Sacræ Hiſtoriæ Scriptorúmque fidem commendat, quòd nemini blandiantur, nullius diſſimulent ſilentio peccata. Secundò, Piorum hominum errata rectam aliis eò clariùs demonſtrant virtutis viam. Tertio, Eadem cautiores reddunt eos imbecilliores qui ſunt, nè prolabantur, ubi fortiſſimos impegiſſe vident. Denique, Spem veniæ faciunt etiam nobis reſipiſcentibus, quam aliis à Deo datam cognovimus.

A.M. 2084.

exemplo periculoſo;

§ 5. Cùm in *Ægyptum* perveniſſent, conſpicua *Saraiæ* forma latére diu non potuit, oculos præſertim tam laſcivos. Nec in oculis modò verſabatur, ſed etiam in ore omnium; adeò ut proceres laudibus eam ſummis extulerint apud *Pharaonem*. Id autem erat honorificum & commune regibus nomen apud *Ægyptios*, ſive ab aliquo viro ejus nominis præclaro, quem poſteri ſuſpiciebant, ſibíque proponebant imitandum, ſive quo alio caſu minimè conſtat. Certè hunc gentis perantiquum morem, inſigni quodam & communi titulo decorandi reges, *Ptolemæi* poſtea revocârunt in *Ægypto*, uſurpârúntque apud *Romanos Cæſares*, *Arſacæ* apud *Parthos*, & reges *Indorum* nonnulli. (*Strabo* 15.) *Saraia* igitur, tam celebratæ pulchritudinis fœmina, in aulam vocatur, regis futura conjux. Ejus gratiâ *Abramus* quoque magnâ floret apud regem gratiâ; muneribus ampliſſimis oneratus eſt, ſeculíque ejus divitiis auctus, bobus ovibúſque, aſinis & camelis, ſervis denique & ancillis. Interea diſſimulat injuriam, cui ſe propulſandæ imparem ſenſit. *Pharao* jam aſſecutus erat prædam,

quam *Ægypti* rex concupiſcit uxorem

A.M. 2084. fruſtrá.

prædam, ſed neutiquam potitus. Cœlitus enim continuò ità morbis afflictus eſt doloribúſque tam ipſe rex, quàm aulici regiæ libidinis adminiſtri, ut obliti *Veneris*, *Æſculapio* tantùm vota nuncupârint. Cùm fruſtrà tentarent omnia, nullúmque reperirent contra morborum dolorúmque vim ſatìs efficax remedium, cauſam inveſtigant tam pertinacis mali. Tandem inveniunt, conſtitutum regis cum aliena uxore adulterium potiùs quàm matrimonium has induxiſſe pœnas: ſive id conjecturâ ſuſpectum; ſive ſacerdotum divinitus inſtructorum ope; (quod aliquando fit, *Numer.* 22.9.) ſive ipſa denique *Saraia*, regis imprudentis vicem dolens, prodiderit. Nam Divinâ revelatione ſomnióque patefactum eſſe, (ut *Gen.*20.3.) cùm taceat hoc in loco *Moſes*, quod illic ſcripto tradidit, equidem non audeo affirmare. At *Ægyptii* virum ità charum Numini Divino ſuſpicere omnes ac revereri. Ipſe *Pharao* leniter quidem increpuit, quòd pro viro ſe fratrem ſimulâſſet, quo regem propè in fraudem impulit inexpiabilem. Sed uxorem integram reſtituit, & è regno cum bona gratia dimiſit, edicto priùs edito, nè quis illum verbo factóve violaret. Præſidium ſimul additum, quod incolumem ad fines uſque regni ultimos deduceret. Nam & latronum erat *Arabicorum* metus, regni ejus limites perpetuò infeſtantium; & *Ægyptiorum* quoque, tam opimam indè auferri prædam, ægris intuentium oculis. An *Abramus* in *Ægypto* ſacerdotum de Deo ſententiam exploraverit; an vanitatem *Ægyptiorum* diſputando redarguerit, unde magnam doctrinæ gloriam & eloquentiæ conſecutus ſit; an aperuerit ſcholam, ubi Arithmeticam & Aſtronomiam, annique Solaris rationem, primus *Ægyptiis* tradiderit, doctus ipſe à *Chaldæis*; equidem nec ſcire me fateor, neque vera credere. *Joſephus* quidem ex *Nicolao Damaſceno* prodit hæc, & ex *Joſepho* alii; quibus, tacente *Moſe*, quantam libet Lectores fidem habeant; ego certè minimam do.

A.M. 2085. In *Canaanæam* redit *Abramus*: ubi

§ 6. Ex *Ægypto* redit *Abramus* in *Canaanitidem*, vel fame jam ſublatâ, vel commeatu & annonâ ſatìs inſtructus. Ad aram ipſam redit inter *Luzam* & *Haiam*, ubi ſacra Deo Reduci facta ſunt. Abundabat *Abramus* gregibus armentíſque: auro affluebat & argento. Quin & *Lotus*, itinerum comes perpetuus, erat etiam ditiſſimus; adeò ut regionis ea pars in qua ſe jam collocaverant nimis anguſta videretur, neque tantæ hominum pecorúmque multitudini ſufficeret. Divitiarum commoda nonnunquam incommoda ſunt, *Copiá*que *ipſa nocet.* Terram optimam & fœcundiſſimam *Canaanæi* jampridem occupaverant: ſed non omnem. Loca editiora & aridiora novis, puto, inquilinis adhuc patebant, ſaltem pretio. Hinc lites tandem & jurgia, de puteis & paſcuis, inter *Loti* pecuarios & *Abrami* ortæ ſunt. *Abramus*, cùm prudenter animadverteret, civiles ejuſmodi diſcordias magno ſibi, Deóque ipſi, futuras probro apud homines impios & idololatras, properat quàm primùm ——— *ſævas extinguere flammas.* *Lotum*, etſi minorem, ultro & blandè compellat, natu gradúque major: &, "*Nè quod, obſecro, diſſidium oriatur inter nos, paſtoréſve* "*noſtros*, inquit, *utpote fratres. Terram vides undique patentem.* Tu tibi quamvis " elige partem; in aliam ego me conferam. Satius erit multò, diverſa loca incolere " animis conjunctos, quàm in eodem loco animos habere litibus querelíſque ſepara- "tos. Hæc *Abramus.* In conſpectu jam erat ad *Jordanem* fluvium vallis, quæ cum *Edenis* horto *Ægyptó*ve amœnitate ubertatéque ſoli contenderet. Sed incolæ, ditiſſimi ſimul & ſceleratiſſimi, opes ingentes ingentibus vitiis æquabant: adeò magna eſt cum opulentia probitati lis. Verè Poëta,

Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores.

Difficillimè aſcendunt in cœlum terrenis impedimentis onerati divites. Quis ea bona putet, quæ dominos reddunt pejores? Vallem hanc nobiles ornabant urbes quinque, *Sodoma*, *Gomorra*, *Adma*, *Zeboïm*, & *Bela.* Eam igitur ſibi *Lotus*, optione datâ, habitandam elegit. *Sodoma Lotum*, *Canaanitis Abramum* tenuit; quò impiæ impuræque gentes utrobique haberent qui pietatem veríque Dei notitiam & cultum traderent, ſacróque præirent exemplo.

diſceſſum *Loti* renovatis promiſſis conſolatur Deus.

Tum verò Deus pacis, *Abramo* quieto, jam compoſitâ lite, quæ priùs promiſerat denuo confirmat, deſideriúmque *Loti* ſuâ ſolatur præſentiâ. *Circumſpice*, inquit, *Abrame*; *quaquaverſum in omnes mundi plagas circumſpice. Quicquid terrarum oculis tuis occurrit undique, tibi daturus ſum, poſteríſque tuis*, dum tui ſunt, meíque Numinis cultores veri, *ad ſupremum uſque mundi exitum.* (*Lev.*26.3, &c. *Deut.*4. 25, &c. & 11.18, 19, &c. & 19.8, 9. & 30.15, 16, &c. & 32.46, 47.) *Poſteros enim habiturus*

habiturus es pulveri terrarum numero æquales. I nunc, ſpatiare per hanc terram quà longiſſima eſt latiſſimáque. Omnem tibi daturus ſum. Poſt hæc, è tabernaculis ad *Luzam* in campum deſcendit *Abramus* querceto *Mambræ* cujuſdam nobilem, in plaga regionis Auſtrali. Ibi tandem figit ſibi ſedem, arctúmque amicitiæ fœdus init cum ipſo *Mambra*, & fratribus *Mambræ* duobus, *Eſcole Anereque*. Campus autem hic erat in agro civitatis *Arbæ*, (*Joſ.* 14. 15.) qui maximus gigantum inter *Anacenos* ac celeberrimus fuerat. Urbs antiquiſſima, utpote 7 annis ante *Tanin* condita, Inferioris *Ægypti* regiam. (*Num.* 13. 22.) *Zoan*, ſeu *Tſoan*, hæc Hebraïce dicitur: quam LXXII Interpretes & *Chaldaïcus Tanin* exponunt, (*Pſal.* 78. 12.) non *Memphin*, ut *Joſephus*, (de Bell. *Judaic.* 5. 7.) Ac videtur *Tan*, ſeu *Tanis*, à *Tſoan* facilè deductum; ut à *Tſor*, vel *Zor*, *Tyrus*. *Canaanitis* cùm prior occurriſſet *Chamo*, cum ſuis proficiſcenti ex *Babylonia* in *Ægyptum*, credibile eſt hanc annorum paucorum ſpatio fuiſſe conſtructam, priùs quàm *Ægyptia Zoan* condi potuerit: ídque anno mundi 1785. ex *Joſepho* colligitur accidiſſe, (de Bell. *Jud.* 5. 7.) qui ab *Hebrone* condita ad ſuam ætatem, circiter *Olympiadem* 213. annúmque mundi 4085. annos numerat 2300; remanent 1785. Poſtea enim, quæ civitas *Arbæ* vocabatur, *Hebron* dicta eſt, à *Calebi* qui expugnaverat filio. (1 *Chron.* 2. 42.) Hîc etiam, pro more ſuo, *Abramus* non ſibi tabernaculum priùs, quàm aram Deo collocavit, ubi cultum ejus Numini debitum religiosè perageret. A.M. 2085.

§ 7. His, opinor, temporibus, *Caphtoræi* & *Caſluitæ* migrârunt ex *Ægypto*, duce *Abimelecho*, & Auſtralem *Phœniciæ* vel *Syriæ* partem occupârunt, ubi *Gerarem* condiderunt urbem, & *Philiſtinorum*, ſive *Palæſtinorum*, gentem. (*Gen.* 10. 14.) *Avæi* priùs ea tenuerant loca uſque ad *Azzam*, ſive *Gazam*. Hi ab *Ægyptiis* deleti ſunt. (*Deut.* 2. 23.) A.M. 2090. Urbs *Gerar* condita, & *Palæſtinorum* gens.

§ 8. Paulò pòſt, quatuor ſimul reges conjunctis viribus regiones *Jordani* fluvio adjacentes invaſerunt, earum præcipuè quinque urbium regulos quas memoravi priús. Qui autem fuerint quatuor iſti reges, perantiqua res & obſcura, nobis eſt propterea diligentiùs illuſtranda. Exercitûs totius Imperator ſummus *Chedor-laomer* vocabatur, *Elymaïdis* rex. Conjicere licet, fuiſſe hunc virum bellicoſum, ex ducibus *Semiramidis* aut præſidibus unum fortaſſe, qui, otiante domi oſcitantéque *Ninyâ*, *Elymaïda* ſibi *Aſſyriorum* provinciam arripuerit: deinde alias gentes undique, *Nini* ac *Semiramidis* more, quamvis non pari fortunâ, ad imperata facienda, pendendáque tributa, compulerit. Hos enim *Jordanis* accolas, gentem opulentiſſimam, etſi non amplam, duodecim ante annos ſubegerat, habuerátque ſibi obſequentes: decimotertio demum deſcivêre ab ejus imperio, nec tributum ſolvêre ampliús. Proximo igitur cum exercitu redit *Chedor-laomer* auxiliiſque ſociorum regum, pœnas ab illis contumaciæ repetiturus. Tres autem ſocii aderant. Primus *Amraphel*, *Babyloniæ* vel ipſe rex, vel ſub *Ninya* præfectus. Alius erat *Ariochus*, *Elaſſaris*, urbis in *Arabia*, credo, vel *Cœleſyria*, regulus. Hîc enim *Ellas* urbs à *Stephano* locatur. Nec indignum eſt fide, fuiſſe hunc *Ariæum Arabem*, aut ejus filium, qui *Nino* auxiliatus eſt ante annos ferè 130 in *Aſia* ſubigenda. Quod enim legitur apud *Moſem*, aſſeritúrque à Theologis *Romanæ* fidei, *Ponti* fuiſſe hunc, aut *Helleſponti* regem in Minori *Aſia*, remotiſſimo loco, à veritate profectò eſt remotiſſimum. Tertius denique *Tidal*, gentium rex. At quarum, obſecro, gentium? Mixtarum, puto, copiarum dux, quæ jam, prædæ ac rapinarum ſpe, uni ſe omnes imperatori conducendas tradiderant. *Pererius Galilæam* gentium, ejúſque regem, ſignificari vult, quam à mixtis gentibus habitatam fuiſſe, *Ægyptiis*, *Arabibus* & *Phœnicibus*, affirmat *Strabo*, (lib. 16.) Sed quid nobis hoc *Abrami* ſeculo cum *Strabonis* ætate poſt annos ferè bis millenos? Animadvertit hanc in *Pererio* ἀνιστορησίαν *Raleius*, ad eundem tamen ipſe lapidem impingit. Multas ait *Canaanitidi* & *Meſopotamiæ* regiunculas adjacere, *Palmyrenam*, *Bataneam*, *Laodicenen*, *Apamenam*, *Chalcidicem*, *Caſſiotin*, *Chalybonitin*. Has omnes ad prædam *Tidalem* ſequutas. At verò nec hæ *Abramo* vivente ità fuerunt, vel nominibus vel regionibus, diſtinctæ. Itaque turbam ex variis gentibus collectam fuiſſe, agnoſco facilé. E quibus collecta fuerit gentibus, non definio. Nam poſt obitum *Semiramidis*, exercitúmque dimiſſum, multorum erant populorum aliqui armis aſſueti & rapinis, ad quamvis parati militiam. *Joſephus* quatuor hos reges *Aſſyrios* fuiſſe omnes prodit; (cui applaudit *Pererius*;) *Aſſyriis* nimirum ſubditos, ab *Aſſyriis* emiſſos ad hoc bellum. *Chedor-laomer* igitur *Elymaïdis* præſes tantùm ſub *Ninya* ſtatuendus eſt, huic autem à *Ninya* imperator A.M. 2091. *Pentapolin depopulantur hoſtes*;

Y

A.M. 2091. peratot bello conſtitutus. Verùm id maximè repugnat huic ſententiæ quod *Gen.*14.4. dicitur, *Pentapolitas Chedor-laomero* ſerviiſſe, non *Aſſyriis*; ut eos videatur ſibi, non autem *Aſſyriis*, ſubegiſſe.

Primò igitur *Raphæi* gigantes de civitate *Aſtaroth-Carneorum*, in regione *Baſanitide*, (1 *Chron.*6.71.) perdomiti ſunt. Indè *Zuzæos*, *Ammonitidis* eo tempore incolas, (*Deut.*2.20.) & *Emæos*, *Moabitidis*, (*Deut.*2.10.) utroſque gigantes, debellârunt. *Zuzæos* quidem civitatis *Hami*, *Emæos* autem in *Shava-Ciriathaorum*. *Horæos* poſtea cecîderunt in monte ſuo *Seire*, uſque ad campos vaſtam *Paranis* ſolitudinem contingentes. Indè pervenerunt *Enmiſhpatum*, poſtea *Cadeſh* dictam; omnémque agrum *Amalecitarum* poſtea (*Num.*13.29.) depopulati ſunt, & *Amoræorum Hazezon-tamarem* incolentium. Tum demum in regionem *Pentapolitanam* penetrantibus objiciunt ſe cum exercitu quinque reges, *Bera Sodomæorum*, *Birſha Gomorræorum*, *Shinabus Admæ*, *Shemeberus Zeboïmorum*, & *Belæ* rex, quæ poſtea *Zoar* eſt nominata. In valle *Siddimorum*, nunc Mortuo mari cooperta, coëunt omnes, ineúntque pugnam. Sed viribus inferiores *Pentapolitæ* fugæ dederunt ſe. *Gomorræus Sodomæúſ*que reges in puteos bituminis quibus impedita erat vallis inciderunt, evaſerúntque; reliqui tres profugerunt in montes. *Sodoma* igitur & *Gomorra* direptæ, omnibúſque bonis & commeatu ſpoliatæ ſunt. *Lotus* etiam cum ſuis in prædam raptus eſt. Hanc elegerat ſibi ſedem fœcunditatis causâ & lucri ſpe. At ſæpe fit, dum lucrum avidè quærimus, ut noſmet unà cum lucro amittamus. Patruum fugit, in hoſtes incidit. Niſi ad ejus opem confugiat à quo fugerat priùs, actum eſt. Aliquis eorum qui è *Sodoma* evaſerant, *Abramo* de *Sodoma Lotó*que nunciat capto. Ille ſine mora, de nepote ſolicitus, ſervos luſtrat, induítque armis vernarum ſuorum trecentos & octodecim, ope à vicinis etiam fœderatíſque ſuis, *Mambra* & fratribus, imploratâ. Indignum enim videbatur, generis humani pacem armis barbarorum hominum atque latrociniis turbari. Indignius multò, viros bonos pióſque ad prædam rapi & ſervitutem. Quare, Divino maximè fretus auxilio, tantillis copiis recedentes hoſtes in Boreales *Canaanitidis* plagas inſequitur, uſque ad urbem quam illâ ætate *Laiſh* vocabant, poſtea *Dan*. Hìc partitus exercitum, variis ſimul in locis noctu adoritur incautos & inopinantes. Ipſos gigantum domitores, parvâ ſervorum ſociorúmque manu, domat fugátque, & ad *Hobam* uſque perſequitur, quæ *Damaſco* à læva eſt metropoli *Syriæ*. Prædam omnem captivóſque recipit univerſos. *Lotus* quoque ſibi redditus eſt, & omnibus quæ amiſerat bonis. Redeunti *Abramo* occurrunt in via, gratulaturi victoriam, *Sodomæ* rex ad vallem *Savæ*, quam poſtea dixerunt *Vallem regiam*; (2 *Sam.*18.18.) & *Melchizedecus Hieroſolymarum*, quas tum temporis *Salemum* vocabant. (*Pſal.*76.2.) Erat is veri altiſſimíque Dei ſacerdos in gente impia & profana. Quare munificentiâ gaudium ſuum obſignaturus, & *Abrami*, viri optimi Deóque ſuo chariſſimi, ornaturus triumphum, panem vinúmque protulit; non ad ſacrificium, ſed ad convivium caſtrenſe, quo milites, hoſtium cæde itineréque defatigatos, reficeret. Pro ſacerdotali autem officio, benedictionem quoque inſtituit. *Benedictus tu*, inquit, *Abrame*, *à Deo benedictus es altiſſimo*, *cœlorum terrarúmque Domino: Et benedictus eſto ſupremus ille Deus*, *qui de hoſtibus tibi victoriam hanc & triumphum dedit.* Ità *Melchizedecus*. *Abramus* viciſſim, ut ſuam gratitudinem ſignificaret erga Deum, tantæ felicitatis autorem, ſacerdoti ejus *Melchizedeco* ſpoliorum omnium decimas perſolvit. Ac jure quidem ei decimas rerum terrenarum reddidit, à quo ſpiritualem benedictionem acceperat. (*Rom.*15.27.) *Sodomæ* autem rex *Bera*, "Bona, inquit, *Abrame*, civium meorum, quæ aſſeruiſti armis, armorum tibi præmium atque mercedem habe. Captivos tantùm ſubditos regi ſi reddideris, pergratum feceris. "Captivos tantúm? ait *Abramus*. Imò vota ſuſcepi, Deúmque ſupremum teſtatus ſum, cœlorum atque terræ Dominum, nè teruncium quidem de tuis rebus contrectaturum me; nè, quod unius Dei munus eſt, id tu tibi fortè aſſumas tribuáſque, *Abramum fuiſſe per te locupletatum.* Ea ſolummodo quibus milites ad commeatum jampridem uſi ſunt, & quæ partes manubiarum ad ſocios meos fœderatóſque ſpectant, neceſſariò concedendæ ſunt: reliqua tibi ſalva reddentur integráque. Sic ad regem *Sodomæ Abramus* animo planè regio.

[Margin: quos, *Lotum* ut vindicet, perſequitur *Abramus*, fundit, recipítque prædam. Obviàm prodeunti *Melchizedeco* decimas perſolvit,]

§ 9. Hæc prima in Sacris Libris de Sacerdote fiunt verba. Eodem in loco prima occurrunt de Decimis: ut comites agnoſcamus ejuſmodi, Decimas & Sacerdotes, qui ſemper conjuncti, non ſine piaculo divelli poſſe ac ſeparari. Quæramus igitur

tur

tur de his. Primò, *qui* & *unde* in illo ſeculo prodierint Dei veri Sacerdotes ante *Aaronem*. Deinde, *quis* & *unde Melchizedecus*, cui decimas *Abramus* obtulit. Tertiò, *quibus ex rebus* eas tradiderit. Poſtremò, *quam ob cauſam*, vel *quo jure*, aut *Abramus* dederit, aut acceperit *Melchizedecus*; cùm nulla exſtaret adhuc de ſacerdotum præmio Decimíſve ſcripta lex. Ubi de noſtro jam *Chriſtianorum* jure addendum eſt aliquid, nè prodere ſilentio videar aut deſerere ſacerdotalem cauſam. A.M. 2091.

Atque illud inprimis conſtat, nihil in Codice Divino eſſe conſtitutum de Sacerdotibus ante *Moſem*. Fuiſſe tamen, conſtat ex hoc loco, & aliis ubi ſacra Deo facta legimus, quod ſacerdotum eſt munus. D. *Hieronymus* (ad *Euagrium*) ait, *Judæos* tradere, quòd uſque ad ſacerdotium *Aaronis*, primogeniti omnes è ſtirpe *Semi* fuerint ſacerdotes; & hæc eſſe primogenita quæ fratri vendiderit *Eſavus Jacobo*: nec alio jure (*Gen.* 31. 44.) *Jacobum* victimam immolâſſe ferunt, (ſi qua illic eſt immolata victima.) Nec deſunt *Chriſtiani* qui *Judæorum* hanc probent, ſive conjecturam, ſive traditionem. Ego me fateor vix intelligere quid ſibi velint. Quæro igitur, An primogeniti omnium familiarum, excluſis parentibus, ad hoc erant officium nati? Id quomodo potuerit fieri non video. Quid enim filii habent naturali jure, niſi quod à parentibus acceperint? An ſoli primogeniti, excluſis fratribus? Id, opinor, dicunt, aut dicunt nihil. Solus itaque *Japhetus* poſt *Noachum* ſacerdos in humano genere: aut ſi neſcio quam ob cauſam *Semus Japheto* prælatus eſt, ille ſolus; *Semo* deinde mortuo, ſolus *Heberus*. Poſt *Heberum* ſolus, aut *Lotus*, aut *Moabus Loti* filius, & *Harani* hæres maximi natu ex filiis *Tharæ*. Vel, ſi *Moabus* non placet, *Bethuel Nachoris*, aut *Iſaacus Abrami* ſolus; quo defuncto, *Jacobus*, qui pretio emit primogenituram. Poſt *Jacobum* ſolus *Rubenus*; eóque tandem excluſo, *Aaron* ex tribu *Levitica* deſignatus à Deo. Sed unicum in genere humano ſacerdotem vel à natura vel à Deo conſtitutum eſſe, haud ſcio an aliquâ dignum ſit fide. Id enim ſi concedatur, quo jure, cedo, *Abramus*, *Hebero Semó*que viventibus, quo jure *Jobus* & alii ſacris functi ſunt officiis? De ſanctificandis primogenitis mandatum *Exod.* 13. (quo argumento diſputari ſolet) nec familiarum omnium ſolummodo primogenitis, ſed jumentorum quoque, fruſtrà detorquetur huc. Illud enim certò conſtat ex re natum eſſe, quoniam *Ægyptiorum* primogenita interfecerat Deus, pepercerat *Hebræorum*. (*Num.* 3. 13. & 8. 17.) Mihi quidem hac in re ſic videtur: Sacerdotes olim fuiſſe plurium familiarum magníque cœtûs publicos; & ubi deerant publici, familiarum ſingularum privatos. Illos ubi opus erat inſtituiſſe credibile eſt Deum, & principes plerumque civitatum inſtituiſſe. Ex quo genere *Melchizedecus*, apud quem *Abramus* ipſe unus è populo & è grege fuit, qui paſtorem agebat ſacerdotémque domi. Ubi enim nulla erat Eccleſia publica, familiarum patres, nè ſuus deeſſet cultus Deo, munia obibant ſacerdotum; nec tamen propriè ſacerdotes appellandi. Sacra inter ſuos in Eccleſia familiari peragebat *Abramus*; qui tamen benedicenti *Melchizedeco*, ſacerdoti publico, ſolvit decimas. Sacerdoti publico,

§ 10. Jam verò quis & unde *Melchizedecus* fuerit, ſecundo loco nobis indagandum eſt. Nam pauciſſima narrantur à *Moſe* de hoc viro, utut ſingulari; quaſi de induſtria celaret ejus originem. Quòd ſi veterum Theologorum aliquos audire volumus, (Autorem Quæſtion. Veteris & Novi Teſtam. in 4. Tomo S. *Auguſtini*, & *Melchizedechianos*, & *Hieracitas Epiphan.* Hæreſ. 55.) Dei habendus eſt aut Spiritus, aut Filius, aut certè Angelus. *Origenes* & *Didymus* ſupra humanam ſortem neceſſariò collocandum putabant, quicquid erat majus & præſtantius *Abramo*. Nam quæ tanta fides, tanta conſtantia, tanta pietas, tanta in omni genere virtus in ullo fuit hominum, ut eſſet cum *Abramo* comparandus? At *Melchizedecus* benedixit, quod majoris eſt, ipſi *Abramo*, quaſi minori. (*Heb.* 7. 7.) Deinde, multa tribui *Melchizedeco* videbant in Sacro Codice, (viz.) *nec patrem habere*, *nec matrem*, *nec genus*, *neque vel initium vivendi vel finem*, & *pacis juſtitiæque regem* eſſe, hoc eſt, autorem & quaſi Dominum, &c. quæ noſtro mortalium generi minimè videntur competere. Itaque cœleſte ac Divinum quid ſub ejus forma hominis latitare ſuſpicati ſunt. Sin conſulere *Judæos* malumus, eorum plerique *Semum* fuiſſe *Melchizedecum* volunt. Nam ex gente *Canaanæorum* quenquam prodire vel pietate vel autoritate majorem *Abramo*, id verò concedi nullo modo poſſe arbitrantur. Nec deſunt è noſtris aliqui *Chriſtianis* qui pro *Judæis* pugnent acerrimè, his maximè ſubſidiis freti: “ Aut *Semum* eſſe fatendum, aut hominem ex *Canaanis* progenie *Semo* ſanctio-“rem. Hoc autem *Semi* benedictio haud facilè feret. (*Gen.* 9. 26.) Præterea, de sed homini *Canaanæo*:

A.M. 2091. "uno tam excellenti pietate; qui typo *Chriſtum* ſignificaturus erat, aliqua præcedere "oportuit vaticinia. Sed de homine *Canaanæo* nihil ejuſmodi prædictum eſſe con-"ſtat. Hæc illi; quæ leviora ſunt quàm ut me moveant. Nam & ſaniores tum *Judæi*, (*Philo Jud. Joſephus*, &c.) tum Theologi *Chriſtiani* veteres, *Irenæus*, *Euſebius Cæſarienſ. Apollinarius*, *Euſtathius*, *Epiphanius*, &c. recentéſque, *Calvinus*, *Junius*, *Muſculus*, *Hyperius*, *Mercerus*, *Paræus*, *Pererius*, &c. nihil vident, cur aut ſpiritum cenſeant eſſe, aut *Semum*; cur è ſtirpe *Canaanis* homo ſanctus non habeatur, nihil vident. Ac primò de ſpiritu conjecturam labefaciunt. Ubicunque apud *Moſem* cœleſtes ſpiritus formam ſimulant humanam, aliquo id ſemper indicio proditur. At nihil hîc de ſpiritu indicatur. Itaque adeſt nullus. Deinde, Pontificem fuiſſe conſtat *Melchizedecum*, ergò & hominem. Pontifices enim ex hominibus ſumuntur. (*Heb.* 7.28.) Nec Dei Filius, niſi carnem induiſſet humanam, ſacerdotio apud Deum fungi, offerendo ſe, ac intercedendo pro nobis, potuiſſet. Quid quòd notum celebrémque apud populos vicinos famâ regem fuiſſe *Moſes* perſpicuè docet? Spiritus autem cœleſtes commorari poſſe verſaríque diu inter homines, & regum ſacerdotúmve obire munera, nemo ſanus dixerit crediderítve. Neque verò conſequitur, humanam eum conditionem tranſcendere neceſſariò, qui *Abramum* ſuperet dignitate. Nam autoritate majorem *Melchizedecum*, (*Heb.* 7. 7.) non pietate, dicimus; utpote regem ejus ditionis ubi occurrit *Abramo*, & ſacerdotem publicum, & graviorem ætate ſenem: ut de ſacerdotii ejus myſterio nihil dicam. De ſanctitate verò inter optimos viros, uter utri virtute præſtet, invidioſa omnis & incerta inſtituitur comparatio. Ex epiſtola quod afferunt ad *Hebræos*, non ipſam rem, ſed *Moſis* narrationem, ſpectat. Vel caruiſſe parentibus, vel æternum fuiſſe immortalémque, neutrum dicitur. Sed in arenam ſemel duntaxat producitur; adeóque breviter ſcribit *Moſes*, tanquam de homine ad hanc minùs pertinente ſcenam, ut neque de parentibus tradat quicquam, neque de ortu ejus obitúve: imò nec de gente ipſa unde ſit editus; niſi quòd omnes fortaſſè crediderit pro *Canaanæo* habituros eum, quem vixiſſe, regnâſſe, ac præfuiſſe ſacris, apud *Canaanæos*, è ſuis erant ſcriptis accepturi. Iſta igitur Autor ad *Hebræos*, cùm taceri à *Moſe* conſultò viderentur, ad *Chriſti* myſterium referenda cenſuit. Poſtremò, *pacis & juſtitiæ rex*, non juſtitiæ dominum autorémve pacis, ſed juſtum atque pacificum regem, Hebraïſmo frequenti ſignificat. Verùm exploſa eſt jamdiu hæc opinio, ut pluribus non egeat. Altera de *Semo* ſpecioſa videbitur magis quàm firma, ſi propiùs accedatur. *Semus* enim ſi alio nomine cognominéve *Melchizedecus* appellabatur, qui factum eſt, obſecro, ut rem tantam, ſibi ſuóque generi tam honorificam, tacuerit *Moſes*? qui de *Eſavo*, leviore multò in re ac viro ignobiliore, *Hic eſt Edomus*, *Hic eſt Idumæorum pater*, perſpicuitatis gratiâ ſæpius repetit. (*Gen.* 36.1,8,9,43.) Fruſtrà hîc mihi obloquuntur, qui notum hoc adeò *Hebræis* omnibus de *Semo* fuiſſe dicunt, ut nullum opus fuerit idem doceri à *Moſe*. Quaſi verò non & alia quamplurima *Iſraëlitæ* ex traditione majorum habuerint notiſſima, quæ tamen conſcribenda cenſuit *Moſes*, poſterorum & noſtrî gratiâ. Præterea, quàm eſt incredibile, *Semum*, benedictæ ſacræque gentis autorem, ſuis in *Chaldæa* relictis omnibus, migrâſſe in *Canaanæam*, ibíque inter homines, non alienæ modò, ſed maledictæ ſtirpis, regnaviſſe, ac miniſtrâſſe ſacra? Nam *Salemum*, ubi regnabat *Melchizedecus*, eo tempore tenuiſſe videntur *Jebuſæi*. (*Joſ.* 18.28.) Aliqui è *Semitis*, fateor, *Jebuſæos* aſſerunt non niſi poſt hæc demum tempora, *Semi* ſeu *Melchizedeci* poſteris vel ejectis, vel oppreſſis, hanc urbem occupâſſe. *Semum* hâc ætate ſolum cum ſuis tenuiſſe. At ſuâ tantùm autoritate freti hoc aſſerunt. Si enim id fuiſſet, minimè profectò ſiluiſſent Sacræ Literæ in hac urbe, quæ princeps erat omnium futura, quod in aliis diligenter produnt. Porrò, fuiſſe *Melchizedecus* dicitur *ſine patre*, *ſine matre*, *ſine genere*, neque *vivendi aut initium habuiſſe aut finem*, eò quòd nihil horum in Sacra legatur Hiſtoria. At de *Semo* hæc produntur omnia; quod *Hebræos* minimè latére potuit. Alium itaque *Semum* ſtatuere, alium oportet *Melchizedecum*. Denique, *Semus* ejuſdem erat generis cujus *Levitæ* ac *Hebræi* omnes: *Melchizedecus* non erat, (*Heb.* 7.6.) ubi ſic legimus, *Is verò*, (*Melchizedecum* vult) *cujus genus ad illos* (ad *Levitas* vel *Iſraëlitas*) *non refertur*, *accepit decimas ab Abrahamo*. Hoc de *Semo* dici, à quo progeniti ſunt *Iſraëlitæ*, nequaquam potuit. Quare, ſi nec ſpiritus aliquis *Melchizedecus* fuit, neque *Semus Noachi* filius, ſupereſt ut fateamur eum è ſtirpe *Canaanis* prodiiſſe. Nec obſtat quod objicitur, benedictionem *Semi* non ferre ut homo *Canaanæus* ſit eo ſanctior. Nam ſanctiorem fuiſſe non dicimus, neque

neque comparamus omnino. Quid enim eſt opus? Quanquam è *Canaanis* & *Chami* genere homines quandóque naſci optimos nihil impedit. Nam neque benedictio *Semi* tantum valuit, ut ex ejus progenie ſingulos verâ ſanctitate imbueret. Homines enim haud minùs profani atque impii ex ea familia propagati ſunt, quàm è *Chamo Japhetóve*. Ità nec maledictio *Canaanis* poſteros ejus univerſos ad ſcelera & impietatem condemnavit. Non eſt Deus προσωπολήπτης, aut certis hominum familiis gentibúſve gratiam ſuam alligari vult: ſed ex omni hominum genere aliquos adhibuit, primis maximè temporibus, & ſui Numinis teſtes, & ſui cultûs præcones. Quemadmodum verò non ad omnes poſteros, ità nec ad *Semum* unicum ſpectabat benedictio Dei. Sed Eccleſiam promittebat veram uſque ad *Chriſti* adventum; & ipſum *Chriſtum*, ejus Eccleſiæ caput, non ex *Chamo Japhetóve*, ſed è *Semi* proſapia proditurum. Hæc igitur promiſſio ac benedictio non prohibet, quò minùs aliqui etiam è *Chamo* ac *Japheto*, non minùs quàm è *Semo*, viri oriantur ſanctiſſimi. Alterum illud quod objiciunt, deſiderari vaticinium aliquod de viro tam egregio & ſingulari; hoc, inquam, ſi quam habeat vim, in *Chriſti* habet majoribus. Nam de *Jobo*, *Daniele*, ac plurimis Prophetarum, viris quidem eximiæ pietatis, cedo mihi prævium aliquod in Sacris Oraculis vaticinium. A.M. 2091.

Non eſt hoc in loco tacendum de *Melchizedeco*, quòd in eo nobis typum *Chriſti* propoſuerit Deus. 1. Nam ut Ille *Salemi*, hoc eſt, Pacis, princeps; ità *Chriſtus*. (*Epheſ.* 2. 14, 15, 17. *Heb.* 7. 2. *Eſa.* 9. 6.) Itaque bello quatuor regum vicinarúmque gentium, *Melchizedeci* non eſt turbata quies. 2. *Melchizedec Juſtitiæ rex* eſt; quemadmodum & *Chriſtus*. (*Eſa.* 32. 1.) In utriſque *juſtitia & pax mutuò ſe oſculatæ ſunt.* (*Pſal.* 85. 10.) 3. Panem & vinum attulit *Melchizedecus*, ut milites defatigatos reficeret, quomodo *Davidem* in eremo *Abigail*. (1 *Sam.* 25. 18, &c. 2 *Sam.* 17. 27, 28, 29.) Cujus officii *Moabitas Ammonitáſque* immemores, negligentéſque recreare *Iſraelitas* feſſos languidóſque, diris exſecratus eſt Deus. (*Deut.* 23. 3, 4. & 25. 18.) Ità *Chriſtus* animas famelicas & ſitientes (*Matt.* 5. 6.) pane ac vino, ſuo corpore ſanguinéque, reficit. (*Joan.* 6. 35.) 4. *Melchizedecus* denique unà ſacerdos & rex fuit. Ità *Chriſtus* tum ſacerdos, (*Pſal.* 110. 4.) quem locum ipſi *Judæi* ſpectare ad *Meſſiam* fatentur; tum rex etiam. (*Zach.* 9. 9.)

§ 11. Jam de Decimis, quod tertium propoſui, quæritur, an ex manubiis tantùm ſolverit *Abramus*; an ex facultatibus etiam ſuis, vel præſentibus, vel à reduce tranſmiſſis ad ſacerdotem. Ex his omnibus aliqui ſolutas volunt. (*Montacutus* contra *Seld.* de Decimis.) Nec enim eſſe *omnium* concedunt, (quod *Moſes* dicit, & ex *Moſe* Apoſtolus ad *Heb.* 7. 2.) niſi horum ſint omnium decimæ. Mihi verò haud facilè perſuaſerint, vel hoc tempore, nedum ſingulis annis, *Hebrone Hieroſolymam*, 23 ferè millia paſſ. traductas eſſe decimas; multò minùs ultra 40 millia, *Sichemum* uſque, ubi ab his collocatur *Salemum*. Neque *Moſis* aut Apoſtoli verba quicquam aliud ſignificant, niſi omnium quæ aderant bonorum decimas. Denique, decimas hoc in loco victoriæ tantùm & benedictionis ſacerdotalis gratiâ perſolutas liquet; ut neceſſe non fuerit mittere quotannis *Abramum*, qui longiùs aberat quàm ut frui poſſet *Melchizedeci* ſacerdotio. Hoc autem beneficium non niſi propter officium debebatur. Quare alii, multò anguſtiùs, prædæ ſolummodo partem decimam intelligunt. Id enim aiunt ἀκροθίνια ſignificare, quo utitur vocabulo Apoſtolus hac in re, (*Heb.* 7. 4.) Et ſpoliorum certè maxima ex parte has fuiſſe decimas facilè damus, nè litigemus de verbo. Solas verò ſpoliorum, nec Apoſtolus dicit, nec ipſa res poſtulat patitúrve. Nam præter arma & ſubitaneum expedito exercitui commeatum, facilè credimus adfuiſſe aurum argentúmque *Abramo*, quibus, ſi deficeret fortè commeatus, emeret. Cùm igitur de ſuo haberet, nihil niſi quod abſtulerat hoſtibus dedicâſſe Deo, non videtur fortaſſe aut hominis pietati ſatis conſentaneum, aut hiſtoriæ *Moſis*, quæ decimas narrat ex *omnibus* datas. Sed ego hac de re haud magnopere pugnandum cenſeo. Illorum igitur minimè omnium ſententia placet, (*Luther. Calvin. Mercer.* &c.) qui è ſuis tantùm rebus *Abramum* obtuliſſe arbitrantur has decimas. Nam ſpolia *Sodomæorum*, ab hoſtibus recepta, non licuiſſe aiunt ex voto attingere. Verùm, ut non licuerit *Sodomæorum* bonis locupletare ſe; (quod unum erat in voto;) at ex iis partem Deo dicare, cujus unius ope reliqua ſunt recepta, id equidem cur non licuerit, nihil video. Nec inficiari licet, quin *Sodomæorum* bona jure belli jam non minùs *Abrami* fuerint, fatente quidem rege, quàm *Eſcolis* erant, *Aneris* & *Mambræ*, commilitonum. "At nullâ, inquiunt, affecerant eum in-"juriâ

quas jure Divino accepit;

A.M. 2091. “ juriâ *Sodomæi*, cur ſpoliaret bonis *Abramus*. Veriſſimè. Sed nec illi de *Abramo* ità meriti ſunt, eorum ut causâ tantum belli diſcrimen ſubiret, ſpoliáque tanti diſcriminis mercedem condonaret. *Quis enim aliis militat ſuis ſumptibus?* Sed *Loti* ſolius gratiâ ſuſceptum eſt hoc bellum, ut hominis pii, cognati & innocentis calamitati ſubveniret *Abramus*, & latrocinium ulciſceretur. Itaque potuerat ſine injuria bona *Sodomæorum* retinere ſibi omnia, ut hoſtibus erepta, non *Sodomæis*; multò magìs decimam ex iis partem conſecrare potuit Deo. Nec ſine hac datæ videntur ex *omnibus* decimæ. Detur tamen ex iis detractum eſſe nihil. At alia præda multiplex, unde ſolvi decimæ poſſent, erat hoſtibus ablata, quos caſtris penitùs exutos profligârant. Quare in hanc plerique ſententiam eunt, tum è ſuis facultatibus *Abramum*, tum ex hac ſpoliorum parte, hoc eſt, ex omnibus quæ aderant, partem tradidiſſe *Melchizedeco*. Verentur ſcilicet, niſi *Abrami* bona privata hoſtium addant ſpoliis, nè decimarum ſolvendarum jure Divino, minùs validum futurum ſit, quod ex hoc loco petitur, argumentum. Sed vanum eſſe hunc metum, conſequens eſt ut paucis demonſtrem, doceámque Decimarum jus.

Inprimis hoc mihi concedi poſtulo, quod negari non poteſt, has *Abrami* & *Leviticas* poſtea decimas ejuſdem fuiſſe generis, utraſque præmium ſcilicet ac mercedem ſacerdotum; quanquam illæ fortaſſe non niſi ex hoſtium ſpoliis, iſtæ *Levitarum* præcipuè ex fructibus terræ prodierint. Nam (*Heb.*7.) Apoſtolus ex eo partim probat *Levitico* ſacerdotio præſtare *Melchizedecianum*, quòd *Levi*, qui accepturus erat in poſteris *Abrami* decimas, ipſe in *Abramo* dederit *Melchizedeco*. In atavi enim ſeminali virtute jam tum aderat. Quòd ſi aliæ fuerunt hæ *Abrami* decimæ, neque ſolvit *Levi* quales accepit, quis non videt quàm infirma ſit ea diſputandi ratio à decimis, nomine duntaxat convenientibus, ipsâ diverſis re? Quin & idem qui fructibus terræ incrementum dat, exercituum quoque Deus & victoriarum eſt; ut hinc illi gratiæ decimæque non minùs debeantur quàm indè. Hoc igitur dato, utraſque decimas, tum *Abramiticas* jam, tum *Leviticas* poſtea, in eo convenire, quòd ſacerdotale fuerint ſtipendium; id quod de jure quæritur ità paucis definitur: Divinum fuiſſe jus partim naturale, partim (quod vocant) poſitivum. Liceat quod volo explicare pluribus. Quæcunque homines vel ex terra vel etiam aliunde percipiunt commoda, ejus qui cuncta condidit, conſervat, moderatur, & annuis incrementis auget, ut figuli ſua vaſa, ità Dei ſunt unius omnia. Uſus horum atque fructus tantummodo conceſſus à Deo eſt humano generi: ſed eâ lege, ut aliquam ex iis partem quotannis, & aliàs cùm opus fuerit, ad ſuum cultum rependant homines; non modò quò ſuam indè teſtentur gratitudinem, ſed quò recognoſcant etiam Dominium Dei. Hæc nemo eſt ſanæ mentis qui non ipſo naturæ ſenſu intelligat: ac meritò indigniſſimus habeatur omnibus vitæ commodis, qui credat cogitétve, prudentiſſimum Deum ità in nos temere ſua profundere beneficia, ut liceat eorum oblíviſci cùm libet, vel non agnoſcere, vel non aliquod illi vectigal pendere. Ipſe *Cainus*, non ille optimus quidem vir, in primordiis mundi, & agnovit hoc debitum, & ſolvit. Divinum eſt, non regale, præceptum illud *Solomonis*, *Honorandum eſſe facultatibus noſtris Deum.* (*Prov.* 3.9,10.) Sed quota bonorum noſtrorum pars tanquam annuus Deo reditus debeatur, id ſupra captum humanum, non niſi ab ipſo diſcendum eſt Deo: In moralibus enim præceptis de quoto non cavet natura. Deus igitur ipſe decimam poſtulare ſe partem dicit, ſcribente *Moſe Lev.* 27.30. quod antiquis Patribus tradiderat priùs. Nam unde *Abramus* didicit dare, unde *Jacobus* vovere decimam, niſi antiquâ traditione docti, autore Deo? Quintam fructuum ab *Ægyptiis* rex, (*Gen.* 47.26.) benignior Deus non niſi decimam poſcit. Quare aliqua pars ex noſtris cujuſque bonis Deo ſacra eſt Divino jure naturali, poſitivo decima. Deinde, publicum Deo præſtandum eſſe cultum, huic peragendo ſacerdotes conſecrandos, ſacerdotibus conſignanda eſſe præmia & ſtipendia, quibus alantur honorificè, ut eò liberiùs vacare Sacris poſſint, ſobriè cogitantibus omnia hæc ſua dictat ſana mens. Sed quantum illud præmium ſtipendiúmque ſit quod ſacerdotibus debetur, nihil homines hac in re definire certò valent. Nam ut quiſque magìs aut minùs ad ſuam eſt attentus rem, ut quiſque magìs minúſve Divino eſt cultui deditus, ità majorem minorémve hanc mercedem ſtatuet. A Deo igitur hoc etiam ut diſcamus neceſſe eſt. Ille autem (*Num.* 18.21.) ſuam quam dixi partem decimam ſui cultûs miniſtris tradit. Curatoribus itaque Sacrorum amplam dari mercedem Naturæ lex, hanc mercedem ex decimis dari Divinum poſtulat mandatum. Atque hoc jure, partim naturali, partim poſitivo,

vo, utroque Divino, decimas *Melchizedeco* ſolvit *Abramus*. At, inquies, nondum in ſacerdotes Deus contulerat ſuum jus, quod poſt annos quadringentos factum apud *Moſem* legimus. In ſacerdotes quidem *Leviticos* verè dicitur; ac tum primùm hæc à *Moſe* fuit ſcripta Lex, quæ jam indè ab initiis rerum, non minùs de Decimis, quàm de Sabbato & Sacrificiis, lata fuerat. Nec enim vel ſolviſſet *Abramus* decimas, vel *Jacobus* voviſſet, niſi pro more majorum, ut rem Deo gratam, à Deo proinde inſtitutam. Sed neque par fuit, ſacerdotes Dei tot ſeculis ante *Moſem*, de ſua incertos mercede, ab hominum pendere arbitrio, æſtimantium raro ſatis pro dignitate ſacrum hoc munus. A.M. 2091.

Sed hæc omnia fortaſſe nihil ad nos. Sunt enim qui clamitent, Vetera hæc, ceremonialia, obſoleta eſſe, ad ſacerdotes tantùm ſpectâſſe *Leviticos*, non attingere *Chriſtianos*; nullum in Evangelio eſſe de Decimis præceptum; at iis gravari populum, liteſque ſeri perpetuas. Quàm hi verè clamitent, dijudicet æquus arbiter. In humanis rebus Divinum jus nunquam obſoleſcit. Aut ergò ſuâ ſponte nobis remiſit Deus, aut aliò tranſtulit. Utrumvis doceant, manus do. Deinde, ceremoniales non fuiſſe Decimas, ex eo perſpicuum fit, quòd *umbræ* non ſint *rerum futurarum*. (*Heb.* 10.1.) Evangelicam ſcilicet rem per decimas olim ſignificatam, quis mihi nomine aliquo deſignabit? Eaſdem in Eccleſia *Chriſtiana* quadringentis ferè ſupra millenos retineri jam annis, quis ignorat? quod ſine ſumma impietate in Ceremoniis Legalibus fieri non potuiſſet. Cùm igitur in Ceremoniarum numero cenſendæ non ſint Decimæ, dicant mihi, obſecro, cauſæ diverſæ patroni, quid obſtet, quò minùs eædem, poſt Legem *Moſaïcam* abrogatam, ſacerdotibus operum perpetua ſint merces, quæ ante *Moſem* ab ineunte mundo (ut credi par eſt) ſacerdotibus aſſignatæ ſunt à Deo: quandoquidem *Heb.* 7.8. perpetuitate decimarum, perpetuum eſſe doceatur ſacerdotium *Chriſti*. *Operarius dignus ſuâ mercede*: (*Luc.* 10.7. 1 *Tim.* 5.18.) primíque ordinis Operarius, qui curat animas, mercede primariâ dignus. (1 *Cor.* 9.7, &c. *Gal.* 6.6.) Commodiórne ratio hanc ſolvendi mercedem ab hominibus excogitari poteſt, quàm quæ ab ipſo Deo inventa & præcepta eſt? Niſi ergò doceant abrogatas eſſe Decimas aliquo præcepto novo, quid eſt cur apud *Chriſtianos* minùs jam, quàm apud *Judæos* olim, debeantur? At iis gravatur populus, feruntúrque lites. Hæc, ſcilicet, autori Decimarum objiciuntur Deo. Cur enim gravius ſit ſuas Deo Decimas, quàm annuos reditus dominis villarum ſolvere? Lites autem pravis aluntur conſuetudinibus apud nos. Hæ tollantur, Decimæque *omnium* ſolvantur, quomodo ſolvit *Abrahamus*; eâdem operâ tollentur & lites. Non ergò Decimæ pariunt litigia, ſed homines avari, dum iniquâ decimandi conſuetudine cavillantur, nè *omnes* ſolvant. Hanc denique operariis Dei debitam mercedem qui auferunt detinéntve, ut ejus clamorem penetrantem cœlos cohibere poſſint, ipſi viderint. (*Jac.* 5.4.) quo & nos.

§ 12. Poſt reges quatuor debellatos, animo erat admodum turbato & ſuſpenſo *Abramus*; ſive metu regum quos profligaverat, nè redintegratis viribus in ſe fortiores redirent; ſive potiùs, quòd ſeneſcenti diteſcentíque indies deeſſet ſibi ſoboles, quæ in paterna hæres bona ſuccederet, promiſſáque Dei de benedictione gentium rata faceret. Deus igitur conſolaturus noctu meditabundum convenit, &, "*Nè quid*, inquit, *metuas*, *Abrame*, *anxiúſve ſis*: *Ego tibi clypeus* in malis periculíſque omnibus; *Ego merces* laborum *fructúſque uberrimus*, bonis te doníſque maximis cumulaturus. *Abramus*, qui antehac oracula Divina mutus audiverat, quartâ jam vice compellatus, quaſi conſuetudine ac familiaritate Dei audacior, reſpondere non veretur, & etiam ſermones conſerere. "*Quibus*, ait, *me donis cumulaturus es*, *Domine Deus*, *orbum & carentem liberis*, qui tuis fruantur donis? *Eleazar iſte Damaſcenus*, extraneus, mihi hæres futurus eſt. Tacente Deo, *Abramus*, inter ſpem metúmque anxius, tacere non potuit; ſed prior jam dictis ultro provocat Deum. "*Ecce*, inquit, Deus mi, qui alia mihi omnia largitus es abunde, *nullam* adhuc *donaviſti prolem*. "*Vernam* igitur ego tuorum bonorum *hæredem relicturus ſum*. Tum verò Deus, ut animum ejus ità prolis deſiderio dejectum erigeret, affatur denuo; &, *Vernam*, ait, *hæredem tibi non es relicturus*, *ſed è tuis viſceribus prodeuntem filium*. Continuò foras educit hominem, cœlúmque intueri jubet, &, ſi quo modo fieri poſſet, numerare ſtellas. "Hoc, ait, numero, hoc ſplendore quo ſtellæ ſunt in cœlo, in terra *tibi progenies futura eſt*. Promittitur (*Gen.* 13.16.) *Abrami progeniem pulveri terreno parem futuram*: Hîc autem, (*Gen.* 15.5.) *cœli ſtellis*. Spiritualis hîc, illic progenies videtur A.M. 2092. Deus iterum ſolatur *Abramum* ſpe ſobolis.

A.M. 2092. detur intelligenda carnalis. (*Rom.* 9.7,8. *Gal.* 4.22,&c.) Itaque in ſomno *Joſephi* (*Gen.* 37.9,10.) ſtellæ *Iſraëlitas* ſignificabant; & cœli apud *Danielem* exercitus, (cap. 8.10.) Eccleſiam. Sed non erat cujuſvis, fidem rebus tam ferè incredibilibus dare; orbum ſe ac provectum ætate, ſterilíque uxore, generaturum ſobolem, eámque ſobolem, quæ claritate ac multitudine contenderet cum ſtellis. *Abramus* tamen, ſine omni hæſitatione, omnia futura credidit, quæcunque promiſerat Deus. Nec enim rationis humanæ trutinâ perpendit, ſed potentiæ ac veritatis Divinæ. Itaque fidem hanc Deus pro ſumma pietate habuit ac juſtitia. Non hæredem igitur ſolummodo, verùm hæreditatem quoque pollicetur ei ampliſſimam. Pergit enim, &, *Ego*, inquit, *ille ſum qui ex Ure Chaldæorum eduxi te, ut terram hanc tibi poſſidendam poſteriſque tuis traderem.* Ad hæc *Abramus*, At verò, *Domine Deus mi, unde mihi conſtabit, hæreditario jure me poſſeſſurum regionem hanc?* Non erat hæc hominis increduli anxia diſquiſitio: ſed vel monitu Divino interrogabat, ſibi ut confirmaret fidem; vel ut poſteris ſuis promiſſorum Divinorum fidem faceret uberiorem; vel denique, ut certus jampridem de ipſa re, familiaritate Dei fretus, modum exquireret. Quare voto ejus annuit Deus, juſsítque vaccam ſibi triennem afferri offerríque; capram ſimul & arietem ejuſdem ætatis; turturem denique & columbam: ex omni ſcilicet animalium ad ſacra mundorum genere. Pecudes autem diſſecari medias juſſit, partes è regione ſibi invicem opponi. Ut juſſum, ità factum eſt. Cúmque aves in cadavera involarent, abegit *Abramus*. Sub veſperam, occidente jam Sole, altus *Abramum* ſopor invaſit, horrificæque illi tenebræ obverſabantur. Tum Deus, "*Pro certo*, inquit, *ſcias, Abrame, poſteros tuos*, antequam hanc poſſideant pleno jure quam "promiſi terram, *quadringentis* exſpectaturos *annis*; interea *peregrinaturos, & ſervitutis in aliena terra jugum ſubituros, idque graviſſimum: ſed me gentem illam condemnaturum*, atque tuorum acriter vindicaturum injurias; *qui deinde magnis aucti divitiis exituri ſunt. Interim verò tranquillum & maturâ hinc ætate migraturum te. Quartâ demum ætate, reverſuros in hanc terram tuos poſteros. Amoræorum enim ſcelera*, quorum causâ ejiciendi ſunt, *nondum ſunt omnibus ſuis numeris abſoluta.* Hæc ad *Abramum* Deus. Deinde, poſt occaſum Solis, denſæ admodum tenebræ obortæ ſunt. Ecce autem caminum fumantem, & ardentem lampada inter partes pecorum ſibi oppoſitas tranſeuntem. Ità Deus humano more fœdus inivit cum homine; cum homine *Chaldæo Chaldaïco* more, per ſecta bipartitò animalia, τομία (ut *Græci* appellant) ὅρκια, & διχοτομήματα· qui ritus erat feriendi fœdera apud *Chaldæos*, teſte B. *Cyrillo*, (lib. 10. adverſus *Julianum*) S. *Chryſoſtomo*, &c. Daturum verò ſe *Abramo* pactus eſt omnem illam regionem ab *Ægypto* ad *Euphratem* uſque; *Cenitas* ſcilicet, & *Cenizitas*, *Cadmonitáſque*, *Hithæos* quoque, *Perizæos* & *Raphæos*, necnon *Amoræos* & *Canaanæos*, denique *Gergeſenos* & *Jebuſitas*.

A.M. 2094. § 13. Promiſerat quidem *Abramo* Deus, fore ut hæredem ex ſe genitum haberet: ſed an è *Saraia* etiam uxore ſua, incertum. Ea verò adhuc ſterilis agebat, orbáque liberis; verùm ſuóne an conjugis vitio, minimè conſtabat. Id fortaſſe ut

qui ex ancilla ſuſcipit Iſmaëlem. exploraret, promiſſúmque Dei ut quoquo modo ratum fieret, *Hagaram Ægyptiam* viro dedit, ancillam ſuam, ex qua ſibi liberos ſuſciperet. *Hagara*, ut ſe gravidam ex domino ſenſit, quaſi grata illi charáque ſola jam futura, contemptui dominam habuit, ipſam ſuæ ſuperbiæ autorem. Dignum profectò operæ tam perperàm locatæ pretium. Adeò verum illud, *Malum conſilium conſultori peſſimum* fore. *Saraia*, contemptam ſe indignata valde, apud virum falsè conqueritur, quaſi autorem hujus injuriæ. Quam ut à ſe amoveret culpam, heræ ancillam tradidit *Abramus*, quovis modo tractandam puniendámque. Ea paulò crudeliùs hanc autoritatem exſecuta, ancillam aſperiùs tractando in fugam egit. In patriam *Ægyptum*, credo, properabat. Nam in ſolitudine ad fontem in via *Suris*, inter *Cadeſhum* & *Beredum*, conſidebat; ubi Angelus eam Domini, ſive potiùs Angelorum Dominus, humanâ ſpecie convenit atque compellat *Abrami* gratiâ: &, *Unde*, inquit, *huc advenis, quóve tendis hinc, ancilla Saraiæ Hagara?* Reſpondet Hagara, *Dominam in me ſævientem fugio.* *Imò, revertere*, ait Angelus, *ad heram, tolerantiâque & obſequio vince iracundiam, & redime tibi gratiam.* Addit mox, *Ego tibi ſobolem daturus ſum eâ multitudine, quæ numero definiri non poſſit.* Deinde rurſus, *Ecce*, inquit, *gravida es, & paritura mox filium, cui nomen erit Iſmaël; quoniam afflictam te reſpexit Dominus. Homo erit ferus & immanis; omnibus infeſtus ipſe, ſibi omnes infeſtos reddet.* Nec enim timor ullus abſterrebit, nè *tentoria figat in ipſo conſpectu viciniâque omnium fratrum.* Hæc ad *Hagaram*

ram Dominus. Vocavit autem *Hagara* nomen *Jehovæ* quocum collocuta eſt, *Tu-Deus-vidiſti-me:* addidítque, ſe vivere atque videre etiamnum, poſtquam viderit eam Deus. Puteus quoque vulgò appellatus eſt *Puteus Lahai-roi*, hoc eſt, *viventis videntiſque.* *Hagara* igitur ad *Saraiam* rediit, peperítque *Abramo* filium. À Deo priùs deſignatum, etiam à patre illi nomen eſt impoſitum, *Iſmaël.* Hic primus omnium quem à Deo nominatum antequam natum accepimus. Et primus omnium Patrum *Abramus*, piorúmque hominum, qui duas unà uxores amplexus eſt: Idque poſtea in morem tranſiiſſe conſtat, nec *Moſaïcâ* Lege interdictum. Sed an ſuperante fœminarum multitudine, virorum bellis diminutâ, licuerit, an aliquâ indulgentiâ Divinâ conceſſum fuerit, conjicere licet, affirmare non licet, cùm nihil ea de re ſcriptum reperiatur. Quod enim aiunt nonnulli, neceſſarium fuiſſe in illa hominum paucitate poſt Diluvium, ad propagationem generis humani, plures uni viro concedere uxores; ſpecie quidem id verius quàm re. Nam in illis rerum initiis, cùm æquali ferè numero viri fœminæque naſcerentur, indulgeri aliquibus non potuit ſine aliorum injuria. Quod uni addebatur, detrahebatur alteri; & quæ huic ſuperfuerunt uxores, deerant illi & deſiderabantur. Itaque jam demum cœpit polygamia, poſt annos 400 à Diluvio. A.M. 2094.

§ 14. *Arphaxadus*, è *Semi* filiis natu maximus, fato functus eſt, cùm peregiſſet annos vitæ 438. A.M. 2097.

Extincto *Ninyâ*, ſive *Zame*, *Aſſyriorum* Imperatore, filius ex matre, (ut alibi dictum eſt,) idémque frater, *Arius*, vel *Thuras*, regno præfuit an. 30. *Juſtinus* eum atque *Diodorus* tacent. Alii Scriptores non contemnendi virum fuiſſe bellicoſum tradunt, avo ſimiliorem quàm patri; plagas Boreales ſuo adjeciſſe imperio, *Caucaſum* tyrannum debellâſſe; ab armorum ſtudiis eundem Planetæ *Martii* donatum nomine à ſuis, & cultum pro deo. Id autem nomen *Belum* fuiſſe *Joan. Antiochenus*, (περὶ Ἀρχαιολογίας) & *Baal* eodem ſenſu *Suidas* teſtatur, (in *Thuras*) & *Alexandrinum* Chronicon. *Græci*, opinor, ut *Chaldæum* propriè nomen redderent, ſive *Cteſias* autor, ſive quis alius, *Arium* denominârunt, & *Thuram.* Nam Ἄρης *Martem* Græcè, ut & Θοῦρος, vel Θοῦρις, ſignificat. Hinc *Marti* bellorum deo primam *Aſſyrios* columnam ſtatuiſſe, in eodem Chronico narratur. 2098. *Arius Aſſyriorum* rex.

§ 15. Nonageſimo nono ætatis anno, iterum ſe *Abramo* Deus conſpiciendum dedit, eúmque his aut hujuſmodi verbis allocutus eſt. "*Ego, Abrame, ſum Deus ille* "*Omnipotens*, qui pari facilitate omnia præſto quâ promitto. *Tu vide ut rectâ pieta*-"*tis viâ incedas, vidente ac probante me, integrúmque te præſtes. Ego viciſſim fœdus te*-"*cum initurus ſum*, omnia me quæ ſum pollicitus præſtiturum, *progenieque te auctu*-"*rum maximâ.* Dei auditâ voce, *Abramus* in terram ſe pronus abjecit, ſanctéque veneratus eſt. Erectum in pedes iterum affatur Deus: "Ecce, quod pollicitus ſum, mutuo *fœ*-"*dere* ſancitum volo, *multarum gentium te patrem futurum. Itaque nomen tibi non erit* "*ampliùs* Abramus, *ſed* Abrahamus, *quia multarum gentium patrem te facere, apud* "*me conſtitutum eſt. Unum enim te ità fœcundum reddam, ut nationes multæ uno ex* "*te, magníque reges ſint prodituri.* Neque tecum uno, ſed cum tua progenie fœdus per-"petuum initurus ſum, tibi tuíſque me Deum futurum, tibi tuíſque me terram hanc "*Canaanitidem* hæreditario jure conceſſurum. Tu vide interim, *Abrahame*, ut ex "tua parte fœdus inter nos pactum ſerves, poſteríque tui deinceps, ſuo quiſque ſecu-"lo in æternum. Fœderis autem hujus tibi tuíſque ſignum erit, & quaſi pignus "mutuum, *Circumciſio.* Omnibus enim familiæ tuæ maribus, ſervis liberíſque, pu-"denda circumcidentur, etiam pueris octavo ſemper ex quo nati ſunt die. E tuis au-"tem poſteris maſculini generis, quicunque non fuerit circumciſus, è medio ſubla-"tum hunc volo, utpote ſacri fœderis violatorem. Hæc ad *Abrahamum* de ſe Deus. Poſtea de uxore: *Nolo*, inquit, *poſthac ut* Saraia *uxor tua*, *ſed* Sara *nominetur. Nam & illi benedicam, ut ex illa tu filium tollas. Imò & illi benedicam, ut ex ea gentes etiam & reges prodeant.* Naſcentibus danda ſunt nomina. Renaſcentibus ergò per circumciſionem renovanda putavit Deus. Tum verò *Abrahamus*, iterum proſtratus humi, gratitudinem animi projectione corporis teſtatus eſt: neque præ gaudio & voluptate ſibi à riſu temperare potuit, cùm audiret, ſibi centenario, & nonagenariæ uxori ſuæ, filium oboriturum. Nova enim res & mira videbatur. Sed novus hic de novo hærede nuncius anxium de *Iſmaële* reddidit, quem ſibi hæredem hactenus deſtinârat. Eum itaque precibus Deo commendat. "Etſi novam, inquit, Domine Deus, "è *Sara* mihi prolem donaturus ſis, nè tamen abjicias, obſecro, *Iſmaëlem.* Quem

A.M. 2107. Circumciſionis inſtituitur fœdus: & nomina mutantur Abrahamo; & *Saræ:*

A.M. 2107. “ tuâ gratiâ filium ſuſcepi, tuâ & ipſe gratiâ fruatur. His etiam reſpondit Deus: *Sara*, inquam, *revera tibi filium editura eſt.* A Riſu *impones illi nomen, Iſaac. Cum eo fœdus meum ejúſque progenie confirmaturus ſum. Quin & precibus tuis annuo de Iſmaële. Huic etiam benedixi. Fœcundum reddam & hunc, magnâ* liberorum ac nepotum *multitudine* fortunatum. *Principes ex eo duodecim orientur, magna gens. Sed fœdus meum cum Iſaaco pangam, quem Sara eſt tibi hâc tempeſtate poſt annum paritura.* Finito colloquio, diſcedentéque Deo, *Abrahamus* alacriter Dei mandatum exſecutus eſt. Et ſibi, & *Iſmaëli* puero, & maſculis familiæ ſuæ omnibus, præputium abſtulit. Hæc Circumciſionis autore Deo prima fuit inſtitutio, ritûs quidem religione ac myſteriis pleni. Signum erat fœderis inter Deum verum, & veros, hoc eſt, legitimos è *Sara* conjuge *Abrahamitas.* Ex utraque parte ſignum, ut & fœdus. Ex parte quidem Dei, ſe *Abrahamo* & *Abrahamitis* Deum futurum omni modo propitium; ſe maximâ illum poſterorum multitudine aucturum, non modò naturalium, ſed ſpiritualium præcipuè; *Canaanitidem* illis terram daturum poſſidendam; denique, in ea regione *Chriſtum* ex eorum gente producturum, à quo gentium omnium benedictio, & ſalus pendeat humani generis; deinde, *Chriſti* gratiâ ſe illis peccata condonaturum omnia, illud præcipuè reliquorum omnium ſemen, quod ex ipſo parentum ſemine contrahitur; poſtremò, etiam bona illis omnia donaturum, quæ vel ad hanc eſſent vitam neceſſaria, vel conducerent ad futuram. Deum hæc omnia ſervaturum, hoc ſigno *Abrahamitis* tanquam ſigillo fides obſignabatur. (*Rom.* 4.11.) Ex parte altera ſignum erat hoc *Abrahamitis*, quo ſcirent ſe his veri Dei ſacris initiatos, in ſocietatem quoque fœderis Divini, & conſortium populi ſive Eccleſiæ Dei, aſſumptos. Deinde, ſignum erat quod moneret ipſos officii; populum ſcilicet Dei oportere ſe dignos Deo gerere, eum unicum ſanctè venerari coleréque, ejus mandatis obſequi & parére omnibus. (*Gal.* 5.3.) Hoc enim eſt rectâ pietatis viâ incedere, ſéque integros præſtare; quod *Abrahamo* præceptum eſt. (*Gen.* 17.1.) Denique, carnem ſuam, ut Literæ Sacræ loquuntur, hoc eſt, nativam pravitatem, omnémque intemperantiam, quâ Deus maximè offenditur, quæque in hac parte corporis maximè exſultat ac dominatur, ſubigere indies, reſecare, minuere. Hæc eſt ea *cordis per Spiritum Circumciſio.* (*Rom.* 2.29.) Poſtremò, ſignum erat quod populum Dei ab aliis gentibus diſtingueret, ut ſolum ſolus coleret, quamdiu diſtinctione opus erat, hoc eſt, donec per adventum *Chriſti* mundo univerſo aditus pateret ad Divinam gratiam. O felicem atque utilem jacturam! Unica pars amittitur, quæ ſalutem totius ſtipulatur. *Ægyptii* quidem poſtea, edocti, puto, ab *Hebræis*, longo tempore commorantibus apud ſe; & *Æthiopes*, vel ab *Ægyptiis* inſtructi, vel à *Solomonis* filio ex regina *Sabæ*, ut *Æthiopes* tradunt; *Troglodytæ* ab *Æthiopibus*; *Colchi* etiam aliíque Majoris *Aſiæ* populi, ab *Iſraëlitis*, credo, Decem tribuum in *Media* locíſque vicinis exſulantibus acceptum, eundem Circumciſionis ritum uſurpârunt, vel univerſi, ut *Herodotus*, (lib. 2.) vel gentium quarundam optimi quique, ut *Origenes* de *Ægyptiis* prodit, (in Epiſt. ad *Rom.* lib. 2.) *Arabes* quoque *Joſephus* (Antiq. *Jud.* 1. 13.) poſt annos 13 circumcîdi ſolitos ait; eò quòd *Iſmaël* eâ ætate præputium amiſiſſet. Uſurpârunt illi quidem hunc ritum, ſed fruſtrà & inutiliter. Nec enim illis ad ſignum aliquod aut fœdus cum Deo profuit. Sed munditiei causâ *Ægyptios* ſacerdotes adhibuiſſe ferunt, (quomodo corpora etiam lavabant radebántque,) nè quid ſordium lateret, ſacra facientibus, ſub cuticula virilis membri. Sed qua de cauſa gentes aliæ præputia ſibi amputârint, præter majorum ſuorum morem, nullis reperio ſcriptis proditum. In *Arabia* gens erat, *Creophagos* vocabant, quibus & mulieres exſcindi *Judaïcè* ſolebant. Hæc ſumma eſt eorum quæ Circumciſionem ſpectant mandatam à Deo.

Infantibus deinde octavo die data ſunt. § 16. Mox alius huic ritui additus eſt, eodémque die pueris, quo amputata præputia, data ſunt nomina. (*Luc.* 1. 59. & 2. 21.) Unde verò natus hic mos? An exemplo Dei factum eſt, *Abrahamo* & *Saræ* mutantis nomina ſub ipſam Circumciſionis inſtitutionem? An & mutatio hæc, & nova impoſitio nominum, utraque ab eadem cauſa profecta eſt? Utraque ſcilicet dominii & juris cujuſdam herilis argumentum in ſubjectas quæ nominantur eſt res. *Adami* fuit in reliqua terrarum animantia. (*Gen.* 2. 19.) *Nabuchodonoſori* fuit in *Danielem* ſocióſque tres. (*Dan.* 1.7.) Dei pariter fuit in *Abrahamum* & *Saram*, cùm novo fœdere in ejus poteſtatem ſe totos traderent. Sic etiam infantibus per ſacramentum Circumciſionis in fœdus, dominium populúmque Dei recipiendis, nomina erant imponenda, ut haberent

ſcilicet

ſcilicet quæ darent Deo. Denique, an ex ipſa re utrumque ortum, & circumcidendi & nominandi tempus; quòd octavo die citiùs neutrum commodè fieri potuerit? Maſculinus enim partus non niſi octavo demum die à materno ſanguine purus habebatur. (*Lev.*12.3.) Et maximum eſt infanti periculum die ſeptimo, cùm ob alias cauſas, tum quòd eo die umbilicus decidat pleriſque. Id verò antequam fiat, plantæ ſimilior infans quàm homini videtur. Quare nec pueris, ante octavum diem infirmis, vitæ diſcrimen creandum erat ex cruciatu & dolore circumciſionis; nec infantes vix adhuc aut vitæ certi, aut naturæ humanæ participes, nominibus erant propriis deſignandi. Atque hanc *Plutarchus* rationem affert, cur apud *Romanos* etiam non ante octavum diem imponerentur nomina. (Problem.*Roman.*quæſt.102.) Nam octavo die apud *Romanos* puellæ nomina, pueri nono ferebant. *Antoninus* quidem *Philoſophus* natos liberos apud præfectos ærarii profiteri, & tertio die à partu nomina ferre, juſſit. Sed moris antiqui nonum fuiſſe argumento eſt, quòd dea *Nundina* tantæ apud *Romanos* religionis fuerit. Pueris puelliſque decimo die *Græci* nomina indiderunt; quo die ſacra etiam diis, propinquis amiciſque dabant convivium. Nomina etiam ſeptimo dabantur à nonnullis. (*Ariſtot.* Hiſtor. animal. 7. 12.) Nam eo demum die victuros crediderunt. Quinto poſt natum infantem feſtum agitabant Ἀμφιδρόμια, quo circa focum raptabant currentes puerum, & nutrici tradebant; panem occultatum aſſabant, coronabant januam, immolatâque pro vita pueri victimâ convivium agitabant; denique, mulieres quæ obſtetrici adfuerant adjuverántque purgabant manus. Verùm nomina dari ante decimum ſeptimúmve diem non ſolebant. Soli hominum (vix eo digni nomine) *Atlantes*, in *Africa* populi, velut bruta anonymi, nulliſque diſtingui nominibus volebant. (*Herodot.* 4.) Neque hominum *Troglodytæ* ſuis nomina, ſed pecorum, velut arietis, capræ aut ovis, imponebant; eò quòd bruta, quorum ope victitabant, ſuos genitores ducerent. (*Alexand. ab Alex.*2.25.)

A.M. 2107.

§ 17. Haud longo poſt inſtitutam Circumciſionem tempore, Deus iterum *Abrahamo* ſe objecit. Sedebat is in oſtio tabernaculi ſub meridiem, cùm peregrini tres adeſſe illi ſubitò viſi ſunt. Tres aderant Angeli medio die, quo ſolent peregrinatores laſſi de via recreare ſe, *Abrahami* hoſpitalitatem exploraturi. Trium officiorum causâ tres aderant: primus, ut nuncium *Abrahamo* lætum (vel *Saræ* potiùs) confirmaret de hærede; alius, ut *Lotum* liberaret ab incendio *Sodomæ*; tertius, ut in urbes ſceleratas pœnam infligeret. Obviàm ſtatim accurrit *Abrahamus* hoſpitali animo; corporéque demiſſo in terram excipit honorificè. Nec enim plebeiorum & è vulgo hominum præ ſe ſpeciem ferebant. Tum verò ad eum qui Princeps videbatur; *Si me tantâ, domine, gratiâ dignaberis, ne prætereas, obſecro, donec, lotis pedibus, arboris hujus umbrâ* ruſticóq; apparatu meo *reficiamini. Ideo enim opinor vos ad me ſervum adveniſſe.* Illi precibus *Abrahami* annuunt benignè, ſub arboris umbraculo conſiſtentes. *Abrahamus* igitur ad *Saram* properat in tabernaculum, jubétque tria ſata farinæ ſimilagineæ commiſceri protinus, è quibus placentæ fiant. Indè in ſtabula feſtinat, vitulúmque tenerum ſervo tradit apparandum. Mox carnem hanc vitulinam cum butyro & lacte hoſpitibus proponit, qui adſtante ſibi *Abrahamo* comedunt. Quærunt ex eo mox ubi ſit uxor *Sara*. *Saram* adeſſe reſpondet in tabernaculo. Tum verò Deus, *Ego certè rediturus*, inquit, *ſum tempore conſtituto vitæ veſtræ, Saráque habitura eſt filium.* Subaudivit hæc *Sara* in oſtio tabernaculi ſui, quod pone tabernaculum *Abrahami* figebatur, nec potuit continere ſe, quin tacitè rideret. Sic enim apud animum ſuum reputabat; *Egóne vetula, domino etiam meo jam ſene, voluptatem perceptura ſum?* Ætas enim provecta *Saræ* jam ſiccaverat menſtrua, ut nullam ei natura ſobolis polliceretur ſpem. Nec Deum iſta locutum *Abrahamo* cogitabat, ſed hominem peregrinum, hoſpiti ſuo fortaſſe læto nuncio gratificaturum. Certa fides *Abrahamo* riſum ex gaudio pepererat; diffidentia *Saræ*. Itaque *Abrahamo* Deus, *Quid ità ridet Sara*, inquit? quid ità dubitat diſputátque, *num vetula filium paritura ſit? Quicquámne Domino erit factu difficile? Conſtituto*, inquam, *tempore rediturus ſum, Saráque habitura eſt filium.* Pertimuit *Sara* cùm audiret hæc, negavítque ſe riſiſſe; neſcio quem ſcilicet adeſſe rata jam homine majorem, qui tacita potuit audire, & ſecreta cernere. At ille, *Imò*, ait, fruſtrà negatur, *riſiſſe conſtat.* Peractâ cœnâ, *Sodomam* profecturi hoſpites diſcedunt. Deducit abeuntes comiter, aliquantóque viæ ſpatio proſequitur *Abrahamus*. Tum Dominus, *Celabóne*, inquit, *Abrahamum conſilia mea, qui gentis magnæ validiſſimæque pater, qui gentium omnium benedictio futurus eſt? Ipſum enim*

Denuo promittitur *Abrahamo* è *Sara* poſt annum filius.

 probè

A. M. 2107.

probè novi, non modò pium juſtúmque fore, ſed & liberis poſteriſque ſuis præcepturum, ut pietatem colant & juſtitiam. Sic enim fiet *ut Abrahamo* poſteríſque *Dominus ea præſtet quæ pollicitus eſt omnia.* Tum verò ità Deus ad *Abrahamum*; *Gravia*, inquit, *Sodomæorum & Gomorræorum ſcelera maximos in cœlum clamores edunt: itaque deſcendi huc ut viderem, veráne hæc eſſent, an ſecùs.* Hæc Deus. Deinde *Sodomam* alii duo viri diſcedebant. *Abrahamus* autem coram Domino perſtitit, propiúſque acceſſit ut intercederet pro *Sodomæis*. Et, Video, inquit, Domine, adeſſe te *Sodomæorum* ſcelera vindicaturum. *Numquid autem pios eodem ſupplicio cum impiis implicaturus es? Quòd ſi viri boni malis permiſti ſint* 50, *univerſámne civitatem dirues, an conſervabis potiùs*, 50 *piorum gratiâ? Abſit procul à te, Domine, ut iſtud facias, ut pios unà cum impiis tollas; ut viri boni hominéſque ſcelerati eâdem apud te conditione ſint, abſit procul à te, Domine. Numquid mundi totius Judex non cuique ſuum diſtribuet?* Non hæc ab *Abrahamo* dicta ſunt, quòd de ſumma æquitate miſericordiâque Dei eſſet dubius ſolicitúſve, ſed de maximo anxius periculo *Sodomæis* & *Loto* impendente. Ad hæc reſpondit clementiſſimè Deus, *Si* 50 *Sodomæ viros bonos invenero, tam paucorum gratiâ, parcam univerſis. Abrahamus* in hac Dei bonitate maxima non acquievit tamen; ſed, *Pulverem*, inquit, *& cinerem* eſſe me fateor humillimè, indignum prorſus qui tecum, Domine, ſermones conferam. Liceat tamen, obſecro, quâ *incepi* gratiâ *loqui apud te*, etiam pergere, & pervenire quò volo. *Quid ergò ſi quinque forſan è* 50 *deerunt? An* tantillus *quinque piorum defectus totam funditus eruet civitatem? Imò* 45 *piorum gratiâ*, inquit Deus, *ignoſcam reliquis. Quid autem* ſi 40 *fuerint?* refert *Abrahamus. Nè tum quidem civitas tota delebitur*, inquit Dominus. Iterum deinde *Abrahamus, Noli, quæſo, mihi ſuccenſere, quòd hâc utar apud te loquendi libertate. Si triginta fortè reperiantur homines Integri vitæ ſceleriſque puri*, quid his fiet, Domine? *His triginta*, reſpondit Deus, *omnes condonabo; non peribunt.* Tum denuo *Abrahamus, Ecce verò, ſermonem exorſus ſum*; da mihi, obſecro quàm humillimè, concludendi veniam. *Quid ſi fortè illic reperias viginti? Viginti efficient viri boni*, inquit Dominus, *ut impiorum multitudini parcam.* Poſtremò *Abrahamus, Domine*, ait, *propitius mihi ſis, non niſi hâc unâ vice locuturo. Quid ſi decem inveneris*, quos publicorum ſcelerum contagio non afflaverit? Hunc autem numerum unicâ ſperabat *Loti* familiâ contineri. Reſponſum eſt, *Etiamſi decem tantummodo ſint*, tam perpaucorum gratiâ, *populo ignoſcam univerſo.* Hæc Deus cum *Abrahamo* ſpecie moréque humano collocutus eſt; quò magiſtratibus regibúſque documento eſſet, primò, nè quid in reos temere ſtatuant, néve causâ non ſatìs cognitâ ruant ad vindictam. Ait enim Deus, *clamorem ſe magnum audiviſſe; deſcendiſſe tamen ut videret, quò certiùs cognoſceret.* Deinde, quemadmodum *Romanus* ille dux prædicabat, *malle ſe unum civem ſervare, quàm mille hoſtes perdere:* ità Judicis boni eſt, ſontes potiùs abſolvere plures, quàm unum virum innocentem condemnare; impióſque dimittere impunitos, quàm juſtum piúmque rapere ad ſupplicium. Sic enim Deus, bonorum decem gratiâ, *Sodomæis* omnibus parcere ſe velle profitetur.

Sodomæorum deprecatur excidium *Abrahamus*;

quorum nefanda ſcelera

§ 18. Sub veſperam, Angeli duo, quos ante colloquium dimiſerat *Abrahamus*, perveniunt *Sodomam.* In porta civitatis tum fortè conſidebat *Lotus:* hoſpites, credo, ſi qui advenirent, exſpectabat hoſpitaliſſimus vir. Itaque Angelos ut conſpexit, aſſurgit continuò, ſéque obviàm dat, corpore ac vultu inclinato reverenter ad terram. Et, *Nocte*, inquit, *jam inſtante, hoſpitium, obſecro, domini mei, apud ſervum veſtrum nè aſpernamini, ut lotis pedibus reficiamini apud me, & pernoctetis, primo cras manè quò libet profecturi.* At illi modeſtè primò recuſare, ac deprecari hanc moleſtiam: In platea ſe potiùs pernoctaturos. Non ut in platea diſciplinam civitatis civiúmque mores explorarent, quos in hoſpitio perſpecturi erant ſatìs; ſed ut hoſpitalem optimi viri humanitatem acuerent modeſtiâ ſuâ, palámque facerent. Urgente ac inſtante *Loto*, annuunt mox, & in ejus divertunt domum. Convivium apparatur; quóque maturiùs cœnarent, & ſomno darent ſe, panes coxit infermentatos. Peractâ cœnâ, nondum hoſpites cubitum ierant, cùm *Sodomæi* omnes undique conveniunt, obſidéntque domum. Et *Lotum* inclamantes, hoſpites ejus poſcunt ad libidinem. *Lotus*, deprecaturus hanc injuriam, domo egreditur, occluſâ poſt tergum januâ. “Quid hoc rei eſt, *mei fratres*, inquit? Per humanitatem “pudorémque omnem *obſecro vos, nè facinus tam fœdum perpetretis. Duas* potiùs “*filias traditurus ſum.* Virgines accipite, *hoſpitibus tantùm abſtinete.* Magnus hic

quidem

quidem *Loti* affectus in peregrinos, at parùm pius. Mavult pater haberi, quàm hoſpes, malus. At non licet facere, nec ſuadere mala, ut indè bona eveniant; nedum ut evitentur mala. Majore minus peccatum redimere non licet; damnum licet. Illi verò, monitione hâc irritati magìs quàm deliniti, *Apage*, inquiunt; *Inquilinus hic apud nos & ſolus cùm ſit, tamen judicem agit*, indigeníſque nobis leges dat. *Quod ab illis avertit malum, in ſeipſum transferet.* Cùm itaque *Loto* inſtarent, & ad januam effringendam accederent, manu prehenſum Angeli recipiunt in domum, januámque claudunt. *Sodomæorum* autem oculis tenebras offundunt, & cæcitatem ejuſmodi, quæ palpando perquirendóque oſtio totâ nocte fruſtrà defatigavit. Ità ſolet Deus occæcare priùs, quos conſtituit perdere. Exitio proximi & maturi ſunt, qui nec malis meliores recentíque ab hoſtibus clade fiunt, monitíſque bonis *Loti* deteriores evadunt. Quare Angeli ad *Lotum*, *Quid*, inquiunt, *aut quem tibi charum habes in urbe hac, generos, filióſve, aut filias? Omnia & omnes quàm primùm hinc educito. Funditus enim eruenda eſt civitas exſecrata. Hominum conſceleratorum graviſſimus clamor penetravit cœlum, Dominique obtundit aures. Itaque nos huc ad pœnas exigendas demiſſi.* Sic Angeli ad *Lotum*. Ille admonitus egreditur ſtatim, generóſque itidem ſuos admonet, quibus deſponderat filias, ut emigrent celeriter ex hoc loco, quem Dominus ad exitium damnaverat. Generi autem non monere ſe, ſed ludificare, ſocerum putabant. Cum prima luce inſtabant *Loto* Angeli, ut cum uxore ac filiabus, quas virgines domi habuit, effugeret, nè communi civitatis clade corriperentur. Cúmque moras necterent, manibus prehenſos quaſi vi educunt: tanta erat in *Lotum* Dei etiam tergiverſantem indulgentia. Tum verò iterum monuerunt, ut, ſi ſe ſalvos vellent, properarent ulteriùs, nè à tergo reſpicerent, néve in ulla ejus planitiei conſiſterent parte; ſed ad montem (montem *Engaddi*, puto, monſtrabant) fugâ præcipiti contenderent. De non reſpiciendo mandatum ideo videtur additum, non modò ad explorandam fidem & obedientiam, (ut 1 *Reg.* 13.9.) aut quò expeditiùs fugerent; (ut *Luc.* 10.4. & 2 *Reg.* 4.29.) ſed ut locum ſceleratum quoque inceſtámque gentem eò magìs deteſtandam ſcirent, utpote nec reſpectu, nec miſeratione dignam: deinde, ut judicia Dei religioſè veneranda, non perſcrutanda curioſè, diſcerent: denique, ut erudiremur & nos, nè, à ſordibus vitiorum liberati, vel affectibus unquam redeamus ad cœnum prius. *Lotus* autem, veritus nè aut penuriâ victûs, aut ferarum injuriâ, in montibus interirent, tam longum & periculoſum iter deprecatur: civitatem oſtendit propiorem & commodiorem ad quam fugeret, ſub ipſis montium radicibus. *Qui mihi vitam*, inquit *Lotus*, *clementiſſimè conceſſiſti, hanc etiam, Domine, urbeculam da (exigua enim eſt) ubi tuo fruar vitæ beneficio.* Reſpondit Angelus, ſe hoc etiam ei concedere; ejus gratiâ nolle ſe civitatem iſtam exiguam diruere: feſtinaret ergò, & in eam effugeret ocyùs: nec enim poſſe quicquam facere ſe, donec eò *Lotus* perveniſſet. Indè poſtea nomen ejus urbis *Zoara*, id eſt, *Exigua*, fuit, quæ *Bela* priùs appellabatur. Properat *Lotus* quantâ poteſt celeritate, *Zoaram* ſpectans ubi ſalutis erat ſpes, de *Sodoma* jam parùm ſolicitus. At uxor ejus, patriæ deſiderio cognatorúmque retardata, nec animo nec paſſibus æquis virum inſequebatur. Tandem, doloris ſui magìs quàm Divini mandati memor, continere ſe non potuit quin reſpiceret *Sodomam*; ſive quòd invita patriæ delicias & ſcelerum conſuetudinem relinqueret, ſive ut judicia Dei curioſiùs quàm par eſt homini obſervaret. Ultio Divina incredulam minúſque obſequentem protinus invaſit, mulierémque vertit in Statuam ſalis. Aliqui, fulgure afflatam in lapidem induruiſſe ſalſum neſcio quid reſipientem, volunt. Ut ſanguine *Sodomæis* & contagione ſcelerum conjunctam, ità pœnarum quoque participem fieri, æquum profectò & par fuit; eóque magìs, quòd Conſervatori Deo ingratam ſe præbuiſſet. In *Salem* verò eſt mutata, ut nos ejus condimento ſaperemus. In *Columnam* ſalis, ut monumentum hoc perpetuum erudiret poſteros, in via virtutis & pietatis, in Dei via progredi ſemper ulteriùs & proficere, quódque S. *Paulus* prædicat de ſe, (*Phil.* 3.13,14.) *oblivíſci eorum quæ nobis à tergo ſunt, ad ea verò contendere quæ ſunt à fronte, ut ad ſcopum feramur, & præmium Dei propoſitum in Chriſto Jeſu. Qui enim, poſtquam aratro manum admoverit, ea quæ à tergo ſunt reſpexerit, ad regnum Dei non eſt idoneus.* (*Luc.* 9.62.) Itaque *Chriſtus* (*Luc.* 17.32.) graviter monet, ut *memores ſimus* hujus monumenti. *Melius enim pietatis viam eſt nunquam noviſſe, quàm notam deſerere*, quàm ingreſſum regredi & reſilire; quemadmodum *canis ad vomitum redit, & lota ſus ad lutum.* (2 *Pet.* 2.20,21,22.) Exſtitiſſe Columnam

A.M. 2107.

(ſalvo Loto)

A.M. 2107. nam hanc ſalis ætate ſuâ, *Joſephus* narrat. (Antiq. 1. 12.) Noſtris quoque temporibus exſtare, *Brocardus*, *Breidenbachius* & *Saligniacus* teſtes oculati ſunt, inter Mare mortuum & montem *Engaddi*.

clade horrendâ ulciſcitur Deus. § 19. Oriente Sole, oppidum *Zoaram* ingreſſus eſt *Lotus*; eodémque temporis momento pluit de cœlo Deus ignis pluviam & ſulphuris, quâ planitiem omnem, & quatuor è quinque urbibus, *Sodomam*, *Gomorram*, *Zeboïm* & *Admam*, unà cum incolis boníſque omnibus, incendit, obruit, devaſtavit. Quorum peccata, eorum & pœna legibus Naturæ quodammodo adverſabatur. Ignis rerum leviſſimus deſcendit, & ipſæ aquæ incendium excitabant, quibus natura vim reſtinguendi flammas dedit. Aquis ardentibus conflagrant, aquis tandem implentur & operiuntur omnia. Sic enim Divina juſtitia ——— *compeſcuit ignibus ignes*; ignes libidinum veris ignibus, & infamiam ſcelerum ſulphuris fœtore compenſavit. Uberrima & rerum optimarum feraciſſima terra ſteriliſſimum fit mare. Aquis cooperta, libero apertóque cœlo non ampliùs fruitur; utpote quod impudentiâ ſcelerum toties támque atrociter violârat. Animantia nulla jam, quippe quæ ad luxum intemperantiámque tantùm aluerat, non ſuetas aquis volucres, nè piſces quidem fert, aliúdve quicquam præter bitumen: ideo *Mortuum* jure appellatum eſt *mare*, & *Lacus* à bitumine *Aſphaltites*. Aquæ ſpiſſæ ac ſordidæ, fœtidæ amariſſimæque. Non vento impelluntur, aut naves ferunt: quoniam omnia vitâ carentia in profundum demittunt, nec materiam ullam ſuſtinent, niſi quæ alumine illinatur. (*Juſtin.* 36.) At nihil in iis vivum mergitur. Tauri etiam camelíque fluitant. Experimento *Veſpaſianus* probavit, projectis in aquam captivis, etiam colligatis, nè moverent ſe. Indè bitumen ebullit evomitúrque annuatim è medio maris fundo, aliàs plethrorum trium magnitudine amplius, aliàs uno minus. Majus *Taurum*, minus *Vitulum* appellabant accolæ. (*Diod. Sic.* 19.) Bitumen ejus gleba ſoli eſt, quæ à calore liquefacta efflatur atque diffunditur, rurſúmque in ſolidum corpus aquæ frigore coaleſcit, innatátque mari, procul intuentibus inſulæ ſpeciem referens. Accolæ ratibus arundineis accedunt, quantúmque volunt auferunt. (*Strabo* 16.) Vel, ut alii, vento agitatum concretúmque, litori appellitur, colligitúrque. Sed tenaciſſimum cùm ſit, non niſi filis menſtruorum muliebrium ſanguine infectis ſibi divellitur. (*Plin.* 7. 15.) At verò *Tacitus* (Hiſtor. 5.) gnaros ait locorum tradere, undantes bitumine moles pelli, manúque trahi ad litus. Mox, ubi vapore terræ vi Solis inaruerint, (aquarum frigore condenſatæ priùs,) ſecuribus cuneíſque, ut trabes aut ſaxa, diſcindi. Signa egerendi bituminis 20 dies præcedunt. Fœtor enim latè infeſtat, & halitus metallorum nitidorum inficit colorem. (*Diod. Sic.* ibid.) *Strabo* vaſa ærea argenteáque dicit æruginem indè contrahere, non & aurea. Vaporibus peſtiferis litora & montes ab omni parte ſterilia ſqualent & inculta: aut ſi quos fructus frugéſve proferre videantur, ſpecie quidem pulchros, ii tactu preſſi in fumos & cineres abeunt. Longitudo hujus pelagi, autore *Joſepho*, 580 continet ſtadia; millia paſſ. 100 *Plinio*, (5. 16.) Latitudo ſtadia 150 *Joſepho*, 60 *Diodoro*, ubi anguſtiſſima, credo; ubi latiſſima, 25 mill. paſſ. *Plinio*. *Strabo* indigenas ait prædicare ſolitos, eo in loco 13 urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput *Sodoma* adhuc 60 ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum. Hæc ad exemplar poſteris ab hominibus conſceleratis perſoluta eſt pœna, nè immania peccata in hoc ſe mundo efferant immuniáque credant; etſi debita dignáque ſupplicia exſpectent in futuro, in ignis æterni ſtagno, quod ardet ſulphure. (2 *Pet.* 2. 6. *Judæ* v. 7. *Apoc.* 19. 20. & 21. 8.) Qui nè rubi folium torruit pacatus, furore accenſo, omnia *conſumens ignis eſt Jehova*.

§ 20. *Abrahamus* interim totâ nocte anxius, & dolens vicem *Sodomæorum*, primo diluculo ad eum ſe confert locum ubi cum Domino pridie ſermones contulerat. Cúmque verſus *Sodomam* vallémque illam amœniſſimam proſpexiſſet, fumum conſpexit ejus regionis aſcendentem quaſi fornacis calcariæ. Ex eo facilè agnovit popularem intolerandámque gentis totius impietatem, eas jam luentis pœnas, quas vel decem viri boni ab univerſa natione avertiſſent. *Abrahami* quidem precibus *Lotum* condonavit Deus: *Lotus* tamen ingratus, quia incredulus. Ipſi enim Deo diffiſus eſt. Ut montium priùs metuit ſolitudinem, ità nunc urbis perhorreſcit frequentiam. Promiſerat quidem Angelus; ille tamen haud credebat fore, ut flammâ reliquas depopulante, urbs unica, minimáque omnium, poſſet evadere. E *Zoara* igitur in montem aſcendit cum filiabus, & in ſpeluncam abdidit ſe. Dum illic ſoli agunt, fœminæ rationem ineunt propagandi generis ſui, hoc eſt, (quemadmodum illæ forſan putabant)

hu-

A.M. 2107.

Moabus & *Ammon* *Loto* inceſtu filiarum nati.

humani. Virum ſibi nullum adeſſe conqueruntur, ſupereſſe nullum, ſaltem iis in locis, præter patrem, eúmque jam ſenem. Nec patrem à ſe facilè adduci poſſe, ut liberis generandis operam det è ſuis liberis, niſi arte aliquâ pellectum. Suadet igitur è ſororibus natu major, vino rem gerere, vino patri mentem adimere, vino ſeni libidinem provocare : (è *Zoara* enim vinum ad curas leniendas attulerant:) ſe primâ cum patre, ſororem alterâ nocte cubituram. Ut dictum ità factum eſt. Ambæ filios ex patre pariunt, *Moabum* major, minor *Ammonem* ; utroſque gentium patres futuros : quanquam *Lotus*,——*ſomno vinóque ſepultus*, quid factum ſit minimè ſenſerit. Itaque non omnes loci aut ſocietatis contagioni tribuendæ ſunt illecebræ peccandi. Suas habet etiam in ſolitudine fraudes & inſidias Diabolus, ſi remittamus curam cuſtodiámque nos. *Lotus* integer *Sodomæ*, ebrius in monte ac inceſtus fit. Quare, ut nimiùm frequentia, ſic etiam

——*Loca ſola nocent ; loca ſola caveto.*

Loti filiæ (ut aliqui opinantur) non neminem ſuperfuiſſe, ſed è ſuo hominúmque piorum genere ſuperfuiſſe neminem, putârunt. Itaque filios ſuos indè videntur denominâſſe: *Moabum*, hoc eſt, *de patre natum* ; & *Ben-ammi*, id eſt, *mei populi* & *cognationis filium.* At per ebrietatem & inceſtum propagandi religioſam ſobolem, prorſus aliena ratio eſt. Itaque de hominum connubiis in ea tantùm vicinia deſperâſſe, credibilius videtur.

A.M. 2108.

Abrahamus Gerari rurſus diſſimulat uxorem.

§ 21. *Mambræ* planitiem, viginti trium annorum ſedem, hoc tempore deſeruit *Abrahamus* ; ſeu vicinorum clade territus, ſeu fame compulſus, incenſo regionis totius horreo, ſeu qua alia de cauſa non planè conſtat. *Judæi* loco inhoſpitali tribuunt, quòd pauci admodum viatores eâ tranſirent poſt calamitatem *Sodomæ*. Alii loco inſalubri, ob halitum peſtilentem novi maris. Sed *Hebron* multò remotior eſt, quàm ut vaporum indè ſentiat moleſtiam. In regionem Auſtralem deſcendit *Abrahamus*, inter *Cadeſhum* & *Surem* ſolitudines habitaturus. In tranſitu *Gerare* aliquandiu ſibi diverſandum putavit. *Sara*, etſi nonagenaria, formam adhuc florentem habuit, & viro ſuo apud alienigenas ignoto periculoſam. Liberos enim adhuc nullos pepererat, quod maximè deformat mulieres. Nec illa ætas annorum 90, in illa mundi ætate, admodum provecta habebatur. *Abrahamus* ergò, ſibi ut caveret, idem conſilium iniit quod ei bene ſucceſſerat in *Ægypto*. Fratrem appellari ſe, non conjugem, vult. Regnabat *Gerari Abimelechus:* quod videtur omnium commune regum *Gerarenſium* nomen, ſi titulum ſpectes *Pſal.* 34. quomodo *Ægyptiorum Pharao*. *Patrem regem* ſignificat. Is igitur pulchritudine captus mulieris, eam domum ducit, pro uxore habiturus. Deus verò hanc illatam *Abrahamo* injuriam non tulit. *Abimelecho* protinus morbum infligit, omniúmque *Gerari* mulierum Divinâ quadam vi uteros obſtruit, nè pariant, nè concipiant liberos. Deinde, in ſomnis regi minitatur, eum illico moriturum, propterea quòd alienam duxiſſet uxorem, niſi quàm primùm reddidiſſet marito. *Abimelechus*, ut in barbara gente probus vir, innocentiâ ſuâ fretus, reſpondet audacter, *Quìd ità, Domine? Gentémne juſtam atque inſontem interfecturus es? Mihi purus eſt hac in re animus manúſque.* Neque vim adhibui, neque malum dolum ; quandoquidem *profeſſi ambo ſunt apertè, illum fratrem eſſe, hanc ſororem. Novi ego te*, inquit Deus, *animo hanc rem integro feciſſe. Ideo te cohibui, nè in me peccares, nè illam tangeres. Nunc igitur vide ut homini reddas uxorem, utpote* in maxima apud me gratia *Prophetæ. Illo pro te ſupplicante, vives ; moriturus niſi reſtituas, unà cum tuis omnibus.* Hæc *Abimelecho* Deus. Atque hæc omnia ſervis ſubditíſque ſuis, ut primùm illuxit dies, *Abimelechus* narrat ; quo in maximum timorem conjecti ſunt. Tum verò compellat *Abrahamum*, *Quid hoc mali eſt quod intuliſti nobis, Abrahame? aut quo meo merito tam inexpiabilem in me regnúmque meum religionem induxiſti?* Tacente verecundiâ quadam *Abrahamo*, inſtat ; *Quo*, inquit, *conſilio malum hoc in nos machinatus es?* " Dicam, ait *Abrahamus*, quoniam tantopere poſcis, & dicam veré. Timui, fateor, nè vos *Geraritæ* non timeretis Deum ; ac mihi propterea timui à vobis, nè fortè uxoris causâ tolleretis virum. Quanquam revera non uxor modò, ſed & ſoror mihi ſit, eodem patre, quanquam non eodem utero, nata. Ut primùm edixit Deus mihi peregrinationem hanc, ità pacti ſumus convenítque inter nos, ut in locis dubiis atque ſuſpectis, ego illi eſſem pro fratre, illa mihi pro ſorore. Iſta cùm audîſſet rex, non modò conjugi reddidit uxorem, ſed armenta etiam & greges, ſervos & ancillas addidit, nummóſque præterea

mille

A.M. 2108.

mille argenteos ad redimendam expiandámque injuriam. Et, *Meum*, inquit, *tibi, Abrahame, regnum patet undique: Quemcunque libet locum tibi habitandum elige. Saram* quoque molliter objurgat; " Ecce, inquit, *tuo quem vocas fratri Abrahamo mille* " *tradidi argenteos tui cauſâ.* Non eſt cur te uxorem diſſimules huic viro. *Ille tibi* " *jure conjugis velabit oculos*, nè quis formæ tuæ inſidietur: ille autoritate ſuâ prote-" get, nè quis offerat vim. Poſtremò, redditâ *Sarâ*, & intercedente precibus *Abrahamo*, reddidit Deus *Abimelecho* & mulieribus, quam in *Abrahami* gratiam ademerat, ſanitatem. Maximè igitur compendiaria morborum etiam regiorum medicina ſunt reſipiſcentia & preces. Nec enim impunè minoréve periculo Imperatores maximi peccant in Deum, quàm infima plebs. Neutri quod peccatum eſt antè remittitur, quàm quod ablatum eſt reſtituatur.

Iſaacus illi è *Sara* naſcitur.

§ 22. Annum jam agebat ætatis centeſimum *Abrahamus*, cùm ei filius natus eſt è *Sara* conjuge, eo ipſo tempore quo Deus antè promiſerat. A *riſu* parentum *Iſaacus* illi nomen datum, quod Deus antè impoſuerat. Octavo die circumciſus eſt, quod Deus antè mandaverat. Indè *Sara* maximo perfuſa eſt gaudio, riſúque vero.

A.M. 2112.

Iſmaël domo ejicitur.

Poſt tres, opinor, quatuórve annos ablactatus eſt *Iſaacus*; quem ætatis maturioris gradum *Abrahamus* magno celebravit convivio. Pro more, puto, id factum, aut ſuæ gentis, aut vicinarum. Nec pro more tantùm: cauſa non deerat. Cùm enim infans primùm, relicto nutricis lacte, ad cibos ſolidiores jam robuſtior accederet, opportunum erat novum hoſpitem excipere convivio, &, ejus gratiâ, communi plurium convivarum lætitiâ feſtum diem agere. Suo jam cibo veſcebatur, ſuâ loquebatur linguâ, ſuis pedibus incedebat *Iſaacus*; cùm *Iſmaël* frater, natu quidem grandior, ſed è ſervo, minorem ludificatus eſt. Facilè id animadvertit *Sara*, graviterque apud virum conqueſta eſt; ſe filium & hæredem illi peperiſſe; ancillæ ſuæ filio nihil opus eſſe jam. Itaque matrem rogavit filiúmque ſimul ut ejiceret foras. Filius enim ſervæ ut in aliquam hæreditatis partem cum ſuo, hoc eſt, legitimo filio, admittatur, id verò admittere ſe nullo modo poſſe. Alio hæc animo dicta ſunt à noverca, quàm à patre audita: Filium enim ſuum ſuâ domo ejici, ægre conceſſurus videbatur, cùm Deum ſubitò commonentem ſe audit, ut in hac re obſequatur uxori. " *Iſaacus* enim, " inquit, & bonorum tuorum legitimus, & meorum tibi promiſſorum hæres futurus " eſt. *Sed & Iſmaëlem, quia natum ex te, gentis magnæ parentem conſtituam.* Sic ad *Abrahamum* Deus. Ille, ut ſe Deo potiùs morigerum filium præberet, quàm indulgentem filio patrem, primâ diei proximi luce panem & utrem aquâ plenum impoſuit *Hagaræ* portandum, matri filium tradidit, utrumque dimiſit. Illa in *Ægyptum* patriam ſuam inſtituit iter. Sed in deſerto *Beerſhebæ* dum vagatur, torrido cœlo & ſolo arido, aqua illis deficit, & ipſi penè ſiti & languore deficiunt. Itaque puerum derelinquit mater, ſub arbore quadam abjectum, nè pereuntem videat. Ipſa procul ex adverſo ad ſagittæ jactum ſubſidet, flebilíque voce lamentatur. Mox patris gratiâ pueri miſeretur Deus. De cœlo miſſus matrem conſolatur Angelus. " Nè " quid metuat mali jubet: Deum enim audire puerum etiam in ſolitudine. Ipſa " igitur tollat eum ac manu teneat, utcunque inopem jam, magnæ quondam gentis " patrem futurum. Hæc ad *Hagaram* Angelus. Ea verò, quaſi aperiente oculos Deo, puteum protinus conſpexit, quo ſitim dolorémque hunc ſibi levaret filióque. Habitavit deinde *Iſmaël* in deſerto *Paranis*, bellicoſus juvenis & arcu promptus, quo feras hominéſque inſectatus eſt. Maturæ mox ætatis viro *Ægyptia* mater *Ægyptiam* tradidit uxorem. Dona, credo, à patre accepit, quibus hanc dotaret uxorem, greges & armenta, & quæ alia tum temporis habebantur in bonis. Deus enim ipſe, ut quod patri promiſerat filio præſtaret, divitiis eum, omnibúſque bonis quæ ſpectant vitam hanc, abunde locupletatum voluit.

Cum *Abrahamo Abimelechus* fœdus init.

§ 23. Formidoloſa interim *Abimelecho* virtus *Abrahami* ſummáque apud Deum gratia fuit. Conſultum propterea videbatur, arctum inire cum vicino amicitiæ fœdus. Quare cum *Phicolo* ſui exercitûs duce convenit *Abrahamum*, poſtulátque, ut jurejurando teſtem adhibeat Deum, nullum ſe damnum ipſi poſteríſve ſuis illaturum, ſed eandem ſuæ ditioni exhibiturum benignitatem, quam ipſe peregrinus apud ſe jampridem expertus eſſet. Æqua res hæc *Abrahamo* & opportuna videbatur. Concedit regi quod petebat, jurat, ſancítque fœdus: at ſimul de injuria conqueritur quam paſtores ei *Gerarenſes* nuper obtulerant, fontem ſeu puteum aquæ adimendo vi, rem alioqui vilem, ſed in ſicco aridóque ſolo pretioſam. Rex, ut omnem à ſe propulſet culpam,

cùlpam, nec imperâſſe affirmat ſeriò, neque noviſſe rem, hoc primùm ſibi tempore indicatam. Inficiante factum reo, animus placatur generoſus. Reconciliatæ gratiæ fœderíſque pignus, armenta gregéſque *Abimelecho* dat. Agnas præterea ſeptem in loco ſejungit ſeparato. Cujus rei rationem quærenti regi, *Hoc*, inquit, *munuſculo donaberis à me, ut indicio ſit ac teſtimonio, ceſſiſſe mihi te hujus putei jure.* Indè locus poſtea *Beerſheba* dictus eſt; hoc eſt, vel *juramenti*, vel numeri *ſepteni puteus.* Longo poſt hæc tempore in *Palæſtina* peregrinatus eſt *Abrahamus.* *Beerſhebæ* autem conſevit lucum & conſecravit, quo quaſi templo rem Divinam faceret, & cœleſte Numen celebraret. Et ex eo lignum ad ſacra facienda ſacrum ſuppeditari voluit. Cultûs enim Divini, quocunque in loco tabernaculum fixerat, habendam ſibi vel inprimis maximam rationem cenſuit. *A.M.* 2112.

§ 24. Sapientiſſimo Deo ſatis erat ſpectata jampridem fides *Abrahami*, omníſque pietas, quam nulla rerum adverſarum tempeſtas, nulla dubiarum anxietas, convellere unquam potuit aut labefactare. Quò tamen illuſtriori eſſet gloriæ Deo, nobis documento, ipsíque *Abrahamo* laudi apud poſteros, iterum ſtatuit explorare Deus, & novo quodam periculo experiri. Erat *Abrahamo* unicus è *Sara* conjuge filius *Iſaacus.* Nondum, opinor, exceſſerat ex ephebis, magnæ puer indolis, ſpei majoris. Nec enim paternorum bonorum hæres modò, ſed promiſſorum quoque Dei omniúmque benedictionum exſpectabatur. Diu deſideratum, maximo pater cum gaudio excepit, & amore complexus eſt. Itaque periclitatur Deus, an quæ reliqua omnia pietas expugnaverat, etiam hunc amorem ſuperare poſſit. Divinâ enim voce noctu *Abrahamo* edicitur, ut in *Moriæ* regionem proficiſcatur; illic in monte, quem Deus illi erat demonſtraturus, *Iſaacum* filium ſuum, unicum filium, filium dilectiſſimum, ut immolet Deo & holocauſtum det. Edictum primâ ſpecie horrificum, & quod alium quemvis perculiſſet vehementer & perturbâſſet. Filium enim ſuum, ex legitima uxore filium unicum, multis nominibus dilectiſſimum filium, filium *Iſaacum*, riſum gaudiúmque præſentis ævi, futurorum ſpem, nec ſuæ modò familiæ ſpem, ſed gentibus univerſis futurum, mactari hunc, à ſuo patre mactari, ad ſacrificium holocauſticum, ut extinguatur totus, nec ſuperſit quicquam præter cineres, *A.M.* 2123. Juſſus à Deo immolare filium,

Neſcio quid parvam quod non bene compleat urnam,

& hæc omnia fieri mandato ejuſdem Dei, cujus beneficio maximo non ità pridem & ſibi & humano generi datus natúſque ſit; quaſi Deus miſericordiarum gaudeat ſanguine, quaſi parricidium ſit pietas, idémque Optimi Dei filius optimíque filii pater eſſe non poſſit; quis hæc facilè crederet? Quis non fraudem ſuſpicaretur potiùs, & inſidias mali Dæmonis? Quis non obſequi vel recuſaret planè, vel tergiverſaretur maximè? Quis edictum ejuſmodi, ab ipſo profectum Deo, non ferret animo iniquiſſimo? *Abrahamus* tamen, agnitâ Dei voce multis jam oraculis familiari, non dubitat, non diſputat, non ægre fert, non uxorem advocat in conſilium, non amicos; ſed magnâ animi, non modò conſtantiâ & fortitudine, ſed etiam alacritate ſedulitatéque, ad peragendum Dei mandatum accingit ſe. Primo igitur manè inſtravit ſibi aſinum, duos famulos filiúmque aſſumpſit, unà cum fiſſis ad holocauſtum lignis, profecturus quò Deus juſſerat. Tertio demum die conſpexit è longinquo locum, indicante Deo. Nec enim uno Religionis impetu tantam rem tranſigi, ſed ſpatium temporis intercedere voluit Deus, ut cogitatione rei, & conſpectu colloquióque filii, eò diutiùs torqueretur pietas patris, & obſideretur fides atque oppugnaretur morâ. Ubi primò apparuit mons, ibi famulos conſiſtere jubet cum aſino; ſe verò & filium perrecturos ait ad montem, peractíſque ſacris reverſuros: quod revera futurum erat, niſi Deus aliter ſtatueret. Id enim ſubintelligi *Abrahamus* vult. Ideo enim ſe *reverſuros* dixiſſe *Abrahamum*, quòd crederet, filium à ſe mactatum à Deo ſuſcitatum iri, (quod aliqui volunt,) id verò nobiliſſimi facti minuit plurimùm elevátque gloriam. Quantulum enim eſt immolare filium, quem ſcias mox ad vitam eſſe rediturum? Nec in *Heb.* 11.19. credit *Abrahamus*, hoc loco ac tempore *velle* Deum ſuſcitare ſibi filium, ſed ratiocinatur *poſſe.* Lignum igitur imponit filio portandum: Ignem ipſe cultrúmque tollit cædendis victimis comparatum. Dum pergunt unà, *Iſaacus* ad patrem, *Ecce*, inquit, *pater mi, lignum ignémque; ſed ubi eſt quæ immoletur hoſtia?* Reſpondit *Abrahamus*, “ Ne tu ſis, mi fili, de hoſtia ſolici-“ tus. Qui officium hoc nobis imperavit *Deus, etiam ſibi procurabit hoſtiam.* Ut perventum eſt ad locum deſignatum à Deo, lapides continuò legit *Abrahamus*, altare obſequitur *Abrahamus.*

A.M. 2123.

condit, lignum in ara componit, denique ſacrificiali more colligatum imponit ligno
filium. Non ille invitus trepidúſve reluctabatur ; ſed novitatem rei tantùm de-
miratus, ex patre didicit conſilium Dei, hæc aut hujuſmodi verba proloquente.
" *Iſaace*, mi fili, Deus mihi te donò dedit ; ſibi jam te Deus reddi vult. Tute agnus
" es de quo ſciſcitabaris modò ; holocauſtum futurus gratum certè Deo, quamvis non
" dignum. Si liceret ſanguine meo tuum redimere, quantò libentiùs mallem meam
" vitam tradere, quàm auferre tuam? Mille votis expetitum te, in ſpem educavi,
" non generis noſtri tantùm, ſed humani. Nihil autem nimis charum pretioſúmve
" quod petenti redonetur Deo. Conſilii Divini rationem curioſiùs exquirere, non
" eſt meum tuúmve, pium tutúmve non eſt. Quicquid hoc eſt, id mihi pro certo erit,
" è re noſtra utriuſque futurum, quicquid ex Optimi Amantiſſimíque Dei mandato
" facimus patimúrve. Quare ſpirituum Patri repetenti animam in manus libens tra-
" de. Mihi genitori corporis corpus exue, idem poſthac immortale cœleſtis Patris
" beneficio reſumpturus. Ad hæc *Iſaacus*, à pietate patris haudquaquam degener
filius, animo alacri potiùs quàm intrepido ; " Utinam verò, inquit, tam gratus
" videar quàm paratus ſum donari Deo. Tandem exuenda eſt mihi vita hæc ne-
" ceſſariò, quam eâ lege indui. Quantò beatiùs Dei mandato redditur, quàm ne-
" ceſſitati naturæ? Exuvias animæ corpus hoc, à te acceptas, tu, mi pater, ut
" libet lacerato, & in cineres redigito. Animam, à quo accepi, Deo tutò reponen-
" dam, & in idem corpus aliquando redituram, trado libentiſſimè. His dictis ul-
tro ſuum cultro jugulum dat. Tollit *Abrahamus* manum ad feriendam victimam,
cùm repentè Angelus è cœlo, *Abrahame*, inclamat, *Abrahame*. Reſpiciente ad hanc
vocem *Abrahamo*, *Manum de puero*, inquit Angelus. *Cave ferias*, *cave quicquam
Iſaaco mali facias*. *Pietatem tuam ſatìs jam perſpectam habeo*, *qui filio tuo*, *filio unico*,
non peperceris mei gratiâ. Dum retortis oculis audit hæc, arietem cernit *Abrahamus*
in vepreto cornibus retortis implicatum. Hunc invadit protinus & immolat filii
vice. Cùm igitur accidiſſet res quemadmodum antea ſciſcitanti filio inſcius præ-
dixerat *Abrahamus*, fore ut *ſibi Deus procuraret victimam*, nomen loco datum eſt *Je-
hova-Jire*, id eſt, *Providebit Dominus*. Indè proverbium quoque poſtea enatum,
cùm in rebus dubiis atque perplexis ad providentiam opémque Dei confugimus, *In
monte Dominus providebit*. Indè poſtea & urbi propinquæ *Salem* videtur auctum fu-
iſſe nomen, ut diceretur *Jire-Salem*, ſive *Jeruſalem*. Sacris peractis, iterum Ange-
lus compellat *Abrahamum* his verbis ; *Per meipſum juro*, ait Dominus, *quoniam hac
in re obſecutus es voluntati meæ*, *nec recuſâſti filium mihi tuum*, *unicum filium*, *immo-
lare*, *me viciſſim tibi abunde benedicturum*. *Multiplicabo tibi progeniem cumulatiſſimè*,
ut par ſit numero & cœli ſtellis, *& arenæ maris* : nec eam vili aut ſervili conditione fu-
turam, ſed *quæ jure hæreditario poſſeſſura ſit hanc terram*, *hoſtibúſque datura leges*.
Denique, *in tua prole benedicentur gentes terrarum univerſæ*. Hæc Deus, more qui-
dem jurantis hominis, ad ſtabiliendam hominis fidem. Poſthæc rediit *Abrahamus* ad
famulos, indè *Beerſhebam* reverſus eſt. Hoc eſt illud nobile ſacrificium, quod ulti-
mum veriſſimúmque *Chriſti* ſacrificium in ara Crucis maximè omnium & clariſſimè
ſignificabat. Hic enim pater, quemadmodum Pater Deus, obtulit filium ſuum,
unicum filium, in omnibus obſequentem, obſequentem verò uſque ad mortem.
Denique, filium obtulit eum, ex quo Filius Dei ſuſcepturus erat humanitatem. U-
terque ſuum portavit lignum, à quo erat ipſe mox in altari portandus ; uterque
tanquam ex faucibus fati ereptus eſt. Poſtremò, in eodem ferè loco utrumque ſa-
crificium eſt oblatum, & templum poſtea peragendis ſacrificiis conſtitutum. Audi-
amus verò & S. *Auguſtinum* hac de re pulchre diſſerentem. (Serm. 7. de Temp.)
" Videte Deum cum hominibus magnâ pietate certantem. *Abraham* mortalem fili-
" um non moriturum obtulit Deo : & Deus immortalem Filium pro hominibus tra-
" didit morti. Poteſt tamen & de beato *Iſaac*, & de illo ariete, etiam ſic intelligi,
" ut in beato *Iſaac* ſignificata ſit Divinitas, in ariete Humanitas *Chriſti* : & quia in
" Paſſione non Divinitas crucifixa creditur ; ideo non *Iſaac*, ſed aries, immolatur.
" Dei enim Filius unigenitus offertur, & Virginis unigenitus immolatur.

§ 25. Redeunti *Abrahamo* nuncius occurrit lætus & opportunus de fratre *Nacho-
re* in *Meſopotamia*, valere illum, ac florere filiorum octo patrem ex *Milca* uxore,
Uzzi nimirum, ac *Buzzi*, & *Cemuelis*, ex quo natus *Aram* ; *Chezedi* præterea, &
Hazonis, *Pildaſhi*, *Jidlaphi*, ac *Bethuelis*. Ex *Reuma* etiam concubina 4 ſuſtuliſſe
natas, *Tebam*, *Gahanem*, *Thabaſham*, & *Maacham*.

Telexione

Telexione defuncto, *Ægialenſibus* imperavit *Ægyrus* an. 34.
Filius *Arphaxadi Sala* annorum compos 433 moritur. **A.M. 2128. 2130.**

Medio ferè inter *Africam* & Minorem *Aſiam Græciámque* ſpatio, Inſula eſt nobilis, à rege (ut ferunt) primo ſuum nacta nomen, *Creta.* Milliaribus ferè 150 diſtat ab *Africa*, ab *Aſia* propè centum *Græciáque*. Oblonga porrigitur ab ortu in occaſum 230 paſſ. mill. nuſquam 50 lata, nè in medio, ubi latiſſima: 550 circiter in ambitu. Tria ejus promontoria exſtant; è quibus *Hermicum*, ſive Κριȣ̃ μέτωπον, *Arietis frons*, *Africam* ſpectat, *Samonium* verò *Aſiam*, *Europam Cimarus*. *Candia* huic inſulæ novum eſt nomen. Fluvios habet ſatis frequentes, verùm navibus impares. Mira ſoli indulgentia; unde arborei fructus abundant, oleæ, vites magnæ, mala Punica, aurea, citrea, & quæ vocantur *Adami*; fici etiam, zizipha, aliíque plurimi. Herba Dictamnum, ſive Dictamum, peculiaris, cujus vi fixa corpore ſolvuntur tela; (*Ælian.* Var. hiſt. 1.10.) & ἄλιμ☉, quæ admorſa diurnam famem prohibet; Glycyrrhiza fortaſſe, quam & *Scythia* dat: & ex proventu aquarum Scarus piſcis, alibi rariſſimus. Avem noctuam *Creta* non habet; & ſi invehatur, emoritur: nec lupos, vulpes, ſerpentes, (ut de feris majoribus taceam,) aliúdve noxium animal, præter Phalangium; quod aranei genus eſt, de quo cervi comedentes, ſi guſtent hederam ſylveſtrem, nihil detrimenti ſentiunt: (*Ælian.* lib. 1.8.) quibus tamen & cervis caret hæc inſula, præterquam in *Cydoniatarum* regione; item apris, attagenis & erinaceis. (*Plin.* 8.58.) Montibus eadem variis aſpera, *Dictæo* præcipuè, *Coryco*, *Idæo*, *Cadiſco*, & quos λευκοὺς, id eſt, *albos*, appellant, perpetuis nivibus ità excandeſcentes, ut eminus navigantes magis nubila putent. Nec ipſi montes infrugiferi; ſed caprarum ſylveſtrium & arietum copioſi erectis cornibus. Præter cæteros *Ida* eſt omnium celſiſſimus, in media propè inſula; cujus è ſummo vertice utrinque pelagus patet. Radices imæ, 600 ſtadiorum in circuitu, poſt aliquot ſecula obſitæ ſunt circundatæque urbibus. Ubertati enim terræ, abundantiæque rerum, populi tandem frequentia par, ut centum feratur conſtipata urbibus fuiſſe, unde Ἑκατόμπολις nomen. **Creta**

Centum urbes habitant magnas, uberrima regna, (inquit *Virgilius*.)

Homerus non niſi nonaginta numerat. (*Odyſſ.* 19.) Ex iis præcipuæ tres habebantur; *Cnoſſus*, quam *Homerus magnam* vocat, *Gortyna*, & *Cydonia*. At *Strabo* (lib. 10.) *Gortynæ* ambitum 50 ſtadiorum, *Cnoſſo* non niſi 30 tribuit. Et his duabus conſentientibus reliquas ait paruiſſe; diſſidentes, inſulam totam conturbâſſe. *Cydoniam* verò cui parti accederet maximum attuliſſe momentum. Tandem & *Lyctus* inclaruit. *Prima mari potuit Creta remis & ſagittis, prima literis jura junxit*, ait *Solinus*: inter *Græcos* fortaſſe prima. Studium Muſicum indè cœptum, cùm *Idæi Dactyli* modulos crepitu ac tinnitu æris deprehenſos, in verſificum ordinem tranſtuliſſent.

Nam *Cretæ* primos cultores (poſt *Eteocretes*, quos indigenas putabant) fuiſſe memorant *Dactylos Idæos*; quorum numerus incertus & varius. Centum aliqui numerant; alii 52, 25, 4, 3 denique. Plerique verò mares quinque, *Herculem*, *Pæona*, *Epimedem*, *Iaſium* & *Idam*; fœmináſque totidem. Unde à numero *Dactylos* vocabant, hoc eſt, *Digitos*; à monte quem incolebant, *Idæos*. Sunt qui *Dactylos* nuncupatos putent, quaſi opifices artificéſque rerum plurimarum. Digitis enim finguntur opera. Hos autem ferebant *Cretenſium* doctiſſimi uſum ignis ad conflanda æris ferríque metalla indagâſſe ac docuiſſe; quo merito celebrata eſt eorum apud poſteros memoria. In *Berecyntho* monte *Phrygiæ* hæc aiunt ſcrutatos fuiſſe metalla; ut indè videantur adveniſſe in hanc inſulam. Nec deſunt qui veneficos fuiſſe ac præſtigiatores dicant. Ab opera igitur manuum & digitorum in præſtigiis patrandis, *Dactylorum* illis fortaſſe adhæſit nomen. Succedebant his *Curetes*, primò novem, ſive ex *Idæis Dactylis* nati, ſive ex terra, hoc eſt, indigenæ. Hi *Dactylorum* opera & inventa perfecerunt: hi ex ære ferróque arma confecerunt. Hos *Diodorus* inprimis montium latebras incoluiſſe refert & ſpeluncas, nondum repertis ædibus: cùm autem præſtarent ingenio, multa vitæ utilia protuliſſe: Ovium ſcilicet coëgiſſe greges, alias autem cicurâſſe pecudes; mellis uſum, ſagittandi venandíque rationem demonſtrâſſe; hominum cœtus denique ad communem vitæ ac legum diſciplinam inſtituiſſe. Ex his ipſum fuiſſe *Cretem* vult *Euſebius*, (in Chronico;) eundémque civitatem *Cnoſſum*, & Matri deûm condidiſſe templum, regnâſſéque primum hâc ætate. Et fieri quidem poteſt, ipſum ut nomen *Cres* ex *Cures* natum ſit, ex *Cureta Creta*. At quem alii indigenam, *Stephanus* ex *Jove* natum & *Ida Cretem* fuiſſe tradit.

primi cultores Idæi Dactyli; & Curetes.

A.M. 2130.

dit. Sed & *Chalcidem* in *Eubœa* tenuiſſe *Curetas* ferunt: quò fortaſſe commigrârunt eorum aliqui ex hac inſula; ut paulò poſt hanc ætatem (*Diodoro* teſte) *Curetes* quinque in vicinam *Rhodo* Cherſoneſum trajecerunt. *Cares* indè veteres colonos cùm expuliſſent, inter ſe partiti ſunt regionem, quinque urbibus à ſe diſtinctam. Illi verò in *Eubœa* primi omnium (ut ferunt) ærea induti ſunt arma, indè Χαλκιδέες vocati. Cúmque de campo *Lelanto* aſſiduè præliantes, apprehenſo à fronte capillitio turbarentur ab hoſtibus, hâc deinde capitis detonsâ parte, à κȣ̃ρα *tonſura* denominati ſunt. Ex *Eubœa* in *Ætoliam* poſtea migraviſſe, ac tenuiſſe *Pleuroniam*, traditur; unde cùm aliqui trajeciſſent *Acheloüm*, alerέntque comam, *Acarnanes* diversâ ratione appellati ſunt. A *Curo* quodam heroë, vel à *Curio* monte qui *Pleuroni* adjacet in *Ætolia*, *Curetas* nuncupatos aliqui volunt; (*Strab.* lib. 10.) ubi & aliæ ſunt hujus nominis rationes. Undecunque verò nomen originémque traxerunt, ex *Phrygia*, *Creta*, *Græciâve*, pueros ab his immolatos fuiſſe *Saturno* apud *Euſebium* (Præpar. 4. 16.) ſcribit *Porphyrius*: & iiſdem autoribus (*Corybantes* adjungit *Euſebius*) *enopliam* ſive armatam ſaltationem inventam primò, ferè omnes tradunt, quâ ſolebant cum harmonia quadam inter ſaltandum enſibus pulſare ſcuta; ſed à *Pyrrho*, ſeu *Pyrrhico*, ejuſdem inſulæ perfectam, atque *Pyrrhicen* vocatam. (*Strab.* 10.) *Dactylis Idæis* tribuit *Diomedes* Grammaticus, (quos tamen cum *Curetibus* eoſdem putat,) eos *Jovem* cuſtodiendo, nè vagitu ſe parvulus proderet, luſûs excogitato genere, clypeolis æneis inter ſe concurrentes, tinnitu æris illiſi, rhythmicâ etiam pedis dactyli compoſitione, celaviſſe vocem infantis. Nam de *Curetibus* illud celeberrimum in fabulis habetur, quòd *Jovem*, nè à *Saturno* patre voraretur, clàm ſubduxerint, armorum ſtrepitu infantis vagitu ſuperato; quódque aluerint eundem: à qua κȣροτροφία *Curetum* ſibi nomen acquiſiverint, potiùs quàm à tonſura. Hoc præterea nomine juvenes, in Orgiis apud *Cretenſes Jovis*, armati ſaltantes miniſtrabant; quomodo in *Bacchi* ſacris *Satyri*, in *Cybeles* verò *Corybantes*. (*Strab.* 10.) Atque hâc eâdem ætate quâ *Cres*, *Cretenſem* vixiſſe *Jovem* tradit (in Chronicis) *Euſebius*: de quo liceat hoc in loco ea paucis ex *Diodoro* (lib. 5.) tradere, quæ pro veris olim narrare ſolebant mendaciſſimi hominum *Cretenſes*.

De *Jove* *Cretenſium* traditio fabuloſa.

Quo *Curetes* olim, eodem & *Titanes* tenuêre *Cretam* tempore, viri quidem ſex, fœminæ quinque, Cœli Terræque ſoboles. Quanquam alii ex *Curetum* uno & *Titæa* genitos, *Titanâſque* denominatos ferant à matre. Viri, *Saturnus*, *Hyperion*, *Cæus*, *Iapetus*, *Crius*, & *Oceanus*. Fœminæ, *Rhea*, *Themis*, *Mnemoſyne*, *Phœbe*, & *Tethys*. Nemo ex his non clarus, meritíſque de humano genere honores adeptus eſt immortales. Maximus natu *Saturnus* regnum tenuit, ídque in Occidente ampliſſimum. Ille ab agreſti victu moribúſque ferinis ad vitam cultiorem, ad juſtitiam, ſimplicémque animi traduxit homines candorem. Pro deo igitur habitus apud poſteros, & aurei ſeculi conditore. *Hyperion*, aſtrorum ſcientiâ clarus, quaſi Lunæ Soliſque pater celebratus eſt. Ex *Cæo* & *Phœbe Latona*, ex *Iapeto Prometheus* genitus, ignarii repertor. *Mnemoſyne* ratiocinandi artem, & quæ ſpectant ad memoriam rerum, tradidit. Vaticinia *Themis* & leges, tam humanas, quàm de cultu & ceremoniis deorum. *Oceanus* & *Tethys*, quanquam omittantur à *Diodoro*, credibile eſt commoda præſtitiſſe ſuo generi in marina re. Quare hos omnes, poſtquam ex humanis migraviſſent, cœlum, vacuum adhuc poſt initia rerum, occupâſſe primos credebatur. *Saturni* ac *Rheæ* filii tres, *Jupiter*, *Neptunus*, & *Pluto*; filiæque totidem, *Juno*, *Veſta*, & *Ceres*. Architecturam *Veſta*, frumentum *Ceres* monſtravit, & agriculturam docuit. *Neptunus*, claſſi præfectus à *Saturno*, eam prudentiſſimè gubernavit. Quin & equos domuit primus, & ad uſum habiles reddidit. *Pluto* funerum & ſepulturæ neglectæ priùs rationem excogitavit novam, unde Inferis dominari poſtea ferebatur. De *Jove* aliqui, & natum ſine periculo, & regnum iniviſſe defuncto patre ſine vi, tradebant. Aliter alii.. *Saturnum* oraculo monitum filios è medio ſuſtuliſſe, nè pater à filiis regno pelleretur. Id cùm *Rhea* graviter ferret, *Jovem* recèns natum *Curetibus* tradidiſſe clàm, tollendum educandúmque in *Ida*. Illic à nymphis altum lacte mellito, & *Amalthææ* capræ uberibus. Adoleſcentem *Dictæ*, ubi genitus eſt, urbem condidiſſe primum. Patrem ſibi molientem inſidias expuliſſe regno: *Junonem* duxiſſe conjugem, ſororem ſuam. Omnibus unum præſtitiſſe mortalibus prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine. Injuriam & vim legibus prohibuiſſe ac judiciis. Ad virtutem bonos invitâſſe præmiis, metu pœnarum coërcuiſſe improbos. Orbem terrarum peragrâſſe, ac deleviſſe latrones ubique. Nec pacem populis modò, ſed libertatem quoque,

que, ſuarúmque urbium gubernacula & habenas tradidiſſe. Gigantes in *Creta*, quorum dux *Myrinus*, & in *Phrygia*, quibus *Typhon* præerat, in *Macedonia* deinde alios ad *Pallenen*, alios in campis *Italiæ Phlegræis*, magnis debellâſſe præliis. Cum *Cretenſibus* pugnam inituro, dum Soli, Cœlo Terræque ſacra perageret, indicia defectionis hoſtium & victoriæ facta fuiſſe à diis, non fauſta modò, ſed manifeſta. *Muſæus* enim gigas defecit, reliqui omnes fuſi & internecione deleti ſunt. Ingenti magnitudine beneficiorum id meruiſſe tandem, ut præſenti poſcentíque honores planè divinos detulerint, mortuo ſupremum in cœlis imperium. Ejus tamen in *Creta* ſepulchrum multis poſtea ſeculis demonſtratum eſt, cum hoc epitaphio, A.M. 2130.

Ἔνθα μέγας κεῖται Ζὰν, ὃν Δία κικλήσκουσι.

Liberos genuiſſe multos ferunt; *Venerem* & *Gratias*, *Lucinam*, *Dianam*, *Horas* tres, *Eunomiam*, *Dicam*, & *Irenen*, *Muſas* novem, *Minervam* denique: & has quidem filias. Filios verò, *Vulcanum*, *Martem*, *Apollinem*, & *Mercurium*. His rerum à ſe inventarum ceſſiſſe gratiam gloriámque, ſingularum ſingulis: *Veneri*, Nuptialium; *Gratiis*, eorum quæ ad Corporis venuſtatem, quæque ad Beneficia danda reddendáque ſpectant; *Lucinæ*, quæ ad Puerperia; quæ ad Curam infantium, *Dianæ*. *Horarum* ipſa nomina indicant beneficia; *Lex*, *Juſtitia*, & *Pax*. *Minervæ* Oleum & Tibias, *Muſarum* Literas & Carmina eſſe inventum & munus volunt. Uſum Ignis *Vulcanus* tradidit opificibus; Armorum & bellicæ rei ſcientiam *Mars*; Citharam atque Medicinam *Apollo*; *Mercurius* denique Fecialium ac Fœderum ritus, Menſuras & Pondera, omnémque negotiandi calliditatem. Quin & *Bacchum* & *Herculem* apud ſe natos *Jove Cretenſes* aiebant, longè antiquiores *Thebanis*. *Dictynnam* quoque, ſeu *Britomartin*, *Jovis* & *Carines* filiam, Caſſes venatorios reperiſſe, quæ δίκτυα ſunt *Græcis*. Aliam quoque afferunt nominis *Dictynnæ* rationem, quòd cùm de monte præcipitâſſet ſe, ut *Minoïs* inſequentis fugeret vim, in retia piſcatorum fortè projecta inciderit; vel, ut alii, ſub retibus occulta ſit. Familiari autem ejus conſuetudine cum *Diana*, & communi ſtudio venandi, factum, ut ejus nomina quoque in *Dianam* tranſierint. Hæc & alia referebant olim *Cretenſes* de ſuis diis planè fabuloſa, ut à gente profecta nullius fidei.

§ 26. Poſt Undecimam *Thebanorum* in *Ægypto* Dynaſtiam, A.M. 2058. Duodecima cœpit, quæ prima traditur in Tomo Hiſtoriarum ſecundo apud *Manethonem*. A.M. 2142. Primus in ea rex *Ceſongoſes* annis imperavit 46. *Ammanemes* deinde 38, *Seſoſtridis* magni pater. De *Seſoſtride* jam dicturi, *Ægyptiorum* celeberrimo rege, ea inprimis trademus quæ de urbe ubi dominatus eſt leguntur apud *Diodorum Herodotúmque*. Quam *Græci Thebas*, *Urbem Jovis Ægyptii* vocabant, *Dioſpolin* Græcè, in *Ægypto* Superiore ſive meridionali ſitam. *Diodorus* à *Buſiride* rege conditam vult, poſt tritavum ejuſdem nominis octavo. Majorem ait *Buſiridem Menæ* poſteris 52, qui 1040 annos regnaverant, ſucceſſiſſe: at eorum nec geſta, nec proinde nomina fuiſſe digna literis. Mœnium *Thebanorum* ambitu 140 ſtadia complexus eſt. Ædificiorum vaſtâ mole, magnificentiâ templorum, & donariorum copiâ, urbem adornavit eximiè. Nam & ædes privatas ad quartam & quintam contignationem ſuſtulit. Opulentiam hujus urbis *Homerus* prædicat. (*Iliad.9.*) Cúmque *Bœotiorum Heptapylæ* dicerentur *Thebæ*, has *Ægyptiorum Hecatompylas* appellat, hoc eſt, *centum portis patentes*, quarum è ſingulis quotidie duceni egrediebantur equites. Qui multa ingentiáque templorum veſtibula ſignificare has portas volunt, ab *Homeri* mente aliena dicunt. Quid enim equis & curribus cum veſtibulis templorum? Et fuiſſe conſtat equilia centum inter *Memphin* & *Thebas* ad flumen ex parte *Libyæ*, quorum è ſingulis equi & currus duceni prodibant. Eorum exſtitiſſe veſtigia quædam & rudera ſuo tempore *Diodorus* tradit. *Thebani* quidem ſe omnium antiquiſſimos mortalium eſſe prædicabant: Philoſophiam & Aſtrologiam accuratam apud ſe primos inventam; ſitu ſcilicet regionis ad cognoſcendos orientium & occidentium ſiderum motus opportuno. Quin & menſes annóſque apud ſe modo quodam peculiari eſſe inſtitutos. Dies enim non ad Lunæ, ſed Solis motum exigentes, tricenos menſibus tribuebant ſingulis; duodecimóque menſi quinque dies cum quadrante adjicientes, anni circulum abſolvebant. Nec menſes intercalabant, nec ſubducebant dies aliquot, ut aliqui ſolebant *Græcorum*. Lunæ defectus etiam & Solis diligenter ſcrutati ſunt, unde multa divinare ac certò prædicere futura

Duodecima *Ægyptiorum* Dynaſtia, *Thebis*, urbe magnificâ

A.M. 2142.

tura videbantur. Neque verò *Buſiridem* ſolummodo conſtruxiſſe, verùm & eos qui ſecuti ſunt multa accepimus ad hujus urbis amplitudinem ornamenta contuliſſe; donis præterea decorâſſe plurimis, argenteis, aureis, eburneis; ſtatuis inſuper Coloſſorum inſtar atque obeliſcis: ut conſtet planè, nullam urbe hâc ullibi clariorem fuiſſe. Ex quatuor templis pulchritudine magnitudinéque admirabili conſtructis, unum erat antiquiſſimum, cujus circuitus ſtadiis 13 patebat, altitudo cubitis 45. Muri craſſities erat pedum 24. Hujus templi magnificentiæ reſpondiſſe ferunt ornamentorum cultum, ſumptibus magnis & artificum opere mirando elaboratum. Ea ſtructura uſque ad *Perſarum* regum perduravit tempora. Aurum verò & argentum, ebur & lapidum ſumptus atque ornatus, à *Cambyſe* ablata omnia, & tranſlata ſunt in *Perſiam*. Sepulchra quoque regum priſcorum opere mirabili fuiſſe aiunt, & quæ omnem poſterorum artem induſtriámque ſuperarent. Referebant ſacerdotes, 47 ſepulchra regia in ſacris inveniri commentariis, quorum uſque ad *Ptolemæum Lagi* 17 tantùm ſupererant. Nam, eo regnante, viri quidam docti è *Græcia Thebas* profecti ſunt, & ſcripſerunt *Ægyptiorum* res: eadem & hi tradebant. A primis ſepulchris, ubi *Jovis* pellices conditas fuiſſe fabulabantur, celeberrimum fuiſſe regis monumentum *Oſymandyæ*, ſtadiorum decem; cujus in aditu atrium erat vario lapide conſtructum, longitudine pedum 200, altitudine cubitorum 45. Indè lapideum occurrebat periſtylium, & quadratum, cujus latera ſingula 400 pedes continebant. Pro columnis animalia ſuſtinebant ex unico lapide 16 cubitorum, ad antiquam formam fabricata. Textura omnis tecti ſuperior ex lapidibus confecta duarum orgyiarum latitudine, variíſque ſtellis tanquam in cœlo cæruleo adornata. Hinc alius patebat aditus, atriúmque haud diſſimile priori, ſed uberiori ſculpturâ. In ipſo ingreſſu ſtatuæ tres erant poſitæ ingentes, unici lapidis, *Memnonis Sycintæ* opus. Harum una ſedens, cujus pedis menſura ſeptem excedebat cubitos, cæteras *Ægypti* ſtatuas magnitudine ſuperabat. Reliquæ duæ, hujus admotæ genibus à dextra ſiniſtrâque, mater & filia erant, ſed minores. Hoc opus non ſolùm magnitudine conſpicuum, ſed arte mirabili & lapidum præſtantiâ eximium fuit, cùm in tanta mole neque fiſſura, neque labes ulla conſpiceretur. Scriptum hîc erat, *Rex regum Oſymandyas ego ſum. Ubi jaceam, quantúſque ſim, ſi quis nôſſe vult, meorum aliquid operum exſuperet.* Aliud quoque ſeorſum erat matris ſimulacrum, unico lapide cubitorum 20; cujus capiti reginæ imminebant tres, quæ ſignificabant, filiam uxorémque & regis eam matrem fuiſſe. Ultra hoc atrium, & aliud erat periſtylium nobilius priore ſculpturis variis; in quibus bellum erat contra *Bactrianos* qui ab eo defecerant deſcriptum, 400 millibus peditum, equitum 20 mill. In quatuor partes diviſo exercitu, ſingulis cum imperio filii regis præerant. Prima pars muri obſidionem urbis ſculptam continebat, ab ea parte quâ fluvius muros alluit. In fronte rex cum hoſtibus dimicabat, leone ſocio ac terribiliter ſæviente in adverſam aciem. Aliqui rem verè geſtam fuiſſe narrabant, leoníſque regem domeſtici operâ uſum in hoſtibus debellandis. Alii regis fortitudinem atque leoninum robur eo demonſtrari putabant. In ſecundo pariete captivi à rege ducebantur manibus atque virilibus mutili; quæ nota erat hoſtium corporibus animíſque imbellium. Tertium latus, ſculpturis variis picturíſque inſignibus ornatum, ſacrificia regis & triumphum devictis hoſtibus continebat. In medio periſtylio erat ſubdialis ara ex lapide pulcherrimo, opere magnitudinéque admirandâ. In ultimo pariete ſtatuæ jacebant duæ ingentes ex integro ſaxo 27 cubitorum: juxta quas, tres è periſtylio aditus patebant in domum theatri more ſuſpenſam columnis, cujus latera ſingula duo plethra complectebantur. In ea ſtatuæ ligneæ haud exiguo numero poſitæ, ſignificabant eos qui in judiciis diſceptantes ad Judices reſpicere videbantur. Hi numero 30 in uno parietum ſculpti; quorum in medio Prætor Veritatem clauſis oculis collo appenſam, plurimóſque ſibi libros habuit appoſitos. Hæ imagines præ ſe ferebant, Judices integros eſſe debere; Prætorémque ſolam inſpicere veritatem. Exin ambulacrum ædificiis erat variis refertum, ubi præparatam videres eſculentorum ſuaviſſimorum genera ferè omnia. Tum affabre ſculptus, coloribúſque floridis pictus ad vivum, ſpectabatur ipſe rex, aurum deo argentúmque offerens, quod annuatim ex fodinis percipiebat: Summa quoque argenti quotannis facti aſcribebatur, Trecenties vicies centena minarum millia. Sequebatur dehinc ſacra Bibliotheca, cui inſcriptum legebatur, *Animæ officina medicamentaria*; Ψυχῆς ἰατρεῖον. Erant deinceps omnium deorum *Ægyptiorum* imagines, regíſque ſimul offerentis dona quæ cuique deo maximè convenirent,

ornamentis, regúmque ſepulchris;

Oſymandyæ inprimis.

nirent, ac demonſtrantis *Oſiridi*, quíque inferiùs illi aſſidebant regibus, ut piam erga deos, juſtámque in homines vitam tranſegiſſet. Juxta Bibliothecam ſita erat artificio ſingulari exſtructa domus cum viginti lectiſterniis, ubi *Jovis* & *Junonis*, ipſiúſque regis poſita effigies, & corpus tumulatum. Ædes undique circumfuſæ picta exhibebant ſacra *Ægyptiorum* animalia. Indè ad Sepulchrum ipſum aſcendebant. Monumentum circulus amplectebatur aureus 365 cubitorum ambitu, craſſitie cubitali; in quo deſcripti erant per ſingulos cubitos dies anni, & ſtellarum ortus atque occaſus, quid etiam ex doctrina *Ægyptiorum* Aſtrologorum ſignificarent ſingulæ. Hunc circulum *Perſas*, *Ægypti* potitos imperio, ſuſtuliſſe poſtea ferunt. Atque hoc modo ſacerdotes *Ægyptii*; & *Græcorum* aliqui, *Oſymandyæ* deſcripſerunt ſepulchrum, quod non modò ſumptuum magnificentiâ, ſed & artificum induſtriâ peritiâque longè reliquis præſtabat omnibus. Quis autem *Oſymandyas* hic fuerit regum eorum quos in ſuis Dynaſtiis recenſet *Manetho*, (nullum enim ille *Oſymandyam* commemorat,) temere non libet divinare. Omnium apud *Manethonem Seſoſtris* maximè inclytus habetur & bellicoſiſſimus rex; idémque *Thebis* imperavit, ac ſepultus eſt. Alióne is nomine *Oſymandyas* dictus ſit, quis pro certo dixerit? Neque verò credibile eſt *Bactrianos*, loco remotiſſimos, defeciſſe ab *Ægyptiis*, (quod pingebatur in *Oſymandyæ* monumento,) aut iis unquam paruiſſe; quos ad ſubigendos, niſi per centrum & ipſa quaſi viſcera imperii *Aſſyriaci*, nullo modo perveniri ab *Ægyptiis* potuit. Ex *Oſymandyæ* regis progenie octavus *Uchoreus*, patri ſuo cognominis, *Memphin* condidit, (ait *Diodorus*) vel potiùs auxit, urbium deinde omnium in *Ægypto* clariſſimam. Stadia complectebatur ambitu 150; & in loco maximè opportuno ſita eſt, ubi *Nilus* in plures diſcedens alveos *Delta* (quam à figura vocant) fingere videtur. Eo fit enim ut in *Nili* quaſi clauſtro poſita, præbeat prohibeátque tranſitum ad ſuperiora navigantibus. Communivit urbem hâc arte. *Nilus* penè ambiens nè inundaret, ab Auſtro aggeres ingentes oppoſuit, qui & præſidium contra fluminis vim, & contra hoſtes propugnaculi vicem præſtarent. A cæteris undique plagis lacum effodit vaſtum ac profundum, qui redundantem fluminis aquam exciperet, unde tueretur civitatem. Relictis itaque *Thebis*, huc reges poſteri ferè omnes aulam regiam tranſtulerunt. Indè *Thebarum* imminui res, contrà *Memphis* augeri, ad *Alexandrum* uſque regem, qui urbe ſuâ palmam utrique præripuit. Regias quidem *Uchoreus* hîc haud inferiores ædificavit aliis quæ alibi gentium conſtructæ ſunt; ſuorum verò majorum magnificentiæ in ſepulchris longè impares. *Ægyptii* ſanè præſentis vitæ ſpatium minimi faciendum putabant; futuræ verò gloriam, quæ virtute acquiritur, maximi æſtimandam. Et domicilia viventium diverſoria nominabant, quòd exiguum ad tempus hæc incolerent; defunctorum ſepulchra domos æternas, quoniam apud inferos infinitum ſit tempus. Quare de ſtructura domorum minùs erant ſoliciti; circa ſepulchrorum magnificentiam ſummum ſtudium operámque impendebant.

A.M. 2142.

Memphis condita.

§ 27. *Memphin* quidam à conditoris filia denominatam volunt. Ejus amore captum fabulantur *Nilum* fluvium, tauríque ſub forma compreſſiſſe virginem: Ex ea genitum, quem propter virtutem incolæ dixerunt *Ægyptum*, unde regio eſt omnis appellata. Huic defuncto regi, duodecimo tandem loco ſucceſſit *Myris*, (*Herodoto Mœris*,) qui Boreale Propylæum conſtruxit *Memphi*, opus magnificum. Idem ſtadiis ab urbe 600 effodit lacum, tam utilitate quàm operis magnitudine incredibilem. Ambitu enim complectebatur ſtadiorum 3600, cubitis ducentis ex parte maxima profundus. Cùm enim *Nili* incerta ſint incrementa, & pro eorum modo fructus terra præbeat; hunc lacum eſſe voluit aquæ redundantis receptaculum: nè cùm ſupra modum fluvius excreſceret, ſtagnantibus præter ſolitum aquis, limo ſuperfluo terra inutilis redderetur; néve aquarum inopiâ ſiccitas nimia frugibus officeret. Foſſam igitur è fluvio in lacum duxit 80 ſtadia longam, & pedes latam trecentos. Hâc interdum recipiens, interdum avertens fluvium, tempeſtivam aquæ copiam exhibebat agricolis, clauſo nunc ore, nunc opere maximo ſumptibúſque aperto. Quinquaginta enim id erat talentorum opus. In medio lacûs terra firma ſepulchrum tenebat *Myridis*, & pyramides duas ſtadii altitudine, alteram ſibi poſitam, uxori alteram. Pyramidibus etiam ſtatuas marmoreas impoſuit ſedentes in throno. Ex piſcatu vectigal, ad unguenta, & reliquum corporis cultum, uxori largitus eſt. Id autem diebus erat ſingulis talentum. Nam duo & viginti piſcium inerant genera; tantáque capta eſt multitudo, ut qui ſaliendis operam dabant, (quanquam ingens erat nu-

A.M. 2142. numerus) operi tanto vix tamen omnes ſufficerent. Hæc *Diodorus*. At *Herodotus Memphin* ait condidiſſe *Menam*, regem poſt deos primum, (ut & *Manetho*,) in alveo ipſo unde *Nilum* traduxerat ad Orientem. Hunc alios reges numero 330 ſecutos, è quibus 18 *Æthiopes*, & una mulier *Nitocris:* ſed omnes adeò ignobiles, ut præclarum de iis nihil memoretur, præterquam de *Mœride* omnium poſtremo quæ jampridem expoſui, & *Nitocridis* reginæ vindicta. Nam fratre ab inimicis interfecto, aſſecuta imperium, domum ſibi conſtruxit novam, ubi ſpecum effodit ſubterraneum, aliud ſimulans, aliud agens. Cædis fraternæ autores vocatos ad convivium, immiſſo per ſpecum flumine obruit univerſos. Ipſa in domum cinere plenam conjecit ſe, quò impunis evaderet. Hæc de *Thebis* & rebus *Ægyptiorum* undecunque referre viſum eſt, quæ maximè occurrebant probabilia; etſi *Manethonis* ordinem quà potuit fieri ſequendum duximus. Nam geſta fuiſſe quæ prodidi, credibile videtur. At quibus temporibus geſta, quibúſve regum autoribus apud *Manethonem*, difficillimè inveſtigatur.

Seſoſtris tertius rex. § 28. *Ammanemes*, Dynaſtiæ Duodecimæ *Thebanorum* apud *Ægyptios* ſecundus rex, à ſuis eunuchis interemptus dicitur. Filius regnum *Seſooſis* (plurimi *Seſoſtrin* appellant) conſecutus eſt, ſeptimâ poſt *Myrin* ætate, ut habet *Diodorus*. Annos imperavit 48 apud *Manethonem:* non niſi 33 *Diodorus* numerat. Is, quia rebus geſtis majores ſuperavit omnes, jure *Magni* meruit cognomen. Nec magna patris induſtria defuit, ut magnus fieret filius. Nam ut primùm eſt in lucem editus, ferunt *Ammanemem* infantes omnes per *Ægyptum* univerſam eodem natos die conquiſiviſſe, nutricibus pariter omnes tradidiſſe & curatoribus, pariter omnes pueros eâdem inſtituiſſe diſciplinâ. Ità credidit futurum, (quod ex voto cecidit) ut ſocium ſocii amantiſſimè diligerent colerèntque, fidiſſimi etiam commilitones fierent, qui nullum aut laborem recuſarent, aut declinarent periculum, Principis gratiâ. Optimis quibuſque ſtudiis eorum eſt imbuta pueritia; maximè verò uſu aſſiduo ad laborem malorúmque tolerantiam exercebantur. Nec enim cibum ſumere licebat, priuſquam 180 ſtadia ſingulis diebus percurriſſent. His exercitiis viri tandem robuſtiſſimi evaſerunt fortiſſimíque, tam animis quàm corporibus ad egregia quævis facinora præparati. In *Arabia* proxima militiæ prima tyrocinia fecit. Eò cum ſociis & exercitu miſſus à patre, cùm venationibus aliquandiu exercuiſſet ſe, cibíque ac potûs abſtinentiæ aſſuefeciſſet, totam illic barbarorum nationem, liberam priùs perdomuit, atque ſub jugum miſit. Deinde in *Libyam* profectus, majorem ejus partem, juvenis admodum, in ſuam ditionem redegit. Ut regnum adeptus eſt, defuncto patre, rebus à ſe jampridem geſtis feliciter elatus, animo totius orbis concepit imperium. Dicunt aliqui *Athyrten* ejus filiam, præſtantem ingenio ac prudentiâ fœminam hanc illi ſpem feciſſe, facilémque promiſiſſe victoriam. Alii divinatione ad hoc uſam ferunt, cujus erat peritiſſima, tum è ſignis cœleſtibus, tum è ſacrificiis, & captatis in templo ſomniis. Nec deſunt qui ſcribant, *Vulcanum* in ſomnis poſt natum *Seſoſtrin* prædixiſſe patri, modò genitum infantem toti orbi imperaturum; eámque ob cauſam eruditione regiâ ejus inſtitutos æquales, ut filio pater ad tantæ ſpei faſtigium viam ſterneret faciliorem. Fide igitur *Vulcano* haud difficulter datâ, (facilè enim credimus quæ volumus,) magnum *Seſoſtris* exercitum majore animo comparavit. Sed inprimis *Ægyptiorum* ſibi benevolentiam conciliandam putavit, quò & milites ad oppetendam pro ducibus ſuis mortem promptiores redderet, & qui in patria reliqui eſſent novis rebus abſtinerent. Omnes igitur quoad poterat ſibi devinctos beneficiis reddidit; aliquos pecuniarum largitione, agrorum donatione alios, clementiâ nonnullos & impunitate, denique humanitate affabili ac morum ſuavitate ſingulos. Læſæ majeſtatis reos impunè dimiſit; & ob æs alienum nexis (quorum ingens erat multitudo) nomina expedivit. Regionem totam in 36 Nomos ſeu Præfecturas diſtribuit; ſingulíſque ſuum præpoſuit Nomarcham, qui regia vectigalia procuraret, cunctáque adminiſtraret intra ſuos limites. Robuſtiſſimos quoſque in exercitum elegit, magnitudine jam ſuo conſilio æqualem. Nam pedeſtres copiæ millia hominum ſexcenta, equitum viginti quatuor fuerunt; curruúmque bellicorum 27 millia. Ordinum duces fecit ſuos pueri ſodales, viros jampridem in re bellica exercitatos, & à pueris omni virtuti deditos. Hi erant numero amplius 1700, fraternâ omnes mutuâque tum erga regem, tum inter ſe, benevolentiâ devincti. Et his agros *Ægypti* feraciſſimos aſſignavit, ut rerum neceſſariarum ſuppetente copiâ, liberiùs militiæ vacarent. Neque milites modò conſcripſit, ſed militarem quoque diſciplinam prudentiſſimè inſtituit, legéſque tulit bellicas.

Præpa-

Præparatis ad bellum rebus in *Ægypto*, *Seſoſtris* primùm *Æthiopes* qui meridiem ſpectant aggreſſus eſt; quos facilè debellatos tributo damnavit, hebeno, auro, ac dentibus elephantorum. His enim opibus abundat *Æthiopia*. Ad Cinnamomiferam uſque regionem perveniſſe cum exercitu *Seſoſtrin*, in Geographicis (lib.17.) narrat *Strabo*: ubi ſuâ ætate quædam ejus monumenta exſtitiſſe ait, & columnas, & inſcriptiones. Ad anguſtias deinde Rubri maris apud *Ichthyophagos* columnam ſtatuiſſe, quæ ſacris literis tranſitum ejus in *Arabiam* ſignificaret, *Æthiopiâ Troglodyticâ*que ſubactâ. In ſinum *Arabicum* claſſem deduxit navium 400, ipſe longarum primus autor. Hâc inſulas ejus pelagi omnes, & maritimas ad uſque *Indiam* oras, ſuo imperio ſubdidit. Ipſe interim terreſtri agmen itinere promovit, *Aſiám*que totam peragravit. Indè factum, ait *Strabo*, (lib.16.) ut multis in locis *vallum Seſoſtris* appellaretur, & ab eo conſtructa invenirentur deorum *Ægyptiorum* templa. Nam & *Gangem* tranſiit, & univerſam *Indiam* uſque ad oceanum orientalem (quò nemo penetravit alius) perſcrutatus eſt. Indè *Scytharum* quoque gentes ad fluvium uſque *Tanaïn* expugnavit. In his ad *Mæotin* paludem locis nonnullos *Ægyptiorum* relictos, *Colchorum* gentem condidiſſe, opinatur *Herodotus*, (lib.2.) Oriundos autem ab *Ægyptiis* fuiſſe *Colchos*, ex eo maximè ſuſpicatur, quòd *Ægyptiaco* ſe ritu circumciderent. Sed morem hunc ab *Hebræis* ad alias manaviſſe gentes, *Ægyptiis*que ipſos, (quod *Herodotus* atque *Diodorus* ignorabant,) ipſâ eſt nobis luce clarius. In *Colchidem* verò exſules *Iſraëlitas* hunc attuliſſe morem, quos in tractus Boreales deduxerat *Salmanaſſar*, maximè vero conſentaneum eſſe, jampridem diximus. Poſthæc totum quod erat reliquum in *Aſia* in ſuam *Seſoſtris* poteſtatem redegit; ut & *Cycladum* quoque inſularum pleraſque. In *Thraciam*, *Europæ* regionem primam, haud ità facilem habuit aut felicem tranſitum. Nam annonæ magnâ inopiâ & locorum difficultate laborabat exercitus, quo in maximum diſcrimen conjectus eſt. Nondum ſcilicet *Europæi* agrorum didicerant culturam, aut aratri uſum beneficiúmque perceperant. Hîc igitur victoriarum ſibi finem poſuit. In ſingulis autem quas devicerat gentibus ſtatuiſſe cippos ferunt, quibus erat ſacris *Ægyptiorum* literis inſcriptum, *Hanc provinciam ſubegit ſuis armis Rex Regum & Dominus Dominorum Seſoſtris.* In iiſdem cippis inſculpi etiam voluit, apud gentes quidem bellicoſas & ſtrenuas, Genitale viri; apud ignavas & timidas, muliebre. Ex eo maximè gentis ingenium poſteris proditurum ſe arbitrabatur. *Herodotus* quidem vidiſſe ait ſe hujuſmodi cippos in *Syria Palæſtina*, cum literis *Ægyptiacis*, & pudendo mulicbri addito. Certum id erat effœminatæ gentis indicium. Quibuſdam in locis lapideam quoque ſibi ſtatuam fieri juſſit, arcu armatam & lanceâ, quatuor palmos quaternis cubitis (quâ erat ipſe ſtaturâ) proceriorem. Hæc *Diodorus*; quorum aliqua non ſatìs mihi probabilia videntur. Credibilius, opinor, quod apud *Strabonem* (lib.15.) tradit *Megaſthenes*, ad *Europam* uſque progreſſum, *Indiam* non attigiſſe *Seſoſtrin*, nedum totam penetrâſſe. In *Colchide* autem *Plinius* (33.3.) narrat hoc tempore *Eſubopem* regnâſſe, cujus prædicat immenſas opes, aureas cameras, & argenteas trabes, & columnas atque paraſtatas, victo *Seſoſtre Ægypti* rege. Captivos ergò in *Colchide* reliquit, non colonos; multóque minùs expugnâſſe *Scythiam* videtur. Poſt annos novem redeuntem, in patriam *Seſoſtrin* deducemus.

A.M. 2143.

Ejus per *Africam* & *Aſiam* victoriæ.

§ 29. Matrem fidelium *Saram*, (1 *Pet.* 3.6.) cùm vitæ annos tranſegiſſet 127, obiiſſe tradit *Moſes*; quo quidem honore nè ipſam viventium, hoc eſt, humani generis, matrem dignatus eſt *Evam*. *Hebrone* occubuit; ſeu negotiandi causâ eò profecta ſit, ſeu voluptatis, aut valetudinis. Nam remigrâſſe illuc *Abrahamum*, & habitâſſe jam, cùm id *Moſes* reticeat, qui omnes ejus migrationes diligentiſſimè perſequitur, eundémque apud *Palæſtinos* diutiſſimè commoratum ſcribit, (*Gen.*21.34.) minùs credibile videtur. Quid quòd poſt hæc in *Iſaaci* nuptiis fixum *Saræ* tabernaculum aut *Beerſhebæ*, aut in ea vicinia, memoretur? (*Gen.*24.62,67.) Itaque *Abrahamus* dicitur veniſſe *Hebronem*, ex *Beerſheba*, puto, veniſſe, ut uxori dilectiſſimæ fletûs luctûſque, pro more gentium temporúmque illorum, ac ſepulturæ juſta ſolveret. Et multi quidem Patriarchæ obiiſſe feruntur in Libris Sacris: Hæc autem prima ſepulturæ mentio. Neque tamen Patrum cadavera nullo ſuorum luctu, funere nullo projecta foras putemus, feris volucribúſque prædam. Amiſſis enim iis quibuſcum nobis magna fuit conſuetudo, non ratio dolorem ſuadet, ſed ipſa exprimit natura. Non poſſumus non dolere, mortuis quos verè amavimus dum vivebant; & iis angi perturbaríque ſublatis, quorum conſortio præſentium fruebamur & ob-

A.M. 2145.

Moritur *Sara*,

lugetur,

A.M. 2145. lectati ſumus. Si enim in corpore humano divelli membrum non patitur natura, ſine acri ſenſu ac dolore vicinarum partium; certè nec in magno gentis cujuſquam corpore, parentes à liberis, liberi à parentibus, cognati à propinquis, amici à familiaribus ſuis ità diſtrahi morte poſſunt, quin ex amiſſorum deſiderio angor dolórque lugubris invadat ſuperſtites. Quanquam variorum apud varias gentes rituum & exſequiarum tandem acceſſit ars quædam huic naturæ. Habent luctus aliquod levamen doloris, &

> Καρδίας ἔλυσε τοῦ ἄγαν πόνους,
> *Nimios ſolvunt pectoris labores*,

ait *Euripides*. Nam,

> *Expletur lacrymis egeritúrque dolor.*

Quin & memoriæ noſtrorum qui ſublati ſunt honorificum eſt, deſiderari eos & defleri à ſuis. Quare *Solon Athenienſis*, inter Sapientes habitus à *Græcis*,

> *Mors mea nè careat lacrymis*, inquit, *linquamus amicis*
> *Mœrorem*, &c.

Et *Achilles* apud *Homerum*, (*Iliad.* 23.)

> Πάτροκλον κλαίωμεν· ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων·
> *Plangamus Patroclum: Honor hic & præmia functis.*

Neque hoc in more poſitum apud homines profanos tantùm, ſed & pios; qui huic luctui dederunt aliquando 7, aliquando 30 dies. (*Eccleſ.* 22.12. *Deuter.*21.13.) Quo ſpatio temporis non licebat crines capillóſve pectere aut adornare, non veſtes albas gerere aut novas, non matrimonia contrahere. Videntur enim hæc temporibus lætis tantùm convenire. In maximis funeribus 30 erat dierum luctus: ut moriente *Aarone*, (*Num.*20.29.) & *Moſe*. (*Deut.*34.8.) Etiam 70 in *Ægypto*: ut in exſequiis *Jacobi*. (*Gen.*50.3.) At vulgò tot lugebant dies in funeribus, quot lætitiæ nuptiali & conviviis dabant. (*Gen.*29.27. *Tob.*11.19. *Judith* 16.24.) Nec deſuiſſe myſterium videtur. *Septenarius numerus propter Sabbati ſacramentum præcipuè quietis indicium*, ait S. *Auguſtinus*: & S. *Ambroſius*, *Nunc die ſeptimo ad ſepulchrum redimus*; *qui dies ſymbolum futuræ quietis eſt.* Sanctus *David Saulum* deflevit mortuum, & *Jonathanem*; (2 *Sam.*1.12,17.) & *Jeremias* Propheta *Joſiam*: (2 *Chron.*35.25.) ut *Saram* (*Gen.*23.2.) & reliquos taceam. Pietas enim non tollit naturam, ſed corrigit; non hominem verum exuit, ſed veterem; denique, non dolorem prohibet, ſed nimium & ſine ſpe. At prima mulierum *Sara* quam luctu funebri cohoneſtatam legimus.

Sepelire autem defunctorum corpora, imò & humare, profectò humanum eſt, ſi nihil divinum inſit. Primò enim, è conſpectu amoveri animarum chariſſimarum ſedes ædéſque notas, luctûs materiam & mœſtitiæ, conſentaneum eſt. Hanc *Abrahamus* præ ſe cauſam tulit petendi ab *Hithæis* locum ſepulchralem, ut ex oculis ſibi tolleret mortuum ſuum. (*Gen.*23.4.) Quam cauſam videtur attingere *Homerus*, (*Iliad.*23.)

> Ὄφρ' ἤτοι τοῦτον μὲν ἐπιφλέγῃ ἀκάματον πῦρ
> Θᾶσσον ἀπ' ὀφθαλμῶν——
> *Ignis ut ex oculis defunctum tollat.*——

Deinde, vivorum intereſt ſepelire mortuos, nè gravi odore ac fœtore cadaverum contagioſo ipſi morbos & mortem contrahant. Præterea, magnum eſt amoris obſervantiæque indicium erga parentes & propinquos, ſi reliquias defunctorum, & quaſi exuvias, tum efferendas pro dignitate curemus, tum reponendas, nè violentur. Quippe indignum videtur, humanum corpus, animæ tam divinæ modò vehiculum, proteri aut lancinari, multò magis vexari devoraríve à feris; quod meritò apud Scriptores Divinos profanóſque pœnæ loco habetur ultra mortem. Itaque minitatur Deus impiis regibus, fore ut *aſini more ſepeliantur*; (*Jer.* 22. 19.) ut *canes eorum lingant ſanguinem, canes vorent.* (1 *Reg.*21.19,23,24.) Et *Virgilius*, Poeta profanus,

——*Non*

A.M. 2145.

——*Non te optima mater*
Condet humo, patriòve onerabit membra ſepulchro;
Alitibus linquêre feris.

Quid quòd ipſe Deus videtur nonnullis præcipere humationem hanc *Geneſ.*3.19? ubi hominem, ex terra natum, in terram ait rediturum. (*Paræus* in *Geneſ.*23.3.) Quanquam hoc fortaſſe non tam de humatione, quàm de reſolutione cadaverum, prædicit potiùs quàm edicit Deus. Terræ quidem deberi corpora humana etiam hinc patet, & *Eccleſ.* 12.7. quod fatentur omnes; adeò ut ſepulti ſponte videantur id ſolvere, quod alioqui natura vel ab invitis repetet. Poſtremò, hic ſepeliendi ritus aliquam videtur promittere alereque ſpem reſurrectionis; fore nimirum ut corpora tanquam ſemina in terra putreſcant, ex terra tandem renaſcantur. (1 *Corinth.*15. 35,36,&c.) Ipſe *Democritus*, apud *Plinium*, (l.7.55.) de aſſervando corpora & reviviſcendo aliquid ſomniâſſe viſus eſt. Quare Humatio prima, ſimpliciſſima, & maximè humana Divináque ſepeliendi ratio eſt. Majore quidem arte ſumptúque nationum quarundam ſepulturæ conſtabant. Apud *Græcos*, *Romanos* aliáſque gentes, comburendi mortuos invaluit mos; vel ut eo purgarentur ſordes, vel nè vermibus arroderentur cadavera, vel denique nè refoſſionis injuriæ paterent humata. Philoſophica illa paucorum erat ratio, ut quod erat in illis divinum (quaſi verò in corporibus aliquid divinum inſit) igneo quaſi vehiculo ſubveheretur in cœlum, quod terrenum ſubſideret. Comburendis virorum illuſtrium ac opulentiorum corporibus, ingens pyra ſeu lignorum ſtrues parabatur. Amicorum cognatorúmve proximi——*ſubjectam*,——*Averſi tenuêre facem*, quâ pyram accenderent. Servi nonnunquam, & res defunctis chariores quæ fuiſſent, & animalia quibus maximè oblectaverant ſe vivi, unà mittebantur in pyram. In bello peremptis captivi quoque hoſtium cædebantur ut inferiæ, ac eodem concremabantur igne. Tum verò amici omnes vinum, oleum, lac, aurum, veſtes pretioſas, thus, unguenta, odoramentáque omnium generum, aliáque dona, congerere in ardentem rogum, quò & augerent flammam, & odore ſuavi perfunderent, nè cadaveris offenderet nidor; maximè ut amicorum in amicos ultimum non neglexiſſe viderentur officium.

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino & bibulam lavêre favillam.

Oſſa deinde, & ſi quos colligebant cineres, in urnis aureis vel materiæ vilioris repoſitos, terræ aut ſepulchro mandabant. Regum funebres tunicæ ex lino vivo alicubi fiebant. *Græci Asbeſtinum* vocabant, ex argumento naturæ. Cùm enim ignibus non abſumantur, corporis favillam à reliquo ſeparabant cinere. (*Plin.*19.1.) In maximis funeribus viſcerationes, & convivia, & ludi funebres inſtruebantur, victoréſque donabantur præmiis. Condiebant *Ægyptii* corpora ſuorum aromatibus & ſale; eáque aut in penetralibus domi ſervabant, aut in ſepulchris; opinione vanâ, (ut quidam tradunt) quamdiu corpora, & animas duraturas. *Macrobii Æthiopes*, præter hæc, gypſo inducebant pingebántque; ità in vitro perſpicuo reponebant, *Herodoto* autore, (lib.3.) Sed *Cteſias Cnidius* ait, in ſtatuis primò aureis vel argenteis, fictilibúſve, pro cujuſque fortuna & opibus, corpora condita recondi ſolita, ſtatuas deinde vitro circumdari. *Perſæ* tantùm cerâ circumlitos condebant humi. Non ſuſtinebant cremari, vel *Perſæ*, nè deum ſuum ſordibus inquinarent Ignem; vel *Ægyptii*, quòd belluam voracem putabant ignem, cui propterea corpus humanum objici non ſine piaculo poſſe videbatur. Peculiari more *Colchi* mortuos arboribus ſuſpendebant inſutos pellibus. (*Ælian.*Var.hiſt.4.1.) Omnes igitur, non modò primi Patres, verùm etiam gentes ſaniores, præcipuam rationem & luctûs funebris & ſepulturæ habuerunt, quodam naturæ ſenſu. Nec præcepto caret viri ſapientis, (*Eccleſ.*38.16.) *Fili, defle mortuum & lamentare, quaſi gravem ipſe paſſus rem; deinde corpus pro more condito, neque negligito ſepulturam.* Quare inhumana & planè cynica *Theodori* vox, *Nihil intereſt, humine an ſublimè putreſcam*: & *Diogenis*, qui inſepultum abjici mandavit ſe, baculo tantùm appoſito quo canes abigeret volucréſque. Nec tam proba quàm eſt magnifica Poëtarum,

——*Facilis jactura Sepulchri:*
——*Cælo tegitur qui non habet urnam:*

A.M. 2145.

Nec tumulum curo; ſepelit Natura relictos:
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit:——

ejúſque generis alia. Inhumanus ille mos *Thracum* veterum, funera ſuorum gaudio ac tripudio celebrantium: longè inhumanior *Indorum* aliorúmque, qui parentes atque propinquos ad epulas morituros mactabant, ſuíſque condebant viſceribus; planè ferinum & horrificum ſepulturæ genus. Neque multò minùs belluinum, belluis objicere defunctos, hoc eſt, feris avibúſque, ut ſolebant *Caſpii* aliíque; aut canibus, quos indè *ſepulchrales* vocabant, ut *Hyrcani Bactriani*que; aut piſcibus denique, ut *Pæones*. (*Alex. ab Alex.*3.2.) Nec ſepulturæ Veteribus curæ ſolummodo fuerunt, ſed etiam ſepulchra. Structuram aliquam exſtare volebant, quæ mortuorum poſteris memoriam traderet, vivorum quoque refricaret. Nam defunctorum ſepulchra ſuperſtitum erant monumenta. Eos enim ſuæ ſortis mortíſque ſubmonebant, quò ſic viverent, nè metuerent mori. *Euſebius*, *Lactantius* & *Clemens Alexandrinus*, templorum apud profanas gentes originem non aliunde petendam eſſe putant quàm à ſepulchris. Sepulchra magnifica hominum pro templis mox deorum habebantur. Sed tumulis plerumque imponebantur cippi aut columnæ, nudæ inſcriptæve; aliquando ſtatuæ: ut quam *Racheli* columnam ſtatuit *Jacobus*, (*Gen.*35.20.) ſibíque *Abſalomus* viventi. (2 *Sam.*18.18.) De his Poëta etiam, (*Iliad.*16.) *Sarpedonem*, inquit, ſepelient

Τύμβῳ τε, στήλῃ τε· τὸ γδ γέρας ἐστὶ θανόντων.

& ſepelitur. *Abrahamo* igitur, cùm ſatìs pio indulſiſſet luctui, proxima erat cura de ſepulchro. Apud cives *Hebronis Hithæos* precibus contendit, ut, quod ſibi deerat inquilino, ſoli ſepulchralis hæreditatem concederent. Pollicitus quidem illi Deus fuerat univerſam hanc terram, cujus ille tamen adhuc *nè latum* (quod aiunt) *unguem* hæreditario jure poſſidebat. *Abrahamum Hithæi*, longâ vicinitate jam antè notum, ut magnum Principem, Deóque Omnipotenti charum, reverebantur. Quare ultro ac benignè obtulerunt, ut è publicis, aut privatis cujuſcunque familiæ ſepulchris, quo libéret maximè uteretur, conderétque uxorem: repugnaturum neminem. Gratam ſibi *Abrahamus* benignitatem hanc, corporis in terram demiſſi reverentiâ compenſavit. Sed commiſceri funera non placuit. Denuo igitur *Hithæos* rogat, ut, ſi gratiam ſepulchri facturi ſint, apud *Ephronem Zoharis* filium agant pro ſe, quò ab eo ſibi emat *Macpelæ* ſpeluncam, in agri ejus extrema parte ſitam, ubi corpora defunctorum ſepeliat. Aderat *Ephron*, &, non opus, ait, eſſe ut agatur apud ſe. Nec enim ſpeluncam modò, ſed & agrum ipſum *Abrahamo* donaturum. Profani hominis in peregrinum munificentia certè memorabilis. Gratitudinem igitur *Abrahamus* iterum, demiſſo coram *Hithæis* corpore, teſtatus eſt. Sed ab homine quoquam donari ſibi noluit, quod jampridem illi dederat Deus. Neque tanto libuit obſtringi, quanto illis videbatur, beneficio. Nec ſatìs firmum denique certúmque ſibi ac ſuis futurum erat ejus loci jus, niſi juſto emptum pretio. Quare obſecrat *Ephronem* ut pretium ſtatuat: ſe pro magno id habiturum dono, quòd liceat emere. Ad hæc *Ephron*, *Domine mi*, *ſiclos hæc terra valet* 400. *Sed quantulum hoc eſt? Gratìs tibi habe pro ſepulchro.* Libentiùs audivit pretium *Abrahamus* quàm donum. Appendit illico, coram *Hithæis* omnibus, 400 quos *Ephron* dixerat ſiclos argenti puri ac probati: contractúque publico conceſſit *Abrahamo Ephron* & agri ſui, & ſpeluncæ arborúmque in agro naſcentium, hæreditatem perpetuam. Hæc igitur *Abrahami* jam ſpelunca, *Saræ* ſepulchrum fit. Promiſſis dives erat *Abrahamo* Deus, totam pollicitus *Canaanæam*. Sed his ejus poſteri demum potiti ſunt divitiis. Ipſe non niſi unicam in tota regione acquiſivit hæreditatem, quâ poſt mortem frueretur, ſepulchrum. Par ferè totius generis humani ſors. Nam ineptum illud *Sardanapali*, *Hæc habeo quæ edi*. Habere ſe mortuum dicit, quæ nè vivus quidem diutiùs habebat quàm fruebatur. Nihil revera noſtrum poſſidemus in orbe terrarum univerſo, niſi quod metimur cadaveribus defuncti. Alia poſterorum ſunt. Theſauri, prædia, fundi, ædificia, vel hæredibus, vel fortaſſe alienis atque peregrinis hominibus, certè Aliis, quanquam multa & præclara, relinquenda ſunt omnia. Noſtrum eſt nihil præter ſepulchrum. Hoc autem ipſo, & ſuam demonſtravit & ſuis dedit certam ſpem *Abrahamus*, tum reſurrectionis futuræ, tum hæreditatis in *Canaanæa*.

§ 30.

§ 30. Ingraveſcebat *Abrahamo* jam ætas, benedictione Divinâ hominum feliciſſimo. Vitæ annos attigerat 140. Opibus affluebat undique. Apud gentes quibuſcum degebat barbaras impiáſque ſummum virtute ſuâ conciliaverat ſibi amorem, reverentiam, autoritatem. His & hujuſmodi præmiis alliciebat olim Patres ad ſui cultum Deus, adoleſcente adhuc mundo, Religionéque nondum ſatis adultâ. Conſummatæ felicitatis cumulo nihil deerat, niſi ut *Iſaaco* proſpiceret de uxore pia, cujus ope felicitas hæc bonitáſque Dei deſcenderet & propagaretur ad poſteros. Servorum igitur ſuorum maximo natu, *Eliezeri* (ut credibile eſt) *Damaſceno*, cui reliquorum omnium tradiderat, & hanc delegat curam. Ejus fidem, prudentiam induſtriámque longo uſu ſpectatam habuit. Jurejurando tamen hominem obſtringit, ut in maximi momenti re, teſte judicéque adhibito cœli ac terrarum *Jehovâ* Deo, nè quam ex *Canaanæis Iſaaco*, ſed è ſua gente, uxorem det. Hoc autem ità ſeriò cautum eſt de *Canaanæis*, partim, quòd univerſa gens, à *Noacho* exſecrata, eſſet à Deo etiam ad exitium deſtinata; partim, nè uxor prava bonum virum pelliceret ad impietatem: (*Deut*.7.3,4.) *Jugum cum infidelibus non eſt trahendum*, inquit S. *Paulus*. (2 *Cor*.6.14.) Cum idololatris nec iniri debent conjugia, nè labefactemur ipſi; nec inita reſcindi tamen, alios lucrandi ſpe. *Plato* Philoſophus, hac in re ſatis divinus, *Ideo*, ait, *inſtituta matrimonia, ut propagaretur genus humanum, liberique bene inſtituti relinquerentur, qui parentum loco deos colerent religione patriis legibus conſtitutâ.* At verò nec ipſi *Nachoris* filii, cognatio *Abrahami*, prorſus immunes erant ab hoc omnium ferè gentium populari morbo. (*Joſ*.24.2. *Gen*.31.19,&c.) Minùs tamen & mitiùs ægrotabant quàm alii; (*Deut*.12.31.) ut uxori ex ea familia pius vir facilè mederi poſſe videretur. Juranti ſervo, ut ſub heri femore manum admoveret imperatum eſt. Ritus fortaſſe novus, ipſa res vetus & ab initio rerum. Nec enim ſolummodo *controverſiarum omnium finis eſt jusjurandum*; (*Heb.* 6.16.) ſed & cultus religioſus, in rebus incertis Deum advocare veritatis teſtem, falſitatis vindicem: cultus, inquam, imperatus, ideo & gratus Deo, modò ritè fiat. (*Deut.* 6. 13. & 10.20.) *Jehovam Deum tuum timeto, eundem colito, & per ejus nomen jurato.* Ut ritè fiat, primò, res oportet vera certáque ſit quam juramus; (*Jer*.4.2.) deinde, magna ſeriáque:

A.M. 2148.

Abrahami cura de matrimonio *Iſaaci*.

Ex *Nachoris* fratris familia

> *Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus*
> *Inciderit*.——

Nam Dei reverendum nomen mendaciis adhibetur impiè, conjecturis temere, rebus levioribus & nugis vanè; quod præcepto Decalogi tertio prohibetur. Poſtremò, unius Dei nomen cultu hoc religioſo invocandum eſt. (*Jer*.5.7.) Nihil enim præter Deum vel nôſſe omnia credendum eſt, quo perjurium arguatur; vel poſſe, quo vindicetur. Ritus ad hanc rem in omni ævo ſpectabant varii, tum in geſtibus, tum in verbis. Non quòd ritus obſtringant arctiùs; ſed cultui ſummæ religionis ut majorem conciliarent reverentiam. Signa enim notæque rerum neſcio quomodo percutiunt permovéntque ſenſus humanos fortiùs quàm ipſæ res. Et homines quidem profani per ſidera jurabant olim, per ſuperos, per terram, fontes, fluvios, mare; per quidvis charum ſibi aut publicè honoratum, per oculos, caput, ſceptrum aut ſolium ſui regis, per ſuos oculos capitáque. *Ægyptii* omnes per vitam *Pharaonis*, (*Gen*.42. 15,16.) *Thebæi* per *Oſiridem* conditum *Philis*, *Lacones* per *Geminos*, per *Proſerpinam Siculi*, per *Jovem Græci* plerique ac *Romani*. Per *Jehovam* Deúmque verum jurabant *Hebræi*, (*Jer*. 4.2.) his verbis, *Vivit Dominus*, *Vivit Jehova*. (1 *Sam*. 25. 26,34.) Aliquando coram altari ſtabant juraturi. (1 *Reg*.8.31. *Alex. ab Alex*.5.10.) Aliquando manum elevabant. (*Gen*.14.22. *Pſal*.106.26.) *Chriſtianorum* aliqui priores tres dextræ digitos tollunt, Sanctam invocantes Trinitatem. Plurimi Codicem Evangelii dextrâ tangunt, jurati oſculantur, hæc præfati verba, *Ità me Deus & hæc Sancta juvent Evangelia.* Quam antiquiſſimam (credo) & celebratiſſimam jurisjurandi formulam inter homines *Chriſtianos*, cur *Paræus* inſimulet ſuperſtitionis, in hunc *Geneſeos* locum ſcribens, cauſa prorſus me latet. Quem verò *Abrahamus* hoc in loco imperat geſtum, femori manum ut ſubjiciat, unde ſit ortus, quámve ob cauſam inſtitutus, haud facilè quis expediat. An pro more aliarum gentium in illo ſeculo? Quid enim prohibet eodem geſtu pios Deum verum colere, quo falſum impii? Sed hujus conſuetudinis veſtigia exſtant nulla. Ab uno enim *Jacobo* poſtea ritum hunc uſurpatum conſtat: (*Gen*.47.29.) ab alio nemine. An ut circumciſionis

A.M. 2148. nis fœdere & religione (cujus non procul à femore ſignum) ſanciret hoc fœdus, & obligaret magis, utriuſque ſacramenti reum futurum ſi violaret fidem? Ità quidem augurantur *Judæi*. An ut *Chriſtum* Deum huic voto adhiberet autorem & vindicem, ex eo femore corpus humanum aliquando ſuſcepturum? (*Gen.* 46. 26.) Ità *Chriſtiani* plerique Patres. Dextram fuiſſe manum hanc facilè concedetur. Dextrâ verò apud omnes ferè gentes, & fidem datam novimus, & pacta fœdera. *Dextræ* (inquit *Tullius*) *fidei teſtes*. Cauſam hanc reor. Ut in bello dare manus, erat, abjectis armis victum nudúmque ſe hoſtium libidini captivum ſubjicere: ità, cùm dextra præcipuè gerendis armis nata ſit, dextram qui dat, quaſi tradit ſe captivum quovis modo tractandum, niſi pacti præſtet fidem. Cur autem femori maximè applicari debuerit hujus famuli dextra; niſi aliqua ex cauſis quas memoravi priùs idonea ſit, equidem neſcire me fatebor. Servus prudens, (ut redeam ad rem) nè temere juraret quod efficere forſan non valeret, inprimis quærit ex hero, quid tum fieri velit, ſi apta conjux *Iſaaco* patriam ſuam deſerere nolit, ac recuſet migrare in regionem ignotam. Eóne *Iſaacum* ſe ex *Canaanitide* in *Meſopotamiam* traducturum ſuſcipiet? "Imò verò, inquit *Abrahamus*, *id tibi cavendum eſt nè facias omni modo.* "*Jehova ille cœlorum Deus, qui ex patria me, ab amicis cognatiſque omnibus*, in hanc regi- "onem *tranſtulit, qui* toties *mihi locutus eſt*, ſpontèque *juratus poſteris meis daturum ſe* "*terram hanc, Ille Angelum præmittet ſuum, qui filio procuret uxorem*, unde habeam po- "ſteros. *Quòd ſi* quam tu filio ſponſam eliges, *ea* in terram alienam *tranſire nolit, tu* "*ſacramento ſolutus & liber eſto*, pro virili tua parte mandata exſecutus mea. Illud "modò te iterum atque iterum moneo, nè quando in patriam, unde profectus ego "ſum Divino monitu, redeat *Iſaacus*. Malo nè ducatur indè uxor, quàm ut redu- "catur eò filius. Sic ad ſervum *Abrahamus*. Hoc autem tam ſæpe ac ſeriò inculcabat, de *Iſaaco* in *Meſopotamiam* non reducendo, partim nè irrita facere, quantum in ſe erat, promiſſa Dei videretur de *Canaanitidis* hæreditate; partim nè filii pietas frigido propinquorum ſuorum cultu tepefacta langueſceret, inter peregrinos eadem, & idolis ex profeſſo deditos, quaſi per antiperiſtaſin conſtantior futura. De Angelo quod *Abrahamus* dixit, ità ſe habet. *Uxor prudens à Domino.* (*Prov.* 19. 14.) Dominum ergò credidit *Abrahamus* miſſurum eſſe Angelum, qui talem ſuo filio promiſſorum Divinorum hæredi eligeret uxorem: quoniam Dei *omnes miniſtri ſunt electorum gratiâ.* (*Heb.* 1. 14.) Servus igitur, his inſtructus mandatis ab hero, unà cum donis & camelis decem viæ ſe dat. Cameli *Arabibus* vicinis præſtantiſſimi erant omnium *Aſiaticorum*, & plurimi. *Jobo* uni 6000: (*Job.* 42. 12.) in ſpoliis *Hagarenorum* (1 *Chron.* 5. 21.) 50000: *Midianitis* (*Jud.* 7. 12.) innumeri. Equos autem inter opes facultatéſque *Abrahami* nullos reperies. Horum igitur camelorum ope *Charras* proficiſcitur ſervus *Abrahami*, urbem in *Meſopotamia*, jam antea fortaſſe notam ſibi, ex quo herus in ea vixerat cum *Thara* patre. In *Tharæ* bona & domum hæres *Nachor* ſucceſſerat, major *Abrahamo* filius. Eò tandem, itinere milliarium 500 ferè, cùm perveniſſet, ad puteum ſuburbanum, civitatis totius communem, indulſit camelis, ut flexis genibus procumberent feſſi quieſceréntque. Veſpera jam aderat; quo tempore ventitare ſolebant puellæ urbis ad hauriendam ex puteo aquam. Locus tempúſque opportunum *Eliezeri*. Servus quidem is hero non indignus *Abrahamo*, tantam rem pietate auſpicandam ratus, *Jehovam* domini ſui Deum precibus adoritur; quibus armis expugnari ſolis poſſe credidit. Obſecrat humillimè ac obteſtatur, "ut nunc etiam ſervi ſui meminerit *Abrahami*, ſolitámque præſtet "illi bonitatem; ut huc adducere dignetur eam unà cum reliquis virginibus, & mon- "ſtrare ſibi, quam uxorem deſtinârit *Iſaaco*; denique, ut hoc eam indicio cognoſcat, "ſi, cùm aquam petierit ad ſedandam ipſe ſitim, illa benignè non ſibi modò, ſed & ca- "melis ultro det. Ità precatus ille, non tentandi causâ, quaſi diffiſus Deo; ſed fœdere gratiâque *Abrahami* apud Deum fretus, & heri dicto, Angelum ſibi ducem promittentis; in tanta re auxilio Divino regi ſe mavult, quàm judicio ſuo. Non hoc ſignum poſtulat, ſed precatur ut ſit; nec id ſine Divino quodam inſtinctu, reor. Certè votum ejus placuiſſe Deo eventus docet. Vix enim deſierat, cùm properantem cernit ad puteum virginem pulcherrimam; cui, hydriâ impletâ, ſervus accurrit abeunti, & rogat, ut ſitienti aquæ paululum viatori det. Alacriter illa promptéque hydriam deponit, hoſpitíque tradit unde bibat; ſpontéque addit pari benignitate, ſe non homines modò, ſed & camelos aquâ ſaturaturam. Projecto igitur in aquaticulum ex hydria quod reliquum erat, denuo feſtinat ad puteum, haurítque ſæpius, donec

Rebeccam ei uxorem dat.

donec omnes cameli aquâ ſatiati ſunt. Cùm accidiſſet res quemadmodum ille comprecatus fuerat, ſervus attonitus, non potuit non præſens agnoſcere Dei Numen, & venerari. Virginem verò, ut ſe gratum præbeat, ſimúlque ut aditum faciat ad hoſpitium ſibi, & peragendum cujus gratiâ venerat negotium, inaure donat & armillis aureis. Armillæ ſiclos decem, inauris ſemiſſem pendebat. Sed jampridem didicerat percontando, *Rebeccam* fuiſſe *Bethuelis* natam, neptémque *Nachoris*. Interrogârat etiam, eſſétne ſibi aliquis apud patrem ejus pernoctandi locus. Ad hæc illa perbenignè, ut ad reliqua, reſpondet, & locum illi eſſe, nec ſtramen deeſſe pabulúmque camelis. Cùm igitur omnia voto ſuo reſponderent, iterum ſervus gratanter & ſuppliciter Deum veneratus eſt; neque corporis inclinatione tantùm, ſed & verbis. *Benedictus*, inquit, *Jehova Deus Abrahami*, *qui miſericordem ſe domino meo ac in omnibus promiſſis veracem exhibuit*; *qui me* famulum, domini gratiâ, *huc ad ipſam ejus familiæ cognatorúmque domum rectâ deduxit viâ*. Sic ille. *Rebecca* interim quantâ poteſt celeritate feſtinat domum, & anhelans narrat ſuis quæ accidiſſent omnia. Donis autem, quæ lætanter oſtentat, plus etiam loquitur quàm verbis. Erat illi frater *Labanus*, qui, cùm hæc omnia intellexiſſet, ſtatim ſe proripuit foras, ubi ſervum *Abrahami* ad puteum reperit cum camelis. Et, "*Benedicte*, inquit, *Deo vir*, " *quid reſtas foris*, *cùm tibi paratum ſit cameliſque tuis apud nos diverſorium?* Accede " in ædes noſtras, quò accedes gratiſſimus. Paruit *Eliezer*, & ſecutus eſt. Poſtquam igitur ſolutos oneribus camelos pabulo & ſubſtramine procurâſſent, ſervo ipſi comitibúſque lavati pedes, & cœna eſt appoſita. Ille autem cibum ſe nullum antea ſumpturum ait, quàm expoſuiſſet omnia quæ in mandatis habebat, & liberâſſet fidem. Narrare juſſus, " *Abrahami* ſe ſervum dicit. *Abrahamo* benedixiſſe *Jehovam* " Dominum, & cumulâſſe divitiis, ovibus bobúſque, argento & auro, ſervis & an- " cillis, camelis aſiníſque, filio denique jam ſenem, è *Sara* conjuge. Huic dominum " ſuum dediſſe omnia: ſe autem obligâſſe jurisjurandi religione, uxorem filio nè " quam ex *Canaanæis*, ſed è ſua gente *Nachoriſque* familia, ſumeret. Reliqua deinde perſequitur ordine, quæ geſta dictáve ſunt ab *Abrahamo*, à ſe, à *Rebecca*; ut à me perſcriptum eſt priùs. Poſtremò, ab illis, causâ jam ſuæ legationis expoſitâ, ut certiorem ſe facere dignentur obnixè rogat, utrùm *Abrahamo* hac in re gratificari velint. A *Labano* & *Bethuele* reſponſum piè, videri ſibi hæc voluntate conſilióque Divino geſta; fruſtrà Deo repugnari; acciperet ergò *Rebeccam*, & auferret conjugem *Iſaaco* futuram. Quis autem hic *Bethuel* ſit, fratérne virginis an pater potiùs, non ſatis perſpicuum videtur. Minus enim quàm pro patrefamiliâs agere diceréque videtur in filiæ nuptiis: niſi putemus fortè, ſenem & valetudinarium, rejeciſſe omnem familiæ curam in *Labanum* filium. Servus *Abrahami* magno cum gaudio audivit ex illis hæc, Deóque ad humum incurvato corpore gratias dedit. Deinde vaſa protulit argentea & aurea, veſtéſque pretioſas, quibus novam ſponſam donavit; omnéſque fructus *Canaanitidis*, quibus fratri ejus & matri gratificatus eſt. Illi viciſſim eum convivio hilari, & hoſpitio liberali & benigno, exceperunt. Manè proximo, ſui officii memor ſervus, rogavit ſe jam voti compotem ut quàm primùm dimitterent domum. At illi comiter, " Feſtinare nimis, aiunt; *dies decem virgini* " *concedendos*, quibus familiares & propinquos valere jubeat. Imò verò, inquit ſervus, *cùm iter hoc fortunaverit mihi Deus hucuſque*, *nè vos*, *obſecro*, *morâ interrumpite felicitatem meam*. " Abſint, inquiunt illi, ut reditum tibi, quem expetis tantope- " re, moremur nos. Illud inprimis videndum, ut hæc ipſi placeant virgini. *Rebeccâ* igitur in conſilium advocatâ, cùm ſciſcitati eſſent, an huic ſe viro, qui nominabatur, an huic itineri libens datura eſſet, annuit, & perplacere ſibi utrumque reſpondit. Nihil erat reliquum in mora. Cum nutrice igitur *Debora* & ancillis ad *Iſaacum Rebecca* diſcedit, cognatis ei fauſta omnia comprecantibus & felicia: ut quaſi fœcunda vitis ampliſſimam germinaret ſobolem, in millena diffuſam millia; eandémque potentiſſimam, hoſtibus victis dominaturam. Ut pervenêre *Beerſhebam*, (illic enim habitabat in meridionali plaga *Iſaacus*,) deambulatum ille prodierat & meditatum ſub veſperam in agros. Pium opus, & præmio donatum opportuno. Cùm enim rediret à puteo *Lahai-roi*, ſuos procul vidit adventantes camelos, obviámque progreſſus eſt. *Rebecca* ut virum advenientem conſpexit, quærit ab *Eliezere* quiſnam ſit: cúmque audiviſſet *Iſaacum*, deſcendit protinus camelo, & obnubit ſibi peplo caput. Verecundia ritum hunc virgines docuit, ſubjectionis conditio ſponſas. *Iſaacus*, adventu ſponſæ lætiſſimus, è ſervo reſciſcit avidè hiſtoriam itineris omnem.

A.M. 2148.

Re-

A.M. 2148.

Iſaaci nuptiæ cum *Rebecca*,

Rebecca verò in *Saræ* vacuum jam tabernaculum deducitur. Nuptiis deinde maxima cum lætitia celebratis, pro chariſſima uxore habuit; cujus amore ſummo matris amiſſæ deſiderium, triennii ſpatio nondum prorſus extinctum, abolevit. In his etiam Nuptiis videtur *Iſaacus*, ut in Sacrificio ſuo, ſignificâſſe *Chriſtum*; *ſponſum* videlicet, (*Joan.*3.29.) *ſponſum Eccleſiæ*, (*Apoc.*21.9,10.) quam Apoſtoli ſatagebant *ſiſtere puram Chriſto virginem.* (2 *Cor.*11.2.) Non igitur ex *Canaanæis* eligendam, id eſt, impiis & excluſis domo Dei; (*Zach.*14.21.) ſed *è cœlo*, & *ex Deo natis.* (*Apoc.* 21.2. 1 *Pet.*1.23. 1 *Joan.*3.9,10.) Domum paternam reliquit *Rebecca*; ità mundum Eccleſia. (*Pſal.*45.10.) Denique, amavit *Iſaacus* uxorem; (*Gen.*24.67.) ità Eccleſiam *Chriſtus.* (*Eph.*5.25.)

& *Abrahami* novæ cum *Cetura*.

§ 31. Eodem ferè quo *Iſaacus* tempore, *Abrahamus* quoque duxit uxorem alteram, (*Cetura* vocabatur,) ex qua ſex liberos genuit; *Zimranem*, *Jocſanem*, *Medanem*, *Midianem*que, *Iſhbocum*, & *Shuam*. Ex *Jocſane Sheba* & *Dedan* geniti; ex *Dedane Aſhurim*, *Letuſhim*, & *Leümmim*. *Midian* quoque ſuſcepit *Epham*, & *Epherem*, *Hanochum*, *Abidam*, & *Eldaam*. Qui omnes viri præclari ſuis temporibus, famæque celeberrimæ fuerunt. Etſi enim grandior ætate *Abrahamus*, corpus tamen adhuc vegetum & ſucci habuit plenum. Sed & uxorem, & aptum uxori corpus in ſene, Dei dono utrumque acceptum retulit. Quippe noverat eum, qui pollicitus ei fuerat plurimarum gentium patrem futurum, (*Gen.*17.4.) tum corpore hoc opus habuiſſe, tum uxore iſtâ, quò promiſſi fides præſtaretur. Et voluit fortaſſe *Abrahamus* habere aliquam ſenectutis ſuæ nutricem ſedulam, cui familiæ ſuæ jam ſeparatæ, opinor, à filio, curam traderet. S. *Auguſtinus* (Quæſt.70. in *Gen.* & lib. 6. de Civit. Dei 34.) in hoc novo conjugio myſterium indagat novum, haud ſcio an & verum. Ut *Hagareni* ſignificabant *Abrahamitas* ac *Judæos* nomine tenus, (Ep. ad *Gal.*4.) filios quidem, & donorum participes, at non hæredes Dei Eccleſiæque veteris: ità per filios ait *Ceturæ* denotari Hæreticos, & alios titulo tantùm *Chriſtianos*. Neque verò *Sarâ* vivente ductam credimus hanc uxorem, ut *Calvinus* & alii. Nam *Sara* profectò minimè ſuaſura videbatur has nuptias viro jam patri, quod non niſi liberos deſideranti perſuaſerat; cujus illam conſilii pœnituerat ſatis. Nec ſuâ ſponte, vel invitâ *Sarâ*, feciſſet *Abrahamus* jam ſenex idem, filiorúmque duorum pater, quod, cùm liberis careret multos ante annos, non niſi ab ea impulſus fecerat. Quin & hiſtoriæ ſeries & verba *Moſis* repugnant. Hæc enim poſt nuptias *Iſaaci* geſta memorantur. *Et pergens*, inquit *Moſes*, *Abrahamus Ceturam accepit ſibi uxorem.* Priùs ergò non acceperat. Sed quænam aut unde *Cetura* hæc? *Hagaram Judæi*, poſt obitum *Saræ*, ab *Abrahamo* revocatam tradunt. At verò *Moſes* in hoc ipſo capite (verſu 12.) meminit *Hagaræ* ſuo nomine. Alia igitur *Cetura* eſt. Et loquendi forma, [*Pergens Abrahamus accepit*,] nuptias novas indicat. Denique, *Hagara* jam nonagenaria (ſi computetur ætas) filios tot è ſene viro nequaquam peperiſſet. Quare *Canaanæam* fuiſſe, aut ex vicinis gentibus juvenculam, ſtatuendum eſt. Nam & *Abrahamo* & *Iſaaco* eligenda quidem erat ex optima familia uxor, quæ populum electum Dei pareret: At verò quæ alios *Abrahamo* filios generaret, nihil referebat unde orta eſſet mater, ex *Ægyptóne Hagara*, an ex *Canaanitide Cetura.*

A.M. 2151.

Redit in *Ægyptum Seſoſtris*,

§ 32. Peractâ *Seſoſtris* novem annorum expeditione, cum ſpoliis tandem captivíſque, & his numero, illis pretio maximo, in *Ægyptum* rediit; depoſito priùs apud ſingulas gentes mandato, ut pro ſuis cujuſque regionis opibus, ad ſe munera perferrent quotannis. Magna ubique gaudia, gratulationes occurrunt plurimæ redeunti. Primò igitur manubiis hoſtium eximiíſque donariis cuncta per *Ægyptum* templa exornavit. Ità cenſuit gratias victoriarum ſuarum autoribus diis referendas. Tum & milites, qui ſtrenuam in hoc bello navâſſent operam, pro merito donavit præmiis. Nec milites tantùm ex hoc bello rediêre domum opibus magnis aucti gloriâque, ſed *Ægyptus* quoque univerſa variis commodis & ſummâ copiâ rerum cumulata eſt. Itaque bellis hunc impoſuit finem, copiáſque dimiſit omnes, *Magnus* merito ſuo jam dicendus rex. Victoriarum ſociis, quò partis fruerentur, pingue conceſſit otium. Ipſe autem gloriæ ſtudio, æternæque apud poſteros memoriæ incenſus, ejuſdem otii neutiquam eſt uſus beneficio; ſed immenſas moles operum eſt aggreſſus, non ſumptu magis quàm arte, opificúmque ingeniis, admirandas. Exorſus à diis, in ſingulis *Ægypti* urbibus ei templum exſtruxit, quem præcipuè colebant, deo. Nec ad hos labores *Ægyptii* cujuſquam, ſed captorum in bello ſervitiorum, eſt uſus operâ. Itaque omnibus hoc inſcribi templis juſſit, *Indigenarum nemo*

operáque edit magnifica domi.

huc

huc laborem contulit. Aliqui è mancipiis, cùm has laborum tolerare moleſtias non poſſent, defeciſſe feruntur; occupatóque munito juxta fluvium loco, arma ſuſceperunt in *Ægyptios*, & agrum vicinum populati ſunt. *Babylonios* fuiſſe memorant. Puduit regem ſervilis belli; nec tanti erat ut exercitum revocaret. Impunitate igitur conceſsâ, & agro quem colerent, arma depoſuerunt, urbémque condiderunt ſibi, quam à patria denominârunt *Babylonem*. *Cteſias* autem è *Semiramidis* ait exercitu aliquos appellaviſſe urbem hanc, & alias à ſe in *Ægypto* conſtructas, ſuæ nominibus patriæ. Multos præterea *Seſoſtris* & magnos congeſſit aggeres, quò civitates in locis humilioribus conſtitutas tranſtulit. Sic enim effecit, homines ut eſſent pecoráque ab inundatione *Nili* tutiora. Per omnem verò terram à *Memphi* ad mare, frequentes à fluvio foſſas duxit, quò fructibus terræ convehendis brevius iter & facilius pateret; ubique verò locorum mutuis homines commerciis & abundante rerum copiâ fruerentur. Quæ autem hujus erat operis maxima utilitas, communivit *Ægyptum* hâc arte, omnémque terram aditu hoſtibus difficiliorem reddidit. Duxit & murum ab *Ægypti* latere orientali, contra *Syrorum* & *Arabum* incurſus, Is à *Peluſio* per deſertum *Heliopolin* uſque mille quingentíſque ſtadiis porrigebatur. Iſthmum quoque inter Mediterraneum Rubrúmque mare conatus eſt perfodere. Sed ab incepto deſtitiſſe fama eſt, quòd ſuperficiem fuiſſe maris altiorem *Ægypto* ſuſpicaretur. (*Strab.*1.) Sed magnificentiam ſuam *Neptuno* etiam maríníſque ſuis diis oſtentare voluit. Quippe navem cedrinam, 280 cubitis longam, immenſis compactam ſumptibus, Rubro commiſit mari. Auro exteriùs hanc, interiùs obduxit argento. Illi autem deo ſacram eſſe voluitquem *Thebæi* religioſiſſimè colebant. Duos porrò ex duro lapide ſtatuit obeliſcos 120 cubitorum altitudine; in quibus tum imperii magnitudinem, tum multitudinem vectigalium deſcripſit; nationúmque debellatarum à ſe numerum. In *Memphitico Vulcani* templo ſuam & uxoris collocavit ſtatuam, è ſaxis utramque integris, & cubitos utramque tricenos altam; filiorum verò 4 vicenos. Hoc ut faceret, caſus monuit extremi diſcriminis. *Peluſii* enim poſt longinquam expeditionem cùm otiosè deſideret, nè humanæ ſortis oblivisceretur felicitate perpetuâ, ſuus illi frater (quem *Ægypto* abſens præfecerat) inſidias reverſo molitus eſt, ac penè perfunctus. Nam ad convivium ſplendidiſſimum vocati *Seſoſtris* & uxor cum liberis, à potu largiore tandem conſopiti ſunt. Frater quam volebat nactus opportunitatem, ut ſolus regni ſupereſſet hæres, unâ ſtrage conficere omnes inſtituit. Magnam igitur ſiccæ arundinis copiam regio aggeſtam undique tabernaculo ſuccendit. Emicante flammâ thalamus repentè regius corripitur. Excutitur ſomnus, auxilium imploratur. Satellites advocantur & miniſtri. Verùm illi, adhuc vino graves atque ſomno, multò ſegniùs opem ferebant quàm periculi neceſſitas poſtulabat. Manibus igitur porrectis in cœlum rex, pro ſalute uxoris & filiorum vota ſuſcipiens diis, per medias flammas ruit cum ſuis, atque evaſit incolumis. Ex tanto diſcrimine tam inopinatò conſervatus, cùm alios deos, tum *Vulcanum* inprimis, tam inexſpectatæ ſalutis autorem, donariis veneratus eſt. Addit *Herodotus*, uxore conſulente, *Seſoſtrin* è ſex liberis duos in medias projeciſſe flammas, quibus tanquam ponte conſcenſis, pater cum reliquis tranſiit ac ſervatus eſt. Sed illud inprimis memorabile habetur de *Seſoſtri*, quòd, ut imperii magnificentiam oſtentaret gloriosè, urbem aliquam templúmve deorum ingreſſurus, à regibus devictis quadrigarum loco trahi currum voluerit. Ipſi enim reges quotannis aderant cum donis, & mandata regis accepturi. De hoc more meminit *Lucanus*, (*Pharſal.*10.) A.M. 2151.

Venit ad occaſus mundíque extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit.

Et *Plinius* (33.3.) *Seſoſtrin tam* ait *ſuperbum fuiſſe, ut prodatur annis quibuſque ſorte reges ſingulos è ſubjectis jungere ad currum ſolitum, ſicque triumphare. Clemens Alexandr.* (in Protreptico) ex *Athenodoro* commemorat, præter ea quæ dixi opera, *Seſoſtrin Oſiridem* quoque (unde ſuum duci genus putabat) ex auro & gemmis aliíſque metallis ac lapidibus, contritis & lævigatis, effingi ab artificibus imperâſſe, ac cæruleo imbui colore, ſic ut nigricaret imaginis forma. Hunc *Sarapin*, vel potiùs *Oſirapin*, primò vocari voluit, & pro deo coli. *Serapis* atque *Sorapis* vulgò dicitur. A.M. 2152.

§ 33. *Apiæ*, *Græcorum* peninſulæ, è ſex partibus una erat *Argolis*, ad Orientem. Huic *Inachus* coloniam atque regnum intulit primus, & annis 50 dominatus eſt. *Inachus Argivorum primus rex.*

A.M. 2152. *Eurydamante* genitum patre, vel *Oeneo*, ferunt; (unde *Inachus Oenides Heſiodo* dicitur;) matre verò nymphâ *Dorycle*, vel, ut aliqui volunt, *Iphinoë*. *Oceano Hyginus*; (Fab.143.) *Oceano* & *Tethye* natum ſcribit *Apollodorus*: (lib.2.) quo ex mari ſignificant in eas advectum oras appuliſſe. Fabulati ſunt Poëtæ veteres, ortam eſſe hoc tempore inter *Junonem* atque *Neptunum* litem, de ſacro jure in regionem hanc. Ad arbitros relata res, fluvios 4, *Inachum*, *Phoroneum*, *Cephiſum*, & *Aſterionem*. Illi, diu anxii, ut in dubia re, cùm pro *Junone* tandem tuliſſent ſententiam, *Neptunus* iratus maximam agri partem aquis immiſſis operuit, quas vix tandem à *Junone* ut deduceret exoratus eſt. Quà refluxit aqua, ibi templum poſtea *Neptuno* προσκλυστίῳ, ſive *Inundanti*, publico *Argivi* ſumptu poſuerunt. Fluvios autem judices aquis multavit *Neptunus*, alveis per æſtatem ſiccis, niſi quas è cœlo *Junonis* ope accipiant pluviales. Nucleum & medullam ejus fabulæ opinor hanc eſſe. Urbi regnóque novo quærendus erat aliquis tutelaris deus. Nemo enim, vel ex profanis regibus, ullas putabat ad obligandum continendúmque populum ſatìs firmas leges, ſine aliquo metu deorum & religione. Poſtquam igitur deos ſibi multos adſciviſſent in *Græcia*, (ſed nondum id factum videtur,) uni præ reliquis ſingulæ gentes urbéſque dedicabant ſe, quem præcipuâ veneratione colerent. Saluberrima igitur ea denique maritima regio aërine plus deberet an aquis, dubium videbatur. Ex fluviis hac in re facere judicium placuit. Eos cùm animadverterent aliquando deficere prorſus & exareſcere, aliquando, torrentium repentinâ vi tumidos, tranſilire metas & campos invadere, magno ſegetum pecudúmque damno, majus indè agnoverunt aëris beneficium, agrúmque ſuum *Junoni* conſecrârunt. Maximo autem ex fluminibus inundationem quâ ſolebat exſpatiari cohibuit *Inachus*, ampliore & profundiore alveo. Sic enim ripis poſtea continuit ſe, quantumvìs maximâ undarum auctus vi. Sic & commodo regionis conſultum, & ſalubritati, quæ priùs, aquarum ſtagnantium halitibus in fœto aëre, ſæpius tentabatur. Quare ſuum deinde fluvio nomen *Inachus* dedit, qui primò *Carmanor*, *Aliacmon* fuerat poſtea vocatus. Uxorem *Inachus Antiopen* habuit, vel, ut alii, *Colaxen*. *Archiam* ait *Hyginus*, (Fab. 143.) ſuam ſororem. Ex ea filium ſuſcepit *Phoroneum*, regni hæredem, & *Phegoüm*, filiáſque duas: alteram *Mycenen*, *Areſtoris* uxorem, unde & *Mycenis* urbi clariſſimæ nomen; (*Pauſ. Corinth.*) alteram *Io*, quam Poëtæ *Græci* reginam & deam *Ægyptiorum Iſidem* eſſe fingunt. Sed nec *Ægyptii* agnoſcunt, neque temporum conveniunt rerúmque ſeries. Imò plurima ſunt quæ *Græcorum* commenta, de *Iûs* in *Ægyptum* tranſitu, alteri ejuſdem nominis poſt annos ducentos competere magìs doceant. *Iûs* pronepos *Agenor*, *Europæ* pater, & abnepos *Danaüs*, *Argivorum* rex, multò propiores bello *Trojano* ſtatuendi ſunt, quàm ut ab hac *Io* naſci potuerint. Id etiam inter Veteres, etiam Poetas, convenit, *Nioben*, *Phoronei* filiam, omnium primam fuiſſe mortalium compreſſam à *Jove*. At ſi ex hac *Io Jupiter Epaphum* genuit, *Niobes* amitâ, ea priùs quàm *Niobe Jovis* adulterium paſſa eſt. Nominis, credo, paritas & generis ab *Inacho* fecit, ut Poëtæ huic *Inachi* filiæ, quæ prima occurrebat, ea tribuerint quæ alteri conveniunt *Io* poſt annos 270, *Iaſi* filiæ ſecundi. Indè reliqua petenda ſunt de *Iûs* in *Ægyptum* tranſmigratione.

A.M. 2158. § 34. *Semus*, *Noachi* filius, unde *Abrahamus* ortus eſt, decimus à *Noacho*, poſtquam annos vixiſſet 600, unus omnium diutiſſimè poſt Diluvium, fato & ipſe functus eſt. *Semus* moritur. Qua in parte orbis terrarum ſit annis 400 moratus, nè divinare quidem conjecturâ licet; adeò in locis vel obſcuris delituit, vel remotis. Quod enim *Judæi* quidam opinantur de *Melchizedeco*, alibi ſatìs impugnavimus.

A.M. 2162. Poſt *Ægyrum*, *Ægialenſium* præfuit imperio *Thurimachus* an.45.

2168. Inierat quidem *Iſaacus* matrimonium ante annos 20, ſed inutiliter: liberos enim adhuc nullos genuerat è *Rebecca* ſterili. Tandem aſſiduis precibus obtinuit à Deo, ut gravida eſſet uxor. Sed prægnanti accidit portento quid ſimile. Nam fœtus in utero tantis cruciatibus torquebat matrem collidendo, & quaſi colluctando confligendóque, ut orbitas *Rebeccæ* optabilior fœcunditate fuerit. Cùm Divinum aliquid huic tormento ineſſe videretur, ad conſulendum Deum vadit *Rebecca*, ut ſciat quid hoc mali ſit. Sed quò vadit? An ad *Semum*, quem *Judæi* volunt Sacerdotem & Prophetam fuiſſe maximum? At ille ante annos decem mortuus eſt. An ad *Melchizedecum*, aut *Abrahamum* ſocerum, aliúmve Prophetam aut Sacerdotem illâ ætate celebrem, utcunque jam ignotum nobis? An ad altare aliquod ubi ſacra conſuêrant fieri; an in monte *Moria* cum marito, ubi *Iſaacus* pro victima colligatus fuerat, captavit

Rebecca tandem parit geminos, Eſavum & Jacobum.

tavit precibus reſponſum? Silet hæc omnia *Moſes.* Ego iis aſſentior potiùs, qui conceſſiſſe putant ſolam in locum aliquem ſecretum orandi causâ, precibúſque importunis à Deo conſecutam, ut hoc illi myſterium aperiret. Sive in ſomno igitur, ſive per alloquentem Angelum, ſive per vocem cœlitus demiſſam, ſive inſpiratione quadam tacitâ, hoc eam Deus oraculo dignatur: "Duos illi eſſe in utero fratres, & patres gen-"tium: eas odio mutuo certaturas; alteram tamen fore potentiorem; & majori "natu imperaturum minorem. Secundùm hoc oraculum, tempore opportuno *Rebecca* gemellos edidit. Qui prior egreſſus utero, rufus & piloſus, *Eſavus* denominatus eſt, quaſi perfectus jam & adultus vir. Ipſi pili atque color infantis ferox & fervidum hominis ingenium indicabant. (*Gen.* 27.40. *Obad.* v.10. *Ezech.* 25.12.) Nondum ille totus exierat, cùm prodit alius, apprehenſo manu fratris calcaneo, quaſi retracturus, ac prohibiturus nè naſceretur prior. Quare *Jacobus* illi nomen, ſive *Supplantator*, eſt inditum. *A.M. 2168.*

§ 35. Hic eſt maximi Patriarcharum *Abrahami* centeſimus ſeptuageſimus quintus, & in rebus humanis annus ultimus. Vitæ jam gloriæque ſatur, omníſque felicitatis terrenæ, quaſi pomum ab arbore maturum decidit ſponte, quaſi ſomno ſolutus placidè exſpiravit, & ad ſuos hinc majores, ſive, ut Latinè loquar, *ad plures*, abiit. In ſpelunca *Macpelæ* ſepultus eſt cum *Sara* conjuge, *Iſaaco* funus & *Iſmaële* deducentibus filiis. *Iſaacum* reliquit hæredem ex aſſe. Sed & filios *Ceturæ* donaverat muneribus, emiſerátque jampridem procul ab *Iſaaco* in regionem orientalem, *Arabiæ* partem, dum adhuc viveret. Piè factum & prudenter. Voluit concubinarum filios, quòd ſui eſſent, ſuorum bonorum aliquâ portione frui. Voluit portionem hanc à ſe ſuis donari præſente, tum ut *Iſaacum* hæredem eâ levaret ſolicitudine; tum ut ab *Iſaaco*, *Canaanitidis* hærede, reliquos quàm primùm ſejungeret. Et erant multæ ſeparandi fratres cauſæ. Prima, nè terra *Iſaaco* uni à Deo promiſſa non ſufficeret omnibus, unde mox querelæ naſcerentur, ac inter fratres inhumanæ lites. Deinde, nè nimiùm propinqui fratres, nimiam *Iſaaci* potentiam opulentiámque iniquis oculis inviderent. Denique, nè reliquorum filiorum poſteri à poſteris *Iſaaci*, poſt annos 400 reverſis ad poſſidendam *Canaanæam*, (quod prædixerat tore Deus *Gen.* 15.13, 16.) aut ejicerentur, aut delerentur funditus. Maturè igitur hæc mala, quibus mederi non poterat mortuus, vivus prohibuit nè orirentur. Et *Iſmaël* quidem locum fratribus omnibus vicinum tenuit, in *Arabia Petræa Deſertá*que, ſparſim, ab *Euphrate* fluvio ad *Arabicum* ferè ſinum. Filios autem ſuſtulit 12, viros principes, ac totidem populorum conditores: *Nebaiothum*, à quo *Nabathæi* clara gens; *Cedarum*, unde *Cedareni Ægypto* proximi; *Adbeelem*, & *Mibſamum*, *Miſhmam*, *Dumam*, & *Maſſam*, *Hadarum*, & *Temam*, *Jeturem*, *Naphiſhum*, & *Cedemam.* Annos autem vixit *Iſmaël* 137. *Iſmaëlitæ* aliis nominibus, *Hagareni* ſcilicet ab *Hagare*, (*Pſal* 83.6. & 1 *Chron.* 5.10.) mox & *Saraceni*, ſunt appellati: non à *Sara*, puto, (quod tamen vult B. *Hieronymus* in *Ezech.* 25. ut ex ingenua & domina prognati viderentur;) ſed vel à *Saraca*, regione quæ poſt *Nabathæos* collocatur à *Stephano*, vel à latrociniis quibus ſunt dediti. Furaces enim *Saraceni* ſignificabant Arabicè. *A.M. 2182.* Moritur denique *Abrahamus*,

Celebris fuit *Abrahami* apud Scriptores etiam profanos memoria. Eum *Beroſus* virum appellat *magnum*, *juſtitiæ cultorem*, *& ſcientiæ peritum ſideralis*; decimâque ſtatuit poſt Diluvium ætate. *Hecatæus* libro edito perſcripſit ejus res. *Nicol. Damaſcenus* (in 4. Hiſtoriarum) *Damaſcum* ait cum exercitu *Abrahamum* adveniſſe, regnâſſéque in eadem. Indè poſtmodum migraviſſe in *Canaanæam.* Etiam ſuâ ætate *Abrahami* nomen celebre fuiſſe apud *Damaſcenos*, vicúmque vocatum *Abrahami domicilium.* (Ex *Joſeph.* Antiq. *Judaïc.* 1.8. *Euſeb.* Præparat. 9.16.) *Eupolemus* quoque, (*Euſeb.* ib. 17.) *Camarinæ*, inquit, *quæ Babyloniæ civitas fuit*, *quámque Uriam nonnulli vocabant*, *Chaldæopolin Græci*, *Abraamus ætate decimâ natus eſt*; *qui cùm nobilitate ac ſapientiâ præſtaret omnibus*, *Aſtrologiam & Chaldaïcam invenit*; *ſingularique ſtudio pietatis Divinam ſibi conciliavit gratiam. Collocato deinde rerum ſuarum in Phœnicia domicilio jubente Deo*, *ſiderum illic ſcientiam tradidit*; *quæ res ei ſummam apud regem gratiam peperit.* Aliáque multa *Eupolemus* habet, Sacris Literis ut plurimùm conſentanea. *Artapanus* etiam, & *Melon*, & *Alexander Polyhiſtor*, multa de *Abrahamo*, iis ferè paria quæ narravimus, commemorant, in ſuis de rebus *Judæorum* Commentariis. Scriptoribus etiam profanis celebratus.

JACOBUS,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER QVARTVS;

Qui,

A Morte *Abrahami*, uſque ad Servitutem *Hebræorum* in *Ægypto*, annos comprehendit 243.

§ 1. MAgnus ille Pater fidelium, *Abrahamus*, quietus beatúſque jam cœlo fruitur, cujus propè unius in terra peregrinatio & pietas Librum nobis condidit priorem. Eum è ſcena exeuntem *Heberus* tritavus, ſexto minorem gradu, ſecutus eſt tamen poſt annos quatuor. Sexaginta enim & quatuor ſupra quadringentos *Heberus* vixiſſe traditur. Maximè probabilis eorum eſt conjectura, qui *Abrahamum* ejúſque poſteros, Deo ſacros, ab *Hebero* potiſſimùm *Hebræos* volunt appellatos, propterea quòd Patrum ille omnium qui molitioni *Babylonicæ* turris intererant poſtremus obierit, ac fortaſſe vixerit celeberrimus. Neque fruſtrà illud, opinor, *Gen.*10.21. ubi *Semus* prædicatur fuiſſe pater omnium filiorum *Heberi:* id eſt enim, *Hebræos*, electum atque dilectum Deo populum, è *Semo* eſſe oriundos. *Car. Sigonius* (in *Sulpitium Severum* lib. 1.) *Arphaxadum* ait tranſiviſſe *Tigrin* in *Chaldæam*; ejus indè poſteros *Hebræos* fuiſſe dictos, quaſi *Vlteriores*. At hâc ratione mortales omnes dici *Hebræos* oportuit: quippe omnes pertranſivêre *Tigrin*, ut in campum *Sinaaris* deſcenderent. Alii pariter ab *Habar* deducunt, *Hebraicâ* voce *tranſitum* ſignificante, eò quòd *Abrahamus*, atque poſtea *Jacobus*, trajecto *Euphrate*, hic redierit, ille primò advenerit in *Canaanæam*. At *Hebræi* nomen *Abrahamo* tribuitur multò ante *Jacobi* reditum: (*Gen.*14.13.) ut delirare videantur, qui ab ipſo *Abrahamo* dici *Hebræos* putant. Et levior mihi quidem hæc à *tranſitu* videtur cauſa, quàm ut indè perpetuum & commune genti nomen affigatur. Quaſi verò id novum rarúmve fuerit; aut ſolus *Abrahamus* cum nepote hâc tranſierit, quâ non modò ad *Damaſcum* & *Sidona*, celeberrimas urbes, ſed rectà in *Ægyptum* quoque, florentiſſimam regionem, ex *Aſſyria Meſopotamiâ*que patebat via. Quòd ſi terminatio in *Jod* vocis *Hebri*, quæ ſignificat *Hebræum*, propria Gentilium ſit apud *Hebræos*, ut contendit *Eugubinus*; ſi linguam *Hebræam* ab *Hebero* ità dictam concedant omnes, ut *Pererius* diſputat; ſi ab *Habar* denique *Habræi* potiùs quàm *Hebræi* dicendi ſint, quod voci magìs conſonum videtur: quis non credat potiùs patronymicum hoc, ab *Hebero* tum temporis vivente florentéque, nomen, quàm appellativum genti caſu tam pertinaciter adhæſiſſe. *Jacobus* quidem *Capellus* opinatur, in ipſis *Iſaaci* ædi-

A.M. 2187.

Heberus moritur, à quo *Hebræorum* nomen.

bus

A.M. 2187.

bus atque complexibus *Heberum* obiiſſe, eóque faciliùs nomen ejus tranſiiſſe in *Iſaaci* poſteros. Verùm hac in re veteris cujuſdam Scriptoris autoritatem deſidero.

A.M. 2188.

Eſavus primogeni i jus rufo jure permutat.

§ 2. *Iſaaco*, *Abrahami* filio, filii erant gemini, eodem ferè temporis nati momento; ſed moribus iidem tam diſparibus, támque diverſis vitæ ſtudiis, ut facilè perſpiciamus vana eſſe *Chaldæorum* decreta, qui ab ortu primo ſua cuique denunciant ingenia & fata. Mora enim & intercapedo illa quæ naſcentibus aliis intercedit, quámque ſæpius cauſantur Aſtrologi, vix ullum in his locum habuit. Ambo enim quaſi corpus unum implicati, ſimul ferè in lucem prodiêrunt. *Eſavus*, major, ferox, audax, impius, venationi deditus, & agreſti ferarum conſortio. Minor, *Jacobus*, ingenio miti & candido, pius erga Deum, erga parentes, integritate morum ſingulari, vitam eſt amplexus paſtoritiam & quietam. Id enim ſignificat *in tentoriis degere*: (*Gen.*4.20.) non, domeſticas res curare, ut aliqui; non, ſcholas adire Prophetarum, ut exponunt *Judæi*. Vix enim ex ephebis *Jacobus*, cùm *Semus*, *Heberus* & *Abrahamus*, (quorum *Judæi* Scholas fingunt neſcio quas,) omnes è vivis emigrârunt. Patri *Eſavus* eò gratior fuit, quòd eum prædâ paſceret venationis, carnéque ferinâ ſuavi admodum & delicatâ. *Jacobus* verò unicè dilectus matri, non morum ſolummodo ſuaviſſimorum gratiâ; ſed eum *Rebecca* fratri noverat prælatum à Deo, ac imperaturum aliquando. Quod nè nullo jure faceret, *Eſavus*, homo vecors, fratri minori ſuum ſponte conceſſit principatum. Ità enim accidit, cùm fortè rediret feſſus à venando, ut *Jacobum* reperiret domi coquentem juſculum è lenticulis. Ejus colore ipſo captus guloſus homo, obnixè rogat, rufi ſui pulmenti aliquam ſibi partem ut det. Haud abnuit *Jacobus*; verùm dono ſatis grande pretium ſtatuit, honorificum primogeniti jus. Neque verò tantam rem tam vili pretio emere voluit, ſed redimere. Datum enim ſibi jampridem à Deo primatum hunc didicerat ex matre: quod tamen *Eſavus* haud noverat fortaſſe, haud agnovit certè. Sive igitur fames impulit, ſive libido amens, "*Quid*, inquit, *mihi primò eſſe genitum prodeſt*, *morituro jam* niſi "tu ſubvenias? Habe tibi inutilem Principatum hunc, modò rufum illud mihi ju-"ſculum concedas. Adeò vile fuit homini profano ſacrum jus primogeniti, ut rufo jure, adhibito etiam juramento, permutârit. Meritò igitur deinceps affixum eſt homini rufo per ſe, rufi polenti avido, *Edom* nomen, hoc eſt, *Rufus*.

A.M. 2189.

Urgente fame,

ac monente Deo,

Gerarem Iſaacus confert ſe:

§ 3. Morientem *Abrahamum* conſecutus eſt *Heberus*: ſed viventem filius. *Iſaaco* enim vitæ facem è ſtadio diſceſſurus tradidit. Ille pietatis ac morum, ille imbecillitatis etiam paternæ ac nævorum eſt relictus hæres. Nova jam *Canaanitidem* fames pervaſerat; quo perculſus metu, fugam *Iſaacus* parabat in *Ægyptum*, exemplo patris. Ea ut proxima, ità feraciſſima eſt regio. At verò Deus filio negat quod permiſerat patri: quò doceat nos, ſibi plures non deeſſe rationes conſervandi ſuos. Nunc autem primùm *Iſaaco* ut amicus certus in re incerta cernitur. "Nè quò vadat ex "hac terra; ſibi, ait, ejus res curæ futuras vel maximæ: Locum ſe peregrinandi "monſtraturum; terrámque illi hanc & poſteris ejus daturum univerſam, quod "*Abrahamo* juratus promiſerat: Se poſteros ejus aucturum tantâ in terris multitu-"dine, quanta ſtellarum eſſet in cœlis: Denique, in ejus progenie cunctas terrarum "gentes benedictas fore ac beatas. Omnia hæc *Abrahami* ſe facturum gratiâ, qui "ſua perfeciſſet mandata, legibus paruiſſet, ac præcepta obſervâſſet omnia. Hæc ad *Iſaacum* Deus. Ille igitur monitu Divino *Gerarem* ſe contulit, ubi longo tempore commoratus eſt, ope magìs Divinâ fretus, quàm ubertate ſoli & copiâ. Nam & hîc ab ejuſdem terræ alumnis fame laborabatur eâdem. Sed in loco parùm certæ fidei, uxorem diſſimulandi artificium didicerat ex patre: adeò

———*Dociles imitandis*
Turpibus ac pravis omnes ſumus.———

Rebecca ſoror appellata, ſoror habita eſt; donec ipſe rex, cùm fortè proſpiceret è feneſtra, colludentes aliquando conſpicatus eſt, familiariùs quàm decebat fratres, & uxorio planè modo moréque. Indignatus aliquantulùm *Abimelecus*, hominem accerſit in aulam, caſtigat verbis, arguítque mendacii toti regno periculoſi. Si quis enim (quod propè abfuit) alienam uxorem violâſſet, futurum id, ait, fuiſſe unius civis peccatum, civitati piaculum. Meminerat fortaſſe quid ante annos 80 *Gerarenſibus* contigiſſet *Abrahami* gratiâ. *Iſaacus* metu excuſat à ſe factum, nè uxoris forma ſibi exitio foret. Suæ nimirum ſaluti maluit, homo nimiùm cautus hac in re, quàm aut

pu-

pudicitiæ uxoris conſulere, aut veritati. Rex igitur, ut hunc illi metum eximeret, edicto prohibuit, nè quis *Iſaacum* aut uxorem damno afficeret injuriâve; capitis pœnâ contumacibus denunciatâ. Tutum foris, à fame adhuc urgebat periculum domi. Huic ut occurrat, agrum conducit, triticum ſerit, labore inutili forſan opinione vulgi, & vanâ operâ tam infelici tempore. Sed aliis quod erat vile ſterileque ſolum, uni fœcundum *Iſaaco*, fructum centuplicem reddidit, anni felicioris proventum ex ubere gleba. Nec ſuam tantummodo aluit familiam, ſed aliis ſuppeditando indigentibus frumentum, divitias abunde cumulavit. Cur ille in longinquas proficiſcatur regiones, cui ſit *Ægyptus* domi, & in media ſterilitate fœcunditas? Cur ille humanam imploret opem, cui adſit Divina? Auctis igitur opibus, major indies potentiórque, magnis gregibus pecudum atque armentis locupletatus eſt, & unius familiæ populo. Ægris hæc intuebantur oculis *Palæſtini.* Inquilinum diteſcere, omnibus affluere copiis, florere unum; ſe verò cives fruſtrà ſudare, colluctaríque indies, vix omni tamen operâ propulſare obſidentem undique famem. Quod ergò invidorum eſt, viro bono, nec mali quicquam facienti ſuſpicantíve, malum tamen immeritò meditari, ac machinari damnum aliquod, creſcentem felicitatem quod impediret, vel minueret. In arido ſolo armenta, quibus abundabat *Iſaacus*, maximè deſiderabant aquam. Aquam igitur ex iis præcipuè hauriebant puteis quos effoderat *Abrahamus*, toti quidem utiles urbi *Gerarenſium.* Sed hi ſunt invidiæ mores, damnum alienum ut ſuo præferant commodo. Sibi puteos obſtruunt *Gerarenſes*, nè fruatur iiſdem *Iſaacus.* Ipſe rex eodem corripitur populari morbo. Ut è ſuis exeat finibus denunciat: Potentiorem enim ſe factum ait *Iſaacum*, vel potiùs, futurum timet. Obſequitur bonus vir, diſcedit tacitus, deſcendítque in vallem *Geraris.* Illic pecori nè deeſſet aqua, puteos refodit poſt *Abrahami* obſtructos mortem, iiſdémque nominibus appellavit. Dum puteos aperiunt, aquæ perennis reperiunt fontem. Sed *Gerarenſium* paſtores magnâ vociferatione pugnant, & hanc ſibi aquam vendicant. Itaque nomen fonti *Eſec* datum, hoc eſt, *Contentio.* Mox & alium effodiunt puteum; ſed infelicitate pari: *Gerarenſes* enim ſuum eſſe clamant hunc quoque. *Sidnam* igitur *Iſaacus*, id eſt, *Odium* ſive *Inimicitias*, vocavit. At nè vicinitate nimiâ offenderet ulteriùs, ulteriùs proficiſcendum ſibi ſtatuit. Alium alibi nactus puteum, tenuit ſine lite. *Rehobothas* ergò nominavit, ſeu *Dilatationes.* Deum enim dixit amplum ſibi jam ſpatium dediſſe terrarum, quo & pecudum augeretur multitudine, & hominum. Hinc tandem in *Beerſhebam* aſcendit, ac in ſuam quaſi patriam rediit. Tantâ hominum iniquitate ac tot injuriis afflictum, ſuâ præſentiâ Deus nocte primâ conſolatur. Ac, *nè quid metuat*, edicit. *Se patris Abrahami eſſe Deum*; *ſe gratiâ patris filio adfuturum*, *benedicturum*, *magnámque daturum progeniem.* Erectus hoc ſolatio, aram continuò ſtatuit *Iſaacus*, ubi Dominum Deum veneratus eſt. Fixa illi erant jam *Beerſhebæ* tentoria, cùm *Abimelecus Gerarenſium* rex, unà cum amico regis *Ahuzza*, & *Phicolo* exercituum duce, nihil minùs exſpectanti ſuperveniunt. Hoſpitem, virum probum, ſupremóque Deo charum, tam indignè habitum, vexatum, ejectum à ſe, à civibus paſtoribúſque ſuis, pœnituit ultro. Nec aberat juſtus vindictæ vel ab eo metus, vel à Deo. Fortunas *Iſaaco* augeri ſuam in perniciem timentes, deprecaturi aderant ea quæ meritò ventura ſibi perhorreſcebant mala. Conſcientia moleſtiarum quas innocenti creaverant hoſpiti timidos fecerat, ſupplices timor. Veriſſimum hîc illud Lyrici,

A.M. 2189.

unde, carpente felicitatem ejus invidiâ,

Beerſhebam repulſus,

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Iſaacum à ſe pulſum, & longè profectum, ſuâ jam ſequuntur ſponte. Jam quærunt ubi ſit, quem eſſe apud ſe noluerunt. Ille primò quid venirent ad ſe miratus, quem odiſſent, urbéque ſuâ expuliſſent, verba paulò mitiora tulit quàm facta. Perſpexiſſe aiunt jamdiu ſe, ſupremum illi favere cœlorum Numen. Conſultum itaque ſibi viſum, pacis mutuæ ac amicitiæ cum eo paciſci fœdus. Illi ſe nullum attuliſſe damnum: bona cum venia dimiſſum, ſua ſecum abſtuliſſe omnia. Ille viciſſim *Gerarenſibus* eandem ut præſtaret indemnitatem petivêre, quam eſſet ab iis expertus. Itineris cùm didiciſſet cauſam, ſupplicantibus occurrit *Iſaacus:*

Nam faciles motus mens generoſa capit.

Omnem

A.M. 2189. fœdus cum *Gerarenſibus* init.

Omnem protinus ex animo diluit offenſam ; injurias amicitiæ paternæ condonavit ; gratiæque reconciliatæ pignus, convivium inſtituit ſplendidum. Manè primo ſancitum eſt, mutuóque jurejurando firmatum fœdus, quale cum *Abrahamo* priùs initum ante annos 80 circiter. Dum hæc aguntur, de novo puteo nuncius affertur peropportunus, quem propterea *Shibam*, ſive *Juramentum*, appellavit *Iſaacus* ; locum verò *Beerſhebam*, hoc eſt, *Juramenti puteum*, quo priùs nomine vocaverat *Abrahamus:* idémque poſtea nomen eodem urbs conſtructa in loco tenuit.

A.M. 2199. *Seſoſtris* moritur.

§ 4. *Seſoſtris Ægyptiorum* rex, provectâ jam ætate, oculis captus eſt ; quod magnanimo gloriæque avidiſſimo viro permoleſtum accidit. Ad otium ſcilicet perpetuum ſibi damnatus & inertiam viſus eſt. Cùm itaque tantam calamitatem æquanimiter ferre non poſſet, homo proſperis tantùm aſſuetus antea, ſuâ vitam ſponte depoſuit ; quo mortis genere non traditur. *Suidas*, Tyrannum ait fuiſſe, qui, ut *Ægyptios* deprimeret, mores ipſorum ac penè naturam invertit. Nam virorum officia mulieribus, mulierum lege latâ viris mandavit. Defuncto patre, filius regnavit in *Ægypto*, qui *Herodoto Theron* dicitur : *Diodorus* patris nomine *Seſoſtrin* appellat Cæcum ; ex *Manethone* alii *Lacharem*, eúmque annos tantùm octo præfuiſſe imperio tradunt. Eundem in *Arſenoïtide* præfectura Labyrinthum ſibi conſtruxiſſe pro ſepulchro. At *Plinius (36. 13.) Peteſeucen* ejus Labyrinthi conditorem appellat. *Mendæ*, quem alii *Marum* vocabant, *Diodorus* tribuit. Duodecim reges, (quorum & unus, & omnium ſucceſſor unicus erat *Pſammetichus*,) multò poſteriùs hâc ætate, commune ſibi omnibus poſuiſſe monumentum, *Herodotus* autor eſt, (lib. 1.) Proinde aulas fuiſſe duodecim ; domiciliorum verò his impoſitorum tria millia ; præter ſubterranea, quæ non facilè advenis patebant, quoniam in iis regum illorum 12 & Crocodilorum ſacrorum continebantur ſepulchra. Urbs enim Crocodilorum huic erat Labyrintho vicina. Eadem ferè de Pyramidum quoque maximis nominum eſt controverſia, ut cui quæque autori tribuenda ſit minimè conſtat, *Diodoro* fatente, (lib. 1.)

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

Quibus illi ſtudiis, quantis & ſumptibus, & ſudoribus miſerorum hominum, immortalitatem hanc terrenam ſibi mortales moliti pollicitíque ſunt, æternáſque ſepulchrorum domos ubi mortui viverent ædificârunt ?

Tanquam non poſſint ipſa ſepulchra mori.

His autem præter omnem ſuam opinionem contigit, ut ſepulchra vivant, perennent poſt tot ætates integra ; hominum verò ipſorum qui condiderunt, imò & nominum, interciderit, mortuáque jamdiu ſit ac deleta funditus, memoria. Superſtitibus monumentis, deſiderantur qui ſibi vendicent autores. Quid *Herodotus* tamen & *Diodorus* de filio *Seſoſtris* referant audiamus. Patri ſimilem aiunt nulla in re fuiſſe præter cæcitatem, ſive naturâ contractam, ſive impietatis causâ inflictam à diis, ut illi malunt. Cùm enim fluvius præter ſolitum *Nilus* ſupra 18 cubitos excreviſſet, veſanus rex, ulturus injuriam, ſpiculum in aquas contorſit. Quo admiſſo facinore, luminibus repentè multatus eſt. Cùm fatigâſſet precibus & ſacrificiis deos, ut viſum redderent, undecimo tandem anno ex urbe *Buti* oraculum eſt datum, Exactum eſſe jam pœnæ tempus ; fore ut viſum reciperet, ſi lotio mulieris abluiſſet oculos virum non expertæ alienum. Exorſus igitur ab uxore ſua rex, cùm plurimas explorâſſet, nullam reperit incorruptam præter pauperculam cujuſdam hortulani conjugem, quam ſanitati redditus fecit ſuam. Reliquas verò adulteras, in eodem concluſas vico, (quem propterea *Glebam ſacram* deinde nominârunt) eodem igne quaſi purgandas concremavit. Monuit idem oraculum, ut deo gratias *Heliopolitano* redderet ſanitatis causâ. Quare binos ei obeliſcos, cubitorum octo latitudine, altitudine centum, dedicavit.

A.M. 2202. *Phoroneus Argis*,

§ 5. Defuncto *Inacho*, filius nobilior *Phoroneus Argivum* ſuſcepit imperium, annίſque tenuit 60. Ille primùm homines, in agris diſperſos, in unum civitatis jus compuliſſe dicitur, autore *Pauſaniâ*, (in *Corinth.*) Ille urbem vel conditam à ſe, vel auctam, *Phoronicum* appellavit. Ille judicia conſtituit & leges, quarum æquâ lance diſtribuit cuique ſuum. Ille à ferina homines agreſtíque vita ad cultiorem revocavit. Etſi *Porphyrius* (de Abſtinent.) primum ait *Apidem* tradidiſſe leges *Græcis*. Perfeciſſe, opinor, vult, quod inchoaverat *Phoroneus:* cujus tanta erat ſuis temporibus

A.M. 2202.

poribus gloria, ut eum *Acuſilaus*, Hiſtoriographus antiquus, *hominem* dixerat *primum* exſtitiſſe ; & *Phoronidis* autor Poëta *mortalium* appellârit *parentem*, quaſi cum brutis animalibus numerandi eſſent qui vixerant priùs. *Apollodorus* (lib.2.) *Inachum* ex *Meliſſa Oceani* filia duos genuiſſe filios narrat, *Phoroneum*, & *Ægialeum* ; quem alii, probabiliùs, multò antiquiorem faciunt *Inacho*. Et *Ægialeo*, ait, ſine liberis defuncto, etſi præfecturam ſuam *Ægialeam* de ſuo nomine appellâſſet, *Phoroneum* eſſe totius peninſulæ imperio potitum. Sed nos inſtitutam de *Ægialenſibus* hiſtoriæ ſeriem ex *Pauſania* & *Euſebio* perſequemur.

A.M. 2227. *Leucippus Ægialeæ* regnat.

§ 6. Poſt *Thurimachum* apud *Ægialenſes* octavus regum *Leucippus* tenuit ſceptrum annis 53. Apud ſepulchrum ejus *Thurimachi* ſolitos quondam ſacrificare *Sicyonios*, (nondum eo notos nomine,) *Varro* tradit, (apud *Auguſtinum* de Civit. Dei 18. 3.) Quin & *Phegoüs*, *Phoronei* frater minor natu, cùm eſſet mortuus, ad ejus ſepulchrum templum eſt conſtitutum, in quo coleretur ut deus, & ei boves immolarentur. Honore tanto propterea, puto, dignum putavêre, quoniam in regni ſui parte (ambobus enim filiis pater ſedes aſſignaverat, ubi vivente regnarent ſe,) ſacella conſtituerat ad colendos deos, & docuerat obſervari tempora per menſes atque annos. Hæc in eo nova mirantes inculti adhuc homines, deum eſſe factum poſt mortem aut opinati ſunt, aut certè voluerunt.

A.M. 2208. *Eſavus* duas unà uxores ducit.

§ 7. Quadragenarius erat *Eſavus Iſaaci* filius, cùm duas unà duxit uxores, ex natione ambas *Hithæorum*. Maluit homo profanus & vecors, hominum iis in locis præpotentium niti gratiâ, quàm omnipotentis Dei. Alteram ex his *Juditham* appellabant, *Beeris* filiam ; *Baſhmetham* alteram, *Elonis* : eâ impietate ambas, eâ morum proterviâ petulantiâque, ut *Iſaaco* & *Rebeccæ* moleſtiam faceſſerint quotidianam. Indicio erat hoc non obſcuro, *Eſavum*, etſi primo loco genitum, abdicatum iri tamen & excluſum fœdere Divino, qui delectu ſibi nullo, nullâ parentum adhibitâ reverentiâ, quaſvis pro libidine cumularet uxores.

A.M. 2216. *Ogyge* in *Attica* & *Bœotia* regnante.

§ 8. *Ogyges*, qui *Ogygus* idem & *Ogygius* vocatur apud *Auguſtinum*, (de Civit. Dei 18. 8.) regnavit in *Attica*, (teſte *Oroſio* lib. 1. 7. & *Africano Euſebióque*,) quæ tum temporis *Acta* dicebatur ; vel *Thebis Bœotiis*, ut *Varro*, *Servius* aliíque volunt ; vel utrique ſimul ditioni, ut credi par eſt, imperavit hâc ætate annis 32. *Africanus* enim apud *Euſebium* (Præpar. 10. 10.) Olympiadibus ait vetuſtiorem fuiſſe annis mille ac viginti. Nec *Oroſius* multùm diſcrepat, (lib. 1. 3.) ubi diluvium *Ogygium* mille & quadraginta annis *Romam* conditam præceſſiſſe tradit. Etſi multò antiquiorem ſtatuat *Varro*, (de Re ruſtic. lib. 3.) annis videlicet 2100 ante ſeptingenteſimum *Romæ* conditæ. Unde *Lydyatus* (Emendat. temp. A. M. 1852.) duos fingit *Ogyges*, alterum antiquiſſimum regem *Bœotiæ*, *Varronianum*, cujus ætati diluvium tribuit ; alterum *Atticæ* regem, & *Euſebianum*, poſteriorem annis ferme 373. At ſi Chronologorum diſcrepantia varios faciat eos de quibus diſcrepatur, jam nobis *Ægialei* duo erunt, *Cecropes*, *Inachi*, *Nini*, aliíque plures, de quorum ætate Chronologi diſſentiunt. Alium Veteres *Ogygem* agnovêre nullum, niſi eum cujus tempore diluvium contigit ; de cujus ætate cùm varient Autores, in rebus tam incertis quod probabilius videbitur, id eſt nobis retinendum. Ab *Ogyge Bœotia* dicebatur *Ogygia*, & *Ogygiæ Thebæ*, quas & condidiſſe *Varro* ſcribit, (ibid.) Indè antiqua ferè omnia Poëtis *Ogygia*. *Aliſtræ* filium fuiſſe tradit *Iſa. Zezes*, *Termeræ Stephanus* : at patre *Neptuno* genitum, vel quòd itinere maritimo in *Græciam* adveniſſet ; vel potiùs, quòd in locis maritimis regnaret. Nam indigenam fuiſſe *Pauſanias* (in *Bœot.*) vult, & populum cui præfuit *Ectenas* vocat. *Iſ. Zezes Theben* ei uxorem dat, *Jovis* & *Jodamæ* filiam, à qua *Thebæ* urbs vocata. Sed credibilius eſt, ab uxore *Zethi* hoc datum urbi nomen, de qua eſt alibi dicendum. *Eleuſinem* in *Attica* urbem plurimi eum condidiſſe tradunt ; ſed & alias plurimas *Euſebius*, (in Chronicis.) Innovatam ſolummodo *Eleuſinem* ab *Ogyge Pet. Comeſtor* ait, & hoc novo nomine ſui filii donatam, quæ priùs *Acta* vocabatur. (Scholaſt. Hiſt. 1. 76.) Ejus enim filius *Eleuſis*, potiùs quàm *Dairæ Oceanitidis* & *Mercurii*, habendus videtur. Et ab hoc *Eleuſi* conditam *Eleuſinen Pauſanias*, quàm à patre mavult : inſtauratam poſt diluvium credibile eſt. *Cadmum* quoque *Suidas* ei filium tribuit, eò quòd in ejuſdem (credo) urbis imperio ſucceſſerit, etſi longo poſt *Ogygem* intervallo temporis. Filiæ tres numerantur apud *Suidam*, (in Πραξιδίκη.) 1. *Aulis*, à qua urbi maritimæ in *Bœotia* nomen ; 2. *Thelxinéa* ; & 3. *Alalcomenia* : quas poſtea *Praxidicas* appellârunt ; deas ab *Haliartiis* cultas, & ſanctiſſimis juramentis adhibitas, eò quòd dicta factáque

A.M. 2216. ad optatum finem perducere crederentur: (*Heſych.*) *Alalcomenia* præcipuè, quæ *Minervam* educaverat. Itaque *Menelaüs*, *Ilio* expugnato, quaſi opere perfecto, *Praxidicæ* deæ caput fœminæ dedicavit, quod pro ſimulacro hujus numinis habebatur. Et eidem capitibus tantùm victimarum litabant. S. *Auguſtinus*, (de Civit. Dei 21. 8.) ex *Varrone*, & *Caſtore* Chronographo, Aſtronomíſque antiquis, tradit, *Ogygii* temporibus, magno in cœlis prodigio, ſtellam *Veneris* claram nobilémque mutaviſſe curſum ſuum, colorem, figuram, & magnitudinem. Memorant verò *Calydnum* in *Bœotia* imperaviſſe ante *Ogygem*; unde *Calydnæus* apud *Heſychium* pro antiquo dicitur. Eodem imperante *Ogygo* ferunt ætate virginali apparuiſſe fœminam ad lacum in *Bœotia Tritonidem*, quam *Græci* Ἀθηνᾶν, id eſt, *Minervam*, appellârunt, multorum ſanè operum inventricem, & pro dea poſtmodum venerati ſunt, autore inprimis *Cecrope*. A lacu, *Tritonia* nuncupata eſt; tantóque proclivius dea credita, quantò minùs origo innotuit. (*Auguſt.* de Civit. Dei 18. 8.) Alii ad paludem in *Africa* fluviúmque *Tritonem* exſtitiſſe primùm volunt hanc deam. Quid ergò ætatem *Ogygis* annotari opus fuit de rebus in *Africa* geſtis? Credibilius videtur, *Græcos* qui paludem illam accolebant in *Libya*, & deæ nomen & lacûs eò tranſtuliſſe cum fabula.

Minerva orta eſt.

A.M. 2243. § 9. *Telchines* (poſteri fortaſſe *Telchinis Ægialenſium* regis; nam & *Ægialea Telchinia* dicta eſt apud *Stephanum*;) & *Carpathii*, (aliis *Caryatæ* vocantur,) *Arcadica* gens inter *Tegeatas Argivis* finitima, bellum geſſerunt diuturnum, ſed infeliciter, cum *Phoroneo Argivo* & *Parrhaſiis*. (*Oroſ.* 1.) Victi enim tandem & fugati, *Rhodum* inſulam *Telchines* obtinuerunt; *Carpathum*, puto, haud procul indè remotam, *Carpathii*. *Ophiuſa* tum *Rhodus* dicebatur, à ſerpentum quibus infeſtabatur copia. Hi *Telchiniam* vocârunt. A quibuſdam faſcinatores habiti ſunt, qui *Stygis* aquâ ſulphure admixtâ animalia & ſtirpes enecabant. Alii primos ferrum & æs fabricatos aiunt, aliarúmque artium laudibus præſtantes, infamiam illam ab æmulis mercedem tuliſſe virtutis. Atque novem ex his primò tenuiſſe *Rhodum* ferunt; indè in *Cretam Rheæ* comites enutriviſſe *Jovem*, & *Curetas* dictos. Eorum ſocium *Corybantem Pydnæ* fuiſſe conditorem in *Macedonia*. Hæc *Strabo*, (l. 10.) *Euſebius Telchinas* ait victos primò in *Cretam* ex *Apia* migraviſſe, in *Cyprum* deinde, in *Rhodum* poſtea navigâſſe, & ſextum circiter *Apidis* regis annum condidiſſe urbem.

Rhodum occupant Telchines.

A.M. 2244. § 10. Provectus ætate jam *Iſaacus*, oculorum aciem penè amiſerat Annos enim vitæ 137 attigerat, quâ *Iſmaël* ætate frater obierat. Incertus igitur quamdiu eſſet victurus, majori filiorum *Eſavo* imperat, ut venatum proficiſcatur, carnem afferat apparétque ferinam, gratum ſibi delicatúmque cibum. Nam cupere ait ſe, dum in vivis adhuc ſit, quaſi teſtamentariam benedictionem hæredi obſignare. Obſequium filii tanquam anſam arripere voluit benedicendi pater. Hæc fortè demandantem *Eſavo* ſubaudiverat *Rebecca* mater. Quare *Jacobo* propere accerſito, cui primogeniti noverat jus & à Deo datum, & ab *Eſavo* venditum, quid dixerit, quid facturus ſit *Iſaacus* nunciat. Feſtinatione ſummâ eſſe opus dicit. Velle ſe, ut quàm primùm binos atque pingues è grege tollat hœdos. Ex iis condituram ſe gratiſſimum *Iſaaco* cibum; quo ad patrem allato, promiſſam *Eſavo* benedictionem *Jacobus* intercipiat. Utilis ea quidem, ſed periculoſa nimis, *Jacobo* viſa eſt fallacia. Se glabrum & lævem, piloſum fratrem eſſe ac hirſutum, ait. Quòd ſi, oculorum privatus lumine, manibus experiatur, & contrectando pater ſentiat impoſturam; futurum ut ſuo ipſe capiatur dolo. Diris enim patrem exſecraturum potiùs mendacem filium, quàm apprecaturum ei bona. Inſtat *Rebecca*, & diras ait in ſe imprecationéſque ſuſcepturam patris; ille modò quod juſſum eſt exſequatur. Exſequitur ergò *Jacobus*: apparatur cibus; etiam veſtibus induitur *Eſavi* pretioſis, ac, ut aliqui augurantur, ſacerdotalibus; collum & manus hœdinis pellibus obteguntur. Sic inſtructus ad *Iſaacum* pergit cum cibo. Quo ſciſcitante quis ſit, *Eſavum* ait ſe primogenitum; feciſſe quod habuerat in mandatis: Itaque ſurgere patrem, comederéque obſecrat ſuas dapes, ut benedictione promiſsâ filium impertiat. *Hui, tam citò?* inquit *Iſaacus*. *Imò Dominus Deus tuus mihi tradidit in manus prædam*, reſpondit *Jacobus*. Subolebat patri dolus neſcio quis. Itaque propiùs jubet filium accedere, ut contrectando experiatur, veréne ſit *Eſavus*. Sed fucum ſeni fecerunt hœdinæ pelles. Et, *Vocem*, inquit *Iſaacus*, *Jacobi audio*; *Eſavi verò* hirſutæ *ſunt manus*. Miratus quid hoc ſibi vellet, denuo rogat, Iſne verè ſit, quem ſe profitebatur, *Eſavus*. Affirmante iterum *Jacobo*, ſuſpicionem deponit, cibum poſtulat, vinúmque

Benedictionem præripit Jacobus

haurit

haurit libere. Cœnatus paſtúſque ac potus bene, filium deoſculari ſe jubet; ubi notâ veſtis fragrantiâ oblectatus, *Ecce*, inquit, *ſuaveolentem filium tanquam agrum odoror frugiferum, cui benedixit Deus. Quare benignum cœlum, terrâmque fœcundam*, cœli terræque *tibi Dominus det, unde copiam frumenti copiâmque vini auferas. Tibi gentes regi pareant, tibi domino fratres obſequantur. Tibi qui malè volunt, illis malè ſit; fauſta his proſperâque ſunto, eadem tibi qui apprecantur, omnia.* Ità quidem benedixit *Jacobo*, dum quæ futura erant poſteris prædixit *Iſaacus*. Vix deſierat, cùm à venando rediit *Eſavus*, ferinâmque carnem opiparè condîtam appoſuit patri. Plenus gaudio exierat *Jacobus*: Frater plenus ingreditur ſpe. Petit ſimiliter ut aſſurgat, comedat, ac benedicat pater. Quæ ut audivit ſenex, *Tu verò quis*, inquit, *qui hæc ad me?* Reſpondet ille, *Filius ego tuus, major filiorum Eſavus.* Obſtupuit, ac vehementi concuſſus metu totis artubus contremuit *Iſaacus*. *Et quis*, inquit, *aut ubi tandem is eſt, cujus ego jampridem cibo ſum ſaturatus, ille item benedictione beatus meâ? Neque prohiberi jam poteſt quin ſit idem benedictus.* Non iraſcitur mendaci pater filio, non eluſus fremit, non exſecratur impoſtorem. Sed quod à ſe factum eſt inſcio, autore Deo factum eſſe jam divinitus intelligit. Quare firmum eſſe id ratúmque vult. Quod rectum erat gratúmque Deo, cæcutiens *Iſaacus* vidit clariùs, quàm ſi oculis acutioribus perſpexiſſet,

A.M. 2244.

Eſavo:

——*Aliquiſque malo fuit uſus in illo.*

Eſavus verò, cùm ſacram & ſupremam benedictionem in alterum collatam audiit, neglectum ſe, ejulatu flebiliter edito, Sibi pater, etiam ſibi ut benedicat, obteſtatur. " Equidem ità, mi fili, ſtatueram, inquit ſenior *Iſaacus*: verùm *callidè intervenit frater, ac intervertit* quod deſtinaveram tibi. Tum *Eſavus*, *Injuriâne Jacobus illi nomen datum eſt, qui me bis jam ſupplantavit? Primò enim Primogeniti mihi jus, nunc paternam ſurripuit Benedictionem. At verò nullâne tibi ſupereſt alia, quam in me conferas?* Quæ mihi alia ſuperſit? ait pater. *Dominum tuum fratrúmque omnium conſtitui Jacobum: frumenti atque vini affluente copiâ locupletavi. Quid ego jam in te conferam? Quid?* inquit ille; *Tibine, pater*, divinarum benedictionum hæredi, *non niſi una eſt benedictio? Quin & mihi, obſecro, benedicas; mihi etiam, ô mi pater.* Quo dicto, lugubri voce lamentatus eſt. Lacrymas ejulatúmque filii ulteriùs non tulit indulgens pater. *Ecce*, inquit, *cœlo tu etiam benigno fruêris, & ſolo fertili. Sed omnem in armis vitam*, & trepidis *ages* in rebus. *Fratri tamen ſervies* armatus. Quanquam *adveniet aliquando tempus, cùm excuties jugum, & invades imperium.* Hæc filii precibus lacrymíſque pater conceſſit, quæ poſteros magìs quàm ipſum ſpectabant *Eſavum*. Supremum verò primogeniti jus, & hæreditatem, & principatum, & benedictionem ſacram, iſta *Jacobo* (ità volente Deo) tradidit. Irâ igitur odióque in fratrem capitali exarſit *Eſavus*. Tamen ad tempus, patrem reveritus, à vi & vindicta continuit ſe. A minis abſtinere homo importunus non potuit. Futurum cogitavit brevi, ut pater moreretur. Tum certò ſtatuit, quod & jam vulgò jactavit, cæde impoſtoris injuriam ulciſci, & auferre vi quam frater dolo ſurripuerat benedictionem. Ecce ut ſacrarum benedictionum hæredem mala moleſtiæque protinus invadant; ut magnum viri boni ſint argumentum adverſæ res. Sed profeſſa nimis odia perdiderunt vindictæ locum. Ad *Rebeccam* delatæ ſunt *Eſavi* minæ: quæ ſolicita *Jacobi* vicem, monuit filium periculi, conſuluítque ad *Labanum* avunculum ut fugeret in *Meſopotamiam*; illic moraretur donec fratris ira deferveſceret, atque obliviſceretur eorum quæ geſta eſſent modò. Tum verò ſe nuncium emiſſuram, & revocaturam domum. Quòd ſi enim quæ minitabatur *Eſavus* perficeret, uno ſe parricidio ambos amiſſuram filios, quod ſibi maximo eſſet dolori futurum. Neque tamen hoc *Iſaaco* prodit conſilium prudens fœmina; ſed aliâ virum arte aggreditur, *Eſavi* causâ. Uxores *Eſavi* profanas perquam ſibi eſſe moleſtas conqueritur. Tam fœda & imparia ſi *Jacobus* cum fœminis *Canaanæis* ineat conjugia, vitam ſibi acerbam atque ingratam fore. Sanctam enim ſuæ familiæ diſciplinam impuris nuptiis contaminatum iri. Jubeat igitur ut è *Charris* & *Labani* domo ſibi accerſat uxorem, ejuſdem ſanguinis participem, & Religionis futuram. Conſilio tam ſalutari facilè obſequitur *Iſaacus*. Quæ uxor dictaverat, filio mandat. Iter ingredienti apprecatur, ut benedicat illi Omnipotens Deus, ut fœcundum reddat, magnâque populorum progenie donet; ut illi præſtet ea quæ promiſerat *Abrahamo*, terrámque hanc poſteris ejus det hæreditario

cujus odio atque minis territus,

fugit in *Meſopotamiam.*

A.M. 2244. jure poſſidendam. Animadvertit hæc omnia *Eſavus* parùm æquis auribus oculíſque; parentibus dicto eſſe audientem *Jacobum*; à patre benedictum, *Charras* profectum, ut è ſua ſibi gente quæreret uxorem; *Canaanæas* enim fœminas minimè eſſe gratas *Iſaaco*. Ut aliquam igitur & ipſe gratiam iniret apud patrem, *Iſmaëlis* patrui filiam *Mahalatham*, ſive *Baſemathani*, tertiam reliquis addidit uxorem.

A.M. 2245. *Ogyges* diluvio periit. § 11. In *Actâ*, ſive *Attica*, & *Ogygia*, quæ *Bœotia* poſtmodum dicta eſt, regnabat hoc tempore *Ogyges*, cùm aquarum immenſa vis inundavit, regionémque univerſam depopulata eſt; non tam pluviarum diuturno impetu, quàm exagitati procellis pelagi ſævitiâ, pervadentis undique terram obruentíſque. Hâc vaſtatam clade, longo tempore incultam jacuiſſe *Atticam* ferunt. Annos 189 *Africanus* numerat, 200 *Cedrenus*; qui & *Ogygem* ipſum cum populo regnóque ſublatum ſcribit, poſtquam annos 32 dominatus eſſet. Ejus propterea nomine notum eſt poſteris hoc diluvium, *Noachano* poſterius annis ferme ſexcentis. Salvum & incolumem evaſiſſe *Ogygem Africanus* autor eſt, (apud *Euſebium* Præpar. 10. 10.) Etymologici Autor feſtum ait lugubre inſtitutum fuiſſe apud *Athenienſes*, ad recolendam eorum memoriam qui diluvio perierant. *Hydrophoria* vocabant. Cùm novem & ampliùs menſibus diem continua nox inumbrâſſet, *Delon* propinquam inſulam ante omnes terras radiis ſolaribus illuſtratam, adeptámque nomen ex eo ferunt, quòd prima reddita fuerit viſibus. (*Solin.* 11.) *Ortygiam* priùs vocabant. Indè fabulam quoque natam aliqui volunt, *Apollinem* in *Delo* natum eſſe, & ſororem *Dianam*.

Jacobus ſomnio divinitus in via confirmatus, § 12. Pergit in *Meſopotamiam Jacobus Iſaacides*, benedictione communitus paternâ & precibus; verùm non equo camelóve, non famulo, non commeatu certè multo inſtructus. Nam (*Gen.* 32. 10.) cum baculo tantùm profitetur ſe *Jordanem* tranſiviſſe. Parentes quidem ſatis opulenti; ſed non abfuturum diu ſibi filium putabant. Neque dubium eſt habuiſſe quod *Jacobo* poſt ejus reditum darent, poſt obitum ſuum relinquerent. Sed tamen hæc ità fieri, ſolus & inops ut peregrinaretur, aliquo modo ipſius Dei, plurimum certè intererat *Jacobi*. Erat enim futurum neceſſariò, ut ab omni ope humana & auxilio nudus, ab unius Dei providentia totus penderet; quáſque poſtea divitias conſecuturus erat, eas uni Dei acceptas referret. Et hâc fortaſſe inopi profectione iter ſuum occultare voluit, quò ab *Eſavi* ſibi caveret inſidiis. Eâdem nonnulli peregrinationem in terras Filii Dei, ad deſponſandam ſibi Eccleſiam, ſignificari volunt. Altero tertióve poſtquam domo exierat, deficiente citiùs quàm opinatus eſt die, hoſpitium ſibi parare ſub dio coactus eſt; cubile terram, ſaxum pulvinar ſibi facere in quo dormiret. Dormienti ſomnium ejuſmodi oblatum fertur divinitus. Scala videbatur è terra uſque in cœlum erecta, per quam aſcendebant deſcendebántque Angeli Dei. Supra ſcalam, ecce Deum ipſum in cœlo ſtantem, & alloquentem *Jacobum*; *Ego*, inquit, *Iſaaci patris tui, ego Abrahami Deus. Hanc in qua dormis terram tibi tuíſque poſteris daturus Ego ſum; poſteros autem terreno pulvere non pauciores.* In omnes hujus terræ te plagas *explicabis & diſtendes, in Orientem & Occidentem, in Auſtrum Boreámque. In te autem progeniéque tua omnes terrarum beatæ gentes futuræ ſunt. Ecce igitur, Ego tibi adero præſens Numen, cuſtodiámque te quócunque migraveris. Ego te reducam aliquando in terram hanc; nec deſeram deſinámve priùs, quàm præſtitero quæ ſum pollicitus omnia.* Hoc oraculo Deus præcipuè conſolari voluit iter longum dubiúmque ſuſcipientem, & armis quaſi Vulcaniis communire, ad ſuſtinendas ſuperandáſque omnes diuturni exſilii quas erat jam ſubiturus ærumnas: neque verò non cum *Jacobo* & nos rebus adverſis laborantes erigere. Scala enim iter *Jacobi*; nec ejus tantummodo, ſed & noſtram piorum omnium, quâ ex terra in cœlum contendimus, peregrinationem ſignificat. *Stabilem habemus in terra civitatem nullam. At* in cœlis *eam quærimus, cujus autor eſt conditórque Deus.* Viâ illuc arduâ & anguſtâ provehimur gradatim; *Per varios caſus*, &c. Qui aſcendunt ſcalam deſcendúntque Angeli, proficiſcentis ac redeuntis *Jacobi* ſunt cuſtodes. Quin & noſtræ ſalutis procurandæ causâ, è cœlo, ad cœlum, eunt iidem perpetuò redeúntque. In ſumma ſcala eminens Deus, providentiâ ſuâ *Jacobo*, ſuíſque ſemper omnibus, adeſſe præſentem ſe docet, obſervare, dirigere ac moderari omnia, utcunque procul videatur, & è longinquo terras humanáſque res deſpicere. Videtur & *Chriſtum* hæc ſcala myſterio quodam denotare; quò illud referendum, (*Joan.* 1. 51.) *Cœlum videbitis apertum, & Angelos Dei aſcendentes atque deſcendentes ſuper Filium hominis.* Nam ille unus *Homo-*

A.M. 2245.

Homo-Deus, cœlum terrámque naturâ geminâ contingit idem, & conjungit. Ille unus Mediator *omnia reconcilians quæ in cœlo ſunt & quæ in terris.* (*Eph.*1.10.*Col.*1.20.) Per ipſum juſtitia, & vita, & bona omnia donáque Sancti Spiritûs, & Angelorum ad nos miniſteria deſcendunt. Nos viciſſim huic ad cœlum Deúmque aſſurgimus, & cœleſtia quærimus in ipſo. *Nemo enim venit ad Patrem niſi per ipſum.* Denique, in ſupremo quaſi ſcalæ gradu conſiſtens Deus, clamat de cœlo, *Hic eſt ille dilectus mihi Filius in quo acquieſco.* Experrectus è ſomno *Jacobus*, *Revera*, inquit, *Dominus etiam hîc Deus adeſt, quod minimè putabam ego credebámve.* Magno igitur concuſſus metu, *Quàm reverendus ac formidabilis hic*, ait, *locus eſt! nec alius profectò habendus, quàm Domus Dei & Porta cœli.* Manè primo durum pulvinar ſuum erexit, columnámque ſtatuit oleo ſuperfuſo: non ut lapidem conſecraret; (quorſum enim id faceret?) ſed ut optimum quod extempore habuit ſacrificium libaret Deo; deinde, ut exhibitæ ſibi præſentiæ Dei monumentum exſtaret poſteris. Nomen quoque novum loco addidit, *Bethel*, id eſt, *Domus Dei*; quod in urbem propinquam poſtea tranſiit, cujus erat *Luzza* nomen priùs. Poſtremò, vota ſuſcepit ac recepit in ſe, cùm ea quæ promiſerat perfeciſſet Deus, poſtquam ſe Numine propitio tutum præſtitiſſet in hoc itinere, poſtquam agenti peregre ſubminiſtrâſſet

erectâ columnâ dat gratias,

majoréſque ſpondet ex voto.

Frigus quo durámque famem depellere poſſet,

tandem verò paternis ædibus reddidiſſet incolumem, Dominum ſe *Jehovam* unicè culturum pro Deo; ad columnam hanc, quaſi ſacro in loco, ſacra ſe facturum Deo; ex omnibus denique decimas perſoluturum grati ſe animi teſtes, quæcunque ſibi donaturus eſſet Deus. Primum hoc eſt quod in Sacris Libris nuncupatur *Votum*; itaque diligentiùs paulò examinandum. *Vovere*, Deo eſt religiosè ac ſponte polliceri aliquid ſe facturum, quod nec præceptis Dei repugnet, nec voventis ſuperet vires: ídque vel impetrandi beneficii, vel gratitudinis causâ; vel ut eo quaſi ſtimulo excitet ſibi, adminiculóve augeat quis pietatem. Quare nec alii præterquam Deo, neque Deo ludicram inutilémve rem, quæque vel non poſſit, vel non debeat præſtari, vovere licet fruſtrá. *Jacobus* primò cultum Deo internum & ſpiritualem vovet, ubi promittit, illum ſibi pro Numine ſolum futurum: externum deinde, ubi ſacrificia ſe oblaturum in eo ſpondet loco, id quod poſtea factum eſt: poſtremò, ſumptum ad hæc ſacra cultúmque Dei, ex facultatum ſuarum decimis, facturum ſe. Nihil ex his non debitum erat jampridem Deo. Sed arctiùs quodammodo ſe obligare voluit ad ea quæ debuit præſtanda pius vir, quò ſuam gratitudinem erga beneficum ſibi Deum teſtaretur. Nam & ſolutio Decimarum à Deo præcipitur in lege de Sabbato, ubi tempora, & loca, & Miniſtri, & reliqua mandantur quæ ad cultum Dei publicum ſpectant. Quare antequam inſtitutum legimus cultum Dei publicum, in Eccleſia ſcilicet familiarum plurium conjuncta, mirum videri non debet, ſi neque de Sabbato celebrato, neque de ſolutis ritè Decimis, in Sacro Codice quicquam legatur. Noverant tamen, ex eruditione, credo, majorum, antiqui Patres, deberi Deo Decimas, & publicis Dei ſacerdotibus, Divino inſtituto: quod vel ex eo *Abrahami* facto, (*Gen.* 14.20.) vel ex hoc voto *Jacobi*, facilè perſpicitur. *Toſtatus* & alii etiam hinc, non deberi Decimas jure Divino, ſaltem naturali, arguunt. “Nec enim licere, aiunt, con-“ditionem voto addere, & quaſi paciſci cum Deo in rebus per ſe bonis. At hîc De-“cimas daturum ſe pollicetur *Jacobus*, modò in ſe conferat Deus ea quæ poſtulat “beneficia. Imò, impium fuiſſet, ait *Bellarminus*, (tom.1.c.5.l.1.25.) vovere de-“cimas, ſi abſolutè fuiſſet obligatus eaſdem ſolvere. Sed ipſe videat, nè ſua potiùs impia ſint dicta, quàm *Jacobi* vota, quibus optimi viri pietatem impietatis falsò inſimulat. Quid eſt enim cui præſtando magìs abſolutè obligamur, quàm cultus tum internus, tum externus? At hoc eodem in loco utrumque vovet *Jacobus*; & ſi qua hîc adhibetur conditio, (quod *Toſtatus* vult,) cum conditione vovet. Quod rem ſuâ naturâ bonam & neceſſariam vovere liceat, autores profectò idonei exemplis præeuntes docent; *Aſa* pius rex, (2 *Chron.*15. 12, 14.) eóque melior *David.* (*Pſal.* 119. 106.& 50.14. & 56.12.) Quamobrem id rectè fiat aliquando, jampridem diximus. Neque omni conditione vitiatur votum. Honoraturum parentes in poſterum, obſtringit voto ſe filius nequam. Maléne igitur, ſi addiderit, Modò vitam illi concedat Deus? Ità nec malè qui decimas vovet, ſi & hoc addat, Modò facultates unde ſolvat ei Deus largiatur. Quid autem ſi nulla hîc adhibeatur conditio? Quid ſi dicatur abſolutè, Poſtquam ea præſtitiſſet Deus quæ promiſerat, tum ſe ex iis omni-

bus

A. M. 2245. *Charris*

bus quæ daturus erat Deus, Deo decimas redditurum? Ità quidem *Judæorum* atque noſtrorum doctiſſimi quique veriſimilè interpretantur.

§ 13. Profectus indè ac peregrinatus diu *Jacobus*, tandem in agrum pervenit, ubi puteum conſpicatus eſt ſaxo clauſum ingenti. Greges ad puteum tres exſpectabant alios, ut, obice remoto, ſimul omnes aquâ reficerentur. Opiliones convenit *Jacobus*, haud procul à deſtinato loco ſe abeſſe jam ratus, & quinam undéque ſint rogat. Illi ex urbe propinqua ſe *Charranos* aiunt eſſe. *Charranos* ut audivit, de *Labano* protinus quærit *Bethuelis* filio, noveríntne hominem, *Charranæ* civem urbis. Imò, inquiunt, optimé. Valétne? ait *Jacobus*. Imò & id optimè, reſpondent; ejúſque demonſtrant gregem, agente filiâ *Rachele*, accedentem ad puteum. Tum *Jacobus*, multum ſupereſſe adhuc diei, dicit; non eſſe greges tam citò compingendos in caulas. Aquarentur igitur, & paſtum dimitterent. Fieri id non poſſe, referunt paſtores. Nec enim ſaxum illud, niſi conjunctis multorum viribus, dimoveri loco. Dum hos inter ſe conferunt illi ſermones, adeſt cum paterno grege *Labani* filia *Rachel*. Ut primùm *Jacobus* vidit conſobrinam ſuam, ſaxum protinus amovit quo claudebatur puteus, ſive ſuâ vi, ſive paſtorum ope, *Labani*que gregem ſaturavit aquâ. *Rachelem* verò, pro more gentium temporúmque illorum, oſculo ſalutavit; conſanguineum ſe priùs, & *Rebeccæ* profeſſus filium. Succeſſus tam inopinatus extorſit homini lacrymas, lætitiæ indices aliquando. Dum ille ſibi gratulatur, Deúmque laudat, *Rachel* interea domum advolans patrem hac de re certiorem facit. Nec mora; *Labanus* ipſe prodit, accurrítque obviàm *Jacobo*. Cognatum ſuum confeſſus, eundémque amplexus & oſculatus, in ſuam comiter deducit domum. Per menſem ibi commoratus, & liberaliter eſt habitus ab avunculo *Jacobus*. Nec otioſus interea deſidebat: ſed curando gregem, aliáque obeundo negotia, dignam haud exiguâ mercede induſtriam exhibere viſus eſt. Cùm perſpiceret *Labanus*, utilem *Jacobi* ſibi operam futuram, tum demum agere cœpit de mercede. Et, vel cognatum ſibi ſervire gratìs, indignum eſſe dixit. Quare *Jacobum* ſuæ operæ jubet pretium dicere. Ille protinus (amore jampridem incenſus) *Rachelem*, formoſiſſimam virginem, ſeptennii paciſcitur mercedem. Libens hoc audit, annuítque pater facillimé. Et quaſi gratificaturus *Jacobo* tam charâ conjuge, & inutili damnosâque ſervitute, Homini conſanguineo filiam dari, ſatius eſſe reſpondet, quàm peregrino. Qui hanc obtulit tam liberalem ſeptennis operæ conditionem, maximo certè impulſus amore obtulit. Sed avaritiâ majore *Labanus* accepit. Patris erat, cum dote filiam tradere. At nè dare quidem gratìs viro, ſed vendere, ac natam ſuam ſtatuere pretium operæ alienæ, quid hoc turpius aut indignius patre? Nec enim erat hæc locatio filiæ, ſed nundinatio.

Cum *Labano* paciſcitur, *Rachelem*, conſobrinam, ſeptennii mercedem futuram.

A. M. 2252. Sororem utramque ducit.

Septennii labores ingens deſiderium *Rachelis* faciles levéſque *Jacobo* fecerat, quamvis devoraturo moleſtiam ejus gratiâ. Eam itaque jam conjugem, omnium ſibi laborum poſtulat mercedem. *Labanus* pater ſimulat daturum ſe. Convivium apparatur, amici advocantur ad nuptias. Sed ejus loci ac ſeculi mores ferebant, ut nuptæ non niſi velatæ ac in tenebris in thalamum ſponſi deducerentur à patre. Itaque ſoror loco *Rachelis*, natu quidem major, ſed minùs formoſa, (oculorum enim vitio laborabat,) *Lea* noctu ſubſtituta eſt. Pari fraude quâ majori filio minorem *Rebecca* mater, minori filiæ *Labanus* pater majorem prætulit: quâque *Jacobus* ipſe perſonatus impoſuit *Iſaaco*, eâdem arte à *Labano* deceptus eſt. Ità *Jacobi* peccatum in eodem genere, alieno peccato caſtigavit Deus. Ubi perſpexit manè fallaciam, graviter *Jacobus* de injuria apud ſocerum conqueſtus eſt. Aliam à ſe pactam, aliam verò ſibi datam uxorem; uxorem ejuſmodi, quam gravi onuſtam dote non erat fortaſſe accepturus, nedum tanto empturus pretio. *Labanus*, more patrio factum, excuſat frigidè, minorem præponi filiam non ferente. Alterius igitur ſeptennii & alteram ſororem ei præmium futuram ſpondet, modò ex gentis more ſeptem *Leæ* dies nuptiales peragat. Quid faciat? *Leam* dimittere non licebat, vel conjugem vel ſcortum: nec *Rachelem* obtinere alio quàm quod propoſitum eſt pacto. Sed amori tanto nulla erat difficilis conditio. Quid multa? Spatio temporis conſueto *Leæ* celebravit nuptias. *Rachelem* deinde novam *Jacobus* conjugem accepit. Denique, ut alios apud ſocerum ſeptem ſerviret annos conventum fuit. Exclamare hîc libet cum Poëta,

—*Quid*

——Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?——

A M. 2252.

Dare nuptum filiam ſuam, cognato dare, nullâ dote promiſsâ; ſeptem ſervire annos, cognato ſervire, nullâ mercede propoſitâ præter iſtam indotatam uxorem; utrumque durum. Sed volenti nullam injuriam fieri dicet *Labanus*. Voluit hæc, ſuâque ſponte *Jacobus* ipſe obtulit. Eſto. At eâdem uxore, quam tanto pretio emerat, cognatum fraudare, aliam ſubſtituere atque obtrudere deformem, ingratam, quam eodem fortaſſe pretio abeſſe cupiat; eò ſervum fidelem ac induſtrium adigere malis artibus, ut alterius ab eo ſeptennii donanda ſit gratuita ſervitus, quo ſocer augeat ſuam rem generi damno; quoddam hoc videtur latrocinii genus. Quid enim narrat mihi conſuetudinem patriam, nimis tenuem ac pellucidam tanto flagitio prætextam? Nam ſi quid erat quod impediret nuptias *Rachelis*, prædictum id oportuit, ea promitti non debuit. Neque verò *Jacobum* ipſum hac in re abſolvere licet ab omni culpa. Dum enim *Rachelis* amori nimis indulget, non duas modò ſimul uxores ducit, ſed etiam ſorores duas. At eò fortaſſe impulit virum bonum tyrannus ille gentium iſtarum temporúmque Mos. Sed eam in uxoris locum admittere quam contemnas, neque conjugali aut amore diligas, aut commercio digneris, ex te hoc naſcitur vitium, *Jacobe*, non contrahitur aliunde. Utriuſque tandem ſororis idem vir, ſed non eodem affectu in utramque. Erat enim longè major in minorem conjugis amor. Formæ igitur damnum Deus ut fœcunditate penſaret, uxoríque deſpectæ conciliaret viri gratiam, *Rachele* ſterili, liberos *Jacobo Lea* peperit; primò *Rubenum*, hoc eſt, *Vide filium.* Ità mater appellavit, quoniam Deus viderat afflictam, dederátque hunc filium, cujus gratiâ ſibi amorem conjugis pollicebatur. Deinde *Simeon*, ſive *Audiens*, *Leæ* natus eſt, itáque denominatus, quoniam, audiviſſe Dominum contemptam ſe, dixit mater, ideo & hunc illi dediſſe filium. Tertio loco *Levi* dictus eſt, quem ex *Lea* genuit *Jacobus*, hoc eſt, *Conjunctus. Nunc enim adjungetur mihi vir*, ait *Lea*, *trium liberorum parenti.* Quarto, & hâc vice poſtremo, natorum nomen *Lea* impoſuit *Juda*. *Laudem* id ſignificat; quoniam tot beata liberis & compos voti, Deum laudaturam ſe mater prædicabat. Ægro animo tulit hanc *Leæ* fœcunditatem *Rachel*. A viro igitur & illa ſibi poſcit liberos, liberos efflagitat; niſi liberos det, miſerè morituram ſe vociferatur. Uxoris etiam dilectæ improbitate hâc iracundior *Jacobus*, paulò aſperiùs quàm ſolebat, "Apage, inquit, importuna mu-"lier. *Deúmne me* ac omnipotentem *credis*, quæ petis ut ego tibi *liberos* dem, quos "*Deus negat?* Imò, inquit illa, qui ex me non potes, ex ancilla mihi liberos tolle. Nam ancillas utrique *Labanus* dederat, *Zilpam Leæ*, *Racheli Billam.* Ex *Billa* igitur duos generat filios *Jacobus*, annis duobus. *Rachel*, quaſi materno jure, nomina infantibus, alteri *Dan*, id eſt, *Judicans*, quoniam Deus judicârat, audîerátque preces, & donârat illi ſobolem; alteri verò impoſuit *Nephtali*, ſive *Luctatio mea. Maximâ enim contentione colluctata ſum*, inquit, *cum ſorore mea*; *victrixque tandem ac ſuperior evaſi.*

Ex *Lea* liberos tollit; & ex *Billa* ancilla *Rachelis*,

Sterileſcere jam *Lea* cœpit, ideóque ſororis imitari conſilium. *Zilpam* & ipſa *Jacobo* dedit ancillam ſuam, ex qua liberos etiam plures gigneret. Duos ea filios peperit, quorum alter *Gad*, alter eſt à *Lea* vocatus *Aſer*. *Gad Turbam* ſignificat: (turbam enim filiorum videre ſibi viſa eſt eo nato:) *Aſer*, *Beatum*; nam beatam ſe omnes prædicaturos dixit, ſobolis tam copioſæ matrem.

A.M. 2257.

Leæque Zilpa:

Accidit fortè triticeæ meſſis tempore, ut Mandragoras in agris (alii Flores exponunt) filius *Leæ Ruben* invenerit, inventas puerili ſtudio domum detulerit ad matrem. Eas *Rachel* conſpicata, ſibi obſecrat dari à ſorore. At illa ſatìs animosè, ut mulier, "Me-"áne tu, inquit, omnia? *Parúmne tibi videtur, quòd virum* una communem *occupâſti*, "poſſidéſque totum? An & has mihi auferes? Vehementia plerumque ſunt mulierum deſideria, in rebus etiam leviſſimis. Urget propoſitum *Rachel*, &, *Virum*, inquit, *ego tibi hâc libens concedam nocte, modò tu iſtas mihi mandragoras.* Facilè obſecuta eſt *Lea*, ut viri conſuetudine frueretur conjugali, quâ diu caruerat, ac fruſtrà deſiderârat. Quare gaudio exſultans, continere ſe non potuit, quin obviàm viro ſub veſperam ex agro domum redeunti occurreret, pactúmque nunciaret cum ſorore. Quid multa? Exaudivit *Leam* Deus plures petentem liberos. Hinc enim quintus *Jacobo* natus eſt ex *Lea* filius, cui nomen *Iſſachar* datum, ſive *Merces*. Ejus enim beneficii mercedem hunc interpretata eſt, quòd ſuo eſſet ancillam thalamo dignata. Alium poſt

A.M. 2258.

hæc

A.M. 2258.

hæc filium edidit, quem *Zebulonem* appellavit, id eſt, *Habitationem.* Virum enim apud ſe habitaturum permanſurúmque jam facilè ſibi perſuaſit, ſextæ genitricem prolis. Septimo tandem loco, poſt tot filios, unicam *Lea* filiam peperit, quam *Dinam* vocavit, hoc eſt, *Judicium.* *Rachelis* quoque tandem exoratus meminit Deus, eámque puero donavit ſuaviſſimo. Læta mater *Joſephum* nuncupavit, ſive *Additionem.* Alterum enim filium ſibi mox additurum ſperavit Deum, qui ſterilitatis ei probrum jampridem abſtulerat. *Joſepho* nato diſcedere parabat *Jacobus* in *Canaanitidem.* Res enim ipſa poſtulare videbatur, ut ſuæ aliquando conſuleret familiæ, tot liberorum pater, non jam ultrà ſerviret alienæ. Contrà, *Labanus* nè diſcederet inſtare, contenderéque precibus importunis. Nam expertum aiebat ſe, Deum ſuas fortunâſſe res *Jacobi* gratiâ. Itaque maneret apud ſe, quámque vellet operæ ſtatueret mercedem. Recuſaturum ſe nullam. Ad hæc *Jacobus*, *Labane* ſocer, inquit, *ut ego apud te hactenus fuerim ſcis, útque tuus apud me grex. Quem ego minimum accepi, maximum relinquo. Ex quo enim adfui ego, adfuiſſe tibi & Deum conſtat. Nunquámne verò meas agam atque meorum ego res*, ubi ejuſdem Dei experiar benignitatem propiùs atque utiliús? Plura non paſſus, " Imò poſce, ait *Labanus*, poſce quam velis " à me tibi mercedem dari. Aſtutè homo vafer. Minus enim ſperabat *Jacobum* poſtulaturum, quàm à ſe proponi poſſet. At ille, " Ego verò mihi nullam à te, ait, " dari mercedem poſtulo. Quam fortè mihi Deus obtulerit, accipiam gratus. Hâc " unâ igitur conditione obſequar voluntati tuæ. Perluſtrentur ovium & caprarum " greges. Si quæ reperientur aut fuſci coloris aut varii, punctis maculiſve reſperſæ, " tollantur, abigantur à me longiſſimé. Albæ tantùm & unius coloris pecudes meæ " tradantur fidei cuſtodiæque. Ex his autem quicquid fortè naſcetur deinceps fu- " ſcum variúmve, aut maculis reſperſum & punctis, Dei donum, mihi ſit ſtipendi- " um. Sic enim manifeſtò conſtabit in poſterum, ſi quid benedictione Divinâ meis " rebus acceſſerit, nihil eſſe à te furatum, nihil me artibus malis conſecutum. Cogitabat *Labanus*, è ſua re conditionem hanc fore. Nec enim ex albis fuſcas variive coloris oves facilè prodituras. Avariſſimâ igitur ſpe impulſus annuit; ac, *Utinam*, ait, ô gener, *ſtare tibi libeat huic pacto.* Protinus gregum luſtratio fit. Verſicolores atque fuſcæ pecudes amoventur, ac *Labani* liberis traduntur paſcendæ, trium dierum itinere ſeparatis à *Jacobo*, nè quis fraudi locus eſſet. Cautè *Labanus* hæc, ut ſperabat, commodiſſiméque ſuis rebus. Verùm

Tandem ex *Rachele* *Joſephum.*

Jacobo novum cum *Labano* pactum

Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

Unde commodum ſibi exſpectabat, damno id fuit. Nam, quod natura negabat, arte quadam *Jacobus*, vel à majoribus traditâ, vel à Deo monſtratâ, conatus & conſecutus eſt. Quippe uſu venire ferunt in generatione animalium, ut quam formam colorémve mater, in ipſo coïtus & conceptionis æſtu, vel oculis oblatum habuerit, vel in animo ſeu phantaſia fixum, eundem fœtus retineat ac ferat præ ſe. Eâ ratione apud *Quintilianum* à culpa ſe matrona expedivit, quæ *Æthiopem* pepererat: eâdem apud *Hippocratem* alia, quæ pulcherrimam infantem, parentibus generíque diſſimilem, ediſſet. Nec enim adulteræ pœnam effugiſſet, niſi monuiſſet *Hippocrates*, ut viderent, nè fortè aliquam ejuſmodi picturam conſpicata eſſet mulier: quâ in thalamo repertâ, ſuſpicione abſoluta eſt. Hoc naturæ didicerat arcanum *Jacobus.* Ex populo arbore, amygdalâ, caſtaneâque, virgas quaſdam virentes, & cortice variis modis detracto albicantes, inter potandum pecudi objecit in canalibus, ut iis conſpectis fœmellæ prægnantes ejuſdem coloris hœdos agnóſque parerent. Felix admodum ſucceſſu artificium hoc fuit, ſive naturâ ferente, ſive ſic jubente Deo. Deinde, aliud quoque additum, & huic aliud. Nam quos primò nactus eſt hœdos agnóſque variis maculis atque notis reſperſos, præire ſemper voluit, oculíſque *Labanicarum* pecudum obverſari: ſuos autem haud paſſus eſt reſpicere, aut cùm *Labani* gregibus commiſceri. Eligebantur etiam tempora quibus virgæ proponerentur, in vernali maximè admiſſura ovium, cùm pecudes robuſtiores, robuſtiores etiam fœtus generabant. Bis enim pariebant quotannis. In ſerotina ſive autumnali admiſſura nulla eſt ars adhibita, ut *Labano* tantùm infirmiores naſcerentur. Ægre *Labanus* tulit hanc *Jacobi* felicitatem, etſi cauſam artémque ignorabat. Mutare vices viſum eſt. Ipſe optat ſibi varias oves; albas, ut ſteriliores, *Jacobo* relinquit. Sed *Jacobo* albæ non minùs erant fœcundæ. Illi ex variis uno ſimul anno procreatur albarum grex. Iterum ac ſæpius, imò decies conditionem variat *Labanus.* At pari ſemper minúſque pro-

arte utiliſſimum fit.

Proſpero ſucceſſu. Videt hominem Deus invidentem *Jacobo*. Itaque in ſomnis *Jacobum* excitat, cùm vice jam poſtremâ varii coloris pecudes ſorti ejus obveniſſent, *A.M.* ac oſtentat arietes varios, maculíſque infectos, toti penè ovium inſultantes gregi. Ità 2258. ſpem facit, invidiam *Labani* minimè obfuturam.

§ 14. Poſt *Leucippum Ægialenſibus* imperavit *Meſapus* an.47.

Phoroneus in *Argolide* 60 dominatus annos fato ſuo functus eſt. Honores ei tan- *A.M.* quam Heroi parentando ad ſepulchrum dati ſunt. Et in *Lycii Apollinis* templo apud 2262. *Argivos* refert *Pauſanias* (in *Corinth.*) ignem accendi ſolitum, quem *Phoronei* ap- Poſt *Pho-* pellabant. Illi enim inventum Ignis, non autem *Prometheo*, acceptum referebant. *roneum*, Et *Phoroneum Hyginus* (Fab.225.) templum ait *Junoni* poſuiſſe *Argis* primum. Uxorem habuit *Cerdo*, cujus fuiſſe monumentum *Argis* narrat *Pauſanias* : (ibid.) & filias duas, *Nioben*, atque *Lariſſam*, cujus arci ſuæ nomen ab *Argivis* datum eſt : filios verò tres, *Carem*, *Europem*, & (ſi *Euſebio* credimus in Chronicis) *Spartonem*, (quod *Pauſanias* negat,) qui *Spartam* condidit in *Laconia*. At aliam poſthac ejus urbis ac nominis conditricem reperiemus. Fratrem *Phoronei* ait *Stephanus* fuiſſe. Alius filiorum *Europs*; cujus *Hermion* filius urbem in *Argolide* maritimam, *Hermionen*, condidit. Sed patrem *Europs* funere prævertit. *Car*, patriâ relictâ, *Megaris* in cujus filius *Achaia* regnum inſtituit, arcémque conſtruxit. Eam poſteris quoque temporibus *Car Mega-* *Cariam* vocabant. *Cereri* etiam templum poſuit magnificum, quod *Megaron* ap- *ris* regnat. pellabant, unde in urbem tranſiit nomen. Caput erat hæc regiunculæ inter *Eleuſinios Atticæ* atque *Corinthios*, ad *Saronicum* ſinum pertingentis, ubi *Niſæam* habuit navale, quæ adverſam proſpiciebat inſulam *Salaminen*. *Atticæ Plinius Megarin* attribuit: (lib.4.7.) ac imperio *Athenienſium* paruiſſe diu conſtat, donec eam *Dorienſes*, *Peloponneſo* jam ſubactâ, ſui juris effecêre. Magna urbs & frequens, à littore ſemota ſtadiis 18. Sed portus & emporium *Niſæa* muris duobus annexa urbi, quorum præſidio tutus hinc indè commeatus fuit. Ad Boream longi montium tractus, quos antiquitus *Oncos* vocabant, *Megarin* à *Bœotia* dirimebant. *Onci* præcipuè ſaxáque *Scironia*, latrociniis quondam infamia, exaſperabant hoc ſolum, reddebántque minùs fœcundum. Ubi *Scironiis* ab ora littorali procurrentibus *Onci* occurrebant, reliquam fecêre viam peranguſtam difficilémque in *Atticam*. Reliquis nobilior *Gerania* mons, & *Pagæ Ægoſthenáque* oppida, hanc ornabant regionem. Poſt *Phoroneum* tertio loco regnaviſſe *Apis* dicitur (in *Euſebii* Chronicis) an.35: quem *Pauſa-* *Apis* impe- *nias* regem non agnoſcit. Et alii hunc *Niobes* filium volunt eſſe; *Apollodorus* fra- rat *Argi-* trem, ex nympha *Laodice*, vel *Telodice*. Virum potiùs aliqui conjiciunt, & *Argi* *vis*. patrem, adminiſtrâſſe imperium quoad filius adoleviſſet: deinde, relictâ *Græciâ*, in *Ægyptum* navigâſſe ad popularem, & fortaſſe cognatam, *Io*: ejus ope operâque ad magnas accreviſſe opes, ac imperium, ac divinitatem denique. Nam ut *Iò Argivam*, *Iſin Ægyptiam* eſſe volunt, ſic *Apin* hunc *Serapin* deum, & *Memphis* conditorem. (*Clemens Alexandr.* Stromat.1. *Euſeb.* &c.) Sed mihi credibilius videtur, ficta fuiſſe à *Græcis* hæc omnia, nominis gratiâ, ut aliquam ſibi captarent gloriam ex rebus *Ægyptiorum*, quomodo ex *Græcorum Ægyptii* conabantur. Nam & *Memphin* jampridem conditam, & religionem de *Apide* jampridem conſtitutam, diximus in *Ægypto*; de *Serapide* nondum inventam, cujus longo poſt hæc tempore ignotum fuit ipſis *Ægyptiis* numen. Nec ſimiliora vero quæ *Apollodorus* alio tradit modo: *Apin* regnaviſſe quidem, ſed inſolenter ac ſuperbè dominatum, peninſulam à ſe *Apiam* vocâſſe. Tandem *Telexionis* atque *Telchinis* proditum inſidiis, ac ſublatum ſine prole, inter deos tamen relatum *Serapidis* nomine. *Græcanicum* ergò numen *Serapis*, non *Ægyptiacum*. At *Euſebius*, cùm *Ægialeum* fratrem præfeciſſet *Achaiæ*, ipſum ait cum populo in *Ægyptum* navigâſſe. Et ex *Rhiano* Poëta docet *Stephanus*, urbem ab eo *Apiam* appellatam, non peninſulam, & cives *Apidonas*.

§ 15. Arte ac induſtriâ ſuâ *Jacobo* mirificè opes jam accreverant, brevíque tempore, Divinâ benignitate, divitiis auctus eſt maximis. Multos caprarum ſibi ovium- *A.M.* que greges, aſinos etiam & camelos, necnon ſervos & ancillas, cumulavit. *Labanus* 2265. quidem conduxerat operam *Jacobi*, mercedem verò perſolvit Deus. Tam ſubita ho- Invidenti- minis incrementa haud patienter tulerunt *Labanici*. Fremere omnes ac murmurare, bus *Laba-* ſocerum à genero ſpoliatum; ſui patris damno diteſcere *Jacobum*. Nec *Labanus* *nicis*, *Ja-* quâ ſolebat fronte, hilari & exporrectâ, intuebatur generum; ſed contracto vultu & *cobus* ſevero, hominis neſcio quid ſuſpicantis, & machinantis mali. Mali tamen nè quid faceret prohibuit Deus. Miſera utrinque bonorum conditio eſt. Si minùs lætæ res,

A.M. 2265.

contemptu, ſin proſperæ ſint, invidiâ laborant. Dum hæc *Jacobus* agitabat ſecum, (obſervârat enim ſæpius,) haud ulteriùs illic ſibi permanendum cenſuit. De fuga cogitat; cùm repentè vocem de cœlo appellantem ſe audit, *Jacobe.* Cùm reſpondiſſet, adeſſe,atque exſpectare ſe quid vellet; eadem vox, "*Ego, quem audis*, inquit, "*ille ſum quem Bethele vidiſti Deus, ubi lapide unctio mihi votum nuncupâſti.* Ego jam te "ut *diſcedas hinc, in patriam Canaanitidem ad patrem & propinquos ut* properè *diſcedas* "moneo. Nè quid verò mali metuas. *Ego tibi præſens Numen ubique ſum adfuturus.* Hæc ad *Jacobum* Deus. Ille confirmatus jam, & certus eundi, uxores ad ſe accerſit in agrum, ubi magìs erant ſecreti ſermones futuri, pertentaturus de fuga. Narrat paucis, contumelioſa dicta fratrum, patris facta & immutatum erga ſe vultum, Dei poſtremò narrat mandatum. Itaque ſe ait fugam apparare; quid illæ cenſeant ſuadeántve, petere. Uxores, quæ de fuga dixerat maritus, facilè amplectuntur. "*Quid enim*, inquiunt, *nobis jam cum patre ſit, quâmve ab eo dotem exſpectemus*, "qui viro nos non locavit, imò nè dedit quidem, ſed magno pretio *vendidit?* Tuæ "ſumus. Perſequemur te,in quaſcunque terrarum plagas præeunte nos Deo duxeris. Rato igitur fugæ conſilio, domo quæ ſua erant omnia clàm efferunt in agrum. Nec ſua tantùm *Rachel*, ſed patris etiam Teraphæos abſtulit. Minuta erant hi, ſive hominum,(1 *Sam.*19.13.) ſive aliarum rerum, ſimulacra, quæ *Labanus* pro diis penatibus venerabatur. (*Jud.*17.5.) *Græcum* igitur θεραπεύειν, quod *colere* deos ſignificat, ab his *Teraphæis* deductum aliqui opinantur. Peregre interim *Labanus* ovibus tondendis operam dabat, (opportunum hoc tempus captaverant,) haud facilè dimiſſurus generum ſi adfuiſſet. Sed quâ mente *Rachel* ſuffurata ſit idola patris, id verò haud facilè demonſtratur. An ut patrem à cultu idolorum revocaret, ſurreptis quos colebat diis? Ità quidem Rabbi *Solomon Judæus.* Sed præſtabat confringere, aut concremare, aut abjicere in flumen. Sibi certè non ſervâſſet, nec tam pium conſilium celaviſſet maritum, nec ille morte dignum cenſuiſſet. Denique, *Labanus* facilè nova ſibi vel fabricâſſet, vel emiſſet idola. An pro mercede has imagines auferre libuit, ſuâque dote, quâ *Jacobum* fraudaverat *Labanus?* Ità *Judæorum* alii. Nam ex auro fictas fuiſſe aut argento fingunt. Sed neque certum eſt hoc, neque illud certè licitum. An prohibere voluit nè pater, imaginum iſtarum adminiculo, divinaret, ac reſciſceret viam fugæ? Sic *Aben Ezra* & alii; qui imagines has ab Aſtrologis fictas humanâ ſpecie volunt, aut ipſa fuiſſe capita hominum primogenitorum amputata & condîta, quò faciliùs caperent ſiderum influxus, & futuras proderent obſcuráſque res. Sed & modum aliqui tradunt conſecrandi eaſdem ſpiritibus malis, non niſi certo ſiderum ſitu, qui loquendi poterat conferre imprimeréque vim. De rebus certè abſconditis homines profanos conſuluiſſe hos deos, indicare videtur Propheta *Zacharias*, (10.2.) *Teraphæi mendacia locuti ſunt:* & *Ezechiel*,(21.21.) Sed utcunque *Labanus* coluerit idola, hariolum fuiſſe nullo modo conſtat. An ut patris iram deprecatura, ſi fugientes conſequeretur fortè, ad has confugeret, ideo ſurripuit *Rachel?* quæ *Joſephi* conjectura eſt. At ſi id voluit, abſcondere non debuit; cúmque poſcerentur, pernegare. An res pretioſas avaritia impulit ut ſurriperet? an ſuperſtitio potiùs inveterata, ut haberet aſſuetos familiaréſque ſibi quos adoraret deos? Id *Chryſoſtomo* placet maximè; (Homil. 57.) ídque meritò ſuſpicari licet.

clàm fugit unà cum uxoribus in *Canaanæam.*

——*Adeò à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Ægre deponimus quæ à pueritia imbibimus. Aliqui, *Rachelem* excuſaturi, has majorum aiunt fuiſſe imagines *Labani*, quas, à patre quidem cultas, ad retinendam recolendámque proavorum ſuorum memoriam filia ſubduxit. Et ad raptum uſque *Dinæ* Teraphæos iſtos retinuiſſe apud ſe *Rachelem* ex *Gen.*35.4. conjicitur. Ut redeamus ad *Jacobum:* Tridui jam iter proceſſerant, cùm de fuga generi nuncius defertur ad *Labanum.* Ille diſceſſu clandeſtino conturbatus, & magnam ſuſpicatus fraudem, ſcrutatur omnia, ut cognoſcat numquid è ſuis rebus ablatum à *Jacobo* deſideretur. Deſiderari ſentit ex omnibus nihil, præterquam deos miſellos, qui ab injuria vindicare ſe non poterant; quantò minùs cultores ſuos? Fratrum igitur atque ſuorum properato agmine inſequitur *Jacobum*, & in monte *Gileadis* abeuntem die tandem ſeptimo conſecutus eſt. Moram Deus intercedere volebat, quâ hominis furentis ira flagrans deferveſceret. Interea monuit quoque hominem in ſomnis, ut caveret, nè aſperiùs compellaret *Jacobum*, nè aut blanditiis conaretur aut minis revocare in *Meſopotamiam.* Sine hac monitione, cohibere potuiſſet Deus etiam nocendi voluntatem.

Perſequitur *Labanum.*

Sed

Sed innoteſcere potiùs homini voluit impio, quantæ pii ſibi curæ forent. Cohibere potuiſſet etiam à perſequendo. Sed *Jacobum* quoque ſcire maluit, Deum illi (quod promiſerat) præſidio non deeſſe, ad confirmandam ejus fiduciam, & gratitudinem excitandam. Utriuſque igitur in *Gileade* caſtra ſunt fixa, hîc *Labani*, illic *Jacobi*. Nec minorem hîc lætitiam & triumphum audîſſes, quàm trepidationem illic & tumultum. Non auſus tamen lædere, gravi tantùm querelâ inſectatur generum *Labanus*: "Quòd ſervus, & mercede conductus à ſe, clam ſe aufugiſſet; "quòd ſuas natas, quaſi bello captas, abegiſſet prædonis more; quòd nè ſalutandi "liberos, ac valedicendi, feciſſet ſibi poteſtatem, cum lætitia & conviviis dimiſſuro "ſi noviſſet; poſtremò, quòd non modò ſervum domino, & patri liberos, (quod "parentum ſuorum deſiderio ſit excuſaturus fortaſſe *Jacobus*,) verùm & cultori ſuos "deos, ſacrilegio inexcuſabili, ſuffuratus eſſet. Sibi non deeſſe vires ad vindican- "dam hanc injuriam. Sed patris ejus prohibuiſſe in ſomnis Deum ſe, nè quo verbo "duriore offenderet, aut blandiendo minandòve reducere niteretur in *Meſopotamiam*. Hæc *Labanus* graviter eſt magìs quàm verè apud generum conqueſtus. Ad hæc *Jacobus* modeſtè, ut ſolebat, "aufugiſſe quidem ſe clàm fatetur; ſed veritum, nè for- "tè, ſi conſilium diſcedendi prodidiſſet, ſuas pater filias, viro ſibi conjuges abſtu- "liſſet. Quòd autem furti arguat, imò ſacrilegii, perluſtrare jubet ac perſcrutari "omnia. Si quid è ſuis rebus inveniret, ſibi tolleret. At quicunque deos furatus "eſſet, capite lueret tam nefarium ſcelus. Ità præcipiti judicio (nec enim noverat quid feciſſet *Rachel*) ſuam ipſe damnat chariſſimam uxorem. Ut quiſque eſt optimus vir, ſic alios minimè ſuſpicatur eſſe malos. Cujus ipſe erat ſibi conſcius, eandem in ſuis innocentiam facilè quidem credit eſſe *Jacobus*, ſed temere. Pro fide aliena ſpondere noſtram, non tam pium eſt, quàm periculoſum. Explorare igitur oportet examinaréque priùs, quàm de rebus incertis pronunciare ac parùm notis. *Labanus* in aliis, *Jacobi*, ancillarum ac *Leæ*, tabernaculis cùm luſtrâſſet contrectâſſétque omnia, pervenit denique ad *Rachelem*. Ea patris abdiderat idola ſub clitellis camelorum: (vel, in ſtramentis, ut legunt alii:) iiſdem ipſa quaſi menſtruis laborans inſidebat. Quare veniam præfata quòd aſſurgere patri non poſſet, impoſuit planè vaferrimo ſeni, & quaſi corvum deluſit hiantem. Subitum hoc erat muliebris aſtutiæ conſilium; nec tamen ſine Divina ope. Suos enim non deſerit Deus, etiam ſuâ culpâ laborantes: verùm ex iis plerumque ipſis liberat periculis, quæ ſuis contrahunt ſibi peccatis. Ità bonitate ac ſapientiâ ſuâ noſtram corrigit ſtultitiam. Cùm è ſuis omnino rebus nihil inveniret *Labanus* ullibi, tantâ ſcrutatus diligentiâ, juſtam *Jacobus* objurgandi cauſam nactus, liberiùs fortaſſe quàm par fuit in ſocerum invectus eſt. Et, "*Quod*, inquit, *ego tantum in te crimen admiſi*, ô ſocer, *ut me* "*vi & armis perſequendum duxeris?* Mihi fidem ademit omnem tua ſuſpicio gra- "vis. Præter officium boni viri, mea perſcrutatus es omnia. *Si quid eſt repertum* "*è tuis, proferatur. Fratres cognatique videant, cognoſcant, & judicium dent. Vi-* "*ginti ſimul annos egi ſervum apud te*, ac, —*Liceat mihi vera fateri*, fidelem tibi "utilémque ſervum egi. Curavi ut pecora tibi fœcunda eſſent. Neque tamen ex "tanta fœcunditate mihi quicquam ceſſit vel ad victum. Quin & furum atque fe- "rarum injurias à me præſtari, ſatìs iniquâ lege conſtitutum eſt. *Si quid vel ab iſtis* "*ſurreptum, ego reſtitui; vel ab his laniatum, ego penſavi. Curando & vigilando,* "*noctu interdiúque, Solis æſtum pertuli, frigoriſque vim*, tui ſolius commodi causâ. "Nam quæ merces mihi, quis tot laborum à te ac moleſtiarum fructus? *Annis* 14 "nihil præter magnum in *uxores duas, quæ tuæ quidem ſunt filiæ*, compluréſque "liberos, ſumptum *commeritus aut lucratus ſum*. Tertio demum ſeptennio, *ſtipen-* "*dium ex pecude* pactum eſt, ſi quo me Deus dignaretur. Sed nè quid lucrarer, né- "ve diteſcerem apud te, *ejus mihi ſtipendii decies mutata eſt conditio. Quod ſi pa-* "*trum meorum, Abrahami & Iſaaci, Deus, laborum tot ærumnarúmque miſertus, non* "*adfuiſſet mihi*, tuíſque obſtitiſſet inceptis, *nudum me jam ſpoliatúmque bonis om-* "*nibus dimitteres*. Ità *Jacobus* acriter in ſocerum vociferatus eſt, vel ſuâ fretus integritate ac meritis, vel auxilio Dei. Ad hæc *Labanus*, "Imò verò malè narras, in- "quit, mi gener. *Mea quidem ſunt*, mihíque debes, *hæc omnia, uxores, liberos, oves, ca-* "*melos, & quæcunque tibi ſunt alia*. Inops enim ad me rerúmque nudus omnium "adveniſti. Omnia tamen filiarum ac nepotum gratiâ condonaturus tibi ſum. "Neque enim ſpoliaturus te accedo, ſed ut fœdus mutuum ineamus. Meticuloſi erant blandimenta hæc, non pacifici hominis; & ultionem aliquando tot fraudum à re-

A.M. 2265.

Jurgium utrinque;

A.M. 2265.

ſed mox & fœdus fit.

reduce in patriam *Jacobo* pertimeſcentis. Non è ſua tamen fraudum conſcientia natum hunc timorem ſimulat; ſed ex *Jacobi* protervia & malignitate potiùs, quæ ad pactionem hanc fœderíſque leges, hominem ſe probum ſcilicet & quietum, adegerit vel invitum. Sed *Jacobus*, placido mitíque animo vir, ut primùm audivit de fœdere, quaſi oblitus repentè injuriarum, primum ipſe allevat ſaxum, ſtatuítque columnam mediam. Cognatos autem qui aderant rogat, cumulum ut congerant lapidum ad columnam ſuam, qui mutuæ obligationis fideíque ſit vinculum, & poſteris quoque monumentum hujus fœderis. *Labanus* per *Abrahami*, per *Nachoris*, per *Tharæ* quoque deos jurat. Quò enim plures adhibent deos impii profaníque homines, eò ſe magìs religiosè ac abunde aliis caviſſe jurando videri volunt. Unicum *Jacobus* advocat, quem pater *Iſaacus* reverebatur, Deum *Jehovam*. Capita hujus pacti eſſe duo *Labanus* voluit: alterum, quo filiabus caveret; alterum, quo proſpiceret ſibi. Filiabus, nè in longinquam abductas regionem novis uxoribus affligeret ac vexaret. Nam id ſi fieret, etiam ignaro ſe, hujus teſtem fœderis viſurum & vindicaturum Deum. Sibi autem cavit, ſanciendo, neutrum ultra hos limites debere, ultra cumulum hunc ſtatuámque, in alterius tranſire fines, ad damnum aliquod inferendum aut malum. Tumulum igitur hunc *Labanus Syriaco* nomine *Jegar-Sagadutha* vocat; *Jacobus* voce *Hebraïcâ Gileadem* appellat, eodem ſenſu. Nam utrumque nomen ſignificat *Congeriem* ſeu *Tumulum* teſtimonii. Aliud nomen *Labanus* addit *Mizpa*; id eſt, *Specula. Dominum enim ex hoc tumulo*, dixit, *quaſi è ſpecula, proſpecturum, ſi procul etiam diſſiti violarent pactum hoc.* Multo cum ſtrepitu verborum acta ſunt hæc à *Labano*, ut à ſe rejiceret averterétque omnem culpæ ſuſpicionem in generum veterator nequam. Quaſi verò nullum eſſet ſatìs firmum, quo malitia *Jacobi* teneretur, vinculum. Adeò maligna ſunt hypocritarum ingenia; qui tum maximè cùm alios obruunt injuriis, non ſolùm videri volunt viri boni, ſed eos ipſos, quos opprimunt, fraudum ſuarum ſuſpicione onerant. *Jacobus* tamen oblatâ Deo victimâ, vel pecore ſaltem cæſo ad convivium, (nam convivium inſtituit,) celebrandum ſibi hoc fœdus putavit. Manè proximo *Labanus*, cùm filias & nepotes oſculo pro more ſalutâſſet, ac paternâ impertiviſſet benedictione, rediit in *Meſopotamiam*. *Jacobus* verò, ex maximi periculi metu cœleſti præſidio liberatus, gratias Deo quàm maximas egit. Lætus indè in *Canaanitidem* penetraturus erat. Ecce autem Angeli occurrunt è cœlo, quaſi exercitus duo armis inſtructi, & circumfuſo agmine propugnaturi *Jacobum* undique. Ille protinus ut conſpexit, *caſtra Dei* eſſe acclamavit. Locum propterea denominavit *Mahanaïm*. Id enim *caſtra* ſignificat *plura*. Videre Deus *Jacobum* id voluit, quod plerique noſtrûm, etſi non videamus, tamen experimur indies, certò præſtare ſuis Dominum quæ pollicetur; præcipere Angelis enim, ut viros bonos rectâ pietatis incedentes viâ cuſtodiant; (*Pſal.* 91. 11, 12. *Hebr.* 1. 14.) Angelos huic parêre mandato, & metari caſtra ubi præſidio ſint piis. (*Pſal.* 34. 7.) Intelligere Deus hinc *Jacobum* voluit, non fortunæ tribuendam, non prudentiæ ſalutem & incolumitatem ſuam, ſed præſidio Divino. Nam hæc eſt filiorum Dei diſciplina, dum in hujus mundi ſchola inſtituuntur; A malis atque periculis liberantur ſemper, nunquam liberi ſunt. (*Pſal.* 34. 20.)

Exercitus Angelorum confirmant *Jacobum*;

——*Finis unius mali Gradus eſt futuri.*

A ſocero *Jacobus* ægre placato, ad fratrem infeſtum pergit. Quid enim ab eo redux jam æquum ſperet, cujus metu & minis in exſilium eſt fugatus? Ad paternam domum ſubrepere clanculùm, nec ſciente nec ſalutato fratre, haud ſatìs tutum videbatur. Quippe ſuſpicionem prodidiſſet ac metum animi malè ſibi conſcii, ac fatentis reum ſe. In montibus qui vocabantur *Seiris* habitabat nunc *Eſavus*; quam regionem ab ejus *Edomi* nomine poſtea *Idumæam* appellârunt. *Torniellus* (A.M. 2319.) tres enumerat ex *Brocardo Seiris* qui dicebantur montes: unum in *Palæſtina*, (*Joſ.* 15. 48.) qui tamen illic nuſquam reperitur; alium in *Gileade*; (de quo *Joſ.* 11. 17. & 12. 7.) tertium, ſeu tertios, inter Mortuum Rubrúmque maria. (*Numer.* 24. 18. *Deut.* 1. & 2. & 33. 2. *Jud.* 5. 4.) Ex his, ille *Seiris* in *Gileade* montes *Eſavum* tenuiſſe vult; quippe fratri jam à Septentrione redeunti multò propiores. Sed utcunque propiores *Jacobo* nunc, at à *Beerſheba* & *Iſaaco* remotiſſimi erant, ſi qui erant. Neque credibile videtur, *Eſavum* tam procul à patre, affinibúſque omnibus, nullam quæ nota ſit ob cauſam profecturum. Et hi *Seiris* montes in *Idumæa* fuerunt, ea ſcilicet regione quæ poſtmodum *Idumæa* dicta eſt. At nulla unquam in *Gileade*

reperta

reperta eſt *Idumæa.* Neque verò dubium eſt, quin eos incoluerit *Eſavus Seiris* montes, quos ipſe *Seir* (à quo montibus nomen) & *Horæi* tenebant; (*Gen.* 36. 20.) unde uxorem ipſe duxerat *Abolibamam*, (ibid.v.25.) ejúſque filius *Eliphaſus* concubinam *Timnam*; (ibid. v. 12. & 22.) quíque *Iſaaco* & *Beerſhebæ* admodum propinqui erant. At hi à tergo inferioréque parte Mortui maris (*Gen.*14.6.) ad ſinum uſque *Arabicum* pertinebant. (2 *Chron.*8.17.) Eò igitur præmittit nuncios *Jacobus*, qui pertentent animum fratris, depoſuerítne odium vetus; enarréntque, commoratum ſe hactenus apud *Labanum* in *Meſopotamia*: in patriam redire jam primò: nec inopem redire, qui ſuis vel oneri ſit futurus, vel pudori; ſed boves & oves afferre, aſinos camelóſque, ſervos & ancillas denique. Servum hæc ei ſe nunciare, ut *Eſavi* domini ſui gratiam conciliet. Cùm, redeuntibus legatis, nihil audiret niſi de armis & vi, *Eſavum*, ſcilicet, unà cum exercitu hominum 400 propediem adfuturum, in maximum timorem conjectus eſt, peſſima quæque augurantem, & augentem in pejus malum. Ità in rebus optimorum quoque virorum

A.M. 2265.

Eſavi terrent.

——*Invicem cedunt dolor & voluptas.*

Angelorum caſtra conſolabantur modò, nunc hoſtium terrent *Jacobum.* Quò confugiat in his anguſtiis, niſi ad cœleſte auxilium, non habet. Itaque Deum precibus importunis adoritur. "*Patrum*, inquit, *meorum Abrahami & Iſaaci Jehova* "*Deus, qui ut redirem huc, ad patrem & propinquos ut redirem imperâſti, te mihi ad-* "*futurum pollicitus, & omnia donaturum bona*; *equidem fateor me indigniſſimum* "*eſſe tantâ miſeratione, quantámque ſæpe jampridem ſum expertus gratiâ. Pedes enim* "*cum baculo*, ſolus & inops, *trajeci Jordanem hunc*: *Cum duabus* hominum peco- "rúmque *turmis redeo.* Nunc, nunc itaque laboranti mihi ſuccurras, benigniſſime "Deus. *A fratris vi & impetu ſalvum tuere incolumémque me.* Maximi periculi "maximo *ſum perculſus metu*, nè homo truculentus, veteris memor ſimultatis, *ma-* "*tres unà cum filiis miſerrimâ internecione tollat.* Nihil eſt in me opis, auxilii nihil. "Niſi tu clementiſſimè ſubvenias, actum eſt. Audaciſſimè facio, qui tantam com- "pello & imploro majeſtatem, miſellus homo. Non ego meis meritis aut dignitate "fretus hæc ad te; ſed tuâ unius bonitate ac fide, qui *pollicitus ultro es, te mihi be-* "*nedicturum, & daturum progeniem, cujus arenæ par multitudo futura ſit.* Hanc "mihi qui feciſti ſpem, foveas eandem, ô mi Deus, obſecro, & ab hominis immaniſſi- "mi ſævitia integram conſervato. Poſtquam cœleſte Numen propitium ſibi reddidiſſet, ſi quid humano conſilio fieri poſſet, haud negligendum exiſtimavit. Ac primò, conſultum videbatur, muneribus captare benevolentiam fratris. His enim ferociſſima nonnunquam ingenia pacari ſolent ac miteſcere. Quæ igitur parata & ad manus habuit, duos greges, ac tria variorum pecorum armenta, præmittenda cenſuit ad colligendam fratris gratiam: ſed in ordines quinque diviſa, & diverſis agaſonibus tradita. Primi ordinis erant capræ 200 cum hircis 20; ſecundi 200 oves cum 20 arietibus; in tertio lactantes cameli unà cum pullis 30; deinde 40 vaccæ cum juvencis 10; poſtremò aſini 20 unà cum 10 pullis. Pluribus enim donis ordine quodam ac ſpatio interpoſito ſuccedentibus, & iracundiæ aciem poſſe retundi, comminuíque paulatim ſævitiæ vim ac debilitari, putavit, quæ uno muneris, quanquam ingentis, impetu haud ità facilè poſſent expugnari. Servis autem ſingulis præcepta quoque data ſunt, ut *Eſavo* interrogante, *Cujum pecus?* reſponderent, "*Ecce pecus Jacobi quidem ſervi tui, dono autem Eſavo domino ſuo miſſum*, fraterni "amoris & obſequii pignus. Ipſum porrò adeſſe ac ſubſequi *Jacobum.* Mediâ nocte, nè adventus *Eſavi* vel turbaret ſuos tranſeuntes, vel impediret, unà cum uxoribus, ancillis, liberis, pecoréque omni, vadum trajecit fluminis *Jaboci*, & in *Ammonitarum* aſcendit regionem. Ipſe autem in ripa fluvii citeriore pernoctavit ſolus. Quorſum verò illic? An alicujus negotii? an ardentiùs precandi causâ? An eò retraxit retinuítque Spiritus Dei? Mira certè accidit illic res, ac penè incredibilis. Humanâ ſpecie Angelus, vel potiùs Dei Filius, (*Hoſ.* 12. 4.) ad auroram uſque cum *Jacobo* luctatus eſt. Neque animi contentio hæc & ſpiritualis, ut opinantur aliqui; (*Origenes, Hieronym. Procopius Gaz.* &c.) ſed corporis & virium fuit. Cùm autem nollet ſuperare Deus fortiſſimè repugnantem *Jacobum*, (imbecillioris enim hominis formam induerat,) nè tribueret ſibi nimium tamen, iſchium femoris tactu luxatum eſt, & nervus contractus ille, quo cum acetabulo & cotyla coxæ ligatum cohærebat. Id facilè ſenſit pius vir non humanis viribus factum. Tum, quaſi pertæſus

Precibus ergò Deum,

muneribus adoritur *Eſavum.*

Luctatur cum Angelo.

A.M. 2265. tæſus pugnæ minùs proſperæ, dimitti ſe, aurorâ jam appropinquante, Angelus rogat. *Jacobus* verò, quaſi certus victoriæ, niſi benedictione priùs impetratâ, dimiſſurum ſe negat. Eò ſe Deus facilè cogi paſſus eſt. Quare ut anſam indè benedicendi arriperet, hominis popoſcit nomen. *Jacobum* ut audivit; "Imò verò poſthac *Iſraël* appellaberis. Superior enim Deo cùm ſis, hominum longè faciliùs victor evades. Hoc erat nimirum quod ſcire *Jacobum* voluit cœleſte Numen, ac diſcere ex hac pugna, Hoſtes illi non defuturos quibuſcum confligaretur è ſuo genere ac gente; neque tamen pertimeſcendos: victorem enim omnium aliquando *Jacobum* fore. Hâc tantâ gratiâ nondum ille contentus, Dei quoque nomen ſciſcitatur: qui hominis curioſi non tulit hanc familiarem nimis percontationem. Et, *Quid*, inquit, *tibi cum nomine meo?* Quare paucis benedixit, ac protinus evanuit. Magnum & glorioſum *Jacobo* viſum eſt, certâſſe cum Deo. Nè præclari facinoris interiret memoria, victurum loco nomen impoſuit, *Penuel*, hoc eſt, *Facies Dei*. *Dei* enim ſe *faciem conſpicatum* dixit, *& tamen vivere*. Quod ſingularis gratiæ argumentum magna cum admiratione, gratitudine ac lætitia prædicabat, nominéque hoc celebrabat novo. Tum demum, cùm exorto jam Sole ad ſuos diſcederet, remiſſo contentionis ardore, femoris dolore impediri ſenſit greſſum, & claudicare ſe. Unde factum poſtea, ut ejus poſteri, reliquum eſuri pecoris cadaver, hoc ſemper de cœlo tacti femoris nervo abſtinuerint. Morem hunc, ab ipſo *Jacobo* cœptum obſervari, tranſiiſſe ad poſteros, *Joſephus* tradit. (Antiq.1.19.)

Quod ex victoria eſt adeptus nomen *Jacobus*, timorem nimium prohibebat, ſed non prudentiam. Ut *Eſavum* igitur appropinquantem vidit, in duo partitus eſt agmina familiam univerſam. Ac in primo quidem ancillas cum ſuis filiis, & aliqua pecoris atque paſtorum parte, collocavit. Alterum, ſed longo intervallo poſterius, habuit uxores; primò *Leam* unà cum liberis ſuis, poſtremò *Rachelem* & *Joſephum*, cum reliquo pecore ac paſtoribus. Ipſe omnium dux in primo agmine primus incedebat. Hoc autem conſilio in ordinem hunc diſtributa erat familia, ut ſi fortè primum *Eſavus* agmen ferro invaderet, poſterius evaderet fugâ. Cautè quidem hæc, ſed fruſtrà. Aliter enim longè accidit res quàm exſpectabat *Jacobus*: Omnem ſuperavit ſpem eventus felix. Primò enim, ut propitium ſibi faceret, reverentiam fratri quàm potuit humillimam, corpore ſepties incurvato, exhibuit, ſupplicantis more. Contrà, *Eſavus* ille formidoloſus, ut propè in conſpectum venit, protinus in complexum ruit, in complexu hæſit, & projectus in collum oſculatus eſt. Amore ac pietate mutuâ certabatur, non ferro, non vi. Ac nè lacrymas quidem cohibere potuerunt, longi deſiderii gaudiíque teſtes. Accedebant ancillæ, mox & conjuges, cum liberis; quæ, demiſſis in terram corporibus, honore ſummo *Eſavum* proſecutæ ſunt. Et, *Hi ſunt* (*Jacobus* refert, quærente fratre,) *quos mihi Deus dedit* in *Meſopotamia liberi*. Sed ut acciperentur munera, impetrari ab *Eſavo* vix potuit. Sibi enim abunde rerum eſſe omnium dixit. Itaque ſibi ut frater etiam haberet ſua, magnopere contendebat. At ille tam inſperatâ fratris humanitate recreatus mirificè, quem ferocem animo ſibi finxerat, iracundum, implacabilem, jam inſtat vehementiùs, & pro magno ait munere habiturum ſe, ſi parvum hoc dominus ſuus, optimúſque frater, acciperet munus. "Quid enim? Tantóne viro, "qui homuncioni miſello itinere tanto dignatus es mihi prodire obviàm, nullas ego "rependam gratias? *cujus amicus benevolúſque vultus inſtar Angeli cujuſdam affulſit*, "unde mihi

Tandem occurrit Eſavo.

——— *Gratior it dies, Et Soles meliùs nitent?*

"Hæc autem ipſa quæ tibi do, non niſi dona ſunt Dei. Sine me, obſecro, benedictionis Divinæ participem ut faciam te. Mihi enim pecora ex omni genere plurima ſuperſunt, ut nullus quidem ſubeſſe metus poſſit, nè ſpolies me tantillo munere. His tandem & hujuſmodi verbis, renitentem adegit fratrem ut acciperet. Peractâ ſalutatione, procedendum *Eſavus* monet. Præiturum ſe cum exercitu, ac fratrem in *Idumæam* deducturum; quin & domi ſuæ in monte *Seiris* liberaliter habiturum. *Jacobus* nondum ſecurus, ipſam ſuſpicabatur benignitatem fratris. Aut ſubverebatur fortaſſe, nè diutiùs cum *Eſavo* converſatus, offenſis novis veterum ſimultatum refricaret cicatrices. Quare deprecatur moleſtiam hanc. Sibi enim plurimos eſſe ait agnos hœdóſque, necnon pueros tenellos, pecudéſque fœtas & prægnantes, quæ tantam itineris feſtinantiam tolerare non poſſint; *Eſavo* tamen faceſſere

moram

moram non debeant. Frater ut pergat cum ſuis, ac redeat in *Idumæam*, obteſtatur. Se pedetentim, & quo greges ferre poſſint ſubſecuturum paſſu, ac in monte *Seiris* tandem conſecuturum. *Eſavus* igitur, ſi frater nollet comitari ſe, tamen è ſuis aliquos relicturum dicit, qui tum præſidio, tum duces itineris forent. Imò fruſtrà & id fieri *Jacobus* reclamat. Viæ peritiſſimum ſe, ac Dei ſui præſidio tutum. Cùm nihil eſſet quo fratri *Eſavus* gratificari poſſet, in *Idumæam* exſpectaturus *Jacobum* properat cum exercitu. Is verò, paululùm indè promotis caſtris, & domum ſibi conſtruxit, gregibúſque tabernacula; quæ cùm *Succoth* dicantur *Hebraïcè*, id poſtea nomen affixum eſt loco. Sex, opinor, pluréſve illic moratus eſt annos *Jacobus*. Tandem aliquando trajecit *Jordanem*, ac, Divino fortaſſe monitu, longè aliâ quàm quâ frater viâ præceſſerat, *Sichemum* in *Canaanæa* ſalvus cum familia omni & incolumis pervenit, nullum hactenus incommodum paſſus in via. Id enim *Salem* videtur ſignificare: quod tamen proprium hujus eſſe urbis nomen aliqui volunt, (*Calvin. Mercer.* &c.) quæ à *Sichemo Hemoris* filio poſtea *Sichemum* ſit denominata. (*Act.7.16.*) Sed in urbe locus deerat tantæ capax familiæ ſubſtantiæque. Quare agrum in quo ante urbem caſtra metabatur, nummorum 100 pretio, à filiis emit *Hemoris*, viri principis in ea civitate. Sunt qui totidem agnis, non autem nummis, emptum fuiſſe hunc agrum velint. Inprimis enim rebus ipſis nundinabantur, & merces mercibus mutabant, bobus, pecudibúſve, aliíſque. Mox auri & argenti ſiclis, qui appenſi numerabantur, non ſignati: quibus agrum & ſpeluncam ab *Ephrone Hithæo* emit *Abrahamus.* (*Gen.23.16.*) *Lydos* tradit *Herodotus* (lib.1.) aliquâ figurâ primos nummum ſignaviſſe. *Servius rex apud Romanos primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt notâ pecudum; unde & pecunia appellata.* (*Plin.33.3.*) Qualis hic videtur fuiſſe nummus, quo *Jacobus* uſus eſt, agni ſpecie impreſſus. Vox enim hæc *Arabum* & veterum *Canaanæorum* propria eſſe dicitur; quâ non eſt veriſimile uſurum fuiſſe *Moſem*, niſi proprium quendam apud eas nationes nummum ſignificâſſet: qualis *Jobi* cap.42.11. eâdem voce denotatur. (*Act.7.16.*) In agro ſuo aram inprimis Deo ſtatuit *Jacobus*, ubi & gratias ſolveret, cultúmque deinde Numini debitum perageret. Nomen altari dedit *Fortis-Deus-Iſraëlis.* Eo enim titulo publicum ſuæ in Deum gratitudinis ac pietatis monumentum exſtare voluit.

A. M. 2265.

Indè *Succoth* proficiſcitur, & *Sichemum*:

§ 16. Unicam *Jacobus* filiam habuit ex *Lea*, *Dinam*, undecim fratrum ſororem. Ea, nubilis jam, quindecim annos ſuperârat, apud matrem domi caſtè hactenus inſtituta & pudicé. Accidit fortè, (ſi verè narrat *Joſephus*,) diem feſtum ut *Sichemitæ*, magna cum pompa chorearum & popularium frequentia, celebrarent. Morbo matris *Dina* laborabat, oculis. Ut ergò ſpectaret fœminarum in ea regione formas, cultúmque & mores diſceret, clanculùm ſe ex domo patris in urbem ſubduxit, vel ſola, vel ancillâ tantùm comite. Nam indulſiſſe matrem, ut exiret foras filia, ut in urbem exiret, nullo cuſtode adhibito pudicitiæ, equidem haud facilè crediderim.

A.M. 2274.

ubi ſtuprata eſt *Dina Jacobi* filia.

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.
Prodire vulgò virginem haudquaquam decet.

Peregrina & ignota virgo, vel ſuâ ſponte divertit in *Hemoris* domum, quem unicum fortè noverat, viderátque priùs pecunias accipientem à *Jacobo*, agri ſui pretium; vel, dum libere vagabatur, aut ſpectabat choreas, eò deducta eſt, ut in primariam civitatis domum, hoſpitii causâ. *Sichemus* eam *Hemoris* filius ut vidit, formâ primò captus eſt eleganti. Mox autem ſolitudine virginis opportunâ nimis ad ſtuprum incitatus, vim atque vitium (invitæ forſan ac reluctanti) obtulit. Adeò verum eſt illud hominis probi, quanquam profani, *Nunquam puellæ domum referunt eos mores quos ſecum extulerunt.* Neque tamen vitiatam à ſe protinus averſatur juvenis, quod plerumque fit: ſed blanditiis flentem conſolatur, promiſſis conciliare ſibi nititur; denique, paternam fœminæ adit domum. *Hemor* quoque impulſus à filio, cujus eum perditè amantis miſerebat, *Jacobum* rogat, filiam ut det *Sichemo* conjugem, ut *Jacobitæ* mutua ineant cum *Sichemitis* connubia, ſtabilis amicitiæ inter vicinos pignora. Ità ſuam regionem utrique genti liberam & communem fore. *Sichemus* verò petit obnixè, ut *Dinam* quantâcunque ſibi vendant dote: ſe quavis empturum libentiſſimé. *Jacobus*, ut de ſtupro filiæ audivit, filiis in agro abſentibus, primò ſilet,
—— *imóque premit ſub corde dolorem.* Illi autem ubi redierunt, accerſiti forſan à patre,

A.M. 2274.

patre, non irâ minùs exardeſcunt ſororis gratiâ, quàm *Sichemus* antea exarſerat libidine. Univerſam familiam triſtitia & mœror occupat. *Hemoris* tamen poſtulatis & precibus reſpondent *Sichemi*, non ſine dolo ad vindictam ſatis cruentam compoſito. "Conjugia ſuæ genti nullo modo licere, aiunt, cum viris minimè circumciſis contrahere: Id ſibi vel maximè religioni eſſe. Quòd ſi omnes maſculi more ſuo præputia ſibi auferant, libentiſſimè facturos quæ poſtulent ſe, unámque omnium gentem fore. Lætis auribus acceperunt hæc *Sichemus Hemór*que pater. Itaque ad portam urbis, ubi judicia & conventus publici agebantur olim, convocantur cives. Ad eorum cognitionem referunt; "Hoſpitem adeſſe opulentiſſimum, eundémque optimum virum & pacificum: mutua illum cum *Sichemitis* initurum commercia & conjugia, in unam gentem coaliturum, atque omnia communicaturum ſua bona, ſi modò in animos inducant, *Abrahamiticæ* gentis more, præputia ſibi omnes maſculi amputare. Magno ſibi commodo futuram affinitatem hanc. Quin etiam patére atque vacare ſibi ampla terrarum ſpatia, profutura illis, inutiliter jam feracia. Hoſpitem igitur tam fructuoſum, tam facili conditione, ſibi retinendum videri. Ità plerumque fit, viri principes ut publicam utilitatem domeſticis conſiliis & privatis rationibus prætendant, quò fallant populum. Conſentanea tamen rationi videbantur hæc; & à viris profecta maximæ autoritatis, facilè cives impulerunt, ut auſcultarent atque parérent. Prævalet apud vulgum emolumenti ſpes; nec pleroſque tam reverentia Numinis cujuſquam ad amplexandam religionem, quàm fructus & utilitas, inducit. Quare, *Sichemi* exemplo præeuntis, mares ſibi omnes præputia ceciderunt. Tertio die, cùm ex dolore vulneris ægerrimè ſe haberent *Sichemitæ*, *Simeon* & *Levi*, è *Jacobi* filiis duo, & fratres *Dinæ* germani, maximam ſunt aggreſſi rem. Gladiis accincti urbem invadunt; nec in *Hemoris* tantùm ædibus quotquot inveniunt viros trucidant, auferúntque *Dinam*, ſed, rabie quadam incitati, maſculos per civitatem internecione delent univerſos. Cum reliquis deinde fratribus ruunt, rapiunt, abigúntque in ſua caſtra, mulieres puerôſque, armenta & greges, ſupellectilem & bona omnia quæ in urbe, quæ in agro *Sichemitarum* reperta ſunt. Ex minimo fonte quanta malorum flumina ſcaturiunt! Non magìs impium & crudele quàm audax facinus, duos prodire juvenes ad opprimendam civitatem, viris plenam, utcunque fauciis; niſi, quod ſuſpicantur nonnulli, (*Paræus in Gen.*) paſtorum turba comitata ſit, operámque ſociam ad hanc cædem contulerit. At *Moſes* atteſtatur id à *Simeone Levi*que factum audaciſſimè; ut mihi longè ſit credibilius, peregiſſe lanienam hanc ſolos. Immanem filiorum ſævitiam deteſtatus vehementer ſenior *Jacobus*, graviſſimè filios corripuit, (quod unum fieri jam potuit,) his aut hujuſmodi verbis: "*Simeon* & *Levi*, (filios enim appellare vos tam diſſimiles, tam indignos patre, quî poſſum?) diſcrucior animi, valdéque anxium habet me atrox à vobis facinus perpetratum, quod ſcelera in ſe comprehendit ferè omnia. Parúmne vobis viſum eſt fidem fallere, ſacramenti religione obſtrictam fidem, niſi & eos quibus obſtricta eſt è medio tolleretis nefario quodam parricidio, nè de veſtra perfidia, puto, conqueri poſſent? Connubia pacti, cædes & latrocinia præſtatis. Heu! quanto miſeris ſua credulitas, veſtra perfidia ſtetit? Sed illi *Dinam* priùs violaverant, quàm fidem vos. Eſto. An igitur, —*In ſcelus addendum ſcelus eſt?* flagitium flagitio, libidinem parricidio, quoddam amoris peccatum ſupplicio ultimo vindicandum judicatis? Quid hoſtibus facietis, ſi amatoribus hæc? Verùm ut æqua peccato pœna ſit, quiſnam, obſecro, vos conſtituit ſcelerum vindices judicéſve? Unius Dei eſt ulciſci, & quibus tradita eſt poteſtas à Deo Magiſtratuum. Ea verò nulli tradita eſt, afficiendi homines pœnâ immunes à culpa. Ut *Sichemus* nece dignus fuerit, quid *Hemor* aliíque cives meruerunt, unà omnes deleti ſtrage, unius ob noxam? Nec ſicarios tantùm, ſed latrones quoque agitis. Quo enim vos, niſi latronum, jure in *Sichemitarum* bona involatis? Neque verò patri eſt exhibitus quem debebatis honor, quo inconſulto tantam eſtis machinati rem. Videte igitur, videte, inquam, nè juſtiſſimus Deus pœnas à vobis aliquando tantâ immanitate atque impietate dignas exigat. Me verò interim ſene miſello quid fiet? quem *Canaanæis* atque *Perizæis* veſtra exoſum reddidit perfida crudelitas, & regione totâ infamem? Quantula eſt familia mea, ut populo tanto repugnet, ſi conjurationem inierint, viribúſque conjunctis oppugnaverint omnes unum me? Quâ vos urbem hanc, eâdem illi nos internecione tollent univerſos. Ità quidem ſatis aſpere filios increpuit bonus vir, ſed planè ſurdos.

Quod precibus fratrum ulti ſunt fratres *Sichemitarum* excidio. [sic: Quod probrum ulti ſunt fratres *Sichemitarum* excidio.]

Eos graviſſimè pater increpat,

dos. Nec enim protervè minùs reſpondent, quàm fecerant impiè. “Quid, inqui-“unt, tibi vis? *Æquúmne* tibi videtur, aut ferendum eſt nobis, ut homo nequam “& impurus *polluat ſtupro ſororem noſtram, & pro ſcorto habeat* impunè? Sic illi ad patrem, iracundè magìs quàm aut prudenter, aut piè. Quaſi verò impunè *Sichemus* neceſſariò fuerit laturus impudicitiam ſuam, niſi ab illis punitus tam perfidè, niſi tantâ ſtrage tota fuiſſet deleta civitas. Medicina quidem eſt peccatorum pœna. Sed hæc, ut à viris minimè idoneis adhibita, ſic etiam

A.M. 2274.

Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt
Quà morbi duxêre manus.———

Sichemitarum calamitas magnam *Jacobo* invidiam creaverat apud gentes vicinas, & ex invidia periculum, ex periculo metum. Dum ſolicitus atque dubius animi pendebat, quid faceret, quò fugeret, quâ arte defenderet ſe, ſuo Deus alloquio conſolatur, qui ſuis nunquam in adverſis deeſt. *Bethelem* ut proficiſcatur jubet, illic ut habitet, altaréque condat, vota denique ſolvat Reduci Deo, quæ cùm fugeret fratrem ante annos 30 nuncupârat. Officii neglecti monere voluit, & conſulere non ſaluti hominis modò, ſed etiam ſecuritati; nec à periculo tantùm vindicare, ſed à metu quoque. Hoc erectus oraculo *Jacobus*, obſequitur ſine mora. Familiam convocat, idola, gentium profanarum deos ut deponant jubet, pœnitentiam agant, præparent ſe ad cultum Dei abluendo purgandóque ſe, ac mutando veſtimenta. Hæc enim temporibus illis habebantur ceremonialia pœnitentiæ ſymbola. “*Bethelem* “*aſcendemus*, inquit; *ubi altare conſtituam*, & ſacra faciam Deo, *qui* fugientem *in* “*Meſopotamiam deduxit me*, atque reduxit incolumem. Illi protinus patrifamiliâs obtemperârunt, idola tradiderunt omnia, tum quæ *Rachel* abſtulerat *Labano Meſopotamica*, (ſi modò poſt annos tot ſuperfuerunt,) tum quæ *Sichemitis* à *Jacobi* filiis erepta, vel à captivis mulierculis in caſtra *Jacobi* ſunt allata. Tradiderunt etiam inaures. Ille puteo effoſſo ſub ſpecioſa quercu ſepelivit, clàm, neminéque, opinor, conſcio, nè ad cultum fortè repeterentur. Comminuerat fortaſſe ante ſepulturam, & deformârat. Dii quidem iſti habebantur, ſed mortui. Mortuis autem quid magìs convenit quàm ſepultura? Aliqui, ſimulacra hæc flammam poſtulâſſe potiùs quàm foſſam, putant. A culpa tamen liberant *Jacobum*, quòd, nimiâ feſtinatione impeditus, non ſatìs perpenderit quid factu eſſet optimum; vel potiùs, quòd offenſos jampridem atque infenſos nimis *Canaanæos*, publicâ in deos eorum patrios contumeliâ irritare in ſe magìs noluerit. Satìs videbatur, ſuperſtite re, uſum rei cultúmque omnem ſuſtuliſſe. Poſt hæc è regione *Sichemitarum* convaſatis rebus diſceditur, *Luzzam* pervenitur, quæ & *Bethel*. Ac feliciter eò pervenitur, ſine omni vel pecudum vel comitum jactura. Nam vicinis gentibus terrorem incuſſerat quaſi panicum Deus, ut nec præſentes adoriri, nec abeuntes perſequi auderent. Frendebant illi quidem ac fremebant, vindicare ſe non poſſe gentilium ſuorum cædem: Nihil tamen promovebant. Et cauſam fortaſſe non levem ſibi fingebant timoris tanti. Nec enim ſine maximo periculo tentari poſſe arbitrabantur, quid omnes conjunctis valerent viribus, quorum duo tantùm fratres urbem oppreſſerant. *Bethele* igitur inprimis altare condit *Jacobus*, quod erat illi mandatum à Deo; ſacra facit; vota ſolvit; *El-Bethel* vocat altâre, ſive *Bethelis Deus*: quod præſentiæ Divinæ, ſui obſequii, obſervantiæ, gratitudinis monumentum eſſe voluit ad poſteros. *El-Bethel* autem nuncupari locum juſſit, quoniam illic Deus conſpiciendum ſe *Jacobo* dederat, cùm *Eſavi* fugeret furorem. Jam verò iterum in conſpectum ſe dat, eodem in loco; alloquitur, benedicit, quæ promiſerat antea denuo confirmat omnia. *Iſraëlis* nomine *Jacobum* appellari vult: &, “*Ego*, inquit, *Omnipotens ille ſum Deus*, qui “pari facilitate omnia præſto quâ promitto. *Creſcere* jubeo te *ac multiplicari: in* “*gentem* creſcere; *imò in plures* creſcere *gentes atque reges ex uno prodituros te. Quin* “*& hanc terram, avo promiſſam atque patri tuo, tibi tuiſque poſteris hæreditario poſſidendam jure do.* His auditis, *Jacobus* columnam protinus lapideam illic, vel novam ſtatuit, vel reſtituit veterem, quam in *Meſopotamiam* proficiſcens poſuerat, ſed ab incolis everſam profanatámque. Eodem altari eſt uſus, ubi libavit profudítque oleum, quaſi ſacra euchariſtica. Poſtremò, locum hunc *Bethel* iterum appellavit. Hoc tempore *Joſephus* & ex *Judæis* alii *Jacobum* ſolviſſe ferunt votum de Decimis, quas hâc in *Meſopotamiam* proficiſcens viâ ſpoſponderat ante annos ferè 30. Sed cui hominum tradiderit, quóve ſolverit modo, id in obſcuro quidem latet. Aliqui ad

ac *Bethelem* diſcedit,

ubi voto ſe liberat.

A.M. 2274.

ad *Iſaacum* putant, ſui maximum ſeculi ſacerdotem, delatas eſſe à *Jacobo* Decimas. At verò ille privatus tantùm in ſua familia ſacerdos, (modò ſacerdos dici poſſit,) neque Decimarum capax. Idem, lecto affixus jamdiu, ſacerdotali munere perfungi non potuit, multò minùs præeſſe his *Jacobi* Sacris *Bethele*, quo mercedem officii Decimas acciperet. Quin igitur dicendum potiùs videtur, ſi quis aderat in ea vicinia regionéve ſacerdos publicus, qualis non ità pridem *Salemi* exſtiterat *Melchizedecus*, apud eum liberâſſe *Jacobum* ſe hoc de Decimis voto. Quòd ſi nullus fuerit, ipſi Deo conſecrâſſe, atque indè ſumptum in ejus feciſſe cultum & Sacra.

§ 17. Tam frequentibus oraculis, tantâque Numinis Divini familiaritate, nè nimiùm exſultet ſibíque tribuat *Jacobus*, eóque remittat ſuæ pietatis ardorem, adverſa quædam rebus lætis interponunt ſe, quæ ſocordiam excutiant, fidem exerceant bono viro, atque conſtantiam. Ac primò, *Debora* grandæva nutrix, quæ *Rebeccam* ſecuta eſt in *Canaanæam* ante annos 125, in *Jacobi* caſtris moritur. Ea, puto, vel à *Rebecca* ad filium tranſmiſſa eſt cum nunciis; vel, poſt *Rebeccæ* obitum, ad hunc minorem ſe alumnum contulerat, ut eandem ejus uxoribus operam navaret, quam priùs matri dederat. Neque tamen ſine luctu amiſſa eſt, quanquam ſenio confecta quaſi fructus maturus deciderit. Sub quercu tumulatam ferunt, quam propterea *Quercum fletûs* appellavit *Jacobus*.

A.M. 2276.

Bethele jam *Hebronem* *Jacobus* perrecturus erat ad patrem. Solus fortaſſe jampridem ſæpius inviſerat, ex quo rediit in *Canaanæam*. Sed cum tota familia, benedictionem liberis ſuis impetraturus ab avo, hoc primùm eſt profectus tempore.

Rachel moritur:

In ipſo itinere, cùm unum ferè lapidem ab *Ephrata* (quæ poſtea *Bethleem* dicta eſt) abeſſent, *Rachelem* gravidam inopinatò parturire contigit, magnóque id cum cruciatu ac periculo. Conſolata quidem eſt ægram obſtetrix, quantum res tulit, pueri ſpe. Sed nullum erat in extremis agenti ex puella pueróve gaudium. Fatalis aderat dies. Enixa jam, ſed, ingraveſcentibus doloribus exhalatura ſupremum ſpiritum, *Ben-oni* denominat infantem, hoc eſt, *ſui luctûs filium*. Graviſſimus hic dolor ex morte conjugis, dilectiſſimæ conjugis morte, pupugit mariti animum, vel potiùs lancinavit. Minimo fortaſſe cum luctu amiſſurus erat *Leam*. Sed hanc ſibi auferri quam tantopere adamabat *Rachelem*, ut ejus gratiâ *Leam* contempſerit, quam aliarum ærumnarum habuit ſociam & ſolatium unicum, auferri ſubitò, immaturâ morte auferri, in ipſo partu; non potuit certè bonus vir non ægerrimè calamitatem hanc pati. Sic Deus nimirum vult in hiſce rebus inferioribus, *Nè quid Nimis*. Sic tu qui legis hæc, obſecutus Deo,

Quicquid amas, cupias non placuiſſe nimis.

Nihil terrenum profectò auferre nobis animos poteſt, & affectus poſſidere intimos, ſine maximo ſacrilegio in Deum, cui debentur unico. Honorificè mortuam ſepelivit *Jacobus* (quod reliquum erat unum amoris officium indiciúmque) in via publica, & columnam illi poſuit ſepulchralem, quæ multis poſtea ſeculis nomen memoriámque *Rachelis* propagavit ad poſteros. Sed nomen aliud puero impoſuit pater. *Benjaminum* vocavit. Id autem *dextræ ſuæ filium* ſignificat, hoc eſt, chariſſimum. Nam *Ben-oni*, luctûs materni atque doloris monumentum, ad poſteros tranſire noluit. Amorem verò quo in *Rachelem* ſummo exarſerat, in filios ejuſdem tranſtulit, unicas jam reliquias matris. Ab *Ephrata* profectus eſt *Iſraël* ultra *Migdal-Eder*, ſive Turrim gregis, in præſidium ſtructam paſtorum atque gregum, ait *Hieronymus*; ubi aliquo ſpatio temporis commoratus eſt. Interea magnum eſt admiſſum à

& inceſtu ſe polluit *Rubenus Jacobi* filius.

Rubeno facinus, maximo ex filiis *Jacobi*; & facinus ejuſmodi, quod nè inter gentes quidem profanas auditum ait S. *Paulus*, (1 *Cor.* 5. 1.) Concubinam patris *Billam* inceſtu violavit. Non potuit hoc non moleſtiſſimum *Iſraëli* accidere. Uxor dilecta *Rachel* morte amiſſa eſt. Quam *Rachel Jacobo* dederat quaſi uxorem ſecundariam, ea per ignominiam & dedecus toti familiæ probroſum amittitur; à filio corrumpitur. Nè optimi quidem viri præſtare poſſunt, ut liberi paternam ſanctitatem colant. Imò ſæpiſſimè fit quod proverbio dicitur, ut *Heroüm filii ſint noxæ*. Tan-

A.M. 2277.

dem cum ſuis ad *Iſaacum* ſenem *Iſraël* pervenit; cui adventu ſuo non potuit non gaudii plurimum afferre.

Joſephus, delationis cauſâ,

§ 18. Ex omnibus *Jacobi* filiis *Joſephus*, minimo proximus, *Rachele* natus, maximè liberali erat ingenio, moribúſque pulcherrimis. Ille cum reliquis paſcebat paternos greges; ſed conſortio fratrum ex *Billa* & *Zilpa* lætior, quàm aliorum. Nam

Leæ

Leæ filios paulò ſenſit iniquiores in ſe. Abſente patre multa illi nefariè patrabant, quo familia optimi viri peſſimè audiebat. Diſſimulare non potuit *Joſephus*. Vitia fratrum ad patrem detulit, quò & hi corriperentur, & corrigerentur illa; nè familiæ tam honeſtæ decus & dignitas læderetur. Sed magnam hæc *Joſepho* invidiam creabant, ut proditori. Qui enim faciunt malè, celari cupiunt; oderunt lucem, atque indicem, lucis autorem. Pater interim ingenuitatem candorémque morum laudare, ipſum verò impenſiùs diligere quàm reliquos omnes, non modò egregiæ indolis gratiâ, ſed eò etiam, quòd grandiori ſibi natus eſſet, ex *Rachele*. Quare tunicam illi polymitam uni dedit, qualem filii magnatum gerere ſolebant. Verùm quò magis eum pater amabat, eò fratres oderant vehementiùs. Nimiam enim unius gratiam apud communem, vel patriæ, vel privatæ domûs parentem, æquis animis pauciſſimi ferunt. Sed maximam ſibi conflavit invidiam ſomniis quibuſdam. Videre ſibi viſus eſt fratres in agro faſciculos colligentes. Suum verò manipulum ſtetiſſe in medio erectum; manipulos fratrum ex omni parte incurvando ſe honorem ſuo detuliſſe. Iterum, Solem atque Lunam Stellâſque undecim incurvâſſe coram illo ſe ſomniabat. Utrumque puerili quadam ſimplicitate fratribus narrat; ſomnium poſterius patri quoque. Nam qui peritiſſimus poſtea ſomniorum interpres futurus erat, primò in ſe Divinorum ſomniorum experitur cœleſtem vim. Frementes indignatione ſummâ fratres, *Tune*, inquiunt, *nobis imperaturus es? nos tibi domino ſerviemus?* Id enim ſignificare ſomnia videbantur. Neque pater potuit non increpare leniter, quòd prædicere videretur, ſe, matrémque, ac reliquos fratres, honorem illi exhibituros. Prudentiùs tamen pater, utcunque increpabat temere, volvebat animo reponebátque hanc, ut non ludicram vanámve, rem. Id autem hiſce Deus agebat ſomniis, ut patri conſtaret, *Joſephó*que ipſi ac fratribus, haud temere caſúve, ſed operâ Divinâ, elatum fuiſſe in *Ægypto* poſtea *Joſephum*: Deinde, ut perſpicerent omnes, conſilia Dei nullo conatu hominum impiorum poſſe impediri; ſed tum eos vel maximè perficere decreta Divina, cùm acerrimè conantur prohibere nè fiant. Quod fratribus *Joſephi* contigit. Defecerat, puto, jam pabulum *Hebrone*, nec ſufficiebant paſcua tot gregibus atque armentis *Iſaaci* ſimul & *Jacobi*. Filios itaque ſuos *Iſraël* cum pecore in agrum *Sichemiticum* jam cultoribus vacuum ablegavit. Procul aberant à patre; inter homines malevólos & inimicos verſabantur: ſolus domi permanebat *Joſephus*. De filiorum ergò ſalute ſolicitus pater pecuariâque re, *Joſephum* emiſit fratres ut inviſeret, ac referret nuncium ad ſe quid agerent. Alacriter profectus ille, vagatúſque diu, diſcurrebat per agros; donec à viro qui fortè in eum incidit palantem (Angelum fuiſſe putant aliqui) didicit, fratres in *Dothanem* ſe abituros dixiſſe, quæ non aberat procul. *Dothanem* eos inſequitur *Joſephus*, ubi & invenit; quanquam inveniſſe pœnitebat mox. Illi enim, ubi è longinquo eum tunicæ indicio polymitæ agnoſcebant, æſtuantes odio ac libidine ultionis, *Ecce*, inquiunt, *ſomniator ille adeſt*, dominus noſtrûm futurus omnium. *Tollamus unà ſomniatori vitam, ſomniis vim. Cadaver in ciſternam aliquam projiciamus. Devoratum à fera nunciemus patri.* In hoc immane ſcelus, præter unum *Rubenum*, conſentiunt atque conſpirant omnes. Ille, ſive quòd à facinore tam nefario abhorrebat illi mitior animus, ſive quòd patrem à ſe maximo natu repetiturum verebatur *Joſephum*, arte fratres aggreditur, quorum viribus repugnare non valebat. Et, "Fateor, inquit, mereri mortem delatorem hunc, qui garrulitate ſuâ patris iræ nos prodidit. Sed ut ille ſit dignus qui occidat, næ indigni ſumus nos qui occîdamus. Moriatur; ſed aliquo ſuo fato moriatur, non parricidio noſtrò. Colligemus ei manus; *in ſolitudinem abjiciamus*. Aut enectus fame peribit, aut laniatus à feris. *Sanguinem ſanguine penſari* Deus juſſit, qui hæc è cœlo jam ſpeculatur omnia. Quod ejus pœna fuerit, alio ſi tollatur modo; noſtrum erit ſcelus, ſi noſtris manibus violetur. Hæc *Rubenus* eâ mente locutus eſt, ut *Joſephum* liberaret, ſalvúmque redderet patri. Tandem ad fratres multo cum ſudore accedebat puer, animo ſimplici hilaríque vultu, minimè quicquam ab iis mali ſuſpicatus, quorum ſudaverat causâ. Mandata paterna traditurus erat, cùm illi, protinus rabie quadam agitati, ſimul omnes in unum irruunt, tanquam in ovem lupi. Tunicam ei diripiunt pretioſam, ut iis ipſis paterni amoris inſignibus imponant patri. Verbis lacerant procaciſſimis, nec à verberibus abſtinent nonnulli. Miſellus puer, ſuâ fretus innocentiâ, mirari quidem primò; cùm aſperiùs tractarent, ſuſpicari fraudem, & contremiſcere. Cùm autem ſomnia, & delationes, & gratiam apud patrem, & prin-

A.M. 2277.

& ſomniorum, laborat inviâ:

à fratribus

A.M. 2277. principatum in fratres, magna cum vociferatione ingererent, unde ſeriò perſpexit ſuam agi tragœdiam, & periclitari vitam ; tum verò ſublatâ voce flebiliter queri, ac deplorare ſuam vicem, prenſare ſingulos, obteſtari univerſos, vim atque cædem deprecari, per amorem fraterni nominis, per paterni reverentiam, per omnia humanitatis & miſericordiæ viſcera, per factorum omnium Judicem ſcelerúmque Vindicem Deum. Quicquid imperarent facturum ſe, modò vitæ parcerent. Sed omnia hæc & alia ſurdis canit. Illi enim furentes irâ, minis, convitiis, imprecationibus obſtrepunt ſupplicanti, & in ſolitudinem abreptum procul, in ciſternam abjiciunt. Profunda quidem illa, ſed inanis & ſicca. Famem ei tortorem deſtinant & carnificem, crudeliſſimum ſané. Tanquam in ſepulchro vivum condiderunt, non ut vita eſſet illic, ſed mors ei diuturnior. At ſi *Joſephus* periiſſet fame, fame pariter & fratres & pater periiſſent. Hi nè interirent, illum voluit ſervatum Deus. Ultione perfuncti, ad prandium ſe fratres componunt, quaſi poſt triumphum bene geſtâ re convivium agitantes. Ex *Gileade* interim *Iſmaëlitæ* quidam ac *Midianitæ* mercatores eâ in *Ægyptum* proficiſcebantur viâ. Onuſtos agebant aromatibus aliiſque mercibus camelos. Ut primùm hos vidit, reliquis aliquantò lenior *Juda*, "Quid, inquit, agimus, fratres? Nos hilares epulamur, parte noſtrî laborante in ciſterna. "Nè parricidæ videremur, non occidimus quidem, ſed leto tantùm expoſuimus "fratrem. Quaſi verò non ſit ejuſdem criminis, inferre mortem, & procurare. Noſtrâne operâ intereat, an manu, nihil intereſt. Quamcunque mortem illic obierit "quò projecimus nos, id noſtrum erit parricidium. Qui exponit vel miſericordiæ "causâ, quam ipſe non habet, quantum in ipſo eſt crudeliùs necat quàm ſi ſtrangulâſſet. Neque id mundi Oculum celabimus Deum, utcunque ab hominibus occul- "tum atque tutum ſcelus. *Interemiſſe* verò *quid profuerit? quémve fructum indè,* "*quod ſperabimus commodum?* Liceat mihi tum utilitati conſulere, tum innocen- "tiæ noſtræ quantum fieri poteſt, ut ille tamen luat quod meritus eſt. Agite, fra- "tres; *Arabes* adſunt mercatores. *Pretio vendatur, ac vivat puer.* Ità ex ejus "pœna naſcetur aliquod nobis præmium, cujus proditione luimus iram patris. Ità "vita fructum feret commodúmque nobis, cujus non ſine magno peccato, ac fortaſſe "damno, futura ſit cædes. Denique, ſerviet vigilans, qui regnabat in ſomnis, do- "minóque parens dominari dediſcet in fratres. Hæc *Juda.* Facilè omnibus conſilium arridebat quod lucri commendabat ſpes, remiſſo jam aliquantulùm fervoris æſtu. Accerſunt è puteo puerum, merces *Ægyptiis* gratiſſimas, vendúntque argenteis 20. Unus interea *Rubenus* aberat cùm hæc fierent. Rediturus ille, primò ad ciſternam obliquâ divertit viâ, liberaturus fratrem ac remiſſurus domum clàm, acceptiſſimum patri munus. Sed fratrem in ciſterna nullum reperit. Id verò hominem ingenti perculit dolore, adeò ut veſtibus laceratis reverſus ad fratres, flebilibus modis lamentatus ſit: "Væ mihi, *quò me vertam?* inquit, *quò fugiam?* Ablatus eſt è puteo "*Joſephus.* A me repetet pater hoc depoſitum. Mihi, mihi, inquam, uni præſtan- "da eſt hæc jactura. *Quò fugiam? aut quò ego vertam me?* Non tulerunt fratres lugentem ulteriùs. Expediviſſe aiunt rationem ſe quâ eluderent patrem; nè quid ille ſibi metueret; ludificandi ſenis curam in fratres rejiceret. Itaque hœdi mactati ſanguine aſperſam tinctámque pueri veſtem, vel afferunt ipſi, vel tranſmittunt per nuncios ad patrem; monéntque pariter ut videat, an ea ſit *Joſephi* ſui tunica, diſcerpti fortaſſe ac devorati à feris. Facilè *Jacobus* agnovit filii veſtem: faciliùs paulò credidit quàm par fuit, quæ ſuus illi metus dictabat, & filiorum impoſtura, de interitu *Joſephi.* Quare in fletum planctúmque ſe totum dat mœſtiſſimus pater; veſtimenta lacerat; corpus cilicio caſtigat. Hæc indicia luctûs olim habebantur maxima. Nec paucorum hic dierum, ſed multorum erat annorum dolor. Fruſtrà filii ſanare, quod ipſi fecerant, vulnus conati ſunt: fruſtrà nurus atque neptes, familiáque univerſa, ægrum ſenis animum demulcere.

venum pro mancipio datur.

Ludificatus pater

luctui ſe totum dat.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.

Sic ille ereptum ſibi queritur ſuæ ſenectutis unicum ſolatium, amiſſum dilectiſſimum caput, mortuum *Joſephum:* ſecuturum ſe, moriturum quoque. Juſto quidem, ſed immoderato luctui paulò nimis indulget bonus vir. Nec enim laxandæ ſunt affectibus habenæ, quos ——*Labor eſt inhibere volantes.* Nec ità dolendum eſt piis in funeribus ſuorum, quaſi nulla ſuperſit melioris vitæ ſpes. Nec ſua deni-

que

que viro bono tam cogitanda erat lugendáve jactura, quàm ſuſpicienda tolerandáque voluntas Dei. Quòd ſi autem *Jacobus* peccavit præter modum lugendo amiſſum filium; quanta erat impietas eorum, quos amittendi lugendíque tantopere filium autores habuit? Quoddam eſt homicidii genus vel odiſſe. Odiſſe verò fratrem, fratrem nihil à ſe mali meritum odiſſe, & adverſari legibus naturæ, quæ fraternum amorem præcipiunt, multò gravius. Quid igitur ad mortem deſtinare, ad famem exponere, mortem crudeliſſimam, ad ſervitutem denique morte quavis graviorem pretio vendere inſontem, ac miſerabiliter ſupplicantem fratrem? Quid optimum patrem in errorem luctúmque graviſſimum impoſturis atque mendaciis conjicere? Cumulus hic eſt ſcelerum, & acervus ejuſmodi, quo ſibi ſuíſque poſteris in *Ægypto*, quò frater eſt ad ſervitutem venditus, & odium, & luctum, & ſervitutem duriſſimam jure optimo contraxerunt. *Joſephus* interea in *Ægyptum* delatus eſt, & magno lucro venditus magnati aulico *Potiphari*, ſatellitum præfecto. Ità nimirum expediebat fieri, & procurabat providentia Divina, quò facilior *Joſepho* aditus pateret ad aulam regiam. Decimum ſeptimum ætatis annum agebat, quo tempore in ſervitutem eſt traditus, eximiæ indolis ac ſummæ ſpei adoleſcens. *A.M. 2277.*

Duram *Joſephus* apud *Potipharem* in *Ægypto* ſuſtinuit aliquot annos ſervitutis conditionem. Suſtinuit tamen æquo magnóque animo. In ſortem infimam dejectus eſt, quò aſſurgeret aſcenderétque altiùs. Ità Deus pietatem ſuorum, fidem, conſtantiam, reliquáſque virtutes, exerceri vult ac illuſtrari. Ità Deus beneficia ſua & gratiora eſſe nobis, & ſua vult agnoſci; quæ ſi facili operâ conſequeremur, & ipſa magìs evileſcerent, neque tam Deo nos, quàm conſiliis viribúſque noſtris tribueremus. Ille precibus nocturnis atque diurnis opem implorabat Divinam. Semper illi præſtò Deus aderat; unde prudentiam ſummam in gerendis rebus, diligentiam fidémque nactus eſt; adeò ut proſpere ac feliciter cederent, quæcunque *Joſephi* operæ curæve commendabantur. Facilè animadvertit herus felicitatem hanc, opémque Divinam. ———*Quis enim celaverit ignem?* Fulgore ſuo ſe præclara virtus prodit. Etſi verum ignorabat Deum *Potiphar*; tamen hoc noverat, pietatem, ſapientiam, fidelitatem induſtriámque tantam, tam excellentem in omni genere virtutem, tam proſperos rerum omnium ſucceſſus, non poſſe cuiquam ſine aliqua Numinis indulgentia contingere. Itaque gratiâ & benevolentiâ quadam ſingulari ſervulum ſuum complexus eſt. Ex operum ſervilium numero exemit: propiorem ſibi uni aſſeclam & miniſtrum eſſe juſſit. Quo in munere integritatem ejus atque ſedulitatem ità probavit dominus, ut eum domûs ac familiæ totius præfectum conſtitueret; ei rerum omnium in ædibus, in agris procurationem delegârit. Neque verò hæc ſumma dignitas *Joſepho* erat quàm domino fructuoſior. Servi enim gratiâ *Potiphari* benedixit Deus, facultates auxit, ſummámque dedit domi foríſque felicitatem. Quare omnem rerum ſuarum ſolicitudinem & curam in *Joſephum* unum exuit *Potiphar* ac depoſuit. Imò fide hominis ac probitate fretus, nè rationes ullas ab eo exigendas putavit. Victûs tantùm adminiſtratio & cura permiſſa eſt alteri. Nam *Hebræos* illum attingere apud *Ægyptios*, ſummum nefas habebatur. Ad ſummum propè faſtigium evectus eſt *Joſephus* in his ædibus. Sed

A.M. 2286.

Joſephum, in Ægypto ſervum,

dominus Potiphar ſummâ gratiâ;

———*Alta ruunt, ſummíſque negatum eſt*
Stare diu.———

Noluit hominem Deus ad ſummam gloriam niſi per calumniam & ignominiam aſcendere. Ejus in adverſis rebus patientiam conſtantiámque ſatìs exploraverat Deus. In proſperis jam haud paulò majus periculum facit. Aderant juveni eximiæ quidem non modò animi, ſed etiam corporis dotes. Viguit illi jam flos ætatis. Pulchritudo ſumma commendabat, gratioréſque reddebat ipſas virtutes. Habetur quidem aliis *Forma bonum fragile*; ſed calamitoſum *Joſepho*. Hera, impudica & laſciva mulier, formâ capitur adoleſcentis. Ea plùs amore nocuit, quàm fratres odio. Ex ſervili hominem conditione magìs quàm conſtantia virtutis æſtimans, facilè impetratum putabat quod ipſa vehementer voluit. Quare caſtitatis oblita & conjugalis fidei, libidine turpi exardeſcit adeò, ut ſuum ultro ſervum illecebris, blanditiis, omnibúſque artibus, ad ſtuprum conetur pellicere. Aureos pollicetur montes adultero; pœnas caſto graviſſimas minatur. Quid faciat? Quam alii juvenes impudici non modò arriperent conditionem oblatam utrâque manu, ſed ambirent etiam ultro, magnóque pretio redimerent, hic optimus adoleſcens nullo modo ſibi accipiendam putabat;

uxor Potipharis amore proſequitur impudico:

A.M. 2286.

putabat ; ſed pari caſtitate ac modeſtiâ reſpondit, “ Abſit, hera, procul abſit à me “ tantum ſcelus. Egóne ut alterius conjugem, ut domini mei conjugem benefi- “ centiſſimi violem? Ingratiſſimus ſim, & quavis digniſſimus cruce, hoc ſi fecero. “ *Nihil eſt quod non meæ fidei crediderit rerum ſuarum præter unam te, uxorem atque* “ *conſortem ſuam*, delicias unicas & ſolatium. Quâ igitur ego perfidiâ ſim, ſi abſtu- “ lero mihi te? Neque tu, reverenda mihi domina, ſacrum ſanctúmque illud con- “ jugii vinculum niſi adulterio, ſcelere nefario, reſcideris : quod ſi prodatur ſcelus, “ quantam vulgò ignominiam exſpectabis, quantam à legibus pœnam? Ut celare “ omnes poſſis, at unus inſtar omnium è cœlo ſpectabit Deus. *Egóne ut tam gravi* “ *flagitio cœleſte mihi Numen offenſum reddam*, à quo totus pendeo, qui ſi me deſe- “ rat, nullus planè ſim? Deſine, per Deum te obſecro, deſine id optare, quo po- “ tiri non liceat. Quanquam heræ imperanti non deceat ſervum adverſari ; tamen “ ipſa rei fœditas reclamat, nè quid tale vel imperet hera, vel ſervus admittat. “ Quidvis poſce à me, quod nec dominum lædat obſequio meo, nec Deum, ſer- “ vum voveo me humillimum, paratiſſimum, obſervantiſſimum tui. Satìs multa *Joſephus* non perfrictæ frontis mulieri. At illa quadam libidinis *Ætnâ* æſtuans, & ab obice hoc ſævior, quotidie adoleſcentis pulſare aures, eandem ſemper canere cantilenam. Ille contrà certò ſtatuit apud ſe, nullis adulationibus flecti, nullis terreri minis, quò minùs perſtaret in ſuo pudicitiæ propoſito. Cùm ergò libidinis herilis impetum ſæpe conatus retundere, nihil proficeret, denique ipſum conſpectum mulieris vitandum ſibi quà potuit, ac præcidendum ſtatuit fomitem libidinis. Accidit tamen aliquando, ut, cùm reliqui abeſſent domeſtici, feſtum celebrantes diem, (ſi *Judæis* credimus,) una *Potipharis* conjux, ſimulato fortaſſe morbo, relicta ſit domi. *Joſephus* interea obiturus aliquod negotium ædes ingreſſus eſt. Nihil enim illi erat cum *Ægyptiorum* ſacris. Hanc illa captabat opportunitatem, quâ certò conſtituerat aliquâ ratione *Joſephi* pertinaciam expugnare. Quare inopinatò juvenem aggreditur. Precibus ac promiſſis agit primò. Recuſanti vim conatur inferre. Reluctanti ac fugienti, pallio apprehenſo, minatur denique, niſi libidini ſuæ obſequatur, ejuſdem facinoris inſimulaturam ſe quod recuſet patrare ; ſtupri oblati, tentatæque caſtitatis ſuæ reum peracturam. At ille, integrâ conſcientiâ fretus, maluit ſalutis periculum ſubire, quàm jacturam facere caſtitatis. Magnâ ſe vi foras proripuit, relicto pallio, nè turpiſſimæ fœminæ ulteriùs laſciviâ pollueretur. At,

repulſa

O quàm cruentus fœminas ſtimulat dolor!

ſtupri oblati incuſat innocentem.

Rabies fit deſperata libido. Ex amore contempto longè ardentius odium inflammatur. Ut primùm domeſtici redierunt & maritus *Potiphar*, quaſi inexpiabilem paſſa contumeliam, queritur, plorat, vociferatur mulier ſcelerata. “ Eheu, inquit, mi “ bone vir, quem *tu nobis Hebræum in hanc induxiſti domum?* hominémve, an bel- “ luam? an lupum rapacem? an ſalacem hircum? Næ iſtos ego ſemper *Hebræos* “ meritò & odi, & metui. Nam quæ ſit illis fides, quibus religio deeſt? non *Jo-* “ *vem*, non *Junonem*, non *Iſin Oſirin*ve aut *Apin*, non ullum denique ex omnibus “ *Ægyptiorum* diis, ſed nubes, & neſcio quod cœli Numen, adorantibus? Quam “ ſuſtinuit hactenus ſimulator egregius, jam larvam depoſuit: ut facilè appareat, “ modeſtiam quam præ ſe ferebat, non ab indole recta, ſed ab herili profectam eſſe “ metu. Captabat ſuo ſceleri opportunum tempus impoſtor vaferrimus, dum reli- “ qui omnes vacabant ſacris & cultui deorum ; ego una decumbebam ægra in thala- “ mo. Hei mihi! pudet referre, quod iſtum agere non pudebat. Matronam cœ- “ lebs, ſuam ſervus heram, domini ſui optimi uxorem, perfidum atque ingratum “ caput, de ſtupro, de adulterio non eſt veritus appellare. Cùm precibus, blandi- “ tiis, omnibúſque artibus nihil proficeret, vim intentat. Ego miſera quid face- “ rem? Pro viribus, imò ſupra vires, repugnabam ; ſimul *editâ quam potui altiſſi-* “ *mâ voce*, domeſticos & vicinos inclamabam, opem implorans & auxilium. *Hoc* “ *ille demum territus* atque confuſus *clamore*, *accelerat fugam*. *Abiit*, *exceſſit*, *eru-* “ *pit*, *evaſit*. Ego tantùm hoſti fugienti exuvias detraxi. Veréne ac juſtè conque- “ rar, tacente me, hoc loquatur pallium. Quo dicto pallium oſtendit *Joſephi*. Fletu & lacrymis concludit, ut virum ad miſerationem eo permoveat, accendátque ad iram vehementiùs. Aperta res videbatur. Zelotypiâ *Potiphar* atque irâ exæſtuat. Condemnatur *Joſephus* abſens, indictâ cauſâ, nullâ inſtitutâ quæſtione ; reâ & exulceratâ fœminâ tantùm accuſante, pallio teſte. Ità in carcerem detruditur, ſceleris herilis

herilis in ſe pœnam ſoluturus, non immunis modò, ſed averſus à culpâ ſervus. In eam carceris partem detruditur, ubi captivi regii, capitis ac perduellionis rei, arctiſſimâ cuſtodiâ vinculíſque ligati tenebantur. Iterum pius adoleſcens in profundum eſt miſeriæ demerſus, ut abjectus planè videatur jam, & ab omni derelictus ſpe, præter unam hanc, Deum poſſe omnia, qui nôſſet innocentem ſe. Neç ſanè Deus in profundo ſuos derelinquit. Adeſt, miſeretur, conſolatur, & cuſtodis ei benevolentiam conciliat gratiámque. Is enim hominem prudentem nactus atque induſtrium, in ejus fidem ac diligentiam exonerat ſe. Præfecti vice *Joſephus* fungitur; quæ agenda erant in carcere adminiſtrat, ac feliciter unus ordinat omnia.

A.M. 2286.

In carcerem conjectus,

Quem tenuerat in heri ædibus, eundem retinet locum *Joſephus* in carcere, à primo proximum. Sed in carcere, loco nè ipſi quidem cuſtodi ſatis grato. Servire igitur foris *Joſephus*, quàm illic dominari malebat ac regere. Et libertatis quædam affulſit illi ſpes, quæ tamen eluſit diu. Accidit enim fortè, ut duo magnæ in aula dignitatis viri, Pincernarum atque Piſtorum regiorum principes, in eandem cuſtodiam ab irato rege ſint conjecti. *Joſephum* illis miniſtrum, vel cuſtodem potiùs, dedit, ſatellitum, idémque ſummus carceris præfectus, *Potiphar*. Dimiſerat, credo, iram dominus, aut remiſerat ſaltem, vel innocentiâ ſervi perſpectâ, vel pœnarum ſatur; quanquam nè liberaret ex carcere, conjugis fortaſſe implacabilis reverentia prohibebat. Ille igitur qui famularetur aulicis, ille qui obſervaret & cuſtodiret, conſtitutus eſt. Longo jam tempore in hac concluſi cuſtodia, aut libertatem anxii exſpectabant, aut pœnam. Die quodam ſolitâ diligentiâ cùm primo illis manè adeſſet miniſter, ſolito mœſtiores offendit, ac perturbatos admodum. Ille alacris, quanquam & ſervitute afflictus, & cuſtodiâ multò longiore, ſolari ægros conatur: &, "*Quid ego*, inquit, *vos ità præter ſolitum triſtes video?* Proſpera jampridem experti, adverſa etiam tolerate quo viros fortes animo decet.

A.M. 2287.

principum illic virorum

"*Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.*

"Quid autem? An aliquid novum accidit quod in mœrorem vos conjiciat novum? Reſpondent illi, "Imò novum prorſus. Hujus enim noctis ſomnia nos valde ſolicitos habent; eóque magìs, quòd neminem divinatorum convenire liceat qui interpretetur. "At verò, ait *Joſephus*, quid vobis hac in re cum divinatoribus? Non eſt hariolorum, non artis cujuſquam præſtigiatricis hoc opus; verùm Optimi Maximíque *Dei munus*. Qui novit omnia, novit ſomnia. Idem exponit qui objicit. *Mihi, obſecro, narrare nè pigeat*; ut experiar, an mei ope Numinis eximere vobis valeam hunc ſcrupulum. Hæc *Joſephus*. Ac jampridem nota erat hominis & ſolertia, & pietas. Itaque voluntati ejus obtemperant. Pincerna primò, *Viſus*, inquit, *videre mihi ſum in tres ramos diductam vitem; eandem verò germinantem, floreſcentem, botros atque uvas jam protinus matureſcentes proferentem. Has ego uvas, in poculum regis manu expreſſas meâ, in Pharaonis manum tradidi.* Hæc ſumma ſomnii. *Hujus verò interpretationem, Joſephus* inquit, & ego facillimè traditurus, & tu es auditurus libentiſſimè. *Poſt dies tres (id enim tres rami ſignificant) in priſtinum reſtitutus locum, regi tu à poculis miniſtraturus es, quo ſolebas antehac modo.* Si grata veráque nuncio, *poſtquam evenerint quæ nuncio, fac memineris mei, obſecro,* miniſtri tui, ac vatis boni. *Fac memineris de me apud Pharaonem, & in libertatem aſſeras ex hoc ergaſtulo. Hebræus equidem ſum, à plagiariis* emptus venditúſque in ſervitutem. *Neque verò hîc à me quicquam eſt patratum* (ſi pateret atque valeret veritas) *hoc dignum carcere.* Ità *Joſephus*. Ad hæc Pincerna, "Si verè, inquit, mihi contigerint quæ narras, impius profectò ſim, & hominum nequiſſimus omnium, niſi tanti beneficii autorem, meritum optimè de me, gratiſſimâ proſequar memoriâ. Tum ex felicitate contubernalis bene ſibi ominatus Piſtor, ſuum quoque narrat ſomnium. "*Caniſtra in capite videbar ſimul tria geſtare. Supremum cibis erat plenum regiis, quicunque arte fiunt operéque piſtorio. Verùm alites involabant, omnéſque devorabant è caniſtro.* Quid hoc tandem boni malíve portendat, aveo ſcire, tuámque, *Joſephe*, ſententiam exſpecto. Si fauſtum retuleris mihi nuncium, næ ego certam tibi libertatem ſpondeo. "Utinam, ait *Joſephus*, tam eſſet grata quàm eſt proclivis expoſitio. Sed vera me neceſſe eſt effari, non jucunda ſolùm. *Tres etiam dies tria tibi demonſtrant caniſtra. Poſt triduum tibi regio mandato auferetur caput, corpúſque ſuſpenſum infelici arbore dapaſcent aves prædatrices.* Nuncium triſte fateor; ſed & verum vereor nè non minùs quàm triſte ſit. Hæc *Jo-*

exponit ſomnia

ſephus

A.M. 2287. *ſephus* futura vaticinatus, non interpretatus videbatur ſomnia. Nam poſt triduum rex natalem ſuum ſumptuoſiſſimo celebraturus convivio, recenſuit ſervos. Revocatus in aulam Pincerna, & in honoris gradum ſublatus eſt ampliſſimum; Piſtor in crucem. Sed tamen potitus vaticinio Pincerna, miſeri vatis, quanquam illi felicis, ingratiſſimè oblitus eſt. Nec enim aliis aut amicis, aut modis, quos ipſe creabat ſibi *Joſephus*, verùm uni ſibi, Deus acceptam referri ejus libertatem atque ſalutem voluit.

veriſſimé.

Ægyptiorum reges uſque ad Dynaſtiam 18.

§ 19. Poſt *Lacharem* in *Ægypto*, *Seſoſtridis* Magni filium, *Ammares* regnaviſſe dicitur annos item 8: poſt *Ammarem*, *Ammenemes* totidem: denique, poſtremus Duodecimæ Dynaſtiæ *Semiophris* annos tantùm quatuor. Poſt hanc numeratur à *Manethone* Decima tertia Dynaſtia regum *60*, annos 453 alicubi dominantium. Deinde Decima quarta regum 77, alibi regnantium annis 184. Poſtea Paſtorum Dynaſtiæ Decimæ ſextæ (præter *Hycſoſos* Decimæ quintæ) reges 32, per annos 518. *Euſebius* huic Dynaſtiæ non niſi 190 annos tribuit. Dynaſtiæ Decimæ ſeptimæ, Paſtorum quoque, reges 33 enumerat *Manetho*, qui annis regnârunt 151. Interea alii quidam reges *Ægyptiorum*, maximè *Thebaïdis*, initâ conſpiratione, Paſtores *Hycſoſos* armis communibus oppugnârunt, bello gravi & diuturno. Tandem *Aliſphragmuthoſi*, *Thebæo* duce, victi ſunt; & reliquâ *Ægypto* expulſi, *Avarim* ſolummodo urbem munitiſſimam tenuerunt. Hoc tempore cœpiſſe videtur Decima octava Dynaſtia; cujus à *Manethone* *Themoſis* ſtatuitur primus rex, (*Amos Africano* dicitur, *Aliſphragmuthoſeos* filius apud *Joſephum*, contra *Appionem* 1.) qui annos regnavit 25 & menſes 4 *Dioſpoli*, ſive *Thebis*. Is, ut perficeret patris victoriam contra Paſtores, movit cum armis 480000 armatorum, & *Avarim* obſidione cinctam tenuit. Sed cùm nihil armis proficeret, in has tandem leges conventum eſt; ut *Ægyptum* relinquerent Paſtores, aliò quò vellent innoxii diſcederent. Eos tradit *Manetho* ducenta hominum quadragintáque millia in *Syriam* profectos, eam tenuiſſe regionem quæ poſtmodum *Judæa* vocata eſt, & urbem illic tot millium capacem condidiſſe *Hieroſolymam*. *Iſraëlitas* ergò fuiſſe hos Paſtores *Manetho* & *Joſephus* opinantur. Sed in errore verſari maximo, ipſum *Hycſos* nomen docet. Etſi enim captivorum paſtorum ſignificatio (quæ huic voci tribuitur à quibuſdam) conveniat *Iſraëlitis*; at ea his de quibus agitur Paſtoribus nullo modo competit. Utpote qui regio more ſemper dominati ſunt, paruêre nunquam. *Hebræi* verò, ſemper ſubditi, regnavêre nunquam in *Ægypto*. Nec *Hieroſolymæ* ab *Iſraëlitis* conditæ ſunt ut primùm in *Canaanæam* pervenerunt, quod de *Hycſoſis* traditur; ſed poſt annos ferè quingentos poſtquam ex *Ægypto* ſunt egreſſi. De temporum diſcrepantia nihil dicam. Ea enim conciliari fortaſſe non difficulter poſſent, reliqua ſi convenirent. Primus dicitur *Themoſis* abrogaviſſe legem de immolandis hominibus *Heliopoli*, ut *Porphyrius* (de Abſtinent.) docet ex *Manethone*.

A.M. 2288.

Iſaacus moritur.

§ 20. *Iſaacus* tandem, centeſimum octogeſimum ætatis annum agens, patre *Abrahamo* provectior obiit. Funus procurabant deducebántque filii duo, *Eſavus* atque *Jacobus*. Eò enim patrimonii causâ, quod exſpectabat moriente patre, acceſſerat *Eſavus* cum familia. At verò tot ſimul tantóſque greges & armenta opulentium virorum cùm anguſtiæ *Canaanitidis* vix caperent, *Eſavus* (Deo id clanculùm agente) ad affines ſuos in eos montes agróſque rediit quos antea *Seir* poſſederat, ab *Edomo Edomæam*, ſive *Idumæam*, poſtea denominârunt. Sed & *Seiris* iidem appellari montes poterant ab *Eſavo*, qui *Seir*, id eſt, *piloſus*, etiam ipſe (*Gen.* 25.25.) vocatus eſt. Filios autem atque nepotes habuit *Eſavus* in ea regione, magnos admodum & illuſtres viros. Nam ex *Ada Hithæa*, quam & *Baſhematham* appellabant, (*Gen.* 26. 34.) *Eliphazum* genuit. *Eliphazus* ex legitima conjuge quinque filios, ac familiarum principes, gentiúmque totidem duces; *Temanem*, *Omarum*, *Zephoïm*, *Gatamum*, & *Cenazum*. Ex *Thimna Horæa*, quâ uſus eſt concubinâ, ducem *Amalecum* ſuſtulit. Ex *Aholibama*, *Anæ* filia, nepte *Zibeonis*, pronepte *Seiris Hithæi*, tres liberos *Eſavus*, eoſdem duces gentium, procreavit; *Jeüſhum*, *Jaalamum*, & *Coram*. Denique, *Baſhematha*, quæ & *Mahala*, *Iſmaëlitis*, *Reguelem* peperit *Eſavo*; cujus filii fuerunt duces quatuor, *Nabatha*, *Zera*, *Shamma*, & *Mizza*. *Juditha* verò *Hithæa*, *Beeris* filia, & *Eſavi* conjux, (*Gen.*26.34.) nullos videtur *Eſavo* liberos peperiſſe. Ideo *Gen.* 36. omittitur, ubi *Eſavi* progenies numeratur. Aut ſi quos filios edidit, eadem videtur eſſe quæ (*Gen.*36.2.) *Aholibama* vocatur, patre itidem binomine genita. Neque verò pigeat hìc recenſere familiam *Seiris* & poſteros, quos tandem, utcunque affines

Eſavi progenies,

& *Seiris*.

nes ſuos, oppreſſerunt *Edomitæ*, ac in iiſdem regnârunt ſedibus. (*Deut.* 2. 12.) Filiam unicam habuit *Thimnam*, *Eliphazi* concubinam: ſeptem filios, totidémque principes gentium; *Lotanem*, *Shobalem*, *Zibeonem*, *Anam*, *Diſhonem*, *Ezerem*, & *Diſhanem*. Ex *Lotane Hori* & *Heman* geniti ſunt; è *Shobale Alvan*, *Manahathus*, *Ebal*, *Sepho*, & *Onam*. E *Zibeone Aia* & *Ana*. *Hic ille Ana eſt, quem, dum patris aſinos paſceret in deſerto*, ex aſinorum in equas admiſſura *mulos inveniſſe* ferunt, vel (ut alii exponunt hoc in loco rarum aliàs verbum) *thermas* reperiſſe primum, ſive aquas calidas, & balneorum monſtraviſſe ſalutarem uſum. Ex *Ana* procreati ſunt *Diſon*, & *Aholibama Eſavi* conjux. Ex *Diſhone* quinto *Hemdan*, *Eſhban*, *Ithran*, & *Cheran*. Ex *Ezere Billan*, *Zavan*, & *Achan*. Ex *Diſhane* poſtremo *Uz* & *Aran*. Et regnatum eſt diu ab *Eſavi* poſteris in *Idumæa*, antequam apud *Iſraëlitas* creati ſunt reges. Hoc autem ordine regnatum eſt. Primus in urbe *Dinhaba Beoris* filius imperavit *Bela*. Secundus in *Bozra Zeræ* filius, nepos *Reguelis*, *Jobab*. Tertius *Huſam Temanita*. Quartus *Hadad Bedadis* filius, cujus erat *Avitha* urbs primaria. Ejus olim celebrabatur præclara de *Midianitis* victoria. Quintus *Hadadi Samla* ſucceſſit de *Maſreca*. Sextus *Samlæ Saul* de *Rehobotha* flumentana. Septimus *Sauli Achboris* filius *Baalhanan*. Octavus *Baalhanani Hadar*, (ſive *Hadad*, 1 *Chron.* 1. 50.) ex urbe *Paua*. Uxorem habuit nobiliſſimam fœminam *Mehetabelem*, *Matredis* filiam, & neptem *Mezahabi*. Poſt reges abrogatos, exſtiterunt in *Idumæa* duces undecim, quorum anguſtius fortaſſe imperium, & poteſtas erat minor. Nomina ſolummodo traduntur à *Moſe*: 1. *Timna*, 2. *Alva*, 3. *Jethethus*, 4. *Aholibama*, 5. *Ela*, 6. *Pinon*, 7. *Cenazus*, 8. *Temanus*, 9. *Mibzarus*, 10. *Magdiel*, 11. *Iram*. *A. M.* 2288.

§ 21. In *Ægypto* jam propè aberat *Joſephi* libertas, quam ſomniis deberi Deus voluit. Itaque divinitus *Pharaoni* oblata ſunt dormienti ſomnia; quæ (ut ſolent quæ obveniunt cœlitus) perculſum vehementer animum regis pungebant & fodicabant perpetuò, donec eſſet nactus interpretem. Manè primò Mathematici ac Divinatores & Hariolorum peritiſſimi advocantur & conſuluntur. Ingenia illi torquere, & aliquid afferre quiſque pro ſe, quo peritiam ſuam oſtentet, ineátque gratiam. Sed nihil erat omnium quæ reſpondebant quod anxium regis animum levaret, nihil quod ſatisfaceret. Tandem itaque pincernarum præfectus *Joſephi* recordatus eſt, monuítque regem, eſſe juvenem ex *Hebræorum* gente apud ſatellitum præfectum, qui ſibi piſtorúmque principi ſomnia erat veriſſimè interpretatus in carcere. Sic enim eveniſſe omnia, quemadmodum ille prædixerat futura. Eum protinus accerſi jubet rex: Nec mora. Lotus tonſúſque, ac mutatis veſtibus, ut ſordes exueret & ſqualorem carceris, ad *Chebronem* deductus eſt. Tum blandè hominem compellans rex, "*Objecta mihi fuerunt* hâc nocte, inquit, *ſomnia quædam. Nullus autem eſt omnium* "*Ægyptiorum qui exponat. Tuam*, juvenis, *audivi qui laudarent in ſomniis interpretan*-"*dis peritiam.* Quàm vera hæc eſſet laus, ex temetipſo volui cognoſcere. "*Mihi verò*, "potentiſſime rex, ait *Joſephus*, *nullam deberi laudem fateor*, ſed uni, cujus ope gratiâ-"que nitor, *Deo. Ille votis tuis fauſta omnia reſpondebit ac felicia.* Quare pergit rex narraturus quæ in ſomnis viderat. "*Cùm in ripa Nili ſtarem*, inquit, *è fluvio vaccæ* "*aſcendebant ſeptem*, *pingues & pulchræ admodum*, herbáſque *depaſcebant* & grami-"na. *Mox aliæ ſeptem ex eodem flumine prodiverunt, non minùs deformes ac macilen*-"*tæ*, *quales in Ægypto vix ullibi reperias.* Facilè crederes famelicas. *Itaque pul*-"*chras illas* repentè *deglutiebant* omnes: *neque tamen ipſæ pinguiores factæ ſunt.* Ter-"ritus hoc monſtro *expergefactus ſum*, impoſturâ ſomni lætiſſimus. Iterum invadit "ſomnus, *ſomniúm*que *novum. Septem ſpicæ plenæ ſuccreſcebant ac pingues ex eodem* "*culmo. Septem aliæ mox aridæ ac tenues*, è culmis quidem ſingulæ ſingulis, *na*-"*tæ ſunt, ac pulchriores illas* more vaccarum turpium *devorabant.* Perturbatus & "experrectus, ſenſi & hoc ſomnium eſſe, haud multùm diſſimile priori. Inter om-"nes tamen *Ægyptiorum* Sacerdotes & Mathematicos *nullum reperio*, *qui quid iſta* "*ſibi velint explicare poſſit.* Tum *Joſephus*, "Maximâ te *Divinum cœli Numen* gra-"tiâ dignatur, maxime rex, qui *futuras tibi res*, maximè profuturas atque obfutu-"ras tuo imperio, *jam antè denunciat. Nam utriuſque ſomnii eadem eſt mens. Sep*-"*tem vaccæ ſeptémque ſpicæ*, *generis utriuſque*, *totidem ſignificant annos*: illæ quidem "pulchræ ac pingues, annos fertiles, copiâque rerum abundantes; ſed *aridæ ſpicæ* "*vaccæque macilentæ*, *ſteriles annos*, magnâque laboraturas fame, denotant. Itaque "prædicit fore tibi Deus, ut *Ægyptus* proximis qui ſequuntur *ſeptem annis*, ex tem-"peſtiva *Nili* profluentia, *profluentiâ rerum*, frumenti pecudúmque, *fruatur maximâ*.

A. M. 2289. *Joſephus* *Ægyptii regis interpretatur ſomnia*;

 "*Annis*

A.M. 2289.

" *Annis verò ſeptem conſecuturis* deinceps, tantam ex ejuſdem fluminis inclementia " terræ *ſterilitatem*, rerúmque omnium *orituram inopiam*, *ut copiam priorem nova ſit devoratura fames. Quare videat* ſapientiſſimus *rex, ut virum aliquem induſtrium atque prudentem rei frumentariæ præficiat in regione univerſa*; *ut illi ſubjiciantur* in " ſingulis Nomis *præſides, qui, abundante rerum copiâ, quintam proventuum partem* " *in uſum regis exigant colligántque*; *collectam reponant* in granariis; repoſitam denique " promant cùm opus fuerit, ac diſtribuant, *ne*, annonâ deficiente, *fames Ægyptum* " *depopuletur.* Hâc interpretatione ſui ſomnii, rex nodum expeditum, & animum ſibi ſenſit expletum, ut nihil amplius jam requireret. Saluberrimum verò tum *Pharaoni*, tum principibus aulicíſque, *Joſephi* conſilium videbatur. In hoc igitur munere *Joſepho* ipſi rex neminem præferendum exiſtimabat. Illi enim non dubitabat adeſſe Numen aliquod, qui arcanam deorum mentem tam facilè intelligeret & explicaret. Illum igitur aulæ regiæ, illum *Ægypti* regno præfecit; illius dicto audientes eſſe omnes voluit. Sibi ſolium retinuit noménque regium: curam atque autoritatem in *Joſephum* contulit. Tanti honoris inſignia nè deeſſent, ſuum illi annulum in digito, torquem in collo aureum, byſſináſque veſtes addidit, atque proximum ſuo currum; in quo ſubvectus altè dum incedebat, *Abrech Abrech* acclamabant præcones: ſive id *Genu flectite*, ſive *Pater regis*, ſignificet. Poſtremò, nomen illi novum eſt impoſitum, *Zaphenath Panea*, id eſt, *Vir occultorum inventor*, aut *interpres*; uxor quoque data, *Potipheræ Aſnatha*, viri facilè principis apud *Ægyptios*, filia, & in civitate *One* (quam *Heliopolin* fuiſſe credunt nonnulli) præſidis. Annulus verò quem dediſſe *Joſepho* regem diximus, non ſolùm dignitatis erat maximæ indicium, ſed & ſigillum fortaſſe, quo literas ac diplomata obſignaret regio nomine atque communiret. Triceſimum agebat annum *Joſephus*, cùm reipſa præſtitit quod conſuluerat verbis. *Ægypto* enim peragratâ, in ſingulis provinciis, ſingulíſque annis, frugum quintam edicto regio partem ſuſtulit, juſto emptam pretio, atque recondidit; unde oneravit granaria frumento.

eóque ad ſummam dignitatem ſubvectus eſt.

A.M. 2293.

Florente jam in *Ægypto* rerum omnium copiâ, *Joſepho* etiam honoribus opibúſque florente, felicitatis tandem hærede locupletatus eſt, ex conjuge *Aſnatha*, cui nomen eſſe voluit *Manaſſes*. Id *Hebræo* idiomate *Oblivionem* ſignificat. Deus enim, & malorum quæ paſſus in *Ægypto* eſt, & injuriarum in paterna domo, felicitate aulicâ induxerat memoriam. Poſt unum alterúmve annum, alter *Joſepho* natus eſt filius, *Ephraïmus.* Id nomen *Multiplicationes* notat: eóque teſtari voluit pius vir ſuam erga Deum gratitudinem, cujus ope creviſſet, ſobole, divitiis, honoribus, omníque felicitate auctus & cumulatus.

A.M. 2297.

Argivorum eſt Argus rex,

§ 22. *Argus*, *Niobes* filius, teſte *Pauſaniâ*, ex *Apide* forſan patre, eodem vel *Telexionis* atque *Telchinis* proditione cæſo, ut *Apollodorus*, (lib. 2.) vel in *Ægyptum* diſcedente, *Argivorum* regno potitus eſt, annóſque tenuit 70. Quâ regni diuturnitate felicitatéque ſummâ obtinuit, à ſe ut novum nomen ac diuturnum urbs contraheret, *Argos*, quæ *Phoronicum* antea dicebatur. Ab urbe regio *Argia*, ſive *Argolis.* Imò ipſam ab eo peninſulam *Argos* appellatam aliqui tradunt, nomen *Apiæ* prius abjeciſſe. Propter virtutis præſtantiam gloriámque nominis, *Jovem Argo* patrem fuiſſe fingebant veteres Poëtæ, primámque mortalium *Nioben* hanc adamâſſe, ultimam verò *Alcmenam Herculis* matrem. Solebant enim Poëtæ, (ut hoc inprimis moneam, de quo ſæpius dicendum eſt,) viros quoviſmodo claros ac nobiles ex deorum proſapia deducere. Si qui erant robore immanes & truculenti, patrem iis ferè *Neptunum* tribuebant, quíque in locis maritimis naſcebantur illuſtres viri. Aſtutos atque facundos *Mercurio* ſatos; *Marte* bellicoſos; doctos atque ingenioſos, præcipuè Medicos, *Apolline*; ſummis virtutibus & heroë dignis præditos, ipſo genitos *Jove* comminiſcebantur. Namque

Igneus eſt illis vigor, & cæleſtis origo.

Varro quidem utile eſſe civitatibus dixit, ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex diis genitos eſſe credant, quò magnas res aggrediantur audaciùs, & feliciùs peragant. (*Aug.* de Civ. Dei 3.4.)

Argolis autem, ſive *Argia*, *Apiæ* ſeu *Peloponneſi* regio eſt, è ſenis una verſus Orientem. A *Malea* promontorio ad Iſthmum uſque *Corinthiacum* extenditur. Itaque primus ad *Scyllæum* promontorium à *Malea* ſinus, *Argolicus* appellatur, trajectu 50 mill. paſſuum, idem ambitu 172 millium. Oppida *Boëa*, *Epidaurus*, *Limera* cognomine

mine *Zarax*; *Cyphanta* portus. Amnes *Inachus*, *Eraſinus*; inter quos *Argos Hippium*. *Eraſinum* fluvium, ex palude in *Arcadia Stymphalide* ortum, ferunt ſub terram ſe abdere, in *Argia* denuo erumpere. *Inachi* fontes ex *Lyrcio* monte apud *Cynuriam Arcadicam* oriuntur. Supra lacum *Lernen Mycenæ* ac *Tirynthis*; montes *Artemius*, *Apeſantus*, *Aſterion*, *Parparus*, aliíque undecim numero. Fontes *Niobe*, *Amymone*, *Pſammathe*. A *Scyllæo* ad Iſthmum 177 mill. paſſ. Oppida *Hermione*, *Trœzen*, *Coryphaſium*; appellatúmque aliàs *Inachium*, aliàs *Dipſium Argos*. Portus *Cænites*: ſinus *Saronicus*, olim querno nemore redimitus, unde nomen; ità *Græciâ* antiquâ appellante quercum. In eo *Epidaurum* oppidum, (primò *Epitaurus* dictum, *Strab.*8.) *Æſculapii* delubro celebre; *Spiræum* promontorium; portus *Anthedon*, & *Bucephalus*, & *Cenchreæ*, (*Corinthiorum* verſus Orientem navale,) Iſthmíque pars cum templo *Neptuni* quinquennalibus inclyto ludis. (*Plin.*4.5.) Navale *Argivorum Nauplia* dicebatur, quaſi navibus plena; non à *Nauplio Amymones* filio: (*Strab.* 8.) *Eiones Mycenarum*. *Trœzen*, ſacra *Neptuno*, 15 ſtadia diſtabat à mari. Ante portum ejus, qui *Pogon* vocabatur, *Calauria* jacebat parva inſula, 30 ſtadiorum circuitu, cum aſylo *Neptuni*; quale *Cereris* & *Proſerpinæ* apud *Hermionenſes* fuit. Indè ad inferos brevis fuiſſe deſcenſus credebatur. Itaque naulum non exigebatur à mortuis. In *Arachnæo* monte aræ poſitæ ſunt *Jovi* ac *Junoni*; ad quas in magna ſoli ſiccitate immolabant. (*Pauſ. Cor.*) Erat ſuum & *Argivis* longo pòſt tempore oraculum in *Apollinis* templo, qui *Diradectes* vocabatur, à jugo montis ubi templum ſtabat. Virgo præſidebat, quæ ſingulis menſibus noctu agnâ ſolebat facere, & victimæ libato ſanguine ſtatim furore afflata eſt.

A.M. 2297.

§ 23. *Acuſilaus Apollodor.* (lib. 2.) & *Pelaſgum Niobe* ſatum & *Jove* tradidit; qui temporibus fortaſſe iiſdem quibus *Argus* atque *Niobe* claruit. Sed *Heſiodus* atque *Aſius* Poëtæ, ipsíque *Arcades*, indigenam fuiſſe, & è ſua quaſi terra natum, volunt. *Arcadum Pelaſgus.*

> Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
> Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν. ——
> *Montibus alticomis peperit nigra Terra Pelaſgum*
> *Diis ſimilem.* ——

Eum *Pauſanias* credit (in *Arcadicis*) magnitudine, robore ac formâ, corporis animíque pariter dotibus, reliquos mortales iis in locis ac temporibus ſuperâſſe; eámque ob rem ei regnum à ſuis traditum. Cùm igitur is apud *Arcades* regnaret, primus tuguria ædificare docuit, ad arcendas injurias cœli, & è ſuillis coriis facere tunicas; primus legere glandes, de fago præcipuè, cùm antea radicibus atque herbis, iíſque interdum noxiis, veſcerentur. Atque hanc victûs rationem per multa deinde ſecula retinuiſſe *Arcadas* ferunt. Itaque apud *Herodotum* (lib. 1.) & *Pauſaniam* (in *Arcad.*) ab oraculo vocantur *Arcades* Βαλανηφάγοι, *Glandivori*. Ac de iis præcipuè Poëtæ,

> *Glans aluit veteres.* —— (*Tibull.*2.3.)

Ovidiúſque (Faſtor.4.) pleniùs,

> *Panis erat primus virides mortalibus herbæ,*
> *Quas tellus nullo ſollicitante dabat.* &c.
> *Poſtmodo glans nata eſt: bene erat jam glande repertâ:*
> *Duráque magnificas quercus habebat opes.*

Indè proverbium, tritico reperto, enatum eſt, Ἄλις δρυός. A rege *Pelaſgo*, *Pelaſgia* vocata eſt inprimis univerſa regio, quam ab *Arcade* poſtea dixerunt *Arcadiam*. Ea verò in *Apiæ* ſeu *Peloponneſi* medio ſita eſt, agríque mediterranei plurimum continebat, nuſquam pertinebat ad mare. Eadem *Plinius* habet, (lib. 4. 6.) *Mediterranea Peloponneſi Arcadia maximè tenet, undique à mari remota: initio* Drymodis, *mox* Pelaſgis *appellata*. Montes in ea plurimi, *Pholoë*, *Lycæus*, in quo *Lycæi* erat *Jovis* delubrum, *Mænalus*, *Artemiſius*, *Parthenius*, *Lampeus*, *Nonacris*, & maximus omnium *Cyllene*; prætérque ignobiles octo. Amnes, *Ladon* è paludibus *Phenei*, *Erymanthus* è monte ejuſdem nominis, in *Alpheum* defluentes. Illic & *Stygis* ad *Nonacrin* fons exitialis aquæ, ſtillantis ex alta rupe, & in *Crathin* fluvium delabentis; quæ vaſe nullo niſi ungulâ equinâ contineri poteſt. Huic malo paria ut natura faceret,

A.M. 2297.

alius in *Arcadia* erat apud *Cynæthaënſes* aquæ prægelidæ fons, quæ hauſta, vulnera, canúmque rabidorum morſus, aliáque ſanabat ulcera. Unde *Alyſſon* vocabant. *Ladon* fluvius aquæ pulchritudine omnibus *Græciæ* fluminibus antecellit. Nec deerant prope *Phigaliam* calidarum quoque aquarum balneæ. In ſylvis alebantur teſtudines inſigni magnitudine, *Indicis* pares, unde lyras facilè conficiebant. *Græcanicarum* antiquiſſima ferè gens *Arcades*, *Joves* duos apud ſe genitos prædicabant. *Pan* illis indigena deus habebatur ; quem in *Mænalio* monte fiſtulâ canentem accolæ ſæpius audiviſſe affirmabant ſe. Quare illi, ut majoribus diis, & vota hominum rata facere, & meritâ improbos coërcere pœnâ, tribuebant. Ignis ei perpetuus ardebat. Quin & reſponſa oraculorum reddere ſolitum antiquitus, ferebant ; eorúmque interpretem *Erato* nympham fuiſſe, uxorem *Arcadis*. *Mercurium* quoque apud ſe natum in monte *Cyllene* ; *Acacum* verò filium *Lycaonis* nutriviſſe puerum deum, tradebatur ab iiſdem. Ex omnibus diis eum præcipuè colebant *Pheneatæ*, qui ludos ei *Hermæa* dictos faciebant. *Mantinenſes* in templo *Cereris* & *Proſerpinæ* ignem alebant perpetuum ; ſummâque religione cavebant, nè quando extingueretur. *Eleuſinæ Cereris* initia iiſdem ritibus *Pheneatæ* peragebant quibus ipſi *Eleuſinii*, à *Nao* ſibi tradita *Eumolpi* pronepote. Prope templum lapides eminebant prægrandes duo, aptè inter ſe coagmentati. *Petroma* vocabant. Ex iis disjunctis majorum initiorum ritus quotannis, literis quibuſdam conſignatos, prælegebant, audientibus qui initiati fuerant ; deinde lapides in ſedem priſtinam eâdem nocte reponebant. Ad hanc lapidum compagem religioſiſſimè jurabant *Pheneatæ*. *Aliphereæ* nundinas celebrabant *Minervæ*. Sed uni ante omnes heroï *Myagro* rem divinam faciebant ; cujus implorato ſuper hoſtiis nomine, ſecuros putabant ſe inter immolandum ab omni muſcarum protervia. *Pallantii Arcades* ſummâ religione de rebus maximis juramenta concipere per deos *Puros* ſolebant ; quorum aderat fanum in collis vertice. At nomina ſingulorum vel ignorabant, vel tacebant de induſtria. *Phigaliæ* in *Arcadia*, docet in *Laconicis Pauſanias*, peculiares quoſdam ſacerdotes fuiſſe ad cædes expiandas, quos Ψυχαγωγὲς appellabant, id eſt, *Curatores* ſeu *Luſtratores animarum*. Ferunt ab his *Pauſaniæ Laconis* facinus unum purgari non potuiſſe. Id verò non ſceleratum de *Græcia* prodenda conſilium fuit ; ſed quòd puellam ad ſe noctu accedentem Veneris causâ, ſubitò experrectus ac perterrefactus animo ſibi malè conſcio, quaſi inſidiatorem interemit.

Poſt annos aliquot *Pelaſgus* ex *Arcadia* in *Epirum* dicitur migraviſſe, & colonos eò traduxiſſe, quos ab eo credibile eſt *Pelaſgos* fuiſſe appellatos. Unum ex his ferunt in *Theſprotide* regnaviſſe primum, qui *Phaëton* vocabatur. (*Plut.Pyrr.*) Ab his, opinor, *Pelaſgis* barbarorum deorum, *Ægyptiorum* præcipuè, nomina *Græcanicis* impoſita fuerunt diis ; qui generali tantùm nomine deorum antea colebantur à *Græcis*. Quippe antiquiſſimam rem credibile eſt à *Pelaſgis* antiquiſſimis inſtitutam fuiſſe. Ii ergò *Dodonæum* oraculum conſuluerunt jam tum loquax, liceretne id fieri ; cúmque reſpondiſſet vates debere, tum primùm diſtingui cœpêre nominibus *Græcanici* dii : *Pelaſgis* præeuntibus, reliqui ſecuti ſunt *Græci*. (*Herodot.*2.) Indè factum videtur, quòd principem deorum *Jovem* ſibi *Arcades* aſſeruerint ; imo ex una prodierint *Arcadia Joves* duo.

Anni ſeptem ſteriles in *Ægypto*:

§ 24. Hactenus floruerat *Ægyptus* inexhauſtâ rerum affluentiâ. Octavo demum anno (quod prædixerat *Joſephus*) *Mutat terra vices*. Non fluvius aquas terræ, non terra populo fruges præbet quas ſolebat. Æſtu immodico torrentur omnia. Ipſæ nubes & pluviæ deficiunt in *Æthiopia*, quibus erat alendus augendúſque *Nilus*. Arida igitur ingratáque tellus nè ſortem ſibi traditam ſeminis reddit creditori agricolæ. Illico ſterilitatem ſentiunt *Ægyptii*, non tamen illico famem. Sibi enim quiſque domi repoſuerat annonam, id præmonente *Joſepho*, quæ ſoli ſublevaret ingratitudinem ad tempus.

——————Et illis utitur antè
Quæſitis ſapiens,

quamdiu aliquid ſuperfuit quo uteretur. Sed unius erat anni hoc remedium. Poſteaquam defecerat ſubſidium domeſticum, tum ſtrenuè cœperunt omnes eſurire. Ad aulam properant ; ſupplicibus libellis fatigant *Pharaonem*. Opes regias implorant, ſine quibus omni populo pereundum ſit fame. Clamore tanto excitatus rex, primò Divinum *Joſephi* eſt miratus ingenium, ante annos aliquot vaticinati hæc mala ;

unde conſequitur fames,

de-

deinde, ſubditorum quoque miſertus, *Joſephum* ut adeant annonæ præfectum, ejus ut mandatis obſequantur, jubet. · Cùm *Joſephum* conveniſſent, aperta ſunt in ſingulis provinciis granaria : indè ſalus populo non data quidem, ſed pretio eſt vendita, quo regi theſaurus ingens congeſtus eſt. Neque verò hæc *Ægyptios* tantùm opprimebat calamitas. Omnes vicinæ regiones, *Libya*, *Æthiopia*, *Syria*, *Canaanitis*, *Arabia*, eodem correptæ laborabant malo. Itaque in *Ægyptum* undique frumentatores commeant, qui triticum auferant quovis pretio.. Eò tandem ſuos quoque filios emittit *Iſraël Jacobus*, ne ſegnitiâ potiùs quàm inopiâ interiiſſe viderentur. *Benjaminum*, ſuæ matris unicum, minimúmque filium, itineris tam longinqui periculis noluit exponere. Reliqui fratres, non minùs conſilii quàm victûs inopes, prudentiæ ſenis obtemperant, agente id præſertim in viſceribus oratorum facundiſſimo fame. Quò plures in *Ægyptum* delegârat, eò majorem ſperabat tritici datum iri copiam prudentiſſimus pater. Nam ſingulis pro indigentia venditum fortaſſe frumentum certâ menſurâ inaudiverat. Aliud erat conſilium Dei. Omnes qui conſpiraverant in *Joſephum*, adeſſe voluit ſimul in *Ægypto*, ut metu ſaltem horrifico cruciarentur omnes, & luerent facinus in fratrem. Noluit reliquos comitari *Benjaminum*, ut cauſa indè ſpecioſa vexandi fratres arriperetur. Hâc enim ratione ad cogitandum deplorandúmque ſeriò id quod in *Joſephum* admiſerant flagitium, quaſi aliud agens impulit. Confertim undique in *Ægyptum* concurritur; *Joſepho* ſupplicatur; frumentum emitur. Unà cum aliis accedunt *Iſraëlitæ*, & quàm poſſunt humillimâ veneratione, ad captandam Principis gratiam, coram *Joſepho* proſternunt ſe. Ille ſibi fratres adeſſe facilè animadvertit, & ſomnii ſui de manipulis continuò recordatus eſt. Sed fratres agnovit ignotus ipſe, tanquam è tenebris in Sole conſtitutos proſpiciens: nihil enim in iis ferè immutatum, in ipſo erant omnia. Et nomina fortaſſe peregrinorum tradebantur. Quare diſſimulandum ad tempus putavit, aſperiúſque ſibi compellandos fratres; non tam ut ſuas injurias ulciſceretur, quàm ut certiora de *Benjamino* ac patre cognoſceret, ipſos verò ad ſeriam aliquando reſipiſcentiam adigeret. Pœnas illi quidem ſunt graviſſimas meriti. Sed caſtigat *Joſephus* molli brachio, non crudeliùs inſectatur; & refricando memoriam peccati veteris, non tam lædere voluit, quàm ſanare vulnus. Vultu igitur ad ſeveritatem compoſito, unde ſint rogat. Illi, *ex Canaanæa ſe ad emendum veniſſe triticum*, reſpondent. "Ad "emendum verò triticum? ait *Joſephus. Imò ad explorandum veniſtis*, quà hoſti- "bus pateret aditus expeditiſſimus; quæ regni ſint vires, quæ munitiones urbium. Illi aſſeveratione magnâ reſpondent, *frumentandi ſe causâ tantùm adveniſſe: homines probos atque veraces*, *unius omnes parentis filios*, ex eadem prodiiſſe domo. Magnopere igitur ſuſpicionem hanc irámque domini ſervos innocentes deprecari. Pergit tamen *Joſephus*: "Quid homines mihi probos narratis? tot liberos, tam æta- "te pares, ex eadem familia? Imò tot ex eadem gente *proditores adeſtis.* Quid faciant miſeri? Negant pernegántque, ſed fide carent. Et ſi totam audire libéret hiſtoriam ſuæ domûs, fuiſſe quidem ſe narrant *fratres duodecim*, *unius patris in Canaanæa liberos. Minimum apud ſe detinuiſſe patrem domi.* Properante fato *ſublatum eſſe alterum.* Tum *Joſephus* paulò iracundiùs, "Quid? inquit: minimus do- "mi? An plus adhuc fratrum eſt vobis? *Hic ſit igitur veritatis index. Per vitam* "*Pharaonis*, *haudquaquam ego dimittam vos*, *niſi ſiſtatur mihi minimus* ille, quem "dixiſtis, *frater. Eat aliquis veſtrûm*, *adducat huc. Reditum ejus in vinculis ex-* "*ſpectabunt alii.* Sin minùs, *mendacii vos ac proditionis reos*, *per vitam Pharaonis*, "cruci omnes affigam. Protinus in cuſtodiam & vincula dati ſunt, ubi magno cum dolore ſuam culpam, ſuam deplorabant miſeriam. Nam *Joſephi* causâ contigiſſe ſibi hæc, ſua ſingulis dictabat & exprobrabat conſcientia. Ab eo enim tempore prima hæc eos pungebant mala. Diras ultrices adeſſe jam ſuæ ſummæ immanitatis in fratrem, jactitabant. Sed liceat hîc advertere, ut viri aliàs puri, ſordes contrahant ex conſuetudine familiari hominum impiorum. Per *Pharaonis vitam*, quaſi Numen aliquod divinum, jurabant *Ægyptii*; ut *Romani* poſtea per *Genium Principis*. Hujus adulationis contagio in ipſum *Joſephum* ſubrepſerat, integerrimum virum. Tertio demum die, cùm ſatis videretur temporis datum quo excuterent conſcientias ſuas, dolerent, ac reſipiſcerent, levati ſunt vinculis; paulóque mitiùs agit, quàm erat minitatus, frater. Obſidem in vinculis unum detineri vult, qui culpam præſtet omnium ſi fallant fidem; reliquos cum frumento redire ad patrem; minimum denique fratrem adduci ad ſe. Ità demum veraces, ità tutos fore liberóſque: Nam & ego

A. M. 2297.

etiam in vicinis regionibus.

Frumentatum veniunt in Ægyptum Joſephi fratres.

Aſperiùs tractantur,

in cuſtodiam dati.

A.M. 2297.

ego, inquit, *Deum*, ſi prudens violavero jus, mihi Judicem *timeo* Vindicémque. Oblata conditio facilè accipitur, quæ fruſtrà recuſatur. Tum verò contineri diutiùs dolor extremus non potuit, quin ſolveret effunderétque ſe in querelas. "Heu! quanti ſceleris, inquiunt, pœnæ à nobis jam repetuntur! Quam verò nos clementiam aut miſerationem exſpectabimus à peregrino, *qui fratri querenti, ac miſerabiliter ſupplicanti, nullam exhibuimus?* Ille, ille nos in iſtum detruſit carcerem, ille his nos vinculis oneravit. Talionem patimur æquiſſimam. *Frater à nobis exauditus non eſt*; neque nos à Principe. Frater eſt abjectus in ciſternam, nos in carcerem. Frater eſt proditus *Midianitis*; nos proditionis in *Ægyptios* rei agitamur: ut ipſa proditio fratris prodita videatur, ejúſque pœnam nos meritò etiam innocentes luere. Hæc alii. *Rubenus* paulò graviùs increpat. "Imò verò hæc à nobis atrociſſimi facinoris juſtiſſima exigitur vindicta. *Dixin' ego monuíque vos*, ac prohibui ſæpius, *nè violaretis puerum?* Veſtræ tamen crudelitati indulgere maluiſtis, quàm obſecundare monitioni meæ. *Ejus itaque cruoris clamor* penetravit cœlum, & *hoc in nos devocavit ſupplicium.* Ità *Rubenus.* Ecce verò quàm bona ſint bonis viris, maximo Dei beneficio, ipſa mala. Quò non leges, non conciones, non parentum reverentia, non ipſius Dei timor, ad reſipiſcentiam calamitates adigunt. Conſcientiam ſuſcitant dormientem, objiciunt peccata, timorem atque dolorem incutiunt ſalutarem; errantes denique, in viam vitæ, ad ſe, ad patrem, ad ſuum revocant Deum. (*Pſal.* 119.71.) Neque tamen apud impios idem valent.

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodémque igni:———

Ità flammis rerum adverſarum pii molleſcunt ac liquefiunt in lacrymas & pœnitentiam, indureſcunt mali. Sic illi miſerè conquerebantur; eóque liberiùs, quòd neminem putabant conſcium. Nam *Joſephus* per interpretem collocutus, *Hebræam* linguam videbatur minùs intelligere. Intellexit omnia tamen, & quaſi aliud agens ſubauſcultaverat. Et par quidem fuit, eum cognoſcere dolorem ac pœnitentiam fratrum ob admiſſum in ſe ſcelus, quò faciliùs ignoſceret ac rediret in gratiam. Ille mitiſſimus vir non potuit non dolere, quòd tantopere ſui dolerent fratres ſui causâ. Itaque avertit ſe, ut lacrymis dolorem expleret egereretque. Deinde vultu rediit ſereniore, ſed tamen auſtero. *Simeonem* protinus, qui fortaſſe in illum teterrimus fuerat, comprehendi juſſit, ligaríque vinculis in conſpectu fratrum; quò & illos terreret magìs affligerétque. Reliquos dimiſit, impletis ſine menſura ſaccis frumento, abditóque in ſaccis frumenti quod tradiderant pretio. Ità *Joſephus* imperaverat, nè tantâ patrem ſpoliaret pecuniâ. Addidit præterea ſingulis viaticum, ut annonam integram referrent ad patrem. Dum læti redeunt ex magnis liberati periculis, unus fratrum in diverſorio, aſinis pabulum porrecturus, explicato ſacco, reperit pecuniam. Reliquis annunciat continuò novam rem. Illi, neſcio quem ſubeſſe dolum veriti, horrent omnes & obſtupeſcunt. Errat enim ſemper animus æger. Poſtquam evigilaverit conſcientia mala, cuncta ſuſpicatur, vanáque ſibi fingit pœnarum atque periculorum ſomnia. Iratum graviſſimè Deum, neque pacatum eſſe adhuc metuunt, qui novum diſcrimen miſeris, atque pœnam novam parit. *Quid hoc eſt*, inquiunt, *mali, quod molitur in nos Deus?* Neque enim *Ægyptios* fruſtrà & fortuitò machinari, iſtóſque ſibi laqueos ponere; Dei conſilium, atque ſuum id agere peccatum, facilè crediderunt. Tandem redeunt ad patrem, frumento lætum, filiorum adventu lætiorem. At in his deſideratur *Simeon.* *Simeonis* abſentia commemorandi anſam præbuit quæcunque ſibi acciderant in *Ægypto*; ſeveritatem Principis, ſuſpicionem proditionis, ſuam purgationem, poſtremò obſidem relictum *Simeonem*, donec *Benjamini* adventus liberaret. De ſuo interim parricidio nihil, more hypocritarum; quanquam inter ſe confeſſi jampridem, hanc veram fuiſſe omnium cauſam. Hoc tot malorum nuncio gaudium ſenis modò natum, vel extinguitur planè, vel maximè turbatur & corrumpitur; nè quam in hac vita bonus vir ſinceram voluptatem ſentiat. Hactenus tamen non ſtat malum. Dum in horreum exonerant frumentum, pecuniam inveniunt ſinguli reconditam in ſaccis. Id verò tam patrem quàm filios in maximum conjecit metum. Itaque non potuit ſilere diutiùs ſummo dolore oppreſſus ſenex: *A vobis*, ait, filii, *à vobis mihi hæc orbitas. Joſephum requiro, Simeonem deſidero*; veſtro equidem vereor utrumque peccato. *An & Benjaminum auferetis mihi? Heu! in quæ vos me coëgiſtis mala!* Reſpondet illi maximus

[margin: ubi detinetur *Simeon.*]

mus natorum *Rubenus*; "Paulò mitiùs, obſecro, & ſedatiùs perpende hanc rem, "mi pater. *Meæ fidei Benjaminum credito. Duos* ego tibi committam *filios.* Hi "ſint obſides, hi pignora. *Illum ego niſi reduxero, tu mihi hos tollas è medio.* "Egóne, inquit *Jacobus*, ut tuos mactem filios, nepotes meos? Pactum verò imprudentiâ & impietate plenum. Egóne ut *Benjaminum Simeone* commutem, aut liberos tu fratre? Egóne ut in tot conjiciam pericula filium hunc optimæ ſpei, ſuæque matris unicum, *Simeonis* gratiâ? Eat, valeat: vos, qui reliquiſtis, reducatis. "Nam *ſi quis mihi Benjaminum adverſus caſus abſtulerit*, vel *in itinere* tam longinquo, vel in tam barbara & crudeli gente, actum erit de *Jacobo*; ipſe *dolor hos canos deducet in ſepulchrum*, vóſque omnes reos peraget parricidii. A.M. 2297.

Poſt menſes aliquot abſumptâ ferè quam ex *Ægypto Iſraëlitæ* attulerant annonâ, nova fames crudelia minitabatur. Filios igitur monet *Jacobus*, ut frumentatum eant, ac in *Ægyptum* iter inſtituant novum. Omnium unus voce reſpondet *Juda:* "Quicunque ſumus, inquit, nos, benigne pater, tui profectò liberi ſumus. Inſectari "verò tuos odio capitali, adeò ut in certum exitium agas præcipites, procul abeſt à tuis "moribus, à mente procul abſit hoc ſcelus. Sed delegare in *Ægyptum* abſente nos *Benjamino*, quid eſt niſi in certum præcipitare interitum? *Prohibuit enim vehementer ille* "præfectus annonæ apud *Ægyptios*, iterum atque iterum proditionis pœnam intermi-"natus *prohibuit, nè quis noſtrùm auderet in ſuum redire conſpectum, niſi minimo fratrum* "*præſente. Illum igitur ſi comitem das, ibimus*, devorabimúſque omnes moleſtias, op-"timi patris ac liberorum ſuaviſſimorum gratiâ. *Sin minùs*, domi perire ſatius "videtur in *Canaanæa*, quàm poſt iter moleſtiſſimum trucidari omnes in *Ægypto.* Hæc *Juda.* "Equidem video, ait *Jacobus*, in magnas me redactum eſſe anguſtias. "Aut filius dimittendus in *Ægyptum*, aut omnibus pereundum eſt fame. Sed vos in "has me adegiſtis anguſtias, qui *alium fuiſſe mihi filium indicâſtis.* Quid enim attinebat, homini peregrino privatæ familiæ prodere ſecreta? Illi ad hæc, magno id ſe purgandi ſtudio feciſſe. "Nihil unquam nos, inquiunt, volentes atque ſcientes "prodidimus. *Severiſſimâ quæſtione habitâ, interrogatum eſt diligenter, an pater ad*-"*huc viveret, an aliquis frater ſupereſſet.* Nobis aut veriſſimè reſpondendum erat, "aut ſubeundum vitæ certiſſimum diſcrimen. *Quis autem ſuſpicari potuit, homi*-"*nem poſtulaturum, ut fratrem adduceremus in Ægyptum?* Sic illi. *Juda* verò iterum, "Noli, obſecro, amantiſſime pater, noli ampliùs fruſtrà colluctari eo cum "hoſte qui expugnari non poſſit, Neceſſitate. Abſit ut perire nos omnes velis uni-"us gratiâ, cui tamen ipſi eâdem ſit ſtrage occumbendum. Si communi omnium cu-"ræ minùs fidendum putes, *in meam unius fidem trade Benjaminum. Liceat obli*-"*gari me conditione quavis. Niſi reddidero tibi in manus liberum incolumémque, reus* "*ego ſim*, quamvis pœnam ſoluturus. Vide quantum hujus obſtaculi *mora* noſtris "jampridem rebus obfuerit. *Binis jam vicibus* onerati *rediiſſemus* ex *Ægypto*, niſi "hæc domi nos detinuiſſet diſceptatio. Victus tandem *Jacobus*, importunitati filiorum ceſſit. Dubium ei hactenus viſum eſt, ſatiúſne fame ſibi perire foret deficiente victu, an dolore, amiſſo quem unicè amabat *Benjamino.* Nodi tam utrinque tenacis ſolutionem quàm diutiſſimè potuit procraſtinavit, ac de die in diem diſtulit. Tandem exitio periculum, & certo damno prætulit ſpem. Nova igitur præcepta profecturis dedit: Præfectum annonæ ut aliquo ſibi conciliarent munere; optimos quoſque ut *Canaanitidis* fructus illi offerrent, reſinam & mel, aromata & ſtacten, denique pineas & amygdala: Frumenti deinde pretio duplicato inſtructi, errorem pecuniarium (ſi quis fuit) corrigerent: Poſtremò, fratrem ut acciperent ſibi comitem *Benjaminum.* Precibus diſcedentes proſequitur, apud Deum, qui unus omnia præſtare poſſit, vehementer contendens, ut ad miſericordiam & clementiam principis *Ægyptii* flectat animum, quò & *Simeonem* captivum liberet, incolumémque remittat *Benjaminum.* Orbatum enim ſe, tribus orbatum filiis, alto cum gemitu fletúque lamentatur. In *Ægyptum* itaque diſcedunt, in *Ægyptum* perveniunt *Iſraëlitæ. Joſephum* conveniunt foris alicubi, vel in aula, vel in granariis. Ut primùm conſpexit *Benjaminum*, placidiore quàm ſolebat vultu, mandat œconomo, ut in ſuam hoſpites deducat domum, mactet pecudem, conviviúmque apparet. Eos enim apud ſe cœnaturos. Quò minùs intelligebant *Iſraëlitæ* linguam *Ægyptiorum*, eò magis aliquam verebantur ſubeſſe fraudem *Joſephi* dictis. Leone audacior eſt bonus vir. Sed conſcientia mala mali ſemper ſuſpicax & meticuloſa. Non in domum *Joſephi*, ſed in carcerem duci putabant ſe. Virum illum quem antea fuerant ex-

A.M. 2298.

Jacobus ægre Benjaminum dimittit in Ægyptum.

A.M. 2298. experti ſeveriſſimum, furti nunc inſimulaturum, & ſe ſuáque omnia rapturum in ſervitutem, ejus pecuniæ causâ quam in frumento reconditam reportaverant imprudentes domum. Nè igitur in parietum privatorum cuſtodiam temere ſe darent, forìs ad oſtium compellant œconomum verbis molliſſimis. "Liceat fateri, domine, id "quod te non latet, *emiſſe nos* antehac in *Ægypto frumentum*, ſolviſſe pretium, per-"tuliſſe domum. Liceat fateri & hoc, *in hoſpitio* fortè *omnem pecuniam nos reperiſſe* "*in ſaccis juſto argenti pondere*. Nè quis autem error innocentiam probitatémque "noſtram labefaceret, quam ſolvimus ecce pecuniam redditurі ſumus, novum fru-"mentum argento mercaturi novo. Oeconomi ſummâ humanitate facilè hic timor ſedatus eſt. "De pecunia, inquit, ſi quam reperiſtis, *nè quid metuite. Deo veſtro,* "*& veſtri Deo patris*, quas par eſt gratias agite, *qui hunc vobis theſaurum dedit. Ego* "vos libero, qui *argentum veſtrum meis me recepiſſe manibus fateor*. Deinde, ut re non minùs quàm verbis erigeret, fratrem è carcere productum ſuis tradidit *Simeonem*; ſimul omnes in *Joſephi* duxit domum; aquam lavandis pedibus, pabulum aſinis dedit, certiſſima illis temporibus gratiſſimorum hoſpitum argumenta. Interim illi, cùm prandendum ſibi apud *Joſephum* ſcirent, muneribus expeditis adventum ejus opperiebantur: advenienti mox magna cum veneratione, demiſſis in humum corporibus, non tam ſuo quàm patris nomine offerebant. Placido *Joſephus* vultu accepit, quæſivítque an viveret, an valeret ſenex ille pater. Vivere illi ac valere, ſumma cum adoratione corpora inclinantes, reſpondebant. Tum conjectis in fratrem germanum oculis, quaſi novum hoſpitem, *Hiccine*, ait, *minimus ille frater eſt, de quo dicebatis?* Non exſpectat dum reſpondeant, ſed illico fauſta illi apprecatur, *Miſericordiâ te Deus & gratiâ dignetur, mi fili*. Pietas enim fraterna, jamjam in lacrymas reſolutura ſe, in ſeceſſum properabat, ubi fleret ſine teſte. Poſtquam ſatìs pio affectui indultum eſt, facie lotâ redit, menſáſque ſterni jubet, & apponi cibum; alteram ſibi menſam, *Ægyptiis* alteram, tertiam denique fratribus. *Ægyptiis* enim cibo eodem veſci cum *Hebræis*, eâdem uti mensâ, nefas habebatur. Morem hunc *Moſes* tradidit: quæ fuerit hujus cauſa moris, non tradidit. An quòd ſuæ tot numinum religioni ac ſanctitati tribuerint *Ægyptii* tantum, ut alias præ ſe gentes contempſerint? An quòd ea mactarent, immolarent comederéntque animalia *Hebræi*, quæ pro ſacris *Ægyptii* colebant? (*Exod*.8.26.) An quòd ovium paſtores odio fuerint *Ægyptiis*, quam vitæ ſortem *Hebræi* maximè ſunt amplexi? (*Gen*.46. 34.) Accubituros menſæ fratres eo *Joſephus* ipſe collocavit ordine, quo erant diſtincti ætate; *Rubenum* primo loco, poſtremo *Benjaminum*. Id verò illi, quaſi divinâ quadam arte factum, admirati ſunt maximé. A ſua deinde menſa delicatiora quæque ad hoſpites peregrinos transferenda ſervis tradidit. Verùm uni *Benjamino* quinquies plura quàm reliquis. Ità curis timoribúſque ſoluti jam *Iſraëlitæ*, cibis opiparis vinóque ſaturati ſuaviſſimo, cum hilaritate ſumma convivabantur. Omnem ſuſpicionem illis, & quam imbiberant opinionem ſeveritatis iniquæ, ſumma *Joſephi* ſuperavit ac delevit humanitas. Eâ nocte in aurem utramque dormiebant ſecuri, primo cras diſceſſuri mané. Interim præfecto domûs præcipitur, ut ſaccos impleat quantum capere poſſint frumento; pretium ſibi traditum in ſingulis abſcondat; ſcyphum quoque *Joſephi* quaſi auguralem addat minimo fratrum. Illi diluculò aſinis oneratis læti feſtinant in patriam. Haud procul abierant, cùm feſtinatò præfectus armatâ inſequitur manu, & magnâ vociferatione ingratitudinis poſtulat & ſacrilegii, graviſſimorum criminum. Scyphum enim *Joſephi*, à quo liberaliſſimè habiti fuiſſent, auguralem ſcyphum abſtuliſſe furto. *Iſraëlitæ* mirari primò quid eſſet; cùm ſeriò agi rem perſpicerent, pro ſe quiſque magnâ contentione factum pernegare. "Nam ſe, aiebant, auri argentíve furaces quis credat, qui ab-"ditam in frumento pecuniam retuliſſent ultro? Scrutaretur ſarcinas: ſi apud "ſe inveniret ſcyphum, ad ſupplicium capitis furem, reliquos raperet ad ſervitutem. *Imò, ſerviat qui furatus eſt*, inquit œconomus. *Suâ reliqui fruantur innocentiâ*. Nec mora: Excutiuntur ſarcinæ. A maximo deſcenditur ad minimum. Scyphus tandem in *Benjamini* ſacco inventus eſt. Dolore id fratres non minùs perculit, quàm eum cui facinus erat lugendum ſoli. In urbem redeunt protinus ad *Joſephum*, ægris animis, vultibúſque mœſtiſſimis, eandem ſubituri cum *Benjamino* fortunam. Verùm nè tantus in *Ægypto* ſit *Joſephus*, ut ejus examinare geſta non liceat, quid cenſebimus? Rectène factum, novis ærumnis exagitare fratres, quos jampridem exploraverat ſatis? Rectène factum, calumnioſè criminum fœdiſſimorum inſimulare,

Iſraëlitæ apud Joſephum convivantur.

Abeuntes proſequuntur *Ægyptii:*

Benjaminum ſacrilegii reum peragunt.

lare, quos inſontes noverat? Rectène factum, in tantam ſolicitudinem conjicere *Benjaminum* ficto crimine, qui nihil eſt meritus mali? Denique, an illud rectè, quòd ſcyphum ſibi ſimulet auguralem, & divinatorem ſe? Dolum certè fatemur, negamus fraudem. Nec enim aut malus dolus, aut diuturnus fuit; ſed qui brevi mœrore tantò lætiorem exitum ſcenæ redderet. Et explorare voluit forſan, quo eſſent animo fratres in *Benjaminum*; an jacturam ejus libenter eſſent facturi. Sed temere in his pronunciandum eſt nihil. Heroüm exempla qualiacunque videantur, neque ſemper condemnare fas, neque imitari omnia. Habebant enim ſingulares aliquando motus, quibus agebantur & agebant, ſancti viri. A.M. 2298.

Ecce jam fratres coram *Joſepho* attonitos, ſupplices, humi proſtratos. *Quem ideo vendiderant nè adorarent, adorant quia vendiderant*, ait *Gregorius*. Coram eo jam ſua flectunt genua, qui coram illis flexerat fruſtrà; ab eo redempturi ſalutem ſuam, qui ejus pretio diſtraxerant. Pallido ſilentio conſternati omnes obmuteſcunt: quos ille, mentiens iracundiam, increpat intonátque graviter. "Hanccine, viri *Canaa-*"*næi*, gratiam hoſpiti rependitis, qui vos tantâ eſt humanitate proſecutus? Indig-"num verò facinus, & planè ſtolidum. Quid enim? *Méne vos non cogitâſtis* (quod "plurimi faciunt in *Ægypto*) *divinare poſſe*, atque furtum prodere? Sic ille: cui, reliquis prudentior atque facundior, omnium vice reſpondit *Juda*; ſed & idem ſe, pro *Benjamini* reditu, patri obligaverat ſponſorem. "Confitemur, domine; nam "id ipſa res loquitur. *Deprehendit cœleſte Numen, deprehendit noſtrum ſcelus. Ni-*"*hil eſt quò defendamus, nihil quo excuſemus factum.* Ad tuam domini ſolummo-"do clementiam & miſericordiam, *tua omnes mancipia* confugimus. Tuo hacte-"nus beneficio vivimus. Ejuſdem eſt bonitatis, & donare vitam perituris fame, & "condonare meritis mortem. In eo ſumma benignitas, in hoc ſpectatur clementia "par. Vide an ex tua dignitate ſit, iis adimere ſalutem, qui non niſi precariò & à "te datâ fruuntur, ac tuum in nobis delere beneficium. "*Abſit* verò, ait *Joſephus*, "abſit ut ego homines probos atque integros habeam pro mancipiis, nedum vitâ ex-"uam. *Ille* unicus *apud quem ſcyphus eſt inventus* quod fecit luat. *Reliqui domum* "*ad patrem cum bona venia diſceditote.* Nihil igitur confitentes dare ſe reos *Judæ* profuit. Cùm hâc non ſuccederet, aliâ viâ ſibi tentandum cenſuit. Itaque propiùs accedit, genibúſque ſupplex advolutus, "Vehementer, ait, ſe ſervum humillimum "obteſtari, ut audire pauca nè grave domino moleſtúmve ſit. Ejus enim ſe, non "minùs quàm *Pharaonis*, & ſuſpicere potentiam, & iram formidare. Annuente *Joſepho*, hanc deinde orationem inſtituit. "Mirum videri non debet, Illuſtriſſime "vir, quòd ſummus dolor ſummam audaciam pariat, omnem excutiat modeſtiam. "In hoc enim periculo, non modò hujus adoleſcentis agitur libertas, verùm & mea "ſalus, &, quam meâ lubens redimere velim, optimi ſenis parentis mei; quódque "omnia ſuperat, tua, domine, quodammodo fides agitur. Quo priùs tempore ade-"ramus in *Ægypto* non poteſt non meminiſſe dominus, ut *è ſervis ſuis diligenter* "*perquiſiverit, num pater nobis viveret, num quis frater alius foret.* Noſtrum non "erat, nullâ præſertim ex mendacio emolumenti ſpe, verum aut negare, aut retice-"re. Alium diximus fratrem eſſe, ac *ſalvum nobis patrem* diximus; *patrem* verò "*ſenem, minimúmque fratrem, ſuæ matris (amiſſo germano) unicum*; *quem* propterea "*ſenex* domi *chariſſimum haberet* apud ſe. *Domino* tamen *imperare placuit*, *hunc* "*ad ſe* in *Ægyptum adduci* minimum fratrem. Deprecati quidem nos quantum li-"cuit hoc mandatum, quo vita patris in diſcrimen vocabatur; quippe qui hujus fi-"lii abſentis deſiderium ferre non poſſet. Iterum tamen *dominus fratrem hunc ad-*"*duci ad ſe mandat* in *Ægyptum.* Par fuit obſequi nos mandatis tuis. Itaque "ſervo tuo *denunciavimus, patri noſtro, quid imperâſſet dominus.* Cúmque redeun-"dum eſſet huc frumenti causâ, comitem nobis poſtulavimus hunc fratrem. Æ-"gerrimè paſſus divelli à ſe, in hæc tandem verba ſenex prorupit: *Non vos* mei *la-*"*tet* filii, *ex eadem conjuge duos me ſuſtuliſſe*; majorem alterum diu jam deſidera-"tum, ſive *diſcerptum à feris*, ſive quo alio fato ſublatum, *mihi certè nunquam videre* "*contigit. Huic igitur* minori, *cùm diſceſſerit à me, ſi quid humanitus acciderit* in "hoc itinere, *vos*, filii, vos mortis mihi autores, *canitiem patris ipſo doloris impetu præ-*"*cipitabitis in ſepulchrum.* Hæc ille flebiliter occinebat. Ego tamen ſedavi tan-"dem ægritudinem hanc: *ego me ſponſorem dedi*, atque recepi ſalutem juvenis præ-"ſtandam, cuivis me objiciens malo, niſi *reducem atque ſalvum patri ſiſterem* in *Ca-*"*naanæa.*

Juda deprecatur.

A.M. 2298.

"" ————————— *Ego mite parentis*
" *Ingenium verbis ad publica commoda verti.*

" Tu igitur, domine clementiſſime, miſerere ſervi tui ſenis, niſi redierit hic filius, in-" feliciſſimi, & jamjam perituri:

" ——— *Miſeri te ſi qua parentis*
" *Tangere cura poteſt.* ———

" Fuit & tibi talis aliquando forſan genitor. Uno te omnes ore filii obteſtamur, " ——— *Patris miſerere ſenectæ.* Neque verò tantâ operâ expugnato patre, huc " eum attuliſſemus fratrem, niſi ut tuo mandato & voluntati obſequeremur, magnâ " profectò ſpe gratificandi domino. Per omnia igitur humanitatis jura obſecramus, " nè ſervis tuis fraudi ſit obſequium, & de domino bene merendi ſtudium. Quòd ſi " tamen ſententia ſtat, noſtrum ulciſci ſcelus, *me*, *me in vincula & ſervitutem rapito*, " (hoc votum eſt ultimum,) eo juvene mancipium utilius. *Ille cum fratribus dimit-" tatur* in patriam, reditu ſuo ſeni vitam producturus patri. *Nam ut ego ſine hoc " redeam fratre*, devotum caput, *&*, *calamitatem* autore me *ſpectem parentis miſeri*, ab-" ſit. In tormenta, in equuleum, in quamvis me dabo carnificinam priùs. Hæc *Juda* cùm peroraſſet, continere ſe ulteriùs non potuit, aut perſonam ſuſtinere *Joſephus*, quam geſſerat hactenus irati vindicis. Diſcedere omnes jubet è conclavi præter hoſpites. Diſceditur continuò. Nam *Ægyptios* adeſſe noluit dum fratribus prodebat ſe: partim, nè quid de autoritate ſua diminueret, ſi fletum illi ſpectarent & lacrymas, quæque alia vehemens affectus erat expreſſurus, aliena forſan à perſona Principis; partim, ut fratrum honori conſuleret, nè facinus olim in ſe admiſſum à ſuis, innoteſceret peregrinis. Nec enim de illo jam potuit non meminiſſe. Solus igitur altâ querulâque voce, lacrymis ſingultibúſque interrumpentibus verba, gaudii & amoris indicibus, *Ego*, inquit, *ſum Joſephus*, ô fratres. *Paterne adhuc vivit? Joſephi* nomine audito, illi, ceu perculſi fulmine, obſtupeſcunt, obmuteſcunt, reſiliunt. Pudore ac metu oppreſſi nec hiſcere audent, nec vultum attollere. Principem *Ægypti* eſſe *Joſephum*, in quem illi tot contumelias & injurias congeſſerant, tot patraverant ſcelera, quem extinctum ſperabant, aut, ſi viveret, miſerrimum; eum vivere, florere, tantùm non regnare; ſe omnes, ac ſuorum vindictam ſcelerum, in ejus arbitrio poſitam; quanto hæc animos malè ſibi conſcios horrore percellunt? Facilè animadvertit *Joſephus* hunc fratrum ſtuporem atque metum ex re tam inopinata. Itaque gravi, eâdémque ſuavi, oratione demulcet illis animos, atque omnem detrahit pavorem. Propiùs enim ut accederent cùm blandè invitâſſet, ſic eſt allocutus, linguâ jam patriâ, quos *Ægyptiâ* priùs. " *Ego*, fratres, *Joſephus ille ſum quem vos olim " vendidiſtis in Ægyptum. Nè quo id vos timore afficiat, doloréve.* Dei enim conſi-" lio geſta ſunt omnia. Niſi ego hîc affuiſſem, interiiſſent *Ægyptii*, vicinæ gentes " interiiſſent, pater meus cum univerſa interiiſſet familia. *Secundus jam agitur an-" nus ex quo* ſeptennis hæc *incepit fames. Quinque ſuperſunt* antequam deſitura " ſit. *Detulit huc me Deus*, ut ex hac vos calamitate liberarem; adeò ſuis ipſa fa-" cit peccata, qui omnia fecit ſalutaria. *Ego igitur non tam à vobis emiſſus*, *quàm " à Deo ſum præmiſſus huc. Is me quaſi patrem Pharaoni conſtituit*, *aulæ regiæ præfectum*, " *totius denique Principem Ægypti.* Meis enim viribus meritíſve tribuo nihil. Quare, " mi frater *Juda*,

Tandem *Joſephus* prodit ſe;

" ————————— *Non hæc*
" *Culpa tua eſt*, *quamvìs hæc quoque culpa tua eſt:*

" ſed culpa ejuſmodi, quam dolore ac reſipiſcentiâ expiâſſe vos, teſtem habetis me " quoque; ſed culpa, inquam, ejuſmodi, quâ uſus eſt clementiſſimus Deus ad ve-" ſtram gentiúmque multarum ſalutem. Itaque felix culpa. Is enim, ut ex tene-" bris lucem, ità ex malo bonum, ex veneno poteſt pharmacum elicere. Convenit " ergò vobis me, non tam ut meæ ſalutis proditoribus iraſci, quàm ut providentiæ " Divinæ miniſtris gratias agere. Peſſimi conſilii optimum eventum vos cum gau-" dio celebrate. Jam verò *feſtinate quantum poteſtis* domum, *& meis hæc patri ver-" bis renunciate.* Vivere *Joſephum*, quem ille à feris laniatum ſuſpicatur, ac *in Æ-" gypto* regi proximum, *autore Deo*, *dominari.* Velle me ut ad me *deſcendat* pater " *quàm celerrimè: habitaturum cum ſuis in Goſene*, *mihi propinquum*, loco tum commodo,

" modo, tum vicino *Canaanææ. Illic alimenta me, in quinquennali quæ ſupereſt fa-* A.M. 2298.
" *me*, tum familiæ univerſæ, tum pecudi, *ſuppeditaturum abunde.* Nam in *Canaani-*
" *tide* commoranti, magnum eſt ab hac famis calamitate periculum. Et nè quid
" incredibile dubiúmve patri ſit, quæ videtis, quæque auditis annunciate. *Veſtris*
" *me oculis vos, &c*, cui pater fortaſſe credet libentiùs, *frater me videt Benjaminus, &*
" *colloquentem audit* linguâ patriâ. Nè pudeat igitur pigeátve patrem ad eum fi-
" lium accedere, cujus tanta ſit *gloria* in hoc regno potentiâque. Ite, agite, magno-
" rum gaudiorum nuncii *domum properate, patrémque* deſideratiſſimum *huc ad me*
" *quàm primùm adducitote.* Poſtquam hæc dixiſſet *Joſephus*, honoris atque decoris quaſi vinculorum impatiens amor, in *Benjamini* complexus ruit; ubi lacrymis mutuis oſculiſque magna pietatis lucta certabatur. Singulos deinde fratres amplexus, flens, oſculis dignatus eſt, certo pacis & animorum conciliatorum pignore. Multò verò magis erant in lacrymis illi & mœrore; tantò graviore pœnitentiâ, quòd in fratrem tam bonum peccaviſſent. Tandem & fratres audire ſuam vocem audent: timidè primò fateri atque deteſtari ſuum ſcelus, veniam obſecrantes humillimé: Deo ſummas deinde atque *Joſepho* gratias agere, ſuæ ſalutis gratiâ, necnon clementiæ ac manſuetudinis ejus quam erant experti maximam: prompta denique polliceri obſequia in poſterum, votáque ardentiſſima pro ſui ſalute ſalvatoris. Interea ſubaudivêre foris *Ægyptii* quæ ad fratres dicta ſunt à *Joſepho.* Fama protinus in aula ſpargitur, *Joſephi* adeſſe fratres. Gratulatur illi *Pharao* felicitatem hanc, & ſuſpecti priùs generis nobilitatem. *Pharaonis* exemplo gratulantur & aulici. Quæque fratribus modò promiſerat *Joſephus*, rata rex habet; mandátque, ut frumento properent onerati domum; cum patre ſuíſque omnibus redeant. Agrum ſe illis uberrimum æquo jure conceſſurum in *Ægypto.* Nè imbellis turba reliquos detineat ac moretur, indè jubet currus ut abigant, quibus mulieres devehant puerósque. Nè qua poſtremò ſupellectilis cura impediat, eam ut diſtrahant. Se illis pretioſiſſimas quaſque in *Ægypto* res donaturum. *Joſepho* erant præſtanda quæ rex mandaverat. Ille aſinos onerat frumento; ille currus parat; ille quo in itinere alantur viaticum addit: ille veſtes denique ornatiores dat ſingulis, uni *Benjamino* quinque, argenteóſque ſimul trecenos. Neque patris obliviſcitur abſentis. Aſinos illi decem optimis quibuſque rebus onuſtos quas ferebat *Ægyptus*, decem alios mittit qui frumentum & panem cibariáque in *Ægyptum* commeanti pro viatico præbeant. Tandem fraternâ monitione communitos dimittit, *Nè qua* inter fratres *oriretur contentio in via.* Verebatur enim nè in ſe commiſſum facinus ipſos autores inter ſe committeret, aliis aliò transferentibus crimen; eóque fore graviorem in itinere contentionem, quòd abeſſet idoneus moderator. Felices videbantur ſibi jam, quòd felicem eſſent *Jacobum* nuncio gratiſſimo lætiſſimóque reddituri. Ubi perventum eſt in *Canaanitidem*, haud cunctati ſunt gaudio beare patrem. "*Joſephus*, inquiunt, frater *Joſephus vivit.* Ne-
" que vivit modò, ſed *in Ægypto univerſa* regi proximus *dominatur. Jacobus* inopinatâ rei novitate, ac penè incredibili, attonitus obſtupeſcit primò, non lætatur. Gaudium quoque nimium ſuffocat. Mox verò, cùm ex filiis audiviſſet reliqua, & vidiſſet *Joſephi* dona, currúſque regios ad iter novum comparatos, tum denique recreatus, & exſultans gaudio, in hanc erumpit gratulationem: " *Sufficit*, mi Deus bene-
" dicte, *ſufficit.* Plura non exſpecto, non expeto. Filius *adhuc mihi Joſephus vi-*
" *vit.* Da ut ego tam diu vivam, donec *Joſephum videam*; ſufficit. Tum de-
" mum *morere, Jacobe*, ut aſcendas in cœlum. Nec enim in terra poteſt fieri ut ſis
" beatior.

fratres amplectitur;

annuente rege patrem acceſſit in Ægyptum.

§ 25. Migraturus jam in *Ægyptum Jacobus*, primò *Beerſhebam* deſcendit ex *Hebrone*, in extremum limitem *Canaanitidis* à meridie. Illic ſolebat *Abrahamus*, illic ſacra facere pater *Iſaacus.* In eadem ara *Jacobus* quoque ſui patris Deo victimam immolavit. Multa erant quæ poſtulabant hanc pietatem. Conſulere voluit oraculum, an liceret ſibi, urgente famis periculo, in terram migrare alienam, *Canaanæam* verò à Deo promiſſam deſerere; id quod negatum fuerat *Iſaaco.* Id ſi conſtaret, his teſtabatur ſimul ac profitebatur ſacris, nolle ſe aliò profectum à Deo deſciſcere, ſed eorum quæ promiſerat ſibi retinere fidem, alere ſpem; in pectore *Canaanæam* geſtare; animo redeundi, ad tempus duntaxat derelinquere. Eundem ſe Deum etiam in *Ægypto* celebraturum unicé. Tertiò, felix atque proſperum iter ſibi à Deo impetrandum cenſuit. Gratias poſtremò ſolvendas filii ſui viventis atque florentis gratiâ. Religioſum profectò, & dignum quod pii omnes imitentur exemplum; omnia

A.M. 2299.

Jacobus, ſacris peractis,

A.M. 2299. omnia ſcilicet opera, & ea maximè quæ maximi ſunt momenti, ab invocatione Divini Numinis auſpicari. Gratiſſimam Deus habuit pietatem hanc. Itaque dormientem compellat, *Jacobe*, *Jacobe*. Ad vocem Dei notam *Jacobus* cùm reſpondiſſet, *præſtò ſe ac paratum. eſſe*, quibuſvis tum accipiendis tum peragendis mandatis: "*Ego*, inquit, *ſum fortis ille Deus*, *Iſaaci Deus tui patris*. *Nè quis te metus detineat*, *quò minùs in Ægyptum*, quod cogitas, *proficiſcaris*. Mutatione loci non mutabitur conſilium promiſſúmve meum. *Etiam illic magnam ex uno te ſum gentem productums*. Neque verò ſolus, & quaſi derelictus, peregrinaberis, me ubique habiturus comitem. *Ego deſcendam unà*, opéque ſalutari nunquam deero. *Ego te* atque tuos *huc* aliquando quaſi poſtliminiò *reducam*. Denique, poſt vitam ſatis longam atque felicem placidè morienti, dilectiſſimus tuorum *oculos tibi claudet Joſephus*. Hoc oraculo confirmatus & alacris *Jacobus*, in *Ægyptum* cum bonis omnibus & univerſa familia, ſuis filiorúmque ſuorum liberis, commigravit. Quos omnes quidem, unà cum *Joſepho* ejúſque filiis, numero tantùm 70 fuiſſe conſtat. *Benjaminus* enim (ut à minimo incipiam) decem genuerat nepotes *Jacobo*; unum *Dan*; quatuor *Naphthali*; *Gad* ſeptem; totidem cum pronepotibus *Aſer*; *Iſſachar* quatuor; *Zebulon* tres; totidem *Levi*, *Gerſonem*, *Cobathum*, & *Merarim*; *Simeon* ſex; maximus omnium *Rubenus* quatuor. Sed maximè omnium eſt memorabilis *Judæ* progenies, unde genti reges, & *Chriſtus*, gentium ille omnium prognatus eſt Rex. *Judæ* igitur, cùm decimum & quartum pubertatis annum attigiſſet, è *Suæ Canaanæi* filia (quam apud *Hiram* fortè *Adullamitam* conſpexerat) natus eſt *Er*, *Onanus* proximo anno, tertio *Sela*. *Eri* filio poſt annos 14 *Thamarem* pater uxorem dat; quâ tamen ille haud fruitur. Alicujus enim ſceleris nefandi pœnam morte luit repentinâ. *Thamar* vidua, pro conſuetudine illorum temporum, & mandato *Judæ*, fratri erat *Onano* conjux ducenda, ut fratri defuncto generaret prolem. Quem enim erat *Onano* *Thamar* primùm editura, is habendus erat *Eris* filius, nè aut familia & nomen illi extingueretur, aut ſterilitatis probrum adhæreſceret. Apud *Judæos* poſtea valuit hic mos, (*Deut*. 25.5.) jamdiu ſublatus apud *Chriſtianos*; & à *Judæis* in leges *Atticas* derivatus, ut *Donatus* in *Terent*. *Orba proximo nubat*, *Orbam proximus ducat*, *lex*, inquit, *Attica eſt*. *Onanus* autem, invidiâ quadam nefariâ impulſus, genitale ſemen profundere maluit in coïtu & corrumpere, quàm fratris nomen atque familiam propagare. Sceleratum hoc Deo viſum eſt homicidii genus. Eâdem eſt igitur ultus vindictâ quâ fratris impietatem priùs, exitio ſubito & inopinato. Nam à Poëta maximè omnium impudico damnatur homicidii hoc ſcelus;

Deo autore, deſcendit in *Ægyptum* cum familia hominum 70.

——*Quod digitis*, *Nævole*, *perdis*, *homo eſt*:

eóque magis eſſe debet exſecrandum *Chriſtianis*. Tertius erat *Judæ* filius *Sela*, quem *Thamari* conjugem dari gentis poſtulabat mos. Sed veritus pater, nè quo fratres interitu periret, ſi & is quam fratres duceret uxorem, promiſit *Juda* quidem fore, ut maturo *Salæ* nuberet, certo fallendi propoſito. Interim ablegat viduam ad parentes, donec adoleſceret ei maritus. Diu exſpectabat mulier, ut præſtaret quod erat pollicitus ei ſocer: ſed exſpectabat fruſtrà. Deluſa igitur, ingenio muliebri tandem cogitare cœpit de ultione. Ipſe amiſerat nuper uxorem *Juda*. Poſtquam gentis more luctum funeris peregiſſet, convivio depoſiturus mœſtitiam, unà cum *Hira* quem charum habuit *Adullamita*, *Thimnatham* profectus eſt ad tonſores ovium. Id *Thamari* fortè nunciatum. Ea lugubrem continuò veſtem exuit, nitidiorem cepit, ſed velatâ facie, nè agnoſceretur, meretricio more. Opera enim tenebrarum facturi, tenebras quærunt, fugiunt lucem. Neque tamen Deum fallunt Judicem, etſi teſtes latent. Hoc habitu in propatulo ſedet, quà erat neceſſe tranſire *Judam*. Meretricem ille ratus, facilè accenditur: de ſtupro appellat; pretium poſcitur; hœdus promittitur; denique pignus traditur, pallium, baculum, & annulus ſignatorius. Tanti emit pœnitentiam. Illa re patratâ, non exſpectans hœdum, cum pignore diſcedit domum; ponit velamina veſtéſque ornatas, viduæ reſumit lugubres. Habet in utero tamen quod poſt menſes tres hæc prodat arcana. *Juda*, ut redimeret pignus haud immemor promiſſi, mercedem ſceleris *Hiræ* tradidit, quam deferret ad meretricem. Sed in loco deſignato nulla eſt reperta meretrix; nec ab aliis fortè ſciſcitatus ullam *Hira* didicit adfuiſſe. Hœdus itaque reducitur. Nec *Juda* ſibi querendum arbitratur de hac jactura, vel inquirendum ulteriùs, nè res emanet in vulgus, ſéque ipſum exponat ludibrio. Tandem verò per ſe patuit arcanum nefas; delatúmque

Juda ut gemellos ex nuru *Thamare* genuerit.

túmque ad *Judam* eſt, gravidam eſſe *Thamarem.* Indignatus ille protinus filiorum ſuorum ſcortatam eſſe conjugem, illatámque ſibi ac familiæ contumeliam, quantum in ipſo eſt capitis damnat inauditam, ac flammis purgandum ſcelus dari vult. Id enim leges poſtulabant. Eóque vehementiùs hæc egit ſocer, quò & *Selam* tam infelici conjugio, & ſe promiſſo liberaret, ſuperante conſuetudinem lege. Cùm ad cauſam dicendam produceretur, ſive judice *Judâ*, qui erat familiæ ſuæ caput, ſive actore potiùs, tum demum pignora *Thamar* deferri ad ſocerum jubet. Gravidam ſe quidem fatetur; ſed ex eo gravidam qui ſigillum illud, baculum palliúmque ſibi vendicaret, & agnoſceret ſuum. Ab eo igitur, niſi damnato ejuſdem ſceleris, damnari ſe non poſſe. Cùm hæc audiret *Juda*, & videret pignora, tepuit hominis iracundia, *Thamar* abſoluta eſt. Suum ille fatetur, ſuum eſſe majus fatetur peccatum, quia ſponſum uxori promiſſum non tradiderat. Ab ejus tamen conſuetudine in poſterum ſibi duxit abſtinendum. Illa tandem gemellos edidit. Alter manum ex utero porrigebat prior, cui coccinum alligavit obſtetrix, quaſi primo infantis loco prodituri. At verò alter indè perrupit prior, unde *Perez* dictus eſt. Secutus mox frater *Zera* eſt vocatus. Difficultas hæc & periculum in pariendo matris caſtigabat impudicitiam, quæ ſocero proſtituerat ſe. Myſterium hîc ſcrutatur S. *Auguſtinus*, (contra *Fauſtum* 22.85.) *Judæos* quidem priùs manum ſuam, hoc eſt, opera Legis, oſtentâſſe, at fruſtrà: Gentes enim fide perrupiſſe ad *Chriſtum* priùs, & *Zeræ* ſeu *Judæorum* loco fuiſſe adoptatas. *Perez* autem ipſe, (ut redeam aliquando ad *Jacobum*,) antequam deſcenderet avus in *Ægyptum*, liberorum factus eſt duorum parens, *Hezronis* & *Hamulis*; unde ſeptuagenus ille numerus completus eſt. Septuaginta quinque in *Act.*7.14. legimus. Tot enim præter ipſum *Jacobum* in ejus familia numerantur *Gen.*46. cum uxoribus quatuor, & filiis *Judæ* jam antè defunctis. At non niſi 70 pervenerunt in *Ægyptum*. *Theod. Beza* emendationem probat *Corn. Bertrami*, qui librariorum vitio πέντε pro πάντες, id eſt, *omnes*, ait ſcriptum in *Luca*; pro πάντως, *ad ſummum*, opinatur *Capellus*. *Jacobus*, nè adventu inopinato moleſtiam aut faceret aliis, aut ferret, præmiſit *Judam*, qui & *Joſephum* de adventu certiorem faceret, & commodum in *Goſene* locum eligeret. Currum aſcendit protinus, obviàm prodituruſ patri, *Joſephus*. In *Goſene* conveniunt. Conſpicatus tandem, & complexus illico filius patrem, hæſit aliquandiu, & mutus ipſe, lacrymas abunde profudit ſatìs loquaces, deſiderii gaudiíque ſui teſtes oculatos. Magìs garruli ſenes. "Satìs jam vixi diu, cùm Deo viſum fuerit *paratiſſimus mori*, *qui viventem video te*, "fili *Joſephe.* Ità filium compellat ſenior *Jacobus.* At ille non blanditiis verborum, aulico more, ſuorum aures mulcet; ſed, intentus rei quam agebat, patrem atque fratres monet, *Pharaonem* protinus aditurum ſe, adeſſe patrem atque fratres nunciaturum: eoſdem, paſtores, pecora ſua ſecum, oves & armenta coëgiſſe in *Ægyptum.* Idem & illis ad regem fortè accedentibus reſpondendum de ſe monet. Nam eò faciliùs *Goſenem* rex conceſſurus videbatur, ubi paſcuis lætiſſimis fruerentur ſoli, &, cùm opus eſſet, facillimus pateret receſſus in *Canaanæam.* Cum *Ægyptiis* enim, agriculturæ, opificiis mercaturæque deditis, quietum iſtud, ſed otioſum, genus opilionum haud permiſcendum cenſuit: eò magìs autem ſeparandum à profana gente, quò puriorem Dei cultum apud ſe conſervarent.

Poſtquam narrâſſet *Pharaoni Joſephus* de adventu ſuorum, è fratribus quinque in conſpectum illi dat. Turbâ ſuorum univerſâ obſtrepere non placebat. De ratione vivendi rex, quibus dediti ſint ſtudiis quærit operibúſque. *Juda* reſpondet, "Eſſe quidem ſe opiliones atque bubulcos, diſſimulari nec poſſe nec debere. "Humile, inquit, fateor vitæ genus; verùm haud à nobis electum, ſed relictum "à majoribus. Tanta ſoli ſterilitas tempeſtate hâc infeſtat *Canaanitidem*, ut ne- "ceſſe fuerit ad tuum nos confugere aſylum, nè paſtores pecoráque ſimul eâdem "interirent fame. Humillimè igitur obſecramus, clementiſſime rex, ut liceat "ſervis tuis peregrinari ad tempus in *Goſene*, loco ſatìs opportuno, quo & noſtra "& nos vindicabis ab interitu. Tacente *Judâ*, converſus ad *Joſephum* rex, *Pa-* "*trem tuum*, inquit, *ac fratres adeſſe video*, & adeſſe mihi gratos dico. *Hoſpi-* "*tium illis quamcunque partem Ægypti vel fœcundiſſimam elige.* Quòd ſi *Rameſes* "placeat, *Rameſen ut habeant concedo libens.* Sed & mihi quoque ſunt pecora & "paſtores regii. *Si quos è tuis viros noveris induſtrios*, paſtoritiæque artis gnaros, "*meis præficiantur gregibus*, publicíſque muneribus cohoneſtentur. Hæc de fratribus. Ipſe tandem *Jacobus* aditum habuit ad *Pharaonem*; qui & ſenis, & ſancti

A. M. 2299.

In *Goſene* collocatur *Jacobus* cum ſuis.

A.M. 2299.

cti ſenis autoritate fretus, primo aditu regi benedixit. *Pharao* ſenem ipſâ canitie venerandum conſpicatus, de ætate ſcitatur, quanta ſit. *Mea verò ætas*, (inquit *Jacobus*,) *quâ* in hac *ſum peregrinatus* miſeriarum valle, *centum eſt annorum atque triginta. Pauci*, fateor, *vitæ meæ fuerunt*, *ac ærumnoſi dies. Nec enim longo intervallo attigi majorum ætatem.* Clementiâ deinde gratiâque regis in ſe, in filios, in *Joſephum* maximè commemoratâ, fauſta illi feliciáque apprecatus omnia, humillimè diſcedit. Jubente igitur *Pharaone*, in celebri *Goſenis* pago *Rameſe* collocantur *Iſraëlitæ*, ubi liberaliter aluntur à *Joſepho*.

A.M. 2302.

§ 26. Quinque jam annos graſſata eſt atque depopulata *Ægyptum* & *Canaanæam* graviſſima fames. Omne argentum ab utroque populo triticum abſtulerat, & in publicum ærarium coacervârat. Neque tamen ſexto erat levius malum, periculúmve minus. Iterum *Joſepho* ſupplicant *Ægyptii*, poſtulántque panem. Deeſſe pecuniam ſibi aiunt: Quidvis aliud daturos, quo vitam redimant. Pecora poſcit *Joſephus* annonæ pretium, boves & oves, equos aſinóſque. Verſo igitur in panem pecore, hujus anni relevant inopiam.

Pecora *Ægyptii* dant quibus frumentum emant,

Septimus tandem ultimúſque accedit annus miſerrimæ calamitatis in *Ægypto*.

A.M. 2303.

Nec frumentum erat populo quo viverent, nec pretium quo emerent. Quid faciant? Precibus jam poſtremis & maximè importunis *Joſephum* proſequuntur, nihil ſibi ſupereſſe præter corpora vociferantes & fundos; neque hos magni pretii, ut qui nihil ferant. Agros habeat ſibi rex, imò & ſe habeat ſervos, modò conſervet ab hoc interitu. Quid enim domus aut fundus, quid ipſa libertas proſit morituris? *Joſepho* placet conditio. Datur ſingulis frumentum quo alant ſe, datur quo ſerant terram, octavo anno fructuoſiorem futuram. Sed ut regis mancipia ſuum eſſe nihil ſciant, mutare ſedes, alii aliò migrare, ſuos fundos deſerere, occupare jubentur alienos. Villici omnes regii fiunt. Quinta frugum pars erat *Pharaoni* ſolvenda, proventus annuus. Reliquas ipſi quatuor mercedem erant laborum percepturi. Totius *Ægypti* Dominus jam, non Rex, *Pharao*, præter unam ſortem ſacerdotum. Eos enim ex publico alebat munificentia regis, ut nihil de ſuis vendere victûs coëgerit inopia. Factum verò dignum rege; neque minùs illis probroſum, quibus pietas una eſt deprædari opima ſacerdotum prædia. *Ægyptios* autem adeò non pœnituit ejus quam *Joſephus* impoſuit conditionis, ut ei, tanquam ſalvatori patríque ſuo, gratias egerint immortales.

ac fundos, ac ſe denique.

A.M. 2307.

§ 27. Ex *Calchinia Leucippi* filia & *Neptuno*, vel potiùs *Meſapo*, natus eſt *Peratus*, qui, defuncto *Meſapo*, *Ægialenſibus* imperavit annis 46. *Meſapi* non meminit quidem *Pauſanias*; qui *Perato* avum tradidiſſe regnum narrat, cùm liberis careret maſculis. Apud *Euſebium* verò cùm & hic reperiatur in regum numero, credibile eſt *Calchiniæ* conjugem, generum *Leucippi*, *Peratum* qui ſucceſſit genuiſſe. *Cephiſum* quoque dictum fuiſſe *Meſapum* D. *Auguſtinus* legit alicubi. (De Civit. Dei 18. 4.) Hoc montis nomen in *Bœotia*, illud fluminis. Atque monti *Meſapum* dediſſe nomen, à flumine patrio accepiſſe, putat *Lud. Vives*, (in *Auguſt.* ibid.) *Apuliæ* partem in *Italia Meſapiam* Veteres appellabant; utrùm ab hoc *Ægialenſi* rege, ut *Vives* opinatur, an à fratre *Peucetii Lycaonis* filii, ut *Servius* habet, (de quo tamen alibi nuſquam legitur,) quis dixerit?

A.M. 2311

Themoſe, ſive *Amoſe*, mortuo, ejus *Chebron* filius, ſive *Chebros*, *Ægypti* regnum obtinuit, annîſque imperavit tredecim.

A.M. 2315.

§ 28. Jam in *Ægypto* florebat *Jacobi* progenies opibus, nepotúmque numero, in magnum indies creſcente populum. Senio langueſcens pater, in actu vitæ verſabatur extremo. Filium itaque ad ſe decumbens *Joſephum* accerſit, obnixéque rogat, ut manum illi ponat ſub femore. Hoc jurandi more uſum antea diximus *Abrahamum*. Quod jurari voluit hoc erat: nè mortuum ſe in *Ægypto* ſepeliret; (quanquam nullibi terrarum aut religioſa magìs videbatur, aut honorifica ſepeliendi ratio;) verùm ut in *Canaanæam* traduceret, ubi ſomnum ſupremum in patrum edormiſceret ſepulchro. Hoc autem eò expetivit ardentiùs, quò fidem ſuam certámque teſtaretur ſpem, fore aliquando, ut ſui promiſſis Dei ac hæreditate *Canaanitidis* fruerentur. Itaque in ſuis eandem fidem ſuo exemplo, atque ſpem excitari ac ſtabiliri voluit; nè, obliti eorum quæ promiſerat Deus, in *Ægypto* ſibi ſedes figerent. Et *Chriſtum* fortaſſe nôrat, Dei prodente Spiritu, in ea terra generis humani Redemptionem peracturum. Cum ſuis profectò majoribus dormire, cum iiſdem expergiſci ac reſurgere, & votum, & ſpes fuit. Nec promiſſo contentus, jusjurandum

Jacobus æger de ſepultura cavet:

randum exigebat à filio. Non quòd ejus haberet ſuſpectam fidem: ſed partim, nè ſua in *Canaanitidem* tranſlatio crearet invidiam *Joſepho*, quaſi *Ægyptus*, quæ vivum aluerat, indigna videretur quæ teneret mortuum; partim verò, ut, quò hæc à ſe res magìs agebatur ſeriò, eò ſui magìs de reditu ſeriò cogitarent. Precibus tam piis facilè paruit *Joſephus*, & femori patris admotâ manu juratus eſt. Itaque potitus voto ſenex, capite inclinato ad lectuli caput venerantis more, quas potuit Deo atque *Joſepho* gratias dedit. A.M. 2315.

Deficiebat indies *Jacobus*, vitæ diuturnioris abjectâ ſpe. Patri in extremis agenti deeſſe noluit *Joſephus*. Cum filiis duobus accurrit ultro, ut benedictionis avitæ participes faceret nepotes. Adeſſe *Joſephum* patri nunciatur. Suſcitat ille vires languentes moribundi corporis, ſedétque in lectulo ubi decubuerat priùs, ultimà ſuis mandata legatáque traditurus. Ac primò *Joſephum* alloquitur. "Ut ſibi Deus "benedixerit gratiſſimis verbis commemorat, útque promiſerit ſuis poſteris *Canaa*-"*nitidem* hæreditario jure poſſidendam. Nolle igitur ut *Joſephus* in *Ægypto* nimis "altas radices agat, gratiámque negligat Divinam. Se autem *Joſephi* natos antè "ſuum genitos adventum, *Ephraïmum* & *Manaſſen*, in ſuorum filiorum adoptarè "cenſum. Illis duobus tribuum duarum ſortes in *Canaanæa*, æquali jure cum reli-"quis undecim filiis, dare, & *Rubeni* malè de ſe meriti primatum. (1 *Chron.* 5. 1.) "Reliquam *Joſephi* ſobolem iſtis duobus addi & accenſeri vult. De *Rachelis* obitù deinde narraturus, (qua ex matre natus erat *Joſephus*,) ejus fortè conſpexit filiòs caligantibus oculis, &, quinam eſſent, quæſivit. Ille Dei dona, ſuos ait eſſe liberos. *Huc*, inquit avus, *huc ad me* nepotes meos, *ut benedicam*. Adductos amantiſſimè oſculatus & amplexus eſt. Tum verò ad *Joſephum*, "O quanta in mé "Dei benignitas & gratia? *Tui conſpectus mihi olim* non magìs erat deſideratus, quàm "*deſperatus*, ô fili. *Ecce* ut ſuperet omnem ſpem felicitas mea. Non te modò, ſed "*tuam quoque prolem video. Joſephus* autem filios, ex avi ſolutos amplexu, magna cum reverentia ſuis manibus benedicturo patri admovit, dextrâ minorem tenens *Ephraïmum*, ut eſſet à ſiniſtris *Jacobo*, *Manaſſen* verò majorem ſiniſtrâ, ut à dextris foret. Alio tamen ordine quàm aut volebat filius, aut cogitabat, pater *Jacobus Ephraïmo* dextram, ſiniſtram impoſuit *Manaſſi*; ſimul addidit, *Joſepho* in filiis benedicturus, "*Deus* "*ille quem Iſaacus & Abrahamus coluerunt patres mei*, *Deus ille qui me*, ovem inutilem, "indulgentiſſimus paſtor, *ab ineunte ætate* beneficiis abundè cumulavit omnibus, mag-"nus ille fœderis *Angelus*, *qui ex omnibus malis periculiſque liberavit me*, *omni hos feli*-"*citate pueros*, tam cœleſti quàm terreſtri, *beatos reddat*: filii mei, nepotes *Iſaaci*, *Abra*-"*hami* pronepotes, fœderis *Canaanæi* atque æterni cenſeantur hæredes. Denique, in "terra *multiplicentur* eâ fœcunditate quâ in aqua piſces. Vix deſierat, cùm *Joſephus*, paululùm offenſus quòd in minorem filium dextram contuliſſet, ſiniſtram in majorem, corrigere hunc (ut putabat) errorem conatus eſt. Sed erant cæcutientis *Jacobi* ſatìs oculatæ manus; nec mutari paſſus eſt, aut moveri. "Non latet me, inquit, quis "hic ſit cui dextram admoveo; quis hic ſit futurus, te, opinor, latet. *Novi*, *mi fili*, "*probè novi*; *& alterum* poſterorum *multitudine ac potentiâ clarum atque magnum* "*fore*. *Sed minorem poſteros multò clariores*, *& potentiâ majores*, *habiturum* novi. "Itaque in proverbium optandi tranſibit apud *Iſraëlitas*, ut *feliciores Ephraïmo* "*ſint*, *feliciores Manaſſe*. Ità minorem *Ephraïmum Manaſſi* prætulit majori. Poſt hæc denuo compellat *Joſephum*. "*Inſtat mihi jam tempus mortis* conſtitutum. Sed "utcunque deſertos à me, *haud vos Deus deſeret*, *ſed reducet aliquando in terram* "*veſtris à ſe promiſſam patribus*. Illic, *Joſephe*, magnorum in me fratréſque tuos meri-"torum gratiâ, *uni tibi agrum Sichemiticum legatum volo*; *armis* filiorum crudeliùs "ereptum *Hivæis*, *meis* verò meliùs *vindicatum ab occupantibus* nullo jure *Amoræis*. cúmque ſuorum ceciniſſet fata,

Peractis tandem iis quæ *Joſephum* ſpectabant unicum, reliquos ad ſe congregari filios jubet; congregatos affatur ſupremâ concione, quaſi cantione cygneâ. "*Acce*-"*dite*, *filii*, *ad patrem* decedentem *accedite*. Vaticinantem audite nepotum, le-"gata filiorum veſtra. Ac tu (primò) *Rubene*, *qui mihi primò es genitus*, tituló-"que patris decoràſti *Jacobum*, *vigoris mei roboriſque virilis primitiæ*; in te *ſummam* "natura *dignitatem ac principatum* contulerat. *Sed ex quo paternus tibi torus*, unde "prodiiſti primus, *fœdo inceſtu violatus eſt*, *ſicut aqua effuſa* diffluxit *tua dignitas*, "& principatus in fumos abiit. (2. & 3.) *Simeon & Levi fratres quidem germani*, ac "in ſcelere ſocii atrociſſimo. *Nè ſit anima mea conſiliorum* tam crudelium *particeps*, "*meáve conſcia mens* tam nefariæ *conſpirationis* ac perfidiæ. *Furore agitati trucidâ*-

"*runt*

A.M. 2315.

" *runt cives*, *ac* ſævâ ulciſcendi libidine *ipſam diruerunt civitatem. Maledictus hic* "*furor*, *quia vehemens*; ulciſcendi maledicta ſit libido, *erat enim violenta. Inter* " *omnes tribus Iſraëlitarum diſpergam eos*, nè conſpirent; & ſine certa ſede *per fra-* "*trum ſedes varias diſſipabo*, nè conjurationes ineant. (4.) Tu verò, *Juda*, me- " ritò vocatus; meritò *es* enim *Laudatus à fratribus tuis.* Hoſtium Victor & Tri- "umphator, Princeps & Imperator fratrum tuorum. *Catulus leonis Juda*; *ex* " *præda vires tibi accreverunt*, *mi fili.* Securus *inclinavit ſe*, *inſtar leonis accubuit* " prædæ; *inſtar leonis magni accubuit: quis eum audeat ſuſcitare? Non recedet ſcep-* "*trum à Juda*, *nec in ejus deerit poſteris qui leges det*, *donec adveniat Shilo*; *cujus* " *imperio aggregatæ gentes undique obſecuturæ ſunt. Ad vitem ligabit aſellum ſuum*, " *ad vitem generoſam aſinæ ſuæ pullum. Lavit in vino veſtes*, *& in uvarum ſanguine* "*pallium ſuum. Oculi rubeſcent vino*, *dentes ei lacte albicabunt.* (5.) *Stationem* " *habet in littore Zebulon*, *navibus in portu ſtationem daturus. Ejus termini ad Si-* " *donem uſque.* (6.) *Aſinus robuſtus Iſſachar*, *inter duarum recubans ſarcinarum* " *onera. Jucundam ſenſit requiem*, *terram eſſe amœnam ſenſit. Humeros oneri ſubmiſit*, " *ac pretio vectigalis emit ſervitutem.* (7.) *Judex Dan populum ſuum judicabit*, *ut* " *ex tribubus Iſraëlitarum una. Dan coluber in via repens*, *& prope ſemitam ceraſtes.* "*Equi mordebit ungulam*, *& excutiet ſeſſorem. Salutem tuam exſpectavi*, *ô Jehova.* "(8.) *Turma Gad*, *à turma ſuperabitur*; *ipſe verò tandem ſuperior futurus.* (9.) *Aſer* " *Beatus*, terræ beatæ *pinguem eſturus panem*, *& delicias regum editurus.* (10.) Ve- " lox *Naphtali*, *tanquam cerva* è retibus *elapſa* venatorum. *Ex ejus ore melle dulcior* "*fluebat oratio.* (11.) *Ramus fructifer Joſephus*, *conſitus ad aquam ramus fructifer*; " *cujus propagines conſcendebant atque ſuperabant murum. Afflixerunt eum ſagittarii*, " *odióque ardentes jaculati ſunt. Nec ejus tamen arcus laxatus eſt*; *corroboratæ verò* "*ſunt manus*, *potentis Dei manu Jacobi. Indè paſtor* ſuis, & perfugii *rupes factus* " *eſt. A Deo*, *inquam*, *patris tui* corroboratæ ſunt manus, *qui adjuvabit te*, *ab Om-* "*nipotente Deo*, *qui benedicet tibi*; *qui cœli beneficiis ac terræ te beabit*, *beneficiis* " *uberum*, *& beneficiis uterorum. Tua tibi patris benedictio* inſtar omnium eſt futu- " ra, quæ nec removebitur à *Joſepho donec æterni montes loco moveant ſe*; nec ſepara- " bitur ab eo, *qui à ſuis olim ſeparatus eſt*, ac inter omnes eminebat unus. (12.) *In-* "*ſtar lupi eſt Benjaminus*, *rapientis manè ac devorantis prædam*, *veſperì quoque ſpolium* " *dividentis.* Hæc fata tribuum ſingularum cecinit *Jacobus.* Poſtremò, univer-ſos alloquens, de loco præcepit ubi ſepeliri vellet; eóque magìs fortaſſe, quòd *Joſe-phus* non ſatìs intelligeret, qui juvenis admodum diſceſſerat ex *Canaanæa.* " Se, " inquit, ad majores profecturum jam ex mundi hujus diverſorio. Cum majori- "bus igitur, avo patréque, ſepeliri jubet ſe in ſpelunca duplici, quam unà cum " agro emerat *Abrahamus* ab *Ephrone Hithæo.* Eam verò, *Mamræ* vicinam, quer- " ceto in *Canaanitide*, hujus rei emptam gratiâ, ut eſſet ſuæ genti ſepulchralis locus. " *Abrahamum* ibi cum *Sara*, *Iſaacum* ibi conditum eſſe cum *Rebecca*, ſuam ibi con- " jugem *Leam*; denique ſe in eodem reponendum ſepulchro. Poſtquam hæc filiis

moritur,

præcepiſſet, contractis in torum pedibus, quaſi compoſiturus ad ſomnum ſe jucun-diſſimum, placidè inter manus & ſuſpiria ſuorum exſpiravit; claudente oculos (quod promiſerat Deus *Gen.* 46.4.) *Joſepho.* Hic enim claudendi oculos morientibus manu chariſſimâ, perantiquus mos apud multas gentes valuit. (*Tob.* 14.14. *Homer. Odyſſ.* 24. v. 293. *Ovidius* Epiſt.1. de *Telemacho* filio ad *Vlyſſem Penelope*,

Ille meos oculos comprimat, *ille tuos.*)

Diſtracti enim diſtortíque morientium oculi & ora hiantia, animâ diſcedente, incutiunt horrorem quendam intuentibus, niſi quàm primùm comprimantur.

Defuncto patre, humanitas *Joſepho* dolorem expreſſit, luctum dolor & lacrymas, & oſculationes etiam exanimati corporis. Nam propheticum illud os, quod modò ſtupentibus filiis decantârat ſua fata, ſilentio æterno premi & obmuteſcere tam citò, graviſſimè tulit. Tandem verò, cùm fruſtrà hæc fieri, quanquam non impiè, cogitaret, luctum cohibuit, ac, pollinctoribus advocatis, condiendum aromatibus cadaver *Ægyptiaco* more tradidit. Id erat 40 dierum opus. Et honorem patri quàm potuit maximum deferri, & corpus integrum conſervari voluit ad ſepulturam in *Canaanitide.* Quin & ipſi *Ægyptii* reverendum filii generoſiſſimi, optiméque de ſe meriti, patrem 70 dierum planctu publico celebrârunt. Interea per aulicos magnates apud *Pharaonem Joſephus* agit, ut in *Canaanæam* proficiſci liceat ad ſepe-

& in *Canaanæam* ſepeliendus traducitur.

ſepeliendum patrem, in ſepulchro jam antè præparato, & deſtinato ſuæ genti à majoribus. Id ut faceret, juramento ſe obſtrictum eſſe; poſtquam fecerit, mox redi- [A. M.] tu-rum. Nè ſuam ipſe cauſam ageret, modeſtia prohibuit; vel cadaveris inſepulti re- [2315.] ligio, nè adiret regem. Omnes regni aulæque principes *Joſepho* gratificandi maximo certabant ſtudio. Annuente igitur *Pharaone*, ut eâ in patrem pietate perfungeretur filius, & liberaret fidem, coëunt omnes *Joſepho* ſe comites daturi. Equites præterea & currus præſidiarii advocantur, ad propulſandam hoſtium *Arabûm*que latronum vim. Omnes etiam *Iſraëlitæ*, præter imbellem puerorum turbam, aderant; ut exercitus duci, non deduci funus, videretur. Neque tamen rectâ *Hebronem* viâ deducitur, ſed per *Idumæam* & *Moabitidem Jordanis* vadum tranſeunt, quâ *Iſraëlitæ* poſtea redierunt in *Canaanæam*. Cùm trajeciſſent flumen, planctum renovant ſeptem diebus, quo ſenis optimi deſiderium vociferationibus magnis, næniis & querelis, ſuo more, lamentantur. Gravem hunc *Ægyptiis* fuiſſe luctum *Canaanæi* facilè credebant. Itaque loco nomen ab incolis datum, *Ægyptiorum-Luctus*. Indè ad quercetum *Mamræ* deſcenditur. Novus fortaſſe planctus inſtituitur ad ſepulchrum; *Jacobus* reponitur in dormitorio; denique omnes in *Ægyptum* revertuntur.

Jam deceſſerat pater *Jacobus*, cujus autoritati apud *Joſephum* ſuam hactenus in- [Iterum] columitatem debere ſe putabant *Iſraëlitæ*. Crudelitatis in fratrem conſcientia de- [fratres *Jo-*] nuo ſtimulat, novóſque objicit timores, ulturum eſſe tandem quas reverentiâ patris [*ſepho*] diſſimulaverat hactenus injurias. Ejus amori difficillimè credimus, de quo malè novimus meruiſſe nos. Quare precatorem adhibere placuit, patris defuncti verbis, [ſuppli-] & quaſi mandatis, inſtructum, ut fratrum in ſe *Joſephus* condonaret ſcelus, eóſque [cant, de-] in gratiam reciperet; quippe ſervos ejuſdem Dei, Dei patris *Jacobi*. Religio apud [precaturi] homines pios naturâ plùs valet. Itaque non ejuſdem patris filiis, ſed ejuſdem Dei [vindictam.] ſervis deprecantur vindictam, exorant veniam. *Joſephus* nè audire quidem hæc ſuſtinuit ſine lacrymis. Illi quamvis anſam arripiunt precandi placandíque fratrem; humi proſternuntur, ſervóſque profitentur ſe, ad quodvis obſequium ſuppliciúmve obſequentes. Quoddam eſt contumeliæ genus, immeritò ſuſpicari. Doluit, nè dicam ſuccenſuit, *Joſephus*, quòd ſe fratres metuerent, ſui tantùm memores peccati, fraternæ condonationis obliti. Tandem igitur, "Quis hic, inquit, vos corri-
" puit novus timor? Procul à me ſit vindictæ crudelis libido. Cogitate, fratres,
" mihi magìs Deum, quàm vobis metuendum eſſe me. Quod igitur Deus remiſit,
" multò magìs remittendum eſt à me peccatum. *Peſſimè quidem vos in me ſtatuiſtis.*
" *At* eodem facto *Deus optimè conſuluit* mihi vobíſque, *gentiúm*que *multorum ſalu-*
" *ti. Quare nè quid à me vos mali pertimeſcite*; quantum vultis boni exſpectate.
" Veſtra in me ſævitia ſævitiam ex me parem non exprimet. Sed meâ in vos li-
" beróſque veſtros benignitate ac beneficentiâ, veſtrûm ego in me ſuperabo crudeli-
" tatem maximam.

§ 29. *Chebron* interea rex moritur *Ægypti*; regno præficitur *Amenophis*, ſive [A. M.] *Amenophthis*: quem viginti annos atque ſeptem imperaviſſe menſes tradit *Joſephus*; [2324.] annos 24 *Africanus*.

Soror *Amenophis*, defuncto fratre, *Ameſſes* (*Amerſis Africano*) *Ægyptiacum* ſuſcepit [A. M.] imperium, geſſítque uno ſupra viginti anno, & menſibus 9. [2344.]

Ameſſe mortuâ, *Mephris* (*Africano Miſphris*) tenuit *Ægyptum* annos 12, atque menſes 9.

Poſt *Peratum* patrem, *Ægialenſibus* imperavit *Plemnæus* annos 48. Hujus liberi, [A. M.] ut primùm nati ſunt, continuò exſpirabant; cui malo *Cererem* adhibuiſſe remedi- [2353.] um ferunt. Cùm enim in *Ægialeam* veniſſet quaſi peregrina mulier, filium *Plemnæo* educavit *Orthopolin*; cui propterea, gratiam ut referret, templum dedicavit. (*Pauſ. Cor.*) Quid hæc ſibi velit fabula, nemo facilè explicuerit; niſi frumenti uſu convaluerit *Orthopolis*, cùm fratres obiiſſent ex glandibus victum non ferentes.

Theſſalus Pelaſgi filius ex *Arcadia* in eam regionem quæ *Theſſalia* tandem dicta eſt [*Theſſalus*] coloniam deducit. (*Apollod.*) Ex quatuor *Græciæ* partibus ad *Macedoniam Theſſa-* [*Pelaſgi* mi-] *lia* ſpectat, cui adjacet ab Auſtro. Longam regionem, ſed anguſtam, mediam in- [grat in] terſecat *Peneus* amnis; qui montibus primò (ut ferunt) concluſus undique, ſtagno [*Theſſaliam.*] profundo totam quæ ſuberat montibus planitiem operiebat. *Oſſa* deinde atque *Olympus* montes terræ motu abrupti aperuerunt viam flumini, quâ in *Ægæum* prorupit mare. In Ortu orâque maritimâ *Pelium* & *Oſſam* habuit; in Septentrione celeberrimum editiſſimúmque *Olympum*, *Macedoniæ* limitem; ab Occidente *Pindum*;

A.M. 2353.

dum; denique *Othryn* & *Oetæa* in Auſtro ad *Thermopylas* juga: qui omnes theatrali modo inflexi, cuneatis ante eos 75 urbibus, minores alios complectebantur, *Pierum*, *Nymphæum*, &c. adeò ut 34 una montes *Theſſalia* numeraret. Flumina *Sperchius*, *Melas*, *Dryas*, *Aſopus*; ſed ante cunctos claritate *Peneus*, ortusè *Pindo* juxta *Gomphos*, intérque *Oſſam* & *Olympum* nemoroſâ convalle defluens 500 ſtadiis, dimidio ejus ſpatio navigabilis. In eo curſu *Tempe* vocantur quinque mill. paſſuum longitudine, & ferme ſequijugeri latitudine; ultra viſum hominis attollentibus ſe dextrâ lævâque leniter convexis jugis. Intus ſuâ luce viridante allabitur *Peneus*, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu; receptíſque *Apidano*, *Onochono*, *Pamiſo*, *Amphryſſo*, aliíſque fluviis, *Macedoniam* & *Magneſiam* interluens, in *Thermæum* ſinum conditur. Lacus in hac regione inſignes duo, *Neſon* major, minor & propinquior oræ maritimæ *Bæbeïs*. In quatuor *Strabo* regiones *Theſſaliam* diſtribuit, à plagis mundi: ab Auſtro *Phthiotin*, *Achillis* patriam; ab Occidente *Eſtiæotin*; *Theſſaliotin* à Borea; denique, ad oram in Oriente maritimam *Pelaſgiotin* cum *Magneſia*.

A.M. 2367.

Poſt *Argum Criaſus Argivorum* rex.

Tandem aliquando *Argus* in *Apia* & regnum & vitam depoſuit. Tum verò, cùm certò conſtaret hominem fuiſſe atque mortalem, haberi cœpit poſt obitum deus, templo ei ſacríſque dedicatis. Idem honos, eo adhuc regnante, *Homagyro* cuidam eſt delatus, homini privato & fulmine interempto, qui primus ad aratrum boves junxerat. Nam *Argo* dominante, ſuis uti cœpit frugibus *Græcia*, & agriculturam exercere, delatis aliunde ſeminibus. (S. *Auguſt.* de Civit. Dei 18.6.) Quatuor fuerunt *Argo* filii ex *Evadne Strymonis* filia. 1. *Criaſus*, quem regni reliquit hæredem; (*Pauſaniæ Piraſus* vocatur;) 2. *Jaſus*, 3. *Piranthus*, 4. & *Epidaurus*. Hic poſtremus in *Argolide* urbem de ſuo nomine conſtruxit *Epidaurum*, poſtea celebrem *Æſculapio*; quæ in amplitudinem & ambitum 50 ſtadiorum excrevit. Sed quem *Argo* genitum *Argivi*, *Pelope* natum *Elei* tradebant, ipſi *Epidaurii Apolline*. (*Pauſ. Cor.*)

Callithyia Junonis Argivæ prima ſacerdos.

Criaſus, ſive *Piraſus*, regnavit annis 54. *Callithyia*, *Piranthi* filia, ſacerdotio *Junonis* apud *Argivos* ampliſſimo functa eſt omnium prima, 864 annis ante *Olympiadas*. Ab *Euſebio* quidem *Pirus* vocatur, non *Piranthus*, (Præpar.3.8.) quem *Junoni* templum poſuiſſe *Argis* primum dicit, (quod tamen alii *Phoroneo* tribuunt,) filiámque *Callithyiam* ſacerdotem ſtatuiſſe, fœminam deæ. Eam *Theon* in *Aratum Callitheam*, *Clemens Alexand.* (Stromat.1.) *Callithoën* appellat, *Hyginus Callirrhoën*, (Fab.145.) Statuam quoque, ſive pro ſtatua columnam, deæ *Piranthus* in templo ſuo dedicavit ex pyro ſylveſtri, ut ex *Plutarcho* docet *Euſebius*, (Præpar.3.8.) De *Callithoë* ſacerdote *Clemens Alex.* (Strom.1.) ex Poëta veteri habet hæc:

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης,
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Primam ait hanc clavigeram, ſive ædituȧm, *Junonis Argivæ*, quæ ſertis coroníſque, infulis atque vittis, columnam ornabat reginæ cœli. Videtur eadem *Io Callethyia* vocari apud *Heſychium*, quámque *Jupiter* vitiavit *Io* apud *Apollodorum*, (lib. 2.) utpote *Pirenis*, *Piri*, *Pirantis*, ſive *Piranthi*, filiam. Summa erat hujus ſacerdotis apud *Argivos* dignitas, cujus ab annis Faſti ſignabantur; ut alibi à regibus, ab Archontibus apud *Athenienſes*. Itaque fœminis non niſi honoratiſſimis tradebatur hoc ſacerdotium.

A.M. 2369.

Fatis concedit *Joſephus*.

§ 30. Centum atque decem annos jam vixerat *Iſraëlita Joſephus*. Copioſâ ſcaturigine ſuæ ſobolis beatus, filios filiorum atque nepotes viderat. Felicitatis tandem vitæque ſatur terrenæ, cœleſtem ac æternam anhelabat. Moriturus hoc unum apud ſuos gentiles mandatum depoſuit, "Nè, in patriam redituri, ſuum in *Ægypto* "corpus relinquerent. Fore ſcilicet aliquando prædixit, oraculi ſui ut memor Deus, "ex *Ægypto Iſraëlitas* evocaret, ac in eam terram reduceret, poſt annorum aliquot ſer-"vitutem, quam *Abrahamo*, *Iſaaco* & *Jacobo* juratus promiſerat. Sua igitur ut oſſa "profecturi ſecum reportarent in *Canaanæam* obteſtatus eſt, ac in majorum conde-"rent ſepulchro. Quóque id ſanctius fieret, ſacramento fratres obligavit. Eo fidem pius vir atque ſpem ſuam profeſſus, confirmabat ſuorum. Cùm de reliquiis ſuis caviſſet poſt obitum ſatis, lubens hinc ipſe in cœlum emigravit, rerum in *Ægypto* regi proximus 80 ferè potitus annos. Aromatibus condîtum eſt corpus *Ægyptiaco* more; in arca deinde repoſitum, felicem exſpectabat reditum in *Canaanæam*. Non præ-

prætermittendum videtur, quod in viro maximo maximum eſt, & præ aliis omnibus honorificum, *Joſephum* quoque typo non obſcuro ſignificâſſe *Chriſtum*. Nam & A.M. *Chriſtus* Patri chariſſimus, fratribus *Judæis* exoſus, ludibrio habitus, exutus veſte, 2369. venundatus, nunc regis cœleſtis ad dextram ſedet, potentiâ gloriâque ſummâ præditus. De *Joſephi* claritate etiam profani Scriptores memorant honorificé. Sic enim *Juſtinus*, (lib. 36. Hiſtoriæ ſuæ,) *Minimus inter fratres ætate Joſeph fuit; cujus excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi regi percharus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur; adeò ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos prævideret: periiſſetque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet. Tantáque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, ſed à Deo, reſponſa dari viderentur.*

§ 31. Poſt *Mephrem*, *Mephramuthoſis* (*Miſphragmuthoſis Africano*) apud *Ægyptios* regnat an. 25. menſ. 10. A.M. 2379.

Theſſalus, ut patri fortaſſe *Pelaſgo* morienti ſuccederet, ex *Theſſalia* in *Epirum* tranſiit; ubi templum *Jovis Dodonæi* (de quo alibi jampridem dictum eſt) apud *Moloſſos* condidit. (*Hygin.* Fab. 235.) Filium reliquit *Hæmonem* in *Theſſaliæ* Boreali parte, quam à ſe appellat *Æmoniam*, ſive *Hæmoniam*: *Theſſaliotin* vocat *Strabo*. A.M. 2380.

Achæus, *Phthius*, & *Pelaſgus* minor, ex *Lariſſa* filia (patre *Neptuno*, ſi Poëtas audiamus) majoris erant *Pelaſgi* nepotes. Hi ad conſobrinum *Hæmonem*, comparatâ colonorum ſtrenuâ manu, ex *Argis Achaïcis* migrârunt in *Theſſaliam*: ubi cùm barbaros expuliſſent, tres ejus regionis partes ſuis nominibus, *Achaiam*, *Phthiam*, & *Pelaſgiam*, ſeu *Pelaſgiotin*, denominârunt. *Dionyſius Halicarn.* (l. 1.) factum hoc ait ſextâ poſt *Pelaſgum* primum vel natum, vel mortuum ætate. A.M. 2390.

Æqualem *Inacho Prometheum* ſtatuit *Porphyrius*. Sed ex poſteris amborum facilè arguitur, *Prometheum Atlantém*que fratres eò antiquitatis non aſcendiſſe. Diluvium quippe *Deucalionis*, qui *Promethei* filius habetur, trecentis ferè poſt *Inachum* annis contigit, 248 poſt *Ogygem*. *Japheti*que nomen quamvìs *Iapeto*, *Promethei Atlantiſ*que patri, affine ſit, ejuſdem viri tamen utrumque fuiſſe, temporum ratio difficillimè patitur. Probabiliùs ergò *Euſebius Prometheum* 84 poſt *Ogygem* annis collocat; quo tempore natum fuiſſe nihil impedit. *Iapeto* enim, uni ex *Titanibus*, ex *Clymene* ſcribit *Heſiodus* (alii *Aſiam Oceani* filiam, aliáſque matres nominant,) *Atlantem* natum fuiſſe, *Prometheum*, *Epimetheum*, *Menœcium*que: hunc in bello *Titanico Jovem* fulmine deturbâſſe in Tartarum. Aliqui 30 fuiſſe fratres volunt, & ſororem *Ephyram*. De *Prometheo* hanc Poëtæ fabulam narrant: (*Hygin.* Poët. Aſtron. 2. *Sagittar.*) Mos erat olim in ſacrificiis, hoſtias igne ſolidas abſumere. Cùm tenuiorum pietati obſtaret magnitudo ſumptûs, gratificaturus *Prometheus* humano generi, egiſſe cum *Jove* dicitur, ut media tantùm hoſtiæ pars igni daretur in ſacris, altera media cederet in uſus hominum. Annuente *Jove*, duos tauros immolavit; utriuſque oſſa uno corio, altero carnes operiens. Optione *Jovi* datâ ut quem vellet eligeret, ſimplex deus, nullum ſuſpicatus dolum, taurum cepit oſſeum, quem proximum ei admoverat homo callidus de induſtria. Fraude cognitâ, Ignis jacturâ *Jupiter* multavit humanum genus, nè inanes poſſet offerre hoſtias diis, aut ſibi carnes coquere. At *Prometheus*, nè damnum attuliſſe hominibus pro beneficio videretur, Ignem in ferula de cœlo ſuffuratus eſt. *Prometheus*;

Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit. (*Horat.* l. 1. Od. 3.)

At *Servius Minervam* ait, admiratam opus *Promethei*, cùm homines novos è luto fingeret, pollicitam ei ſe quicquid opus foret præterea daturam. Cúmque ignorare ſe *Prometheus* diceret quid maximè uſus eſſet, à dea ſublatum in cœlos, admotâ currui Solis ferulâ ignem detuliſſe, hominéſque à ſe recens factos animâſſe. Tantam hominis audaciam ſtatuit ulciſci *Jupiter*; maximè quòd fœminas, toties devocaturas de cœlo ſe, condidiſſet. *Prometheus* ergò (ut habet *Æſchylus*) ad 30 annorum millia in *Caucaſo* monte religatus eſt, aquilâ ejus jecur, ſubindè renaſcens, aſſiduò depaſcente. Aquilâ tandem *Herculeis* interemptâ ſagittis, cùm prohibuiſſet *Jovem* *Prome-*

theus ne cum *Thetide* concumberet, eò quòd in fatis eſſet, filium ejus patre majorem futurum, vinculis quoque ſolutus eſt, poſt annos 30 *Hyginus* ait. (Fab. 54.) *Lucia-*
A.M. 2390. *nus* (in Dialog. deorum) monitum à *Prometheo* dicit *Jovem*, nè rem haberet cum nympha *Nirine*: ab eo enim filio eadem paſſurum *Jovem* quæ patri fecerat. Præclarum verò numen ſummi deorum, qui hominem in vinculis habuit ſapientiorem ſe, à quo ipſa didicit fata! Hujus autem fabulæ, de hominibus à *Prometheo* fictis, credulitate, adeò inſaniebant *Græci* veteres, ut ſaxa quædam ingentia apud *Panopenſes*, ejus fuiſſe luti reliquias traderent unde *Prometheus* finxit humanum genus. Sed & reliquos mortales *Jupiter Promethei* luere temeritatem voluit. Itaque fœminam juſſit fieri à *Vulcano*, quam reliqui omnes dii aliquâ dote donabant; unde *Pandoram* appellavêre. Hanc à *Mercurio* delatam in terras *Epimetheo* tradi, unà cum dolio pleno malis omnibus. Accepit *Epimetheus*, etſi præmonitus à fratre ac prohibitus. Dolium verò cùm aperuiſſet fœmina, mala per orbem diſperſa evolârunt, ſolâ in fundo relictâ ſpe. Unde Lyricus,

Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique priùs tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum.

Epimetheus verò,

——Δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ᾽, ἐνόησε.

Subeſſe aliquam & latêre ſub his fabulis veritatem rerum, facilè creditur; at quænam ea ſit, non ità facilè explicatur. Ferunt *Prometheum* virum ſapientem fuiſſe providúmque: *Epimetheum* non niſi ſerò & poſt factum ſapuiſſe. Huic tamen illum natu minori ultro alicubi regnum in *Theſſalia* tradidiſſe; ac totum ſe contemplationi rerum, inprimis cœleſtium. Ideo montem altiſſimum (Poëtæ *Caucaſum* fingunt, quippe ultimum quem in Oriente noverant,) aſcendiſſe, ut ſereno cœlo quàm longiſſimè ſignorum ſpectaret ortus obitúſque. Et hanc rerum divinarum ac cœleſtium cognitionem, Ignem eum eſſe ad homines à *Prometheo* delatum, *Theophraſtus* vult. Nec paſtum illum jecinoris aquilámque aliud ſpectare cenſent plerique, quàm curas & ambiguitates ſubindè alias ex aliis renaſcentes, in cognitione rerum artiúmque diverſarum inveſtiganda. Satìs quidem hæc probabiliter. *Diod. Sic. Ægyptios* ait de ſuo hæc *Prometheo* interpretari; qui, cùm eam regionem cui præfectus erat ab *Oſiride*, *Nilus*, Aquila dictus ob celeritatem, inundaret, maximíſque damnis affligeret, graviſſimè id tulit; donec *Hercules* (*Ægyptius* & hic quoque) impetum fluminis repreſſit, ínque priſtinum redegit alveum. Alii fluvium neſcio quem dici *Aquilam* volunt in *Promethea* regione ad radices *Caucaſi*. (Interp. *Apollon.*) Alii *Prometheum*, *Scythiæ* regem, fluvium *Aquilam* ſuæ ditionis cùm derivare non poſſet, excruciatum valde narrant. *Herculem* verò id præſtitiſſe tandem; quo ſummâ ſolicitudine levatus eſt rex. Sed mihi ex his probatur nihil. Fabulis enim fabulam interpretantur. Furtum ignis *Plinius* (lib. 7. 56.) ex eo natum dicit, non quòd ex ferro & ſilice ignem extundere docuerit; (ut habet *Ludov. Vives* in *Auguſt.* de Civit. Dei 18. 8.) id enim *Pyrotæ Cilici* ab eodem *Plinio* tribuitur; ſed quia ignem aſſervari in ferula excogitavit. Et in ferula optimè ſervari certum, inquit, eſt, eáſque in *Ægypto* præcellere. (Lib. 13. 22.) Quia *Prometheus* ignem ſervandi artem cinere obrutum demonſtravit, (inquit *Hyginus* Fab. 144.) eapropter è cœlo in ferula ſuffuratum eſſe commenti ſunt. *Diodorus Sic.* (lib. 5.) conſtare ait inventum à *Prometheo* Ignarium, ſive inſtrumentum quo ad eliciendum ignem utimur, ferreum ligneúmve. Ferro lignum terebrandi donec incendatur, *Homerus* inventum *Mercurio* tribuit, (in Hymnis.) Sed & lignum ligno teritur, ignémque concipit attritu, excipiente materiâ aridi fomitis, fungi vel foliorum facillimi conceptûs: Et nihil hederâ præſtantius quæ teratur, lauro quæ terat. *Exploratorum hoc uſus in caſtris paſtorúmque reperit; quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt.* (*Plin.* 16. 40.) Ferreum ergò ignitabulum è ſilice *Pyrodes*, ex ligno *Mercurius* reperit; ligneum verò paſtores & excubitores. Utrum ex his *Prometheo* tribuendum ſit, non conſtat. Qui eum finxiſſe fingunt hominem è luto, vel humana ſimulacra primum formâſſe volunt, ut *Lactantius*; vel excoluiſſe vitam humanam variis artibus ex uſu & beneficio ignis: qua de re gloriatur ipſe apud *Æ-*

ſchylum

ſchylum ſatìs magnificé. Ità enim ex agreſtibus atque ſylveſtribus homines urbanos atque veros reddidit, qui ſpecie tantùm humanâ priùs pecudum ritus imitabantur. Sic apud *Euſebium* (Præpar. 10. 10.) *Africanus*, *Prometheum*, eò quòd à nimia ſimplicitate ad cultum diſciplinæ ſolerter ingenioſéque traduxiſſet homines, propterea, inquit, finxiſſe fabulabantur. At poſtquam artes inventæ ſunt ignis adminiculo, protinus auctæ ſunt hominibus animorum ſolicitudines, & ægritudines corporum; quod *Horatius* antea monuit: quandoquidem ſimplici victu atque veſtitu priùs, & liberiùs agebant, & vivebant diutiús. Denique, de ſacrificio dimidii bovis quod dictum eſt, *Prometheum Plinius* (lib. 7. 56.) primum ait occidiſſe bovem; ſed an victimam diis, an ſibi victum, non explicat. Credibile eſt, cùm holocauſta ſolerent immolari priùs in *Græcia*, *Prometheum* inſtituiſſe primum, ut proſecta ſive partes aliquæ victimarum traderentur ignibus deinceps, carne reliquâ convivium appararent. Uxores habuiſſe fertur *Aſiam*, (*Herodot. Melpom.*) *Heſionen*, & *Axiotheam*: (*Iſaac. Zezes:*) filium *Deucalionem* nobiliſſimum; & ex *Celæno Atlantis Chimareum* atque *Lycum*. Apud *Athenienſes* in *Academia Prometheo* erat ara dedicata, (*Pauſan. Attic.*) cum *Vulcano* & *Pallade* communis; (*Sophocl.* Enarrat.) quoniam ignem *Vulcani* prudentiâ *Palladis* aut eliciendi aut conſervandi artem inveniſſet. Ab hac ara certamen fuiſſe docet *Pauſanias*, quo decurrentes in urbem homines accenſas præferebant faces. Si cui extinguebatur ſua fax inter currendum, cedebat victoriam conſequenti: ſin omnibus, palma in dubio relinquebatur. Hoc ludo celebrabant *Prometheum* præcipuè, qui rationem demonſtrâſſet conſervandi ignem nè extingueretur; & *Vulcanum* ſimul ignis deum, *Minervam*que numen *Atticum*, & *Pana*.

A.M. 2390.

Servius (in *Æneïd.* 8.) ſcribit fuiſſe *Atlantes* tres: unum *Maurum*, qui eſt maximus; alterum *Italicum*, patrem *Electræ*; tertium *Arcadem*, *Maiæ* patrem, unde natus eſt *Mercurius*. Duos *Atlanti* filios tribuunt, *Hyantem* & *Diomedem*: ſeptem filias, quæ maximè patrem nobilitârunt; *Alcyonem*, *Celæno*, *Maiam*, *Steropem*, *Meropem*, *Taygetem*, & *Electram*; quas in cœlum Aſtronomi ſuſtulerunt, & *Pleïdes* vocârunt, in *Tauri* capite ſtellas. A matre *Pleione*, vel à numero, *Pleiades* dictæ, quia reliquis plures fuerunt. Nam & alias quinque ferunt eſſe *Atlantis* filias, eaſdémque ſtellas. *Hyadas* appellant, pluviale ſignum. Hæc illis nomina *Heſiodus* dat, *Phæola*, *Coronis*, *Cloïa*, *Phæo*, & *Eudora*: alii alia, nec de numero conveniunt. *Hyas* puer à leone vel apro interemptus eſt; cujus necem ſorores hæ dum intemperantiùs lugent, in ſtellas à *Jove* mutatas fingunt Poëtæ. (*Hygin.* Fab. 248.) *Diomedes* alter filius, curru excuſſus, ab equo laceratus eſt. (*Hygin.* Fab. 250.) *Homerus* ei *Calypſò* quoque filiam dat, & *Pauſanias* in *Arcadicis Mæram*. atque Atlas.

——— Θεὰ δ' ἐν δώμασι ναίει,
Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν.
Atlantis colit has prudentis filia ſedes,
Omnia qui novit pelagi barathra alta profundi.

Pleiades verò,

——— *Septem dici, ſex tamen eſſe ſolent.*
Seu quòd in amplexus ſex hinc venêre deorum:
Nam Steropem Marti *concubuiſſe ferunt*;
Neptuno Alcyonen, *& te, formoſa* Celæno;
Maiam *atque* Electram Täygetén*que* Jovi.
Septima mortali Merope *tibi*, Siſyphe, *nupſit:*
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.

Liberos generârunt *Pleiades*, *Alcyone Hyperetem*, *Anthana* urbis *Anthedonis* in *Bœotia* conditorem, & filiam *Æthuſam* ex *Neptuno*: eodem patre *Celæno Lycum* & *Chimareum*, qui *Prometheo* genitori tribuuntur. E *Sterope Mars Oenomaüm*, vel *Oenomaüs Hippodamiam*. *Jupiter* ex *Maia Mercurium*, ex *Electra Dardanum*, ex *Taygete Lacedæmonem* genuit. Ex *Merope Siſyphus Glaucum*. Hæc autem tantò erat reliquis poſterior ætate, ut ſi *Atlantis* cujuſquam filia fuerit, plures fuiſſe *Atlantes* neceſſe videatur; quanquam, ſolenni more Poëtarum, geſta omnium uni tribuantur. Quis autem ex tribus illis qui memorantur *Atlantibus Iapeti* filius, & *Promethei*

A.M. 2390. *thei* frater cenſendus ſit, quis Aſtronomus, (omnes enim ferè Aſtronomum fuiſſe *Atlantem* uno ore conſentiunt, quippe tot ſtellarum patrem,) non ità promptum explicatu videtur. In fabulis habetur, cœlum ſuſtuliſſe humeris *Atlantem.* Illud *M. Tullius* (*Tuſc.* Quæſt. 5.) è ſcientia ſiderum eſſe natum putat. *Nec verò Atlas*, inquit, *ſuſtinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo*, &c. *traderetur, niſi divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet.* S. *Auguſtinus*, (de Civit. Dei 18. 8.) etſi & hanc fabulæ rationem proponat, aliam præponit probátque magìs, à monte *Libyco* ejus nominis. *Frater ejus Atlas*, inquit, *magnus fuiſſe Aſtrologus dicitur. Unde occaſionem fabula invenit, ut eum cœlum portare confingeret. Quamvìs mons ejus nominis nuncupetur, cujus altitudine, cœli portatio in opinionem vulgi veniſſe videatur.* Hæc *Auguſtinus.* Ut ego autem arbitror, non tam altitudine montis factum id, quàm ſitu. *Græci* enim veteres, nec Antipodas, nec terræ rotunditatem, aut cœli fortaſſe, noverant. Ex vulgi opinione atque ſenſu oculorum, ad Orientem & Occidentem reſidere alicubi Solem & ſuſtineri cogitabant, nè caderet. Id autem in liquido maris elemento cùm fieri non poſſe videretur, quam aptiùs rem fingere potuerunt cui cœlum inniteretur ut columnæ, quàm celſiſſimum, eundémque poſitum in extremis terræ finibus, montem? *Diodorus* quidem (lib. 4.) de *Atlantiis* quibuſdam meminit, *Mauritaniæ*, credo, populis ad Oceanum, qui humanitate finitimis longè præſtabant, & deos apud ſe natos gloriabantur. *Atlanticos* vocat S. *Auguſtinus.* (De Civit. Dei 8. 9.) Hi de diis fabulam longam, *Græcanicis*, *Ægyptiacis Phœniciiſ*que perſimilem, conſarcinârant. Multa inprimis de *Atlante*, à quo ipſi cognominati videbantur, narrare ſoliti; Aſtrologum fuiſſe eruditiſſimum, ſphæræque rationem indicâſſe primum, unde orta de portando humeris mundo fabula. Et his, opinor, autoribus, *Atlantem Plinius* (7. 56.) *Libyæ* filium, repertorem Aſtrologiæ fuiſſe ait, & ſphæram Aſtrologicam inveniſſe. Quanta fides *Diodoro* hac in re tribuenda ſit, equidem nihil ſtatuo. Nec enim alibi reperio tantâ humanitate ac eruditione populum iis in locis exſtitiſſe, unde *Græci* ſuam theologiam & aſtrorum acceperint diſciplinam. *Atlantes* quidem *Herodoti* (lib. 4.) degeneres fuerunt humani moris. Neque nominum ullorum inter eos appellatio fuit; & Solem orientem occidentémque dirâ imprecatione contuebantur, ut exitialem ipſis agríſque. Quid quòd *Atlas*, *Cronus*, *Heſperus*, & alia ex quibus eorum fabulæ contexebantur, non *Libycæ* linguæ ſunt nomina, ſed *Græcanicæ?* Ipſe ille *Africanus* mons patriâ indigenarum linguâ *Dyris*, non *Atlas*, appellabatur; adeò ut mihi planè dubium & incertum ſit, fueritne ullus *Atlas Libycus*, ac non potiùs à *Græco* montis nomine reliqua ficta ſint. *Italicus* verò *Atlas* is eſt, quem aiunt antiquiſſimum *Fæſulis* fuiſſe regem. *Pauſanias* (in *Bœot.*) *Poloſum* fuiſſe vicum refert non procul à *Tanagris*, in quo *Atlas* conſediſſe dicitur, & ea quæ ſub terra ſunt réſque cœleſtes accuratâ diligentiâ inveſtigâſſe.

A.M. 2391. *Jacobi* filius *Levi*, cùm vixiſſet annos 137, fato functus eſt. *Exod. 6. 16.*

2394. Anno *Criaſi Argivi* 28. ſcribit *Euſebius*, *Æthiopes* ab *Indo* flumine, ultra *Ægyptum* profectos, eam occupaviſſe regionem quæ à *Græcis Æthiopia* dicitur. Ad gentem puto ſui ſimilem, regionem verò magìs amplam ſuâ & capacem, tranſmigrare voluerunt. Probabilius enim eſt, ab initio mediam *Africam Æthiopas* tenuiſſe. Et ſuperſtites fuiſſe ad fluvium *Indum* nigri coloris gentem, uſque ad imperium *Xerxis* in *Perſia*, ex *Herodoto* conſtat; ſed crinibus diſcretam ab *Æthiopibus Africanis.* Hi enim criſpam gerebant & quaſi laneam comam, illi verò pendulam & promiſſam.

A.M. 2400. *Mercurius Maiæ filius.* In hoc, aut huic propinquo ſeculo, floruiſſe *Mercurium* neceſſe eſt, utpote *Maiâ* genitum, *Atlantis*, puto, *Arcadis* nepotem. Patrem ei *Jovem* affingunt Poëtæ, (ut clariſſimis quibuſque viris ſolent,) quaſi æthereo & cœleſti ſemine prognato. Ex avita diſciplina plurimas res vitæ humanæ perquam utiles reperiſſe ferunt: quo merito, eum poſt mortem eſſe deum voluerunt. Hujus nomini ſtellam quoque dedicârunt è Planetis unam, propter vim earum artium & virtutum effectricem (ut volunt Aſtrologi) quibus maximè valebat *Mercurius*, calliditatis, facundiæ, furacitatis, & ſimilium.

Lelex primus *Laconum* rex. In *Apia*, ſeu *Peloponneſo*, regnum aiunt *Lelegem* indigenam his ferè temporibus novum inſtituiſſe. Is populum in agris diſperſum, ejus regionis quæ *Laconia* poſtmodum dicta eſt, in ſuam ditionem redegit, unóque jure communi colligavit, & nomine *Lelegum*; vicinos *Argum* & *Phoroneum* imitatus. *Maleâ* & *Tænaro* promontoriis porrigitur in mare hæc regio. *Eurotas* fluvius (at nondum eo donatus nomine)

mine) mediam interſecat. *Taygetus*, *Zarex* & *Chromius* montes attollunt ſe. *Cythera* inſula objicitur, ſacra *Veneri*; & huic *Erpla*. Ab Occidente *Arcadiam* habuit *Meſſeniámque*, *Argolin* à Septentrione. Reliqua pelago patebant *Ægæo Ionióque*. *Scandea Cytherorum* navale, unde ad ipſa urbis mœnia ſtadiis decem aſcendebatur. In hac inſula *Veneris* erat *Uraniæ* fanum, eorum omnium quæ apud *Græcos* dicata ſunt maximè vetuſtum & religioſum. In *Laconia* paludem exiguam eſſe ferunt, ſed profundam; *Aquas Inûs* vocabant. In eam feſto *Inûs* die ſolenne fuit porricere panes. Si demerſos reciperent aquæ, boni erat ominis; ſin rejicerent, adverſa denunciabantur. (*Pauſ. Lac.*) Habuit & lapidicinas hæc ora ſaxi perpetui & nuſquam interrupti, in vico cui *Croceæ* nomen. (Ibid.) *Pephni* maritimæ civitati ſaxum adjacet potiùs quàm inſula, *Pephnos* quoque appellatum, ubi formicæ conſpiciuntur albæ. (Ibid.) Imperaviſſe *Lelegem* in hac ditione annis credibile eſt 50. *A.M. 2400.*

§ 32. Hoc tempore ipſam in *Ægypto Goſenen* tenebræ quædam occupaverant, & clariſſimarum virtutum diem, quæ in *Jacobo*, *Joſepho*, *Iſaaco* & *Abrahamo* longè latéque colluxerant, obſcuriſſima erat conſecuta nox. Mortuo enim *Joſepho*, nullus inſigni pietate vir eminebat in *Jacobi* familia. Imò *Ægyptiorum* impietate ac idololatriâ coïnquinatos fuiſſe *Iſraëlitas*, *Ezechiel* Propheta non diſſimulat, ubi hæc illis quaſi juventutis adulteria exprobrat. (Cap. 23. 8, 19.) Deficiente igitur Sole apud *Iſraëlitas*, alibi Deus emicare tanquam ſtellas voluit viros quoſdam bonos, radiíſque ſuis tenebras mortalium illuſtrare. Has autem ſtellas, vel primæ (quod aiunt) magnitudinis, *Huſitæ Jobi* clariſſimum ſidus *Jobi patria.*

> ——*Micat inter omnes*,
> ——*Velut inter ignes*
> *Luna minores.*

Jobus quis quantúſque vir fuerit, *Moſes* Propheta ſcriptis prodidit, nè tanta lux deeſſet poſteris: ut credibile ſit, vivente apud *Jethronem Midianitam Moſe*, aut *Jobi* viventis famam, aut nuper defuncti gloriam celeberrimam fuiſſe. *Moſes Maimonides Judæus* parabolam eſſe de *Jobo* vult, & patientiæ poëticum exemplar. Næ ego igitur operam luſero, ſi ejus geſta contulero in hiſtoriam. At in Libro *Jobi* (1. 1.) non modò ſcribitur fuiſſe virum, quod fieri poteſt in parabola; (ut *Luc.* 18. 10. *Duo viri aſcenderunt in templum*; & *Luc.* 16. 19. *Fuit homo quidam dives*, &c.) ſed & nomine & patriâ deſcribitur: *Fuit vir quidam in terra Huſitide cujus nomen Job.* Idem inter eos numeratur ab ipſo Deo quos viros fuiſſe veros conſtat. (*Ezech.* 14. 14.) *Si Noachus*, *Daniel atque Jobus adeſſent*, *ſuas tantummodo animas conſervarent.* Ergò animam & *Jobus* habuit quam conſervaret, non minùs quàm *Daniel* atque *Noachus.* Verus itaque vir, ut ab aliis ferè omnibus, ità quoque à nobis habendus eſt. At unde oriundus tam pius vir? Nec enim id à *Moſe* traditur, quâve ætate vixerit. De ortu *Jobi* tres habentur ſententiæ probabiliores. Prima, eum ab *Huſo Nachoris* filio propagatum, familiâ certè non alienâ prorſus à pietate vera; qui & patriæ *Jobi* videtur dediſſe nomen, ut *Huſi* terra (*Auſitis* S. *Hieronymo*) diceretur. Etſi enim hoc nomen ab *Huſo Arami* filio (*Gen.* 10. 23.) contrahere potuerit; probabiliùs tamen *Huſo Nachoris* tribuitur, propter propinquitatem *Buzi* fratris, (*Jer.* 25. 23.) cujus ex gente unus amicorum *Jobi* ortus videtur *Elihu.* Hanc opinionem probant S. *Hieronymus* (in *Gen.* 22. 21.) & *Hebræi* plerique, *Rupertus*, *Lyranus*, *Oleaſter*, *Bellarminus*, (de Verbo Dei 1. 20.) Ego verò non repugnabo quin à filio *Nachoris* fortaſſe regio ſit appellata. At pietatis tantæ virum ex *Nachore* potiùs quàm ex *Abrahamo* prodiiſſe, cujus erant poſteri per omnem diffuſi *Arabiam*, id ego facilè non concedam. Patrum ergò veterum plurimi *Jobum* ex *Eſavi* eſſe poſteris volunt, eundem qui (*Geneſ.* 36. 33.) *Jobabus* dicitur, *Zaræ* filius, *Idumææ* rex. *Job ſanctus & mirabilis vir*, (ait S. *Auguſtin.* de Civitate Dei 18. 47.) *ex gente Idumæa genus ducens*; *ibi ortus*, *ibidem mortuus eſt.* Duo ſunt quæ faciant huic opinioni fidem. Primum, autoritas LXXII Interpretum, qui ad finem Libri de *Jobo* addunt hæc & alia multa de genere: quæ cùm in *Hebraicis* non reperiantur, haud ſcio an fide aliquâ digna ſint. Alterum, Prophetæ autoritas *Jeremiæ*, (*Lam.* 4. 21.) qui in *Auſitide Idumæam* collocat: *Lætare*, *filia Edomi*, *quæ habitas in terra Huſi.* At *Jer.* 25. 20, 21. diſtinguuntur; imò & *Lam.* 4. ſi *Junium* audire volumus interpretem: *O filia Edomi*, inquit, *ô quæ habitas in terra Huſi:* altero *Idumæos*, altero *Syros* vult. Nec tam ab Oriente (ubi *Jobus*) quàm à Meridie fuit *Idumæa*,

mæa. Nam de *Idumæa Gileadica Tornielli* atque *Raleii*, ad opinionem hanc de A.M. 2400. *Jobo Idumæo* propugnandam ſatis opportuna, ſed minùs probabili, A. M. 2265. dictum eſt ſatis. Mihi ergò ſimilius vero videtur, ex *Ceturæ* liberis progenitum fuiſſe *Jobum* paternam pietatem retinentibus, etſi à fœdere *Canaanitico* alienis. Qua enim in regione habitâſſe *Jobus* dicitur, ad Orientem ratione *Canaanitidis*, (*Job.* 1. 3.) *Sabæis* finitima *Chaldæiſque*, (*Job.* 1. 15, 17.) in eandem & *Ceturæ* liberi habitatum profecti ſunt. (*Gen.* 25. 6.) Nec de tempore magìs conſtat quo vixerit, quàm de genere unde ſit ortus. Mihi quidem ætas *Jacobi* videtur eum jure ſibi optimo vendicare. Nam in *Jobi* & amicorum orationibus 23 multa commemorantur quæ ante *Abrahamum* & *Iſaacum* contigerunt; verùm de *Iſaaco* & *Jacobo*, quæque alia conſecuta ſunt *Abrahamum*, tacentur omnia. Nec de reditu *Iſraëlitarum* ex *Ægypto* meminerunt, in omni *Arabia* celeberrimo, *Moſéve* duce; de quibus, ſi poſt tempora *Moſis* accidiſſent hæc, non eſt credibile homines tam religioſos, & pro illis temporibus eruditos, in tot diſputationibus nullum fuiſſe facturos verbum. Prætcrea, *Jobus* eò antiquior ſtatuendus eſt, quòd Religionem adhuc puram coluiſſe videatur, nec gentium impiarum ſordibus inquinatam. Nam ætate *Moſis* ac deinceps, pauca ullibi exſtabant inter *Midianitas*, *Iſmaëlitas*, aut *Idumæos*, veros *Abrahami* poſteros, veræ & *Abrahamicæ* Religionis veſtigia.

opulentia, Et iſta quidem non ſatìs explorata ſunt. Undecunque verò ſit natus, quandóvecunque, virum profectò ſummæ probitatis atque pietatis fuiſſe *Jobum*, teſtimonio etiam Divino comprobatur. Nec morum ſanctitate modò ſuperavit omnes mortales ſui ſeculi, verùm & opibus, proſperíſque rebus ad voluntatem voluptatémque affluentibus, omnium quos Oriens habuit regulorum habitum fuiſſe beatiſſimum conſtat. Filiorum erat ſeptem natarúmque trium parens. In paſcuis alebat ſeptics mille pecudes, camelos ter mille, 500 boum juga, 500 aſinas; maximas, & penè ſolas, eorum temporum divitias. Famulorum verò multitudinem ingentem pecoribus curandis, aliíſque procurandis muneribus, adhibebat. Læta omnia fortunatáque: adverſum, triſte, calamitoſum accidebat nihil. Ejus filii ſinguli per vices apparabant convivia in ſuis quiſque ædibus. Vocabantur & ſorores. Amantiſſimus interea pater ſingulis diebus holocauſtum pro ſingulis filiis immolabat; nè quid fortè per licentiam conviviorum, *Cerere Bacchóque* irritantibus, admiſiſſent temere adverſus Deum.

& tolerantia. Accidit aliquando, ut, cùm Angelorum ſe beatorum chori ſiſterent coram Deo ad mandata capienda, adeſſet etiam *Satanas*, immundorum ſpirituum & maleficorum princeps. Tanquam cæcus in Sole aderat. Nec enim videbat Deum, ſed accitus exſpectabat imperium. Ex eo igitur percontabatur Deus, *unde* jam *adveniſſet.* Ille, pro ſuo more *peragraviſſe terram ſe ac perambulâſſe*, reſpondit. Indè jam ſe advenire. "Quid igitur? inquit *Jehova*; *Advertiſtine qualis* in terra *ſervus* " *mihi ſit Jobus*, *integerrimus vir*, *& qui nullum habeat per omnes plagas mundi ſanc*- " *timoniâ parem?* "Imò verò, ait *Satanas*, adverti hominem ſatis. Facillimè tibi " ſervos tantâ mercede conduxeris. Ex eorum eſt numero *Jobus*, quos —*gratìs pœ*- " *nitet eſſe pios.* Quantos illi tu greges pecorum & alimenta largitus es? adeóque " *muniviſti undique domum ejus*, ut nihil eum adverſi poſſit attingere. Fac adimas " hæc ei probitatis præmia, næ tu illum ſervum nequam facilè experieris, quíque " *ore blaſphemo maledicta in te ſit coràm conjecturus* & convitia. "Itáne verò, *Sata*- " *na?* inquit *Jehova.* En igitur, ut falſi arguam te, *Jobi*que probitatem non tam " ipſe probem, (ſatìs enim pernovi,) quàm ut reliquo reddam generi mortalium il- " luſtrem, atque per omnia ſecula exemplarem conſtantiam, *facio tibi poteſtatem*, " *ut quæcunque is habet bona* (*corpus modò nè tangas*) abigas, auferas, diſſipéſque. "Libenter, inquit *Satanas*, atque diligenter faciam. Nec mora. Summa enim cum voluptate peragit Diabolus mandata hujus generis. Dum, filiis hilariter convivantibus, domi ſolicitus deſidebat pater, nuncius interpellavit repentè triſtis admodum, & anhelus de curſu; "En adſum, ait, domine, calamitatem (heu!) " magnam narraturus. *Arabant in agris boves: aſini juxta paſcebantur.* Magna in " nos *irruit* ſubitò *Sabæorum manus*, *quæ famulos interemit omnes*, boves *abegit* aſi- " nóſque, *me uno ſuperſtite*, *qui* tanti *famam* infelix *tibi* mali *traderem.* Nondum deſierat, ecce alius in ædes nuncius irruit, &, clamore ſublato, "Heu! quid, " inquit, fiet me? *Tria in camelos agmina Chaldæorum invaſerunt.* Capti omnes & " *abacti ſunt*, *famulique trucidati*, *præter unum qui proripui fugâ me*, *ut* jacturam, " domi-

" domine, *tibi* hanc ingentem miſerâ voce *nunciarem.* ——— *Finis unius mali Gradus eſt futuri.* Vix omnia hæc audîerat *Jobus*, cùm triſtior adhuc nùncius perculit aures miſerrimo ejulatu, ac retulit paucis, "*Dum liberi omnes convivabantur in fratris* A.M. 2400.
" *natu maximi domo, ventum ſubito procelloſum irruiſſe, magnóque impetu evertiſſe do-*
" *mum*; convivas famulóſque ſepultos in ruinis jacere; *ſupereſſe unum ſe* tantæ ca-
" lamitatis *nuncium.*" Tot cladium tam repentina & inopinata vis, támque inſolens & inaudita, perculit *Jobum* vehementer, quanquam nihil humanum à ſe alienum putabat. Dolens geménſque laceravit ſibi veſtes, totondit crines, procidénſque in humum veneratus eſt Deum. Et, "*Nudus*, inquit, *prodivi ex matris utero, nudus* in
" magnæ matris uterum *rediturus ſum. Jehova dedit, Jehova idem abſtulit. Bene-*
" *dictum ſit Jehovæ nomen.*" En ut falſus opinione ſuâ & ſpe ſit mendaciſſimus Dæmon. Nihil admiſit *Jobus* in tantis infortuniis viro indignum bono, neque temere criminatus eſt Deum.

Cùm iterum conveniſſent Angeli coram Deo, mendacii *Satanam* inſimulavit *Jehova*, qui *Jobi* pietatem infamaverat quaſi mercenariam: "Eum, ſcilicet, exutum
" tantis copiis, eundem aiebat eſſe quem ſe dives & beatus erat profeſſus." Dæmon, convitio quovis nocendi veniam lucraturus, fatetur "nondum depoſuiſſe *Jobum*,
" quam tantâ ſpe induerat, larvam pietatis. At ſi Deus tentaret hominis valetudi-
" nem, atque vitam in diſcrimen vocaret, quæ multò eſt charior omnibus divitiis,
" facilè perſpecturum fallaciam impoſtoris & fucum." Concedit ergò & hoc Deus, ut valetudinem *Jobi* tentaret Diabolus, at vitæ parceret. Ità enim fore, ut *Jobi* conſtantia eniteſceret; Dæmoníſque mali pravitas in calumniando, & crudelitas in nocendo, proderetur. Veniam adeptus, *Jobum* protinus invadit *Satanas*, & ulceribus corrumpit totum corpus fœdiſſimis graviſſimíſque. Magnus hîc erat cumulus malorum. In ſterquilinio ſedet, nè gravi domum fœtore inficiat, cui corpus ipſum erat ſterquilinio par: nec pullatus jam, ſed ferè nudus, teſtâ ſibi ſcabit ulceratam cutem. Quæ *Jobus* ipſe mala fortiſſimè tulit, tenella & mollicula conjux non ſuſtinuit. In bona corpúſque graſſante *Satanâ*, uxor ipſum viri animum adoritur: tantò *Satanâ* deterior eſt uxor mala. "*Quid tu*, inquit, mi vir, *tam es pertinax pie-*
" *tatis in Deum*, qui tantis te undique affligit malis? Si hæc ſint præmia Religio-
" nis, eat, valeat; *exſecrare Deum, & morere.*" At ille, "*Quod hoc tibi verbum exci-*
" *dit, inſana mulier? An bona tantùm proſperáſque res exſpectabimus à Deo?* nec de-
" bitum ei cultum præſtabimus niſi conducti, quantam ipſi volumus, mercede? A
" quo bona tot immerentes accepimus, ab eo libentes *non tolerabimus immiſſa & ma-*
" *la?*" Neque adhuc *Jobus*, maximâ Dæmonum oppugnatus vi, temere quicquam effutivit, quod vel ſe indignum eſſet, vel Deo.

Cùm ad gentes undique vicinas fama detuliſſet tantas *Jobi* calamitates, ut erat amiciſſimus vir, præſidiis amicorum undique munitus, tres præcipuè propinquarum civitatum reguli ex convento profecti ſunt, ut afflictum atque dejectum conſolarentur, & condolerent. Primus erat *Eliphaſus Temanæus*, *Temani* fortaſſe filius, *Eliphaſi* alterius nepos, pronepos *Eſavi*: vel ex *Temæ* poſteris *Iſmaëlitæ*. (*Gen.* 25. 15. *Jer.* 25.23.) In *Idumæorum* ditione *Temanæos* fuiſſe conſtat, quoniam ex iis ſibi regem elegerunt. (*Gen.* 36.34.) Alius amicorum *Bildadus* vocabatur *Schuhites*, è *Schuachi* genere, puto, *Ceturæ* filii. Populum *Saccæos* fortaſſe *Plinius* vocat. Tertius erat *Zophar Naamathites.* Aderat his juvenis etiam *Elihu Buzita*, *Baracaëlis* filius, ex progenie *Nachoris Aramitæ*, ſeu *Meſopotami.* Cùm è longinquo vidiſſent hominem penè nudum in ſterquilinio, teſtâ ſcabentem ulcera, minimè omnium cogitabant eſſe *Jobum.* At ubi propiùs accedentes amicum ſuum agnoverunt, tantæ modò felicitatis culmine dejectum, flebiliter vociferati laceravêre veſtes, & inſperſo capitibus pulvere, clamores querulos in ipſum uſque cœlum ſuſtulerunt. Quid enim faciant? Fruſtrà videbatur adhiberi ſolatiorum medicina deſperatis penè malis. Muti conſident ſeptem dies, totidémque noctes: donec tandem ipſe *Jobus*, cùm paulò iniquiùs ferret ſuas ærumnas quàm virum decebat bonum, in diem natalem invectus eſt graviter, & exſecratus ortum ſuum; optavítque vehementiùs, aut nunquam ſe in lucem editum, aut quàm primùm ex luce hac ſublatum fuiſſe. Arreptâ ex querelis *Jobi* anſâ, quæ in ipſum Deum calumnioſæ videbantur, amici omnes colloquia miſcuerunt, non tam conſolandi gratiâ, quàm docendi hominem, monendíque, ut peccatorum pœniteret, ad Dei confugeret miſericordiam; futurum ſcilicet reſipiſcens ut in gratiam reciperetur. Juſtiſſima enim Dei eſſe judicia; neminem condemnare,

Kk pu-

A.M. 2400. punire, affligere, niſi meritò, & causâ peccatorum. Hoc omnes iterum atque iterum inculcabant, quaſi Dei cauſam adverſus *Jobum* agitantes: eòque hominis miſeri non curabant, ſed refricabant ulcera, dolores animi & ægritudinem, cùm haberi ſe ab amicis inter homines improbos & hypocritas animadverteret. Quare Dei juſtitiam, ſapientiam potentiámque cùm agnòviſſet ac celebrâſſet, criminationem ſibi objectam multis verbis diluit, juſtitiam ſuam aſſerit; vehementer contendens, non ex præſentibus Dei judiciis hominúmque malis, de probitate illorum peccatíſve ſemper eſſe judicandum. Tandem huic diſceptationi hominum intereſſe dignatus eſt ipſe Deus. Ac primò *Jobum* ex turbine increpuit, quòd majorem ſibi juſto probitatem arrogâſſet, ipſúmque Deum inſimulâſſet nimiæ ſeveritatis. Convictus ille multis argumentis, non ceſſit modò, & inferiorem causâ fatebatur ſe, verùm & ſummo ſtudio reſipiſcens, Deo ſe erudiendum tradidit, veniámque impetravit temeritatis. Amicos *Jobi* deinde reprehendit Deus, quòd de ſe non eſſent ſatìs honorificè locuti. *Jobo* tamen deprecante, immolantéque pro illis victimas, ejus gratiâ condonaturum ſe pollicebatur. Denique, *Jobo* ſanitatem reddidit, bonáque omnia quæ amiſerat duplicata; millia pecudum 14, camelorum 6, millè paria boüm, aſináſque mille. Amici enim veteres, propinqui æqualéſque omnes convenerunt ſimul ad conſolandum convivandúmque in ædibus *Jobi.* Singuli verò nummum unum & monile aureum, ad inſtaurandam pecorum jacturam, contulerunt. Liberis, quot ſuſceperat priùs, denuo donatus eſt decem. Filiabus autem *Jobi* tribus, *Jemimâ*, *Cetzibâ*, & *Cerenhappuc*, nullas ea regio pulchriores edidit, quæ inter fratres hæreditatem ſingulæ ſortitæ ſunt. Annos vixiſſe *Jobum* 248 *Iſidorus* autor eſt. (Lib. de Vita & morte Patrum.) Ità de *Satana* victo fugatóque, hominum ætate ſuâ vivaciſſimus beatiſſimúſque, 140 (quot deinde vixit) annis triumphavit. Quis autor fuit Libri *Job*, minimè conſtat. Plerique opinantur *Moſen* aut conſcripſiſſe, aut conſcriptum ab ipſo *Jobo* amicorúmve aliquo *Arabicè*, in *Hebræam* linguam tranſtuliſſe, addidiſſéque multa de laudibus & obitu *Jobi.*

A.M.

2401. § 33. Patre mortuo *Plemnæo*, regnavit *Ægialeæ Orthopolis* an. 63.

2405. *Thmoſis*, *Africano Thuthmoſis*, in *Ægypto* regnat an. 9, menſ. 8.

2414. Deinde ſuccedit *Amenophis*, crudelitate omnium maximè infamis rex; tenuítque ſceptrum annis 30 menſibúſque 10.

2421. Poſt *Criaſum*, ſive *Piraſum*, ſexto loco *Phorbas Argivis* imperavit an. 35; ſive *Piraſi* frater is fuerit, autore *Pauſaniâ*, (*Corinth.*) ſive *Criaſi* filius, quod *Euſebius* vult. Uxorem *Criaſi Melantonicen* defunctam, cæcâ & ſuperſtitiosâ illis temporibus conſuetudine *Græcorum*, in deorum numerum relatam ferunt; ut & regem hunc poſt obitum *Phorbantem.* (*S.Aug.* de Civ. Dei 18.8.)

Io Argiva in Ægyptum devenit, — His ferè temporibus *Io Argiva* pervenit in *Ægyptum*, quod *Inachi* filiæ malè tribuunt Poëtæ ante annos ducenos. Hanc autem *Iaſo* natam ſecundo ſcribit *Apollodorus*, (lib. 2.) *Argi* ſecundi & *Iſmenes* filio, *Agenoris* nepote, *Iaſi* pronepote primi, quem ex *Argo* natum rege ac primo diximus. *Iaſum* verò *Iûs* patrem imperaviſſe *Argis* colligitur ex eo, quòd ab eo & urbem *Iaſon* dictam, & cives *Iaſios*, *Stephanus* doceat, (in Ethnicis.) Quippe nomina locis non niſi à regibus dari conſueverunt. Et Iliad. 18. ubi Ἄργος Ἴασον vocatur, *Scholiaſtes Iaſum* regem fuiſſe *Peloponneſi* tradit. Secundus ille *Argus*, quem avum habuit *Io*, primi ex *Agenore Iaſóque* pronepos, cognominabatur *Panoptes*; ac propterea toto corpore oculatus fingebatur à Poëtis: Unde *Ovidius* (Met. 1. fab. 16.)

Argi nepotis *Panoptæ.*

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Et *Plautus*, (in *Aulul.*)

Si Argus ſervet, qui oculatus totus fuit.

Virum fuiſſe hunc fortiſſimum ferunt. Sublato enim qui devaſtabat *Arcadiam* tauro, ejus ſpolio ſuum circumdedit corpus. Satyrum quoque, in pecora & homines graſſantem, (cujus monſtri hæc prima eſt mentio,) confertâ manu fortiter interfecit. Echidnam, ex Tartaro & Terra natam, (ut ferebant Poëtæ) infeſtam viatoribus, dormientem confecit. Denique, *Apidis* necem, *Argivorum*, puto, regis, nece autorum ultus eſt. (*Apollod.* 2.) Atque hunc *Argum* eum fuiſſe auguror *Iûs* cuſtodem, ſuæ neptis, apud Poëtas, & à *Mercurio* interfectum; unde glorioſum nactus nomen eſt, Ἀργειφόντης, *Argicida.* Nam utcunque fuit ab avo cuſtodita, *Mercurii* tamen

men operâ, hoc eſt, pellectâ verborum lenocinio, ablata eſt furto, deductâque tandem in *Ægyptum* à mercatoribus multa priùs maria emenſis; ídque forſan in nave cujus erat vel inſigne, vel nomen, *Vacca*. *Heſiodus* & *Acuſilaus* hanc *Perenis* fuiſſe filiam narrant, quam, *Junonis* ſacerdotio fungentem *Argis* poſt *Callithyiam*, *Jupiter* vitiavit. At *Herodotum Plutarchus* malignitatis inſimulat, quòd ea referat hâc de re quæ *Perſæ* ac *Phœnices* tradebant. *Perſæ* quidem ſic: *Phœnices* mercatores appuliſſe *Argis*, urbe *Græcorum* eâ tempeſtate primariâ; expoſuiſſe merces; fœminas ex urbe plurimas, unà cum *Io*, regis aut viri principis filia, rerum avidas novarum, advolâſſe ad naves. Illic dum ſpectabant aliæ, aliæ mercabantur, *Phœnices* impetum in omnes feciſſe, *Ió*que raptam unà cum aliis detuliſſe in *Ægyptum*. At *Phœnices* rapuiſſe negabant ſe; verùm à nauclero ſuo vitiatam, ſponte ſecum aufugiſſe in *Ægyptum*, nè domi pœnas impudicitiæ daret. Ablatam, aut certè amiſſam inſcio patre, conſtat. *Cyrnus* enim nobilis vir, emiſſus à rege eſt cum claſſe navium ut inveſtigaret, nec rediret ad ſe niſi repertâ filiâ. Cùm is diu, ſed fruſtrà vagatus, invenire non poſſet, deſperato in patriam reditu, in Cherſoneſum *Cariæ* profectus, (quam *Curetes* antea tenuerant,) urbem condidit ſui nominis, *Cyrnum*. (*Diod. Sic.* 5.) *Amenophis* hâc ætate apud *Ægyptios* regnabat. *Apollodorus Telegonum* appellat. *Io* videtur is duxiſſe conjugem, & ex ea *Epaphum* genuiſſe, quem fortaſſe *Orum Ægyptii* vocabant. Cúmque *Iſidi* ſtatuam collocâſſet *Io*, *Iſis* & ipſa eſt ab *Ægyptiis* appellata. Hæc *Apollodorus*. *Pauſanias* tamen hanc non hujus *Iaſi* filiam, ſed alterius ex *Triopa* geniti fuiſſe mavult, annis poſteriorem centenis circiter, minùs probabili ratione. Et *Argum* hunc *Iûs* cuſtodem aliqui tradunt *Ariſtoris* fuiſſe filium, qui *Mycenen* duxerat *Inachi* natam; unde *Ovidius*,

A.M. 2421.

quam Cyrnus inveſtigans Cyrnum condidit in Caria,

——— *Ariſtoridæ ſervandam tradidit Argo.*

At hoc *Io* primæ convenit magis. *Strabo* (lib. 14. & 16.) *Triptolemum* quendam ſcribit, (non eum agriculturæ ac frugum parentem,) ad inveſtigandam *Io* miſſum ab *Argivis*, cùm *Tyri* eam non reperiret, quò abſtulerant mercatores, per *Ciliciam* erràſſe. Ibi ex comitibus nonnullos diſceſſione factâ *Tarſum* condidiſſe, vel collapſam inſtauràſſe; reliquos, perveſtigatione deſperatâ, ſecutos ducem, ad fluvium ſe *Orontem* collocaviſſe in *Syria*; *Gordyin* denique *Triptolemi* filium cum parte copiarum *Gordyenæ Meſopotamiorum* coloniam dediſſe atque nomen. Et alios de *Triptolemi* genere ferunt poſtea collectos atque traductos fuiſſe *Antiochiam*, quæ ad *Orontem* conſtituta eſt: ipſi autem *Triptolemo* ut heroi ab *Antiochienſibus* honorem cultúmque exhibitum; feſtum quoque diem quotannis in *Caſſio* monte apud *Seleuciam* celebratum. Jam verò *Tarſum*, primariam *Ciliciæ* urbem, in campo ſitam, perfluebat mediam *Cydnus*, fluvius frigidiſſimus. Paulò poſt hæc tempora inclaruiſſe urbem hanc mercatorum advenarúmque frequentiâ, ex eo conſtat, quòd ab ea regio ipſa, & mare *Phœnicium Ciliciúm*que, imò quodvis magnum mare, navéſque majores, mare *Tarſhiſh* & naves *Tarſhiſh* appellentur in Sacris Literis. (1 *Reg.* 10. 22. 2 *Chron.* 9. 21. & 1 *Reg.* 22. 48.) Poſt *Græcorum* in *Aſiam* imperium, floruit *Tarſus* liberalium quoque artium ſtudiis, & nobilium Philoſophorum frequentiâ, ipſáſque ſuperavit *Athenas* & *Alexandriam*. Sed eam præcipuè nobilitavit S. *Paulus*, Philoſophiæ ſalutaris præceptor & præco magnificus.

ut Triptolemi comites Tarſum in Cilicia.

§ 34. Hanc circiter ætatem novum in *Græcia* caſu repertum eſt oraculum, quod *Pythium* ſive *Delphicum* à loco appellatum eſt. Id autem erat *Dodonæo* antiquitate proximum, ſed multò magis deinde celebratum frequentiâ munificentiâque hominum qui confluebant, propter impoſturam Dæmonum in probabili reſponſorum veritate. Originem ejus hanc *Diodorus* tradit *Siculus*, (lib. 16.) & *Juſtinus*. In *Parnaſſo Phocidis* monte *media ſaxi rupes in formam theatri recedebat. Quare & hominum clamor, & ſi quando accidebat tubarum ſonitus, perſonantibus inter ſe rupibus, multiplex audiri, ampliórque ſolebat reddi quàm edebatur: quæ res & majorem ignaris rei terrorem, & admirationem ſtupentibus afferebat. In hoc montis anfractu, mediâ ferè montis altitudine, planicies exigua erat, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patebat.* (*Juſtin.* 24.) Ad hunc ſpecum receſſu magno & obſcuro (ubi templi adytum poſtea collocatum eſt) capra cùm paſcens fortè aſcendiſſet, afflata eſt ſubterraneo quodam ſpiritu, exſultaréque inſueto more viſa eſt. Quod paſtor admiratus, cùm & ipſe ad oſtium ſpecûs veniſſet, correptus eſt furore ſubito, cœpítque futura quædam prædicere. Hoc & alii tentârunt, paríque modo ſunt affecti. Res

A.M. 2426.

Oraculum Delphicum inſtituitur.

huc

A.M. 2426.

huc eſt progreſſa, ut qui venturas vellet obſcuráſve res cognoſcere, aliquem adduceret, qui in antrum capite immiſſo vaticinaretur. Atque hoc *Telluris* oraculum vel *Neptuni* putabant, aut commune utriuſque; propterea quòd ex terra iſti halitus, aut ex aquis intra terræ viſcera, prodire viderentur. (*Pauſ. Phoc.*) Et *Pyrconem* aiunt *Neptuni* fuiſſe interpretem. At qui hæc diligentiùs examinabant, perſpicere videbantur, eos halitus excitari à Sole; eundem eſſe oculum mundi, qui videret ac nôſſet omnia. Quare illi potiùs tribuendam eſſe cogitabant hanc divinandi vim, quàm terrarum aquarúmve numinibus. Indè gloriatur ipſe de ſe apud Poëtam;

Omnia qui video, per quem videt omnia tellus.
——*Per me quod eritque fuitque*
Eſtque patet.——

At ſi Philoſophiam veram penitùs imbibiſſent, vel primis (quod aiunt) labris guſtaviſſent Theologiam, utrinque didiciſſent facillimè, non poſſe terram aquámve, aut Solem ipſum, furore fatidico humanas mentes afficere: id autem neceſſariò fieri ab aliquo intelligente ſpiritu, à Deo Dæmonéve. Verùm illa vulgaris & promiſcua captatio afflatûs atque furoris fatidici, cùm non ſine periculo fieret omnium qui tentabant, & exſilio multorum, accolæ fanum eo in loco *Apollini*, virginémque miniſtram inſtituerunt, quæ in machina conſiſtens tutò poſſet afflari divinitus, reſponſáque conſulentibus dare: quam machinam de tribus fulcris *Tripodem* vocabant. *Iamblichus* ad *Porphyrium Sibyllam* ait ſive vatem *Delphis* duplici ratione ſuſcipere deum ſolitam. Aut enim per tenuem ſpiritum & ignem, qui alicubi ex ore quodam antri prorumpebat, circumfundebátque fœminam, aut ipſa etiam in adyto ſedens ſuper æneam tripodem, (recepto per infimas partes ſpiritu,) in furorem acta fundebat vaticinia. *Bæo* indigena mulier, in hymno *Delphis* compoſito, advenas ab *Hyperboreis* profectos oraculum *Apollini* dedicâſſe tradidit, eorúmque principem *Olena*, qui primus illic vaticinatus eſt, & verſus ſenarios reperit. (*Pauſ. Phoc.*) Urbem hoc in loco, ad *Parnaſſi* montis latus meridionale, primam & vetuſtiſſimam *Parnaſſus* quidam condidit, *Cleopompi* & *Cleodoræ* nymphæ filius, qui monti ac ſaltui nomen dedit, & ex avium volatu divinationem inſtituit primus. Quippe frequentia hominum ad miraculi famam undique concurrentium, & in eo conſidentium ſaxo, civibus urbem facilè complevit. Sed hæc imbribus deleta eſt urbs *Deucalionis* tempore. Itaque fanum oraculúmque ipſum longè priùs exſtitiſſe neceſſe eſt; quanquam literis nemo prodatur nominatim qui conſuluerit. Alterius *Delphum* perhibent urbis autorem, unde nomen *Delphi*. Eum verò *Melænes* filium à *Cephiſo* genitæ aliqui eſſe volunt; alii *Thyiâ* natum, *Caſtalii* filiâ, & *Liberi* patris, ſeu *Dionyſii*, ſacerdote primâ; nonnulli denique *Celæno* genitum & *Apolline* tradunt; *Celæno Hyami* filiam, *Lycori* neptem fuiſſe, ex *Corycia* nympha procreati & *Apolline*: & hanc antro *Corycio*, illum urbi *Lycoreæ* in *Parnaſſo* dediſſe nomen. Antiquiſſimam *Apollinis* ædem ait *Pauſanias*, (in *Phoc.*) tugurio ſimilem, & ex lauro factam. Alteram fabricavit *Pteras*, homo *Delphus*, poſt diluvium *Deucalionæum*, credo: indè fabula, pinnulis apum è cera eſſe compactam. Tertium delubrum ex ære; quartum *Trophonius* & *Agamedes* è lapide conſtruxerunt. Omnia hæc ante *Trojana* tempora. *Pythia* ſacerdos appellabatur, ab *interrogando*, (ut *Strabo* cenſet lib. 9.) quod eſt πύθεσθαι Græcè; indè *Pythius Apollo*. *Pythia* ſeu *Pytho* & urbs apud *Homerum*, quæ poſtea *Delphi* quoque. *Pauſanias* (in *Phoc.*) urbem *Pythiam* à *Pythe* dictam *Delphi* putat filio. Nec fabula deeſt de ſerpente quem *Apollo* interemit *Pythone*, unde hæc orta dei, vatis urbíſque nomina. (*Ovid.* Met. 1. fab. 9.) Et virgo fuit initio ſacerdos, eo Dianæ ſimilior ſorori *Apollinis*, & purior ad ſacra peragenda. Tandem verò poſt conſtupratam ab *Echecrate Pythiam* virginem, *Delphici* mulierem non minorem natu annis 50 *Pythiam* ſtatuerunt, rejectis deinceps virginibus; verùm ità ut mulier etiam cultu virginali uteretur, nè in totum vetus interiret mos.

§ 35. His temporibus, aut paulò priùs, *Ephraïmitæ* quidam in *Palæſtinam* prædabundi excurrerunt: ſed à *Gathæis* majore vi repugnantibus trucidati omnes interierunt. Eo in maximum dolorem conjectus eſt *Ephraïmus* pater; adeò ut neceſſe habuerint fratres cognatíque ad recreandum mœrentem ſenem, levandámque animi ægritudinem, convenire. (1 *Chron.* 7. 21, 22.)

MOSES,

MOSES,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER QUINTUS;

Qui,

A Servitute *Iſraëlitarum* cœpta in *Ægypto*, ad mortem *Moſis*, habet annos 125.

§ 1. Iſraëlitæ, qui ante annos ferè 130 exiguo numero in *Ægyptum* ſeptuageni deſcenderant, in populum auĉti jam ſunt maximum, ipsíſque hoſpitibus formidoloſum. Dicit quidem *Ariſtoteles*, in *Ægypto* ſolere, non gemellos modò, ſed tres & quatuor fœtus uno partu mulieres edere. (Hiſt. animal. 7. 4. & *Strabo* 15.) Ego tamen hanc *Iſraëlitis* fœcunditatem addidiſſe reor Divinam vim, ſupra naturam loci; nec *Ægyptiis* fuiſſe omnibus communem. Itaque terram quam incolebant magìs anguſtam indies fieri, & quibuſcum degebant *Ægyptios* minùs in ſe benignos ſentiebant, quàm vivente priùs *Joſepho* experti fuerant. Nec invidebant modò incrementis, opibus, virtutibus, ſummæque gentis peregrinæ felicitati, hoſpites maligni; ſed etiam timebant ſibi, támque proſperas inquilinorum res ſibi adverſas arbitrati ſunt. Sed maximam *Hebræis* invidiam conflaverat ſacrorum diſcrepantia ſumma. Unicum illi Deum; penè infinitos colebant *Ægyptii*: Præpotentem illi tantùm cœli terræque Dominum; animalia quævis bruta *Ægyptii*, imò & muta ſimulacra viliſſimáſque alias res venerabantur. *Hebræos* igitur ipſos *Ægyptii* non minùs abominati ſunt, quàm *Hebræi* plerique *Ægyptiorum* deos. Itaque cœperant jam de reditu agitare conſilia in *Canaanæam*, ſibi toties promiſſam à Deo. Interea novus exſtitit in *Ægypto* rex, opinor ex alia quàm is qui vivente *Joſepho* regnaverat familia. *Amenophis*, puto, vocatur à *Manethone*; qui omnem depoſuit conſervati à *Joſepho* regni, auĉtíque tantopere fiſci regii memoriam. In ejus itaque poſteros & conſanguineos infenſo animo, ſervos quàm hoſpites majore cum utilitate, minore cum periculo, & ſibi & regno cenſuit futuros. Super ea re concilium protinus indicitur, ubi ad hunc ferè modum proceres compellat rex. " Veſtrâ mihi hoc tempore, conſultiſſimi viri, quam ſum expertus toties, opus eſt prudentiâ ſummâ. Nodus enim incidit dignus vindice, " qui haud facilè poſſit expediri. Neminem latet, adeſſe nobis inquilinos in *Goſene*, " qui ex minimis initiis in maximam ſubitò excreverunt nationem. Oneri nobis " jampridem ſunt, exitio mox futuri, niſi proſpiciamus maturé. Exſpectavimus " jamdiu vaniſſimâ ſpe, ut pauci & peregrini, noſtris aliquando moribus & ſtudiis & " ſacris accederent, in eundem coaleſcerent populum. Illi verò non minùs jam peregrini

A.M. 2427.
Iſraëlitæ ab Ægyptiis vexati.

A.M. 2427.

" grini, ſed multò magìs periculoſi, poſt annos ferè centenos tricenóſque ſunt, " quàm quo primùm huc advenerunt die. Suis moribus, ſuis ſtudiis, ſuæ ſuperſti- " tioni, qualiſcunque ſit, pertinaciter adhærent; ut jure metuendum ſit, nè noſtri " ad illos tranſeant priùs, quàm illi accedant ad nos. Quòd ſi tamen noſtris rebus " prudenter volumus conſulere, operâ illorum utiliſſimâ ſanè frui poſſumus. Sin " minùs, tantâ ſunt multitudine hominum, tantâ virium potentiâ, ut ſi hoſtibus " conducti operam aliquando navârint, facilem daturi ſint & illis victoriam, & ſibi " reditum, quo jamdiu meditantur fugam. Nam fidem aut illis dare, aut ab illis " exſpectare, qui tam alienæ ſunt tâmque abſonæ religionis, extremæ fuerit demen- " tiæ. Proditio autem quàm expedita faciliſque ſit hominibus in ipſo penè aditu " portiſque regni collocatis, quis non videt? Agite, proceres, ineamus ejuſmodi " rationem, quâ nec hoſtibus prodeſſe valeant, nec ipſi nobis aut periculum creare ſi " permanſerint, aut fugiendo hinc prædam opimam quaſi è faucibus eripere. His propoſitis à rege, variis agitur ſententiis res. Senes aliqui de *Joſephi* meritis memi- nerunt, mitiúſque ſtatuunt in *Iſraëlitas*. Sed multò plures obſtrepunt, regi præſer- tim gratificaturi, ſanciúntque, ut laboribus perpetuis exerceantur, atque operibus onerentur maximis, quibus regi atque regno proſint commodóque ſint, minuatur verò ipſis multitudo, potentia, & fœcunditas, metus *Ægyptiis*, hoſtibus ſpes. His ità conſtitutis, continuò imperabatur *Iſraëlitis*, ut terram foderent, & coquerent la- teres quibus publica ædificia conſtruerentur. Nec imperabatur modò, ſed præfecti & cuſtodes adhibiti, qui cogerent invitos vi, ac verberibus reluctantes impellerent, oneribus vexarent omnes atque contererent graviſſimis. Eorum igitur operâ indu- ſtriâque *Rameſes* atque *Pythoma* conditæ ſunt urbes munitiſſimæ, quæ vel æraria vel granaria eſſent regibus. Ex *Eupolemo Euſebius* tradit, mandaviſſe regem, ut diver- ſam *Hebræi* veſtem gererent, unde faciliùs dignoſci, & impuniùs vexari poſſent. Hæc illi, prudentiſſimè ut putabant. Sed conſilium nullum adverſus Dominum valet. (*Prov.* 21. 30.) Credibile eſt, aliquos *Hebræorum* ſuis jampridem ſacris renunciâſſe, coluiſſe *Ægyptiorum*. (*Joſ.* 24. 14.) Atque horum causâ populum Deus affligi vo- luit, non tamen conteri paſſus eſt.

A.M. 2434.

Primò clàm & aſtutè

§ 2. Aliquot jam annos conatus eſt *Ægyptius* rex, opprimendo *Iſraëlitas* vexan- dóque, minùs fœcundos reddere, nè potentiâ ſuâ vel terrori ſubditis forent, vel ho- ſtibus præſidio. Sed magno conatu profecit nihil. Ii enim, quò laboribus attriti magìs, eò fuerunt magìs fœcundi: ſive id beneficio Divino factum; ſive naturâ ſic ferente, ut eò diligentiùs rei uxoriæ operam dent, quibus nullum eſt aliud acerbæ atque infelicis vitæ ſolatium. Quin & vehemens labor calidum atque ſiccum red- dit genitale ſemen, aptiſſimum generationi. Quo fieri videmus ut pauperes prole- tarii liberos procreent tum plures, tum plerumque maſculos; viri contrà nobiles, otioſi deſidéſque, filios admodum paucos generent. (Examen Ingenior. cap. 15. § 3.) Etſi *Pererius* diverſum planè diſputet (in *Exod.* 1. Diſput. 1.) Invidiâ igitur irâque flagrantes *Ægyptii*, furere omnes ac ſævire in miſeros *Iſraëlitas* multò crudeliùs, pla- néque jam pro mancipiis habere viliſſimis, ad omnia damnatis opera oneráque. Non potuit fieri, quin vitæ miſeros tam ærumnoſæ tæderet plurimùm. Satis atrocia quidem hæc. Verùm hactenus non ſtat ſcelus. Narrat *Joſephus*, Antiq. 2. (ſi qua *Joſepho* adhibenda ſit fides, poſt mille quingentóſque annos ex traditionibus neſcio quibus hiſtoriam ſarcienti *Moſaïcam*,) *Joſephus*, inquam, narrat, vatem quendam ſa- crorum ſcribam, cui ordini plurimum deferebant *Ægyptii*, prædixiſſe, brevi fore ut naſceretur apud *Hebræos* puer, qui, ſi adoleſceret, ſuæ gentis res augeret maximè, non minùs affligeret *Ægyptias*. Principibus igitur obſtetricum, quarum operâ ute- bantur *Hebræorum* fœminæ, (*Shiphram* & *Puam* vocabant,) clàm à rege præceptum eſt, ut in ipſo partu fœmellas tollerent, maſculos autem ſuffocarent. Nam fœmi- narum, ingenio, artibus, induſtriâ pulchritudinéque longè præſtantium ſuis, o- peram ſibi perutilem futuram credidit. Nec ſævitiam ultra periculum extendi vo- luit. Principibus dixi obſtetricum imperâſſe regem quæ reliquis traderent manda- ta. Nec enim potuiſſe arbitror tantæ fœcunditati duas tantùm ſufficere. Nec im- prudenter ab *Ægyptiis* factum, ſi diſciplinâ quadam & ordine contineri voluerunt hoc munus, quo publicæ rei continetur ſeminarium. Sed non erat animi pectoriſ- que muliebris, mandatum exſequi tam crudele. Et ipſas *Lucinas*, hoc eſt, obſtetri- ces, lucem infantibus adimere, quarum eſt munus dare, multò id crudelius videba- tur. Has autem familiaris conſuetudo cum *Iſraëlitis* aliquâ imbuerat religione ac pietate,

Obſtetricibus mandatum, ut maſculos in partu ſuffocarent:

pietate, ut ab hoc immani facinore abhorruerint. Cùm itaque ſuum intelligeret non perfici mandatum iracundus rex, neglecti obſtetrices officii arguit, mandatíque ſui. Illæ præmeditatæ cauſam, “ validas aiunt eſſe fœminas *Hebræorum*, longè diſ- “ ſimiles *Ægyptiis* delicatis, quæque partu leventur antequam accedant obſtetrices. Sunt qui cum S. *Auguſtino* credant, has non *Ægyptias*, verùm ex *Hebræorum* gente, fuiſſe obſtetrices. Nec mentitas volunt *Pharaoni*, ſed factam verè narraviſſe rem. Indicatâ ſcilicet clàm præcepti regii crudelitate, ante imploratam ab his obſtetricibus opem, prægnantes fœminas aliis opitulantibus peperiſſe. Propius autem vero eſt, pulcherrimi facti ſplendorem ex timore natum Dei, mendacem regis timorem obſcuraviſſe. Nec potuit fieri ut *Pharao*, ſine maximæ imprudentiæ nota, *Hebræis* obſtetricibus vel arcana imperii proderet, vel tantum facinus crederet in ſuas populares & conſanguineas perpetrandum; quod, niſi rabie quadam actas ferinâ, haudquaquam erat credibile peracturas. Quod aliqui diſputant, *Hebræos* fuiſſe onerum præfectos, ac propterea obſtetrices; impar iſtorum ac diſſimilis ratio eſt. Nam his grande ſcelus imperabatur; illis munus erat ſanè permoleſtum, neque tamen impium aut ſceleratum. Cum illis palàm agebatur & apertè; cum his clanculùm & aſtutè. Ab his fidem poſtulabant; ab illis vim potiùs. Quare illud munus erat cuivis committendum; hoc facinus tantùm certis atque idoneis miniſtris. Illud etiam *Hebræis*; hoc non niſi *Ægyptiis*. Itaque mentiendo peccaverunt obſtetrices. Sed *humanæ imbecillitati ignoſcit plerumque, ubi non ſuccurrit benignitas Divina. Merito miſericordiæ dimittuntur, quæ propter miſericordiam committuntur.* (S. *Auguſt*. lib. de Mendac. cap. 10.) Neque ignoſcit modò, ſed obſtetricum opes & familias auget, hujus pietatis gratiâ, eò quòd recusâſſent familias *Hebræorum* diminuere. *Remunerata eſt* (ait *Auguſtinus*) *benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Verùm hâc non ſucceſſit: aliâ rem aggreditur viâ importunus rex. Vulpina pellis nihil valuit ad capiendam prædam; leoninam induit. Cùm eſſet minùs fortunatum ſcelus clandeſtinum, apertè ſibi graſſandum ſtatuit. Denique, fefellerunt obſtetrices; quare omnibus *Ægyptiis* peragendum id ſceleris demandatum eſt. Quippe omnium intererat prolem in ſuo regno rareſcere peregrinam, & *Iſraëlitas* quàm pauciſſimos fieri. Singulis igitur imperatur, ut quoties *Hebræorum* fœminæ pepe riſſent, vicini accederent ac ſcrutarentur; fœmellis parcerent, in flumen maſculos quaſi *Nilo* ſacros abjicerent. Scribit *Joſephus*, & pœnam *Iſraëlitis* propoſitam fuiſſe, ut cum tota familia tolleretur is qui fœtum ſuum clàm ſuſtuliſſet. Gravia contingebant hæc & acerba *Iſraëlitis*, verùm ſalutaria; quò ab *Ægypto* prava nutrice ablactarentur, & odio vehementiori haberent ſuperſtitiones tam crudelium hoſpitum; ut eò ardentiùs diſcedere cuperent, eò redirent ſegniùs. Sed & ſuam gloriam Deus hac in cauſa voluit magnificis operibus miraculiſque multis inclareſcere.

A.M. 2434.

apertè, mox Ægyptiis omnibus, ut mergerent in Nilo.

§ 3. At *violentum* (quod aiunt) *nihil diuturnum.* Paucorum hæc erat menſium, puto, crudelitas; (decem, ait *Cedrenus*:) quod vel indè conſtat, quoniam ex *Hebræis* poſt annos 80, præter fœminas pueróſque, virorum 600000 in *Arabiam* hinc profecti ſunt; longè pauciores futuri, ſi longiore ſpatio temporis valuiſſet hoc de mergendis infantibus edictum. Interea dum valet vigétque, *Amramo Cohathi* filio, qui ex *Levi* natus eſt, natus eſt filius 77. ætatis anno, ex *Jocebede* amita (*Exod.* 6. 20.) uxoréque. Nam & hanc *Levi* genuit in *Ægypto.* (*Num.* 26. 59.) Parentes cùm puerum viderent elegantem ſummæque ſpei, quoad fieri potuit celârunt, ac domi tribus apud ſe menſibus aluerunt. Cùm diutiùs occultare non auderent, in arca papyracea, picéque illita ut aquam excluderet, expoſuerunt, dolore ſummo ac fletu proſecuti. At nè impetu fluminis abriperetur, ad ripam in junceto collocârunt. Neque adhuc ſatìs puero cautum videbatur, niſi *Mariam* ei ſororem quaſi cuſtodem addidiſſent, ut è longinquo exſpectaret rei exitum. Nam & hanc ſororem, & fratrem habuit triennem, cui nomen *Aaron.* Ac *Mariam*, ſeu *Miriam*, *Judæi* eo natam fuiſſe anno tradunt, quo cœperunt in *Iſraëlitas Ægyptii* ſævire, ac ab ipſa calamitatum amaritudine datum ei nomen, ante *Moſem* genitum anno ſeptimo. *Joſephus*, pro ſuo more, oraculum etiam hìc *Amramo* datum narrat. “ Homini ſcilicet pio, “ uxoris gravidæ populíque ſui vicem dolenti, ac cœleſte imploranti auxilium, ad- “ ſtitiſſe Deum, atque optimâ ſpe conſolatum eſſe. Fore enim dixit, puer ut hic, “ filius *Amrami* futurus, cujus cauſâ metúque tantopere ſæviebant *Ægyptii*, & ipſe “ ab eorum inſidiis liberaretur, & liberaret idem *Hebræos* à ſervitute. Hæc *Joſephus.* Certiora ſunt quæ modò natus puer ſcribit de ſe: Filiam *Pharaonis* (*Thermuthin*

Interea Moſes natus, puer elegans,

A.M. 2434. *thin* appellat *Joſephus*, *Artapanus* apud *Euſebium* Præpar. 9. 27. *Merrin*,) lavatum acceſſiſſe cum ancillis ad flumen; quæ arcam in junceto conſpicata, deferri juſſit ad ſe: illic puerum inveniſſe pulchrum & egregium, ſed miſerabiliter flentem: regiam illico fœminam miſericordiâ perculſam, agnoviſſe facilè ex *Hebræis* unum eſſe, quos ad flumen ſui patris damnaverat immanitas. Dum ancillæ dominâque ſimul formam elegantem pueri contemplantur, ſoror infantis *Maria* tanquam ad ſpectaculum accurrit novum, & quaſi certum ſit debere tolli, de nutrice rogat ſatis officiosè, acceríſne aliquam ex *Hebræis* velint. Ubi velle accepit, ſuam atque infantis matrem illico adducit; cui *Thermuthis*, "*Hebræa* mulier, inquit, ecce quàm bellum ego "infantem *Nilo* debeam. Ejus beneficio *Ægyptus* univerſa, ejus & ego fœcunda "ſum, aliàs orba liberis. Illo patre, næ ego haud gravabor matrem agere. Ut ille "mihi, ſic *tibi alendum ego quaſi meum hunc trado filium. Operæ à me* quantumvis "*pretium exſpectabis*. Etenim præſagit mihi animus, puellum hunc virum aliquan-"do clariſſimum fore. Hæc illa. Nullam verò unquam *Jocebed* aut vocem hâc lætiùs audivit, aut pactum ſive mandatum accepit lubentiùs. Magnâ mercede ſuum alit filium, cujus de vita modò ſolicita omnem ferè abjecerat ſpem. Itaque puer facilè ſuo lacte, id eſt, materno, adolevit. Poſt annos, opinor, paucos ablactatus in aulam regiam deducitur, ac *Thermuthi* redditur; quæ deinceps pro ſuo habuit, in regiam familiam adſcivit, ac materno jure impoſuit nomen *Moſes*. Neque nominis rationem diſſimulavit, eò quòd ex aqua periturum ſuſtuliſſet. *Mos* ènim (ſi *Philoni Judæo* credimus aut *Joſepho*, quíque ſectatur hos *Clementi Alexandrino*) *Aquam* ſignificat. *Mos* & *Iſes Ex aqua ſervatum Joſephus* interpretatur *Ægyptiorum* linguâ. Sed eorum eſt ratio credibilior, qui ab *Hebraïco Maſſah* deducunt potiùs. Id *extrahere* ſignificat, quemadmodum *Pſalm.* 18. 16. *Ex aquis multis extraxit me*: ità ut nomen *Moſes* eum denotet qui ſit ex aquis *extractus*; per quem ex malorum & miſeriarum undis erat populus quoque *Iſraëlitarum* extrahendus. Nam *Hebræo* puero *Hebraïcum* nomen conveniebat magìs; quod ab ancillis aliíſve didiciſſe *Thermuthin* nihil prohibet: niſi putemus utrique forſan linguæ fuiſſe nomen commune; aut aliud eodem ſenſu *Ægyptiacum* inprimis datum, poſtea verò *Moſe* mutatum. *Aben Ezra* enim *Judæus* reperiſſe ait ſe in libro *Arabico Monion* fuiſſe primum & *Ægyptiacum* nomen; *Moſen* eâdem ſignificatione dictum *Hebraïcè*. *Clemens Alexand.* tradit, puerum circumciſum fuiſſe antequam expoſitus eſt, & vocatum à patre *Joachimum*. Mirum fortaſſe videatur, filiam regis tanto amore puerum eſſe amplexam alienum, expoſitum, &, quemadmodum ſuſpicabatur ipſa, *Hebræum*: regem verò ipſum, hoſtem teterrimum *Hebraïci* nominis, æquo tuliſſe animo hanc filiæ ſuæ indulgentiam, multò quis miretur magís. Formâ illam pueri *Joſephus* ait mirificè captam, adeò amabili, (*Exod.* 2. 2. *Actor.* 7. 20.) ut, cùm geſtaretur, omnium in ſe oculos converteret, ut obſtupeſcerent qui videbant, ut ſpectando ſatiari non poſſent, denique, ut inviti omnes ab hoc ſpectaculo diſcederent. Nec formâ tantùm, ſed etiam indole *Moſes* egregiâ, ſummæque fuit in futurum ſpei. Verùm hac in re ſupra formam indolémque aderat Divina quædam vis, quâ Numen ſupremum non modò eripere populum ſuum quaſi ex faucibus fati ac liberare, ſed hoſtes ipſos ejus libertatis atque ſalutis quodammodo autores eſſe voluit. Qui ergò à ſervitute liberaturus erat, ac populum educturus *Iſraëliticum* ex *Ægypto*, à filia regis ipſe liberatus eſt, in aula regis educatus hoſtis crudeliſſimi. Sed regem deceptum ait *Philo*, (ſi fabulas veterum *Judæorum* audire volumus,) fingente ſe filiâ gravidam, & hujus mentiente partum filii. Jam verò, qui regis nepos habitus eſt, etiam regio more fuit inſtitutus, ac diſciplinis omnibus *Ægyptiorum* eruditus. (*Act.* 7. 22.) In his numerandæ ſunt Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia, & Militaris ars; (Moralia & Politica in Legibus continebantur;) denique Phyſica, & eadem ferè Theologia: quarum pleræque non vulgares, ſed reconditæ, characteribúſque tantùm hieroglyphicis traditæ fuerunt. Ac Geometriam neceſſitas excoluit, turbatis increſcente *Nilo* agrorum finibus. Ad Aſtronomiam planities ampla & ſine nube cœlum invitabat. Ad utramque erat opus Arithmeticâ. Muſicâ deorum, regum, heroümque celebrabant laudes magnificè. Phyſica *Peripateticæ* affinis. De mundo atque diis naturalibus præcipuè Theologia docebat. Atque oportuit ſic ejus ingenium excoli, qui futurus erat tanti populi dux. In aula regis præterea, regióque more oportuit educari; ut regiis virtutibus jam tum à puero inſtructus, majore cum autoritate apud *Ægyptios* populareſque ſuos Liberatoris munere perfungeretur. Quod

Philo

Margin: ſublatus à regis filia, — & regiâ educatus diſciplinâ.

Philo addit, *Græcanicis* eum artibus imbutum quoque, ex nimio id laudandi ſtudio facit. *Græci* enim poſt mille annos demum cœperunt philoſophari; literas hoc tempore nullas noverant. *A.M.* 2434.

§ 4. Præter *Theſſalum*, (de quo jampridem diximus;) alius erat *Pelaſgo* primo filius, *Lycaon*; vel ex *Melibœa* Oceanitide, (ut ſcribit *Heſiodus*,) vel ex nympha *Cyllene*, (ut *Apollodorus* 3.) *Dionyſ. Halicarnaſſ.* (lib. 1.) ait, ex *Deïanira Lycaonis* prioris filia, qui *Ægialeo* patre natus eſt. Poſt patrem in *Pelaſgia* regnavit *Lycaon* annis fortaſſe 55; & nonnulla vel ſapientiùs quàm pater excogitâſſe dicitur. (*Diod. Sic.*) *Lycoſuram* urbem in monte *Lycæo* condidit; cujus antiquitatem ſupra omnem & modum & fidem prædicat (in *Arcadicis*) *Pauſanias*. " Urbium ait omnium " quas vel Continens vel Inſulæ habent vetuſtiſſimam: hanc primam omnium aſpex- " iſſe Solem; & ad hujus urbis exemplar didiciſſe homines alias condere. Hæc *Pauſanias*. *Jovem Lycæum* appellavit *Lycaon*, ludóſque in ejus honorem primos omnium *Lupercalia* inſtituit. Eâdem is ætate in *Pelaſgia* regnavit quâ *Cecrops Athenis*; prudentiâ tamen rerum divinarum longè inferiorem fuiſſe *Diodorus* ait. Ex idololatris enim, etſi nemo dici pius potuit; alii tamen aliis multò minùs habebantur impii. *Cecropem* ferunt primum appellâſſe *Jovem* Ὕπατον, *Supremum*, nec ei quicquam vitâ præditum immolâſſe; ſed liba tantùm patria ut porricerentur ad aram inſtituiſſe, & libaviſſe aquâ, nondum invento vino. (*Hygin.* Poët. aſtron. 2. *Aquarius.*) *Lycaon* verò ad *Jovis Lycæi* aram infante mactato libavit humanum ſanguinem: quod facinus adeò tetrum videbatur, ut in lupum inter ipſa ſacra mutatum Veteres tradiderint. Nec à veritate famam hanc abhorrere opinatur (in *Arcadicis*) *Pauſanias*. Morem hunc tamen humanâ litandi hoſtiâ poſt multa ſecula obſervâſſe *Arcadas* ferunt. (*Plin.* 8. 22.) Ex variis uxoribus (quarum una *Nonacris*, unde oppidum contraxit nomen,) filios dicitur *Lycaon* 50 genuiſſe; quos omnes, præter *Nyctinnum* ex omnibus minimum, unà cum patre fulmine percuſſos interemiſſe *Jovem*, impietatis ac ſuperbiæ causâ, *Apollodorus* refert, (lib. 3.) Ficta videntur hæc à Poëtis, ut ſceleratos homines perterrefacerent ultionis Divinæ metu. Nam *Pauſanias*, *Diodorus* aliíque plurimos enumerant filios *Lycaonis*, qui urbibus à ſe conditis ſua etiam nomina tradiderunt; de quibus alibi eſt dicendum. Aliqui *Jovem* ſecundum divinos honores aſſecutum apud *Arcadas* ferunt, eò quòd *Lycaonem* regno pepulerit. In *Lycæo* monte Aream fuiſſe *Lycæi Jovis Arcades* ferebant, intra quam nemini fas erat accedere. Quòd ſi quis contemptâ loci religione audebat ingredi, eodem anno mori eum neceſſe fuit. Aliud verò jactabant paulò magìs ridiculum; ſi quid fortè humani belluinive generis ejus areæ limites tranſiliebat, nullam id in poſterum è corpore umbram emiſiſſe. (*Pauſ.* ib.) *Mercurio Cyllenio* primus templum ſtatuit in *Pelaſgia Lycaon*. (*Hygin.* Fab. 225.) *Cyllenius* autem à monte *Cylleno* eſt dictus, ubi vel natus, vel præcipuè cultus. *Feſtus Pompeius* unam ex cauſis cur *Mercurius* ſit *Cyllenius* nuncupatus ait hanc eſſe, quòd *ſermo* (quem ſignificat *Mercurius*) ſine manibus omnia conficiat, ut fingi ſolebant *Hermæ* veteres; qui verò manibus carent κυλλοὶ vocantur. At hoc nomen ad omnes mutilatos pertinet. Et ſi à *Cylleno* filio *Elati* nomen eſt monti datum, (ut habet *Pauſanias* ib.) nondum erat *Mercurius Cyllenii* aſſecutus nomen; quippe *Elato* nondum nato. 2440. *Lycaon regnat in Pelaſgia.*

Achaiam Magnam (ità liceat ab *Achaia* Propria in *Peloponneſo* diſcriminare) quartam totius *Græciæ* partem alibi ſtatuimus: *Acheloo* flumine ad Occaſum ab *Epiro* dirimitur; montibus *Oetâ*, *Othry*, *Pindo*, à *Theſſalia* ad Septentriones; reliqua lambente pelago, niſi quà *Peloponneſus Achaiæ*, Iſthmi anguſtiis quinque millibus paſſuum diſtentis, annectitur. Populos ſive regiunculas diverſas continet 7; *Ætoliam*, *Doridem*, *Locros*, *Phocidem*, *Bœotiam*, *Megarida*, & *Atticam*, quæ primò vocabatur *Acte*, reliquorum facilè clariſſimam. Non ea quidem fœcunda maximè & pinguis; ſterilior enim habita eſt: verùm ab optimis culta ingeniis, & urbis amplitudine, potentiâque, navali præſertim & maritimâ, ſuperior pleriſque aliis, de principatu *Græciæ* tandem non dubitavit contendere. Parentem doctrinæ, frugum, legum, humanitatis & religionis, appellat *Cicero*. Limes occidentalis *Atticæ Megaris*, quam aliqui partem eſſe malunt; fuiſſe conſtat cùm ſubeſſet *Athenis*: Ab Aquilone *Bœotiæ* montes & *Aſopus* flumen. Cætera concludit pelagus, quo utrinque *Sunium*, extremum *Atticæ* promontorium, pulſatur, *Ægæum*, atque *Myrtöum* à Meridie. Inſulæ adjacent littoribus *Atticis*, parva *Patrocli* ac deſerta; altera ſupra *Sunium*, quò *Helenam* ferunt appuliſſe redeuntem ex *Ilio*, ac propterea *Helena* eſt appel- *A.M.* 2443. in *Attica*

A. M. 2443. lata. *Eleuſini Atticæ* oppoſita *Salamis*; ante *Salaminem Pſyttalia*, aſpera & deſerta; duæque exiles aliæ *Pharmacuſæ* poſt *Salaminem*; obſcuræque plures diſperſæ per littus *Atticum*. Ex *Amphiala* promontorio *Atticæ* ſtadiorum erat duorum trajectus in *Salaminem*; quæ quidem ipſa ſtadiis ferè 70 in longum porrigebatur. *Ægina* clarior, ſed remotior, ſtadiis circiter centenis ab *Attica*, totidémque ab *Argolidis Epidauro* diſtans. Neque parvæ *Cyclades* aut *Eubœa* magna procul aberant. Fluvios habuit nobiliores *Cephiſſum* atque *Iliſſum*, & in eum qui cadit *Eridanum*, & *Aſopi* oſtia. *Iliſſus* cùm aliis diis, tum verò ſacer Muſis habebatur. In ejus verò ripis aram habebant, unde *Iliſſiades* vocabantur. Præcipui montes in eo tractu, *Pentelicus* lapidicinâ nobilis, & *Parnes* aprorum copiâ & urſarum; *Hymettus* florum abundans gratiſſimorum apibus, & paſcuis tantùm *Alizonum* cedens. Horum enim apes adeò manſuetæ fuerunt, ut cum hominibus unà pabulatum exirent, ac liberè vagarentur nullis alvearibus concluſæ. At earundem ità concretum erat mel, ut à cera non poſſet ſeparari. Nec melle tantùm *Hymettus*, ſed & marmore inclytus. *Corydallum Strabo*, *Brileſſum*, *Lycæbettum*; *Panchieſmum* quoque *Pauſanias* memorat. Pro *Parnethe* & *Corydallo*, *Ægialeum Icariúm*que *Plinius* numerat, (lib. 4. 7.) Portus erat unicus *Atticæ* inprimis, *Piræeus*, tandem receſſu maris in ſicco relictus. (*Plin.* 2. 85.) Sed *Munychia* & *Phalerus* acceſſerant priùs urbi, *Hyphormus* & *Panormus* quoque regioni. *Demos* Populóſve *Attica* 174 tandem complexa eſt, (*Strabo*;) quos ille Apis *Atticæ*, *Joannes Meurſius*, in Libro ea de re ſingulari, ſingulos recenſet.

Cecrops. Poſt *Ogygis* diluvium vacâſſe diu ferunt regionem hanc, & caruiſſe humano cultu per annos ferè ducentos, *Africano* ſi credimus, uſque ad *Cecropem*. (*Euſeb.* Præpar. 10. 10.) Sed huic traditioni *Autochthonum* repugnare nomen videtur, quo *Attici* gloriabantur, quaſi Indigenæ Aboriginéſque fuiſſent, nec eò adveniſſent aliunde. Indè *Terrigenas Auſonius*, (in Urbium catalogo,) Γηγενεῖς (in Epiſtolis) vocat *Phalaris*; quoniam (ut lib. 2. *Juſtinus*) *eodem innati ſolo quod incolebant, & quæ illis ſedes, eadem origo fuit.* Cùm enim fertiliores *Græciæ* regiones appeterentur invaderentúrque à peregrinis, permutaréntque ſolum incolæ frequentiùs; *Attica*, propter aſperitatem ſterilitatémque bellorum immunis, iiſdem colonis habitata, emiſit magìs aliò, quàm in ſe admiſit novos. Itaque *Zezes* (in *Lycophr.*) *Cecropem* ait ex dentibus ortum *Draconis*; *Draconem* verò illum regem fuiſſe priorem vult. *Antoninus Liberalis* de *Periphante* quodam rege *Attico* ante *Cecropem* meminit, qui in aquilam transformatus fingitur. (Metamorph. cap. 6.) Et *Athmonenſes*, qui ex *Demis* erant ſive Populis *Atticæ* unus, tradebant ex veteri memoria, ante *Actæum Porphyriona* ibi regnâſſe, qui templum *Veneri* Cœleſti dedicàvit. *Mirrhinuſii* (*Demus* alius) narrabant, à *Colæno* quodam regnatum fuiſſe ibidem ante *Cecropem*. (*Pauſ. Attic.*) Plerique *Actæum*, ſive *Actæonem*, regnaviſſe hîc memorant primum: ejus filiam *Agraulon*, *Aglaurum*, ſive nympham *Agraulida*, duxiſſe *Ægyptium Cecropem*, ſoceróque mortuo regnum obtinuiſſe his ferè temporibus, & annis imperâſſe 50. *Bœotiæ* quoque *Strabo* (lib. 9.) *Cecropem* ait præfuiſſe, quæ tum temporis *Ogygiæ* nomen adhuc retinebat. Ac de *Cecrope* ferè omnes conveniunt. Reliquos *Atticæ* qui perhibentur poſt *Ogygem* reges, *Philochorus* apud *Africanum*, (Chronol. 3.) Autor vetuſtus, omnes repudiat. *Cecrops* ergò ad *Iliſſum* fluvium *Cecropiam* conſtruxit arcem, (*Plin.* 7. 56.) & à meridie qui adjacebant vicos. Ea *Polis* dicebatur, & prima civitas *Athenienſium*, uſque ad *Theſei* ætatem. Illic enim omnium deorum templa collocata animadvertit *Thucydides*, (lib. 1.) Poſt auctam civitatem à *Theſeo*, *Acropolin* hanc vocabant. Illic & *Areopagus*, ſeu *Martis vicus*: quem ità vocatum Poëtæ fabulantur, quoniam eo in loco *Mars* capitis cauſam dixiſſe primus traditur, judicantibus duodecim diis, de cæde *Halirrhothii*; quem *Neptuni* filium ideo interemerat, quòd filiæ ſuæ, ex *Aglauro Cecropis*, *Alcippæ* vitium obtuliſſet: ubi ſex tantùm ſententiis abſolutus eſt, gratiâ prævalente. Illic deinde judicia de parricidiis magníſque cædibus ubicunque patratis in *Græcia* agebantur. Scabella duo aderant argentea, quibus inſidebant actores & rei. Alterum *Contumeliæ ſaxum*, *Innocentiæ* alterum vocabant. In proximo *Erinnyum* ædes, quas *Athenienſes* deas *Verendas* appellabant; quæ per furorem à parricidis juſtas repetere pœnas fingebantur. Sed de *Areopago Suidas* probabiliùs, ità vocatum ait, quòd in ſaxo & loco editiore (id enim ſignificat πάγος) forum eſſet conſtitutum: *Areus* additum, quia de cædibus ibi judicabatur, quibus præerat *Mars*; vel quòd aptus ad bellum eſſet propulſandum locus. Nam quod

quod *Æſchyli* Scholiaſtes habet, ità dictum ex eo, quòd *Amazones* eum pro arce belli munierint, ſacráque ibi fecerint *Marti*, nihil apud eos valebit, qui fuerint nécne *Amazones* jure ambigunt, multò magis fueríntne *Athenis*. Et meritò illis commentis de litigiis atque judiciis deorum derogari fidem *Varro* voluit, quòd de illorum dignitate majeſtatéque diminuerent. Veriùs ergò Poëta *Æſchylus* (in *Eumenid.*) *Oreſtem* ait primum capitis illic dixiſſe cauſam. A *Cecrope* populus *Cecropidæ*, & *Cecropia* dicta eſt regio univerſa. (*Apollod.* 3.) Ad ornandam *Athenienſes* urbem ſuam, de nomine ac patrocinio ejus contentionem deorum commenti ſunt, quemadmodum *Argivi* priús. Hæc autem ea de re fabula narratur. Cùm apparuiſſet illis repentè Olivæ arbor, (quaſi producente *Minervâ*,) & alio in loco erupiſſet Aqua, (Equum alii tradunt,) quaſi *Neptuni* donum, eo ipſo tempore quo de tutelari deo nominéque urbis conſultabant; prodigia iſta moverunt regem, ut *Apollinis* oraculum conſuleret. Reſponſum eſt, Oleam ſignificare *Minervam*; Aquam vero, Equúmve ſi mavis, *Neptunum*. In civium eſſe arbitrio, utrum ſibi velint numen eligere. Conveniunt igitur ſexûs utriuſque cives. Nam & fœminæ tum temporis publicorum erant conciliorum participes; ídque fieri ſtatuit in ſua Republica *Plato*. Omnes *Neptuno* mares, fœminæ ſuffragatæ ſunt *Minervæ* omnes; quæ uno tantùm calculo victrix, *Athenas* urbem nuncupavit ſuo apud *Græcos* nomine. *Neptunus* factam ſibi contumeliam ratus, ac proinde iratus, fluctibus marinis *Atticam* populatus eſt, immiſſo in campum *Thriaſium* pelago: cujus ut placaretur iracundia, ſupplicio triplici mulieres affectæ ſunt. 1. Nè qua in poſterum ſuffragia ferrent: 2. Nè maternum liberi nomen gererent: 3. Nè Ἀθηναῖαι, hoc eſt, *Athenienſes*, vocarentur, ſed *Atticæ*. (*Aug.* de Civ. Dei 18.9. ex *Varrone*.) Et *Apollodorus* (lib.3.) & *Ovidius* (Metamorph.6.) *Jovem* dediſſe judices controverſiæ duodecim deos volunt; alii *Cecropem* aiunt judicâſſe. Sed neceſſe non eſt uno eodémque modo fabulas tradi. *Plinius* tamen (lib.16.44.) & *Apollodorus*, (3.) quaſi verè geſta eſſet res, extitiſſe aiunt ſuâ ætate illam *Athenis* oleam, quam *Minerva* edidit in hoc certamine. *Plutarchus* (in *Themiſtocle*) ait, fabulam hanc divulgâſſe *Athenienſes* veteres, ut à mari & navibus cives ſuos avocarent, & ad agrorum culturam aliarúmque Artium (quibus *Minerva* præſidebat) traducerent. Sed & alia probabilis fabulæ interpretatio eſt. Extitiſſe urbem eo in loco ante adventum *Cecropis*, ab eo inſtauratam, *Iſâ. Zezes* (ad *Lycophr.*) & alii Autores tradunt. Eam verò *Poſidonium* fuiſſe inprimis nuncupatam, à *Poſidone* ſeu *Neptuno*, *Strabo* docet. *Cecrops* autem ab urbe *Saï Ægyptiaca*, ubi *Minervam* præcipuè colebant, *Neïth Ægyptiacè* dictam, (*Plato* in *Timæo*,) cùm huc appuliſſet, à *Minerva* ſuo numine, quam *Græci Athenam* vocabant, novum urbi nomen impoſuit, ut *Athenæ* dicerentur. Nam *Saïtæ*, *Athenienſes* pro ſuis habebant colonis, non modò quòd eandem colerent deam, ſed etiam quòd ſoli civitatem ſuam Ἄστυ vocarent, *Ægyptiacâ* voce. (*Diod. Sic.* 1.) Et indè *Cecropem* veniſſe in *Græciam* fatetur *Jo. Zezes.* (Var. hiſtor. chiliad. 5. hiſtor. 18.) Etſi *Apollodorus* Autochthonem faciat, indigenam *Euſebius*, (in Chron.) & *Hyginus* terrâ editam fingat, (Fab.48.) patre *Vulcano*, (Fab. 158.) Nominis [*Athenæ*] impoſitionem *Juſtinus Amphictyoni*, at ſolus, tribuit; & *Herodotus* (8.) *Athenienſes* dictos *Erechtheo* imperante ſcribit. Cùm autem plures eſſent ejuſdem nominis civitates, aliæ *Athenæ* in *Eubœa* inſula, quæ *Diadæ* cognominabantur, aliæ ad lacum *Copaïdem* in *Bœotia*, (*Pauſ. Bœot.*) præter *Athenam* in *Laconia*; hæ quas in *Attica* poſuit *Cecrops* *Athenæ Atticæ* propriè nominantur. *Cecropem* Veteres Διφυῆ, hoc eſt, *biformem*, ſeu *duplicis naturæ*, fingebant, humanæ ſimul & ferinæ; (*Apollod.* 3.) quòd homines agreſtes & feros cultiore vivendi ratione manſuefeciſſet: vel virilis atque muliebris formæ, ut alii fabulantur, quòd conjugia primus inſtituerit in *Attica*, paterni autor non minùs quàm materni nominis. (*Juſtin.*2. *Athenæus* 13.) Promiſcui antea concubitus, & fortuiti parentes fuerunt. Alias alii comminiſcuntur cauſas: vel quòd primi autores fabulæ prudentiam ei hominis, robur tribuerint draconis; (*Demoſth.* Orat. fun.) vel ob corporis proceritatem, ordinariâ duplò majorem; vel ob linguæ duplicis peritiam, *Ægyptius* cùm eſſet; (ità *Euſeb.* in Chron.) vel quòd ex bono rege ferus fuerit ac ſimilis draconi factus; vel potiùs, (ut corrigit *Plutarchus* conjecturam hanc, lib. De ſera Num. vind.) eò quòd initio crudelis terribilíſque, mox humaniùs clementiúſque imperârit. *Philochorus Saturno & Opi primum in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem dicit, eóſque deos pro Jove ac Terra coluiſſe: inſtituiſſéque, ut patres familiarum, frugibus fructibúſque jam coactis, paſſim cum ſervis veſcerentur, cum*

A.M. 2443.

A.M. 2443. *quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant. Delectari enim deum honore ſervorum contemplatu laboris.* (*Macrob. Saturn.* 1. 10.) Primus *Jovem* Ὕπατον, ſive *Supremum*, appellavit, (*Pauſ. Att.*) & deum Ζῆνα primus, (*Euſebio* ſi credimus, Chro. 1.) vel *Jovem* appellavit deum primus, nondum apud homines appellatum. (*Euſeb.* Præpar. 10. 9.) . Nomen autem Ζηνὸς filio *Saturni* datum ait *Diodorus* poſt obitum, eò quòd dum vixit τοῦ καλῶς ζῆν αἴτιος, aliis fuiſſet *bene vivendi autor.* Denique, aram *Athenis* primus conſtituit *Cecrops*; (*Euſeb.* ibid.) & *Minervæ* poſuit ſimulacrum primus. Addit *Euſebius*, (in Chron.) eum Bovem immolaviſſe primum: quod *Pauſanias* (in *Arcad.*) negat, ſacráque tantùm inanima obtuliſſe vult. Ex *Heſychio* & *Polluce* (6. 11.) ſolvit hunc nodum *Jo. Meurſius*, ubi libum docet cornua inſtar bovis gerens, *Bovem* quoque appellatum fuiſſe. Πέλανον propriè vocabant. Et hunc farinaceum mellitúmque bovem facilè vel ab infimis immolandum inſtituit *Cecrops.* Populum verò in tribus 4 diſtribuit; *Cecropida*, *Autochthona*, *Actæam*, & *Maritimam.* (*Pollux* 8. 9. ſect. 31.) Ut ſciret ſuorum multitudinem urbe jam conditâ, ſuum ſingulos afferre projiceréque lapidem juſſit; quo numerum comperit viginti eſſe millium. (Scholiaſt. *Pind. Olymp.* od. 9. *Euſtath. Iliad.* 1.) Quare ut frumentum ſuppeteret tantæ multitudini, *Argum* in *Siciliam Africámque* miſit, qui indè adveherent in *Atticam.* Quippe fruges ſerere nondum *Græci* didicerant. (*Zezes* in *Heſiod.* Oper. 1.) *Nonnus* (*Dionyſ.* 13.) *Corybantes* memorat 7, qui cum matre *Comba* primò in *Phrygiam*, indè mox ad *Cecropem Athenas* profugerunt, *Cretâ* ejecti patriâ *Soci* patris impietate. Nam & *Cretæ* priùs alicubi regnaviſſe *Cecropem Viterbienſis* prodit; unde *Plauto* inſula vocatur *Cecropia.* *Soco* tandem à *Cecrope* interempto, *Corybantes* in patriam reſtituti ſunt. Filius erat *Cecropi* *Eryſichthon*; qui cum Sacris in *Delum* profectus, dum reverteretur domum, vitæ curſum in itineris curſu patre adhuc ſuperſtite confecit. Poſuit autem ſtatuam *Apollini* ligneam, & antiquiſſimo templum. *Lucinæ* verò ſimulacrum abſtulit, quod *Athenis* in templo eſt *Lucinæ* collocatum. Apud *Praſienſes* in *Attica* monumentum habuit. (*Pauſ. Att.*) Ex *Actæi* filia filiæ *Cecropi* prognatæ ſunt tres; *Agraulus* ſive *Aglaurus*, *Herſe*, & *Pandroſos.* Fabulati ſunt Poëtæ, *Minervam* his *Erichthonium* infantem tradidiſſe in ciſta clauſum: (eum verò ex *Vulcani* ſemine in humum ſparſo editum, cùm *Minervæ* intentabat *Vulcanus*, *Jove* annuente, vim:) ſed monitis priùs tradidiſſe, nè aperirent inſpiceréntve. Et *Pandroſon* paruiſſe: (*Pandroſum* atque *Herſen*, ait *Ovidius*:) alias ſorores, cùm reſignatâ ciſtâ vidiſſent puerum & advolutum draconem, furiis agitatas, de arcis loco maximè prærupto præcipitâſſe. Itaque *Pandroſo* ædem *Athenienſes* poſuerunt, cum templo *Minervæ* conjunctam, (*Pauſ. Att.*) & ſacra, & ſacram veſtem, quæ πωδώνυμος dicta: (*Heſych.*) & ove *Pandroſo* faciebant, poſtquam bove feciſſent *Minervæ.* Aptum ſanè moribus commentum, dignúmque mulierum ingeniis, continere ſe oculorúmque curioſorum pruriginem non potuiſſe. Sed tamen conſtat, neque in *Minervam* admiſiſſe quicquam, neque ad præcipitium adactas fuiſſe has *Cecropis* filias. Nam ut *Pandroſon*, ità & reliquas ſorores divinis honoribus dignati ſunt *Athenienſes*, unà cum ipſa quam offendiſſe dicuntur dea. *Aglauro* templum poſuiſſe refert (in *Attic.*) *Pauſanias*; & ſacra peregiſſe, feſtúmque *Plynteria.* (*Athenag.* Orat. pro *Chriſt.* & *Heſych.*) *Porphyrius* autem (de Abſtinent. 2.) *Cyprios* hominem ait *Agraulo* immolâſſe, ad tempora uſque *Diomedis.* In hujus fano *Athenis*, cùm è pueris in ephebos & cives aſcribebantur, jurare ſolebant, patriam ſe propugnaturos, patriáque ſacra culturos & jura, nec paſſuros pro viribus violari, teſtibus *Agraulo*, *Enyalio*, *Marte*, *Jove.* (*Pollux* 8. 9.) Sed & *Herſæ* feſtum *Herſephoria*, illi cum *Minerva* commune, celebratum ferunt. Ex ea *Cephalum Mercurius* genuit, ut ex *Pandroſo Cerycem*; ſed ex *Agraulo* potiùs tradit (in *Attic.*) *Pauſanias.*

His temporibus & *Cydon* in *Creta* regnaviſſe dicitur, (*Euſebio* in Chron. autore,) qui *Cydoniam* urbem condidit, *Cnoſſi* æmulam.

A.M. 2444. *Amenophin Ægypti* regem *Eupolemus* (apud *Euſebium* Præpar. 9.) elephantiaco ait morbo vexatum interiiſſe, graviſſimæ in *Hebræos* tyrannidis causâ. Hunc *Euſebius Memnonem* fuiſſe lapidémque vocalem opinatur. *Thebis Ægyptiis*, (ait *Pauſanias* in *Attic.*) in *Serapis* delubro, (*Plinius* 36. 7.) ſimulacrum erat, vel *Memnonis*, (ut aliqui,) vel (ut ipſi *Thebæi* prædicabant) *Phamenophis.* Perrupit medium *Cambyſes*; jacentéque humi ſuperiore parte, inferior adhuc ſedere videbatur; & ſub ortum Solis quotidie ſonum edidit, qualem citharæ lyræve nervi, cùm extenſi fortè rumpuntur. Crepare dicit *Plinius.* De hac re *Juvenalis*, (Satyr. 15.)

Di-

Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
atque alii meminerunt plurimi Scriptores. *A.M.*

Orus, ſive *Epaphus*, quem *Io Argivam* peperiſſe diximus, patri *Amenophi* ſuccedit 2444. 2445.
in regno *Ægyptiorum*, ut *Græci* narrant, imperâtque annos 36 & menſem 1. *Memphin* is *Nili* filiam duxiſſe fertur uxorem, & ex ejus nomine urbem vel condidiſſe, vel inſtauràſſe; natam quoque genuiſſe *Libyam.*

Lelege mortuo, ejus in *Apia* regnum filius tenuit *Myles* annis 40. A *Therapne Lelegis* filia oppidum in *Lelegia* fortaſſe conditum, nomine certè donatum eſt, ut *Therapnæ* diceretur. *Myletem* ferunt aut reperiſſe, aut primùm tradidiſſe *Lelegibus* molam, & molendi fruges docuiſſe artem, in vico quem *Aleſias* indè vocabant, id eſt, *Moletrinas.* (*Pauſ. Lac.*) Erat alius *Lelegi* filius *Polycaon.* *A M.* 2450.

§ 5. Regnum *Argivum*, *Phorbante* mortuo, ſuſcepit filius *Triopas*, annóſque tenuit 46. Erat huic *Triopæ* filius præter alios *Pelaſgus*, filia *Meſſene.* *Pelaſgus Cereri Pelaſgidi* fanum dedicâſſe dicitur, (*Pauſ. Corinth.*) & *Olympio Jovi* templum in *Arcadia* primus. (*Hyg.* Fab. 225.) *Meſſenen Lelegis* minor filius duxit uxorem *Polycaon*; quæ patris regno & opibus, eâ tempeſtate maximis totius *Græciæ*, plurimùm elata, privati ordinis maritum ferre non potuit. Impetratis ergò à *Triopa* & *Mylete* auxiliis, proximam fratri regionem, *Apiæ* totius maximè Auſtralem, occupavit *Polycaon*, quam de uxoris nomine *Meſſenen* univerſam nominavit. Urbes verò cùm aliàs condidit, tum præcipuè *Andaniam*, quam regni ſedem eſſe voluit. *Meſſene* autem urbs, poſt *Leuctricam* demum victoriam *Thebanorum*, à *Meſſeniis* in patriam revocatis conſtructa dicitur: neque antiquam & primorum temporum fuiſſe, *Homeri* de illa ſilentium prodit. Regio ipſa, ad *Tænarum* ferè promontorium porrecta, *Lelegiam* ab Ortu contingebat, à Septentrione *Arcadiam Elidém*que. Alluebat reliqua mare. Soli felicis atque cœli. *Pamiſus* fluvius & *Sela*, *Charadrus*, *Electra*, *Cœus*, *Bias*, *Balyra*, (quo *Thamyrin* cæcum lyram abjeciſſe ferunt,) *Leucaſia* denique & *Amphitus*, qui ambo in *Balyram* confluunt, terram hanc irrigabant. Eminebat *Minoë* mons, & *Ithome.* *Prote*, *Sphagia* & *Thigamuſa* inſulæ adjacebant. In hoc tractu digna ſunt quæ memorentur, in platano cavernoſa fons; & ex *Pamiſi* fontibus aqua morbis infantium ſalutaris: *Methonæ* verò, prope templum *Dianæ*, aquæ puteus pice permiſtæ, quæ cùm odoris ſuavitate, tum colore, perſimilis erat unguento *Cyziceno.* (*Pauſ. Meſſen.*) *Meſſenæ* poſtea templum eſt dedicatum, & ex auro marmoréque *Pario* ſtatua. (Ibid.) *A.M.* 2456. Regnum inſtituit *Polycaon* in *Meſſenia*:

Expeditionem ſuſcepiſſe *Chaldæos* hâc ætate contra *Phœnices*, *Euſebius* prodit, (in Chron.) Quid præſtiterint, non prodit.

Orthopolis Ægialenſium rex filiam habuit *Chryſorthen*, quæ *Coronum* peperit, patre in fabulis *Apolline.* Is avo defuncto regnavit, ſi *Pauſaniæ* credimus, (in *Corinth.*) At *Euſebius Marathonem* ſcribit ſecutum in imperio, & imperâſſe an. 30. *A.M.* 2464.

Cariæ in Minori *Aſia* objicitur inſula in circuitu patens 120 ferè mill. paſſ. Alii 140, 130, 125 numerant: non niſi 920 ſtadia *Strabo*, (14.) mill. paſſ. 103 *Iſidorus.* *Ophiuſa* primò dicta, à multitudine ſerpentum quibus infeſtabatur; aliiſque nominibus deinde duodecim tredecímve, poſtremò *Rhodus.* Neque in principiis rerum editam, ſed poſt reliqua terrarum enatam ex mari ferunt. (*Plin.* 2. 87.) Hanc primi *Telchines* tenuerunt, ex *Apia* fugati à *Phoroneo*, de quibus A. M. 2243. Eorum *Halia* ſoror ſex filios peperit, filiámque *Rhodon*, patre (ut ferebant) *Neptuno*; cui Poëtæ in urbibus littoralibus atque inſulis plurimum deferebant. Filios nefarios, qui matrem ſuam conſtupràſſent iratâ *Venere*, quíque variis injuriis vexaverant ſuos populares, in terra occuluiſſe pater dicitur; iíque *Dæmones* ſive *Genii orientales* deinde vocati ſunt. Mater in mare ſe cùm præcipitâſſet, nimio dolore agitata, *Leucothea* emerſit dea: quod tamen poſtea nomen atque numen *Bacchi* matertera *Ino* ſibi juſtiùs fortaſſe vendicabat. *Telchines* diluvium præſagientes, alios aliò ex inſula dilapſos ferunt: *Lycum* in *Lyciam* proximam profectum, & regioni dediſſe nomen, (cujus tamen & alios autores reperiemus,) *Apollini*que *Lycio* ad *Xanthum* fluvium poſuiſſe fanum: ut nihil dicam de iis novem qui cum *Rhea* in *Cretam* tranſmigrârunt, & aſſumpto *Curetum* nomine nutriverunt *Jovem.* Reliquos inſulares diluvio extinctos perhibent, præter paucos admodum, quos montium refugia ſalvos præſtiterunt. Ex his *Rhodum* fuiſſe *Neptuni* filiam; & filios *Jovis* tres ex *Himalia* quadam genitos, *Spartæum*, *Cromium*, atque *Cyrum.* Solem *Rhodi* gratiâ, quam amabat unicè, aquam ſuſtuliſſe, ac ejus dediſſe renovatæ à ſe inſulæ nomen. Ità dictam a- 2470. *Rhodi*

liqui

A.M. 2470. liqui à Roſarum copia malunt, quæ *Græcis* 'Ῥόδα. Qui primi deinde geniti ſunt *Heliadas* vocitabant, quorum præcipui 7, *Rhodi* fortaſſe filii, *Ochimus*, *Cercaphus*, *Macar*, *Actis*, *Tenages*, *Triopas*, & *Candalus*. Hi Solem quaſi generis ſui autorem venerantes, ei conſecrârunt inſulam, quam nullo non die ſemel aiunt Solem aſpicere. Sororem *Heliadum*, *Electryonem* virginem, defunctam, cultu *Rhodii* heroico proſecuti ſunt. Prædixiſſe ferunt Solem *Heliadis*, (oraculum fortaſſe *Apollinis* volunt,) & eodem idem *Atticis* tempore, Qui *Minervæ* primi ſacra feciſſent, eos deam ſemper ſibi præſentem habituros. Properabant ocyùs *Heliadæ*, victimámque attulerunt ad aram. Sed præ nimia feſtinatione obliti ſunt ignem priùs accendere. Eo tempore *Cecrops* in *Attica* regnabat. Seriùs ille victimam admovit aræ, ſed igne præparato litavit prior. In cujus rei memoriam, peculiares quidam ritus in ſacris diu obſervati ſunt à *Rhodiis*, fixúmque in ſede ſimulacrum deæ fuit, nè aufugeret. *Minervæ* ſacra facere quid eſt, niſi prudentiam adhibere in rebus gerendis, maximè in maximis, in bellicis ac navalibus, quarum hæ gentes ambæ ſummam ambivêre gloriam? Monebant hinc Veteres, prudentiùs facere qui lentè feſtinent, quàm qui nimiùm properent, in iis præſertim rebus ubi non licet bis peccare. Satìs enim citò fiunt omnia, quæ ſatìs fiunt bene. Ea igitur cautè oportet agere, quæ, ſi perperàm geſta ſint, corrigere non licet.

unus Heliadum,

Peritiſſimi illis temporibus habebantur *Heliadæ* Artium Diſciplinarúmque omnium, Aſtrologicarum præcipuè. Ab iiſdem ſolertia navigandi exculta eſt, horæque in certas vices diſtributæ. At reliquis fratribus *Tenages* ingenio peritiâque non præſtabat minùs, quàm reliquis illi mortalibus. Non tulerunt plures ut unus excelleret. Fratrum invidiâ ſublatus è medio eſt *Tenages*; adeò invidioſa eſt virtus ſingularis, ubi plurium perſtringit oculos. Prodito facinore, cædis autores vertere ſolum coacti ſunt, nè quid in eos gravius ſtatueretur. *Macar* in *Leſbum*, *Candalus* in *Co* inſulam, *Actis* profugit in *Ægyptum*. Ibi Aſtrologiam *Ægyptiis* tradidiſſe, *Græcorum* aliqui, *Ægyptiacæ* vanitatis æmuli, gloriantur. *Triopas* in *Cariam* trajecit, ubi à rege *Meliſſo* expiatus eſt. Reliqui duo fratres, à parricidio alieni, *Rhodi* continuerunt ſe, urbémque ſibi condiderunt *Achaiam*. *Ochimus* regnabat natu maximus. Ejus filiam *Gidippen*, ſive *Cyrbiam*, ex nympha *Hegetoria* genitam, patruus duxit *Cercaphus*, fratréque mortuo regnum adeptus eſt. Filios autem ſuſcepit tres, *Lyndum*, *Ialyſum*, & *Camirum*, qui poſt obitum patris imperârunt, totidémque de ſuis nominibus condiderunt civitates in tribus inſulæ partibus. (*Diod. Sic.* 5. 13.) Magnis floruiſſe opibus *Rhodios* antiquiſſimis temporibus, teſtatur *Homerus*; (*Iliad.* 2. v. 668.) unde fictum, (ut habet *Pindarus*) auro illic pluiſſe *Jovem*, cùm peperiſſet *Minervam*. (*Strabo* 14.)

Ochimus.

Syria

§ 6. Littus orientale Mediterranei maris *Syria* ferè totum occupat, Majoris *Aſiæ* regio, longitudine 470 mill. paſſ. inter *Ciliciam* & *Arabiam* Petræam; latitudine, à *Seleucia Pieria* ad oppidum in *Euphrate Zeugma*, 175 paſſuum millia. (Ità *Plinius* 5. 12.) A Septentrione *Ciliciam* habet & *Cappadociam*, unde ſeparatur *Amano* monte & ſinu *Iſſico*. Ad Orientem fluvius *Euphrates* à *Meſopotamia* ſummovet; ulteriùs verò ſolitudines claudunt *Arabiæ* Deſertæ ad *Euphratis* vada pertinentes. *Arabiam* Petræam & *Ægyptum* contingit à Meridie. Plurimas nobiliſſimáſque provincias complectitur; *Judæam* inprimis, 2. *Palæſtinam*, 3. *Phœniciam*, 4. *Cœleſyriam*, *Decapolin* & *Damaſcenam*, 5. *Bataneam*, 6. *Palmyrenam*, 7. *Laodicenen*, 8. *Apamenam*, 9. *Caſſiotin*, 10. *Seleucin*, 11. *Chalcidicen*, 12. *Chalybonitin*, 13. *Pieriam*, 14. *Cyreſticam*, & 15. ſub monte *Amano Comagenam*. Apud *Strabonem* (lib. 16.) præter *Judæam*, *Cœleſyriam*, *Comagenam*, & *Phœniciam*, quò *Palæſtina* ſpectat, reliquas unà omnes comprehendit *Seleucis*, omniúmque partium præſtantiſſima habetur. Montium præcipui, *Libanus* atque *Antilibanus*; fluviorum, *Jordanes*, *Chryſorrhoas*, & *Orontes*. Portubus abundat. Bobus propriè *Syriacis non ſunt palearia*, *ſed gibber in dorſo*, ait *Plinius*, (8. 45.) Non me latet, latiore quadam ſignificatione *Syriam* regiones finitimas, *Chaldæam*, *Aſſyriam* & *Meſopotamiam* comprehendere; ſenſu anguſtiore *Phœniciam*, *Judæam* & *Palæſtinam* excludere. Mediam nos cum pleriſque Geographis viam tenemus. Adjacet Continenti *Aradus*, parva inſula; nec longè abeſt magna *Cyprus*, huic aliquando Continenti avulſa, ut creditur. (*Plin.* 2. 88.) Urbium nobiliſſimæ fuerunt, *Damaſcus*, *Cœleſyriæ* caput. (*Eſai.* 7. 8.) Tandem *Hieroſolyma longè clariſſima urbium Orientis*, *non Judææ modò*, (ait *Plinius*, lib. 5. 14.) Sed hâc ætate *Phœniciæ* duo lumina *Sidon* atque *Tyrus* maximè floruerunt. *Sidoni*

doni ortum noménque dedit *Canaanis* filius natu maximus; (*Gen.* 10. 15.) non ubertas piſcium, ut habet *Juſtinus*, (lib. 18.) Quare *Canaanæus* in Sacris Literis peculiari nomine ſignificare *Phœnices* videtur. (*Joſ.* 5. 1.) *Tyrum Sidon* condidit. *Sidonii* enim, à rege *Aſcaloniorum* expugnati, ſtadiis ducentis (ut habet *Strabo* lib. 16.) in eodem littore ſuperiùs urbem ſtatuerunt novam, hâc, opinor, ætate. Seriùs multò quàm oportuit, à *Joſepho Judæo Euſebió*que traduntur hujus urbis origines; utpote annis 240 ante conditum *Solomonis* templum. Seriùs etiam à *Cedreno*, annis 361 eodem templo priores. Nam in libro *Joſuæ*, (19. 29.) quo tempore ſunt ſingulis tribubus *Iſraëlitarum* diſtributæ ſortes, *Tzor*, ſeu *Tyrus*, non modò nominatur, ſed urbs etiam tum munita fuiſſe dicitur; ut *Eſaiæ* 23.7. antiquiſſima: & *Straboni* (lib. 16.) *Plinió*que vetuſtiſſima urbium parens, *Dionyſio* denique in Περιηγ. Ὠγυγίη vocatur. Ubi autem *Herodotus* (lib. 12.) bis mille trecentíſque annis conditam ante ſuam ætatem ſcribit, Diluvio *Noachano* antiquiorem ſtatuit. Nec longo poſt hæc tempore ab *Ægyptio Agenore* ſubactam fuiſſe urbem hanc traditur; & ab ejus uxore *Tyro* accepiſſe nomen, *Cedrenus* autor eſt. Inſulam primò fuiſſe conſtat, prælto mari ſeptingentis paſſibus à Continente diviſam: (*Ezech.* 28. 2. & 27. 4. *Eſai.* 23. 2, 6.) poſtea verò ab *Alexandro* aggere magno eſt annexa. Oppidum ipſum 22 ſtadia obtinebat ſcribente Hiſtoriam ſuam *Plinio*, plura fortaſſe antiquitus. Circuitus enim 19 mill. paſſuum *Palætyro* includebatur. (*Plin.* 5. 19.) Ab urbe *Tyro* *Syriam* quaſi *Tyriam* primò denominatam à *Græcis*, veriſimile videtur. *Phœnicia* enim *Syriæ* pars clariſſima habebatur, & urbs *Phœniciæ Tyrus*, urbium ipſa multarum parens, & Mediterranei domina maris. *Hebraïcúm*que *Tzade*, à qua litera *Tzor* inchoatur, utroque modo à *Græcis* redditur, per *T* vel *S* literam, quia utramque in ſe comprehendit. Quamvìs eorum haud abſurda eſt ratio, qui *Syriam* primò ex *Aſſyria* corruptam inſcitiâ *Græcorum* volunt. Unde *Herodotus* (lib. 7.) *Syrios* ait à *Græcis* vocatos, qui à barbaris *Aſſyrii* dicebantur. Et *Juſtinus*, (lib. 1.) *Aſſyrii, qui poſtea Syrii dicti ſunt.* Et ſæpius confuſam apud *Latinos Syriam* atque *Aſſyriam* legas. Denique, *Tyrus* ipſa olim *Sarra* quoque *Latinis* nominabatur; unde oſtrum *Sarranum* apud Poëtas: (*A. Gellius* 14. 6.) & Σῶρα fortaſſe apud *Stephanum*. Verùm *Euſebius* (in Chronicis) tradit, *Orthopoli Sicyoniis* imperante, *Criaſo Argivis*, *Syrum* quendam indigenam exſtitiſſe, à quo *Syriæ* datum ſit nomen. *Sidonis magnæ* (*Joſ.* 19. 28.) *Tyrus* quidem filia; (*Eſai.* 23. 12.) ſed, ut illa apud *Lyricum*, ———*Matre pulchrâ filia pulchrior*, magnâque major evaſit, aut certè omni modo par. Nam *Strabo* utramque ait adeò claram & illuſtrem fuiſſe, ut eſſet controverſum, utra *Phœnicum* haberi metropolis mereretur. *Tyrus* quidem inſula; in elegante portu Continentis erat ſita *Sidon*. *Tyrum* purpura coloniæque multæ nobilitârunt; *Sidona* vitrum, & Artium quarundam cultura, Aſtronomiæ præſertim & Arithmeticæ, utriuſque mercatoribus perneceſſariæ. Atque has à *Sidoniis* accepiſſe *Græcos*, ut ab *Ægyptiis* Geometriam, pro certo haberi *Strabo* vult, (lib. 16.) Et artificibus erat omnium generum, non mercatoribus tantùm, referta. Unde *Zacharias* (9. 2.) *Sidonem* ait Propheta ſapientem eſſe valde. At *Sidonis* claritas antiquior, quemadmodum ortus fuit. Itaque *Homerus* eam celebrat, de *Tyro* tacet, ut ſobole ſubditâque *Sidoni*. Nulla ferè per orbem terrarum plaga tot coluit támque diverſa quàm *Syri* numina deorum. *Judæa* unicum venerata eſt *Jehovam*, totius mundi Opificem. Reliqui primò barbaros, à *Græcis* deinde ſubacti *Græcanicos* etiam deos. *Sidonii* (*Jud.* 10.6. & 1 *Reg.* 11.5, 33.) & *Palæſtini Baalem*, ſeu *Belum*, & *Aſtarten*, *Aſhtoreth* & *Aſhtaroth Hebraïcè*, coluerunt. Solem atque Lunam voluiſſe primò credibile eſt. *Venerem* fuiſſe *Aſtarten Syriâ Tyró*que conceptam, & *Adonidi* nupſiſſe, (Soli ſcilicet) habet *Cicero*. (De Nat. deor. 3.) Nam Luna barbaris pro *Venere* fuit. *Aſtroarchea Herodianus* vocat, voce *Græcanicâ*, quaſi reginam ſiderum; & ab *Afris Uraniam*, id eſt, *Cœleſtem*, nominari, ſignificare Lunam ſcribit. Eam Poëtæ ut *Junonem Carthaginienſium* celebrabant, qui ex *Phœnicia* in *Africam* tranſtulerunt hanc deam. *Belum* ait S. *Auguſtinus* pro *Jove Syris*, pro *Junone Aſtartem* fuiſſe. (Quæſt. 10. in *Judic.*) Ad riſum quibuſdam videtur quàm ad rem aptior Rabbinorum conjectura, qui ab *Aſhteroth* ſignificante pecudes, *Deut.* 7. 13. *Aſtarten* deduci volunt, quaſi eâ formâ pictam, ut *Hammoni* deo cornuto ſive Arieti eſſet uxor idonea. *Junio* tamen ea probatur conjectura. (*Judic.* 2. 13.) *Tyrii Herculem Melicartum* præcipuè colebant, *Jovis Demaruntis* filium, ut *Philo Byblius* tradit. *Euſebio Deſanaüs* dicitur, interprete *Hieronymo*; at *Græcè Deodan* vocatur. Atque

A.M. 2470.

Tyrus jam condita

nomen dedit.

Syrorum dii.

hunc

A.M. 2470.

hunc à *Pœnis*, *Molochi* more, & *Carthaginienſis Saturni*, humanis placatum eſſe victimis, autor *Plinius*, (36.5.) inhonorum aliàs, & ſub dio ſtantem ſine delubro. Eundem facilè credimus *Herculem* ſecundum fuiſſe, & *Ægyptio* proximum, ex iis tribus, opinor, qui in Veterum monumentis celebrantur. Ejus lucta fuit (ſi qua fuit) cum *Antæo* in *Mauritania*; non *Thebani*. *Tyrios* enim, longinquis navigationibus, ad extremas *Europæ Africæ*que oras perveniſſe conſtat. *Antæum* verò *Pomp. Mela* refert condidiſſe *Tingin*, *Mauritaniæ* ultimæ urbem primariam. Ibi ſepulchrum ejus, à *Sertorio Romanorum* duce effoſſum, prodidiſſe compagem corporis longitudine cubitorum 60, clauſúmque rurſus cumulum, ex *Gabinio* Hiſtorico ſcribit *Strabo*, (l.17.) Ubi clauſum tradunt ſepulchrum, ità ut nemo deinde poſt *Sertorium* tantam corporis molem cernere potuerit atteſtaríque, meritò ſuſpectam reddunt rei tam prodigioſæ veritatem, ſuámque narrantium fidem. Ante Diluvium *Noachanum* quanta fuerint Gigantum corpora (*Gen.*6.4.) nongentos octingentóſque annos viventium, haud facilè dixerim. Et ex iis hoc fuiſſe cadaver, hoc ſi fuit, facilè crediderim. Nam poſt cataclyſmum decreſcentibus hominum unà cum ætate corporibus, ad cubitorum 60 magnitudinem excreviſſe quenquam mortalium, mihi profectò fide majus videtur. Præter ea quæ memoravi numina, *Sanchuniatho* tradit, Serpentes Draconéſque, antiqui Serpentis impoſturâ, penè cultos fuiſſe pro diis apud *Phœnices Ægyptióſ*que veteres. *Taautus* enim, à quo literas diſciplinámque ac religionem accepit *Phœnicum* gens, divinitatem quandam ſerpentibus tribuebat, eò quòd ſpirituum abundarent copiâ, naturæque eſſent igneæ; quod ipſe impetus velociſſimáque vis indicabat, cùm tamen pedibus & manibus, aliíſque naturæ ad motum inſtrumentis, carerent. Idem ait demonſtrare varias eorum multiplicéſque formas, ſpiris ſinuoſíſque flexibus implicantium ſe; nec non vitæ diuturnitatem, vel potiùs immortalitatem. Nam ſolere quotannis exuto ſenio juveneſcere, imò corporum viriúmque accipere incrementa majora, donec poſt certum ætatis curriculum in ſeipſos diſſoluti redeant. Nec enim niſi majore quadam vi atque impetu cæſos extingui poſſe. Propterea hoc inquit animantium genus in ſacris atque myſteriis adhiberi. Iidem boni Dæmones appellabantur à *Phœnicibus*, ab *Ægyptiis* pariter *Cneph*. *Phœnices* imitatus *Pherecydes*, de numine *Ophione* atque *Ophionidis* multa commentatus eſt. (*Euſeb.* Præpar. 1.10.) Atque hactenus *Phœnicum* dii. *Moloch*, ſive *Melcom*, erat apud *Ammonitas* numen celebre. Significat *regem*; regem, puto, ſiderum, Solem; cui ritu nefando ſuos filios concremandos igne (qui typus erat Solis) dedicabant. (*Pſal.* 106.37. *Lev.* 18.21. & 20.2,3.) Aliqui *Hebræorum* non combuſtos, verùm in medio pyrarum utrinque ardentium traductos tantùm pueros atque luſtratos volunt; ſed minùs probabiliter. Et ex libris *Judæorum Fagius Molochi* ſimulacrum ſeptem habuiſſe conclavia docet, quibus recipiebantur, 1. Similæ, 2. Turtures, 3. Oves, 4. Arietes, 5. Vituli, 6. Boves, 7. Homines. Idem facie vitulinâ, manibus apertis fingebatur, ad recipienda quæ donabantur omnia. Dum ſuccenſo igne pueri ardebant, nè exaudiretur ejulatus, parentes populúſque interim ſaltabant pulſabántque tympana. Fieri hoc ſolebat apud *Judæos* etiam in agro ſuburbano *Hieroſolymis*, qui *vallis filiorum Hinnom* dicebatur, *Gi-ben-Hinnom Hebraïcè*. (2 *Reg.* 23.10.) Unde *Gehenna* (*Matt.* 5.22,29,30.) ad ignem pœnáſque apud inferos denotandas traducitur. *Moabitarum* atque *Midianitarum* deus *Baal-Peor*, ſeu *Baal-Phegor*, à monte dictus ubi templum ejus celebrabatur. *Priapum* aliqui volunt eſſe. At ejus ignotum adhuc nomen, etſi cultum ab *Ægyptiis* in *Phallo* numen. Sed quæ huic *Baali* celebrantur convivia, (*Pſal.* 106.28.) *mortuorum* vocantur *ſacrificia*; ut *Plutonem*, aliúmve apud inferos deum, ſignificare quibuſdam videatur. At alii *mortuorum ſacrificia*, inanimis oblata diis interpretantur. Idem eſſe *Moabitarum Chemos S. Hieronymo* videtur, (in *Eſaiæ* cap. 5.) *Accaronitæ* in *Palæſtina Baalzebum*, quod *muſcarum* ſignificat *dominum*, ſive *deum*, adorabant: (2 *Reg.* 1.2.) quemadmodum *Arcades Jovem* Μυάγρον, *Elei* Ἀπόμυιον. (*Pauſ. Arc.* & *Eliac.* 1.) *Herculem Romani* quoque ſacris propitiabant, ut à muſcarum infeſtantium liberaret moleſtia. *Myiodes Plinio* dicitur; (29.6.) qui (lib. 10.28.) *Cyrenaïci Achorem*, inquit, *deum* (ab *Accaronitis* fortaſſe dictum) *invocant*, *multitudine muſcarum peſtilentiam afferente*; *quæ protinus intereunt*, *poſtquam litatum eſt illi deo*. *Baalem* verò *Syri* à *Babyloniis*, puto, & *Chaldæis* mutuati ſunt, quibus *Bel* dicitur, id eſt, *dominus*. Summus habebatur utrobique deus, ut apud *Græcos Jupiter*; Solem verò ſignificâſſe, veroſimillimum eſt. *Azotenſes* in *Palæſtina Dagonem* venerabantur deum, (1 *Sam.* 5.2.) ut *Aſcalonii* deam *Derceto*;

to; ejuſdem figuræ monſtra, ſexu tantùm diſcrepantia, capite humano brachiiſque, cætera piſces, quod ipſa vox *Dagon* ſignificat. *Venerem* in utroque ſignificari, haud ineptè creditur, cujus aptiſſimum videtur ſymbolum Piſcis. Nam ſalaciſſimum eſt hoc fœcundiſſimúmque animalium genus. Unde Regina maris *Amphitrite Salacia* dicitur *Latinis*, ortáque mari *Venus* ipſa fingitur à Poëtis. Sed Luna (quod monui jampridem) barbarorum eſt *Urania Venus*; quæ, propter ſummam in humores vim, rerum omnium terrâ maríque generationibus præeſſe credebatur. Et *Uraniæ Veneris* templum *Aſcalone* vetuſtiſſimum atque cultum fuiſſe, ait *Herodotus*, (lib. 1.) Indè *Cyprios* accepiſſe. *J. Druſius* (Quæſt. *Ebraïc.* 1. 82.) *Dagon* vult non à *Dag* appellari, quod *Hebraïcè piſcem* ſignificat, ſed à *Dagan*, *frumento*; & *Jovem Arotrium* eo ſignatum nomine, qui frumentum & aratrum invenit primus. Hæc ille opinatur, *Euſebium* (Præpar. 1.) & *Sanchuniathonem* ſecutus. *Moabitis* etiam *Nebo* deus. (*Eſa.* 46. 1.) *Baal*, opinor, & is, à monte ubi cultus *Nebo* cognominatus. *Damaſcenis Rimmon* fuit. (2 *Reg.* 5. 18.) Ferunt *Syrorum* aliquos habuiſſe piſces pro diis: (*Cic.* de Nat. deor. 3.) atque eſu piſcium abſtinuiſſe nonnullos, ait *Xenophon*. (*Cyri* Expedit.) *A.M. 2470.*

§ 7. In aula *Epaphi*, ſive *Ori*, *Ægyptiorum* regis, feliciſſimè agebat *Moſes Hebræus*, ſi qua ſit in caducis mortalium rebus felicitas. Opibus affluebat, voluptatibus quibuſvis fruebatur. Nullis non artibus & diſciplinis ejus excolebatur ingenium. Dignitate præſtabat omnibus, uno rege minor. At idem ſuos jam didicerat parentes, ſuum genus, ſuam Religionem, ſuum Deum, quem piè colebat unicéque. Rerum verò Divinarum & cœleſtium contemplatio, terrenarum facilè nauſeam peperit ac faſtidium. Et monuerat, credo, ſacroſanctus Dei Spiritus, eum eſſe deſtinatum à ſe, qui *Hebræos* in libertatem aſſereret, miseréque afflictis daret ſalutem. (*Act.* 7. 25.) Ætate igitur maturâ quadragenarius, & ſuperſtitionis *Ægyptiacæ* diu pertæſus, ſplendori aulico, deliciis opibúſque renunciavit, tandémque ad ſuos tranſiit populares. Qua de re Apoſtolus ad *Hebræos*; (11. 24, 25.) *Per fidem*, inquit, *Moſes, ætatem nactus virilem, recuſavit filius appellari filiæ regis; Maluitque adverſa pati cum populo Dei, quàm voluptatibus impuris impiiſque ad tempus duntaxat frui.* Quod *Joſephus* (Antiq. 2. 5.) & *Artapanus* (apud *Euſebium*, de Præpar. 9. 27.) alio ferè modo quàm *Joſephus* narrat, Imperatorem à rege conſtitutum *Moſem*, feliciter contra *Æthiopas* geſſiſſe bellum, victóſque prælio in *Sabam* (*Meroën* poſtea dictam) compulſos obſediſſe, urbem verò à *Tharbi*, regis *Æthiopici* filia, proditam cepiſſe, pactis ab ea cum *Moſe* nuptiis, &c. jure quidem *Theodoretus* (Quæſt. 22. in lib. *Numer.*) inter fabulas reponit. Jam verò cùm ab *Ægyptiis* ad ſuam ſe gentem recepiſſet, *Hebræi* hominem aulicum refugere primò, nec ſatis fidere peregrino, utcunque pollicenti grandia. Ille ut fidem faceret, ſe inſtitutum à Deo vindicem illis & liberatorem, cùm fortè offendiſſet *Ægyptium Iſraëlitæ* injuriam & vim afferentem, (unum ex præfectis operum ſuſpicatur eſſe *Cajetanus*,) neque conſcius adeſſet quiſquam, occidit *Ægyptium*, vindicavítque *Hebræum*; mortui verò cadaver in arena condidit, nè quod cædis indicium exſtaret. Jure quærunt Theologi, jurène hoc fecerit *Moſes*, ſine legitima judicis poteſtate. Ac primò quidem, S. *Auguſtinus* (contra *Fauſtum* 22. 10.) injuſtitiæ damnavit hanc cædem, etſi magnitudinem animi & zelum juſtitiæ laudandum cenſuit; ut agricola terræ ubertatem quæ luxuriat herbis etiam inutilibus. Et *Oecumenius* (in Epiſt. *Judæ*) Diabolum ait, in altercatione cum Archangelo *Michaële* ſuper corpore *Moſis*, hujus eum cædis inſimulâſſe, quæ ſepulturâ indignum redderet. At idem *Auguſtinus*, (Quæſt. in *Exod.* 2. 6.) *Stephanum* autorem ſecutus, (*Act.* 7. 25.) non defuiſſe *Moſi* autoritatem hac in re à Deo datam cenſuit. Ac fortaſſe non potuit aliter, niſi occidiſſet *Ægyptium*, ab injuria *Hebræum* aut vi defendere, aut ſemetipſum expedire. (*Prov.* 24. 11, 12. *Job.* 29. 12, 13.) Quod autem *Judæorum* nonnulli tradunt, non gladio *Moſen* confeciſſe hunc *Ægyptium*, ſed voce tantùm, noménque Dei Tetragrammaton pronunciando; quódque alii ſcribunt, hominis *Hebræi* uxorem *Salomitham* conſtuprâſſe hunc *Ægyptium*, unde blaſphemus ille hybrida natus eſt: (*Levit.* 24. 10.) & hoc incertum aio, & illud planè fictum. Nec enim erat opus abſcondere, quem ità occiderat ſine vi. Poſtridie verò *Moſes*, cùm è ſuis popularibus duo contenderent, (*Judæi Dathanem* & *Abiramum* aiunt fuiſſe, ſatis temere pro ſuo more,) verbis mitibus caſtigavit, ac diligere ſe invicem oportere fratres dixit, non pugnare, non ſe mutuò affligere, ſatis jampridem afflictos ab *Ægyptiis*. At injuriæ autor ſatis protervè, (nam conſcia mens facilè irritatur,) *Apage*, inquit; *Quis te principem*

A.M. 2473.

Ex aula *Moſes* ad ſuos tranſit populares;

&, occiſo *Ægyptio* quodam,

Mm *con-*

A.M. 2473. *conſtituit vindicémque in nos? Mène verò peremturus es, ut Ægyptium heri?* Ubi de cæde audivit *Ægyptii Moſes*, proditam ſuſpicatus ac notam vulgò, diſcedendum ſibi ex *Ægypto* putavit. Nec enim illic permanere tutum ſe diutiùs poſſe. Sed & *Pharao*, ubi de fuga *Moſis* ex aula regia & *Ægyptii* cæde reſcivit, mortem illi minitatus eſt. Nec hoſtem ſuorum, regem placare animus tulit; quod à *Moſe* fieri fortaſſe non difficulter potuiſſet. Sed comparat ſe ad exſilium potiùs, quaſi Deo ſuggerente ut cedat celétque ſe ad tempus.

———*Moneo regnorum gaudia temet*
Dedoceas, patiènſque fugæ mereare reverti,

fugit in *Midianitidem,* ad vindicandos ab hac ſervitute populares tuos. Quare in terram *Midianitidem*, quæ *Arabiæ Petrææ* pars eſt *Ægypto* finitima, novâ ſe proripuit fugâ, liberandi *Hebræos* nondum adeſſe tempus opportunum ratus. Nec ipſe adhuc maturus videbatur aut par futurus (molliter in aula & delicatè habitus) tantis quæ manebant eum certaminibus atque moleſtiis. Placuit igitur Divino Numini, hominem ſubducere pauliſper, & in deſerti ſchola erudire, ut paulatim obeundæ tantæ provinciæ idoneum atque parem redderet. In terram verò *Midianitidem* conceſſit, quia par fuit eo maximè in loco verſari atque morari *Moſen*, unde brevis faciliſque pateret illi reditus in *Ægyptum* vocante Deo; interea quæ ad reditum ſpectarent *Iſraëlitarum*, viámque in *Canaanæam*, explorata haberet omnia. Et aliqua gentium cognatio, *Iſraëliticæ Midianiticæ*que, in *Abrahamo* convenientium, fortaſſe invitabat. Vagatus diu, ad puteum fortè conſedit feſſus de via, & incertus quò tenderet. Exſpectabat paſtores, qui de hoſpitio docerent. Interim adveniunt ſeptem ſorores, unà cum ovium paterno grege, ſacerdotis *Midianitici* filiæ *Reguelis*. Idem & *Jethro* dictus eſt. (*Exod*.3.1. & 4.18. & 18.1,2, &c.) *Aben Ezra* & alii *Reguelem Jethronis* patrem volunt eſſe, virginúmque avum, qui & pater dici aliquando ſolet. Urbem *Midianam*, ſive *Madienam*, incoluiſſe eum *Joſephus* autor eſt, in littore ſitam Rubri maris. *Chaldæus* quidem *Paraphraſtes Hebraïcam* vocem interpretatur *Principem* ſive *primarium* inter ſuos virum, non *Sacrificum*. Sed malè convenit, virum principem non alios habuiſſe famulos paſtoréſque ovium, præterquam ſuas filias, quas aliorum paſtorum quotidianis contumeliis atque rixis exponeret. Cùm impleviſſent canales aquâ, ſuperveniunt repentè alii paſtores, intercipiúntque virginum laborem, repulſo indè *Reguelis* grege. Haud ignorabat *Moſes*, propè naturalem eſſe humanitatis legem, imbecilliores tueri à potentiorum injuriis, à virorum virgines. Opem ergò tulit opportunam; injuriam prohibuit, paſtores abegit, hauſit aquam abunde, gregibúſque tandem ſaturatis effecit, ut ad patrem filiæ ſolito longè maturiùs redirent. Miratur *Jethro* quâ id fortunæ indulgentiâ factum ſit. Morari enim aliquando ad multam uſque noctem ſolebant. Quippe plurimorum gregum is erat fons unicus. Illæ protinus renunciant peregrini cujuſdam *Ægyptii* beneficium in ſe, quâ virtute paſtorum iniquitatem propulsârit, quâ induſtriâ ſuis gregibus aquam hauſerit, maximè verò quâ hæc præſtiterit animi promptitudine homo benignus, & alacritate. Lætus omnia exaudivit pater, hoc unum iniquè ferens, quòd in hominem tam benignum ingratæ viderentur, quòd non vocâſſent domum ad ſe, ut eum cibo ſaturaret, qui potu impleviſſet gregem. Nondum ſera videbatur gratitudo hæc. Ad fontem properè feſtinatur; vocatur ad *Reguelem Moſes*; denique ſubito, ſed benevolo & hoſpitali, convivio excipitur. Dum colloquuntur & converſantur mutuò, ità probantur utrique utriuſque mores, ut ad curandum gregem, operam lubentiùs nulli *Moſes* collocare quàm *Regueli*, nullius *Reguel* conducere malit quàm *Moſis*. Neque ſervi tamen loco eſſe voluit

ubi *Zipporam* ducit, filiam virum tam generoſum, ſed generi. *Zipporam* filiam ei uxorem tradidit, ex qua filium ſuſtulit, cui nomen eſt *Gerſomi* datum, (*Peregrinum* id ſignificat;) eò quòd *Moſes hoſpitem ageret in terra aliena*, patriam alibi quæreret. Alterum poſtea genuit, *Eliezerem*, hoc eſt, *Meum-Deus-auxilium*; eò quòd à *Pharaone Divinâ fuiſſet ope vindicatus*. (*Exod*.18.4.) Sed hæc fortaſſe multò ſeriùs contigerunt.

Reguelis. Sacerdotem fuiſſe *Reguelem*, ex probabili vocis *Hebraïcæ* interpretatione credimus non difficulter. An aviti, *Abrahamici*, veríque Dei ſacerdos, ea difficilis conjectura. *Raleio* haud fallax argumentum eſt Religionis paternæ filia *Zippora*, quam non erat ducturus *Moſes*, niſi verâ imbutam pietate. Sed huic obſtat opinioni, quòd *Zippora* circumciſioni filiorum ſuorum, ut novo inhumanóque ritui, tantopere obſtiterit. (*Exod*.4.25,26.) Neque oblocutura videtur *Moſi* Prophetis *Maria* (*Num*.12.1,2.) uxoris

ris *Midianiticæ* cauſâ, niſi diſcrepantis à Religione vera. Sanguinis ergò *Abrahamici* particeps *Jethro*, at non fœderis, ſacramento fœderis neglecto. Et cultum fortaſſe Dei veri profeſſus eſt, at degenerem, non purum integrúmve. Tandem, redeunte cum *Iſraëlitis* ex *Ægypto Moſe*, (*Exod.*18.) in Religionem credibile eſt Eccleſiámque ſe veram inſeruiſſe. *A.M.* 2473.

§ 8. Poſt *Orum*, ſive *Epaphum*, in *Ægypto* regnâſſe ferunt *Acencheren*, filiam ejus, annis 12, menſe 1, *Rathotide* fratre adhuc impubere. *Libya Græcorum* videtur hæc fuiſſe filia *Epaphi*. *A.M.* 2481.

Mylete mortuo, filius *Eurotas* imperio *Lelegum* potitus, ac dominatus eſt an. 45. Is cùm ſtagnantem in campis aquam alveo concluſam juſti fluminis tranſmiſiſſet in mare, de ſuo nomine appellavit *Eurotam*. (*Pauſ.Lac.*) Amnis quoque *Tiaſa* ab ejus filia eſt adeptus nomen. (Ibid.) 2490.

Rathotis, *Ori* filius & *Acencheres* frater, jam adultus, *Ægyptiorum* ſuſcepit imperium, annóſque tenuit 9; apud *Africanum* 6 tantùm, ubi *Rathos* dicitur. *A.M.* 2493.

Deucalion, *Promethei* filius ex *Oceana*, (*Dionyſ. Halicarn.* 1.) circa *Parnaſſum* alicubi regnabat, vel in *Cyno Locridis* ad ſinum *Opuntium*, ubi & *Pyrrhæ* monſtrabant ſepulchrum. (*Strabo*, lib. 9.) De illo *Apollonius*, (lib. 3.) *Æmoniam invadit Deucalion.*

——— Ἔνθα Προμηθείδης
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα·
Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς
Ἀθανάτοις· πρῶτός τε καὶ ἀνθρώποις βασίλευσεν.
——— *Indè Prometheus*
Iapetionides genuit mox Deucalionem;
Primus templa deis, primus qui condidit urbes,
Imperiique novas primus tractavit habenas.

Pyrrham, *Epimethei* & *Pandoræ* filiam, habuit uxorem; (*Apollod.*1.) ex qua liberos *Hellenem* ſuſtulit, *Amphictyonem*, & natam *Protogeneam*. Ex ea quam *Ætoli* poſtea & *Locri* tenuerunt regione, *Leleges Deucalion* atque *Curetes*, alióſque *Parnaſſi* montis accolas, in *Æmoniam* duxit, ubi jam ſupra centum annos *Pelaſgi* campis inter flumina uberrimis fruebantur. Sed more illius ætatis, & ingenio gentis inſtabili, non difficulter cedebant ſuperanti viribus multitudini, ac fugâ omnes per omnes ferè ſunt diſperſi plagas. In *Cretam* aliqui tranſmiſerunt, in *Cycladas* alii: circa *Olympum* & *Oſſam Eſtiæotin* habitârunt nonnulli: in *Bœotiam* alii & *Phocidem* & *Eubœam* delati ſunt. Alii, trajicientes in *Aſiam*, maritimæ oræ circa *Helleſpontum* multa occupârunt loca, atque adjacentium inſularum. *Xuthus*, *Triopæ Argivi* filius, ex his in *Lyciam* traduxit coloniam. At indè mox vaga gens *Lesbum* inſulam, eâ tempeſtate vacuam, facilè occupavit, diviſóque inter ſe agro *Pelaſgiam* dixit, quam *Iſſam* antea vocaverant. (*Diod.Sic.*5.16.) Magna pars ad conſanguineos *Dodonæ* pervenerunt, quibus nemo inferre bellum audebat, quoniam ſacri habebantur *Jovi*. (*Dionyſ. Halic.*1.) Omnem regionem à ſe occupatam in Meridionali tractu *Pandoram* appellavit *Deucalion*. Altera pars Borealis *Æmoniæ* retinuit nomen. Alii *Theſſaliam* univerſam à *Pyrrha Deucalionis* uxore olim fuiſſe *Pyrrhæam* nuncupatam volunt. (*Strabo* 9.) *Theſſalia* certè vix poſt annos abhinc 400, à *Theſſalo* quodam *Theſprotio*, denominata eſt. (*Patercul.*1.)

Triopas, *Heliadum Rhodiorum* unus qui ob cædem fratris profugerant, à *Deucalionis* liberis ex *Caria* vocatus eſt, ut communibus armis *Æmoniam* invaderent. Expulſis itaque *Pelaſgis* agrum ille *Dotion* auxilii præmium accepit. Cùm autem ſacrum *Cereri* nemus ad conſtruendam ſibi regiam excîdiſſet, magnum hâc impietate (ut vulgò videbatur) populi conflavit odium, cui ferendo ſe imparem ſenſit. Quare in *Cnidiam Cariæ* peninſulam ſe recepit cum ſuis, ubi *Triopium* promontorium occupavit, oppidúmque condidit; ſubactâque facilè Cherſoneſo, magnam *Cariæ* partem ſuæ ditioni adjecit. (*Diod.Sic.*5.14.)

§ 9. *Cecrope* in *Attica* ſine maſcula prole defuncto, *Cranaüs* indigena, qui reliquis popularibus potentiâ & opibus longè præſtabat, regno potitus eſt, quod non niſi novem annos tenuit: adeò eſt faciliùs interdum acquirere, quàm tueri quæ parta ſunt. *Cecropis* corpus terræ mandatum in *Minervio*, ex *Antiocho* Hiſtorico tradit *Arnobius*, & *Euſebius*. (Præpar. 2. 6.) Deinde permanſit *Athenis* corpora humandi mos, *Tullio* teſte. (De Legibus 2.) *Hyginus* (in Poët. aſtron. 2.) *Cecropi* tribuit *Aquarii* *Cecropi ſuccedit Cranaüs.*

rii ſignum in Zodiaco, quoniam aquâ in ſacrificiis deorum uſus eſt, vino in *Græcia*
A.M. 2493. nondum reperto. *Strabo* (lib. 9.) à rege *Cranao* populum ait *Cranaos* vocatum. At credibile eſt non tam à rege regionem & urbem Κρανάω dictam fuiſſe, quam à ſoli aſperitate; unde forſan & populus & rex etiam. *Apollodorus* (lib. 3.) ſcribit, *Cranaüm* ex *Pediade Menetis* filia *Cranaën*, *Cranæchmen* & *Atthidem* genuiſſe; & hanc obiiſſe virginem: propterea voluiſſe regem ab ea terram *Atthidem* vocitari, quæ *Acte* priùs & *Actæa* videtur à littore nuncupata, (*Strabo* 9.) cui porrecta in longum adjacebat; vel, ut alii volunt, ab *Actæo* rege. Eorum fortaſſe credibilior eſt conjectura, qui χώραν Ἀκτικὴν, *terram Acticam*, hoc eſt, *littoralem*, primò dictam, indè verò *Atticam* molliore ſono, non ab *Atthide*, appellatam putant. (*Harpocration*, *Stephanus*.) *Rharum* quoque filium ex *Cranao* natum *Heſychius* tradit, *Triptolemi* patrem, ſive avum ex patre *Celeo*, ut habet *Suidas*. Et *Rharum* ferunt hoſpitio *Cererem* accepiſſe, dum vagabunda *Proſerpinam* inveſtigabat; cujus beneficii gratiâ, *Triptolemum* ejus nepotem filiúmve rationem agriculturæ docuit.

A.M. 2494. Poſt *Marathonem*, ſive *Coronum*, *Ægialeæ* regem *Marathum* ſtatuit *Euſebius*, de quo ſilet *Pauſanias*. Is imperâſſe dicitur an. 20.

2495. *Lycaone* obeunte in *Pelaſgia*, filiorum maximus natu *Nyctimus*, ſummam imperii tenuit annis fortè 65. Alii ex fratribus 26 in variis ejuſdem agri locis oppida ſibi,
Lycaoni Nyctimus; & regna condiderunt minora. 1. *Pallantium Pallas*; 2. *Oreſtheus Oreſthaſium*; 3. *Phigaliam Phigalus*: quorum poſteriora *Oreſteum* & *Phialia* tandem immutatis paululùm nominibus dicta ſunt. 4. *Trapezus*, 5. *Daſyotes*, 6. *Macareus*, 7. *Heliſſon*, 8. *Acacus*, 9. *Thocnus*, urbes *Thocniam*, *Acaceſium*, *Heliſſonta*, *Macaream*, *Daſeam*, *Trapezuntem*, conſtruxêre. 10. *Orchomenus Methydrium*, & *Orchomenios*, quos *Homerus* πολυμήλους, hoc eſt, *pecudum divites*, appellat: 11. *Melæneus*, & 12. *Hypſus*, *Melæneas* & *Hypſunta*: 13. *Thyræum Thyreates*, & *Thyræam* in finibus *Argivorum*: *Mænalum*, *Tegeam*, & *Mantineam*, 14. *Mænalus*, 15. *Tegeates*, & 16. *Mantineus*. 17. *Cromi* à *Cromo* ſunt conſtituti; 18. à *Chariſio Chariſia*; 19. *Tricoloni* à *Tricolono*; 20. *Peræthenſes* à *Peratho*; 21. *Aſæa* ab *Aſæate*; 22. *Lyceatæ* à *Lyceo*; 23. à *Sumateo Sumatia*; denique ab *Aliphero*, 24. & *Hereæo*, 25. nominis ejuſdem civitates. (*Pauſ. Arcad.*) Habet alibi *Pauſanias* & *Hæmonem*, 26. *Lycaonis* filium, *Hæmoniarum* urbis conditorem. Et à *Tegeata* regioni duntaxat nomen datum ipſi *Tegeatæ* ferebant; vicatim habitaviſſe populum, *Gareatas*, *Phylacenſes*, *Caphyatas*, &c. Etiam *Strabo* teſtis, (lib. 8.) ex novem conſtare Nomis *Tegeam*. Uxorem *Tegeates* filiam *Atlantis Mæram* habuiſſe dicitur. (*Pauſ.* ibid.) Ferunt etiam *Tricoloni* filios, *Lycaonis* nepotes, oppida condidiſſe, *Zeeteum Zetian*, & *Paroreum Parorian*. (Ibid.)

qui *Peucetium* & *Oenotrum* fratres cum coloniis dimittit. *Dionyſius Halicarn.* (lib. 1.) tantùm 22 numerat filios *Lycaonis* ex *Naiade Cyllene*, quæ monti *Cyllenio* nomen dedit. Sed unus fratrum *Peucetius*, minimúſque omnium *Oenotrus*, fratre *Nyctimo* ſuppeditante claſſem, in proximam ab Occaſu regionem *Pelaſgorum* coloniam deduxerunt. Ea tum temporis *Auſonia* dicebatur, ab incolis *Auſonibus*. *Heſperiam* quoque appellabant *Græci* à ſitu, quomodo *Aſiam* poſtea Minorem Ἀνατολήν. A *Saturno* rege *Saturnia* quoque dicta eſt incolis: tandem *Italia*, vel à bobus quibus regio abundabat; (*Hetruſcis* enim veteribus Tauri dicebantur *Itali*;) vel potiùs ab *Italo* quodam, rege *Pelaſgici* generis, parti datum, in regionem univerſam tranſiit nomen. *Pelaſgorum* verò gentem, ut antiquiſſimam, ità populoſiſſimam, longè majores nido extendiſſe pennas ferunt: & hanc omnium primam fuiſſe foras emiſſam à *Græcis* coloniam, abundante ſuffocantéque ſemet in anguſtiis multitudine, ac ſedes requirente laxiores. *Peucetius* in *Ionio* ſinu ſupra vertices *Iapygios*, quæ in loca primùm curſus tulit, iis cum populo adhæſit. Incolæ ab eo dicti ſunt *Peucetii*. Ulteriùs tetendit in Occidentem *Oenotrus*, & majorem totius claſſis partem in ſinum perduxit, quem tunc *Auſonium*, poſtea *Tyrrhenum* appellavêre. Illic terram cùm inveniſſet uberrimam, & paſcendo pecori (nondum erant hîc inventæ fruges) idoneam, paucos admodum quos reperit ſparſim & infrequentes barbaros facilè oppreſſit, iiſdémque in ſedibus collocavit ſuos. Urbes in montibus parvas condidit, ſed crebras, more antiquo, ſine muris & munimentis. Oram illam à ſe omnem *Oenotriam* vocavit, *Oenotros* populum: de quibus Poëta, (*Æneid.* 3.)

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebâ.
Oenotri coluêre viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.

Ab

Ab *Oenotris* fuiſſe ortos *Dionyſius* putat eos, qui poſtea dicti ſunt *Aborigines*; ſi modò *Græcis* majoribus orti ſunt; id quod *Cato Major* (in Originibus) & *C. Sempronius*, diligentiſſimi Scriptores, tradiderunt. Ex *Umbris* alii *Liguribúſve*, antiquis *Italiæ* populis, traxiſſe genus *Aborigines* narrabant. Indigenas nonnulli, & incertæ originis, faciebant. Septendecim hæc ætatibus ante *Trojana* tempora contigiſſe, idem *Dionyſius* autor eſt. Sed vereor nè amplius hoc ſit ſpatium quàm ratio temporum, ætáſque *Lycaonis Cecropi* æqualis, patiatur; niſi ætatem viginti annis definiat. *A.M.* 2495.

Aborigines autem (ut paulò diligentiùs proſequar locum hunc *Romanorum* gratiâ, qui ſuam his originem debent; *Aborigenes*, inquam,) tenuêre olim quicquid terrarum *Liris* à Meridie, à Septentrione *Tiberis*, fluvii, medium inter ſe complectebantur, ex montibus *Apenninis* ambo in *Tyrrhenum* defluentes mare: quorum oſtia patebant à ſe invicem ſeparata octingentorûm ferè ſtadiorum intervallo. *Aboriginum* ex eo natum eſt nomen, vel quòd ab iis in ſuo primis genere alii propagati ſint, πρωτόγονοι & γενάρχαι· vel quòd homines ab initio vagi, ſine certis laribus, ex colluvie promiſcua variarum gentium in unum populum coaluerint. Id enim priſcis *Aboriginum* ſignificâſſe nomen ferunt. (*Dionyſ.* ibid.) Et *Umbros* perhibentur expuliſſe primos ex agro *Reatino* eâque viciniâ, poſtquam in ejus regionis interiora, & propè ad montes, penetrâſſent. Deinde aſſidua cum *Siculis* geſta ſunt bella, indigenis etiam, ad ampliandos ditionis ſuæ terminos. Ac primum certamen à Juventute ſacra ſuſceptum eſt, priſco more. Nam in *Auſonia* priùs agebatur alta pax:

——— Sine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.

Erat hoc antiquis etiam barbaris in more poſitum, ut ſi alimenta domeſtica non ſufficerent, ſive terrarum ſterilitate, ſive fœcunditate hominum id contingeret, minuendæ multitudinis causâ, ſobolem omnem unius anni dedicarent alicui deo, armíſque inſtructam emitterent ad acquirendas aut vi aut gratiâ ſibi ſedes novas. Sic *Aborigines* propè quotannis *Siculos* finitimos ſuis coloniis propellere ſolebant, ſuâmque extendere ditionem. Sed & fraude aliquam adepti partem hoſtilis agri, urbes condidêre plurimas.

Jam verò *Auſonia*, cujus partem occupaviſſe diximus *Pelaſgos*, habitâſſe *Aborigines*, peninſula eſt cruri perſimilis humano. Ejus pes, *Magna* (quam poſt hæc tempora vocabant) *Græcia*, *Salentini* calx, genu *Gallia Ciſalpina*, reliquum tibiæ loco, & oſſis *Apenninus* mons, qui totam pervadit in medio. Præſtantiſſima regio multis nominibus, & nobilitata *Romano*, gentium plurimarum victore atque imperatore, populo. Si *Plinium* audire volumus de ſua patria tum vel maximè florente: *In toto,* inquit, *orbe, & quácunque cœli convexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, meritóque principatum naturæ obtinet* Italia, *ſitu ac ſalubritate cœli atque temperie, acceſſu facili, portuoſis littoribus, & quaſi patentibus gremiis commercio terrarum accommodatis, benigno ventorum afflatu, aquarum copiâ, nemorum ſalubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentiâ, ſoli fertilitate, pabuli ubertate. Quicquid eſt quo carere vita non debeat, nuſquam eſt præſtantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, juvenci. Nè equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nulli ceſſit. Sed interdictum id vetere conſulto patrum,* Italiæ *parci jubentium. Et iis nunc in ſe gravida, pro omni dote varios ſuccos, & frugum pomorúmque ſapores fundit. Ipſi de ea judicavêre* Græci, *genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellando* Græciam Magnam. Hæc *Plinius*, (3. 5, 20. & 37. 13.) *Campaniæ* amœnitates immoderatiùs prædicabant olim *Romani: Non modò Italiâ, ſed toto orbe terrarum, pulcherrimam* ejus *plagam eſſe: nihil mitius cœlo, nihil uberius ſolo; ideo* Liberi Cererîſque certamen *dictum: nihil hoſpitalius mari: denique, bis floribus vernare. Hîc illos fuiſſe nobiles portus, Cajetam, Miſenum, & tepentes fontibus Baias: Lucrinum & Avernum, quædam maris otia. Hîc amictos vitibus montes, Gaurum, Falernum, Maſſicum, & pulcherrimum omnium Veſuvium, Ætnæi imitatorem.* Hæc *Florus*, (in Epitome, lib. 1. cap. 16.) tam aut indigus laudum aut prodigus, ut de ipſa loci aliàs nobiliſſimi peſte glorietur, monte *Veſuvio*. Ejus enim incendiis, & indè natis terræ motibus, cladibúſque portentoſis, reliqua encomia ferè corrumpuntur omnia. Neque minores eæ ſunt quibus regionem hanc *Dionyſius Halicarnaſſ.* ornat lau-

in *Auſoniam.*

A.M. 2495. laudibus: Sic eam commodis abundare omnibus ad utilitatem voluptatémque comparatis, ut nulla ſit reliqui orbis pars, non *Ægyptus*, non *Africa*, non *Babylonia*, cum hac ullo modo comparanda. Mari *Supero*, quod & *Adriaticum* vocabant, à Septentrione, *Infero* ſive *Tyrrheno*, atque *Liguſtico*, à Meridie coarctatur *Italia*; *Auſonio Ionió*que ab Oriente clauditur. Ad Occidentem, atque Boream aliquatenus, diſtendit ſe uſque ad *Alpium* juga, montium immenſorum, qui *Auſoniam* à *Gallia* ſeparant *Germaniá*que. Ab his ad oppidum *Rhegium* in *Brutiis*, per urbem *Romam Capuám*que meante curſu, patet longitudine decies centena & viginti millia paſſ. Latitudine, ubi plurimùm, quadringenta decem, à *Varo* flumine ad *Arſiam*, inter duo maria; ubi modicùm, circa urbem *Romam*, ferme 130 mill. Arctiſſima eſt ad portum quem *Hannibalis caſtra* dicebant, ubi non excedit 20 mill. (*Plin.* 3. 5.) Maximus fluviorum *Padus*, *Eridanus Græcè*, in *Gallia Ciſalpina*; nobiliſſimus *Tibris*, qui Urbem poſtea imperatricem ſuſtinebat in ripis. Intumeſcit *Padus* exortu Canis, tepentibus *Alpium* nivibus, & liquentibus brumæ pruinis; auctúſque aquarum acceſſione, 30 flumina in *Adriaticum* defert mare.(*Solin.*) In ſinu *Liguſtico*, Coralium

——Quo primùm contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub undis, (*Ovid.* Met. 15.)

tactu propè carnulento. Sed & color vertitur: ex puniceo protinus rubeſcit. Album & nigrum quoque *Avicenna* ponit. Ramuli ſunt quales arborum, ad ſemipedem frequentiùs longi. Rarum eſt pedaneos deprehendi. Excuduntur ex illis multa geſtamina; & quicquid indè fit, habetur inter ſalutaria. (*Solin.*) Eruitur gemma in parte *Lucaniæ* melleo colore, croco refulgens; intus autem ſtellas continet languidas. In *Syrtium* littoribus primùm inventa, unde *Syrtites* nomen. *Veientana* quoque reperta eſt *Veiis*, nigram materiam diſtinguente limite albo. (*Plin.* 37. 10.) Neque verò deſunt tot bonis aliqua mala præter *Veſuvium*, animalia præſertim noxia, quæ de tantis laudibus aliquid detrahant. *Illic frequens vipera*, inquit *Solinus*, *morſu inſanabili. Brevior hæc cæteris quas in aliis advertimus orbis partibus; ac propterea, dum deſpectui eſt, faciliùs nocet. Calabria* Chelydris frequentiſſima: & Boam gignit; quarum una in tantam magnitudinem crevit *Claudio* principe, ut occiſæ in *Vaticano* ſolidus in alvo ſpectatus ſit infans. Habet quoque lupos *Italia*, quorum viſus (ut creditur) eſt noxius, vocémque homini quem priores contemplantur adimit. Unde *Maronis* illud, (Eclog. 9.)

————Vox quoque Mœrin
Jam fugit ipſa: lupi Mœrin videre priores:

& proverbium, *Lupus in fabula*, ubi ſilentio ſubito conticeſcimus, interveniente de quo erat ſermo inſtitutus. Veriùs hac de re Doctiſſ. *Brounus*, (Error. Vulgar. 3.8.) Lupos non videntes, ſed viſos, facere ut obmuteſcant viatores, per inopinatum formidabilis rei conſpectum præpeditâ voce metu; ut accipitre præſente ſilent aves, & in umbra Hyænæ canes. (*Plin.* 8. 30.) De Cicadis *Italiæ* non prætereundùm quod *Plinius* (11. 27.) & *Pauſanias* (*Eliac.* 2.) memorant: In *Rhegino* agro ſilere omnes, ultra flumen *Cæſiam* in *Locris* canere: ſive quòd hæ maſculæ omnes, illæ fœminæ ſint; ſive quòd hæc fervida Sole ſit regio, illa umbroſa & humida. In *Acantho*, quæ urbs *Ætolorum* in *Græcia* eſt, idem contingere, ut cicadæ mutæ ſint, aliqui tradunt; ut *Acanthia cicada* in proverbio ſit, de homine indocto & elingui. Primum in *Auſonia*, quantum literis proditur, auditum eſt *Umbrorum* nomen, quos *Plinius* (3.14.) in diluvio magno ſuperfuiſſe credit imbribus, eáque propter Ὀμβρίους dictos à *Græcis*. Deinde *Ligures* fuerunt ad mare Inferum, *Galliæ* proximi: ſed & alibi variis in locis utrique diſperſi. *Siculi* quoque ea præcipuè loca in quæ *Pelaſgi* appulerunt, & iis finitima, tenuêre.

A.M. 2496. Diluvium in *Æmonia* regnante *Deucalione*. § 10. Hunc circiter annum celebrata ſcriptis Veterum calamitas aquarum invaſit *Græciam*, *Deucalionis* nomine deſignata: poſt diluvium ſcilicet *Ogygium* an. 248, ut habet alicunde *Cedrenus*; ante *Olympiadas* verò an. 737, ut ex vetuſto Chronographio *Clemens*. (Stromat. 1.) Tradunt enim, effuſis de cœlo imbribus magnâ vi, & irrumpente oceano tempeſtatibus vexato, maximam *Æmoniæ* partem *Pyrrhæ*que afflictam fuiſſe & coopertam undis, & quicquid mortalium in ea fuit periiſſe, præter admodum paucos, qui in montes confugerant. *Deucalion* rex cum uxore,

uxore, conſcenſo navigio, dies novem totidémque noctes pelago circumlati, ad *Parnaſſum* demum appulerunt, in *Phocidis* & *Locrorum* finibus montem. Cùm remiſiſſent imbres & aquæ, in terram egreſſus *Deucalion*, *Jovi Phyxio* ſacris operatus eſt. (*Apollod.* lib. 1.) *Oroſius* quidem (lib. 1. 9.) regnâſſe ait in *Parnaſſo Deucalionem*, qui ad ſe ratibus confugientes ſuſcepit, ac per gemina ejus montis juga fovit aluítque; à quo propterea genus humanum reparatum fingitur. Ac ſervâſſe illum quos potuit facilè credimus, è ſuis præſertim civibus ſubditíſque: ſed in *Theſſalia* potiùs cùm hæc fierent imperaviſſe, quàm circa *Parnaſſum*, ſcriptis Veterum magis conſentaneum eſt, *Apollodori*, *Dionyſii Halicarn. Herodoti*, *Strabonis*, &c. Certè in ejus ditionem maximè videtur ſæviiſſe tempeſtas hæc, & ejus propterea nomine notum eſſe diluvium Veteres voluerunt. Sed longè latéque ad alias etiam regiones pertinuiſſe ferunt: ad ſuam *Athenienſes*; (*Pauſ. Attic.*) ad *Syriam Lucianus* patriam ſuam, (in *Timone*;) ad *Lesbum* inſulam *Diodorus Siculus*, (lib.5.10.) Nam in luco quem *Olympiæ* vocabant *Athenis*, ſpatio ferè cubitali diductum erat ſolum. In eum hiatum poſt inundationem hanc defluxiſſe aquam memorabant. In eundem igitur quotannis ex melle farinâque triticeâ polentam porricere mos fuit. In *Græcia* maximè hanc inundationem contigiſſe, ac in ea parte quam *Hellada* Veteres vocabant, *Ariſtoteles* teſtatur. (Meteorolog. 1.) Et maximam *Græciæ* partem coopertam fuiſſe undis, *Apollodorus* ait. *Deucalionem* verò apud ſe habitâſſe, (poſt hanc, opinor, calamitatem,) *Athenienſes* prædicabant, & *Olympio Jovi* templum poſuiſſe, unde non procul ejus monſtrabatur ſepulchrum. (*Pauſ. Attic.*) De ſepulchro etiam *Strabo* meminit, (lib.9.) Magnóque argumento eſt vixiſſe *Athenis Deucalionem*, quòd ejus filius, *Amphictyon*, & regis *Athenienſis* filiâ uxore, & regno potitus ſit. At *Plutarchus* eum narrat (in vita *Pyrrhi*) *Dodonæ* cum ſuis habitâſſe, ibidémque *Jovi* poſuiſſe templum. Imò Interpres *Homeri* (*Iliad.* π'.) oraculo eum conſulto *Dodonam* ait condidiſſe, hominúmque reliquias qui diluvio ſuperfuerant eò collegiſſe. At indè *Athenas* eum commigrâſſe, nihil prohibet. In hoc diluvio memorat *Pauſanias Megarum* quendam, *Sithindis* nymphæ ac *Jovis* filium, *Megarenſem*, in *Geraniam* natando montem evaſiſſe, aquis jam occupantibus omnia, ſecutum vocem prætervolantium gruum. Indè monti dediſſe nomen; quia Græcè Γέρανος Gruem ſignificat. Hæc ut primùm *Nyctimus Arcadiæ* regnum aſſecutus eſt contigiſſe, *Apollodorus* narrat; *Juſtinus* Hiſtoricus, (lib. 2.) S. *Auguſtinus*, (de Civit. Dei 18. 10.) & *Oroſius*, (lib. 1. 9.) regnante *Amphictyone*, qui tertius à *Cecrope* fuit; *Euſebius* (in Chronicis) dum *Cecrops* imperabat; *Varro*, ſub rege *Athenienſium Cranao*, quemadmodum & nos. Et hunc ferunt *Deucalioni* fuiſſe octogeſimum ſecundum ætatis annum. Quod Poëtæ fabulantur, conſulto *Themidis* oraculo, *Deucalionem* & *Pyrrham* reparaviſſe genus humanum, jactis poſt terga parentis magnæ oſſibus, id eſt, lapidibus terræ; ità quidam interpretantur, quòd ex montibus in plana homines deduxerint, ruſticóſque traduxerint ex agris, in humaniora mitioráque civitatum jura. Dum aquarum diluvies *Græciam* devaſtabat, interea peſtis *Æthiopiam* aliíque morbi exitiales, deleto ferè hominum genere, depaſcendam feris tradiderunt. Id ex *Platone Oroſius* tradit, (lib. 1. 9.)

A.M. 2496.

Poſt *Deucalionem* patrem *Hellen* regnavit in *Pyrrhæa*, etſi paucos admodum reliquos habuiſſe videatur, poſt tantam à recenti diluvio cladem, quos regeret. Annis imperâſſe videtur 55 regioni circa *Phthiam*, quæ inter *Peneum* eſt & *Aſopum* fluvios. (*Strabo* 8.) Ab eo tandem *Græcos Hellenas* nuncupatos tradit *Apollodorus*, (lib. 1.) & *Hellada Græciam*: ſed, autore *Thucydide*, non ante bellum *Trojanum*. *Homerus* enim, qui *Danaos*, *Argivos*, *Achivos* communi vocat appellatione omnes *Græcos*, *Hellenas* nullibi vocat. Hoc nomen iis tantùm qui cum *Achille* militabant ex *Phthiotide* oriundis tribuit, quíque hujus erant *Hellenis* veri poſteri. *Græci* primò Γραῖοι & Γραικοὶ dicebantur, quaſi *antiquos* diceres: (*Ariſt.* Meteor. & *Apollod.* 1.) quod nomen *Latini* aliæque gentes retinuerunt, *Graios*, *Grajugenas* atque *Græcos* vocantes, regionémque ipſam *Græciam*. Neque *Barbarorum* nomen, cui *Hellenum* erat oppoſitum, ullibi reperias apud *Homerum*. Sed tanta erat poſterorum ab *Hellene* propagatorum ſcaturigo per omnem diffuſa *Græciam*, *Æoles*, *Iones*, *Achæi*, *Dores*, *Bæotii*, &c. ut *Hellenis* nomen reliqua ſuperârit omnia tandem, & deleverit. *Helladam* urbem videtur primam ſtatuiſſe trans *Enipeum*; deinde *Pyrrham*, quam poſtea *Melitæam* vocârunt. Huc demigrâſſe videntur ex *Hellada* cives; quoniam in hoc foro *Hellenis* monumentum exſtitiſſe traditur apud *Strabonem*, (lib. 9.)

A.M. 2500.

Cui *Hellen* ſuccedit, à quo *Græci* tandem *Hellenes* dicti;

§ II.

A.M. 2502.

Rathotidi in Ægypto Acencheres I. ſive Buſiris:

§ 11. *Rathotidis* obeuntis regnum in *Ægypto* ſuſcepit rex *Acencheres* prior, qui annis imperavit 12 & menſ. 5. Unus hic è reginæ *Acencheres*, ſive *Libyæ*, filiis videtur eſſe; quorum idonei Autores quatuor fuiſſe tradunt. *Belum* & *Agenorem Apollodorus* memorat, *Lelegem Pauſanias*, (in *Attic.*) *Buſirin* S. *Auguſtinus*, (de Civit. Dei 18.12.) & *Euſebius*, (in Chronic.) *Agenor* in *Phœniciam* diſceſſit, *Lelex* in *Græciam*: *Belum* credibilius eſt *Acencherem* ſecundum eſſe, utpote patrem *Armaïs*, quem *Danaüm* plerique opinantur. Supereſt *Acencheren* huncce *Buſirin* eſſe: cujus tanta immanitas in populum *Iſraëliticum*, infamiam peperit tantam crudelitatis in hoſpites. Fabula Poëtarum eſt hæc: Cùm per annos novem ſterilitate frugum laboraret *Ægyptus*, *Thraſius* vel *Thaſius* quidam vates accerſitus è *Cypro*, unum hoc reſpondit mali remedium fore, ſi hoſpitem quotannis immolarent *Jovi*. Vatem *Hyginus* (Fab. 156.) *Pygmalionis* ait fratris fuiſſe filium. In ipſo vate primum ſui vaticinii experimentum ubi feciſſet rex, eandem crudelitatem deinde perpetuâ conſuetudine legitimam fecit.

Dicitur Ægyptus caruiſſe juvantibus arva
Imbribus, atque annos ſicca fuiſſe novem.
Cùm Thraſius Buſirin adit, monſtrâtque piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Jovem.
Illi Buſiris, Fies Jovis hoſtia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hoſpes aquam. (*Ovid.* de Art. am. 1.)

Ut alia monſtra rerum hominúmque, ità *Buſirin* hunc confeciſſe ferunt *Herculem*. Eum famâ rei excitum adveniſſe; comprehenſum, & ad aram paſſum adduci; at clavâ mox & *Buſirin*, & *Amphidamanta* filium ejus, præconémque *Chalben* interemiſſe. *Apollodorus* hæc (lib. 2.) ubi *Lyſianaſſæ*, non *Libyæ*, filium dicit. Facilis videtur hujus fabulæ interpretatio: *Ægypto* fame ſeptenni laborante, *Joſephum* vatem peregrinum tradidiſſe remedium; non minùs tamen ſævitum ab *Ægyptiis* in ejus poſteros, quàm in reliquos *Iſraëlitas* ejuſdem gentis hoſpites. Tandem adveniſſe *Moſen*, quaſi *Herculem*, qui *Buſirin* exitio ejúſque filium dedit, hoſpites liberavit. *Euſebius* alibi regem facit *Buſirin*, qui ſui nominis urbem ſtatuit ac Nomon loco importuoſo & inhoſpitali; unde initium fabulæ, quòd hoſpites occiderit. Nam bubulci qui tenebant ea paſcua, hoſpites appulſos ſpoliare ſolebant jugularéque. (*Strabo* 17.) Alibi latronem ait fuiſſe, quem *Hercules* (*Ægyptius*) interfecit, pacatáque omnia reddidit. *Diodorus* autem (lib. 2.) non regem aliquem eâ ſævitiâ fuiſſe tradit; ſed *Oſiridis* tumulum, linguâ vernaculâ *Buſirin* appellatum. Ad eum verò inſtitutum fuiſſe antiquitus, ut boves, ità homines quoque rufos immolare, concolores *Typhoni*, qui *Oſirin* interemit. Cùm autem pauci *Ægyptiorum* rufi eſſent, ex peregrinis quærebant victimas. Hæc res præbuit fabulæ materiam. Tres alios fuiſſe *Buſirides* in *Ægypto* idem autor eſt. Primus ab *Oſiride* peregrinaturo locis maritimis *Phœniciam* verſus præfectus eſt. Alius poſt *Menam* & poſteros regnavit, urbémque *Dioſpolin*, ſive *Thebas*, condidit. Tertius ab eo fuit octavus. (*Diod.* 1.)

Amphictyon Athenis Cranao:

Amphictyon, *Deucalionis* minor natu filius, vel hominis indigenæ, ut alii volun, (*Apollod.* 3.) *Cranaï* regis *Attici* gener, nihil reveritus affinitatis jura, ſocerum ſuum regno expulit. Quam ab alienis timuit injuriam, indè paſſus eſt, unde ſtabilitatem regni ſui & firmamentum exſpectârat: adeò ſanguinis jura vinculáque omnia perrumpit ambitio. Sed raro diuturna ſunt quæ malè parta. Nec ſperanda erat ab alienis ea fides, quam ſocero ſuo præſtandam ipſe non cenſuit. Scelere ſuo vix annis decem fruebatur, cùm ſolio excuſſus eſt quo erat potitus modo. Ad *Lamprenſes Cranaüs Atticæ* Demum unà cum ſuis copiis profugit. Sed cùm nihil auxilii ſupereſſet aut ſpei, mœrore oppreſſus interiit, ibidémque ſepultus eſt.

—*Quippe alta ſedent cognatæ vulnera dextræ.*

Pauſanias (in *Attic.*) ætate ſuâ poſt annos 1600 monumentum ejus ſuperfuiſſe tradit. Sunt qui *Amphictyonum* illud commune *Græcorum Thermopylis* concilium inſtitutum atque appellatum volunt ab *Amphictyone*. (*Pauſ. Phoc.*) Qua de re alibi eſt agendum pluribus. *Dionyſium*, primum vitis viníque inventorem apud *Græcos*, (non *Semeles* filium,) ab *Amphictyone* convivio fuiſſe acceptum refert *Pauſanias*. Idem *Semachi* feciſſe filias in *Attica* etiam, *Euſebius* docet; quibus myſteria ſua tradidiſſe ferunt & initia ſub traditione caprinæ pellis: Ab iiſdem ejus deinde ſacerdotes oriundas.

das. Ab hoc etiam *Dionyſio*, ſeu *Dionyſo*, *Amphictyon* vini aquâ diluendi rationem didicit. Cùm ergò poſtea, mixto mitioréque vino, non ut antea titubarent cùm biberent, in *Horarum* templo uvas maturantium, aram ſtatuit *Dionyſo Recto*, alterámque *Nymphis*; quo vinum eſſe diluendum aquâ moneret. (*Athen.* lib.2.) Idémque lege cavit, poſt cibos ut guſtarent merum, ad potentiam indicandam boni dei; deinde verò dilutum quantum quiſque velit bibere liceret, *Jovis* tantùm addito *Servatoris* nomine. (Ibid.) Liberos habuit *Amphictyon Itonum Bœoti* patrem, (*Pauſ. Bœot.* & *Eliac.*1.) & filiam ex qua *Rharus Triptolemum*, *Cercyonem* procreavit *Neptunus*. At *Diodorus* (4.) credibiliùs, opinor, *Itonum Bœoti* filium, *Æoli* ſecundi nepotem ſtatuit. *A.M. 2502.*

Poſt *Triopam Crotopus*, ex *Agenore* filio nepos, regnum *Argivum* tenuit an. 21. (*Euſeb.* in Chron.) At *Pauſanias Iaſium Triopæ* filium præponit, ejuſdémque abductam eſſe in *Ægyptum* filiam *Io* vult. Sed ex *Apollodoro* nos *Iaſum* commemoravimus alium jampridem, ex quo ſecunda ſit *Io* nata. *Argis Triopæ Crotopus*;

Crotopi Argivi filia *Pſamathe* vitiata clàm, (ab *Apolline* fingebant,) clàm expoſuit puerum, reverita patris iracundiam. Contigit infantem à canibus regii pecoris cuſtodibus dilaniari. Monſtrum propterea neſciò quod inauditum (*Pœnam* vocabant) per univerſam *Argolidem* crudeliter eſſe graſſatum ferunt, ex ipſis matrum gremiis corripere ſolitum infantes ac devorare. *Chorœbus* quidam, ſtrenuus vir, cùm tanto patriam ſuam vexari malo ægerrimè ferret, monſtrum armatâ vi adortus interemit. Ex eo ſecuta eſt dira peſtis, gravius monſtro malum. Utrumque ab *Apolline* immiſſum ſuſpicati ſunt, maximè poſtremum, quod ex aëris intemperie naſcitur agente Sole. Itaque *Delphos* ultro *Chorœbus* ad *Apollinem* profectus eſt, ut cæde monſtri offenſum quoquo modo placaret deum. Reſpondit *Pythia*, neutiquam illi redeundum eſſe in patriam; ſed tollendum è templo tripodem, quóque is in loco è manibus excidiſſet fortè, templum *Apollini* dedicaret, ſuáſque profugus ibi figeret ſedes. Paruit *Chorœbus*; adeò publica privatis, & patriam domeſticæ rei prætulit. Ad montem *Geraniam* factum eſt quod *Phœbus* monuit, in agro *Megarenſi*. Cecidit tripos: quare vicum ibi *Tripodiſcum* atque fanum condidit; *Megaris* poſtea monumentum nactus in foro, ubi hæc omnia erant perſcripta, & *Chorœbi* ſimulacrum conficientis *Pœnam* poſitum, opus è lapide antiquiſſimum. (*Pauſ. Attic.*) Addit apud *Photium Conon*, puero à canibus diſcerpto fuiſſe nomen *Linum*, de quo in *Ibin Ovidius*, *in cujus nepotem*

Quique Crotopiadem diripuêre Linum.

Ejus matrem ab iracundo patre incredulóque ſceleris damnatam & capitis; eam verò cædem ultum eſſe *Apollinem* peſte. Conſultus de remedio, *Pſamathen* reſpondit placandam atque *Linum*. Itaque *Argivi*, præter alios honores iiſdem exhibitos, virginibus fœminíſque *Linum* commendavêre lugendum, cantionémque tradiderunt ejus nomine celebrem, de quo *Heſiodus* & *Homerus* etiam (*Iliad.*18.) in clypeo *Achillis* meminerunt. Ad *Linum* Poëtam & Muſicum *Pauſanias* (in *Bœot.*) eam ſpectare cantilenam vult, qui ob artis excellentiam ab *Apolline* interemptus fingitur: atque hunc ad barbaras etiam gentes ipſóſque *Ægyptios* luctum & cantum perveniſſe, quem illi cantum *Maneron* appellabant. *Pamphum* deinde, hymnographum antiquiſſimum apud *Athenienſes*, *Oeto-linum* dixiſſe; eúmque *Sappho* imitatam, *Adonin* & *Oetolinum* decantâſſe. Eandem cantilenam ſuis linguis *Ægyptios* habuiſſe ac *Phœnices*, *Cypriotas*, & alios, *Herodotus* (lib.2.) autor eſt: verùm *Ægyptios Maneron* ſuum ſui fuiſſe regis primi filium, primámque hanc dicebant cantilenam in ejus obitum immaturum inſtitutam. *Jul. Pollux* (l. 7. 2.) ait, *Ægyptiis* agriculturæ inventorem fuiſſe. Μανέρως γεωργίας εὑρετής, Μουσῶν μαθητής. *cantilena Linus.*

§ 12. *Amphictyon Athenienſium* rex, ut ſocerum ſuum regno per vim expulit, ſic & ipſe ab *Erichthonio* conjuratione factâ oppreſſus interiit. ——*Legem ſibi dixerat ipſe.* Annos imperii *Apollodorus* ei duodecim tribuit; non niſi decem *Euſebius* & alii. *Erichthonium* ex *Vulcani* ſemine in terram ſparſo Poëtæ ſatum fabulantur, de caduca in terram libidine, (ait *Tertul.* de Spectac.) dum *Minervæ*, promiſſæ conjugi à *Jove*, faber inferre parabat vim. (*Hygin.* Fab. 166.) Eum infantem adhuc ferunt *Minervam Cecropis* filiabus tradidiſſe, in ciſta viminea clauſum; ſed monitis priùs nè aperirent, inſpicerentque. Et *Pandroſon* paruiſſe: alias ſorores, cùm reſignatâ ciſtâ vidiſſent puerum anguinis pedibus, vel ſerpente involutum, furiis protinus agitatas, de arcis loco maximè prærupto ſe præcipites dediſſe. A dracone advoluto *A.M. 2512.* *Erichthonius regnum Athenis invadit cæſo Amphictyone.*

 in-

interemptas alii ſcribunt. (*Apollod.*3.) D. *Auguſtinus* fabulam hanc ità Veteres in-
A.M. 2512. terpretatos ait: In templo *Vulcani* & *Minervæ*, quod habebant commune apud *Athenienſes*, expoſitum ac inventum fuiſſe hunc puerum dracone involutum. Eorum itaque numinum eſſe filium dictum, quòd ignoti eſſent parentes veri. Aliqui potiùs *Hephæſtei* cujuſdam filium fuiſſe ex filia *Cranaï Cranaë* volunt. *Jo.Zezes* (Chil.5. 19.) *Minervam* appellat hanc filiam *Cranaï*. *Iſa. Zezes* (in *Lycophr.*) *Hephæſteum* ex *Minerva* quadam regina, quam *Belonicam* dicebant, *Brontei* filia; *Erichthonium* genuiſſe tradit. Spurium fuiſſe conſtat, ac proinde Terræ filius jure habitus eſt. Annos regnaviſſe dicitur 50. Argentum vel primus invenit, (*Plin.* 7. 56.) vel primus *Athenas* attulit, (*Hygin.* Fab.174.) vel denique inſcripſit primus nummum argenteum. (*Pollux* 9.6.) Quod aliqui *Trochilo Argivo*, plerique tribuunt *Erichthonio*, quadrigæ inventum: ut *Virg.* (Georg.3.)

Primus Erichthonius currus & quattuor auſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.

Addunt aliqui, curru propterea illum vehi ſolitum, ut corporis deformitatem celaret, cùm pedes haberet anguinos. Nihil autem prohibet utrumque, *Erichthonium Trochilúm*que, rem ab aliis inventam ſuis tradidiſſe. Nam ut *Herodotus* ait, (lib.4.) *A Libybus Græci quadrijugos equos jungere didicerunt.* *Hyginus* (lib. 2. Poëtic. aſtron.) *Jovem* ait, admiratum *Erichthonii* novum inventum, tranſtuliſſe hominem in cœlum; vocaríque inter aſtra Ἡνίοχον, id eſt, *Aurigam.* Eundem ait ſacrificium *Minervæ* (*Poliadi*) & templum in arce *Athenienſium* inſtituiſſe primum, (ſtatuam dicit *Apollodorus* lib.3.) & *Panathenæa* ludos (atque feſtum) adoleſcentem adhuc, ubi quadrigis cucurrit ipſe. Telluri Κουροτρόφῳ ſacra fecit primus, & aram in arce dedicavit, ut pro alimentis gratias ageret: inſtituítque ut deo cuicunque ſacra facturus, huic primùm deæ faceret. (*Suidas*, *Columel.* 9. 2.) In fano *Minervæ* ſepultus eſt, *Pandione* relicto filio unico, quem ex *Paſithea* nympha *Naiade* genuerat.

A.M. 2513. § 13. Quadraginta ferè annos jam paſtorem egerat *Moſes* apud *Reguelem.* De *Iſraëlitis* liberandis, quod ei munus commiſerat Deus, omnem depoſuiſſe ſolicitudinem videtur ex eo ferè tempore quo proditus erat à populari ſuo, & in exſilium, penè

Moſi Deus in rubo conſpicitur: in exitium actus. Sed & ipſe Deus tot annos, quot aberat *Moſes*, populum voluit univerſum ſuam luere ingratitudinem; eóque diutiùs affligi paſſus eſt pervicacem gentem, quò cervicem libentiùs Domini jugo & alacriùs daret. Nam idola coluiſſe plurimos eorum in *Ægypto*, ſui penè oblitos Dei, ex *Joſua* monuimus jampridem; (24.14.) idémque Propheta *Ezechiel* probro dat, (23. 8, 19.) Tandem aliquando fœderis cum *Abrahamo*, *Iſaaco* & *Jacobo* recordatus, populi calamitoſiſſimi miſertus eſt; gemitus, & ſuſpiria, & clamores querulos de miſerrima ſervitute, auribus benignis exaudivit. Malorum diuturnitas addidit ſtimulos precibus acriores. Mortuo enim *Amenophi*, miſeriarum iis autore primo, nihilo mitiùs tractabantur à novis regibus: ſed amiſſa jam erat, unicum tot malorum condimentum, lætioris fortunæ ſpes. Dedidicerat quoque *Moſes* longâ jam deſuetudine faſtum aulicum, omni caſtigato ſubactóque tumore animi locorum ſterilium ſolitudine, atque mutâ pecorum ſocietate. Pari enim ferè ſpatio regem ſe ovium in deſerto geſſerat, quo regis nepotem egerat in theatrali pompa *Ægyptiorum.* Quò magìs erat ſemotus ab humanis rebus, eò magìs Divina contemplatus eſt. Quò demiſſior in ſe animus, eò ad cœlum aſpirabat altiús. Quò à mundi erat fæce purior, à turba quietior, à deliciis atque voluptatibus temperantior, eò fuit aptior atque dignior Deo. Cùm paſceret ergò ſui ſoceri gregem ad *Horebum* in deſerto montem, conſpiciendum ſe illi Angelus Dei, qui & Deus idem, (1 *Cor.*10.4. *Mal.*3.1.) in rubo præbuit. *Michaël* enim ille Archangelus, (*Dan.*10.13.) princeps ac tutelaris Angelus populi Dei, qui (*Joſ.* 5.14.) *Dei exercituum dux* appellatur, & adorari ſe paſſus eſt, quod alii Angeli non ferunt, (*Apoc.*22.8,9.) ipſe Dei eſt Filius, noſtræ ſalutis princeps, (*Heb.*2.10. 1 *Tim.* 6.15.) *Jehova* quem conſpexit in rubo *Moſes*, quíque Legem tradidit *Iſraëlitis.* (*Exod.*20.2.) *Nullus unquam hominum vidit Deum. Unicus eum Filius, qui in ſinu Patris eſt, demonſtravit.* Paſcua eò magìs herboſa fuiſſe in hoc monte tradit *Joſephus*, (Antiq.2.5.) quò magìs erat aliis paſtoribus inacceſſus, ob vulgatam loci religionem, numinis cujúſdam incolatu. Rubum procul ardentem flagrantémque vidit *Moſes*, neque tamen flammarum vi corruptam. Aptiſſimum videtur hoc Dei ſymbolum. Quem enim impii ac ſuperbi *conſumentem* experiuntur *ignem*, (*Deut.*4.24.)

ſuis,

ſuis, animóque demiſſis, tanquam rubis, præſidio eſt Deus, nè malorum ignibus ardentiſſimis conſumantur. Ità populus *Iſraëliticus* rubi ſpecie, humilis & contemptus, flammis calamitatum in *Ægypto* combuſtus non eſt, imò verò adauctus magís: A.M. 2513.

Per damna, per cædes, ab ipſô
Duxit opes animúmque ferro.

Quare cùm ignis fruticem depaſcere viſus, neque flores tamen neque frondes læderet, maximâ emicante flammâ, cepit cupido *Moſen* explorandi quid hoc eſſet novæ atque magnæ rei. Appropinquabat jam, cùm vocem repentè compellantem ſe audivit ex igne medio, mandantémque " nè accederet, ſed exueret ſibi calceos, eò quòd ſacra " eſſet quam pedibus calcabat humus. Deum verò aiebat ſe, patrum ejus *Abraha-* " *mi*, *Iſaaci* atque *Jacobi* eſſe Deum. *Moſes*, Divinâ territus voce, calceos è veſtigio depoſuit; quò humiliorem ex conſcientia peccatorum, & mundiorem ſanctiorémque ſe coram Deo ſiſteret, omnéque ſui jus imperio Dei & mandatis traderet. Hæc enim apud *Hebræos* olim ſignificabat omnia, calceos exuendi ceremonia. (*Deut.* 25.9. *Ruth* 4.7. *Ezech.* 24.17. *Eſa.* 20.4. 2 *Sam.* 15.30.) Sed reverentiam hoc in loco maximè videtur præcipere mandatum Dei, quæ locis debetur ſacratis præſentiâ Dei; nè irruamus eò temere, aut illotis immundíſque animis, aut corporibus non ſuppliciter demiſſis, animorúmque præ ſe ferentibus humile obſequium. Neque ſolùm calceos abjecit, ſed faciem ſibi velavit quoque; neminem arbitratus poſſe vivere, qui vidiſſet Deum. (1 *Reg.* 19.13.) Id enim fuiſſe videtur omnium opinione receptum, adeò ut *Pauſanias*, homo profanus, illud *Homericum* laudet, *Non poſſe cuiquam hominum bene vertere, cui deos propiùs & perſpicuè intueri contigerit.* (*Pauſ. Phoc.*) Sed & Angelos velare faciem ſuam, quòd immenſam Dei gloriam non ferant, apud *Eſaiam* legimus, (cap. 6.2.) Pergit ex rubo Divina vox: &, " vidiſſe ait ſe, ac miſer- " tum eſſe populi ſui, jam diu ſub iniquiſſimo gementis atque lamentantis jugo, & " ſuam tandem ſeriò implorantis opem. *Deſcendiſſe* igitur, *ut ab Ægyptiis libera-* " *ret* dominis graviſſimis, *ut in terram fertilem atque amplam, lactis copiâ & mellis* " *abundantem, educeret*; *ut in ſedibus Canaanæorum, Hithæorum, Amoræorum, Peri-* " *zæorum, Hivæorum & Jebuſitarum collocaret. Eum itaque ſe miſſurum eſſe ad Pha-* " *raonem* legatum hujus rei gratiâ; *eum ex Ægypto populum ſuum Iſraëlitas liberatu-* " *rum. Moſes* jampridem fruſtrà id expertus, vel ex negotii magnitudine ſegnior jam ſenex, quam juvenis olim non ſatìs æſtimârat, primò deprecari hoc munus: Et, *Quis*, inquit, *ego ſum, ut tuâ ad Pharaonem legatione fungar? populúmque ut educam Iſraeliticum ex Ægypto?* " Quis tu ſis, reſpondit Deus, ſolicitus nè ſis. *Ego tibi adfu-* " *turus ſum*, ut ſuppleam meis viribus quicquid deeſt tuis. *Hoc autem ſigno ſcies me* " *te ad hoc delegâſſe munus, quoniam in monte hoc populus per te liberatus ſacro me* " *cultu venerabitur.* Ità *Moſen* confirmabat quidem Deus. Neque tamen uſquequaque confirmavit. *Cùm nunciavero*, inquit *Moſes*, *popularibus meis, à patrum noſtrorum Deo delegatum eſſe me, illi autem quæſiverint fortè, quo is nomine appelletur*; *quid ego ad hæc reſpondeam, obſecro?* " Ego verò, ait Deus, *SUM QUOD SUM.* " *Tu igitur ità velim reſpondeas* de nomine meo interrogantibus, *Deum EGO-SUM* " *te in Ægyptum delegâſſe: Jehovam Deum patrum veſtrorum, Abrahami, Iſaaci atque* " *Jacobi Deum. Hoc mihi perpetuum atque æternum eſt nomen futurum. Vide igitur ut* " *in Ægyptum properes ad populares tuos, concilium ex majoribus natu cogas, iis denique* " *renuncies, quòd Jehova Deus patrum, Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deus, hæc tibi pro-* " *locutus ſit*; *vidiſſe quidem ſe* quantis *in Ægypto* opprimantur malis *Hebræi*; *libera-* " *turum educturúmque ſe in Canaanæorum terram, Hithæorum, Amoræorum, Perizæo-* " *rum, Hivæorum & Jebuſitarum*; *in terram copiâ mellis copiâque lactis abundantem.* " *Efficiam verò ut auſcultent tibi Principes Hebræorum. Deinde unà cum his Pharao-* " *nem convenias volo, atque illi denuncies, Jehovam Hebræorum Deum fuiſſe conſpectum* " *à vobis*, & mandaviſſe, ut certo in loco ei ſacra faceretis publica. Rogare propter- " ea vos, *ut proficiſci liceat trium dierum iter in eremum, Jehovæ peracturis mandata.* " *Novi ego regem Ægyptiorum minimè vobis conceſſurum ut diſcedatis*, imò vix profectò " magnis à me coactum pœnis. Tantis autem ego támque inauditis *Pharaonem* & " *Ægyptios* obruam, urgebo, conterámque malis, *ut* facillimè *tandem vos* libentiſſiméque *dimiſſuri ſint*, vel expulſuri potiùs. *Nec indè vacui ut diſcedatis volo & egeni.* " *Sed ego vobis conciliabo voluntates Ægyptiorum, ut vicinæ mulieres commodent veſtris* " *gemmas atque veſtes, ornamentáque aurea & argentea, quibus decorent ſe, ſuóſque de-* " *nudent*

à quo delegatur in *Ægyptum*,

invitus admodum.

A.M. 2513. "*nudent hoſpites.* Fluctuabat *Moſes* adhuc, & tergiverſabatur. "*Iſraëlitas* enim "ſibi nullam aiebat habituros fidem, cùm nullo indicio ſignóque certo conſtaret, fuiſſe "illi conſpectum Deum. Quare ut certum eſſet ejus rei argumentum, quod in manibus tenebat baculum paſtorale, jubet in humum Deus projicere. Projecit *Moſes.* Sibilo protinus & tortuoſis flexibus minitabatur domino, factus è baculo ſerpens. Monſtro perterritus novo refugiebat *Moſes*; cùm à Deo juſſus caudam ſerpentis apprehendere manu, baculum obtuſum ſuſtulit, cujus modò repentis humi aculeum pertimeſcebat. Deinde, ut alio ſigno certiores *Iſraëlitas* faceret, monuit Deus ut in ſinu abſconderet manum; quæ ut prodiit leprâ miſerè albicabat. Eandem jubente Deo in ſinu rurſus abditam, indè ſanam retulit. Miraculo primo ſignificari voluit Deus, (nihil enim à Deo fruſtrà fit,) *Moſis* miniſterium *Ægyptiis* & incredulis fore ſerpentem qui enecaret; *Hebræis* & fidelibus baculum quod ſuſtentaret ac regeret greſſus ad cœlum & ſalutem. Secundo monſtratum eſt, hominibus minimè obſequentibus verbo ſuo, pœnas Deum ſubitò & ſecretò minimè advertentibus irrogaturum; iiſdem condonaturum reſipiſcentibus. Denique, ut tribus quaſi funiculis fidem illis arctiùs conſtringeret, ſi ſignis duobus quæ dixi minùs aſſequeretur *Moſes* quod voluit, inſtituit Deus, ut aquam ex *Nilo* tolleret coram populo, effunderétque in terram. *Hebræos* enim continuò factum ex aqua ſanguinem viſuros. Hoc etiam *Hebræis* minitabatur ſignum, niſi promptam darent ſuis miniſtris fidem, ſuam eos incredulitatem ſanguine luituros, ut crudelitatem ſuam *Ægyptii.* Satis videbantur hæc tum demonſtratura Divinam vim, tum incredulitatem expugnatura pertinaciſſimam. Neque tamen ſatis hæc ipſi *Moſi.* Novas ille cauſas nectit. "Facundi-"am ſibi deeſſe queritur, Divino præconi perneceſſariam. A pueritia enim, & ex "quo Deus illum affatus eſt, vel adhuc ſe infantem eſſe. "Quid facundiam mihi nar-"ras? inquit Dominus. Egóne, *cujus* unius *eſt opus humanum os*, qui ſenſus aperio "claudóque omnes pro arbitrio, non & tibi poſſum expedire linguam? Tu obſe-"quere modò mandatis meis; *ego tibi loquenti adero*; *ego te quid ſit loquendum edo-"cebo.* Aliqui *Moſen* linguâ fuiſſe impeditâ & balbutiente ſuſpicantur; alii *Ægyptiacæ* linguæ defuiſſe peritiam, longâ deſuetudine imminutam. Voluiſſe igitur ut fratrem haberet ſocium in hoc munere adjutorémque *Aaronem.* Remota jam erant quæ objecerat *Moſes* impedimenta omnia. Averſus ille tamen, ſui tandem animi perſpicuè ſententiam prodit: "Tanto ſe imparem eſſe muneri; proinde obteſtari "Dominum ſuum, ut in quemvis alium transferat, magìs idoneum ſuæ voluntatis "miniſtrum. Tum verò mitiſſimum Numen, quod hominis imbecillitatem clementiſſimè hactenus pertulerat & ſublevârat, indignari & ſuccenſere viſum eſt. "In "quem ego alium, inquit *Jehova*, munus hoc transferam? *Non me latet fratrem eſſe "tibi Aaronem, virum ſummis eloquentiæ dotibus præſtantem. Ecce obviàm tibi fra-"trem hunc prodeuntem* ex *Ægypto*, *adventúmque tuum ex animo ſummâque lætitiâ gra-"tulaturum*, quem tu tantopere detrectas. *Tu illi dictabis quæ dicenda ſunt. Ego "utrique adero, ut quid agendum ſit pernoſcatis.* Tu, inquam, dictabis, *ille proloque-"tur: ille tibi oratoris loco futurus, illi tu pro Deo. Hoc autem baculum ut manu teneas "volo*; *cujus* à me impreſsâ *vi miracula tibi perpetranda ſunt* omnia. Paſtorale pedum "hoc ſceptrum expugnabit regium.

In itinere, § 14. Iraſcente Deo, non ulteriùs diſceptandum ſibi putavit *Moſes*, ſed parendum voluntati Divinæ. Quare domum properat ad ſocerum *Jethronem*, impetrat veniam ſalvâ ejus gratiâ in *Ægyptum* diſcedendi, ſuóſque viſendi populares atque gentiles. Cum uxore tandem & liberis unum aſinum onerantibus in longinquum ſe iter dat. Non exercitum ducit, quo invitis *Ægyptiis* educat *Iſraëlitas*; imò nè ſervos quidem. Non equos habet camelóſve; quid enim dicam elephantes? Non auri argentíve magnam vim. Solus ac pedes baculo tantùm inſtructus *Ægyptum* & *Canaanæam* expugnaturus diſcedit, potentiâ Dei fretus, non ſuâ. Monuerat verò Deus hærentem adhuc in *Midianitide*, primò, nè quid ab inimicis timeret. Extinctos jampridem in *Ægypto* eſſe qui exitium illi machinati fuiſſent. Deinde, ad *Pharaonem* cùm acceſſiſſet, ea monuit baculo ut patraret portenta omnia, quorum edendorum à ſe accepiſſet rationem. Regem nihilo minùs pertinaci animo (facilè id patiente ſe) prohibiturum nè diſcedant *Iſraëlitæ.* Itaque *Moſes* eum his ut conterreret minis: "*Ità "Jehovam dicere, filium ſuum eſſe, maximum verò natu filium, Iſraëlem. Mandare igitur "Pharaoni ut liberum dimittat*, *quò* Patrem ſuum *cultu ſacro veneretur. Quòd ſi renuat* "rex, *ejus filium*, *eúmque maximum natu*, *à ſe mox interemptum iri.*

Emenſus

Emenſus jam aliquam itineris partem, in diverſorio agebat *Moſes*. Hîc ei Deus occurrit iratus, & mortem, aut morbo gravi, aut aliâ vi aliquâ, illaturus, eò quòd filium ſuum natu minorem, *Iſraëlitici* generis, ac propterea fœderis participem, nondum ſacris ceremoniis initiârat. Nondum ſcilicet præputia illi amputata ſunt, quod octavo poſtquam natus eſt die factum oportuit. Hujus autem neglectæ religionis pœna denunciatur mors. (*Gen.* 17.14.) Eóque gravius erat hoc myſterii violati peccatum in familia Judicis atque Vindicis deſignati, quòd exemplo id malo perniciosum erat plurimis futurum. Uxor domi præpotens, & amori materno nimium indulgens, impedîerat hactenus, majoris filii offenſa vulnere. Cùm autem videret jam, aut filii ſanguinem fundendum, aut amittendam eſſe conjugi vitam, præcîdi nato pelliculam ægerrimè tandem paſſa eſt, quod ipſa dolens præſtitit; præciſam verò *Moſi* ante pedes objecit irata & fremens, "*viro ſe crudeli & ſanguinario nuptam* vociferans. "Velle igitur protinus in patriam ſe, & ad cognatos ſui amantiores redire, nè ulteri-"ùs in majora progrediatur diſcrimina. Vindicatus ab exitio *Moſes*, in itinere operéque ſatìs per ſe moleſto, moleſtam uxorem opportunè relinquendam putavit. Ad parentes igitur, id volentem poſtulantémque, unà cum liberis remiſit. (*Exod.* 18.2,3.) Ipſe ad montem perrexit *Horebum*. *Aaronem* hîc Divino mandato excitum ſibi obvium habuit, qui ſalutem adventúmque *Moſi* oſculo (pro more) amplexúque amantiſſimo gratulatus eſt. Illi contrà *Moſes* Dei mandata expoſuit, à quo miſſus eſt; &, ad faciendam mandatis fidem, miracula. Ubi perventum eſt in *Ægyptum*, ſenatu *Hebræorum* principum coacto, quæ dicenda erant proloquebatur *Aaron*, quæ perficienda miracula *Moſes* edidit. Oculis atque auribus cùm hauſiſſent *Iſraëlitæ* vim atque gratiam Divinam, lætitiâ ſummâ fidéque miſericordiam in ſe ac benignitatem Dei amplexi ſunt. Capitibus igitur demiſſis, & corporibus ad humum inclinatis, propitium ſibi Numen adoraverunt. Deinde *Pharaonem* conveniunt *Moſes* & *Aaron*, unà cum principibus popularium ſuorum viris, denunciántque, *mandare Jehovam*, *Iſraëlitarum Deum*, *ut liberum dimittat populum ſuum. Nam ejus Numini ab Hebræis univerſis oportere feſtum in deſerto publicum celebrari.* Satìs ſuperbè ad hæc reſpondit *Acencheres*, quod proprium fuiſſe regis nomen diximus; *Quis ille deorum*, inquit, *eſt Jehova*, *ut ejus ego mandatis paream*, meáque tot mancipia *libera hinc dimittam? Ego verò neque Jehovam audio, neque populum Iſraëliticum emancipabo.* Cùm parùm valeret apud impium regem autoritas reverentiáque mandantis Dei, precibus contendunt ſuis legati: Et, "*vidiſſe* aiunt ſe *Hebræorum Deum*, imperantémque au-"diviſſe ſolenne ſacrificium. Petere igitur quàm humillimè, *ut trium ſibi dierum* "*iter concedatur in eremum*, *ubi ſacra peragant* in loco divinitus conſtituto: quæ ſi "negligantur, fore ut *bello*, *aut peſte*, aut alio aliquo malo, ulciſcatur ſuam contumaci-"am *Jehova*, cujus contagio vicinitate correptura ſit ipſos *Ægyptios*. Contumaciùs ad iſta rex: "*Quid ità populum vos ab operibus*, inquit, *conſtitutis* ad otium atque "deſidiam *revocatis*, *Moſes & Aaron? Ad opera*, ignavi, *oneráque accingite vos*, *ad* "*opera feſtinate.* Quanto mihi conſtabit hoc tanti populi otium veſtro factum com-"mento? Operum deinde præfectis imperatum eſt, nè quod ſtramen (ut ſolebat fieri) conficiendis lateribus traderetur, unde verò poſſent ipſi colligerent; neque tamen quicquam de penſo minueretur quotidiano.

"*Otia ſunt*, (ait *Pharao*;) *blandâ tum ſubit arte Deus*

"neſcio quis, *cui ut ſacra faciant*, *veniam diſcedendi poſtulant* neſcio quò in deſertum. "*Operibus igitur geminatis onerentur volo & opprimantur*; *neque* libertatis otioſæ *lactentur* deſides *vanâ ſpe*. Ità dictum, ità factum eſt. Per univerſam protinus terram diſperſi vagabantur *Hebræi* ſtraminis colligendi causâ: Opus ipſum interea retardatum eſt, neque juſto perfectum temporis momento quo ſolebat, dum in ſtramine parando populus detinebatur. Qui ergò à præfectis operum *Ægyptiis* conſtituti ſuis præerant popularibus, ſtrenuè vapulabant, quòd non tradidiſſent quantam antea ſolebant laterum copiam. Illi protinus *Acencheren* miſeris laceſſunt querelis; "*Verberari ſe pœnáſque luere peccati alieni.* Cùm enim, *negato ſtramine*, populus in colligenda ſtipula "eſſet occupatus, perfici opus non potuiſſe. Id à ſe tamen exigi ſeveritate ſummâ. Surdo regi narrabatur hæc fabula. "*Otioſos* enim *ille*, *otioſos clamat eſſe. Indè fieri* "*quòd veniam diſcedendi petant*, *ut ſacrificent Jehovæ. Ad opera*, inquit, *diſcedite*, "*nullum ſtramen exſpectate*; *penſum nihilominus diurnum perficite*, aut graviſſimas "deſidiæ pœnas luitote. Parùm lætis hæc auribus acceperunt *Iſraëlitæ*. Ex aula ergò

A.M. 2513.

Deo minitante mortem,

circumcîdit filium,

Pharaonem convenit;

qui Deum legatóſque nihili pendit,

graviúſque affligit *Iſraëlitas*.

A.M. 2513.

ergò regia triſtiſſimis animis prodeuntes, *Moſi* & *Aaroni* malè omnes precati ſunt,
“ Deus ut illis pro merito retribueret, qui ſuos prodidiſſent populares, & exoſos *Æ-*
“ *gyptiis* reddidiſſent, ac *Pharaoni.*

§ 15. His initiis conturbatus *Moſes,* quò confugeret niſi ad Deum non habuit.
Paulò igitur liberiùs quàm decebat virum bonum conqueſtus eſt, & ipſum quodam-
modo increpuit Deum. “ *Quorſum,* inquit, *Domine, malo affeciſti populum hunc,* cui
“ ego à te meliora promiſeram? *Quorſum verò meâ* in hoc malo *uſus es operâ,* per
“ quem benefacere pollicebaris? *Ex quo enim ego Acencheren tuis verbis compellavi,*
“ *multò aſperiùs hunc tractavit populum,* ut promiſſæ à te *liberationis nulla uſpiam af-*
“ *fulgeat ſpes.* Ità *Moſes* iracundè ſatis querebatur. Reſpondit non minùs clemen-
ter *Deus.* “ Næ tua, *Moſes,* nimiùm feſtinat properátque ſpes.

Animatur à Deo *Moſes.*

“ *Quæ nondum data ſunt, ſtulte, negata putas?*

“ Hominis pii eſt, exſpectare voluntatem Dei, non præſcribere. Dixi ego, me po-
“ pulares tuos liberaturum. Terra deficiet priùs, exareſcent maria, cœlum corruet,
“ & corrumpentur omnia, quàm eorum quæ à me dicta ſunt vel iota ſit irritum.
“ Fient omnia: ſed meo fient tempore, non tuo. *Videbis porrò quonam ego modo*
“ *Pharaonem ſim accepturus. Etenim faciam ut, maximâ coactus vi, ſponte ſuâ dimit-*
“ *tat populum, imò ut impellat, abigat, extrudat.* Rigidam iſtam pertinaciam facilli-
“ mè aut flectam ego, aut frangam. Hæc inprimis ad *Moſen* Deus. Poſtea, quò
magìs eum confirmaret, ac doceret quid illi ex officio eſſet faciendum, ità denuo com-
pellabat. “ *Jehova ego ſum;* æternus, immortalis, omníque modo immutabilis De-
“ us; ità ut quæ ego cunque volo, dico, promitto, ea maximè ſtabilia, certa ratáque
“ ſint omnia. *Noverant Abrahamus me, Iſaacus atque Jacobus Omnipotentem Deum.*
“ *Nondum Jehovam illi me noverant;* nondum perfectis iis quæ à me dicta promiſſá-
“ que ſunt. *Canaanitidem, in qua peregrinabantur, pacto me illis fœdere ſum pollicitus*
“ *traditurum. Auditis modò Iſraëlitarum gemitibus in Ægypto, mei tandem recordatus*
“ *ſum fœderis. Illis ergò meis hæc verbis renunciato; Jehovam eſſe me: Ab oneribus*
“ *Ægyptiorum operibúſque,* operibus tam inauditis viribúſque tantis *eos liberaturum,*
“ ut mentes hominum obſtupeſcant magìs, quàm repugnent mihi manus: *Illos mihi*
“ *pro populo habiturum peculiari, memet illis daturum pro Deo;* ídque mirificâ eorum
“ *liberatione* ità demonſtraturus ſum, *ut* facilè *pernoſcant Jehovam eſſe me: Denique,*
“ *in terram eos majoribus olim à me promiſſam jurato perducturum, eámque jure illis te-*
“ *nendam hæreditario. Jehova ſum.*

Hæc Deus cùm dixiſſet, non defuit officio ſuo *Moſes:* populo renunciavit quæcun-
que Deus juſſerat. Sed labore improbo doloréque oppreſſis, auſcultare non vacabat.
Alia igitur accepit mandata *Moſes,* ab *Ægyptiorum* rege iterùm ut poſtularet populo
dimiſſionem. Vel invitis opem ferre, & ad ſuum ruentibus interitum, non gravatur
miſericors pater. Sed de rege mandantem interpellabat *Moſes,* id ſe fruſtrà factu-
rum vociferans. “ Cùm enim *Iſraëlitæ* ſibi non attenderent, ſui populares; minùs
“ multò ſperandum eſſe, ut profanus auſcultet rex, homini præſertim rudi, & nullius
“ facundiæ. Itaque fratri ſimul utrique Deus liberandos tradit *Iſraëlitas,* præcipuè
Moſi, quem ſic affatur: “ *Ecce, Pharaoni Deum te, Aaronem Prophetam,* tuæque mentis
“ interpretem, *conſtitui. Eadem tu Aaroni trades quæcunque tibi ego præcepero. Ea-*
“ *dem ille Pharaoni* quæ tu illi dictaveris *denunciabit.* Facilè autem *patiar indureſcere*
“ *obſtinatum* regis *animum.* Novi atque prædico tibi jam, populo ut exeat non fa-
“ cilè conceſſurum; *quò mihi anſam præbeat opera patrandi magnifica & mirabilia.*
“ Efficiam verò tandem diris cladibus, atque ſuppliciis inauditis, ut & populum *Iſ-*
“ *raëliticum* dimittant libentiſſimè, & *cognoſcant Ægyptii Jehovam eſſe me. Quòd ſi*
“ *Pharao ſignum ſibi aliquod* manifeſtum *edi poſtulet,* quod fidem illi faciat, vos à me
“ delegatos veniſſe; *pedum hoc tuum ut in humum projiciat Aaroni dic, quod proti-*
“ *nus tranſibit in ſerpentem.* Hæc à Deo imperata; hæc à *Moſe* facta ſunt & *Aa-*
rone.

Baculum in ſerpentem mutatum imitantur *Ægyptii, Jannes & Jambres* præſertim,

Verùm accidit, mutato in ſerpentem baculo *Moſis* coram *Pharaone,* ut *Ægyptii*
præſtigiatores, quorum *Jannes* erant atque *Jambres* præcipui, (2 *Tim.*3.8.) ſuis arti-
bus aliquid ſimile, aut fecerint operâ Dæmonum, connivente Deo, aut facere viſi qui-
dem ſint. Nam & colubri ex eorum quoque facti baculis, humi ſinuoſis proſerpe-
bant flexibus. Ut perſpicerent *Ægyptii* tamen, quantum inter Dei opera & præſtigi-
as hominum Dæmonúmque intereſſet, *Aaronis* ille ſerpens reliquos Magorum unus
omnes

omnes devoravit. Iſtos Magorum principes *Numenius Pythagoræus* (de *Judæis* lib. 3. apud *Euſebium* Præpar. 8. 8.) *Jannem* & *Mambrem* vocat, ſacrorum ſcribas apud *Ægyptios*, quos ab omni multitudine ſcribit electos fuiſſe, ut magicis artibus *Muſæo* reſiſterent *Judæorum* duci, viro precibus apud Deum præpotenti. *Plinio* (30. 1.) *Jannes* & *Jotapes* dicuntur, ſed habentur pro *Judæis*. De iiſdem & *Apuleius* meminit. *Artapanus* (apud *Euſebium*, Præpar. 9. 27.) ſacerdotes ait ſupra *Memphim* fuiſſe, regémque iis necem interminatum, niſi paria *Moſi* patrarent. A.M. 2513.

In paucis, ait *Plinius*, (ibid.) *digna res eſt Magice de qua plura dicantur, vel eo ipſo, quòd fraudulentiſſima artium plurimùm in toto terrarum orbe, plurimíſque ſeculis valuit. Orta ſine dubio in Perſide à Zoroaſtre, ut inter autores convenit. Sed unus hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatìs conſtat. Hermippus, qui de tota ea arte diligentiſſimè ſcripſit, præceptorem, à quo inſtitutum diceret Zoroaſtrem, tradidit Azonacem:* (utrumque ſupra fidem antiquiſſimum.) *Maximè mirum eſt, in bello Trojano tantum de arte ea ſilentium fuiſſe Homero, tantúmque operis ex eadem in Ulyſſis erroribus, adeò ut totum opus non aliunde conſtet. Siquidem Protea & Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt: Circe utique & inferorum evocatione hoc ſolum agi. Primus exſtat commentatus de ea Oſthanes, Xerxem comitatus in Græciam; ac velut ſemina artis portentoſæ ſparſiſſe, obiter infecto quâcunque commeaverat mundo. Diligentiores paulò ante hunc ponunt Zoroaſtrem alium Proconneſium. Quod certum eſt, hic maximè Oſthanes ad rabiem, non aviditatem modò ſcientiæ ejus, Græcorum populos egit. Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc diſcendam navigavêre, exſiliis veriùs quàm peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reverſi prædicavêre; hanc in arcanis habuêre. Eâdem ætate utraque ars effloruit, Medicinam dico Magicémque; illam Hippocrate, hanc Democrito illuſtrantibus, circa Peloponneſiacum Græciæ bellum. Non levem & Alexandri Magni temporibus autoritatem addidit profeſſioni ſecundus Oſthanes. Gallias utique poſſedit, quorum Druidas, & hoc genus vatum medicorúmque, Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit. Oceanum quoque tranſgreſſa eſt. Britannia hodiéque eam attonitè celebrat tantis ceremoniis, ut dediſſe Perſis videri poſſit.* Iſta quidem *Plinius*. Mirum verò in his præteriri à *Plinio* Magos *Ægyptiorum*; quos, vel ex his cum *Moſe* concertationibus, perſpicuum eſt, harum vanitatum ſtudioſiſſimos fuiſſe longè ante *Zoroaſtrem*, quem Scriptores diligentiſſimi non niſi 600 ante *Xerxis* expeditionem annis ſtatuunt. Sed & *ſpecies* Magiæ *plures* narrat ex *Oſthane Plinius*, (30. 2.) *Namque & ex aqua, & ex ſphæris, & ex aëre, & ſtellis, & lucernis, ac pelvibus ſecuribúſque, & multis aliis modis divina promittit; præterea, umbrarum inferorúmque colloquia: quæ omnia*, inquit *Plinius*, *ætate noſtrâ princeps Nero vana falſáque comperit. Quippe non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit; fortunâ rerum humanarum ſummâ geſtiente in profundis animi vitiis. Primúmque imperare diis concupivit, nec quicquam generoſius voluit. Nemo unquam ulli artium validiùs favit. Ad hæc, non opes ei deerant, non vires, non diſcendi ingenium, aliáque non patiente mundo. Immenſum & indubitatum exemplum eſt falſæ artis, quam* (tantopere expetitam) *dereliquit Nero.* arte magicâ.

§. 16. Ut redeamus ad *Moſen*: Baculi & Serpentis prodigio ſignificari voluit *Pharaoni* Deus, longè alios fuiſſe olim in *Iſraëlitas* quàm nunc ſint, mirabilitérque eſſe mutatos *Ægyptiorum* reges. Ut baculum ſuſtentâſſe quondam ac præſidio fuiſſe; nunc ſerpentino quaſi ſtimulo pungere, & minitari ſibilo atque veneno exitium. Sed & hæc propediem ſe mutaturum, ſerpente in baculum redeunte, indicabat. Verùm hæc apud regem nihil valebant, qui à ſuis Magis eadem quæ à *Jehovæ* miniſtris fieri portenta credidit. Pœnis itaque affligere impiam gentem, timoréque ſui percellere, conſultum Deo viſum eſt. Prodituro manè ad fluvium regi obviàm ire *Moſen* atque *Aaronem* jubet; poſcere, *Iſraëlitis* exeundi regno poteſtatem ut faciat; minitari, niſi concedat, fore, "ut Aquæ omnes *Ægyptiorum*, tum in "fluvio, tum in lacubus & vaſis quibuſcunque, ſuo ſemel percuſſæ baculo, in San- "guinem convertantur, & emoriantur piſces, & aër ipſe odore tetro corrumpatur: "ut hoc ſaltem ſigno certiore ſciant *Ægyptii* miſſos à *Jehova* ſe. Hæc omnia, non obſequente rege, dicto citiùs facta ſunt. Deerat jam, quâ maximè abundare ſolebant *Ægyptii*, viliſſima rerum, aqua; niſi aut ex puteis novis effoſſa, aut ex *Goſene* petita. Eam credibile eſt regionem non attigiſſe hoc malum, utpote ab aliis *Ægyptiorum* cladibus, quemadmodum à ſceleribus, immunem. Æquum verò maximè & par fuit, ut qui ſanguinem vitámque infantium *Hebræorum* in has fluminis aquas abjeciſſent, quem tantopere ſitiverant ſanguine ſatiarentur. (*Apocal.* 16. 6.) Plagis atteruntur decem *Ægyptii* contumaces: 1. Aquâ in ſanguinem versâ;

A.M. 2513. *16. 6.)* Et præludium erat hoc ultimæ cladis & graviſſimæ, funerúmque tot in aquis marinis. Sed & hoc portentum imitati ſunt *Ægyptiorum* Magi; at ſpecie tantùm imitati, non exſecuti revera. *Jehovam* itaque Deum *Acencheres*, nihilo potentiorem ſuis, haud magni æſtimandum cenſuit. Septem diebus pertulerunt hoc malum *Ægyptii*, quod imitando augere poterant præſtigiatores, tollere aut prohibere non valebant. Nè tamen regis obſtinati causâ populus periret univerſus, ſuſtulit pœnam hanc, vel potiùs mutavit Deus. Cùm enim hæc parùm profeciſſet, aliâ ſe percuſſurum graviore plagâ minatus eſt, niſi quàm primùm ſuis rex mandatis ob-

2. Ranis; temperaret: "Ranarum ſcilicet in aquis tantam ſe producturum vim, quanta non "modò terram undique operiret, ſed ipſa triclinia & thalamos, etiam regis, imple-"ret; in cellas & panaria, imò in ipſa hominum corpora, invaderet & ſubſili-"ret; conſpurcaret omnia. Cùm & hoc monſtrum, obfirmante ſe rege, baculo *Moſaico* genuiſſet *Aaron*, moleſtiſſimum id *Pharaoni* viſum eſt, adeò ut nè unicum diem tolerare poſſet. Itaque flecti aliquantùm & cedere pertinacia regis: Orare *Moſen* & *Aaronem*, ut *Jehovam* deprecarentur (jam tandem ipſi *Pharaoni*) Deum. Liberatum ſe liberaturum *Iſraëlitas*. Nam incantatores & huic malo addere procreando ranas veriſimiles poterant, mederi tollendo veras non poterant. Supplicanti regi facilè *Moſes* annuit, mitiſſimus vir: ac tempus quo fieret definiendum conceſſit regi, modum ipſe ſtatuit. In ædibus terrâque omnes confecturum ſe ranas pollicitus, in aquis minimè. Relinqui fortaſſe illic volebat, unde novo periculo terreret regem, ſi fidem falleret. Interponi moram voluit, ut cùm ſponte ranas non diſceſſuras viderent, immiſſas divinitus, non à natura editas, cognoſcerent. Craſtina lux ranarum internecioni à rege deſtinata: Quo tempore precibus obtinuit *Moſes*, ut quæ terras vexabant, hominúmque domicilia, extinguerentur omnes. In tumulos verò coacervatæ, peſtiferum undique odorem exhalabant. Reſpirabat aliquantùm *Pharao*, levatus hoc obſtrepero & coaxante malo. Deinde ad priſtinum ingenium rediit; quemadmodum aqua tepefacta remoto procul igne frigus facilè revocat nativum. Quibus liberum diſceſſum erat pollicitus modò, *Hebræos* jam negat uſquam ex *Ægypto* profecturos. Neque verò id miratus eſt quaſi novam rem & inopinatam *Moſes*, utpote jampridem ſibi prædictam à Deo. Novo igitur ſupplicio erat hominis perfidia ulciſcenda. *Aaroni* per *Moſen* denunciatur,

3. Pediculis; ut in terræ pulverem baculum protendat. "Pediculos enim orituros indè, qui "homines animantéſque ſimul omnes corripiant. Ità mox factum. Imperante baculo *Moſis*, terræ pulvis in pediculos abiit: Non aquæ modò, ſed etiam terra obſequitur mandatis Dei, & in ejus armatur hoſtes, quos gigantum ſuorum minimis invadit ſubigítque. Neque *Jannes* atque *Jambres*, qui hactenus obſtiterant *Moſi*, prodigium hoc vel ſimulare poterant, vel avertere, aut prohibere nè viliſſima animalcula in homines fœdiſſimè atque beſtias proreperent. Quare Divinam hîc vim, quaſi maximam in minimis virtutem, ipſi agnovêre Magi. His maximè artibus freti pollebant *Ægyptii*, & venditabant ſe. Suis ergò telis contra eos pugnare, ſuis armis jugulare Deus voluit. Nondum hæc tamen rigidum obſtinatúmque regis animum emolliverunt. Victis Magorum Dæmonibus, invicta *Pharaonis* contumacia obluctatur Deo. Nec enim pœna viſa eſt, quæ nihil ferè formidandum haberet præter fœditatem. Pungendus atque fodiendus aculeis, vel contundendus erat malleis, tam durus, tantâque pertinaciâ lapideſcens animus. Novam ergò pœnam denunciare jubetur *Moſes*, & prodeunti manè ad fluvium regi occurrere:

4. Muſcis; "Muſcarum graviſſimarum exercitu ſe, omnium generum, repugnantes *Ægyptios* "oppugnaturum, completurum domos, terræque fructus corrupturum. *Iſraëlitas* "interim ab eo malo, quanquam permiſtos *Ægyptiis*, immunes fore: ut hoc mani-"feſto populorum diſcrimine, ſciant *Ægyptii* eſſe *Jehovam* ſe. Luce proximâ, rege non obtemperante, reipſa exſecutus eſt Deus quod erat interminatus *Moſes*. Novâ clade conſternatus rex, ad *Moſen* denuo & *Aaronem* confugit. Iterum precatur ut ſuum deprecentur Deum; cujus Numini conceſſurum ait ſe ut in *Ægypto* ſacra faciant. "Sacra ut faciant in *Ægypto?* ait *Moſes*. *Imò verò nobis ea pro victi-* "*mis immolanda ſunt*, quæ ſi violentur in *Ægypto*, *vobis piaculum*, *nobis periculum* "*ſit nè lapidibus obruamur. Imò trium dierum iter faciendum eſt nobis in deſerto*, *ut* "*quæ ipſe Deus mandaverit* in deſignato loco *ſacra peragamus. Neque verò nos*, inquit *Acencheres*, *repugnabimus quin migretis in deſertum*, *modò nè diſcedatis longiùs*, *precibúſque interim nos apud veſtrum juvetis Deum.* "*Juvabo*, reſpondet *Moſes: tu*

"*modò*

"*modò caveas* nè bis ad eundem impingas, *iterum violando datam promiſſi fidem.* Exeunte igitur & orante *Moſe*, abacta eſt caterva muſcarum univerſa. Cereus tamen *Pharaonis* animus, qui modò liqueſcebat igne admoto calamitatis, eodem remoto rurſus obduruit. Itaque rurſus ad eum delegantur miniſtri Dei, ut renunient, "die craſtino pecora *Ægyptiorum* in agris omnia, equos aſinóſque, oves, bo-"ves & camelos, Peſte laboratura, & ex omni genere aliqua interitura, *Hebræis* "indemnibus, niſi diſcedendi venia quàm primùm concedatur. Neque dictis fides abfuit. Cúmque miſiſſet *Pharao* qui de pecore cognoſcerent *Hebræorum*, ſalva ſanáque omnia reperta ſunt. Cùm nondum cederet ſuperbia regis, edicit legatis ſuis Deus, ut "cinerem de camino tollant plenâ manu; eum ut *Moſes* coram *Pha-*"*raóne* ſpargat in cœlum: Ex eo enim pulvere, per omnem diſperſo terram, Ul-"cera oritura, & veſicas turgidas, quæ corpora hominum infeſtarent pecorúmque. Quod ubi factum eſt, ipſi Magi nè opponere ſe *Moſi* poſſent: adeò graviter afflicti ſunt eo morbo, ut ex aula domum, ulcera ſua omnes curaturi, diſceſſerint. *Hebræos* autem nuſquam attigit ſæva *Ægyptiorum* lues. Quid *Pharao* interim?

A.M. 2513.

5. in pecora ſævientе Lue.

6 Ulcera infeſtant corpora humana.

——Ceu dura ſilex, aut ſtet Marpeſſia cautes;

ità ſuorum tot atque tantis non permovetur malis. Septimâ igitur vice in hominem obduratum animadverſurus, hæc inprimis edici per miniſtros mandaríque Deus vult: "Immanem ejus pervicaciam ſatìs expertum ſe, nec toleraturum ul-"teriùs. Iræ autem omnes laxaturum habenas, ut nullum ſibi uſpiam cognoſcant "eſſe Numen par. Peſte jampridem ſe deleturum fuiſſe regem atque gentem, niſi "quòd eum ſuis quaſi ſagittis ſcopum, & incudem ictibus propoſuerit, ad demon-"ſtrandam *Ægyptiis* virium ſuarum magnitudinem, gloriámque apud omnes gen-"tes illuſtrandam. Jam verò ſi detineat ulteriùs populum ſuum, & impediat cul-"tum, Grandinem ſe demiſſurum cras, cum tonitruis, lambentibúſque terram ig-"nibus, qualia poſt hominum memoriam nunquam eſt *Ægyptus* conſpicata. Qui "ergò ſaperent, in tecta greges & armenta cogerent, in agris peritura. Atque Dei nuncius

7. Ex procelloſo Grandine pernicies pecorum frugúmque.

——Talibus ora
Vera quidem ſolvit, ſed non & credita, verbis.

Pharao enim principéſque tot prodigiis attoniti magìs quàm ad mentem ſaniorem revocati ſunt. Itaque pecudes & ſervos in agris neglectos reliquerunt. Pauci tantùm ſaniores, pœnarum quas jampridem ſuſtinuerant fidem ſequuti, minas Dei exhorruerunt; ſéque propterea domi, ſuáque in tuto collocârunt. Tempore conſtituto *Moſes* baculum extendere jubetur in cœlum. Denſæ protinus nubes cogi, nigreſcere cœlum undique viſum eſt. Tonare mox, & fulgurare, flammâ dubium terribiliore an boatu; immensámque grandinis vim profundere, ignoti *Ægyptiis* mali. Tellus horrifico fragore quaſi meticuloſa tremere; unda turbinibus impulſa furere fugeréque, incerta cœlúmne an inferos peteret. Aër flagrare incendiis alienis, medio die fulguris luce clarior quàm Solis. In igne tamen medio pluit; ſed lapides magìs pluit quàm aquas. Quicquid erat hominum pecorúmve in agris, id omne aut grandinis impetu eſt oppreſſum, aut combuſtum igne. Hordeum atque linum, quod virebat jam, prorſus corruptum; herbæ contuſæ, laceratæ arbores. *Hebræi* tamen, extra omnem noxam poſiti, cœlo interim ſereniſſimo fruebantur. In tanta rerum perturbatione malè ſibi conſcius rex non potuit non exhorreſcere, qui ſuâ hæc omnia fieri causâ, unúmque tot fulminibus noverat peti ſe. Quare ad ſolitum aſylum ſe recipit. A *Moſe* quærit præſidium & *Aarone*, ut quæ vulnus dederat, eadem ſanaret manus. "Peccâſſe fatetur ſe; juſtum Deum, ſe verò impium & po-"pulum ſuum. Orare igitur ut orent Dominum; nè grandine hâc & fulminibus "detineatur ulteriùs in *Ægypto Hebræa* gens, jam jam à ſe dimittenda. Haud ægre *Moſes* promiſit id facturum ſe, "quò *Jehovam* eſſe terræ Dominum, ejúſque "mandatis parére omnia præter unum *Pharaonem*, cognoſcerent. Non ignorare e-"nim ſe prædicabat, regem ſubditóſque nondum aut revereri Deum, aut velle po-"pulum dimittere. Egreſſus igitur aulâ regis, ità precatus eſt ſublatis ad cœlum manibus: "Clementiſſime Deus, ſatis pœnarum hoc tempore, ohe jam ſatis: ex-"audit enim flagelli tui vocem, qui mandati non audivit.

A.M. 2513.

——"*Nunc ô tua fulmina ceſſent,*
"*Summe Deûm:* ——

"ceſſet grandinis importuna vis; ut *Ægyptii* ſciant, tuam eſſe unius Domini terram, juſſúque tuo militare cœlum. Nec mora: his dictis,

Concidunt venti, fugiúntque nubes.

Cœlo redit ſuus nitor, ſuáque terræ Solis lux. *Acencheres*, ubi excuſſam à ſe iterum vidit ſimulatâ pœnitentiâ vindicantis Dei manum, quaſi victoriam adeptus triumphat; eóque magìs obdureſcit homo deploratæ impietatis. Itaque nihil minùs jam cogitat quàm de *Iſraëlitis* dimittendis. Miſſurus iterum ſuos nuncios Deus, monendos inprimis etiam illos putat, nè mirentur ità hæc ſe voluiſſe fieri, obfirmari animum *Pharaoni* atque proceribus regni, *Iſraëlitis* reditum prohiberi. Ideo enim ſe hanc rerum ſeriem decreviſſe, ut cauſam idoneam & opportunam haberet ea publicè patrandi miracula prodigiáque in *Ægypto*, quæ filiis ſuis *Hebræi* nepotibúſque ſeris traderent, unde omnes poſteri certò cognoſcerent eſſe *Jehovam* ſe. Eant ergò & ex rege quærant, "quouſque tandem ſit eluſurus Deum; "quouſque prohibiturus nè diſcedant *Hebræi*, cultúmque ſuo Deo conſtitutum præſtent. Niſi jam pareat atque ſuccumbat, cras denuncient futurum, ut inauditâ "& incredibili catervâ Locuſtarum terra operiatur univerſa, oppleantur domus; "herbæ frugéſque, arborúmque fructus, quicquid grando reliquum fecerit, devorentur. Hæc illi graviter quidem interminati ſunt. Sed & hæc fruſtrá. Rex enim, quaſi, amiſſo conſuetudine malorum ſenſu, callum animo contraxiſſet, ità negligere minas & aſpernari, nec tam malorum percelli metu, quàm rerum novarum deſiderio quodam teneri viſus eſt. Nemo tamen ad has quicquam reſpondit minas. Pertinacia regi ſilentium indixerat; metus aliis, nè irritarent in ſe regis ferociam, quem propoſiti tenaciſſimum videbant. Diſcedentibus ergò Dei legatis, cùm altum eſſet inter principes ſilentium, *Pharaone* fremente, reliquis dolentibus timentibúſque ſuam vicem, graviſſimus ſenatorum his iracundum regem interpellare verbis auſus eſt. "Nè importunus ſim, maxime prudentiſſiméque rex, ſi extra "ordinem, & non rogatus, ea conſuluero in publicum, quæ tuâ populíque tui plurimùm putem intereſſe. Privatum ex nimia dicendi libertate periculum, mihi "longè inferius eſt communi omnium. Meus interitus tuæ publicæque ſalutis "quàm vile pretium foret? quàm & ipſi mihi gratum? Malo perire me vera ſalutariáque dicentem, quàm ſilentio meo patriam aut prodi, aut periclitari. Ingens tibi mancipium ſudat in operibus, utiliſſimúmque nuper, populus *Hebræorum*. "Novum ille ſibi ante paucos dies, *Jehovam* neſcio quem, vereor equidem nè non "mentiatur Deum. Ejus colendi causâ, diſcedendi veniam flagitat in deſertum. Fugam fortaſſe parat in *Canaanitidem*, humano more, ſervitutis pertæſus diuturnæ. "Contrà, nos pro viribus retinere conamur, nè mancipii quæſtuoſiſſimi amittamus fructum. Illi prodigiis contra nos & variis calamitatibus pugnant. Repugnatum eſt à nobis arte magicâ. *Dum viſum eſt mortale malum*, nec aliud eſt "prodigium editum quàm quod & nos imitari potuimus, fraudem ſubeſſe haud immeritò ſuſpicati ſumus, hominum quavis arte laborantium aſſerere in libertatem ſe. Cùm autem ea jam fieri videamus, quibus divinitatem adeſſe Magi fatentur ipſi, ſatíſne piè aut prudenter veris nos opponamus diis, ſeriò animadvertendum cenſeo. Regem *Ægypti* omnes unum omnium eſſe mortalium fatemur "Optimum Maximúmque; &, quantum caduca humanitas capit, Divinum. Quamdiu tamen hanc mortalitatis larvam gerit, tenerum & fragile quiddam gerit, in "quo facilè ac opportunè ſua tela figant dii, ipſi noſtris hominum armis impenetrabiles. Quare

"*Conſilium nè ſperne meum: tibi fama petatur*
"*Inter mortales —— maxima,* ——

"maxime rex. Belligerare cum diis Gigantum more, nè quid gravius dicam, temeritatis profectò plus habet quàm fortitudinis. Qui enim id conatur,

"Νίκης τε ςέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

"Quæ verò nos, Deus bone, quantáque per hos dies hujus populi gratiâ pertulimus? "Majora tamen exſpectamus indies. *Moſes* enim iſte, utinam fallax vates, præteritis

cla-

Et, proceribus regem fruſtrà dehortantibus,

"cladibus graviores minas intonat. Elementa ferè alimentáque amiſimus omnia. A.M. 2513.
"Aqua in ſanguinem verſa & ranas; Terra in pediculos & muſcas. Aër infimus
"fœtore lethali corruptus eſt: paulò ſuperior, grandine armatus & fulminum te-
"lis contra nos dimicabat. Divitiæ *Nili* piſces emortui; herbæ atque fruges, ter-
"renæ opes, grandine, pecora peſte ſublata ſunt. Noſtra etiam de cœlo tacta ſunt
"corpora. Quid exſpectamus ultrà? ut quod reliquum eſt frugum pecudúmque
"amittamus? ut vita nobis animæque ipſæ auferantur? Hactenus nobiſcum leniter
"actum eſt. Qui enim iſta potuit in elementa, in fruges, in pecora, in corpora eti-
"am humana, poteſt idem peſte univerſam delere gentem ſimul, & regionem depo-
"pulari. Quantum verò eſt indè nobis lucri futurum, ſi retineamus ſervos, noſmet-
"ipſos amittamus; & ſuperſtitibus mancipiis domini deſint quibus pareant? Quare
"Deo cedendum, quiſquis ille deorum eſt, *Jehovæ* cenſeo, & ſervos dimittendos, ut
"retineamus alias res, dum aliquid ſupereſt quod retineri poſſit. Cùm hæc *Pharao*
audiviſſet à viro ſummæ autoritatis, remittendum aliquid putavit de priſtina ſeve-
ritate, revocaríque juſſit *Moſen* & *Aaronem*. "Neque verò negare aiebat ſe, quin
"proficiſcantur *Hebræi* ad colendum *Jehovam*. Illud modò ſcire ex illis velle, qui-
"nam eſſent profecturi. Reſpondit *Moſes*, "populum univerſum, viros atque fœ-
"minas, pueros & ancillas, cum gregibus armentíſque omnibus profecturos. Eſſe
"enim ſolenne feſtum *Jehovæ* Deo celebrandum. Iracundior multò ad hæc *Pharao*;
"*Ità vobis adſit* præſidióque ſit *ille veſter Jehova*, inquit, *ut ego vos unà cum liberis*
"*veſtris hinc ſum dimiſſurus*. Næ *vos malè cogitatis*, & ſceleris neſcio quid nefariè
"machinamini huic regno. *Imò viri tantùm ibitis*, *viri coletis Jehovam*. Quid vo-
"bis opus eſt inutili mulierum & puerorum turbâ, nobis obſidum futurâ loco. *Id-*
"*que tantùm eſt à vobis inprimis poſtulatum*. Quod voluiſtis ipſi, & à me petiviſtis,
"concedo. Apagitote. Protinus factâ vi ex aula regia pulſi ejectíque ſunt nuncii
Divini. Ejectos protinus excepit Deus; cúmque *Moſen* juſſiſſet baculum extendere
in omnes *Ægypti* plagas, Subſolano ſpirante, in omnem regionem locuſtæ, quemad- 8. Locuſtæ.
modum erat minatus *Moſes*, catervatim delatæ ſunt, tantâ verò multitudine, ut ne-
que cœlum conſpici poſſet dum volabant, neque terra cùm deſcendiſſent. *Deorum*
iræ, inquit *Plinius*, *ea peſtis creditur*; maximéque omnium regem terruit. Cùm er-
gò videret abſumi quicquid herbarum, frugum fructuúmve grandini ſupererat, do-
mos etiam, villas, urbéſque novis hoſpitibus infeſtari, nec non ipſa hominum & ani-
mantium ſauciari corpora, (*Sapient.* 16.9.) *Moſen* properè accerſit & *Aaronem*, com-
poſitóque ad ſimulandam pœnitentiam vultu, "peccaviſſe fatetur in *Jehovam* ſe, in
"*Jehovæ* legatos peccaviſſe. Etiam atque etiam obſecrare, ut hoc unum ſibi condo-
"nent peccatum *Moſes* & *Aaron*, *Jehovámque* ut precentur Deum hâc unâ vice, hanc
"unam ſibi ut pœnam remittat. Denuo non commiſſurum, ut vel precibus orato-
"rum, vel remiſſione peccatorum ſit opus. Seriò jam videbatur agi res. Suppli-
cante igitur *Moſe*, Favonii ſpiritu ad unam ſunt abactæ omnes locuſtæ, & in Rubro
demerſæ mari. Remiſsâ pœnâ, remiſſa eſt pœnitentia *Pharaonis*. *Canis ad vomi-*
tum, *ſus ad lutum redit*. Paſſus enim eſt Deus, imò fecit quodammodo, ſubtra-
hendo ſuam ingrato gratiam, ut indureſceret homo impius; ut metalla ſolent rigeſce-
re ſuâ vi, ſublato ignis qui liquefecerat calore. Iterum poſtulatur diſceſſus; ite-
rum negatur à *Pharaone*: ut meritò quis dubitet, prodigiáne Dei fuerint, an regis
pertinacia mirabilior. Quare *Moſes* iterum ad pœnas irrogandas ſe parat. Nam,
jubente Deo, cùm extendiſſet manum, Tenebræ occupaverunt *Ægyptum* craſſæ hor- 9. Tenebræ palpabiles.
rificæque. Manibus enim palpari nebulæ potuerunt. At nec ſe homines mutuò
conſpicere aut juvare, neque loco valebant movere ſe, quamvìs torquente fame. Oc-
cultabantur omnia caligine, quæ ipſas faces lampadéſque obſcurabat. (*Sapient.* 17.
5,17.) In *Goſene* tantùm clariſſima lux affulgebat. ——*Solémque ſuum*, *ſua ſi-*
dera nôrunt Iſraëlitæ. Cùm ſibi jam & ſuis adeſſe rex putaret eam noctem quæ
perpetuò eſt omnibus una dormienda, quaſi omnem pudorem, non modò pietatem,
exuiſſet, *Moſen* & *Aaronem*, quos fefellerat eluſerátque toties, iterum accerſi mandat;
quamvìs hoc fortaſſe poſt tenebras diſſipatas factum eſt. Ad *Moſen* verò cùm in au-
lam properaret hæc Deus, "Unam ſibi ait ſupereſſe plagam quâ *Ægyptum* feriat;
"deinde *Pharaonem* non tam dimiſſurum *Iſraëlitas*, quàm vi expulſurum ſuo regno
"univerſos. Cætera deinceps narrat omnia, quæque conſecuta ſunt, quæque *Moſen*
volebat *Pharaoni* prædicere. Poſtquam verò in aulam perveniſſet *Moſes*, "Jam ſe
"concedere quidem, ait rex, ut *Hebræi omnes abeant*, *pueróſque auferant ſecum* &

A.M. 2513.

"mulieres. Velle *pecora tantùm remanere* apud ſe, reditûs futuri pignora. *Imò verò*, inquit *Moſes*, *victimæ nobis ad immolandum concedendæ ſunt*; *abigenda nobis & pecora. Nè una quidem unius pecudis ungula eſt relinquenda. Nec enim eſt cuiquam exploratum, quibus litari victimis oporteat, antequam in deſtinato ſacris loco Deus ipſe nobis indicaverit.* Cùm hæc audiret, præceps iracundiâ ſuíque impotens rex, abire protinus ex aula *Moſen* & abeſſe imperat minaciſſimé. Quippe moriendum eſſe in regis conſpectum redeunti. Quàm fatuæ ſunt hominis furentis minæ? Quaſi verò non alio Deus hominem ferire quàm baculo *Moſis*, neque *Moſes* niſi præſentem poſſet. Libenter ille tamen imperata ſe facturum ſpondet; nec regem poſtea ex eo ſe unquam tempore conſpecturum. Interea tamen hæc illi verbis Dei palàm denunciare: "Nocte hâc mediâ in *Ægyptum* eſſe mediam deſcenſurum *Jehovam*, & quicquid maximum natu ſit, vel in hominum ſobole, vel in gregum fœtu atque armentorum, id omne interempturum. Neque regis parſurum hæredi magis quàm ſervi molitoris in piſtrino. Ejulatu *Ægyptios*, ploratibus clamoribúſque maximis omnia, ſed fruſtrà, turbaturos; tacitis interim atque illæſis omnino *Iſraëlitis*. Tum demum ſe, precibus aulicorum procerum ſupplicibus atque perpetuis fatigatum, cum longa popularium ſuorum pompa quaſi triumphantem ex *Ægypto* profecturum. Cùm hos minarum aculeos in attonitis fixiſſet animis *Ægyptiorum*, facillimus candidiſſimúſque vir, tamen, læsâ toties patientiâ, ex aula ſe plenus irarum proripuit. Summo malorum maximorum metu, cùm non auderent conqueri; planè ſtupebant *Ægyptii*. *Moſis* enim, qui minitabatur hæc, maxima erat jampridem apud populum proceréſque regni autoritas. Poſt tres dies fugatis tenebris, ſuus aëri ſplendor eſt redditus. Ad ultimam ſcilicet graviſſimámque mortis pœnam feſtinabat Deus; cujus in ipſa caligine haud fallax aut inepta erat ſignificatio. Sed antequam puniret *Ægyptios*, inprimis *Hebræorum* ſaluti conſultum eſſe voluit. Convenerat jampridem populus ex omni *Ægypto*, citante *Moſe*, in urbem *Rameſeſum* atque viciniam. Et Principibus gentium inter *Iſraëlitas* per *Moſen* hæc (*Exod.* 12. 1, 2, &c.) mandaverat *Jehova*. Primò, menſem *Abib*, ſive *Niſan*, (*Nehem.* 2. 1.) qui nobis *Martii* eſt *Aprilíſque* pars, in quo perfecta eſt *Hebræorum* libertas, primum ut haberent totius anni, ratione ſacrarum Eccleſiaſticarúmque rerum; eóque magis, ut in eo exſpectarent annum Domini acceptum. (*Luc.* 4. 19. *Eſai.* 61. 2.) Hoc enim Veris menſe, quo refloreſcunt omnia, liberatum eſt genus humanum *Chriſti* morte, cujus *Hebræorum* liberatio figuram nobis exhibebat. (*Joan.* 18. 28.) Sed in civilibus in Autumno menſéque *Septembri* (*Tiſri* vocant *Chaldæi*) annum inchoabant, quo ſolebant priús. (*Exod.* 23. 16. *Lev.* 25. 8, 9, 10. *Joſeph.* Antiq. 1. 4.) *Abib* verò, ſeu menſis *novorum fructuum*, *calamos cum ſpica* ſignificat. Nam hordeum ſpicas jam tum exſerere ſolebat in *Ægypto*. Deinde inſtitutum (*Exod.* 12. 3, 4, &c.) à Deo eſt, ut hujus menſis decimo die, ſingulæ ſibi familiæ *Iſraëlitarum* agnum hœdúmve maſculum, integrum, anniculum, ex gregibus eligerent, Deóque dedicarent; dedicatum immolarent decimo quarto die ſub veſperam. (Tantum eſt temporis præparationi datum, ad novum ſacramentum atque iter longiſſimum.) Immolatum aſſarent igne totum, unà cum pedibus capitéque; oſtii priùs ſuperliminari & poſtibus hyſſopi faſciculo aſperſis agni tincto ſanguine. Aſſatum familiæ ſingulæ ſeparatim cum pane azymo, (*Exod.* 23. 18. & 34. 25.) (gratitudine pietatéque vera,) herbíſque amaris, (priſtinæ conditionis & amaræ ſervitutis quæ monerent, eóque magis pro libertate gratos redderent,) ſuccinctæ veſtibus, calceatæ pedibus, baculo inſtructæ ad iter, ſtantes expeditæ, & quaſi feſtinantes & raptim comederent. Ex periculis enim & *Ægyptiorum* inſidiis erat properandum, & longum in *Canaanitidem* ſuſcipiendum iter. (*Deut.* 16. 3.) Si familia minor agno comedendo non ſufficeret, aliunde, ubi ſupererant, juſtus numerus compleretur. (Mos tandem obtinuit, nè vel pauciores quàm decem, vel plures adeſſent quàm viginti.) Oſſa pecudis nè frangerent. Si quid ſupereſſet cœnæ, unà cum adipe combureretur. (*Exod.* 23. 18. *Lev.* 3. 14, 15, 16.) Nè quid in craſtinum reponerent; nè quid foras efferrent. Peregrini, niſi præputiis & ſuis & ſuorum reſectis, nè ad cœnam vocarentur. Denique, hujus convivii participes ante aurôram nè exirent ædibus. Hoc autem ſacrum *Jehovæ Paſcha* dicendum, id eſt, *Tranſitum*. Eâ enim nocte tranſiturum ſe per omnem *Ægyptum*; maximos natu ex liberis in ſingulis perempturum familiis, nec non in pecudum fœtu. Deos etiam proculcaturum *Ægyptiacos*. (*Num.* 33. 4.) Agnorum verò ſanguine in *Hebræorum* foribus conſpecto, tranſiturum ſe, atque illis parſurum ædibus. Neque ſemel

Poſtremò, minitante rege, minitatur & *Moſes*.

Inſtitutâ verò

ſemel tantùm hæc eſſe peragenda ſacra, ſed annis in *Canaanitide* ſingulis repetenda in æternum; quò miraculorum beneficiorúmque tantorum grata perpetuò recoleretur memoria, liberíſque traderetur per manus. A.M. 2513.

Cùm hæc *Iſraëlitarum* Principibus à Deo tradidiſſet *Moſes*, illi capitibus inclinatis venerati ſunt, fidelibus gratíſque animis amplexi quæ audiverant. Quin & promptè ſunt exſecuti quæ per *Moſen* & *Aaronem* conſtituerat Deus. Sed in his animadvertendum Sacris, multa imperata eſſe factáque jam in *Ægypto*, quæ poſtea in *Canaanitide* minùs habebantur neceſſaria. Nec enim in ſua quiſque domo convivabatur, ſed in eadem urbe omnes, ubi Templum Arcáve Dei collocabatur, (*Deut.* 16. 5, 6, 7.) immolantibus agnum *Levitis* & ſacerdotibus, (2 *Chron.*35.11.) in Templi atrio vel Tabernaculi. Nec decimo die menſis electus atque dedicatus eſt agnus; non poſtes aſperſi ſanguine: non calceati, ſuccincti, ſtantes, aut feſtinantes cum baculis edebant; ſed vel ſedentes, vel recumbentes; quo ſe jam quieſcere ſecuros, non timere, non fugere, docerent. Nec hœdos poſtea in his Sacris adhibitos putat *Junius*, verùm agnos tantùm, ad *Chriſtum* ſignificandum aptiores. Denique, non totâ nocte ſe in ædibus continebant: (quod primæ noctis periculo tributum eſt.) Additum eſt à *Judæis* poſtea pani azymo atque herbis condimentum craſſum, quod *Charoſeth* vocabant; additæ ceremoniæ ad pueros maximè inſtituendos. (*Exod.* 12. 26, 27.) Addita etiam Sacra ex armentis gregibúſve Euchariſtica. (*Deut.* 16. 2.) Sed præcipuè notandum, ſacras Paſchalis agni ceremonias non minùs ea ſignificare quæ *Chriſtum* venturum ſpectabant, quàm quæ *Iſraëlitas* hoc tempore. Liberatio enim peculiaris Deo populi à ſervitute ac dominio *Pharaonis* per *Moſen*, jam tum præmonſtrabat figurâ quadam credentium hominum à peccato redemptionem & Diabolo per *Chriſtum*. Is enim *agnus Dei qui tollit peccata mundi.* (*Joan.*1.29. *Eſai.*53.7.) Is *agnus immolatus ab initio rerum.* (*Apocal.* 13.8.) *Chriſtus Paſcha noſtrum occiſum pro nobis.* (1 *Cor.* 5. 7.) Maſculus; robore virili præditus, ad hoſtes debellandos generis humani. (*Eſai.*53.12. *Pſal.*68.11, &c. *Pſal.* 2.9.) *Integer & immaculatus:* (1 *Pet.*1.19. & 2.22.) unus omnium ſine peccato. (*Heb.*4.15.) Ex reliquo grege ſive populo *Judæorum* electus: Homo enim ſimilis erat nobis in omnibus. (*Heb.*4.15.) Quarto die, id eſt, quarto prædicationis anno, & quarto poſtquam ingreſſus *Hieroſolymam* eſt die; ſub mundi veſperam, diebus ultimis, (*Heb.*1.2. & 9.26. 1 *Pet.*1.19, 20. *Gal.*4.4.) ſub veſperam diei, horâ nonâ, immolatus. (*Matt.*27. 46, 50.) Sanguine ſuo per Spiritum, (*Pſal.*51.10, &c. 1 *Pet.*1.2.) per prædicationem verbi & ſacramenta, aſpergens Eccleſiam & fidelium animos, atque purgans, ut per faſciculum hyſſopi, (*Heb.*9.13, 14. *Eſai.*53.) in ſingulis familiis, hoc eſt, particulari. (*Joan.*20.28.) Manducandus fide; (*Joan.*6.55, 56.) non niſi à circumciſis, id eſt, baptiſmo initiatis, quorum corda ſunt circumciſa: (*Rom.* 2. 29.) totus; Integra doctrina *Chriſti* tenenda eſt: (1 *Cor.* 1. 13, 30. *Gal.* 2. 20.) *cum pane azymo* (1 *Cor.* 5. 8.) *veræ* ſanctitatis *integræ*que; & herbis acerbis, inter mala & ærumnas hujus vitæ; (*Col.* 1. 24. *Phil.* 3. 10. *Lament.* 3. 15.) cúmque animo contrito & conſcientiæ terroribus à ſenſu iræ Divinæ, nec non memori etiam ſervitutis amaræ ſub Diabolo & peccato. Aſſatus igne Spiritûs Dei, (*Matt.*3.11.) per quem *Chriſtus* oblatus; (*Heb.*9.14.) & iræ Divinæ aſſatus igne. (*Gal.* 3. 13. *Jerem.*4.4. *Lament.*1.13. & 2.4.) A ſuccinctis & calceatis, &c. quaſi feſtinantibus in cœlum comedendus. (1 *Pet.* 1. 13. *Eph.* 6. 14. *Eſai.* 11. 5. *Prov.* 31. 17.) Peregrinamur enim hîc. Terrenam civitatem non habemus, cœleſtem quærimus. Hoc vitæ præſentis die; ut nihil reponatur, neque differatur fides in craſtinum futuræ. (*Pſal.* 30. 5. *Eſai.* 17. 14. 2 *Reg.* 19. 35.) Denique, nullum ejus frangendum eſt os. (*Joan.*19.33.) Quæ huc omnia ſpectant, ut tranſeat Angelus iráque Dei, neque mortem nobis inferat. (1 *Cor.* 15. 55, 57.)

Celebratâque cœnâ Paſchali,

Quare ſacramentum hoc non minùs olim *Hebræis* in *Chriſtum* poſtea immolandum faciebat fidem, quàm nobis in immolatum confirmat; neque minùs virtutem illis & beneficia *Chriſti* obſignabat, quàm nobis Dominica Cœna. Omnes enim eandem eſcam ſpiritualem ederunt, &c. (1 *Cor.*10.4. *Apoc.*13.8. *Heb.*10.14. & 13.8. *Act.*4.12.)

Iſraëlitæ, jam Paſchali convivio ſaturi & expediti, multâ nocte profectionem exſpectabant. Proceres aulici etiam pervigiles ejus noctis pericula obſervabant, quæ nimis verax in cæteris malis prædixerat Vates *Moſes*. Alios, nihil ſuſpicantes mali,

mediâ nocte ſublati *Ægyptiis* primogeniti; quæ Plaga erat 10.

A.M. 2513. li, ſomnus vinctos & quies tenuit: cùm repentè gemitus audiuntur hominum ſubito & peracuto aliquo morbo laborantium; & mox, antequam de remediis cogitari potuit, horrifici & inconditi ſtridores exhalantium invitas animas adoleſcentum. Suſcitantur undique parentes familiarum, diſcurrunt, perſtrepunt, tumultuantur; ſed nihil proficiunt. Nulla eſt enim per *Ægyptum* univerſam domus expers funeris; nulla ubi non ſit extinctus hæres, ipſe flos & ſpes familiæ. Quantis hîc parentum clamoribus verberatur cœlum, quaſi conſcium tanti mali? quantis mulierum planctibus ejulatibúſque perſonant omnia? Ipſe rex clade domeſticâ penè fractùs, qui ſubditorum calamitatibus antè flecti non potuit, proceres & ſenatores delegat, qui ad *Moſen* quàm celerrimè deſcendant & *Aaronem*, qui concedant omnia quæcunque optata ſunt, diſcedere omnes, cum liberis, cum gregibus & armentis etiam diſcedere, modò properè feſtinent, ſibíque abeuntes precentur bene. His adduntur ſupplices humillimæque preces, & inſtantis populi urgentíſque importuni fletus. "Ab *Hebræis* aiebant vi detentis ortum eſſe hoc malum: ab iis di-"miſſis petendum ſibi remedium. Induciæ quidem ſunt malorum, inquiunt, ex-"igui temporis; adhuc vivimus nos:

Deinde cum vi magìs quàm veniâ

"*Hæc quoque adhuc vitæ non eſt fiducia noſtræ*
"*Certa ſatis.*———

"Moriendum eſt pariter omnibus,——*niſi cauſa morbi Fugerit venis*; niſi ex regni pe-"netralibus evomantur iſti lethales inquilini. Tandem exorati Vates Dei, concedunt ſe id facturos, quod ipſi toties fruſtrà petiverant ut liceret ſibi facere. Sub auroram ſex ferè virorum pedibus incedebant centena millia, præter pueros, ingentémque peregrinorum ſe permiſcentium turbam. Armati verò aciéque ordinatâ & ſignis diſcedebant explicatis, (ut quibuſdam videtur,) non fugientium, ſed planè triumphantium ritu. Quòd ſi viri ad militiam idonei, ſi numerentur, in gente aliqua duas è quinque partes non ſuperent, (ut qui periti ſunt harum rerum æſtimant;) univerſæ multitudinis quindecim fuiſſe millia centena conſtat, præter maximam frequentiam Proſelytorum. Ingentes ſimul opes auferebant, pecudum greges & armenta, variorúmque generum animalia. Mutuò etiam à vicinis libentiſſimis reddituri nunquam accepêre gemmas, monilia, inaures, veſtéſque pretioſas, & aurea argenteáque ornamenta; (*Gen.* 15. 14.) quò feſtum *Jehovæ* magnificentius celebrarent. Id enim antè per *Moſen* Deus monuerat. Ità quidem *Ægyptii* ſuis maximis divitiis, autore Deo cujus omnia ſunt, optimo jure legitimóque furto ſpoliati ſunt. Et ipſis multò præſtabilius videbatur, ut *Hebræis* abeuntibus quæ poſcebant victuri darent, quàm ut permanentibus morituri omnia relinquerent. Nec non *Iſraëlitis* debebatur hæc operum tantorum laborúmque merces. Ab urbe quam incolebant *Rameſéſo*, quò & aliunde omnes convenerant, ad *Succothas*, locum à tentoriis primis appellatum, primo profecti ſunt die. Tantâ verò feſtinatione diſceſſum eſt, magno id conatu agentibus & urgentibus *Ægyptiis*, ut farinæ fermentum commiſcere non licuerit. Azymo enim in cœna Paſchali pane ſunt epulati. Quare & azymos primo ſibi panes coxerunt die, poſtquam ſunt ingreſſi novum hoc iter, ex ea ſcilicet quam geſtabant humeris farina. Elapſi jam quadringenti ac triginta ſunt anni, ex quo primùm eſt *Abrahamus* peregrinatus in *Ægypto*. *Iſraëlitarum* in *Ægypto* peregrinationi videtur id temporis *Moſes* tribuere. (*Exod.* 12. 40.) Verùm de facto fœdere cum *Abrahamo*, (*Gen.* 12. 1, &c.) quo anno & in *Ægyptum* deſcendit cum familia, S. *Paulus* id temporis interpretatus eſt. (*Gal.* 3. 17.)

emittuntur ex Ægypto Hebræi.

Primogeniti Hebræorum à Deo ſervati Deo dedicati:

§ 17. Poſtquam hæc ſunt geſta, Deus & memoriæ rerum tantarum, nè unquam intercideret, hominúmque nè quando deficeret gratitudini, legibus quibuſdam conſulendum putavit. Primò, cædis in *Ægyptios* perpetratæ, ſalutis verò *Iſraëlitis* præſtitæ, ut perpetua eſſet recordatio, (præter celebrationem Paſchatis,) conſtituit per *Moſen*, maſculi omnes primogeniti ut ſibi dedicarentur, (*Exod.* 13. 2, 12, &c. & 22. 29, 30. & 34. 19, 20. *Levit.* 27. 26. *Deuter.* 15. 19, 20.) ſacri Deo, tam ex hominum ſobole, quàm ex pecorum fœtu. Homines animaliáque immunda ut redimerentur poſt unum menſem ſiclis argenti maximis quinque. (*Numer.* 18. 15, 16.) Pecora munda, modò integra, ut comedenda in urbe ſacra (*Deut.* 15. 20, &c.) traderentur ſacerdoti, ſanguine tantùm ſuper altare ſparſo, & combuſto adipe: mutila verò & vitioſa ubivis comedenda. Neque verò hæc niſi

poſt

poſt diem ab ortu ſeptimum: (*Exod.* 22.30. *Lev.* 22.27.) vel quòd antè non eſſent ad cibum ſatis matura; vel ut hoc ſpatio temporis præteriret Sabbatum, quod luſtraret atque ſanciret naturâ ſuâ profanas res. Ità videntur *Judæi* tradere. (*Maimon.* de Cibis illicit. 4. ſect. 4.) Neque verò ipſi hominum partus ante octavum diem amputatis erant præputiis Deo conſecrati. Aſinis tantùm, qui minimi erant valoris, niſi agno mutarentur, (*Exod.* 13.13. & 34.20.) ut frangerentur gulæ conſtitutum eſt. Deinde, liberationis magnificæ atque diſceſſûs ex *Ægypto* æternum eſſe monumentum juſſit Feſtum *Azymorum*, quod Paſchate perfunctis erat ſeptem diebus continuò celebrandum quotannis, à decimo quarto die primi menſis, ad vigeſimi primi veſperam, (*Exod.* 13.3,6,7. *Deut.* 16.3,4.) Nam tanta erat feſtinatio cùm diſcederent, ut tempus defuerit ad farinam fermentandam. Itaque fermentum per hos feſti dies nè in ædibus fuit tolerandum. Quòd ſi quis poſtea, *Canaanitide* ſubactâ, vel *Hebræus* vel inquilinus, fermentatum quid comederet, mortis ei pœna erat ſubeunda, vel exſpectanda potiùs à Deo; quaſi pro ſalute per *Moſen* ingrato, per *Chriſtum* parta incredulo. Primus è ſeptem illis atque ultimus dies, uterque fuit ſacer habendus, & cultui Divino conventibúſque publicis conſecrandus. (*Lev.* 23.7, 8.) Nihil in his operum ſervilium fieri licebat, niſi quantum ad cibos apparandos videbatur neceſſarium. (*Lev.* 23.7, 8.) Reliqui etiam ſacrificiis honorandi. (*Lev.* 23. 8. & *Num.* 28. 18, 19, &c.) Septem verò dies huic dabantur feſto, quia non ante ſeptimum exercitus *Ægyptiorum* ſubmerſus, & *Hebræorum* perfecta eſt libertas. Itaque primus atque ſeptimus dies reliquis erant celebriores. Illud hoc in loco paucis monendum, Azymorum aliquando feſtum ſub nomine Paſchatis contineri, eò quòd alterum cum altero proximè cohæreat & conjungatur. Ut apud *Lucam* Evangeliſtam, (cap. 22. 1.) *Feſtum appropinquabat Azymorum, quod Paſcha dicitur*; & *Actor.* 12. 3,4. *Deuter.* 16. 2,3. Primus Azymorum dies feſtum Paſchatis. (*Num.* 28.16,17.) Diverſa tamen ſunt non ſignificatione minùs quàm tempore. Nam in Paſchate beneficium celebrabant Dei, Angelíque vindicis ab *Iſraëlitis* per omnem *Ægyptum* tranſeuntis: in Azymis verò liberationem ſuam atque diſceſſum ex *Ægypto* recordabantur. Magnâ ſolicitudine poſtea *Judæi*, (*Buxtorf.* Synagog. *Judaïc.* cap. 12.) & fortaſſe nimiâ in minimis rebus, hoc celebraturi feſtum, paucis antè diebus purgabant omnia vaſa, nè quid fermenti adhæreſceret; inveſtigabant & perſcrutabantur quoque latebras ædium ipsáſque rimas, accensâ per noctem cereâ. Deinde, ſi quid reperiſſent, flammis ante meridiem dabant. Poſtremò, tam id quod latebat quàm id quod inventum erat exſecrabantur. Quantò laudabilior hæc, ſi in perſcrutandis purgandíſque ſe diligentiam adhibuiſſent? Neque certis modò temporibus commemorare oportebat hæc Divina opera, ſed etiam chartulis inſcribere, (*Phylacteria* vocabant *Judæi*,) quas ad manus & frontem ſibi obligarent, nec non ad poſtes atque fores ædium. (*Deut.* 6.8,9.) *Judæis* poſtea mos ſincipiti apponere Phylacteria & brachio ſiniſtro, tempore diurno profeſtíſque tantùm diebus, tum maximè cùm erant ſacris & orationi operam daturi. Nam his opinabantur aliquam ineſſe vim colligendi confirmandíque animos, nè aliò inter precandum avocati atque diſtracti vagarentur. Sed & his *Jehovæ* Dei ſe profiteri cultum palàm oſtentabant. Ad poſteros etiam propaganda erant hæc, & à parentibus tradenda inculcandáque ſuis liberis, utcunque ſe dabat res. Jam verò ſeptem illi dies in quibus omne fermentum prohibebatur, ut eſt numerus completus, quo in mundo creando uſus eſt Deus, ità omnem religioſi hominis vitam deſignabat; quæ, ut primùm is à *Pharaone* ac *Ægyptiis*, hoc eſt, à Satana, eſt liberatus, animarúmque hoſtibus, (quod Paſchate celebratur,) ſancta eſſe debet *azymis integræ veræque pietatis*. (1 *Cor.* 5.8.) Fermentum enim tum corruptam fidei doctrinam erroréſque ſignificabat: (*Matt.* 16.6,12.) tum vitia, moréſque vel palàm depravatos; (1 *Cor.* 5.8.) vel quodam religionis fuco mentientes pietatem, ut in *Phariſæis*. (*Luc.* 12.1.) Ab his igitur piis omnibus per omnem eſſe vitam abſtinendum, hoc nos myſterium docet. Sed altera ceremonia conſecrandi ac redimendi quæcunque primò eſſent ſibi genita, commonefecit, primò, Dei eſſe hominum quæ videntur omnia, vel quòd omnia nobis det, eo benedicente nata, fœcundante aucta; vel quòd ſuum Filium, non modò primum, (*Coloſſ.* 1.15,17,18. *Heb.* 1.5,6. *Matt.* 1.25.) ſed & unicum, eſſet daturus nobis, offerendum Patri, mactandum, & ſanguine ſuo perſoluturum libertatis pretium atque ſalutis humanæ, (*Coloſſ.* 1.14.) Deinde verò ſignificabat, Eccleſiam, *cœtum* (ut appellatur *Hebr.* 12.23.

A.M. 2513.

& feſtum inſtituitur Azymorum ad memoriam exodi recolendam.

12.23. *Exod.* 4. 22.) *primogenitorum*, *Chriſti* redemptam ſanguine, (1 *Pet.*1.18,19.) ſanctam eſſe debere atque ſacram Deo. (*Rom.*6.13,19,22. & 12.1.)

A.M. 2513.

A Succothis Iſraëlitæ Ethamum perveniunt:

§ 18. A *Succothis Iſraëlitæ* tertiis caſtris ad *Ethamum*, in ipſis deſerti finibus, pervenerunt. Octo ferè milliarium id iter fuit. Nam per deſertum in *Canaanæam* via tutior videbatur, etſi brevior multò per *Caſſiotin* & *Palæſtinam*. Sed verendum fuit, ſi armata occurreret bellicoſa gens *Palæſtinorum*, & prohiberet illic tranſitum, nè *Hebræi* perterriti refugerent in *Ægyptum*, itinere facili, & ultro ſe in eam redderent ſervitutem, unde modò tantâ vindicati ſunt operâ. Suorum imbecillitati benignus pater, nec ſatìs adultæ adhuc fidei, conſulere maluit, nè ſupra vires tentarentur, (1 *Cor.*10.13.) & in ipſo exitu debilitarentur metu. Animos enim longâ ſervitute fractos & enervatos, quævis objecta periculi facies conſternabat facillimè. At nec pietas *Hebræorum* adhuc ſatìs matura, nec impietas *Canaanæorum* videbatur, ut vel hi ejicerentur patriâ, vel iſti donarentur hæreditatis alienæ præmio. Per deſerta igitur vicina Rubro mari Deus maluit deducere, ac probare purgaréque populum, pravâ *Ægyptiorum* conſuetudine corruptum, (*Deut.*8.2.) præcedens ipſe in columna quadam nubis obſcura dum lucebat Sol, obumbrantéque populum; per tenebras verò nocturnas igneâ & prælucente. Nec oblitus eſt *Moſes Joſephi* oſſa, quod jurati promiſerant *Iſraëlitæ* ſe facturos, ex *Ægypto* ſecum abducere, in *Canaanæa* tumulóque majorum ſepelienda. Aliorum quoque fratrum reliquias *Hebronem* à nepotibus relatas, autor eſt *Joſephus*.

Indè Pihahiroth;

Ethamo, unde recta & facilis ducebat in deſertum via, imperavit Deus tamen removeri quarta caſtra ad *Pihahiroth*, hoc eſt, tranſitum per anguſtias montium *Hiroth*, (*Num.*33.7.) ad ſinum ducentes *Arabicum*, è regione *Baal-zephonis*, inter *Migdol* oppidum atque Rubrum mare. Ità enim dixit fore, ut *Ægyptiorum* rex, pertinaciâ ſolitâ indureſcens, quaſi concluſos arenis *Hebræos*, & inviis ſolitudinibus irretitos, armis perſequeretur; gloriam verò in rege exercitúque delendo conſequeretur Deus. Ità demum, eſſe *Jehovam* ſe, *Ægyptiis* exploratùm fore, triſtiſſimâ ſuorum & ſupremâ clade. Ac fortaſſe hoc obliquo & marino itinere voluit etiam Deus, ut viam haberent minùs notam & expeditam, ſi quando leviſſima gens de reditu in *Ægyptum* cogitaret. Septimo decimóque die ſexdecim ferè millia páſſuum peragraverunt *Iſraëlitæ*. Proximo feſſi, opinor, quieſcebant. A ſiniſtra illis & *Borea* ſtabant in longum porrecti montes *Ethami*; *Baal-zephonis* à Meridie dextrâque. *Climax Oroſio* hic dicitur, adeò præceps mons, ut gradibus fuerit opus vel ſcalis, quibus in eum aſcenderetur. Templum in ſummo erat *Baali* ſacratum. *Speculæ dominum Baal-zephon* ſignificat. Cùm igitur *Hebræos* fugere nunciatum eſſet *Pharaoni*, (ſummâ enim feſtinatione properaverant ab *Ethamo*,) pœnitebat regem aulicóſque proceres, mancipia tam fructuoſa temere ſe dimiſiſſe; ac ceſſiſſe pudebat invitos dominos, quaſi victos & coactos, ſpoliáque ſervis triumphantibus opima tradidiſſe. Quare omnes equos, & currus omnes, ſexcentos verò præcipuos, in quibus maxima & belli vis, & ſpes erat ſita victoriæ, protinus expediunt. Nam in illis temporibus, & curribus falcatis præliari mos ferebat, & eos in promptu ſemper & paratos habere diſciplina militaris poſcebat. Ac fortaſſe cùm *Hebræos* undique *Rameſeſum* coire animadvertebant, *Ægyptii* exercitum quoque ſibi expediendum putabant, nè quid reſpub. detrimenti caperet. Ad arma conclamant undique, ad arma; quantóque poſſunt impetu perſequuntur ſervos fugitivos. *Joſephus* quidem (Antiquit.1.) 50 equitum, 200 peditum ſcribit fuiſſe millia. De peditibus minimè videtur credibile, qui nec in Sacris Literis memorantur, nec paſſibus æquis comitari properantes equites potuerunt. *Hebræos* noverant ſervos eſſe magìs robuſtos, quàm fortes milites. Itaque certam ſpe devorabant victoriam. Ut *Ægyptios Hebræi* ſub veſperam conſpexerunt, ad ſuum armatos & properantes & appropinquantes interitum, in ſummis poſiti anguſtiis, facilè produnt qui ſint, & in ipſis initiis, qui futuri ſint ipsâ re non minùs quàm verbis indicant. Trepidare primò; mox ſummis cum clamoribus invocare *Jehovam*, quem tantopere *Moſes* prædicaverat. *Moſen* verò ipſum contumeliis omnibus atque convitiis proſcindere innocentem. "*Hoc eſt*, inquiunt, *quod prædiximus*, quódque metuimus futurum, ut ex "*Ægypto* ad certum evocaremur exitium. Nonne ſæpius te monuimus jampridem, "ut *quietâ* potiùs *ſervitute frui paterere nos*, quàm inſidioſæ noxiæque libertatis "periculum facere? *Deteriórne ſervitutis conditio eſt*, *quàm cædis atque interitûs in* "*deſerto? Tumuli fortaſſe deerant in Ægypto*; *in* vaſtas *proinde ſolitudines produxiſti*

quò obſtinatus rex cum exercitu perſequitur.

iſti

"*iſti nos*, prædam feris factûros, & in earum viſceribus condituros ſepulchra. *Moſes*, quaſi nihil audiret ex his, ut metum adimeret, animóſque faceret populo majores, "*Ne quid*, inquit, populares mei, aut equi vos, aut currus *terreant Ægyptiorum. Exſpectate quieti modò, & ſpectate* opera mirabilia *Jehovæ* veſtram pro-"pugnantis *ſalutem. Quos enim nunc videtis Ægyptios* perſequentes vos, *non eſtis* "*poſthac in æternum viſuri.* Interibunt, evaneſcent, delebuntur univerſi, & in ba-"rathro aquarum ſepelientur profundiſſimo. Neque veſtris erit opus gladiis cly-"peíſve. *Dominus pugnabit* unus, modò *vos interea linguis animíſque faveatis.* Spiritu jam vehementer & obnixè precabatur *Moſes*; linguâ etiam oraturus, cùm interpellat Deus jampridem exoratus, "*Quid*, inquit, *clamas tantopere, invocáſque me?* "*Iſraëlitis edicito ut progrediantur. Tu, ſublato extensòque baculo, divide* medium hoc "*mare, ut ſiccus fiat popularibus tuis*, tui ſolius gratiâ, *tranſitus. Ego efficiam ut ob-*"*ſtinatus vos perſequatur* cum exercitu rex, ut meritas tandem ſuæ pervicaciæ pœnas "luat, *meámque augeat* ſuo interitu *gloriam.* Hæc fatus Dei Angelus, tranſtulit nubis columnam, ut quæ modò præibat, ſubſequeretur, & *Hebræos* ab *Ægyptiis* ſepararet. His enim nube tenebras offundebat, illis verò lucem coruſcante igni præbuit; ità ut hi quidem illos totâ non ſint nocte conſequuti aut conſpicati. Tum verò *Moſe*, quod imperatum eſt, extendente baculum, ſpirans vehementer Subſolanus aquas diſcidit atque perrupit Rubri maris, & ſiccum iter patefecit. Quare muri ſtabant utrinque *Iſraëlitis* erectæ dum pertranſibant aquæ, minimè id fortaſſe advertentibus per tenebras *Ægyptiis.* Subſequebatur enim exercitus *Ægyptiorum*, & in littore ſentiebat, *Hebræos* impunè progreſſos in mare. Progredientes nè cernerent, caligo nubis obſtitit. Rei miraculo inprimis attoniti ſtupebant. Mox pertinacia regis, fato ſuo jam proxima, ſtuporem excuſſit militibus præcipiti audaciâ: "Se-"quimini, ait, milites. Nuſquam dominis clauſum eſt, ubi patet mancipiis iter. Ità pergit ac properat quantum poteſt: & in medium ferè jam delatus eſt mare; cùm ex nube ſub auroram Deus intonare (*Pſal.* 77. 17, 18.) cœpit & fulgurare, denſíſque imbribus morari properantes currus; quibus rotæ quoque mox ablatæ ſunt divinitus, ut in via partim ſaxis aſpera, partim limo & arenis impedita, ægerrimè traherentur. Quaſi panico igitur terrore incuſſo, conturbati & tumultuantes *Ægyptii*, de fuga omnes cogitare; terga vertere, conqueri palàm, *Jehovam Iſraëlitis* opitulari, adverſari *Ægyptiis:* cùm baculum tollere, & aquas marinas revocare unde diſceſſerant, juſſus eſt *Moſes.* Illæ protinus cum horriſono boatu redeunt, *Ægyptióſque* fugientes invadunt, obruunt, extinguunt univerſos, nè cladis quidem nuncio ſuperſtite. *Oroſius* (lib. 1. 10.) exſtare ait etiam nunc certiſſima horum monumenta geſtorum. Nam tractus curruum rotarúmque orbitæ non ſolùm in littore, ſed etiam in profundo, quouſque viſus admittitur, pervidentur, &c. Quæ ſi cui libeat credere, per me licet. In littus adverſum *Iſraëlitæ* jamdudum evaſerant, & extra omne periculum poſiti, cadavera *Ægyptiorum* in arenam ejecta contemplati ſunt. Nec id pleriſque malè ſibi conſciis tam gaudio, quàm terrori fuit. Eo igitur ſpectaculo in poſterum cautiores plerique magìs reveriti ſunt *Jehovam*, & cùm in ipſum Deum tum in ejus miniſtrum crediderunt *Moſen.* Arma quoque mortuorum *Joſephus* refert collecta, & diſtributa fuiſſe viritim. His enim vel maximè opus futurum, minimè latebat *Moſen.* Submerſo vetere, novo *Ægyptiis* rege opus fuit. *Acencheres* alter imperio potitur, quem *Græci* videntur *Belum* vocare, *Libyæ* ſive *Acencheres* reginæ filium, *Epaphi* nepotem, qui annos regnavit 12 & menſes 3.

A. M. 2513.

Sed ambulantibus per fundum *Iſraëlitis* in ſicco,

Ægyptii obruuntur in profundo maris *Erythræi:*

§ 19. Quatuor ferè milliarium hic tranſitus fuit. Sinus autem ipſe per quem factus eſt, ab oceano Meridionali, inter *Arabias* ab Oriente, ab Occidente verò *Æthiopiam* & *Ægyptum*, ad Septentriones longiſſimè penetrat, millies & quadringenties ferè mille paſſus; latitudine, ubi primò inſinuat ſe, non niſi milliarium duodecim, ubi latiſſimè patet, ducentorum. In duos ad Septentrionem ſinus diffinditur; quorum alter, qui ad Orientem ſpectat, brevior, *Elaniticus* dicitur, ab urbe quam *Græci Elanam, Eziongabar Hebræi* vocant, (ut aliqui cenſent:) alter ab Occidente ſinus, longior multò, *Heröopoliticus*, ab *Heröo* appellatur, quam *Sues* urbem hoc tempore nominant. Hic porrigitur octogenis paſſuum ferè millibus, novem tantùm latus, ad extremum quaternis minor. Per has anguſtias iter *Hebræis* fuit. Maris autem quod *Græci Erythræum* vocant, (& *Erythrum* nonnulli,) *Rubrum Latini*, pars tantùm habetur apud veteres Geographos ſinus hic *Arabicus.* Nam & ſinus *Perſicus*, & quod *Arabiam* alluit à Meridie, *Erythræum* eſt mare. Verùm hòc unde ſit ortum

de cujus nomine quæritur:

A.M. 2513.

tum nomen, in ambiguo poſitum, vel potiùs in obſcuro videtur. Nec enim deſunt diverſa opinionum experimenta, certum verò nihil. Aliqui à littoribus per 180 paſſuum millia, ab arenis etiam lapidibúſque in fundo rubeſcentibus, & ſuum in aquas transfundentibus colorem, id nominis contractum volunt (*Joan. di Caſtro.*) Ut vera ſint quæ de littorum, lapidum, arenarum rubedine nunciantur; nihil tamen hæc ad nominis originem faciunt. Ut nec illud *Varronis*, qui affirmat in littore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oves biberint, mutent vellerum qualitatem, ut, antea candidæ, rubro poſtmodum nigreſcant colore. Primum enim fuit Ἐρυθραῖον à *Græcis* nomen. Ex prava ejus interpretatione *Rubrum* à *Latinis* dictum eſt. Nam ἐρυθρὸς *rubrum* ſignificat. Ἐρυθραῖος poſſeſſivum eſt, à proprio quodam *Erythra* ſive *Erythras* nomine deductum. A colore igitur non eſt petenda hujus nominis ratio. Præterea, littorum is & arenarum color ſinui *Perſico* & *Arabico* fortaſſe oceano minùs convenit, quæ tamen *Erythræi* maris nomen complectitur, ut alibi demonſtratum eſt. *Græci Erythrum*, ſive *Erythram*, quendam fingebant, *Perſei* & *Andromedæ* filium, ad ſinum *Perſicum* in quadam inſula ſepultum. *Ogyrin Plinius* (lib. 6. 28.) atque *Dionyſius* Geographus appellant; *Organam Ptolemæus*; (Geograph. 6. 7.) *Tyrinam Strabo.* (Geograph. 16.) Sed fabulis tantùm *Græcanicis* debetur hoc maris à filio, quemadmodum proximæ regionis *Perſiæ* nomen à *Perſeo* patre. Suos enim *Græci*, vaniſſima gens, colonos & *Perſas* & *Medos* volunt eſſe. Maximè probabilem fateor, ſi quid hîc probabile ſit, aut maximè ingenioſam certè, *Joſ. Scaligeri*, (Caſtigat. in *Feſtum*,) deinde *Nic. Fulleri* conjecturam, ab *Edomo*, ſignificante *rufum*, hujus accola maris, ejus poſteros *Idumæum*, vel *Phœnices* atque *Hebræos* poſt longinquam in eo *Solomonis* navigationem, appellâſſe. Deinde à *Græcis Erythræum* pari ſignificatione nuncupatum, *Phœnices* imitantibus atque *Hebræos*. Sed neque ratio hæc *Perſicum* ſinum *Arabicùm*ve pelagus attingit.

Epinicion *Hebræi* canunt

§ 20. *Moſes Iſraëlitæ*que viri, maximis defuncti periculis, in laudes & gratias effuſi, Epinicia cecinerunt Liberatori Deo. Neque ſilentio diſſimulandum putavit tantum gaudium ſexus muliebris. *Aaronis* enim ſoror *Maria* Vates, aliæque fœminæ, cum tympanis & choreis tripudiabant, certíſque etiam vicibus reſponſabant viris, & repetebant ſæpius quod erat cantici caput.

Laudes voraci ex æquore ſoſpites
Cantate Domini magnificas Dei;
Io triumphat: nam profundo
Merſit equos equitémque ponto.

omnium quæ literis memorantur cantico primo;

Primus hic in laudes Dei canitur Hymnus eorum omnium qui plurimi & pulcherrimi deſcribuntur in Sacris Literis: omnibus prior Odis aliarum gentium, de quibus Veterûm ſcripta meminerunt; niſi *Maneron Ægyptiacam*, *Linúm*ve cantilenam in *Crotopi Argivi* parvulum nepotem, (modò in eum facta ſit,) vetuſtiorem putemus, de quibus A. M. 2502. Sed quâ oratione ſcriptus hic ſit Hymnus, ſolutâne & proſaïcâ, an metricâ & ligatâ pedibus numeríſque, ità ut hoc omnium quæ nota ſunt primum Poëma ſit lyricum, primúſque Poëta *Moſes* haberi debeat, viris inter ſe doctis non ſatìs convenit; imò an ulla ſint in Sacris Codicibus metra, verſuúmve ſit capax lingua *Hebræorum*, quæritur. Nec enim ad verſus & metra cantio ſola ſufficit, hymnorúmque & pſalmorum nomina, ut quibuſdam videtur, (*Jo. Menochius* de Rep. *Hebr.* 7. 13. 5.) cùm & proſaïca oratio modulos & cantum capiat. *Joſephus* quidem *Judæus* (Antiq. 2. 7.) ait, *Moſen* carmen hoc verſu hexametro compoſuiſſe. Idem (lib. 7. cap. 10.) *Davidem* ait hymnos in Deum vario metro condidiſſe. Alios namque trimetros feciſſe, alios pentametros. *Euſebium* reprehendit Apoſtata *Julianus*, quòd multas carminum ſpecies in Vet. Teſt. poſüerit. (*Cyrillo* teſte, l. 7. adverſ. *Julian.*) Ergò poſuit *Euſebius*, etſi non agnoſcat *Julianus*, multas carminum ſpecies in Teſt. Vet. S. *Hieronymus*, linguæ *Hebraïcæ* peritiſſimus, *Origenes*, *Gregorius Nazianz. Iſidorus*, & alii Veterum, Recentiorum verò Scriptorum plurimi, *Maſius* præcipuè (in *Joſuam*) & *Scrieckius* (Adverſar. 1. 18.) præter hymnos varios, & aliqua Prophetarum vaticinia, libros quinque ferè integros poëticè orationéque pedibus vinctâ conſcriptos aſſerunt: unde verſus ille de verſibus,

Quinque metro conſtant, Job, David, tres Solomonis;

(*Cantica*, *Eccleſiaſten* & *Proverbia* vult;) quibus addit *Hieronymus* (in Epiſt. ad *Paulam Urbicam*) *Lamentationes Jeremiæ.* Sed *Joſephus Scaliger* (Animadverſ. in Epiſt.

Epiſt. S. *Hieronymi* præfixam Chronicis Latinis *Euſebii)* conſtanter affirmat, *Hebraïſmum*, *Syriaſmum* & *Arabiſmum* nullo modo ad metrorum *Græcorum* aut *Latinorum* regulam revocari poſſe, etiamſi cœlum terræ miſceatur. At idem ſimiles in clauſuris ſententiarum ſonos, qui vulgò *Rhythmi* appellantur, facilè concedit in Sacris carminibus reperiri: & in aliis verſuum partibus aliquando ſibi reſpondent vocales, (ut in *Eſa.*25.*6.* & *Deut.*32.2.) Deinde, certi pedes adhibentur, varii fortaſſe in variis verſibus, pluréſque aut pauciores, non iidem conſtanter, ut in *Græcis Latiniſ*que: qui tamen juſto ordine concinnati carmen conſtituunt, quanquam ea temporum certa ratio non habeatur, aut non ſatis intelligatur jam, quæ apud *Græcos* atque *Latinos*. Sunt enim qui propter ignotum nobis ſonum & pronunciationem diſtinctionémque orationis *Hebraïcæ* quâ ſunt uſi Veteres, obſcuriorem eſſe jam ſyllabarum & quantitatum rationem putant: ea qui noverant Veteres, *Hieronymum* & alios, de metris *Hebraïcis* veriùs atque certiùs ſtatuere potuiſſe, quàm in hoc ævo nos. Utcunque igitur ſyllabarum tempora vel *Hebræis* veteribus non obſervata fuerint, quemadmodum *Græcis Latiniſ*que, vel recentioribus non ſatis cognita; verſus tamen ſive metra, quanquam liberiora, (ut in linguis ferè barbaris omnium gentium,) in *Hebræorum* canticis reperiri, hoc eſt, orationem artificialem, & pedibus aliquo modo conſtrictam, ità ut hymni ſacri lyrica poëmata jure dicenda ſint, negari equidem non poſſe arbitror. Rabbi *David Jahaia* de metris *Hebraïcis* libellum edidit, quem *Latinum* reddidit *Gilb. Genebrardus*, ubi 18 numerat carminum genera, non tam ex Literis Sacris, quàm ex Rabbinorum doctrina & uſu: quorum nulli vel menſura vel nomen *Latinorum* convenit. At in iis locutio eſt elegans, ſuavis, compendioſa, & quodam quaſi librata pondere, ait *Pineda*, (in *Jobum.*) Et in *Pſalmis Davidicis* artificia quædam & luſus poëtici adhibentur, qui ſolutæ orationi nullo modo conveniunt: ut ubi ſinguli verſus à literis ordine alphabeticis incipiunt; *Pſal.*34. 119. &c. & ubi poſt ſingulos verſus intercalaris quidam verſiculus repetitur; ut *Pſal.*136.

A.M. 2513.

Sed alios in hoc *Moſis* Cantico gravioréſque nobis implicat nodos *Jo. Euſeb. Nierembergius*, (de Origine Sacr. Scripturæ lib.*6.)* quos expedire par eſt. Multa enim congerit miracula divinitus edita in hujus Hymni cantione. Primò, Linguam ait *Hebraïcam*, longâ deſuetudine jamdiu amiſſam, recepiſſe *Iſraëlitas* afflatu Divino, ſine meditatione doctrinâve. Secundò, Pſalmum hunc non à *Moſe* compoſitum didiciſſe, verùm inſpirante Deo concepiſſe animis populum ſimul univerſum. Tertiò, Populum univerſum pariter decantâſſe, vi quadam cœleſti excitatum, quamvis Muſicæ magna ex parte imperitiſſimum. Denique, Mutis infantibúſque ad cantilenam hanc ſolutas fuiſſe linguas, & eruditas à Deo. Primum ex his indè probat, quòd cùm *Judæi* in *Babylonia* obliti fuerint linguæ patriæ, annis quibus exſulaverant 70; (*Nehem.*8.7,8,13.) multò magis *Hebræi*, longâ ducentorum & quindecim annorum cum *Ægyptiis* hoſpitibus conſuetudine, loqui *Ægyptiacè* didicerunt, dedidicerunt *Hebraïcé.* Itaque primo ferè poſtquam egreſſi ex *Ægypto* ſunt die, non niſi ope Divinâ Pſalmum *Hebraïcum* concinere omnes potuiſſent: ídque *Pſalmo* 81. 5. ſcriptum opinatur, *Cùm exiret ex Ægypto, linguam quam non noverat audivit.* Secundò, A Deo vero inſpiratos didiciſſe hunc Pſalmum, non à *Moſe* doctos, id ex eo conſtare vult, quòd anguſtia temporis memoriæ diſcentium obſtiterit. Tertiò, Voce unâ concinuiſſe omnes, ídque in uno momento, donante Deo vim, & regente linguas imperitorum, Sanctus fatetur atque miratur *Auguſtinus.* (Lib. de Mirabilibus S. Scripturæ cap.21.) Poſtremò, Mutos infantéſque voces conſonas edidiſſe, docet ex Libro *Sapientiæ Solomonis*, (cap.10.21.) ubi *Sapientia* dicitur ad Canticum hoc *aperuiſſe mutorum os, & linguas feciſſe infantium diſertas.* Idem ex *Davidis* quoque *Pſalmo* 8.2. *Ex ore infantium atque lactentium conſtituiſti robur*, &c. Ego ſanè miracula in Sacris Libris parcè admodum & reverenter admittenda cenſeo, non temere, non ubivis; non niſi aut indiciis quibuſdam ſignificetur, aut opus videatur aliquid præter naturam fieri:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.——

At nec opus hìc aliquo miraculo, nec ullum indicium exſtat ſatis idoneum. Inprimis enim, *Hebræos* linguæ ſuæ cur oblitos fuiſſe credam, nihil video præter inanes quaſdam conjecturas. Nec eadem ratio linguæ *Babylonicæ* ac *Ægyptiæ* fuit. *Chaldæorum*

A.M. 2513. linguam aliquando *Hebræam* fuiſſe conſtat, ſed eâ ætate corruptam. Multa igitur conveniebant utrique, ità ut facilè poſſent arripere *Babylonicam Hebræi.* At iidem *Ægyptiam*, planè diverſam, ſuâ erant difficillimè mutaturi. Ut elementa proniùs in eorum naturam tranſeunt quibuſcum unâ qualitate conveniunt, quàm eorum quæ repugnant utrâque. Nec erat *Hebræis* difficile commerciorum quotidianorum causâ ——-*Linguas edidiciſſe duas*, tum ſuam retinere, tum *Ægyptiacam* ediſcere: cùm certum ſit, veteres in *Cambria Britannos*, & ſuam, & *Anglicam* prorſus alienam, à pueris ferè omnes callere. Nec dubitandum reor, quin aliis idem in gentibus uſu veniat. Et *Pſalmo* 81.5. *verſantes in Ægypto*, non *exeuntes*, *linguam audiviſſe peregrinam*, dicitur. Peregrina igitur *Ægyptiorum* erat lingua *Iſraëlitis*, loquebantur *Hebræam.* Ità ſuo ſe *Nierembergius* imprudens telo jugulat. Jam ſecundo illo quid erat opus miraculo, ut univerſa multitudo Pſalmum eundem conciperet animis, non aliunde acciperet? Unum afflari divinitus *Moſen* ſat erat, qui compoſuit Hymnum: Reliqui omnes Pſalmodiæ periti, vel memoriter, vel è ſcripto decantabant. Tertiò, Nam uno univerſos ore peritos imperitóſque pariter concinuiſſe, (pace S. *Auguſtini* dixerim, ſi modò ea ſcripſerit *Auguſtinus*,) nihil eſt hac in re quod vel imperet mihi, vel ſuadeat fidem. Quartò, Multò minùs verò, mutos & infantes eandem ceciniſſe cantilenam. Id enim in *Sapientia Solomonis* nihil ſibi aliud vult, niſi *Hebræos*, quos timor à dominis in *Ægypto* infantes atque mutos reddiderat, omni expeditos metu, libere laudes Liberatoris Dei celebrâſſe. Quod ex octavo *Pſalmo* detorquetur, ſatis ſit dicere, nihil id prorſus hanc ſpectare ad rem. In hoc igitur Cantico *Moſis*, *Moſis* & populi gratitudinem collaudo, nullum Dei agnoſco miraculum.

Quanta, quàm ſubita rerum fit mutatio? Alterum littus non niſi planctuum, querelarum & ejulatuum reddebat ſonos, tot millibus hominum trepidantibus, exſpectantibúſque jam jam ſe perituros, vel in fluctibus marinis quò ferebantur, vel hoſtium qui ſequebantur telis. Littus verò alterum plauſibus cantibúſque reſonat ac tympanis eorundem hominum, ſummo exſultantium gaudio. Ità

——*Dolor & voluptas*
Invicem cedunt: brevior voluptas.

Nam optatâ quidem *Hebræi* potiuntur arenâ; ſed arenâ tantùm. Per incultas enim vaſtáſque ſolitudines fuit illis ambulandum, cum fame luctandum & ſiti, contra hoſtes etiam ferociſſimos dimicandum, antequam frui licebat terrâ illâ fortunatâ, quam duce *Moſe* pollicitus erat Deus. Neque mirum hoc videri cuiquam, aut novum debet. Par eſt omnium piorum conditio ex Diaboli ſervitute liberatorum, peregrinantium in hoc mundo, contra hoſtes perpetuò militantium ſpirituales, denique per graves & multiplices ærumnas hujus vitæ (*Act.*14.22. *Pſal.66.*10,&c.) ad cœleſtem patriam *Chriſto* auſpice contendentium. Ità enim tentare, exercere, confirmare ſuorum fidem & pietatem viſum eſt Deo. (*Deut.*8.3,16.) Ità

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Cœlum, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt.———

& in *Arabiam* diſcedunt:

§ 21. Poſt celebratum cantico Deum, viæ ſe omnes *Hebræi* dant, ac trium dierum iter faciunt in Eremo, millibus paſſuum peragratis 25. Secum portâſſe quantam poterant aquæ vim, præmonente *Moſe*, autor eſt *Joſephus.* (Antiquit.lib.3. cap.1.) Hæc *Ethami eremus* dicitur, (*Num.*33.8.) quæ ab *Ægypto* incipiens, *Heroöpolitici* ſinûs extrema circuit, ac in alterum latus tendit Rubri maris. *Arabiæ Petrææ* jam in parte verſamur. Ampliſſima enim regio *Arabum* tribus partibus à *Ptolemæo* diſtinguitur, (liceat huc pauliſper digredi, ut ſciamus qua nobis in regione cum *Iſraëlitis* peregrinandum ſit,) *Petræâ*, *Deſertâ*, & quam *Felicem* ex re vocant.

quæ triplex;

Omnem ferè tractum *Aſiæ* meridianum ad Occidentem *Arabicum* nomen obtinet, ejúſque oræ longitudinem *Indiæ* parem ferunt, (*Arrian.* 7.) & milliaria 3500 patére.

1. Petræa, *Petræa Syriam* & *Palæſtinam* à Septentrione, ſinum *Arabicum* & *Ægyptum* habet ab Occidente, *Deſertam* ab Ortu, & *Felicem Arabiam* à Meridie; denique nomen ab oppido primario & regia *Nabathæorum Petra.* (2 *Reg.*14.7.) In convalle ſitam *Plinius* (Nat. hiſtor. lib.6.28.) tradit urbem hanc, paulò minùs 2 mill. paſſuum amplitudinis, circundatam montibus inacceſſis, amne interfluente. Hîc videtur ſaxum illud

illud eminuiſſe naturâ munitum, de quo *Diodorus Siculus*, (Biblioth. lib.2.12.) unico tantùm aſcenſu, eóque peranguſto, patens, ut pauciſſimis egeret cuſtodibus. *Nabathæorum* gens, ab *Iſmaële* oriunda, in hac parte nobiliſſima habebatur, ſolíque *Arabum Dachareni*, hoc eſt, *maſculi* & *viriles*, dicti ſunt. *Arabia Deſerta Euphrate*, quâ *Meſopotamiam* ſpectat, & *Chaldææ* montibus, partéque ſinûs *Perſici*, ab Oriente clauditur & Septentrione; ab Occaſu *Arabiâ Petræâ* & *Syriâ*; *Felicis Arabiæ* montibus à Meridie. *Plinius* à monte *Amano* limitem Borealem, è regione *Ciliciæ Comagenéſ*que, longè altiùs repetit. Quâ *Syriæ* vicina eſt & *Meſopotamiæ*, cûlturæ patiens, mercatores emittit, urbéſque ad *Euphratem* ſatis frequentes colit. Alibi, propter aquæ penuriam ſterilis ferè, (ut *Petrææ* quoque magna pars,) cultores nullos, incolas pauciſſimos alit. Loco fontium & fluviorum puteis contenti plerique, ſiti & fame hoſtium facilè arcent vim. Itaque libere omnes agunt ab alieno jugo. (Quis enim perdat operam in victoria difficillima, ſine pretii ſpe?) Sed viatoribus & vicinis gentibus admodum infeſti latrociniis in omni ævo. Unde *Saracenorum* nomen, & *Saracæ* regionis apud *Stephanum*. Nec homines tantùm feroces generat, ſed animalia quoque fera varii generis; (*Diodor.* ibid.) Leones Pardaléſque plures & majores *Libycis*, & qui *Babylonii* vocantur Tigres: Camelopardales quoque, Struthiocamelos, Tragelaphos, Bubalos, aliáſque plures mixtæ naturæ feras. Pecora in his locis minora quàm in *Ægypto*. Gentes *Nomadum* præcipuè *Plinius* & *Scenitarum* collocat in hac parte: ſed & hi vagi, & cognominati à tabernaculis, quæ ciliciis metabantur ubi libuit. *Nomades* lacte & ferinâ carne veſcebantur. Qui per hoc arenarum æquor invium in beatiorem illam *Arabiam* tranſibant olim negotiatores, ſignum Arcticum obſervabant, quaſi navigantes: nunc autem qui præeunt & præſunt viæ pyxidem adhibere nauticam ſolent. Quòd ſi fortè (quod tamen raro fit) *Auſter* à Meridie ſpiret, quaſi tempeſtate quadam & fluctibus arenarum obruuntur omnia.

A.M. 2513.

2. Deſerta,

Dives illa & beata quam diximus *Arabia*, peninſula (*Plin.6.*28.) inter duos *Arabicum Perſicúm*que ſinus procurrit, quodam naturæ artificio, ad ſimilitudinem *Italiæ*, non & magnitudinem, ut *Plinius* vult. (Nat. hiſt.6.28.) Amplior enim eſt multò *Arabia*. Hæc multitudine fontium, abundantiâ fluminum lacuúmque, ubertate ſoli, urbium frequentiâ, pecorum & arborum fructuúmque varietate, auri poſtremò & argenti, gemmarúmque ſplendidiſſimarum, præcipuè verò aromatum copiâ floret adeò, ut ſi cum *Petrææ* ac *Deſertæ* ſolitudinibus vacuis comparetur, meritò habenda ſit dicendáque Εὐδαίμων, *Felix*. Præter Elephantos, (*Diod. Sic.* lib.2.12.) & Oves ingentibus onuſtas caudis, librarum 40, octogintáque interdum, Camelos generoſiſſimos edit ac multiformes; depiles & villoſos Dromadas, maturando itineri, & alios ferendis oneribus aptos, & ad bellum idoneos. Geminis in dorſo gibbis nonnullos, quorum carnibus lactéque veſcebantur indigenæ. Onerarii cameli homines quinque in lecto jacentes vehunt; duos etiam ſagittarios tergis in pugna obverſis, ut alter hoſtem à fronte feriat, alter perſequentem. Cinnamologus avis (Cinnamomus *Ariſtoteli*, Hiſtor. animal.9.13.) cinnami ſurculis nidificat, (*Plin.* 10.33.) in arboribus excelſiſſimis. Plumbatis igitur eos ſagittis decutiunt indigenæ, mercis gratiâ. Hujus etiam cœli avem Veteres Phœnicem celebrabant, unicum ſui generis: & quaſi vidiſſent aliquando, ità formam definiunt; aquilæ magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureum, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis fauces, capútque plumeo apice cohoneſtante. Soli ſacram prodidêre; ſed neminem exſtitiſſe qui veſcentem viderit. Annis vivere quingentis apud *Ovidium Pythagoras*, (Metamorph. lib.15.) & *Pomp.Mela*; (Geogr.3.) idémque ſpatium ait maximè vulgatum *Tacitus*: (Hiſtor. 5.) 540 *Solinus*, ídque probatum dicit: *Manilius* 660 apud *Plinium*, (10.2.) Poëtæ plerique mille fingunt; unde illud *Martial.* (Epigram. 5.)

3. Felix;

ubi nullus Phœnix,

Una decem quoties ſecula vixit avis.

Sunt qui ſcribunt 1461. Seneſcentem aiunt caſiæ thuríſque ſurculis conſtruere ſibi rogum, replere odoribus, & incubantem his mori. Ex oſſibus deinde & medullis ejus naſci, primò ceu vermiculum, indè fieri pullum; principióque juſta funera priori reddere, & totum deferre nidum prope *Panchaiam*, vel in *Ægyptum*, ut alii, (*Pomp. Mela* Geog.l.3.) in Solis urbem, & in ara ibi deponere. *Pythagoram* audiamus, hac in re Poëtam veriùs quàm Philoſophum:

Una

A.M. 2513.

Una eſt quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales;
Aſſyrii Phœnica vocant: nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis & ſucco vivit amomi.
Hæc ubi quinque ſuæ complevit ſecula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ,
Unguibus & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quò ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſáque cum fulva ſubſtravit cinnama myrrha,
Se ſuper imponit, finitque in odoribus ævum.
Indè ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phœnica renaſci.
Cùm dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Fértque pius cunáſque ſuas, patriúmque ſepulchrum;
Pérque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit. (*Ovid.* Met. l. 15.)

Unà cum nido ardore Solis incenſo concremari volucrem, magìs vulgata fides, & hæredem è cineribus prodire. Indè *Martialis*, (Epig. l. 5.)

Qualiter Aſſyrios renovant incendia nidos.

Sed vereor nè nimis hæc multa ſint de re quæ ſit nulla. Nam *haud ſcire* ait ſe *Plinius*, (10. 2.) *an fabuloſè narrentur* quæ dicta ſunt de Phœnice. *Eum verò qui ex Ægypto allatus Claudii principis Cenſurâ in Comitio erat propoſitus*, (*quod Acta publica teſtabantur*,) *falſum fuiſſe nemo dubitabat.* Id tamen ſeriò *Solinus Polyhiſt.* (c. 46.) perinde ut verum ex *Plinio* repetit, omiſsâ falſitatis notâ. Neque unquam repertus quiſquam eſt, quem ſuis hanc volucrem conſpexiſſe oculis conſtaret. Nec erat facilis obſervandi ratio tot annorum ætatem, ultra hominum vivaciſſimorum generationes quinque. Præterea, generis cujuſquam ſalutem atque interitum à ſingulari pendere mortalíque re, aut prolem ſibi generare animal perfectum abſque pari aut fœmellæ conjugis ope, ſine ſpe multiplicandi, nec ipſi naturæ conſentaneum videtur, neque benedictioni Divinæ in Sacris Literis, (*Gen.* 1. 22. & 8. 17.) aut providentiæ. Denique, avem brutam templum noviſſe arámve Solis, ídque in longinqua regione, ridiculum, nè dicam inſanum, eſt credere. Ex navigationum Commentariis neſcio quibus, *Cardanus* & *Scaliger* produnt in mediterraneis *Indiæ* avem reperiri, quam incolæ *Semendam* vocant. Ei roſtrum trifiſtulare, cùm moritura eſt, ſonum edere ſuaviſſimum. Sarmentis collectis, alarúmque motu accenſis, uri. E cinere vermem, è verme avem denuò renaſci. Ex Olore, opinor, & Phœnice coëuntibus, nata hæc, ſeu volucris, ſeu fabula; hinc genituram, indè muſicam trahens. Meritò quidem *Scaliger* triplicem roſtri perforati fiſtulam elevare dicit hiſtoriæ fidem, nè quæram de reliquis fruſtrà. (*Cardan.* Subtil. 10. *Scalig.* Exerc. 223.) Valeat ergò Phœnix, nec ulteriùs fidem in literis atque libris inveniat, quæ nullum reperit in rerum natura locum; ſed *Phœnice rarius* nihil ſit. Arbores *Arabia* fert atque frutices ferè omnium generum fructuúmque; Abietes ac Tædas, etiam Cedros, Juniperos, & quod *Agyræum* vocant in montibus: rariores alibi Cinnamomum, Terebinthum, Caſiam, Coſtum, Reſinam, Lamam, undè Maſtiche, Oleam medicinali dotatam lacrymâ, Calamum odoratum; ſed maximè Thuris atque Myrrhæ. Myrrham quoque habet cum aliis nonnullis communem, ſola Thus; neque tamen univerſa. *Sabæorum* ea ſylva eſt, longitudine milliar. 100, latitudine 50. *Saba* verò nomen regionis thuriferæ, rupibus inviæ, & à dextra mari ſcopulis inacceſſo. *Græci* myſterium ſignificare dicunt. *Minæi*, per quos evehitur uno tramite anguſto, primi thuris commercium fecêre, maximéque exercebant. Ferunt 3000 non ampliùs familiarum fuiſſe, qui jus per ſucceſſiones in hanc ſylvam ſibi vendicarent. Sacros vocari ob id; nec ullo congreſſu fœminarum funerúmve, cùm incîderent eas arbores aut meterent, pollui ſolitos: ità religione merces augeri. Meti ſemel anno ſolebat, minore occaſione vendendi, circa ortum Canis, flagrantiſſimo æſtu, incîdentibus quâ maximè videbatur eſſe prægnans, tenuiſſimúſque tendi cortex. Indè profiliebat ſpuma pinguis in pavimentum, aut in tegetem præparatam; quæ concreta denſabatur, colligebatur Autumno. Deinde quæſtûs alteram vindemiam attulit Vere, ad eam

Thuris copia eſt,

hyeme

hyeme corticibus inciſis. Sed ruffum hoc thus longè deterius, illud candidum & purius. Sauciis arboribus non erat opus cuſtode. Sylva, quanquam certis portionibus diviſa, innocentiâ erat mutuâ tutior hîc, quàm foret alibi pœnâ. Collectum thus *Sabotam* regni caput camelis convehebatur, portâ ad id unâ patente. Digredi viâ capitale leges fecêre. Ibi decimas deo, quem vocant *Sabin*, menſurâ, non pondere, ſacerdotes capiebant. Nec antè mercari licuit. Indè impenſæ publicæ tolerabantur. Nam & benignè certo itinerum numero deus hoſpites paſcebat. Evehi non potuit niſi per *Gebanitas*; itaque & horum regi in urbe *Thomna* pendebatur vectigal. *A.M. 2513.*

Myrrha multis in locis *Arabiæ* gignitur. Convehitur & ex inſulis laudata; petúntque eam etiam ad *Troglodytas Sabæi*, tranſitu maris. Sativa quoque provenit, multùm ſylveſtri prælata. Gaudet raſtris atque ablaqueationibus, melior radice refrigeratâ. Arbori altitudo ad quinque cubita, (humiliori paulò thuriferâ,) nec ſine ſpinis, caudice duro & intortò, craſſiore quàm thuris, & ab radice etiam quàm reliquâ ſui parte. Inciduntur bis & ipſæ, iiſdémque temporibus; ſed à radice uſque ad ramos, qui valent. Sudant autem ſponte priùs quàm incidantur, Stacten dictam, cui nulla præfertur. Ab hac ſativa; & in ſylveſtri quoque melior æſtiva. Non dabant ex myrrha portiones deo, quoniam & apud alios naſcitur. *Carmaniæ*, *Sardibus* & in *Ægypto* ſatas fuiſſe regum ſtudio thuris arbores conſtat: verùm haud valde utili memorabilíve proventu. *Arabes* (*Diodor. Solin. Plin.* 12. 17.) ſarmentis harum arborum ignes fovent; aſſiduitate nimiâ fumo ingrato odore cremati ſtoracis occurrebant, in pellibus hircinis. Ex *Syria* revehebant ſtoracem, acri odore ejus abigente ſuorum faſtidium; eo & ſerpentes fugabant in odoriferis ſylvis frequentiſſimas. & myrrhæ.

Arabes hi longè latéque diffuſi diverſis moribus vivebant & cultibus; diverſis etiam dotibus terrarum. Vinum, ut *Indi*, palmis exprimebant, oleum ſeſamæ. Naturales terræ genius vapores in ſe continet ſuffitibus odoratis aptos. Palmæ *Arabicæ*, ut etiam *Babylonicæ*, *Syriacas* caryotas magnitudine ſuperant, ſex amplæ digitos; cùm tamen *Syriacæ Africanis* multò & majores & ſuaviores habeantur. Effoditur & aurum purum quibuſdam in locis lucidúmque, nucibus caſtaneis par; quod lapidibus pretioſis arte incluſis mirum addere ſplendorem ſolet. Frumentum non deerat; quanquam & hîc paſtorum erant plurimæ nationes, qui *Petræam Deſertámque* propè ſoli tenebant. Gemmis terra variis diteſcit, Sardonyche, Molochite, Iride, Androdamante, Arabicâ, & Pæderote: Margaritis mare. Numeroſiſſimi *Arabum Homeritæ*. *Minæi* fertiles agros palmetis habebant arbuſtíſque, in pecore divitias. *Gembani Arii*que præſtabant armis, maximè verò *Chatramotitæ*. *Caræis* latiſſimi & fertiliſſimi erant agri. *Sabæi* verò ditiſſimi fertilitate ſylvarum odoriferâ, auri metallis, agrorum riguis, mellis ceræque proventu. Mitrati olim incedebant, aut intonſo crine. Barba abradebatur, præterquam in ſuperiore labro. Aliis & hæc detonſa. Mirúmque dictu, ex innumeris populis pars æqua in commerciis & latrociniis degebant. In univerſum gentes ditiſſimæ, ut apud quas maximæ opes aliarum gentium ſubſidebant; vendentibus quæ mare ipſis aut ſylvæ donabant, nihil invicem redimentibus. Ex *Heraclide Cumæo Athenæus* (Deipnoſoph. 12.) refert, in regione Thurifera omnibus regem ſolutum legibus, ignaviæ dediſſe totum & luxuriæ ſe, nihil rerum publicarum egiſſe, in balneis ut plurimùm verſari ſolitum, paucos in conſpectum admiſiſſe præter miniſtros libidinum, ſumptu quovis otium & voluptatem redemiſſe, judiciorum aliis demandâſſe moleſtiam; quæ ſi quis minùs juſta quereretur, feneſtram in ſuprema parte palatii apprehensâ catenulâ reſerâſſe, appellâſſéque regem. Illum, auditâ causâ, vel judices neci tradidiſſe, perperàm ſi ſtatuiſſent; vel, ſi rectè, appellatorem. Eâ ſeveritate, nè quis deſidiam ſuam negotiis turbaret ingratis, prohibuiſſe. Denique, ſumptum aulæ quotidianum quindecim fuiſſe talenta *Babylonica*. Idem (ibid. lib. 6.) in *Arabia* ſancitum legibus ait, ut ſi qua regi corporis mutilata eſſet pars, malève haberet, eodem ſe malo & ſubditi affectos ſimularent: quod alibi terrarum non niſi per aſſentationem fit, illic jure factum & legali adulatione. Uxores pellicéſque his regibus plurimas fuiſſe par eſt; quandoquidem uni *Hierotimo* nati ſunt ſexcenti liberi. (*Juſt.* Hiſt. lib. 39.) Sagittis (inquit *Suidas*) *Arabas* valuiſſe plurimùm ferunt longis, æqualibúſque ſibi; nec manu tetendiſſe arcum, ſed pede. Mores *Arabum*.

Deos

A.M. 2513. religio, Deos *Arabum* duos tantùm *Herodotus* tradit, (libro 3.) *Vrocalt* & *Alilat*, quos *Dionyſium* & *Vraniam* interpretatur; Solem atque Lunam *Arabes* volebant. *Alittam* alibi vocat, (lib.1.) quam *Venerem* ait eſſe. In *Arriano* (lib.7.) Cœlum & *Dionyſius* nominantur *Arabum* numina. *Nabathæos* Solem quoque veneratos apud *Strabonem* legimus, (lib. 15.) Aliqui *Dyaſarem* addunt etiam *Arabicum* numen; cujus linigeros tradunt ſacerdotes & mitratos fuiſſe. Præputiorum amputatio poſt annum decimum atque tertium ab *Iſmaële* primùm in hanc traducta eſt regionem. Mox à filiis *Abrahami* & *Ceturæ*, deinde ab *Edomo Iſaaci* ritus hic eſt latiſſimè propagatus. Suillis carnibus abſtinuiſſe prorſus *Arabas*, autor eſt *Solinus*: imò genus animalis hoc ſi invectum eò fuerit, illico mori, nec fragrantiam ejus aëris ferre immundam fœtidámque beſtiam. Suſtuliſſe mures quoque, ut ingrata & inviſa diis animalcula, (qui *Perſarum* quoque mos & *Æthiopum* fuit,) *Plutarchus* ſcribit. (De Invid. & odio.) *Euſebius* ait, (de Laud. *Conſtantin.* & Præparat. 4. 16.) humanis etiam victimis litâſſe *Arabas* crudelibus diis, puero à *Dumatiis* immolato quotannis, & ſub ara ſepulto.

inſulæque vicinæ, *Diodorus Siculus* (in 5. Rerum antiquarum, ex *Euhemeri* Peregrinationibus, opinor,) inſulas ait *Arabiæ* tres præcipuè objici: primam Ἱερὰν, ſive *Sacram*, nomine, ubi mortuos ſepelire nefas; & ſeptem indè ſtadiis alteram, quò deportantur mortuorum cadavera; & reliquis majorem tertiam, triginta ſtadiis diſtantem verſus exortum Solis, (*Panchaiam* nominabant.) Sacram & hanc, aromatibus tantùm, thure inprimis, abundare; quod in *Arabiæ* Continentem traductum atque diſtractum, omnium ferè populorum aris fumum ſuppeditabat. *Panchaiam* tradit incoluiſſe, præter indigenas & *Oceanitas*, etiam *Indos*, *Cretenſes* atque *Scythas*; *Panarâ* civitate liberâ & templo *Jovis* nobilem, quem *Triphylum* ſeu *Triphylæum* vocabant, à tribus loci gentibus, *Panchæis*, *Oceanitis*, atque *Doiis*. Urbi quotannis præficiebantur è civibus nobilioribus tres, judicabantque res minores: capitalia ſacerdotes tantummodo. In patente campo templum, (in editiſſimo colle, ait *Euhemerus*,) ipsâ vetuſtate reverendum, magnificè conſtructum, & amœniſſimè ſitum; ab urbe 60 ſtadiis aberat. Omnium rerum feraciſſima, tribus ordinibus incolarum conſtabat inſula. Sacerdotum primus & Artificum, Agricolarum fuit ſecundus, Militum Paſtorúmque poſtremus. In commune conferebantur omnia. Privatæ rei nihil quiſquam habuit, præter domum atque hortum. Suum cuique diſtribuere ſacerdotum fuit. Ipſi duplæ portionis mercede fruebantur, & judiciis præerant. Sacrorum locorum limites tranſilire ſacrificis piaculum erat capitale. Ex *Creta* ſe oriundos ferebant, huc ſecutos *Jovem*, quo tempore victoriis & beneficiis orbem ſibi terrarum ſubegerat. Lectus Dei aureus in templo, *Vrani* geſta & *Jovis*, *Dianæ* atque *Apollinis* etiam, ſacris *Ægyptiorum* literis à *Mercurio* ſcripta continebat. Hæc & alia multa *Diodorus*: cujus & fabulas nonnullas indicare paucis libuit, nè quid requireretur eorum quæ *Arabiam* illuſtrarent; ſed & monere ſimul, eſſe fabulas, undecunque traduxerit in ſuam ille Bibliothecam. Nam de *Jovis* imperio & expeditione in orbem univerſum quæ narrantur, quis non ficta fateatur? *Scythas* deinde quiſnam, obſecro, in tam longinqua deduxit maria, homines à rebus maritimis omnium ferè mortalium alieniſſimos? Quid verò his factum eſt inſulis, ut eas nemo viderit, nemo noverit, nemo de illis quicquam ſcripſerit tradiderítve præter *Euhemerum*? Nam eſſe nullum inſulare thus, verùm in Continenti *Arabico* naſci omne, cùm *Juba* eruditiſſimus *Mauritaniæ* rex ad *Caium Cæſarem Auguſti* filium ſcripſit, (*Plin.* Nat. hiſt. 12.14.) tum longa temporum ſeries comprobavit. Ex hac fabula natum eſt illud *Maronis*, (Georg. 2.)

vel potiùs fabuloſæ.

Totáque thuriferis Panchaïa dives arenis;

& *Ovidii*, (Metamorph.10. fab.9.)

——— *Sit dives amomo,*
Cinnamáque, coſtúmque ſuam, ſudatáque ligno
Thura ferat, floréſque alios Panchaïca tellus,
Dum ferat & Myrrham.———

Frid. Hervart, (cap.60.) inter alia paradoxa, *Zeilan* eſſe *Panchaiam* vult. Ea verò *Indorum* eſt, non *Arabum* inſula, ab his longè remota. Neque multò digniora ſunt fide quæ *Diodorus* idem ſcribit de alia quadam his in locis inſula, *Iambulo* quodam

dam autore, mercatore *Græco*, ſed literis à pueritia inſtituto, qui ſe omnium ſpectatorem actorémque prædicabat. Is cùm in *Arabia* negotiaretur, unà cum itineris comite captus eſt bis, ac tandem delatus in *Æthiopiam*. Erat his religio vetus à majoribus tradita, ex reſponſis deûm inſtituta primò, ut patriam ſuam certis temporibus expiarent capitibus humanis. Itaque more antiquo iſtis peregrinis naviculam dant, quódque ſemeſtri ſufficeret viaticum. Monent ſimul, ad Meridiem eſſe navigandum; perventuros ad inſulam pariter & gentem beatiſſimam. Quod ſi libentes facerent, ſe quoque, propitiis diis, annis ſexcentis feliciſſimè acturos. Sin territi redirent fortè, alióve iter deflecterent, genti ſuæ pœnas quàm graviſſimas daturos. Ità immolatis magnificè hoſtiis in littore, feſtóque ſolenni celebrato, nautas coronatos in piaculari cymba dimittebant. Per multa impedimenta eluctati, poſt menſes tandem quatuor, ad inſulam ſub ipſo Æquinoctiali formâ turbinatâ delati ſunt, ſtadiorum ambitu quinque millium. Septem erant inſulæ pari diſtantiâ & magnitudine, legibus iiſdem atque moribus viventes. Appropinquantibus humaniſſimè occurrebant indigenæ, alii ſcapham deducebant, alii ſuſcipiebant benignè hoſpites; omnes peregrinorum admirabantur vultum, habitum, adventum. Corporum habitu inſulares longè diſſimiles videbantur noſtris; verùm ſibi perquam ſimiles, ac penè pares, 4 ferè cubitorum, proceri omnes, formoſi, agiles, robuſti, flexilibus nervorum inſtar oſſibus; præter capita & barbas, ſupercilia & palpebras, toto corpore depilati & perpoliti. Aures laxiùs patebant, ut ſufficerent linguis; linguæ verò bifidæ ſimul cum pluribus colloquebantur, & avium facilè mentiebantur ſonos. Imperabat reliquis maximus natu, qui poſt annos 150 ſponte cedebat principatu & vitâ. Nec aliis ultra eam ætatem vivere licebat, quanquam vivaciſſimi omnes, optimâque valetudine. Quovis correptos morbo, aut vitio corporis affectos, ad mortem protinus damnabat ſevera lex. Gemina erat herba, cui incubantes, morte quaſi ſomno ſuavi ſolvebantur. Literarum apud eos vigebant ſtudia, inprimis Aſtrologiæ. Scribebant deorſum, ſeptem characteribus, qui modis quatuor ſinguli transformati, octo & viginti literas edebant. Omnia erant omnibus communia. Communis in mulieres & liberos amor; conjugia nulla. Cùm nihil eſſet quod præcipuè quiſquam appeteret ambirétve, nullus erat ſeditioni aut diſcordiæ locus. Solum feraciſſimum ſponte fruges dabat ſine cultura; & fructus per ſingulos menſes novi urgebant expellebántque ſeneſcentes. Saluberrimus aër; & aquarum fontes frigidarum calidarúmque non ſalutares minùs quàm dulces; nec hæ unquam frigeſcebant, niſi aut vinum aut aqua frigida commiſceretur. Unum erat præter cætera peculiare his animal, virtutis penè incredibilis, & formæ non vulgaris. Corpus inſtar teſtudinis rotundum duas habuit tranſverſas per medium lineas; quarum extremis quatuor partibus ora quatuor, oculíque totidem adhærebant. Pluribus etiam pedibus incedebat in utramvis partem. Aliorum vivorum corporum cæſæ aut abſciſſæ partes, ejus tinctæ ſanguine, ſi adhuc ſpirantes componebantur, facilè coaleſcebant. Singuli cœtus aves alebant maximas, quarum alis impoſitos infantes explorabant, an digni eſſent quos tollerent. Si expaviſſent volante alite, quaſi degeneres abjiciebantur. Quamvis terra victum abunde ſuppeditaret, ex fructibus carnibúſque avium, piſcium pecorúmque, imò & ſerpentum innocuorum; illi tamen ſimplici tantùm cibo, ſine arte, ſine condimentis, imò & unico in diem, ſaturabant ſe. Neque piſces carnibus, nec avibus commiſcebant quadrupedes. Ex fructu ervo albo haud abſimili, creſcente decreſcentéque cum Luna, ſuaviſſimum conficiebant panem. Ex lanugine molli veſtes, in quarundam arundinum medulla creſcente, infectâque oſtreorum ſuorum ſucco. Cœleſtia, præcipuè Solem, venerabantur pro diis; cui & inſulas dedicabant, eundémque feſtis celebrabant, & ſupplicationibus, & hymnis. *Iambulus*, poſtquam hîc ſeptem peregiſſet annos, unà cum ſocio inſulâ expulſus eſt, propter *Græcanicam* pravitatem morum. Acceptâ igitur ſcaphâ & victu, poſt quatuor menſes ipſe *Indiam* aſſecutus eſt, comite in fluctibus amiſſo. Itaque ſolus in urbem *Polybothra* ad regem longo itinere perductus eſt. Liberaliter acceptus à rege, ut qui *Græcanicas* diſciplinas plurimi faceret, in *Perſiam* dimiſſus tandem, ſoſpes in *Græciam* reverſus eſt. Idem hæc & alia etiam de *Indis* vulgò ignota literis mandavit; ſed quàm credibilia, bifidæ loquantur inſularium linguæ.

A. M. 2513. *A. M.* 2514.

§ 22. Sed interea dum nos in omnem *Arabiam* divertimus & divagamur, *Hebræi*, longo itinere feſſi & ſiticuloſi, aquam requirunt. Qui de aquæ immenſa & inſuperabili copia queſti erant modò, nunc defectu laborant, & extremâ ſiti penè deficiunt.

Maræ aquam deſiderantes *Hebræi* obmurmurant *Moſi*.

A.M. 2514.

ciunt. Ad fontem pervenêre tandem, ſed & hunc amaræ atque inutilis undæ; quem propterea *Maram* appellavêre. Ità primus quaſi guſtus vitæ piæ amaritudinem ſapit, ſuaviſſimæ tandem futuræ: Contrà, impietatis mellita initia deſinunt in amarum fel. Iterum populus conqueri ſtomachosè, & à *Moſe* flagitare aquam, (non à Deo petere,) cujus operâ ſe jam ſiti perituros clamant. Imploratus à *Moſe* Deus monſtravit arborem, cujus immerſo ligno fontis ægritudinem ſanaret. Quas beſtiæ modò aquas refugerant, dulces jam gratâſque homines ipſi petunt ac potant avidiſſimè. Arborem illam *Judæi Ardiphnen* vocant. Quænam verò ea ſit, & an ſuâ id vi, (ut *Siracides Eccleſiaſtic.*38.5.) an Divinâ potiùs præſtiterit, nemini eſt, opinor, compertum ſatis. Crucem *Chriſti*, quæ vitæ lignum eſt, eo deſignari aptiſſimè, perſpicuum videtur. Ejus enim unius ope omnium ærumnarum aquas* (*Pſal.* 69. 2.) dulceſcere conſtat, & amaritudinem gaudio permutari. (*Gal.*3.13. *Rom.*5.3. 2 *Cor.* 1.5,7, 1 *Pet.*2.21,24.) Sed in hoc initio & omen fuit totius itineris, moleſti quidem ac perdifficilis diu, commodiſſimi poſtremò atque amœniſſimi futuri. De his fontibus meminiſſe *Plinium*, (Nat. hiſt. lib. *6.* cap. *29.*) miror equidem *Raleium* & *Willetum* ſcribere. Nam in altero latere ad Occidentem Rubri maris collocantur quos *Plinius* memorat, hi ad Orientem. Atque hoc primùm in loco tentari voluit populum ſuum Deus, atque moneri de obſequio Divinis debito imperiis, quod hactenus ægre admodum & malignè præſtiterat. Quòd ſi enim ea facerent quæ juberentur, quæ recta gratáque eſſent Deo, ejúſque alacriter parérent mandatis, ab omnibus *Hebræos* morbis maliſque immunes promiſit fore, quibus *Ægyptiorum* repreſſa eſt contumacia. Eſſe enim *Jehovam* ſe, qui morbis conficere, quíque opitulari ſolus poſſit. Ità paulatim Deus populum pervicacem aſſuefacere jugo Legis mavult, quàm ſemel rigidéque imperare omnia.

Relictâ *Marâ*, ſextum caſtris defigendis locum delegerunt *Elim*, fontibus duodecim & palmis beatum ſeptuaginta: ſed an urbe ornatum ejuſdem nominis, de qua poſtea meminit *Guliel. Tyrius*, (11.13.) non liquet. Septimò, ad Rubrum mare cùm deſcendiſſent, (*Num.*33.10,11.) in deſertum *Sinis* indè redeuntes, octava caſtra metati ſunt. Conjiciunt aliqui, divertiſſe *Moſen* ad mare, nè *Amalecitarum* inſidiis & armis nondum ſatìs paratos *Iſraëlitas* objiceret. Aliquot verò illic hebdomadas moratum, luſtrandis fortaſſe armis, exercendíſque militibus dediſſe operam. Jampridem ſcilicet nuncios *Moſen* de odiis atque conſiliis *Amalecitarum* certiorem feciſſe. Decimus enim quintus jam agebatur ſecundi menſis dies, cùm farina & victus quem ex *Ægypto* ſecum tulerant deficere cœpit, & populus rerum ferè omnium penuriâ, tantùm non fame laborare. Neque ulla ſpes affulgebat, vel occupandi *Canaanæam*, vel procurandi annonam quæ ſufficeret multitudini tantæ in deſerto. Sua ſi mactarent pecora, proſpiciebant facilè, aut futurum hoc perbreve ſolatium, fame nihilominus perituris mox; aut defuturum victuris, in via pueris lac, in patria viris peculium. Itaque pari damno ferè putabant necari pecudes & mori ſe. Sævire igitur omnes, & miniſtris Dei oblatrare convitiaríque fortiter. "Quantò mitiùs, inquiunt, actum fuiſſet nobiſcum, ſi *clade aliquâ ſuſtuliſſet in Ægypto nos Deus, dum pane ſaturi, plenis carnium ollis fruebamur? Lactare verò nos & allicere* inani ſpe *in ſolitudinem* inanem, *ut tot ſimul hominum pereamus millia, ut fame pereamus*, crudeliſſimo internecionis genere, quæ eſt hæc immanitas, hominum alienis doloribus oblectantium ſe, alienis funeribus paſcentium? Contumelioſum gloriæ ſuæ murmur populi Deus non tulit. Nondum orante *Moſe*, reſpondit atque edocuit quid eſſet facturus. *Aaron* & *Moſes* utrique populo tradiderunt, quò foret certior fides, Eum veſperì ſaturaturum carne Deum, manè pane; quem illi tamen Deum obliquis convitiis impii lacerabant. Nam ſe Dei eſſe miniſtros tantùm. Suis nominibus Dominum ſuum peti. Quin & *Moſe* jubente, publicum indicit *Aaron* totius populi conventum coram Nube Dei; quam intentis oculis dum ſpectabant, elucentem indè gloriam majeſtatémque Divinam conſpicati ſunt, quæ *Moſen* his affata eſt verbis: "*Audivi* jampridem, *audivi populum hunc*, tot à me cumulatum beneficiis, *querulo mihi murmure obtrectantem.*

In deſerto *Sinis* penuriâ laborantes convitiantur ſtrenuè.

"*Ille quidem malè gratus, & ad mea munera ſurdus,*

"ità de me impiè cogitat ac vociferatur malignè, quaſi enecaturus in deſerto evocaverim ex *Ægypto*; quaſi ab *Ægyptiis* eripuerim, ut mihi prædæ eſſet; quaſi victum præſtare non valeam, qui dedi corpora; quaſi vires mihi deſint paſcendi ho-

" mines,

"mines, in arenis etiam ſteriliſſimis; quaſi ex lapidibus condere panem carnémve, ſi "opus ſit, non poſſim, qui ex nihilo produxi omnia. Quare *meis hæc illi verbis de-* "*nunciato, ſub veſperam carnes habiturum, poſt auroram pane ſaturatum iri.* Si ter- "ra non ferat, cœlum depluet; *ut ſciatis Jehovam eſſe me, veſtrum, Iſraëlitæ, Deum.* Ut prædictum, ità mox perfectum eſt. Sub veſperam coturnices advolârunt, & operuerunt caſtra. Manè, cùm evanuiſſet ros, relictum eſt minutum quid inſtar pruinæ, quo terra eſt undique dealbata; cui ſimile quicquam ex tanto nullus unquam populo conſpexerat. Ignorantis eſt admirari; admirantis quærere & ſciſcitari, ut diſcat aliunde. Demirantes igitur novitatem rei, percontati ſunt *Hebræi* mutuò *Man-hu*, quod linguâ *Hebraïcâ*, (ut *Joſephus*) vel (ut alii) *Syriacâ*, ſignificat idem quod *Hebraïcè Mah-hu*, *Quid hoc?* unde contractum aliqui novum atque uſurpatum vulgò poſtea *Mannæ* arbitrantur nomen. (*Joſeph.* Antiqu. l. 3. 1.) Quanquam alii (ut *Philo* in Allegor. Leg. lib. 2. & *Judæi* quidam in *Exod.* 16. 15.) deductum à *Man Hebraïco* malunt, ſignificante *portionem.* Cibus enim hic paratus videbatur, & in fruſta diſſectus minima, ut coquo diviſore non eſſet opus, qui ſuam cuique portionem diſtribueret. Non priùs tamen hic panis de cœlo datus eſt, quàm ille de terra *Ægypti* defeciſſet. Populum ſuſpenſum edocuit *Moſes*, hunc eſſe panem quem Deus de cœlo ſe daturum promiſerat. Singulis ergò diebus manè ſinguli colligerent quantum poſſent; dimenſi verò acciperent ſinguli Gomerum; (minoris id erat menſuræ genus;) nihil reponerent in craſtinum: die tantùm ſexto duplicem eſſe menſuram colligendam, reponendámque partem, ut ſeptimo quieſcerent, Sabbato nimirum, & *Jehovæ* ſacro. Coquerent ergò & elixarent quæ vellent ſexto die, ut ſeptimo eſſet paratus victus: nullam enim foris Mannam eo inventuros die. Summam hujus præcepti nè violarent, fames prohibuit; nè ſingulis parérent articulis, protervia. Neceſſe erat colligere, alium non habituris panem. Sed aliqui, aut nimis anxii de futuro, aut nimis deſidioſi, ut craſtino labori parcerent, in craſtinum repoſuerunt, Deo prohibente, fœtidam vermibus eſcam futuram, non hominibus. Alii profecti ſunt etiam in Sabbato Mannam collecturi. Sed impiâ & inutili operâ: Nihil enim foris repertum eſt eo die quod colligerent. Quod autem ſexto reponebatur ex mandato Dei, id neque fœtore aliquo, neque vermium ſcaturigine corruptum eſt. Neque *Moſen* modò contumacia hæc populi, ſed ipſum quoque Deum irritavit. Quare iterum, ídque ſeveriùs, prohibuit, nè ſuum Sabbatum violaretur, néve caſtris totâ egrederentur die. Hoc & ad urbes tranſlatum eſt mandatum poſtea; unde ultra cubitos bis millenos deambulare in Sabbato nefas habebant *Judæi.* Deinde *Moſi* Deus, *Aaroni Moſes* imperabat, ut in aureo vaſe (*Heb.* 9. 4.) Mannæ conderet Gomerum, prope Arcam ſacram reponendum, quam erat fabricaturus *Moſes*; quò poſteri cognoſcerent, quali pane ſuos majores aluiſſet in deſerto Deus. Hoc autem cibo veſcebantur *Hebræi* quadraginta ſimul annis, donec terminos *Canaanææ* attigiſſent. Coriandrino grano par fuit; Bdellio aromati (ſic enim *Joſephus* Antiqu. 3. 1.) albicante colore ſimilior. (*Num.* 11. 7.) Guſtu verò mellitæ ſimilæ cruda, (*Exod.* 16. 31.) oleo cocta ſuaviſſimo. (*Num.* 11. 8.) Humi quotidie, cùm ferveſcebat Sol, Manna liqueſcebat. (*Exod.* 16. 21.) Sed collecta induruit, adeò ut molâ mortarióve conteri atque frangi poſſet, coctáque ignem ferret. (*Num.* ibid.) Has Mannæ pluvias, in iiſdem *Arabiæ* locis, etiam ſuis temporibus decidiſſe, quæ *Moſaïcis* inceperant, *Joſephus* narrat; quâ fide, haud facilè dixero. Nec enim videtur opus fuiſſe, ut reconderetur aliquid in Arca ſacra quod poſteri viderent ejus rei, quam licebat in ſolitudine vicina indies cadentem cernere. Nec ſua in Sacris deeſt huic pani ſignificatio. *Chriſtum* præcipuè deſignabat, vitæ panem, de cœlo ad nos deſcenſurum. (*Joan.* 6. 31, 32, 48, 49, 50, 51. 1 *Cor.* 10. 3.) Is manè, quàm primùm amplectendus; (*Gal.* 6. 10.) hujus vitæ ſex diebus; (*Joan.* 6. 27, 29.) in ſabbato fruſtrà quærendus; (*Matt.* 25. 8, 9, 10.) dum in deſerto hujus mundi inter mala, inter malos peregrinamur. Is malis contritus quaſi molâ, & crucis igne coctus. (*Joan.* 6. 48, 51. 1 *Pet.* 3. 18.) Is per omnes viæ, hoc eſt, vitæ hujus, annos, donec patriam in cœlo promiſſam conſecuti ſumus, fide comedendus. Illum pii omnes æquali participant menſurâ. (*Gal.* 3. 28, 29. 2 *Pet.* 1. 1.) Illo adveniente, Juſtitiæ vero Sole, Manna vetus liquefacta, hoc eſt, figuræ Legales ut umbræ evaneſcebant. Illum denique amplexi de craſtino, de rebus mundi atque vitæ hujus, minimè ſoliciti eſſe debemus. (*Matt.* 6. 31, 34. *Heb.* 13. 5.) Sed qui mannam illam comederunt, mortui ſunt: (*Joan.* 6. 49.) qui autem *Chriſto* paſcuntur, pane cœleſti, per fidem, habent vitam æternam, &c. (*Joan.* 6. 35, 47, 51, 54.)

A.M. 2514.

Promittente Deo, coturnices advolant, & manna depluit è cœlo; cujus ratio exponitur.

§ 23. Ex

A.M. 2514.

Raphidim aquâ deficiente nova ſeditio.

§ 23. Ex ſolitudine *Sinis Dophcam* perrexerunt *Iſraëlitæ*, nonum caſtris ponendis locum; ſed & hunc in eadem eremo, teſte *Hieronymo*. *Dophcâ* decimis caſtris *Aluſhum*; indè in *Raphidim* pervenerunt, emenſi à *Sine* paſſuum ferè viginti ſex millia. Hîc iterum deficiente aquâ, populi nova eſt coorta

———*ſeditio, ſævitque animis ignobile vulgus.*

Potum ſibi à *Moſe*, potum dari minaciſſimè poſtulabant; indigniſſimè tractabant, penéque lapidibus obruebant liberatores ſuos. Denique, palàm vocabant in dubium præſentiam atque providentiam Dei. Nam quæ hactenus geſta ſunt, *Moſis* tantùm præſtigiis atque impoſturis nequiſſimi homines ingratiſſimíque tribuebant. *Moſes* ad ſolitum aſylum confugiebat, precibus & querelis ad nubem Dei. Procedere jubetur cum populo ad petram in *Horebi* ſolitudine: ipſe autem cum principibus patribúſque familiarum præcedere, manu baculum tenens conſecratum. Affuturum ſe quoque pollicetur Deus, effecturúmque, ut percuſsâ baculo petrâ, profluat abunde quæ ſufficiat univerſis aqua. Poſtquam hoc inſigni miraculo, ſpectante principum turbâ, & ſitim populi & tumultum ſedaviſſet *Moſes*, nomen loco *Maſſam* & *Meribam* dedit: (*Tentationem* & *Contentionem* id ſignificat:) quò & peccata *Iſraëlitarum* cum dedecore tranſmitterentur ad poſteros; & moneremur nos, nè vel diffidendo nimis tentemus Deum, (*Heb.*3.8,9. *Deut.*6.16. *Pſal.*95.8,9.) vel maledicendo contendamus cum Dei miniſtris. In hac autem rupe, ut aqua recreandis corporibus, ſic & animabus magnum ſalutis humanæ myſterium continebatur. Rupes enim illa *Chriſtus*, (1 *Cor.*10.4.) noſtræ ſalutis rupes. Ille ictus baculo *Moſis*, hoc eſt, *Moſaïcæ* Legis maledictionem paſſus noſtrî causâ, (*Eſa.*53.4, &c. *Rom.*4.15.) ſpiritualem præbet jam fidelium animabus potum, quo ad vitam reficiuntur æternam, ut ex eorum etiam ventre vitales aquæ profluant abunde. (*Joan.*4.10,14. & 7.37,38.)

Illa ex petra elicitur:

hæc bello punitur. Amalecitæ

Impunitam eſſe populi tantam proterviam juſtitia Dei non ferebat. Bello placuit ulciſci; quod ſuâ erant ſponte illaturi *Amalecitæ*. Adſunt quibuſcum jure poſſint contendere, qui ſine cauſa litigabant cum Dei miniſtris. Ea quidem gens, ut loco vicina jam, (aliquam ſcilicet *Idumææ* partem tenebat,) ità ſanguine fuit *Iſraëlitis* propinqua; poſteri ſcilicet *Amaleci* ducis, (*Gen.*36.12,16.) quem ex *Timna* concubina genuerat *Eſavi* filius *Eliphas*. *Raleius* nullo modo concedendum putat, *Amalecitas* ex poſteris *Eſavi* fuiſſe, ſed *Iſmaëlis* potiùs; quia *Idumæis* parci Deus voluit, noluit *Amalecitis*. At par fuit *Amalecitas* immanitatem ſuam in cognatos, nullâ injuriâ provocantes, pari & immani aliquâ pœnâ luere. Reliqui tantum non meruerant ſupplicium *Idumæi*. Itaque mitiùs agi cum his ut cognatis voluit Deus; eos verò ut hoſtes maximè infeſtos exſtirpari. Hi ſibi modis omnibus prohibendum putabant, nè *Iſraëlis* poſteri promiſſam à Deo *Canaanitidis* hæreditatem adirent.

———*Manet altâ mente repoſtum*

facinus impium (ut illis videbatur) *Jacobi*, quo majorem natu fratrem *Edomum* jure primatûs dolo fraudavit malo. Nec timor defuit, *Iſraëlitas*, tam infinito & hominum & pecorum numero, *Amalecitarum* in tranſitu vaſtaturos regionem. *Joſephus* autor eſt, (Antiqu.3.2.) *Gobolitidem* regionem, & urbem *Petram*, ejus *Arabiæ* caput, *Amalecitas* incoluiſſe; conſpiràſſe verò in *Hebræos* gentes vicinas, legationibus ultro citróque miſſis. Niſi enim in deſerto vagantes fugitivos opprimerent, ſqualore ſervitutis nondum excuſſo, munitis urbibus tandem expugnatis, infeſtos dictitabant omnibus atque formidabiles futuros. Quare primùm arte rem agebant. Inſidiati ſunt à tergo, & poſtremum carpebant agmen exercitûs; ut quemque tardiorem aſſecuti ſunt, aut morbo languidum, aut feſſum de via, ferro crudeliter invadebant. (*Deut.*25.18.) Propulſare quidem Deus facillimè poterat, aut eludere hoſtium vim. Sed caſtigari maluit peccata ſuorum, quàm augeri nimiâ indulgentiâ; & reprimi audaciam ſui populi, quàm alieni. Verùm pro peccato magno paululum ſupplicii ſatìs eſt cœleſti Patri. Suos quidem hoſtibus corrigendos tradidit; hoſtes autem ſuis delendos atque exſtirpandos. Oblatam ſuis vim prælio vindicandam *Moſes* cenſuit. Nec fortaſſe per *Amalecitas* licebat ſine pugna progredi. Itaque belli dux eligitur *Nuni* filius *Joſua*; primarius quidem vir ex primaria tribu *Ephraïmi*, & idem fortiſſimus. Patrem ejus LXX *Græci* Interpretes Ναυὴ vocant, errore quodam vetuſto, pro Ναὺν ſeu Νὺν. *Hoſeas* primò dictus eſt; à *Moſe Joſua* nominatus, id eſt, *Servator*, ex omine Divino certâque rerum poſtea ge-

à Joſua,

gerendarum ſpe. Hujus operâ *Moſes* (quem ab intimis conſiliis atque miniſteriis habuit) in rebus quibuſque maximis maximè uſus eſt. Illi exercitûs legendi ducendíque munus traditur. In ſummo etiam ſe monte conſpiciendum populo daturum cum baculo conſecrato, quaſi ſigno ad confirmandos milites, pollicebatur *Moſes*. Commiſſo prælio, dum levabat manus (quod orantis eſt) *Moſes*, *Iſraëlitæ* ſuperiores propellebant hoſtes; cùm remitteret paululùm, prævalebant *Amalecitæ*. Aderant in monte *Moſi Aaron* frater, & *Hur* ex tribu *Juda* populoſiſſima princeps. Quin & *Mariam* duxiſſe conjugem, *Moſis* ſororem, tradit *Joſephus*, (Antiqu. l.3. 2.) & *Procopius*. Cùm feſſæ diutinâ morâ *Moſis* langueſcerent manus, *Aaron* & *Hur* illi ſaxum præbuerunt in quo ſederet, & manus utrinque alter dextram, alter lævam, ſuſtinebant. Ità erectæ ad veſperam uſque perſtiterunt. Ità fuſis fugatíſque tandem *Amalecitis*, in caſtra victor *Joſua* cum exercitu reverſus eſt, ſpoliatis priùs hoſtium caſtris, ingentíque prædâ potitus, autore *Joſepho:* quanquam *Moſis* ad hanc victoriam magìs quàm *Joſuæ* manus profuerunt. Neque tamen ſumpta hæc de *Amalecitis* pœna placavit Deum, quam noctis intervenientis beneficium diminuerat. Id quidem illi fecerunt, quod factum voluit Deus ad caſtigandos *Iſraëlitas*. Verùm eâ mente fecerunt illi, non ut voluntati Divinæ obſequerentur, ſed pravitati ſuæ. Inhumanum igitur Deo viſum eſt, ab *Iſaaco* & *Abrahamo* gentem oriundam, ſuos cognatos bello perſequi, defatigatos, inopiâ ſummâ laborantes in deſerto, & ab hæreditate divinitus deſtinata excludere; ídque primam conari, & ſolam gentium ferè omnium non terreri tot miracúlis pœnarum in *Ægyptios* editis. Quare ſcriptis commendari hæc ad memoriam poſterorum Deus mandavit, utcunque aliàs *Idumæo* nomini ſatìs propitius; & *Joſuæ* ducibúſque belli futuris præcipuè inculcari, rebus tandem in *Canaanæa* proſperis & quietis, eradicandam eſſe *Amalecitarum* nationem, ipsámque memoriam, quantum poſſet fieri, atque nomen penitùs delendum. (*Deut.* 25.17, 18, 19.) Et aram hujus rei monumentum exſtare *Moſes* voluit; cui, poſtquam ſacris euchariſticis operati eſſent, nomen quoque *Jehovaniſſi* dedit, hoc eſt, *Deus mihi vexillum:* addidítque juratum eſſe *Jehovam*, bellum ἄσπονδον ſe contra *Amalecitas* geſturum, nec niſi gentis totius internecione finiendum. Iterum igitur *Moſes* hac de re moriturus monuit *Iſraëlitas*. (*Deuteron.* 25. 17, &c.)

A.M. 2514. | levante manus *Moſe*, ſuperantur.

§ 24. Poſt hanc victoriam rebus *Iſraëlitarum* valde opportunam, à *Jethrone* ſocero *Moſis* nuncii referunt, eum generi viſendi gratiâ, & gratulandi, cum uxore *Zippora* filiíſque *Moſis* adventare. Tanto viro, támque de ſe optimè merito, ſocero præſertim gener, in via occurrendum putavit, honoris ergô. Obvius factus, demiſſo corpore ſalutans adventum oſculo gratulatus eſt. Dein mutuò de ſalute percunctati, in caſtra tentoriáque *Moſis* perrexerunt. Narratur hîc, quantis operum prodigiis populum ſuum Deus, primò à ſervitute, deinde ab armis *Ægyptiorum* vindicârit. Mirifico igitur gaudio perfuſus *Reguel*, in Dei benedictionem erupit, ſcire jam ſe profeſſus, *Jehovam* eſſe omnibus majorem diis. Quo enim illi peſſimè acceperunt *Hebræos*, eodem ipſi peſſimè à Deo multati ſunt. Infantes illi ut primùm nati ſuſtulerunt: primò illis genitos interemit Deus. Infantes *Ægyptii* aquis fluvialibus; viros fortiſſimos *Ægyptiorum* Deus marinis obruit. *Hebræos* ut mancipia ſervire gratìs atque operari juſſerunt *Ægyptii*; mercedem illis Deus pretioſiſſimas quaſque perſolvit *Ægyptiorum* res. Quare holocauſta *Jehovæ* obtulit *Jethro*, & victimas euchariſticas immolavit *Hebræorum* Deo. *Aaronem* verò populíque principes ad ſacrum vocavit convivium. Populo *Joſephus* epulum ait præbuiſſe *Moſen*. Atque hoc primùm tempore veram videtur amplexus Religionem ſocer *Moſis Reguel*. Nec enim ſacris modò veneratur *Jehovam*, ſed & ea ſcire ſe jam profitetur quæ neſciverat priùs.

Jethro ſocer *Moſen* convenit,

Proximum contigit faſtum eſſe diem. A manè primo ad veſperam uſque, diſceptantibus *Moſes* dixit jus, & conſulentibus tradidit reſponſa Dei. Laborioſè magis hoc à genero quàm prudenter fieri, ſocer opinatus eſt. Nec enim ſufficere poſſe tot moleſtiis corpus unicum: in plura diſperſas minui. Conſilio igitur opportuno laboranti ſuccurrit; cui & *Moſes* facilè obſecutus eſt, nè obrutus negotiorum mole fatiſceret. Monuit enim ſuaſítque ſeriò, ut è ſingulis tribubus eligerentur viri ſtrenui, integræ famæ, in ſuis tribubus noti, (*Deut.* 1. 13.) prudentiâ inprimis, peritiâ juris atque juſtitiâ prædititi, qui timentes Dei, turpe lucrum deteſtarentur. Ex his tribunos conſtitueret ſive chiliarchas, centuriones, decuriones, & viris

qui genero conſulit, ut Judices inferiores præficiat, ſibi parcat;

A.M. 2514.

ris quinquagenis præfectos. Ipſe quæ ſpectabant Deum tractaret ſolus & expediret. Minora quæque Præfecti minores dijudicarent, nec niſi graviſſima difficillimáque deferrent ad *Moſen*. Sic enim fore, (ſi tamen Deo ſic videretur) ut multorum manibus grande hoc onus levaretur. Prudentior fuit *Moſes*, quàm ut ſe ſolum prudentem crederet, vel ut uſurparet illud Poëtæ,

Conſilii ſatìs eſt in me mihi.——

Ut plures in agendo plùs valent manus; ità plura in conſulendo ingenia.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν,
Ὅππως κέρδος ἔῃ· μοῦνος δ' εἴπερ τε νοήσῃ,
Ἀλλά τέ οἱ βράσσων τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις. (*Hom. Iliad.* κ'.)
Cùm duo conveniunt, uno eſt præſtantior alter,
Utile ut inveniat: nam ut rectè intelligat, uni
Tardior & mens eſt, minor & prudentia ſoli.

Viros igitur idoneos cùm ſingulæ tribus obtuliſſent, *Moſes*, autoritate quâ pollebat Divinâ, ſuam cuique præfecturam dedit; & hæc ſimul addidit præcepta: "Nè quid " *cujuſquam gratiâ*, nè quid timore aut ſpe, odio vel amore facerent, omitteréntve; " *ità viros maximos judicarent ut minimos*, ità potentes ut pauperes; *nè quos hominum vultus formidarent. Dei enim eſſe*, quibus illi præeſſent, *judicia*; cui muneris malè procurati rationem erant reddituri; ab eodem bene geſtâ re patrocinium " accepturi & præmium.

filiúmque *Hobabum* itineris comitem, ſive ducem, relinquit.

Diſceſſurus erat jam in *Midianitidem Jethro*, eúmque dimiſſurus honorificè *Moſes*; *Hobabum* verò *Jethronis* filium, qui cum patre advenerat, ſummo apud ſe ſtudio retinere conatus eſt; promiſítque, bonorum quæcunque Deus *Iſraëlitis* largiretur, *Hobabum* participem fore. (*Num.*10.29,32.) In deſerto enim illi notiſſimo, ducem itineris eum ſe deſiderare profeſſus eſt *Hebræorum* dux. Nec enim ità eſſe nitendum auxilio Divino putavit, ut humanas rationes commodè, hoc eſt, divinitus oblatas temere negligeret. Idonea quidem loca morandi & quieſcendi deſignabat Nubes Dei. Nihil erat *Hobabo* ea in re opus. At locorum ubi caſtra metabantur & vicinorum commoda incommodáque monſtrare potuit, ac monere alia multa, ſolitudinis immenſæ gnarus vir. Aliqui metandis caſtris, & ordinibus cohortium inſtruendis regendíſque dum incederent, præfectum opinantur. Ille verò & provinciam & præmium hoc non modeſtè minùs recuſavit, quàm benignè *Moſes* obtulerat. In patriam ſe multò libentiùs remeaturum dixit. Sed hominis modeſtiam precibus videtur expugnâſſe *Moſes*; & *Hobabus*, aut relictus, aut, rebus domi compoſitis, in caſtra mox *Hebraïca* reverſus eſt. (*Jud.*1.16. & 4.11. 1 *Sam.*15.6. 2 *Reg.*10.15.) Qui hoc igitur modo exponunt hanc rem, hoc etiam tempore geſta credunt quæ *Num.*10. narrantur de *Hobabo*, quæque modò ſunt à me tradita. Malunt alii, relictum fuiſſe à *Jethrone* diſcedente filium, ut ab *Hebræis* Legem Religionémque veram diſceret ac penitùs hauriret. Poſt annum ferè, cùm à *Sina* monte diſcederent *Iſraëlitæ*, (*Num.*10.) exoratum à *Moſe*, ut comitem itineris atque ducem daret ſe. Sive hoc ſive illo tempore, exoratum certè conſtat, atque profectum in *Canaanæam* cum *Iſraëlitis*. Malè igitur nonnulli eundem fuiſſe virum, ſed nominibus diverſis, *Hobabum* atque *Jethronem* contendunt. Nam *Jethro* ſenex in *Midianitidem* rediit, dimittente haud difficulter *Moſe*. (*Exod.*18.27.) At *Hobabus Iſraëlitas* comitatus eſt cum familia. (*Num.*10.31,32. *Jud.*1.16.) At horum, qui cum patre filium confundunt, ex eo eſt natus error, quòd *Hobabus Hoten* à *Moſe* appelletur bis: (*Num.*10.29. *Jud.*4.11.) Illi *ſocerum* interpretantur. At verò vox *Hebraïca Hoten*, autore *Aben Ezrâ*, quemvis *cognatum* atque *affinem*, non modò *ſocerum*, ſignificat.

In ſolitudine *Sinæ*

§ 25. Tertii menſis primo die ad *Sinæ* ſolitudinem atque montem pervenerunt *Iſraëlitæ*, *Horebo* altiorem, duodenáque tantùm ſtadia diſtantem. (*Bellonius* Obſervat. lib.2.c.6.) A *Sene*, quod *rubum* ſignificat *Hebraïcè*, accepiſſe videtur nomen; cujus fruticis ille mons abundabat copiâ: *Horeb*, à ſoli ariditate. Montem ipſum occupabat Nubes Dei; circumdederunt caſtra populi in ſolitudine. Hoc in loco enim, populum ex *Ægypto* liberatum veneraturum ſe cultu ſacro, jam antè *Moſi* prædixerat Deus. Quare novum Fœdus cum hac natione initurus, inprimis voluntatem populi explorare juſſit *Moſen*, nè cum invitis paciſci videretur. Nec ut ſervis jam

fœdus inſtituit Deus cum *Iſraëlitis*:

aut

aut ſuis operibus Legem *dare*, ſed ut libertis aut filiis *rogare* maluit : nec niſi libentibus illud jugum imponere, quod recuſare niſi perdüelles non poterant. Itaque mandat hæc illis nunciari : " *Iſraëlitas ſuis vidiſſe oculis quæ quantáque facinora deſignârit* " *in Ægypto* Deus eorum gratiâ ; *ut eos* omni periculo ſuperiores *tanquam alis aquili-* " *nis portaverit*, velociſſiméque *perduxerit huc ſui ſolius gratiâ.* Sibi enim unos uni " ſervos deſignâſſe. *Quòd ſi aures atque animos præberent ſibi obſequentes, atque ob-* " *ſervantes ſui fœderis*, quanquam *ſuæ ſint gentes univerſæ*, tamen *eos pro peculio ſuo* " *theſauróque recondito, pro regno ſacerdotali, ſeu regali ſacerdotio, ſanctâque gente ha-* " *biturum.* Cùm Deo renunciâſſet *Moſes*, (ex Principibus enim didicerat,) omnes uno profeſſos ore, dicto ſe audientes fore, alia deinde tradita ſunt ad *Iſraëlitas* mandata hæc : ut uno alteróque die purgarent atque ſancirent ſe, veſtes & corpora (*Lev.* 8.6. & 15.5,6, &c.) lavarent, Venere abſtinerent etiam conjugali. (*Lev.*15.18,24. 1 *Cor.*7.5.) (His enim ceremoniis, ab omni carnis atque ſpiritûs immunditie (2 *Cor.* 7.1.*Eph.*5.26. *Tit.*3.5.) ſignificabatur puritas per fidem in *Chriſto* & regenerationem Spiritûs in baptiſmo.) Denique, pararent ſe quantum poſſent : viſuros enim in monte *Sina Jehovam* tertio deſcendentem die, ſuámque populo magnificentiùs explicantem gloriam. Montem verò cancellis à *Moſe* circumſcribendum eſſe limitibúſque certís dixit, quos tranſilire nefas. Denunciandum igitur populo, ſi quid humani belluiníve generis eos tranſgrederetur terminos, ſaxis id eſſe aliíſve telis eminus interimendum. Manu enim contrectari violaríque exſecrabilem rem, nullo modo licere. Quin & *Moſi* eſt pollicitus Deus, eum ſe, poſtquam deſcendiſſet, glorioſè, audiente populo, ex nube compellaturum ; ut eò major in poſterum ejus oraculis & perpetua fides haberetur. (*Exod.*19.9.)

A.M. 2514.

ut Ille tutelam populi & ſalutem ſuſciperet ;

Fœdus quod erat cum *Iſraëlitis* percuſſurus jam Deus, omnem Religionem, hoc eſt, cultum Dei, & humanæ ſalutis myſterium continebat. Idem erat quoad ipſam rem antea cum *Adamo* contractum poſt mundi primordia ; cum *Abrahamo* deinde confirmatum, ritúque novo Circumciſionis auctum ; cum hoc maximè populo renovatum, poſteris *Abrahami* ſcilicet, reliquo genere mortalium neglecto, niſi ad hunc tranſirent, & hujus veluti arboris trunco inſererentur. (*Act.*13.17.) Nam ex hac gente *Chriſtum* Salvatorem naſci ab æterno deſtinatum fuit. Sed utrinque fœdus obſtringit. Deus patrocinium *Iſraëlitis* dum in terris agerent, in altera vita ſalutem ſe daturum æternámque felicitatem paciſcitur. (*Exod.* 19.5,6.) Quæ populum ſpectabant tribus Legum generibus (*Pſal.*147.19,20. *Rom.*3.2. & 9.4. *Deut.* 26.17.) conſcribi Deus voluit. Eæ *Ceremoniales*, *Judiciales*, atque *Morales* appellari ſolent. Lex Moralis erat magiſtra vitæ, ac certiſſima tum pietatis adverſus Deum norma, tum probitatis atque juſtitiæ inter humanum genus. Primæ hujus parti, quæ Pietatem regit, Ceremonialis ea lex famulatur. Nam ſacris quibuſdam ritibus & cultum Deo gratum inſtituit, myſteriáque *Chriſti* omnia ſignificat. Alteri maximè parti juris moralis, quæ Probitatem ſancit morum atque juſtitiam, lex ancillatur Judicialis. Pœnis enim adhibitis aliíſque inſtitutis probabiliter ex mente legis moralis, pacem tuetur civilémque ſocietatem, quò liberiùs colatur Numen Divinum. S. *Paulus* videtur tribus verbis has leges indicâſſe tres, ubi *Legem ſanctam eſſe* ait, *juſtam*, *atque bonam*. *Sanctam* Ceremoniis quidem ſacris ; Sanctionibus politicis *juſtam* ; ethicis undequaque *bonam*. Et moralis quidem juris, quod primarium eſt, notiones inerant animis humanis quaſi à natura inſculptæ ; (*Rom.*2.15.) ſed obſcuratæ omnes, & alicubi deletæ poſt *Adami* caſum, ut novâ editione opus videretur. Varia enim ſcelera apud gentes plurimas contra judicium naturæ ſanæ in conſuetudinem & mores abierunt. Quare viſum eſt Deo, ut impietatem argueret eorum hominum qui veritatem injuſtè detinebant, (*Rom.*1.18.) quaſi novâ face lucis naturalis reliquias accendere, à corruptelis gentium vindicare, ac in integrum reſtituere Legem ſuam, ſcriptíſque perfectam tradere ; nè quam homines vel ignorantiam denuo, vel oblivionem ſuis prætenderent peccatis. Hujus verò præcepta perficientibus omnia, ſpondebatur æternæ præmium ſalutis ; pœna violantibus, ira Dei, maledictio, æternúmque apud inferos debebatur ſupplicium. Quanquam huic rudi adhuc populo, & ad res terrenas abjicienti ſe, non niſi de terrenis apertè corporeíſque rebus promiſſiones atque comminationes propoſuerit Deus : Eas verò ſpiritualium typos & ſymbola fuiſſe, perſpicuè demonſtratarum in Evangelio, ex fidei analogia patet. Quod ſi quis negat, idem animæ immortalitatem, juſtitiam & providentiam Dei, omniáque pietatis fundamenta convellat neceſſe eſt.

Populus Dei Legem obſervaret, 1. moralem, 2. ceremonialem, 3. judicialem.

Quò

Quò magis ergò terribilem exſpectarent ultionem quicunque in his moralibus peccarent, modo quodam formidabili has etiam promulgari leges placuit.

A.M. 2514.

Moralis Lex in monte *Sina* traditur terrifico more,

§ 26. Ut primùm illuxit ille tertius dies, protinus nigreſcere denſiſſimâ nube caliginéque involutus mons; crebra fulgura coruſcantibus flammis perſtringere oculos; aures tonitruum boatu perrumpente cœlum obtundi; accinere his acutiſſimus tubæ clangor: quibus omnibus viſa eſt commoveri tellus, concuti cœlum, obſtupeſcere animi, præcordiáque hominum intima contremiſcere. *Moſe* tamen ducente, obvius Deo populus ad montis uſque radices & limites conſtitutos, timidè quidem, ex caſtris & pedetentim procedebat. Ac primos dabant ſe, qui primogeniti per familias, Deo ſacri, & ſacerdotali munere fungebantur. (*Exod.* 19.22.) Hi quidem proximi Deo. Poſtea tribuum Principes; deinde majores natu familiarum & præfecti. *Hebræi* ſequebantur viri, viros pueri, pueros fœminæ, ac poſtremo in loco, remotiſſimi à Deo peregrini. (*Deut.* 29. 10, 11.) Fumare interim & exardeſcere *Sina* mons, tremereque totus mirificè, & multò vehementiùs tuba clangere, cùm in igneo turbine quaſi deſcendit clariúſque prodidit ſe Deus. Tantus horror animos omnium pervaſit, ut *Moſes* ipſe coram Deo totis artubus contremiſcere ſe non diſſimulârit. (*Hebr.* 12. 21.) Quem propterea Deus molliore voce conſolatus eſt, populo forſan audiente. In ſummum deinde montem vocatus à Deo, monere populum jubetur, nè propiùs ingerat ſe, Divina curiosè perſcrutaturus. Id enim plurimis exitio futurum. Sacerdotes verò, qui propinquiùs erant acceſſuri, ut quàm poſſint puros atque ſanctos ſe coram Deo exhibeant, nè in immundos irruat iratus, interimátque. Sed reſpondit *Moſes*, jam ſatìs cautum eſſe novis cancellis, nè quis altiùs quàm par ſit aſcendat ad Deum. " Imò verò, inquit *Jehova*, contra humanam " temeritatem nunquam eſt cautum ſatís. Iterum *populo*, ídque ſeveriùs, interdi" cendum eſt, *ipſiſque ſacerdotibus*, *nè temere cancellos tranſiliant conſtitutos aſcenſuri* "*ad me*; *nè & ego vehementiùs in illos impetúque violentiore ferar*, & exitio contu" maces dem. *Tibi* ſolummodo *&* *Aaroni* in hunc ad me montem *aſcendere* atque " accedere propiùs *licebit*. His ergò prout imperatum eſt populo denunciatis, cum *Aarone Moſes* rediit. Tum demum Legem moralem in Præcepta partitus Decem, (*Deut.*4.13. & 10.4. & 5.22. *Exod.*34.28.) omnes tubas atque tonitrua multùm ſuperante voce ità promulgavit Deus.

Præceptis decem,

1. *Ego Jehova Deus ille ſum qui ex Ægypto, ex ergaſtulo te liberavi:* (*Exod.*20. 2. *Deut.*5.6. & 4.20. *Levit.*19.36,37. & 22.33.) *Aliud Numen præter unum Me nullum venerator.*

2. *Fictum pictúmve ſimulacrum rei cujuſquam, vel cœleſtis, vel terreſtris, vel aquatilis, nullum colito. Deus enim Ego tuus Jehova, ſum zelotypus Deus*, qui rivales non feram, *quique in liberis puniam delicta majorum ad tertiam & quartam uſque generationem, eorum qui oderunt me; idem verò propitius ad milleſimam, eorum qui meum Numen amant, meiſque mandatis obſequantur.*

3. Verendum *Jehovæ tui Numinis nomen* vile nè facito, *temere ac inaniter nè adhibeto. Nec enim id impunè per me, qui fecerit, feret.*

4. *Sanctè Sabbatum celebrare nè obliviſcitor. Sex operaberis diebus, quæque peragenda ſunt perficies omnia. Septimus Jehovæ Sabbatum* & ſacrum *Deo eſt, in quo neque tu laborabis, neque liberi aut ſervi jumentáve tua; imò neque peregrini quicunque degunt apud te. Sex enim diebus fabricatus mundum eſt Jehova; ſeptimo quievit. Quare ſeptimo benedixit, ſacroſanctúmque haberi voluit.* (*Lev.*19.3,30. & 26.2. *Exod.*31.13,14,&c. & 34.21. & 35.2,3.)

5. *Debito parentes honore proſequitor, diu* ac feliciter *ut vivas, & fruaris terrâ* illâ beatâ *quam tibi daturus eſt Jehova.* (*Levit.*19.3. *Deut.*5.16. *Epheſ.*6.2,3.)

6. *Hominem nè occidito.*

7. *Alienos thalamos adulteriis nè corrumpito.* (*Lev.* 18.20.)

8. *Furtum nè facito.*

9. *Falſo teſtimonio nè fraudi vicinis eſto.* (*Exod.*23. 1,2,7. *Lev.*19.16. *Deut.* 19. 16, 17, &c.)

10. *Domum alienam Uxorémve nè concupiſcito, neque agrum, neque ſervos aut jumenta, aliúdve quicquam alterius quod ſit.* (*Deut.*5.21.)

ab Angelo magni conſilii *Chriſto*:

Promulgatorem fuiſſe hujus Legis Angelum illum magni conſilii, utriuſque Fœderis autorem atque interpretem *Chriſtum*, haud obſcurè innuit S. *Stephanus*; (*Act.* 7.38.) clariùs prodit Apoſtolus ad *Hebræos*, (12. 26.) Sed & aliis eum cœleſtis

A.M. 2514.

leſtis militiæ ſtipatum adminiſtris copiis. (*Act.* 7. 53. *Gal.* 3. 19.) Qui primò indidit humanis mentibus Naturæ legem, idem ſuâ voce inſtaurandam & promulgandam cenſuit. Deo enim id agente ſine opera Angelorum, utcunque præſentium in aëre, & Divina exſpectantium mandata, ſonuit clariſſima vox. Cùm hæc populus non tam attentus quàm attonitus audiviſſet, tubâ dirùm clangente, reboantibúſque tonitruis, fumantem quoque ardentémque flammis montem conſpicatus, ultro ac timidè receſſerat, pavidúmque ab hoc minarum tantarum fragore ſe procul ſubduxerat; unâ mox voce *Moſen* prodeuntem ex Nube obſecraverunt populi Principes, (*Deut.* 5. 23.) nè quandò in poſterum Dei horriſona vox, & mortifera ſibi omnibus futura, aures animóſque percelleret. *Moſi* enim ſe internuncio, homines homini libenter obſecuturos. Abunde verò ſibi ſufficere, quòd gloriam viderint, vocémque audiverint Dei, & adhuc vivant tamen. Quare *Moſes*, pro ſumma hominis manſuetudine, dejectos erigere, timidos quà potuit confirmare, animo jubere bono & erecto ut ſint. Deum adeſſe quidem ait, ſed ut tentet ſolummodo, ac ſuum illis timorem incutiat, quo à peccando in ſe deterreantur. Sed & ipſe Deus hanc populi optionem redeunte in Nubem *Moſe* comprobavit; (*Deut.* 5. 28.) promiſitque, ſemper ſuſcitaturum ſe *Moſi* ſimilem ex ipſis *Iſraëlitis* Prophetam, cui ſi quis negaret fidem, vindicaturum ſeverè minabatur ſe. (*Deut.* 18. 16, 17, &c.) Hæc igitur denuo ad populum à Deo retulit mandata. Audiviſſe jam *Iſraëlitas* vivâ ſe de cœlo voce alloquentem. Nè igitur ex auro argentóve fingerent ſibi mutos mortuóſque Numini ſuo corrivales deos. Altare ſibi ex terra ut conderent, ubi ſacra immolarent, liberi adhuc, & priuſquam certus ac perpetuus locus eligeretur. In loco à ſe deſtinato ſacris, affuturum ſemper, utcunque non conſpiceretur, benéque illis dicturum facturúmque. Altare tumultuarium ad ſubitanea ſacrificia ex lapidibus non niſi rudibus terrâve ut fieret; ſaxa enim inſtrumentis tacta fabrilibus profanari. Denique, per gradus ad altare nè aſcenderent ſacerdotes, nè corporum fortè nuditas inhoneſtè proderetur. Ex terra lapidibúſve rudibus altare Deus exſtrui voluit, quò faciliùs concideret ſuâ ſponte, nè alliceret poſteros ad ſuperſtitionem. Ità populus in caſtra dimiſſus eſt, apud Nubem permanente *Moſe*. (*Deut.* 5. 30, 31.)

Judicialis *Moſi* privatim, ad moralem pœnis illuſtrandam.

Jehova, poſtquam Ipſe Leges *Morales* promulgaverat hominum communes omnium, protinus & eam per *Moſen* tradidit (*Deut.* 4. 14. & 5. 31.) quam *Judicialem* appellabamus, *Hebræis* quodammodo peculiarem. Hâc autem Illas voluit explicare, atque certis communire & quaſi armare pœnis, ut eò meliùs (id eſt juſtiùs atque pacatiùs) rem civilem & publicam tuerentur, eóque liberiùs vacarent ſacris. Quare aliarum quoque gentium leges politicas ſi ad examen vocare volumus, & ad *Lydium* quaſi *lapidem* exigere, illud oportet animadverti tenerique, nihil in iis probandum eſſe, niſi quod probabiliter ad Legem Dei moralem revocari poſſit.

Populo iterum commonefacto,

§ 27. Utrâque Lege jam traditâ, monendos iterum putavit *Iſraëlitas* Deus, "ut ab Angelo ſibi caverent, quem cuſtodem illis viæque ducem dederat ad locum à ſe præparatum. Ei præcipienti ut parêrent, neque irritarent contumaciâ ſuâ minimè parſurum pervicacibus: ſuas enim vices atque nomen gerere. Quòd ſi libentibus animis obſequantur mandanti Deo, fore dixit, ut Is inimicis eorum inimicum ſe, hoſtem hoſtibus denunciet. Poſtquam verò Terram occupaverint promiſſam Angeli ſui operâ, deletæque fuerint plurimæ gentes ejus unius gratiâ, tum vel maximè ut caveant monet, nè hominum impiorum vel numina colant, vel facta imitentur; ſed & homines ipſos malè perdant, deorum ſtatuas perfringant, & demoliantur columnas. Nam *Jehovam* unicum ſi venerentur, eum victui & vino benedicturum ut abunde ſuppetat, morbos prohibiturum, vitam longam conceſſurum, & fœcunditatem, nè qua ſit fœmina ſterilis, nè cui fœtus abortiatur. Prævio ſui terrore perculſurum ſe quaſcunque attentaverint gentes, & cervices illis hoſtium feriendas traditurum. Terrore (inquam) ſui, quaſi crabronibus irritatis, omnes expulſurum gentes *Canaanæorum*. Neque tamen ſimul omnes atque ſemel expulſurum, nè ubertas fœcundiſſimæ terræ ſitu & ſolitudine in ſqualorem abeat, creſcentéque ferarum numero opprimatur humanum genus. Paulatim verò & pedetentim ſingulas abacturum ſe nationes, quâ *Hebræis* morâ ſuccreſcat quæ ſuccedat morituris proles. Limites enim hæreditatis *Iſraëlis* ampliſſimos, ab altera parte conſtituere ſe *Arabicum* & *Palæſtinum* maria, ab altera notiſſimum *Euphratis* fluvium. Illud modò ut caveant iterum atque iterum ſe monere, nè quod cum indigenis fœdus pangant, eorúmve diis. Si enim hominibus idolo-

A.M. 2514. "latris pepercerint, maximum ipſis periculum à ſuperſtitis contagione impietatis "fore.

Poſt hæc deſcendere jubet *Moſen*, adducereque ad ſe *Aaronem*, unà cum filiis *Nadabo* & *Abihu*, aliiſque 70 gravioribus ætate *Iſraëlitis*. Illos enim eo ſe dignaturum honore, ut è longinquo, in gradu montis inferiore, honorem ſibi flexis in humum corporibus exhibeant. Solum verò *Moſen* in ſummum ad ſe montem admittere.

ſanguine ſacrificiorum ſancitur fœdus.

Hæc igitur à Deo quæ acceperat omnia cùm populo *Moſes* tradidiſſet, acclamanti reſpondentíque, ſeſe omnia quæ Deus mandaviſſet peracturum, eadem perſcripſit omnia in libro. Utque fœdus hoc inter Deum populúmque *Iſraëliticum* ritè ſanciretur, manè primo aram ex parte Dei poſuit ſub ipſis montis radicibus; ex parte verò duodecim tribuum, totidem columnas. Maximi natu familiarum, qui ſacri Deo ſacerdotali officio fungebantur, in ara obtulerunt, jubente *Moſe*, tum holocauſta, tum euchariſtica ſacra: parte verò ſanguinis alterâ conſperſit aram *Moſes*, atque librum ſuper aram fortaſſe poſitum; *(Heb.9.19.)* quo conſtaret ratum fuiſſe pactum & confirmatum à Deo. Deinde, cùm librum fœderis populo audiente prælegiſſet, illíque denuo reſpondiſſent, libentiſſimè ſe facturos omnia, alteram ſanguinis partem ſuper populum ſparſit, aut populi vice in columnas, hæc verba ſimul præfatus, *En ſanguinem fœderis quod vobiſcum Jehova pactus eſt.* Aquam his addidiſſe *Moſen*, & lanam coccinam, & hyſſopum, pro more purgationum, *(Lev.14.6, 7.)* Apoſtolus docet ad *Hebræos (9.19.)* Ità fœdus operum Teſtamenti Veteris ſanguine pecudum eſt confirmatum; ut innoteſceret fœdus alterum, fidei ſcilicet ac remiſſionis peccatorum, Teſtamenti Novi, eſſe *Chriſti* ſanguine ſanciendum. *(Heb. 9.13,14. Matt.26.28.)*

In ſummum montem ad Deum aſcendit *Moſes*,

§ 28. His peractis, in montem ii quos per *Moſen* vocârat Deus, unà cum *Moſe* aliquot gradus aſcenderunt, *Aaron*, filiíque *Nadabus* & *Abihu*, & è gravioribus ætate *Iſraëlitis* 70. Indè gloriam præſentis Numinis propiùs intuiti ſunt, quaſi pavimento ſub pedibus ſapphirino, & cœli totius nitore collucente, ſpectantium oculos perſtringentem. Neque tamen formidabilis viſa eſt, aut vim illis terrorémve intulit conſpecta majeſtas Dei, utpote mandatum Dei peragentibus: ſed quaſi ad convivium cœleſte vocati, ſumma cum lætitia epulati ſunt. Tum verò in gradum altiorem evocatus *Moſes*, hîc aliquandiu exſpectare juſſus eſt. Mox enim Tabulas ei lapideas traditurum ſe dixit Deus, moralia continentes præcepta, manúque Divinâ exaratas, ut officii perpetuâ memoriâ inſtitueretur populus *Hebræorum*. Fuerant hæ quidem ab initio ipſis animis hominum inſcriptæ leges à natura. Sed penè deletas in cordibus jam, literis atque lapidibus tradendas putavit Deus. Diſcedens ergò cum *Joſua* miniſtro *Moſes*, reliquos in caſtris permanere juſſit, exſpectaréque donec reverteretur. *Aaronem* & *Hurum* ſuâ vice dixit dicturos populo jus, ſiquid opus foret. Altiùs provectum Nubes excepit eadem quæ montis partem ſupremam operiebat. Poſt ſex autem dies præparationi datos, iterum ſeptimo compellavit *Moſen* Deus; cujus gloria viſa eſt *Iſraëlitis*, è longinquo ſpectantibus, inſtar ignis fomitem devorantis in ipſo montis vertice. *Moſes* verò in mediam collectus Nubem, relicto *Joſuâ*, dies illic & noctes quadraginta moratus eſt. Quo tempore ab omni cibo jejunus & potu abſtinuit. *Joſua* interim exſpectabat inferiùs dum rediret *Moſes*: Mannâ verò & aquâ præterfluente victitabat, quibus & *Moſes* per ſex antea dies.

Legem accepturus ceremonialem,

Abſolutis jam quæ *Moralis* erant *Civiliſ*que juris, ad *Ceremonialia* deſcendit Deus, quæ tertium erant Legum quas dixi genus, ut erudiret *Moſen*. Atque *Moralium* vinculis non *Hebræi* modò, verùm & homines univerſi obſtricti ſunt. Neque illis vires defuerunt inprimis ad ea perficienda quæ ſunt mandata, integrámque præſtandam tum juſtitiam, tum ſanctimoniam. Primorum verò Parentum impietate adeò corrupta & labefactata eſt natura humana, ut nullus deinde mortalium eſſet, cujus vita ad amuſſim Legis normæ reſponderet. *(Gal.3.11,12. Rom.8.3. Phil. 3.9. Tit.3.5. Eſa.64.6.)* Quare omnibus neceſſariò pereundum eſſet, niſi pro ſumma ſua clementia & benignitate cogitâſſet Deus & ſtatuiſſet, nobis non cogitantibus, de Salvatore cœlitus demittendo, quem *Hebræi Meſſiam* vocant, *Chriſtum Græci*, hoc eſt, *Unctum*. Ad eum omnes oportet confugere, eum per fidem apprehendere, qui emergere cupiunt ex hoc naufragio. Ad eum *Hebræos*, adhuc rudes admodum & obtuſos, quaſi manu deduxit ea Lex quam *Ceremonialem* diximus.

(Col.

*Col.*2.17. *Heb.*10.1,2, &c.) Hæc enim variis ritibus tum cultum Deo gratum inſtituit, (Deo ipſo Autore ſcilicet,) quo *Jehova* diſtingueretur ab aliis diis, & ab aliis gentibus *Hebræi*; tum quæ ad *Meſſiam* ſive *Chriſtum* ſpectabant venturum, quanquam obſcurè, typis & ſymbolis quibuſdam præmonſtrabat omnia. Patres igitur antiqui non minùs fide in *Chriſtum* moriturum condònationem peccatorum & ſalutem adepti ſunt, quàm in *Chriſtum* mortuum credendo impetramus nos. Ità quidem Leges ambæ pædagogi vice ad *Chriſtum* fungebantur: Moralis, indicando nobis peccata noſtra, & ex peccatis miſeriam, (*Gal.*3.24. *Rom.*3.20. & 7.7.) quantúmque ad morbum hunc aliàs inſanabilem medico eſſet opus Filio Dei; Ceremonialis verò, *Chriſti* mortem ac merita Ceremoniis quibuſdam, Sacramentis, & Sacrificiis præcipuè ſignificando, atque fidei hominum piorum ſub variis rerum figuris proponendo. Sed è Ceremoniis, præter eas quæ ſignificationem habebant typicam rerum futurarum in *Chriſto*, aliud fuiſſe genus videtur earum quæ ad ordinem in Eccleſia, & cultum Dei publicum ritè peragendum, ſpectabant; quò maximè ſacra loca temporáque referenda ſunt, & Sacerdotes. Nec Typi res tantummodo futuras ſignificabant, ſed præteritas unà commemorabant aliquando; ut Paſchalis Agnus, Serpens æneus, & Manna prope Arcam Dei repoſita. Sacramenta *Iſraëlitis* duo præcipua fuerunt, Circumciſio, & Agnus Paſchalis; quibus hîc tamen utriſque ſuperſedendum videtur, ut quæ alibi & uberiùs tractata ſunt, ubi ſunt à Deo tradita. Denique, Leges à Deo *Moſi* morales datæ ſunt duabus in Tabulis perſcriptæ lapideis, iiſdémque quibus promulgatæ ſunt verbis. Harum altera Tabularum Mandatis erat inſculpta quatuor ab utroque latere, Pietatem cultúmque Divinum præcipientibus; altera verò Præceptis ſex, de mutuis hominum in homines officiis.

A.M. 2514.

& deſcriptam in lapideis Tabulis moralem.

§ 29. Sed multò diutiùs quàm oportebat, opinione populi, morabatur in monte *Moſes.* Ad *Aaronem* igitur proximæ autoritatis virum accedunt *Iſraëlitæ* catervatim, poſcúntque religioſi homines, fieri ſibi novos qui præcedant in hoc itinere deos. Nec enim ſcire ſe aiebant *Moſe* illo quid factum eſſet, quem ex *Ægypto* fuerant ſecuti ducem. In magnas *Aaronem* anguſtias adegit tam nova & inexſpectata rei tam nefariæ efflagitatio. Haud erat promptum illi vel de reditu *Moſis* aliquid promittere, vel conſilio & ratione populi compeſcere furorem. Cum Deo fœdus tamen ità religiosè nuper ſancitum, poſt dies tam paucos impiè frangi, indigniſſimum videbatur. Quid faceret? Niſi obſequeretur, fortaſſe minitabantur & vim. Et *Hurum* aiunt *Hebræi*, populi adverſantem libidini, interemptum fuiſſe. Ferox enim bellua & intractabilis concitata multitudo. Neque plebem urit quicquam urgétque vehementiùs, quàm ſpecioſæ Religionis infixa animis atque tenax opinio. *Judæi* ferunt, comites quoſdam *Ægyptios* hujus impietatis autores fuiſſe. Quod *Aaron* reprimere aut repellere vi non valuit, arte quadam impietatis eludere impetum conatur. Sed fruſtrà. Ut pareret novum deum, ſemine ſibi dixit opus eſſe aureo. Tollerent ergò uxoribus liberíſque ſuis inaures, & ad hoc ſinguli conferrent opus: quod eos fortaſſe minimè facturos exiſtimavit. Sed tamen factum eſt, Vitulúmque *Aaron* ex inauribus fuſilem formavit *Ægyptiorum* ſimilem diis. Cælo enim ipſe aut deſignavit, aut perpolivit, aut notas fortaſſe *Apidis* impreſſit. Ut populus vidit ſuum hoc brutum numen, gaudio exſultans acclamavit illico, *Hi veſtri dii ſunt, Iſraëlitæ, qui ex terra vos Ægyptiaca eduxerunt.* Ipſe *Aaron* quoque, ut majorem iniret apud populum gratiam, neque tamen deſerere videretur *Jehovam*, hoc novi numinis cultu, coram Vitulo novam conſtruxit aram, at *Jehovæ* feſtum indixit die craſtino, Encænia Vituli celebraturus. Et celebrata quidem ſunt holocauſtis & ſacris euchariſticis, conviviis atque ludis, maximâ populi frequentiâ lætitiâque. (*Pſal.*106.19,20.) Poſtquam enim ad comeſſandum perpotandúmque conſediſſent, indè mox ad ludendum, ad cantus & choreas, omnémque laſciviam & improbitatem, geſtientibus atque ſolutis gaudio voluptatéque animis conſurgebant. At verò cæcum iſtud falſúmque numen facilè proſpexit è monte *Sina* verus atque pervigil Deus. Feſtinare igitur *Moſen* juſſit in caſtra. Nam populum ejus operâ liberatum ex *Ægypto*, animis aiebat depravatis jampridem à ſuis præceptis fœderibúſque ad aurei Vituli cultum defeciſſe; huic ſacra facere; huic referre acceptam libertatem ſuam. Animadvertiſſe verò ſe, pervicaciſſimam eſſe hanc hominum nationem, & quam irâ flagrante deleturus ſit, ex ipſo *Moſe* producturus facilè majorem. Nolle igitur ut ſibi obſtet ſuis precibus *Moſes.* Supplicaturum ſcilicet proſpexit Deus. Nec ea tamen in re prohibenti Deo obſecutus eſt pius vir. Sed populi ſui vicem ſolicitus magìs quàm ſuam, vehementer

Morante *Moſe* 40 diebus in monte, *Iſraëlitæ* pro Deo aureum Vitulum adorant.

A.M. 2514. ter & obnixè hanc iram Dei & populi cladem deprecatus eſt. “ *Nè tantopere*, inquit, “ *iracundia tua in tuum efferveſcat populum, clementiſſime Deus, quem tu nuper po*pu- “ *lum tantâ vi tantâque liberâſti operâ ex Ægypto.* Tua ipſius in hoc agitur vel in- “ primis gloria; *nè calumniis Ægyptiorum pateat, criminantium, ideo ſervâſſe Iſraëli-* “ *tas te, ut ipſe perderes*; & *Ægypti* fertilitatem invidiſſe beatis, *ut in horum ſolitudine* “ *montium exitio miſeros dares. Reminiſcere, obſecro, promiſſorum Abrahamo quon-* “ *dam, Iſaaco & Jacobo factorum, reminiſcere, quibus præſtandis jure te jurando* ad cer- “ tiſſimam rei fidem *obligaviſti*; *daturum te ſcilicet illis progeniem* tum *cœli ſtellis*, “ tum arenis marinis *numero parem, & huic daturum te Canaanæam hæreditario jure* “ *poſſidendam.* Promiſſi juramentíque tui recordatio, miſericors pater, minarum “ tantarum retundat aciem, & fides iracundiam compeſcat. Ad hunc modum obſecranti *Moſi*, quaſi victus ſuccubuit Deus, mutavítque de *Iſraëlitis* penitùs exſtirpandis immite conſilium; quod non alio fortaſſe animo propoſuerat, quàm ut eo *Moſis* exploraret in ſuos eliceretque pietatem.

Deſcenſurus erat jam ex monte *Moſes*, Tabulas Legum in manibus lapideas tenens, cùm *Joſua* miniſter exaudivit diſſonas inconditáſque voces hominum; quas ille bellicoſus vir bellicas fuiſſe militum in acie concertantium autumabat. At *Moſes*, qui ex Deo didicerat quid rerum in caſtris ageretur, advertit facilè dixítque, non eos quos audiebant fortium virorum hoſtéſque ſuperantium eſſe clamores, at nec imbecillium & ſuccumbentium ploratus; verùm laſcivos hominum ſonos ludis indulgentium & cantibus. Ut acceſſit propiùs, conſpexítque Vitulum, & choreis ludíſque populum vitulantem, adeò vehementer exarſit iracundiâ, moribus alioqui facillimis vir, ut Tabulas Dei abjectas & illiſas humi perfregerit. Et ſatìs quidem opportunè, fracto Fœdere, Fœderis etiam Tabulæ fractæ ſunt; ut non ſine Numine factum id eſſe videatur. Deinde, zelo magìs ferveſcente flagrantéque, Vitulum ipſum deturbavit, in ignem conjecit, contrivit comminuítque in pulverem; pulverem in aquas diffuſum propinandum *Iſraëlitis* dedit: ut quem tantopere ſitierant biberent, haberent ſibi, fruerentur, & in medullis intimis conderent, continerentque, ſed à conſpectu hominum atque cultu procul; ut omnia tantæ impietatis abolerentur veſtigia. Eodem zelo in *Aaronem* ſatìs acriter invectus eſt. “ *Quâ tu*, inquit, *ſubactus es tantâ vi, ut* “ *in populum hunc tam inexpiabilem religionem* ſciens atque prudens *induceres? Je-* “ *hovæ*ne Vitulum ſubſtituere, beſtiam Deo viſum eſt? an Vitulo aſſimilare *Jehovam*, “ nullis cujuſquam formæ terminis limitandum Numen? Vix adhuc horrendæ vo- “ cis ille ſonus conticuit in auribus, idolorum imaginúmque prohibentis cultum, ze- “ lotypum ſe prædicantis Deum, neque ullo modo ferentis rivales, cùm tu Vitulo po- “ pulum hunc adultero proſtituis. Sed increpanti liberiùs fratri occurrit quàm primùm *Aaron*, &, “ ——— *Nè ſævi, magne ſacerdos* maximi *Jehovæ*, dixit. *Nec enim* “ *te latet peſſimum hujus ingenium populi.* Dum tu paulò diutiùs hæreres in monte, “ magno accurrerunt tumultu ad me, *poſtulaverúnt*que *ut ego illis deos facerem* novos. “ *Quippe omnes ignorare aiebant ſe quid te factum eſſet, quem ducem habuiſſent ex Æ-* “ *gypto.* Ego, ut illos arte deflecterem à propoſito, quibus vi repugnare non potui, “ *aurum popoſci* unde fierent dii. Non putabam fore, ut rem chariſſimam conferrent “ in deos novos, quam plerique veteribus atque veris præferunt, nullúmque non vio- “ lant numen ejus acquirendi aut retinendi gratiâ. Sed aurum & argentum, quæ- “ que alia pretioſiſſima habentur, è ſua hominum libidine ſibi genitis diis viliora jam “ eſſe conſtat. Nam uxorum ad me inaures atque liberorum *detulerunt, quibus in* “ *ignem conjectis, hic tandem prodiit Juvencus.* Ità nudi ſpoliatíque ſuis ornamentis, “ hoſtium expoſiti ſunt ludibrio. Hæc *Aaron* prætendebat, quibus tetrum facinus vel minueret, vel dealbaret. Sed *Ad populum phaleras*; apud Deum nihil valent, qui *Aaronem* ipſum, ſacerdotem futurum, pro victima piaculari fuit immolaturus, niſi fraternæ preces eripuiſſent iræ Dei. (*Deut.*9.20.) O fragilem & imbecillem humanitatem! Quid ſanctum aut ſincerum exſpectet in rebus mortalium Deus, cùm ipſe *Aaron*, cui ut ſupremo Pontifici credere deſtinârat ſua Sacra, ſcelere tam inceſto ſacra profanârit omnia? Sed ridicula & probroſa nuditas (quam *Aaron* populo quaſi pœnam inflixerat) tanto ſceleri non erat vindicta par. Quare *Moſes* in porta caſtrorum edixit, (uſus fortaſſe præconis voce,) ut quicunque *Jehovam* haberent pro Deo, ad ſe omnes properè convenirent. Omnium verò ſola confluxit ad *Moſen* ſua *Levitarum* gens, quos ità paucis affatus eſt. “ Equidem gratulor mirificè, vos præcipuè gentiles meos *Jehovæ* majorum veſtrorum Deo adhæreſcere, ejus “ unius

Iratus *Moſes* abjectas Legum Tabulas frangit, *Aaronem* increpat, & *Levitarum* operâ

A.M. 2514.

“ unius vereri Numen & venerari. *Jehovæ* igitur cultores, *Jehovæ* mandatum à “ me accipitote. *Arma vobis expedite* feſtinanter *atque induite. Per caſtra quà lon-* “ *giſſimè patent à porta ad portam diſcurrite. Fratrum veſtrorum ſanguine (Iſraëlita-* “ *rum* dicam, an idololatrarum ?) *imbuite gladios & conſecrate.* Fortes *Jehovæ* mi- “ lites, ac ſtrenuos præſtate vos Divinæ vindices gloriæ. Denique, hujus diei operâ “ efficite, ut illam *benedictionem* à *Jehova* recuperent veſtri gladii, quam ſuo quon- “ dam amiſit atavus *Levi.* Hæc præfato *Moſe*, obſequuntur protinus *Levitæ* mandatis Dei ; cæsáque ſunt eo die tria *Iſraëlitarum* millia. Audacior leone bonus vir. Quàm verò timidos reddit conſcientia ſceleris mala ? Uni minimæque tribuum ſexcenta ferè millia reliquarum non ſunt auſa repugnare. Imò vel *Moſe* unico iraſcente contremiſcunt. Tantum valuit in vultu imperatorio majeſtas, in conſciorum animis timiditas. Poſtero die in concionem prodiit *Moſes*, populúmque monuit graviſſimè, quanto ſe peccato aſtrinxiſſent, quantis doloribus, quibus lacrymis precibúſque tantum eſſent eluendum & expiandum ſcelus. Se quidem illis non defuturum, ſed facturum eſſe pro virili omnia, & effecturum, ſi poſſet, ut placatum reddat offenſum Numen. His dictis aſcendit è veſtigio in montem, & in Nubem abſcondit ſe. Humi ſacræ illic proſtratus ità precibus Deum adortus eſt. “ O clementiſſi- “ mum *Jehova* Numen, pulverem in pulvere, ſordes in ſordibus jacére nos par maxi- “ mè & æquum cenſeo. Quos tu nobis dediſti ſublimes, pudor dejicit vultus. Quos “ tu dediſti erectos, timor nobis oculos deprimit. *Nefarium*, heu ! *nefarium in te fa-* “ *cinus admisêre populares mei.* Obliti præceptorum tuorum, promiſſorum benefi- “ ciorúmque obliti omnium, *aureo deo*, *Ægyptiaco*, beſtiali, vitulino, fœdiſſimè pollu- “ erunt Religionem tuam. Nec ipſi Vitulo, ſed ejus mutæ mortuæque imagini, ſe “ viventem imaginem Tui proſtituerunt. Habe confitentes reos. Impii ſumus, per- “ verſi, fœdifragi, ingrati, libertate quâ fruimur indigni, luce indigni quâ utimur, “ indigni vitâ, indigniſſimi Te. Si tu ſummo nobiſcum jure agas, & rependas pro “ merito, pereundum eſt miſerrimè ; cœleſti fulmine in cineres, imò ipſum illud Ni- “ hil redigendi ſumus unde prodivimus. Sed tu non modò noſtrûm es omnium, ſed “ & miſerationum pater. Miſerere igitur, ô miſerere, ac reminiſcere tuæ priſtinæ bo- “ nitatis & clementiæ ; tuæ Gloriæ ac Nominis reminiſcere, ac miſerere : *aut meum* “ *ex tuo libro nomen deleatur.* Nam ut ego unus vigeam extinctis meis, ut populo “ tuo & Eccleſiæ ſuperſtes ego ſim, abſit, mi Deus, abſit.

cæditpopuli tria millia ;

ſed & Dei deprecatur vindictam.

“ *Aut mihi redde meos, aut me quoque conde ſepulchro.*

Gratiſſima Deo viſa eſt hæc importuna vis, & quaſi violenta pietas. Reſpondit verò, “ *eorum ſe nomina ex libro ſuo deleturum, quicunque in ſe graviter peccarent.* Ejus “ tamen rogatui & precibus conceſſurum, ut *eò populum ducat quò juſſus eſt*, in *Canaa-* “ *næam*, bonorum omnium fœcundiſſimam terram. *Præiturum illi Angelum ſuum.* At “ futurum aliquando illud tempus, quo *ſit pœnas ab iis tanto ſcelere dignas repetiturus.* “ *Se verò ipſum minimè illis affuturum in hoc itinere, nè obſtinatiſſimæ nationis pervica-* “ *ciâ incenſus, corripiat ſubitò atque conterat univerſos.* Et ſuis hæc populo verbis denunciare *Moſen*, & imperare ſimul jubet, “ *ornamentis depoſitis*, ut in ſordibus & “ luctu & ſqualore ſint. *Ità ſe tandem* deliberaturum aliquid, *certúm*que *de illis quid* “ *facto ſit opus habiturum.* Deſcendente *Moſe* cùm hæc populus audiviſſet, mœrore ſummo correptus eſt, ornamentáque omnia, ut à Deo eſt juſſum, exuit ; caſtris etiam à ſacro monte remotis procul, & tentorio conventûs à caſtris. Nubes enim ſacra deſeruit caſtra. Itaque tentorium ubi populus convenire ſolebat ut conſuleret Deum, procul indè *Moſes* in patente campo ſtatuit : quo admonere voluit, alienatum eſſe Deum, caſtráque immunda ; ut pœnitentiam agerent, indignóſque ſcirent ac faterentur ſe quibuſcum Deus cohabitaret. Pergentem igitur in hoc tentorium ex caſtris *Moſen* populus attentis oculis reverenter atque dolenter obſervabat univerſus pro ſuorum tentoriorum foribus : (Hic primus erat pœnitentiæ gradus :) deſcendentémque Nubis columnam ad oſtium tentorii, ut reſponderet conſulenti *Moſi*, demiſſis corporibus veneratione ſummâ proſecutus eſt. Ibi cominus & familiariter Deus more humano ſermones cum *Moſe* conſeruit ; eóque redeunte in caſtra, cum famulo *Joſua* : Nubes tamen tentorium non deſeruit.

Dei familiaritate confirmatus *Moſes*, his eum verbis compellare tandem auſus eſt. “ Benigniſſime Deus, *Tradidiſti quidem tu mihi populum hunc deducendum in Canaa-* “ *næam* ; *nondum verò mihi prodidiſti cujus id auſpiciis fieret. Si propitius mihi ſis*, “ quod non es dedignatus profiteri, *ſi quid ego apud te gratiâ valeo*, facias, obſecro, ut

A.M. 2514.

" ut populum hunc pro tuo habeas, téque auſpice ac præſente ut ſuſcipiamus hanc arduam difficilémque profectionem. *Fruſtrà* enim *hinc movebimus nos, niſi tute adſis atque præſis viæ. Quid enim eſt quo conſtet* aliis gentibus, *meam apud te populique hujus valere gratiam, niſi perpetuo tuæ præſentiæ patrocinio? Ità quidem nos ab aliis nationibus* aperto gratiſſimóque *diſcrimine ſeparabis.* Ad hæc *Jehova*, " Ut ſcias, inquit, propitium eſſe tibi me, *tuámque plurimùm valere apud me gratiam, his etiam precibus exoráſti.* Equidem polliceor *memet vobis adfuturum*, donec, victis hoſtibus, quietè fruamini beatâ illâ terrâ, veſtris à me majoribus promiſsâ. Reſpondit *Moſes*, " Hoc ut certo mihi ſigno conſtet, propitium eſſe te, conciliatámque tuam gratiam, effice, quæſo, ut pernoſcam te, hactenus velatum nube, *videám*que *ſplendorem amplitudinis Divinæ.* " Imò verò, ait *Jehova*, ut pernoſcas *videáſ*que *meam vivens gloriam*, tua tibi natura negat. (*Exod.* 33.20. *Joan.* 1.18. 1 *Tim.* 6.16.)

——— " *Corpus mortale tumultus*
" *Non feret æthereos.* ———

" Quà tamen fas eſt, fiet etiam hoc. *Faciam ut coram te mea tranſeat gloria, Divináque nomina*, quantum expedit homini cognoſcere, *audiente promulgabuntur te, in caverna rupis interim collocato, & meâ*, nè quid videas, *oppoſitâ manu.* Sed poſtquam pertranſivero, *amovebo & manum, ut mei poſteriora oculis tuis* libere per otium *contempleris.* Tibi hac in re gratificaturus uni, non & populo. *Miſerebor enim cujus miſereri placet, gratiámque liberrimè faciam cuicunque libet gratificari me.*

§ 30. Deinde Tabulas dolari novas juſſit, ubi Præcepta moralia perſcriberentur; eaſdem poſtridie manè ſibi à *Moſe* in *Sina* tradi, at ſolo; ità ut nè quid hominum pecorúmve intra limites montis conſpiceretur. Tabulas ipſas priores ſibi paraverat Deus, non dolaverat *Moſes*. Tempore conſtituto deſcendit in *Sinam* Nubes Dei; cúmque pertranſiret (ut promiſerat) gloria *Jehovæ*, *Moſe* in caverna montis conſtituto, ſed operto, nè quid cerneret, ſua ſic promulgavit nomina: (*Num.* 14.17, 18.) *Jehova, Jehova Deus præpotens, miſericors & benignus, clementiâ ſummâ Deus, bonitate ac fide; qui ad milleſimam uſque generationem propitius, errata condonat, & noxas, & iniquitatem; ſontes verò neutiquam abſolvit, ſed peccatorum pertinaciam in poſteris ad quartam uſque generationem ulciſcitur.* Cùm audiret hæc, præteritámque Dei gloriam liberis jam oculis quaſi à tergo proſequeretur *Moſes*, inclinato vertice in terram corporéque demiſſo properatim veneratus eſt. Commune bonum bonus vir. Peculiarem ſibi benignitatem Dei *Moſes* in commune contulit, ad populi ſui promovendam rem. Precibus iteratis Deum aggreſſus eſt, ut populi pervicacis miſereſceret, ut peccatum iſtud Vitulinum jam tandem condonaret, ut pro ſuo deinceps haberet hunc populum, & ut ſuam poſſideret hæreditatem; ejus exercitui denique ut intereſſe, præeſſe ac præire dignaretur. In omnibus his gratificaturus erat *Moſi* Deus. At inprimis, magna & mirabilia ſe *Iſraëlitarum* gratiâ facturum pollicitus, de fœdere cum *Canaanæis* non feriendo nuptiíſve contrahendis monuit; de altaribus diruendis, ſtatuis confringendis, atque ſuccidendis lucis idolorum, nè quod impietatis fomentum remaneret; de feſto etiam Azymorum celebrando, de conſecrando eo qui primò eſſet genitus hominum pecorúmve fœtu, de Sabbato aliíſque feſtis ac ritibus quæ antea fuerant præcepta omnia; & in libro perſcribi juſſit. Tum demum eſt cum *Iſraëlitis* renovatum, quod cultu Vituli perfidè violaverant, fœdus: tum & Tabulas morales à ſe denuo inſculptas *Moſi* tradidit, poſtquam jejunus in monte 40 exſpectaviſſet dies. Interea vultus ejus, qui gloriam Dei tranſeuntem viderat, non ſentiente *Moſe*, ità reſplenduit coruſcantibus radiis, ut in caſtra deſcendentem *Aaron* aliíque Principes perterriti refugerint, (2 *Cor.* 3.7.) nec niſi ab eo revocati tantâ fulgentem gloriâ convenire auſi ſint. Quare cùm populo univerſo traderet ea quæ præcepiſſet Deus, velamine faciem operuit; eodémque ſemper uſus apud populum, ad *Jehovam* accedens depoſuit.

Iterum in monte audit prætereuntem, vidétque à tergo præteritum Deum. Renovato fœdere Tabulas novas accipit,

Legémque ceremonialem:

Redintegrato Fœdere inter *Iſraëlitas* & Deum, ea tandem de Tabernaculo & Sacerdotum veſtimentis à Deo tradidit *Moſes*, quæ prioribus acceperat 40 diebus. Ac inprimis hortatus eſt, benignis libentibúſque animis ut ea donarent Deo, pro ſuis quiſque facultatibus, quibus ad illa conficienda opus futurum videbatur, aurum, argentum & æs, hyacinthina, purpurea, coccina, linum, lanam, pelles, oleum unguentúmque, lignum cedrinum, aromata, & lapides denique pretioſos. Attulerunt ergò ſponte alacritérque *Iſraëlitæ* (Deo excitante) ſua quiſque ornamenta aurea, fibulas, monilia;

nilia, cingulas pendulas annulóſque, & ex aliis rebus quæcunque ſingulis aderant: eóque magìs fortaſſe pro ſe quiſque certabat, nè in Vitulum magìs munifici, quàm in verum Dei Numen viderentur. Gemmas etiam contulerunt Principes, olivum & aromata. Fœminæ præterea benigniores nendis artificiosè hyacinthinis, purpureis, coccineis xyliníſque operam donabant gratuitam, nec non pannis vilioribus ex caprina lana. Cenſus quoque populi actus eſt; jubentéque Deo ſingula erant *Iſraëlitarum* capita redimenda ſicli ſacri ſive majoris dimidio; eorum capita, inquam, ætatis annum viceſimum qui attigiſſent. Nè qua peſtis aliáve ſtrages graſſaretur in populum, ſed averruncaret mala Deus, ideo peccata luebant hoc pretio. Indè magna eſt argenti conflata vis. Hanc autem poſtea pro ſingulis capitibus ferunt *Judæi* ſolutam eſſe ſummam quotannis; (2 *Chron.* 24. 5, 6. 2 *Reg.* 12. 4,5. *Nehem.* 10.32,33,34.) unde ſacrificia quotidiana, & alia populo communia, ut & lignum, ſal, thus, &c. procurabantur. (*Exod.* 30. 16.) Æquale Deus omnium eſſe pretium voluit, pauperum divitúmque, imò & ſacerdotum; quo ſignificaret, in Deo ſacríſque publicis omnium eſſe jus æquale. Pueri, mulieres & ſervi non tenebantur hâc lege; ſed oblatum ab his tamen argentum non repudiabatur, modò fœderis Divini participibus. Deinde, Architectos huic operi duos præcipuè conſtitutos dixit à Deo *Moſes*, *Bezaleelem Uri* filium, *Huris* nepotem, è tribu *Judæ*, & *Aholiabum Achizamachi* filium, è tribu *Danis*. His enim indidiſſe Deum & ingenium in excogitando, & induſtriam in operando, & in conficiendo peritiam ſummam. Additi ſunt his & alii artifices atque operarii, quibus peritiam Deus, ipſi verò ſuam Deo ſponte operam dabant. Cúmque accepiſſent populi donaria, & haberent artifices jam quantum operi ſufficeret inſtituto, plura tamen indies contribuerentur; id egerunt, ut edicto publico & præconis voce *Moſes* alacritatem populi propenſiorem inhibuerit. A.M. 2514.

Tabernaculo igitur ex aſſeribus cedrinis quaſi paries erectus eſt. Longi aſſeres cubitis denis, ſeſquicubito lati, digitos craſſi quatuor: (ſi qua *Joſepho* ſit fides, Antiq. 3. 5.) Utrumque latus Tabernaculi aſſeres claudebant 20, tergum ab Occidente 8. Binis ſinguli cardinibus inſerebantur in ſtylobatas argenteas. In utrovis latere occidentalíque tergo tranſtilla cedrina quinque, unúmque ab extremo ad extremum in medio aſſerum tranſcurrebat. Aſſeres & tranſtilla obducebantur laminis aureis, & ex auro conflati annuli. Horum parietum latera & partem poſticam, & ipſum fanum ſupernè, aulæa obtegebant pretioſa, ad terram uno pede minùs pertingentia, *Joſepho* teſte. Decem erant, octo cubitis atque viginti longa, lata verò quatuor. Pannus aulæorum è xylino, hyacinthino, purpureo, coccineóque dibapho, contortis artificio ſummo, contextus florebat, ornatus Cherubinis. Quinque ſimul pannis conjunctis, duo facta ſunt ex aulæis decem, loramentis hyacinthinis 50 & anſulis aureis connexa. Aulæa hæc tegumentum aliud operuit è lana caprina, ex pannis undecim compoſitum, qui pares latitudine prioribus, longiores erant cubitis duobus, loramentis 50 & anſulis æreis copulati, 5 hinc, indè verò 6. Huic etiam tegumento operimentum è pellibus arietum rubefactis datum, ſupernè verò è pellibus melium. Velum, ex eodem quo aulæa panno, Tabernaculum in duas dirimebat partes. Altera exterior viginti cubitos longa *Sanctum* dicebatur, & ſacerdotum erat omnium communis. Altera interior cubitorum decem, adytum & penetrale, *Sanctum ſanctorum* vocabatur, & uni Pontifici annuatim ſemel patuit. Ad columnas 4 cedrinas obductas auro, ſtylobatis impoſitas argenteis, appendebatur hoc velum uncis aureis. Ab Oriente ſtatuebatur Tabernaculi frons & porta, quæ velo claudebatur ſplendido *Phrygiani* operis, ad 5 cedrinas columnas obductas auro dependente uncis aureis, æreis verò ſtylobatis inſertas. Ad plagam Tabernaculi Meridianam Borealémque atria patebant magna cubitorum centum, ſepta undique ocellatis tapetibus è xylino ad vallos viginti æneos appenſis, quinque altos cubitis, quibus totidem erant æneæ ſtylobatæ. Sed unci faſciæque vallorum argenteæ: argento etiam ornata epiſtylia. Ab Occidente Orientéque pari ornatu atria, ſed dimidio breviora fuerunt. Ab Ortu verò ad dextram tapetes non ultra quindecim cubitos porrigebantur ad columnas tres; totidémque ad ſiniſtram. Reliqua viginti cubita portæ atrii, quà in Tabernaculum aditus patebat, data ſunt: cujus tegumentum ad columnas 4, iis omnino ſimiles quas diximus, plumario erat opere, ex hyacinthino, purpureo, coccineo & xylino contextum.

de Tabernaculo, ſive Templo ambulatorio;

A.M. 2514.

& in eo de Arca ſacra, Paratâ jam ſacrâ domo, ſupererat eam ſupellectile ſacrâ inſtruere. Ac, 1. Arcam è ligno cedrino condidit *Bezaleel*, obductam aureis laminis intus foríſque; limbo etiam aureo coronatam. Longitudo erat cubitorum duûm cum dimidio; latitudo atque altitudo ſeſquicubitalis. Annulos quoque fuſiles affixit ex auro 4 angulis extremis Arcæ, ab utrovis latere duos; quibus vectes indidit cedrinos, auro pariter obductos. His Arca portabatur; nec eos unquam dimoveri loco fas erat. Æmulata videtur ciſtam hanc illa Matris deûm apud *Tibullum*,

——— *levis occultis conſcia ciſta ſacris.*

& Operculo; 2. Huic Operculum ex auro fabricati ſunt artifices, pari cum Arca longitudinis atque latitudinis menſurâ. In oris ejus extremis poſiti ſunt ex auro Angeli Cherubini duo, ſibi obverſis vultibus, & paſſis alis obumbrantes Operculum. de Menſa aurea, 3. Menſa quoque facta eſt cubitis duobus longa, uno tantùm lata, neque altior ſeſquicubito, unà cum limbo, & annulis 4 ad angulos pedum, & vectibus ad portandum; tali omnes materiâ qualem in Arca diximus. Circumdederunt Menſæ tæniam palmarem limbo coronatam aureo; & ex auro pariter vaſa fecerunt, ſcutulas pani ferendo aptas, acerras thuri, ſcutellas & ſcopulas. Candelabro, 4. Candelabrum ex auro fabrefecerunt ductili opere, quod lumen diffunderet in omnes Tabernaculi partes, tribus hinc, tribus indè prodeuntibus ramis, præter lychnuchum in medio erectum; ità ut ſeptem eſſent lucernæ. Ornatûs gratiâ lances inerant ſingulis ramis tres, unà cum malis oblongis atque calyculis amygdalæ ſpeciem referentibus; lychnucho medio quatuor. Binis quibuſque ramis formâ pari ſuberat malum. His, unà cum forcipibus & trullis, auri datum eſt talentum. Ara ſuffitûs, 5. Addita his & Ara eſt ad ſuffumigandum aromatibus Templum, latitudine in quadrum cubitali, altior duplò, cum limbo annulíſque eodem quo Arca erat opere ac materiâ. Ab iiſdem artificibus ſacrum & thus & unguentum erat compoſitum; ſed modum & materiam præſcribente Deo. Ex aromatum præſtantiſſimis quibuſque, myrrhæ caſiæque 500 ponderibus, cinnami calamíque odorati 250 majoribus, ſeparatim pertuſis, mox permiſtis, & in aqua pura maceratis diu, Unguentum prodiit. Ex onycha, ſtacte, galbano, foliíſque nardi cum ſpicis & thure optimo, ſeparatim pertuſis, & pari pondere, ſacrum Thus. Utrumque voluit ſacroſanctum eſſe Deus, neque privatim aut uſurpari aut fieri, mortis denunciatâ religionem hanc temerantibus pœnâ. Unguentum hoc videtur Spiritum Sanctum, ejúſque in *Chriſtum*, in Eccleſiam, in Miniſtros dona ſignificare. (De quo 1 *Joan.*2.20,27. *Act.*10. 38. *Eſa.*61.1. *Pſal.*45.7. & 133.2. *Cantic.*3.6. 2 *Cor.*1.21,22.) Suffitus verò, piorum aſpirantes in cœlum preces. (*Pſal.*141.2. *Apoc.* 5. 8. & 8. 3.) Dum *Zacharias* incendebat thus, (*Luc.*1.9,10.) precabatur foris populus. Et noſtræ non intermiſſæ, (1 *Theſ.*5.17.) *Chriſti*que intercedentis æternæ preces, (*Heb.*7.25. & 9.24.) ſuffitui reſpondent quotidiano. Altari æneo, 6. E cedro etiam conſtructum eſt Altare majus concavum ad ſacrificia; ut & cornua in angulis, & vectes: obducta ære omnia. Cubitorum erant quinque latera quadrati ſingula, trium altitudo. Ex ære conſtabant inſtrumenta, lebetes, palæ, crateres, fuſcinulæ, & forcipes; ex ære annuli etiam vectorii quatuor in duo diſtributi latera; &, cui erant annuli affixi, cribrum opere reticulato ſub ambitu altaris ab ima parte uſque ad medium. Labro chalybeo. 7. Denique, Labrum chalybeum unà cum ſcapo ex mulierum ſpeculis coaluit, in tentorium conventûs turmatim ſe cum donis ingerentium. Ità perfecta ſunt quæ ad Tabernaculum ſacrum ſpectabant omnia, eâdémque formâ ſunt perfecta ſingula, quam à Deo præſcriptam audiverat *Moſes*, & propoſitam ſibi viderat in monte *Sina.* (*Heb.*8.5. *Exod.*25.40.) Erat in hoc ſynopſis quædam expreſſa Templi maximi, totius Mundi. *Atrium exterius* & populi, Regionem elementarem, & omnium animantium communem atque capacem, repræſentat, quam palpamus, & ſentimus tumultibus & vanitate plenam. *Sanctum* & Sacerdotale Tabernaculum Cœlo ſtellato par, ubi luminaria planetarum ſeptem collucent perpetuò. Et ſacerdotes ipſi doctrinâ prælucentes aliis in æternum ſplendebunt ut ſtellæ. (*Dan.*12.3.) Ut hoc è longinquo cernimus, ità illud populo videre licuit aliquando, non & ingredi. *Sanctum ſanctorum*, præſentiæ Divinæ ſedes, quò ſolus Pontifex, alii verò nè oculis penetrabant, imitabatur Cœlum empyræum, quò noſter eſt ingreſſus Pontifex oraturus pro nobis, ubi maximè gloriam ſplendeſcere Divinam credimus, gloriâque tandem nos & beatitudine ſummâ fruituros. Idem Tabernaculum, quomodo Templum poſtea, *Chriſti* ſignificabat elementarium corpus, (*Heb.* 8. 2. & 9. 11. *Joan.*2. 19, 21.) cui, tanquam atrio, animæ & ſpiritûs

quaſi

quaſi tabernaculum inerat. Nec non ſpirituale *Chriſti* corpus Eccleſiam denotabat. (*Epheſ.*2.21,22.) Nam in utroque Deus inter homines verſatur & habitat, quod in Tabernaculo facturum ſe pollicetur. (*Exod.*29.45,46. & 25.8.) Impenſæ totius operis ex dono, viginti erant & novem auri talenta, ſeptingentíque ſicli majores & triginta. Æris autem talenta ſeptuaginta, & bis mille quadringentíque ſicli pondere. Ex populi cenſu 603550 capitum, (quot numerati ſunt annos ut minimùm nati vicenos,) unum ſingulis pendentibus didrachma, quod ſicli majoris dimidium eſt, argenti numerabantur 1775 ſicli majores ſupra talenta centum. *A.M.* 2514.

Anni ſecundi ex quo *Ægyptum* reliquerunt *Iſraëlitæ* primo die, conſtructum eſt ex variis partibus Tabernaculum unum, & in ſuis quæque locis conſtituta. In Adyto ſanctiſſimo Arca ſacra, & in Arca Tabulæ morales, (*Deut.*10.5.) quæ *Teſtimonium* vocantur à *Moſe*, (*Exod.*25.16.& 40.20.) ac *Teſtimonii tabulæ*: (*Exod.*31.18.) ac proinde *Arca teſtimonii*, (*Exod.*25.22.) & *tabernaculum teſtimonii*, dicitur: (*Exod.*38.21.*Act.*7.44.) quoniam Fœderis Divini cum *Iſraëlitis* teſtimonium perhibebant hæ Tabulæ, contra violatores teſtimonium dicturæ. Nam in illis verba ſcripta ſunt Fœderis. (*Exod.*34.28.) Ideo *Fœderis* etiam *tabulæ* dicuntur, (*Deut.*9.9,11,15.) & *Arca fœderis*. (*Num.*10.33. *Heb.*9.4.) Arcam obtegebat Operculum; Operculum ipſum paſſæ Cherubinorum alæ. Hîc Oraculum fuit. Hîc Deus adfuturum ſe, ac reſponſa conſulentibus in tabernaculo exteriore *Moſi* & Pontificibus daturum pollicebatur. (*Exod.*25.22. *Num.*7.89.) Indè *Propitiatorium*, *Græcè* Ἱλαςήριον dicitur. (*Heb.* 9.5.) *Chriſtum* videtur ſignificâſſe, per quem Deus reſpondet omnia quæ ad ſalutem faciunt; (*Heb.*1.2.) quíque verum generis humani propitiatorium, (1 *Joan.*2.2. *Rom.*3.25.) noſtra omnia ſuis meritis operit peccata, quemadmodum operculo tegebatur Lex. (*Pſal.*32.1.) Et in Arca ſignificabatur, vel *Chriſtus* ipſe, qui ex humana Divinâque natura conſtabat, ut ex ligno & auro Arca; ſed ex ligno cedrino, quod corrumpi non potuit; ſic enim *Chriſti* corpus: (*Pſal.*16.10. *Act.*2.31.) vel Eccleſia, quæ interitui non eſt obnoxia, induta *Chriſti* juſtitiâ velut auro puriſſimo, ornatâque variis Spiritûs Sancti donis; nec affixa uni loco, ſed ambulatoria, ut erat Arca portatilis; cuſtos denique ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, ut erat Arca tabularum Legis. Duo denique Cherubini, qui & arcam & operculum protegebant alis, duo Teſtamenta denotabant, quæ ſe mutuò interpretantur, & reſpiciunt unicum propitiatorium *Chriſtum*. In Sancto & exteriore tabernaculo Candelabrum ſtatuebatur, & Menſa; hæc à latere Boreâli, ab Auſtro illud è regione. Illic & aurea ædi ſuffumigandæ Ara deſtinata ſtetit, ante velum intimi ſacrarii. In candelabro lucernas accendit *Moſes*, in menſa panes propoſuit coram Deo. In ſcutulis duabus pro numero tribuum duodecim erant Panes; qui ſinguli duabus conſtabant ſimilæ decimis. (*Lev.*24.5.) In acerris duabus apponebatur & Thus, panum vice in ara maxima ſingulis Sabbatis concremandum. (v. 7.) Denique, in aureo *Moſes* altari ſacrum incendit thus. Hæc poſtmodum fuerunt munera ſacerdotum: lucernas manè ac veſperì quotidie mundas & accenſas procurare; (*Lev.*24.3.) panes in menſa ſingulis Sabbatis novos & recentes apponere, aliis remotis, & incenſo thure; (v. 8.) ſuffitum quoque ſingulis diebus adolere, manè veſperíque, populo præbente olivum fovendo lumini, (v.2.) & ſimilam panibus, & ſuffitui thus. In hac ara ſuffitum alienum, aut ſacrum aliud offerre, præter unicum illud ſacrificium Pontificis expiatorium, (de quo alibi eſt narrandum,) prohibuit Deus. (*Exod.*30.9.) *Joſephus* (Antiq.3.9.) tres tantùm lucernas ait per diem lucere ſolitas, reliquas accendi ſub veſperam. Septem verò Lucernæ ſeptem adumbrabant ſpiritus, (*Apoc.* 4. 5.) hoc eſt, varia Sancti Spiritûs dona, quæ illuſtrabant Eccleſiam ſcientiâ lucéque Legis operâ ſacerdotum. (*Pſal.*119.105. *Prov.*6.23. 2 *Pet.*1.19.) Panibus 12 deſignabatur Eccleſia tribuum totidem, quam ſuo ſacerdotes miniſterio quaſi proponebant & commendabant Deo: Thure piorum preces, (*Pſal.*141.2. *Rom.*8.34. *Heb.*8.1,2. & 9.24. *Apoc.*8.3,4.) quas in cœlum delatas offerat Deo *Chriſtus* Pontifex, gratiſſimíque odoris faciat. A populo hæc interpoſitis aulæis abſcondita, myſteriorum Evangelicorum ſignificabant obſcuritatem, antequam diffiſſum templi velum eſt unà cum *Chriſti* corpore, (*Matt.*27.51.) patefactíque ſunt gratiæ Divinæ theſauri. (*Heb.*10.1. *Rom.*16.25,26. *Eph.*3.5.) Ante portam tabernaculi Ara major victimis immolandis in atrio conſtituta eſt: ubi holocauſtum atque munus à *Moſe* oblatum eſt primo. Inter altare majus & tabernaculum poſuit Labrum chalybeum, & in labro aquam puram, quâ ſacra facturus, & ingreſſurus in tabernaculum, lavabat ſe. Ex

A.M. 2515.

Quæ omnia in Tabernaculo, ſuis quæque locis, conſtituuntur.

A.M. 2515.

eo poſtea ſacerdotes, aquâ mundâ indies repleto, manuum ſordes abluebant & pedum, quibus utriſque miniſtrabant nudis. Illotos enim peremptorum ſe Deus minabatur, qui aut ingredi tabernaculum, aut ſacris audebant operari. Sacro denique Oleo tum ipſum tabernaculum unxit conſecravítque *Moſes*, & arcam unà cum operculo, menſam, candelabrum & aras, tum inſtrumenta vaſáque tabernaculi omnia. Erectum jam Tabernaculum, & ſacrâ inſtructum ſupellectile, operuit ſtatim Nubes Dei, & cœleſti quadam gloriâ complevit adeò, ut ipſi *Moſi* nullus diu aditus pateret.

Inter loca ſacra & ceremonialia *Canaanitis* habita regio.

§ 31. Inter loca ſacra, ceremonialia & typica, præter hoc *Moſis* Tabernaculum, & *Solomonis* Templum, ipſa regio *Canaanitis* numeranda eſt, quam longo itinere tot moleſtiis periculíſque petebant *Iſraëlitæ*. *Terra* igitur *ſacra* (*Zach*.2.12.) dicta eſt, non præſentiæ modò Divinæ gratiâ, ſed etiam ſignificationis arcanæ. Nam ut

——— *Pueris dant cruſtula blandi*
Doctores, elementa velint ut diſcere prima:

ità Deus *Iſraëlitis* in Eccleſiæ pueritia incultis, profanis, & alienis valde à pietate vera, *Canaanæam* promiſit terram apprimè fertilem & beatam, progeniem copioſam & fœcunditatem, bonorúmque terrenorum omnium quietam fruitionem, aut certam de hoſtibus victoriam, quò ad ediſcenda obſervandáque rudimenta Religionis veræ alliceret eos ac invitaret. At verò his omnibus bonorum cœleſtium ac ſpiritualium in *Chriſto* fruitionem & adumbrare voluit Deus, & obſignare Patribus antiquis. Patriam ergò cœleſtem *Canaanæa* ſignificabat; Quies ea quam poſt longam peregrinationem *Joſua* dedit *Hebræis*, æternam requiem in cœlo. (*Heb*. 4. 8, 9.) Nec erat hoc obſcurum piis Patribus, qui *omnes in fide mortui ſunt, nondum adepti promiſſa* de *Chriſto*, *ſed ea conſpicati eminus, ac ſeſe profeſſi peregrinos & advenas in hoc mundo. Patriam ergò requirebant potiorem, id eſt, cæleſtem.* (*Heb*.11.13, 14, 16.)

Sacerdotes inſtituti *Aaron* & filii, cultu veſtium inſignes,

§ 32. Tandem, imperante per *Moſen* ac eligente Deo, (*Heb*.5.4.) ſacerdotes qui huic templo & ſacris præeſſent inſtituti ſunt *Aaronis* 4 filii, *Nadabus* & *Abihu*, *Eleazar Ithamár*que. His etiam ipſis, ut Summus pontifex, pater eſt præfectus *Aaron*. Quos omnes, ut ſuos famulos, Deus maximè inſignes atque illuſtres voluit eſſe, tum ſplendidiſſimo cultu veſtium, tum ſolenni conſecrationis ritu. Veſtes *Aaroni* juſſum eſt fieri, Amiculum, Cingulum, & Pectorale ſacrum, Pallium, Tunicámque teſſellatam, & Cidarin. Amiculum primò cubitale, (ſi *Joſepho* credimus,) vel paulò certè longius, ex auri bracteis in filamenta conſciſſis, atque ſummo artificio inter hyacinthina, coccinea, purpurea xylináque contextis, præfulgebat. Utrique humerali ſardonyx inſertus in aurea funda, inſculpta referebat tribuum nomina ſex; quæ Deum ſcilicet monerent, cujuſnam is populi ſacris fungeretur Pontifex. Amiculo erat Cingulum artificio materiáque par; & Pectorale quadratum, duplicatum, ſpithamâ tantùm unâ longum latúmque. Huic inſerebantur in aureis fundis lapidum pretioſorum ordines quatuor, inſculpti nominibus tribuum duodecim; ut eſſent Pontificis cordi proxima, & monumenta quibus Eccleſiam is quaſi oculis proponeret & commendaret Deo. Ex auro annuli & catenæ tortiles adnectebant amiculo pectorale. Eodem in loco Urim apponi juſſit atque Thummim Deus, quod à *Moſe* factum legimus. (*Levit*.8.8.) Ea verò facta fuiſſe ab artificibus, non traditur; niſi fortè duodecim gemmæ intelligantur his nominibus, (quod *Joſephus* vult Antiq. 3.9.) fulgore quodam inſolito præmonſtrantes ac promittentes victoriam, obſcuritate contrà negantes; additámque fuiſſe credamus operi artificum hanc à *Moſe* vel à Deo vim. *Urim lucem*, *Thummim perfectionem* ſignificare. Inter ornamenta Pectoralis inſeruiſſe *Moſen* Urim & Thummim juſſu Divino, (*Exod*.28.30.) reſponsáque dediſſe oraculi more, conſtat. (*Num*.27.21. *Jud*.1.1. & 20.18, 28. 1 *Sam*.23.9. & 28.6.) Qualia tamen ornamenta fuerint, quóque modo ab iis reſponſum ſit, minimè conſtare video. *Joſephi* enim gemmæ fulgebant non rogatæ; nec præter victorias quicquam noverant de quo reſponderent; denique, non niſi ducentis antequam ille commentabatur annis amiſiſſe ait gemmas eum ſplendorem & vim: quandoquidem Urim & Thummim in exſilio *Babylonico*, ante annos 600 priuſquam ille ſcripſerat, intercidiſſe perſpicuum ſit; (*Ezr*.2.63. *Nehem*.7.65.) & quibuſvis de rebus, at non niſi rogantibus, reſpondiſſe. Alii hæc ipſa verba *Urim* atque *Thummim*, alii *Jehovæ* nomen Pontificem aiunt in pectoralis plicatu geſtaviſſe. Duplicatum enim diximus. Hunc autem conſulendi modum atque morem fuiſſe tradunt *Judæi*: Præſenti

coram

coram Deo pontifici adſtabat à tergo rex, populíve princeps, (nec enim alii fas erat appellare hoc oraculum,) ſubmiſsâque voce murmurabat, *Eóne proficiſcar, an non?* aut aliquid ejuſmodi, quæſtione ſimplici. Tum Pontifex, Sacro movente Spiritu, pectorale intuitus, in quibuſdam literis nominum duodecim ultro exſtantibus legit atque reſpondit, *Vade*, aut, *Nè vadas*. Si liqueret nihil ex literis, negabatur à Deo reſponſum, ut *Saulo*, (1 *Sam*.28.6.) Sed cùm hæc incerta ſint omnia, ea nobis jam ſatis commoda fuerit expoſitio, ſacerdotes atque pontifices oportere lucem in pectore ac perfectionem gerere; ſalutaris doctrinæ ſcilicet claram lucem, ſanctorúmque morum integritatem. Amiculo (ut ad veſtes pontificias redeam) Pallium ſuberat hyacinthinum longius. Aperturam id in ſummo habuit capiti tranſmittendo idoneam, firmatámque limbo textili; quali foramine caruiſſe tunicam ferunt Poëtæ *Græci*, quâ irretitus & trucidatus eſt *Agamemnon*. Circumcirca in fimbriis mala granatica hyacinthina, purpurea & coccinea pendebant, aureáque tintinnabula 72 per vices interpoſita. Sonora hæc, illa odorata, vitam atque doctrinam pontificis videntur demonſtrare. Nam pontificem in Sanctuario exaudiri oportuit, ſilenti necem comminante Deo. Intra pallium Tunica erat teſſellata è xylino, eadémque talaris, accincta balteo *Phrygiani* operis. E xylino etiam Cidaris, 16 cubitis (ut ferunt) longa, ſed in formam tiaræ convoluta. Fronti pontificis annectebatur vittis hyacinthinis aurea Lamina his inſculpta verbis, *Sanctitas Jehovæ*. Atque hæc fuerunt Pontificis ornamenta. Aliis etiam ſacerdotibus è xylino Tunicæ factæ ſunt talares, cum Zonis latis opere exornatis *Phrygiano*, & Tiaris. Zonas fuiſſe longiſſimas ferunt, ad talos uſque defluentes, niſi cùm ſacris operaturi in humerum lævum rejiciebant. Linea denique omnibus, etiam Pontifici, Femoralia. Sacerdotem ſine veſtibus his tractantem ſacra (*Exod*.28.43.) neci daturum ſe comminatur Deus. Neque tamen his veſtitos in urbem exire, aut in caſtra, imò nè in tabernaculi atrium licebat. (*Ezech*. 44.19.) A.M. 2515.

Paratis Veſtibus, deinde *Moſes* ad conſecrandos (*Lev*.8.) quo Deus ritu mandaverat ſacerdotes pergit. In medium ergò productos *Aaronem* & filios coram populo ante portam tabernaculi primò lavit, lautos veſtimentis induit ſacris, oleóque perfudit *Aaronem*, (*Pſal*.133.2.) utpote typum *Chriſti*, qui *lætitiæ unctus eſt oleo præ ſociis*. (*Pſal*.45.7. *Joan*.1.14.) Tum è victimis quæ paratæ aderant, Juvencum pro peccatis obtulit, Arietem holocauſtum. Ariete alio conſecrationem abſolvit; cujus capiti (quod in aliis victimis fecerant) ſinguli ſeparatim ſuas ambas manus admovebant. Hujus arietis de ſanguine appoſuit *Moſes* aliquid ſingulorum dextris tantùm pollicibus manuum pedúmque, & auriculis ſupremis: id (opinor) indicaturus, Debere ſacerdotes rectè mandata Dei tum audire accipereque; tum perficere, quod manuum eſt; vitámque totam pariter inſtituere, quæ pedum eſt ambulatio. Reliquo ſanguine conſperſit aram undique. Sublatum deinde omnem adipem cum arietis cauda, renibus, armóque dextro, appoſitúmque his (ex caniſtro quod aderat) panem azymum, & collyram azymam oleo miſtam, unctámque oleo placentam, in *Aaronis* filiorúmque manus impoſuit. Cúmque omnia huc illuc agitâſſet coram Domino, igni tradidit atque abſumpſit. Pectus arietis, pari modo agitatum, ut à Deo donatam ſibi partem accepit. Denique, oleo ſanguine ab altari miſto *Aaronem* aſperſit & veſtes, filióſque *Aaronis* eorúmque veſtes unà cum patre. Reliquam arietis carnem *Aaroni* & filiis coquendam & comedendam tradidit ante portam tabernaculi, & caniſtrum panis. Quod ſupererat convivio comburebatur. Iiſdem planè ritibus & ſacris perfuncti ſunt ſeptem diebus, nec interea die noctéve à tabernaculi porta diſcedebant. Ità fixum eſt in *Aaronis* familia ſacerdotium Divinâ & perpetuâ ſanctione. Ità conſecratum eſt ipſum altare, & ſepties unctum, quò in poſterum ea ſacra fierent quæcunque aram tetigiſſent. Septenus ille numerus (ut hoc obiter moneam) quo perfectum eſt mundi totius opificium, etiam in ſacris peragendis adhibetur ſæpius. (*Lev*.4.6. & 16.14. & 14.4, &c. & 12.2. *Num*.19. 19. &c.) Significare autem videtur, ſacra, etſi opere difficiliore, tamen perfecta. Eundémque numerum *Pythagoras*, hinc (opinor) edoctus, aptiſſimum ſacris fuiſſe tradidit. (*Apul*. de Aſin. aur.11.) Ad altare ut redeam, in eo Deus holocauſta ſibi quotidiana inſtituit offerri publico ſumptu in perpetuum; (*Exod*.29.38, &c. *Num*.28.2, &c.) agnos nimirum anniculos, manè unum, alterum veſperì, & unà cum ſingulis contuſo miſtam oleo ſimilam, atque libamen vini. Vinum atque oleum Hinis quartam eſſe, decimam Ephæ ſimilam oportebat; cujus dimidia pars manè, veſperì dimidia incendebatur, (*Lev*. 6. 20, &c.) & ſolenni conſecratione.

A.M. 2515.

20,&c.) in fruſta quædam diſſecta priùs. His victimis quotidianis quotidiana populi expiabantur peccata & Pontificis, & fructum ex *Chriſti* ſacrificio perpetuum ſignificabant. (*Heb.*13.8.) In alia præter hanc *Jehovæ* aram, alibíve quàm in hoc tabernaculo offerre victimas, eaſdémve dæmonibus offerre, ſcelus erat capitale, homicidio par. (*Lev.* 17. 3,&c. *Deut.*12. 5,6, 13, &c. & 14. 23,26. & 15.20.) Nec *Judæis* modò, ſed inquilinis etiam proſelytis nefas. *Chriſtum* & Eccleſiam Tabernaculo repræſentari diximus. Ut nullus igitur niſi in hoc tabernaculo fuit; ità nullum niſi in *Chriſto* (*Joan.*14.6. & 10.7,9.) & in Eccleſia (1 *Tim.* 3. 15. *Apoc.* 21. 3. *Eph.*2.20,&c. *Act.*2.47. *Ezech.*20.40.) gratum eſſe Deo cultum ſignificabat.

Die tandem octavo *Aaron* ipſe coram Principibus populóque ſuum cœpit obire ſacerdotale munus; obtulítque (Deo per *Moſen* ità jubente) pro ſe ſuíſque peccatis juvencum, & holocauſtum arietis, iiſdem quos antea monſtravi ritibus. Deinde, pro populo victimam ad peccata expianda, hircum; bovem & arietem ſacra Euchariſtica. Muneris quoque triticei partem addidit, atque tradidit ſacris ignibus. Denique, vitulum atque agnum holocauſta cùm ſolenni ritu immolâſſet, paraviſſétque omnia filiis opitulantibus, nullo tantùm admoto igne, benedixit populo elatis manibus, atque deſcendit ab ara. Mox à fratre, peractis jam ritè ſacris, in tabernaculum deductus eſt, populo foris exſpectante reditum; qui tum demum coruſcantem indè vidit (quod promiſerat *Moſes*) gloriam majeſtatémque Dei. Poſtquam ædis cuſtodiam ſacræ *Aaroni* & filiis tradidiſſet *Moſes*, egreſſi ambo fratres benedixerunt populo; repentéque ignis à Deo decidit in altare, qui holocauſtum adipémque omnem devoravit; populo interim ſtupente, acclamante, in humum projiciente pronum ſe, & gratiſſimo gaudio venerante *Jehovam*. His auſpiciis *Aaronis* miniſterium ſancitum divinitus & comprobatum eſt.

Quorum duo, igne profano operantes, igne correpti pereunt.

Ignis hic, utpote Divinus, haberi ſacer in poſterum juſſus eſt, & alendus perpetuò, (*Lev.*6.12,13. & 16.12.) ſingulis diebus manè aliquo ſubjiciente fomitem ſacerdote. Nec alius erat ullo modo in ſacris adhibendus. Hinc fauſta lætáque initia ſacerdotii *Aaronici* turbavit luctus inopinatus, gaudiúmque patris corrupit filiorum interitus; uſque adeò in humanis rebus

——— *Nulla eſt ſincera voluptas,*
Sollicitúmque aliquid lætis intervenit ———

Nadabus enim & *Abihu* ſacerdotes, cùm incuriâ neſcio quâ ſacrum thus igne profano adolerent, igne cœleſti protinus exanimati ſunt, extinctíque ſine liberis, qui oſcitantiam parentum diligentiâ ſuâ compenſarent. Sunt qui putent inebriatos vino, & immemores præcepti Divini officiíque ſui, peccaviſſe. Illico enim poſt hanc cædem ſacerdotum (*Lev.*10.8.) ab ipſo Deo monetur *Aaron*, ut ipſe filiíque ad tabernaculum acceſſuri abſtineant vino inebriantéque potu, ídque nè moriantur. Grave hoc patri & fratribus accidebat. Vetuit *Moſes* tamen iraſcenti Deo iraſci; etiam "lugere vetuit ac plangere vulgari more. Populum ſcilicet curaturum funebria, populo ea relinquenda: non decere ſacerdotes, nè & ipſos intempeſtivâ pietate impios corriperet iracundia Divina, & leto daret; imò nè in ipſam ſæviret multitudinem ſacerdotum causâ. Quare olei memores lætitiæ quo inuncti fuiſſent, & ſacri quod ſuſcepiſſent muneris, caverent monuit nè luctus privatus impediret officii publici procurationem. Nec enim aliud eveniſſe jam, quàm quod ipſe à Deo jampridem illis tradidiſſet; exſpectare *Jehovam* ſcilicet, ut eorum quos familiares ſervos proximóſque ſibi aſciverit obſequio & ſanctimoniâ, ſuum inclareſcat nomen, magíſque apud populum habeatur ſanctum, illuſtre, glorioſum. Hæc ad ſacerdotes locutus *Moſes*, nè ſuperſtitibus officeret impuritas cadaverum, patruelibus *Aaronis Miſaëli* & *Elzaphani*, filiis *Uzzielis*, id operis dedit, ut corpora cognatorum è tabernaculo efferrent, & extra limites caſtrorum ſepelirent. *Aaron* verò cum filiis reliquis taciturno luctu devoravit hanc ſuæ domûs cladem, promptéque monitis obſecutus eſt *Moſis*. Sed & *Moſes* ipſe graviter in eos efferbuit, quòd victimam populi piacularem exuſſiſſent totam, nec dimenſum indè ſacerdotale in ſanctuario comediſſent, ut erat præceptum à Deo. Veritus ergò nè & illi, vel contumaciâ, vel negligentiâ non ferendâ, offendiſſent ac irritâſſent Deum, *Eleazarem* aſperiùs appellavit, ipſius *Aaronis*, opinor, ætatem reveritus. Sed cùm *Aaron* factum excuſâſſet, quòd nec opportunum nec fas videretur in funeribus ſuorum convivari, & ea lugentes comedere quæ non niſi lætantibus convenirent, (*Deut.*12.7. & 26.14.) facilè *Moſis* offenſum animum delinivit.

§ 33.

A.M. 2515.

Loco primogenitorum, Levitæ miniſteriis inferioribus in tabernaculo dedicati;

§ 33. Sed *Aaronis* unica familia omnium ſacrorum operationi non ſufficiebat, oneri moleſtiſſimo longè impar. Loco igitur primogenitorum hominum pecorúmque, unam ſibi tribum *Leviticam*, & eam longè minimam, cum ſuis pecoribus dedicandam, & donandam *Aaroni* popoſcit Deus, ad peragenda inferiora quæque tabernaculi miniſteria. (*Num.* 3. 6,&c.) Eóque magis *Levitas* prætulit aliis tribubus, quòd in ulciſcenda contumelia quæ Vituli aurei cultu oblata erat *Jehovæ*, fortiſſimos gloriæ ſe Divinæ vindices præſtitiſſent, trium cædemillium. Et numerus ferè conveniebat. Primogenitorum, qui menſem unum pluréſve nati eſſent, reperti ſunt 22273; *Levitarum* 22000, præter eos ex *Aaronis* familia, & primogenitos in eadem tribu trecentos. Nam ex tribus liberis *Levi*, *Gerſono*, per filios *Libnium* & *Shimeium*, capita cenſa ſunt ætatis menſtruæ 7500; ex *Cohatho*, per *Amramum*, *Iſharum*, *Hebronem* & *Uzzielem* filios, 8600; ex *Merari*, per *Mahlium* & *Muſhium*, 6200. Qui autem è primogenitis redundabant ſuperabántque numero *Levitas* 273, quinque ſiclis majoribus redimebant ſinguli ſe, jactâ ſorte, opinor: quæ tradita eſt ſacerdotibus pecunia. Electos, ità conſecrari *Levitas* juſſit Deus: (*Num.*8.6,7,&c.) Aſpergi primò aquâ piaculari, lotíſque veſtimentis toto radi corpore. Deinde, ante portam tabernaculi *Iſraëlitæ* (primogeniti, credo, quibus illi ſuffecti ſunt) capitibus eorum admovebant manus; obtulítque *Aaron* novos miniſtros Deo, jampridem oblatos à populo: iíſque perpurgandis victimas immolavit, duos juvencos unà cum ſimila permiſta oleo, alteram piacularem, alteram holocauſtum; quorum capitibus more ſolenni fuerunt innixi priùs *Levitæ*, ſua in illos conferentes peccata. Erat hoc igitur *Levitis* & Sacerdotibus commune, quòd Sacris tantùm vacabant & miniſteriis tabernaculi Divini; quódque orabant pro populo, (*Num.*8.19.) & Legem populo exponebant. (2 *Chron.*17.7,8,9. & 35.3.) Sed *Levitæ* ſuberant, aliáque habebant peculiaria multa. Anno ætatis 25. (*Num.*8.24.) conſecrabantur, & erudiebantur ad officii ſui rationem, levioráque obibant munia. Initiati videntur & dicati Deo non niſi unum nati menſem. (*Num.*3.15.) Anno triceſimo (*Num.*4.30,&c.) difficillima quæque ſui muneris onera ſubibant. Præſidiis atque cuſtodiis, necnon excubiis (*Num.*18.4.) quoque nocturnis (*Pſal.*134.2.) muniebant tabernaculum, nè quis peregrinus aut alienus ingrederetur, multò magìs nè quid auferret rerum ſacrarum; pœnâ capitis propoſitâ ſi quis propiùs accederet. (*Num.*3.8,10.) Sed maximum erat illis in tabernaculo defigendo ſive collocando, ac in eodem refigendo portandóque, opus: quod ità partiri juſſus eſt *Moſes* inter *Levitarum* familias tres. Primò, *Cohathitæ*, quorum eo tempore annum ætatis triceſimum attigerant, ſed tamen intra quinquageſimum, 2750, ſacroſanctam ſupellectilem ſacræ domûs humeris geſtabant. *1. Cohathitæ,* Inprimis Arcam teſtimonii ſuis vectibus, adyti priùs velo coopertam à ſacerdotibus, & melium pellibus tectam, impoſitâ demum his veſte hyacinthinâ. Deinde Menſam, unà cum vaſculis & quotidiano pane, injectâ per ſacerdotes hyacinthinâ veſte, & ſuperiùs coccineâ, pellibus melium ſupremò tectam. Candelabrum quoque, unà cum vaſis oleariis, forcipibus ac trullis, veſte hyacinthinâ involutum, & in tegumento repoſitum è melium pellibus, palangis ferebant: ut & aureum Altare, hyacinthinâ priùs veſte meliúmque pellibus contectum à ſacerdotibus. Eodémque modo Altare majus unà cum inſtrumentis, ejecto cinere, ſed purpureâ veſte pellibúſque injectis melium. Reliqua inſtrumenta quibus miniſtrabant ſacerdotes, in hyacinthina veſte compoſita, & pellibus contecta melium, palangis *Cohathitæ* portabant. Sed neque has ipſas videre quas portabant res, neque ingredi ſanctuarium licuit. *Cohathitis* eorúmque oneribus præfuit *Eleazar* ſacerdos; cui & oleum unguentúmque ſacrum, ſuffitus aromaticus, & munus quotidianum credebatur. Secundo loco, *Gerſonitæ*, *2. Gerſonitæ,* quorum 2630 numerati ſunt juſtâ ætate, aulæa tabernaculi, tapetes & tegumenta omnia, etiam funes, quæque alia ad hæc ſpectabant inſtrumenta, devehendi curam ſibi delegatam habuêre. Poſtremò, *Meraritis* 3200, aſſeres tabernaculi, tranſtilla, columnæ, ſtylobatæ, paxilli, cum funibus & inſtrumentis omnibus, tradebantur. *3. Meraritæ.* *Meraritis* atque *Gerſonitis Ithamar* ſacerdos, eorúmque vecturis, præerat. Quinquagenarii (*Num.*8.25.) à tabernaculo portando, ſed non à cuſtodiendo, immunes habebantur. Et horum erat fortaſſe minores inſtituere, ac præeſſe reliquis.

Multa Levitis cum Pontifice conveniebant.

§ 34. Ut *Levitis*, ità Pontifici multa cum aliis ſacerdotibus conveniebant; multa erant Pontifici propria, præter ea quæ de veſtibus & conſecratione jam antea dicta ſunt. Neutri aliquo vitio labéve ſpectabili corporis & deformi laborare fas. Itaque cæci, claudi, gibboſi, muti, & alii ejuſdem generis, à ſacris miniſtrandis arce-

A.M. 2515.

arcebantur; non item à comedendis. (*Lev.*21.17,18,&c.) Corporea hæc animorum ſignificabant dotes, & monebant, quantâ innocentiâ & morum integritate, quibúſque virtutibus ornari par ſit, tum Eccleſiæ totius regale ſacerdotium, (*Eph.*5.26, 27. *Apoc.*14.5.) tum verò Dei præcipuè miniſtros. (1 *Tim.*3.2, &c. *Tit.*1.7, &c.) Neutri meretricem, aut ab alio repudiatam, ducere licebat uxorem. (*Lev.*21.7,14.) Utrique adolebant thus, (*Lev.*10.1.) & victimas immolabant. (1 *Chron.*6.49. 2 *Chron.* 29.21,&c.) Utrique tubis clangebant. (*Num.*10.8.) Utriſque vino inebriantéque potu erat abſtinendum acceſſuris ad tabernaculum; (*Lev.*10.9.) nè quid fortè rem Divinam facientes peccarent. Utrique Legem exponebant, & erudiebant populum. (*Lev.* 10.11.) Utrique de lepra cognoſcebant. (*Lev.*13.2.) Utriuſque filia meretrix punienda flammis purgandáque tradebatur. (*Lev.* 21.9.) Poſtremò, utrique benedicebant populo, ſed formâ divinitus inſtitutâ, (*Num.*6.23,&c. *Deut.*21.5. 1 *Chron.* 23.13.) conceptíſque his aut hujuſmodi verbis: *Benedicat tibi Jehova, & cuſtodiat te. Faciat tibi ut luceat ſuus vultus, & gratiam tibi faciat Jehova. Attollat Jehova vultum ſuum erga te, & donet tibi pacem.* Tradunt *Judæi*, ſacerdotes benedictionem hanc promulgaviſſe non niſi in Sanctuario vel Synagoga ſtantes, elatis manibus vocéque, linguâ tantùm *Hebraïcâ*, poſtquam ſacra peregiſſent matutina. Quaſi verò benedictionem veſpertinam Pontifici *Chriſto* conferendam reliquiſſent, ſub mundi veſperam adventuro, (*Heb.*1.2.) ex *Melchizedechi* ordine Sacerdoti. Ille enim à Deo miſſus ut benediceret, (*Act.*3.26.) docendíque munus à benedictionibus auſpicatus,(*Matt.*5.2,3,&c.) & benedicendo valedixit Diſcipulis ſuis, atque in cœlum diſceſſit. (*Luc.*24.50,51.) Eo igitur adveniente jam, ſacerdos *Aaronicus* populo benedicturus obmutuit: (*Luc.*1.21,22.) quoniam alius mox deinde adfuturus erat Sacerdos ſanctior, à quo & in quo gentes erant omnes benedicendæ. (*Gal.*3.8.) Tribus hæc partibus conſtabat benedictio, ubi *Jehova* nominatus ter, ad myſterium Sacroſanctæ Triadis indigitandum, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, quorum in nomen baptizamur. (*Matt.* 28. 19.) Eandem videntur imitati benedictionis formam S. *Paulus*, (2 *Cor.* 13. 14.) & S. *Joannes*. (*Apoc.*1.4,5.) Uni erat Pontifici peculiare, quòd ei non niſi virginem habere uxorem de ſuo populo, aliis etiam viduam licebat. (*Levit.*21.13,14.) Deinde, Pontifici erat interdictum ad hominis cadaver maximè propinqui appropinquare, aut lugere quomodo ſolebant vulgò, caput retegendo & lacerando veſtimenta; ità ut luctûs cujuſquam ratione pollutus deſereret ſtationem & miniſterium in tabernaculo. (*Lev.* 21. 10, 11, 12.) At ſi quid fortè contigit ejuſmodi, quod Pontificem à Sacris miniſtrandis prohiberet vel impediret, paratus erat ſecundarius ſacerdos, (2 *Reg.* 25. 18. & 23. 4.) qui ſuppleret vicem principis, quíque iiſdem legibus ad munditiam obſtringebatur. *Sagan Judæis* dicitur. Aliis verò ſacerdotibus conceſſus eſt pro patre matréve defuncta, pro liberis & fratre luctus, & ſorore virgine. (*Levit.*21.2,3.) Sed cavendum & his fuit nè polluerentur quoviſmodo, capita radendo ad calvitiem, deformando barbam, & cædendo carnem corporis. (Verſ.4,5.) Immundis enim non licebat, vel Sacris intereſſe, vel de Sacris comedere; (*Lev.*22.3. & 7.20,21.) pœnâ mortis delinquentibus hac in re denunciatâ. Munera erant Pontifici tria peculiaria. 1. Soli aditus patebat in Sanctum ſanctorum; neque verò id niſi ſemel quotannis ad expiationem. (*Lev.*16.2,3,34. *Heb.*9.7.) Qua in re demiror equidem *Sigonium* (de Repub. *Heb*.5.2.) ex *Auguſtino* aſſerere, Pontificem quotidie in Sancta ſanctorum introiiſſe propter incenſum, ſemel verò propter expiationem; vel ſemel ſine comitatu ſolum, (*Lev.*16.17.) ut *Sigonius* interpretatur: cùm certo certius ſit, ſoli Pontifici, & ei ſemel tantùm in anno, aditum patuiſſe intra velum. Extra enim collocabatur incenſi ara. (*Lev.*16.12,18. *Exod.*40.26.) 2. Solius erat Pontificis conſecrare *Levitas* atque ſacerdotes. (*Num.*8.11.) 3. In rebus gravibus dubiiſque Dominum conſulere per Urim & Thummim. Sed illud erat præcipuum & eximium in Sacerdote ſummo, quòd is typico & peculiari modo *Chriſtum* ſignificabat. (*Heb.*9.11. & 2.17. & 3.1. & 4.14. & 5.5,6,10. & 6.20. &c.)

Decimæ *Levitis* datæ:

§ 35. Non latebat optimum ſapientiſſimúmque Numen, dandam eſſe mercedem ſervis, atque certum unde viverent ſtipendium; liberale verò ſtipendium, ex quo lautè viverent, miniſtris Dei. Nec eundem latebat, ſuam eſſe terram univerſam, & quæcunque terra gigneret alerétve. (*Pſal.*24.1.) Atque illam dediſſe quidem ſe utendam fruendámque hominibus: (*Pſal.*115.16.) verùm eâ lege, ut ſibi Conditori omnium rerum, Autoríque fructuum, fructuum decimas perſolverent quotannis.

annis. (*Lev.*27.30.) Utque reliquis fructibus inter utendum benediceret, primitias omnium ſibi concedendas poſtulavit. (*Rom.*11.16. *Ezech.*44.30.) Primò etiam qui geniti ſunt *Iſraëlitis*, vel è ſua ſobole, vel ex pecudum fœtu, ſibi Deus addici voluit, quoniam illis pepercerat in *Ægypto*. (*Num.*18.15.) Munera etiam, (*Lev.* 2.3, 10.) & quæ vovebantur, (*Lev.* 27.1, 2, &c.) aut devovebantur ſimpliciter, (*Num.*18.14.) & certæ ſacrificiorum portiones, (*Num.*5.9.) aliáque Dei fuerunt plurima. Quæcunque igitur Divini erant juris, in ſuos contulit miniſtros *Jehova*; eóque magis, quoniam in *Canaanæa* nullam erant hæreditariam ſortem poſſeſſuri cum aliis tribubus: (*Num.*18. 20, 24. *Deut.*18.1.) nè, rebus terrenis implicati, minùs libere vacarent miniſteriis Divinis. *Levitis* igitur ſuas rerum omnium, hoc eſt, pecorum, fructuum, primitiiſque ſubductis, frugum Decimas dedit. (*Num.*18.21,24.) Sed ipſarum decimarum decimas *Levitæ* ſacerdotibus tradebant. (*Num.*18.26,&c.) Præter has *Levitarum* primas, videtur ſecundas quoque Decimas popoſciſſe Deus; quibus tertio quoque anno frugifero *Iſraëlitæ* convivabantur unà cum *Levitis* domi, & paſcebant pauperes, pupillos, viduas & peregrinos. Cúmque perfeciſſent, profitebantur Deo peracta eſſe quæ juſſiſſet omnia, & quo juſſiſſet modo. (*Deut.*26. 12,&c.) Hanc verò profeſſionem *Judæi* factam fuiſſe ferunt proximo quod ſequebatur Paſchatis feſto, anni quarti ſeptimíque ineuntis. Aliis verò annis frugiferis (ſeptimo enim quieſcebat humus) Decimas has, vel conflatam ex iis pecuniam quintâ cumulatam parte, (*Lev.*27.31.) deferebant in locum Divino cultui aſſignatum, ubi convivia hilariter agitabant (*Deut.*14.22, &c.) cum *Levitis*. Alia quæcunque Deo vel data fuerunt, vel debita, (dona 24 numerant *Judæi*,) Sacerdotibus ut ſuæ ſalarium diligentiæ condonabantur, (*Num.*18.19. *Ezech.*44.30.) ut primitiæ frugum fructuúmque. Annis tribus ex quo ſatæ ſunt in horto arbores, profani fructus habebantur; quarto demum ſacri; (*Lev.*19.23,24.) & vel ſacerdotibus traditi, (*Num.*18.12,&c.) vel more Decimarum ſecundarum (ut plerique *Judæorum* opinantur) inter ſacerdotes conviviis adhibiti. (*Deut.*12.17,18.) Frugum primitias quater oblatas ferunt. Ac, 1. ineunte menſe manipulum: (*Lev.*23.10.) 2. duos panes, & hos à populo ſimul univerſo: (*Levit.*23.17.) 3. collyram ex ipſa maſſa, quo ſinguli agnoſcerent non minùs panem à Deo ſe quàm frumentum accepiſſe: (*Pſal.*136.25. *Ezech.*44.30. *Num.*15.20.) 4. primitias ex area, quæ maximæ fuerunt, in fine meſſis, pars ut minimum ſexageſima totius. (*Ezech.*45.13.) Et eas non modò 7 generum, (ut *Judæi* volunt,) tritici hordeíque, uvarum, ficuum, granatorum, olivarum dactylorúmque; (*Deut.*8.8.) ſed & muſti atque olei, ex velleribus quoque ovium lanæ. (*Deut.* 18.4. *Num.*18.12.) Cùm autem has traderent ſacerdoti, ſummam Dei bonitatem in ſe gentémque ſuam dominos oportebat familiarum verbis ampliſſimis prædicare. (*Deut.* 26.3, &c.) Ità *facultatibus ſuis honorabant Jehovam, & primitiis omnium proventuum*, non Decimis modò; ut eò magìs benedicente Deo, *implerentur ubertate* frugum *horrea*, *muſtóque diſtenderentur torcularia.* (*Prov.*3.9,10.)

A.M. 2515.

Decimæ decimarum, primitiæ, donaria, ſacrificia, &c. Sacerdotibus.

Erat aliud inter *Hebræos* hominum ſacrorum genus, (*Num.*6.2,3, &c.) qui ſe voto ſpontaneo ſeparabant atque dedicabant Deo. Hos ab ea ſeparatione *Nazaræos* vocabant. Non hi quidem ſacrorum adminiſtri operam in tabernaculo ponebant; ſed tribus obligabantur votis. Primum erat, à vino & uvis omníque inebriante potu abſtinendi. Alterum, alendi comam, novaculâque nullâ crines reſecandi. Tertium, cadaveribus mortuorum nè, vel maximè propinquorum, appropinquandi, polluendíque ſe. Quod ſi caſu inopinato contigiſſet unquam, radenda erat die ſeptimo coma, & octavo duobus turturibus, columbarúmve pullis, altero holocauſto, altero piaculari ſacrificio, purganda erat contracta ex mortuo impuritas, & votum erat denuo agno immolato renovandum. His autem ſe votis aut per omnem vitam, aut ad certum obſtringere tempus licebat: quo peracto, agnus ad holocauſtum, agna ad expiationem, aries ad ſacrificium euchariſticum tradendus erat ſacerdoti, cum caniſtro azymorum, collyris è ſimila miſtis oleo, & laganis azymis oleo perunctis, præter munera & libamina. Tum demum ſolutus voto, in tabernaculi porta deraſum igni crinem ſub euchariſtico ardenti ſacrificio tradebat. Armum verò arietis coctum, & collyram azymam cum lagano, imponebat raſo in palmis & agitabat ſacerdos coram *Jehova.* Sibi deinde auferebat hæc, unà cum pectore agitato armóque altero elevato, ad convivium.

Nazaræi etiam ſacri, non ſacrifici.

§ 36. Cùm

A.M. 2515.

De Sacrificiis,

§ 36. Cùm de *Tabernaculo* & *Sacerdotio* ſatìs jam eſſet præceptum à Deo, quarto in loco ſacrarum *Oblationum* varia genera in Sacrificiis atque Donariis tradidit, quo modo fieri omnia, quibúſque ritibus oporteret. Et ritus quidem præcipui cultûs Divini apud Veteres ſacrificiis conſtabant; quæ ut maximè antiqua, ità gentium ferè omnium communia, *Meſſiam* Salvatorem generis humani perſpicuè omnibus quotidie *Judæis* quaſi ante oculos proponebant. Quòd ſi hujus myſterii rationem vel *Judæi* vel gentes aliæ ſatìs intellexiſſent, non hæ crucifixum atque mortuum Salvatorem tantopere deriſiſſent; neque illi magnificum regem longè latéque dominaturum tam diu fruſtrà exſpectarent. Cùm enim *peccati* pœna ſive *ſtipendium* ſit *mors*, (*Gen.*2.17. *Rom.*6.23.) eáque, niſi alio aliquo modo ſatisfiat juſtiſſimo Deo, æterna; æterna verò mors, quæ omnium ſuppliciorum eſt malorúmque ultimum, non niſi morte redimi ac permutari poſſit; (*Heb.* 9. 22.) nec eâ pecudum, (*Heb.*10.1,2,4.) imò vel hominum gregariorum ac ſontium, quæ longè vilius pretium eſt quàm ut generi hominum redimendo ſufficiat ab æterna pœna: ſacrificio certè opus fuit ad hanc rem, & hominis, utpote hominum causâ & vice; & hominis multò Divinioris atque præſtantioris naturâ communi ſortéque hominum, qui ſuâ morte noſtram lueret mortem, peccata expiaret, ſalutem redimeret amiſſam, denique lytrum par æternæ pœnæ ſolveret, Homo innocens idem & Deus, juſtitiæ Divinæ. Atque hoc erat *Meſſiæ* promiſſi à Deo, tantopere ab hominibus deſiderati, munus, temporéque deſtinato in mundum prodituri. (*Dan.*9.26. *Eph.*5.2. *Heb.*9.12. & 10. 19. *Joan.*1.29. 1 *Joan.*1.7. *Apoc.*13.8. *Eſai.* 53.4, &c.) Hoc ſacrificiis interea & cæde pecudum figurabatur donec adveniret *Chriſtus*, & prænunciabatur futurum. Sacrificiis enim, piorum hominum fides perpetuò, tanquam ignis idoneo fomite, paſcebatur. Satìs hîc piè profanus Poëta,

Non bove mactato cœleſtia numina gaudent.

Non Deus victimarum nidore oblectatur, aut pecudum carne paſcitur ſanguinéve. (*Pſal.*51.16. *Heb.*10.5,8,9. ex *Pſal.*40.6.) Niſi arcanum hoc ſalutare de *Meſſia* latuiſſet in illis ritibus,inſulſa profectò fuiſſent quæ de ſacrificiis tradebantur omnia; meritóque irriſi à *Pythagora*, qui Numen ſupremum

Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci. (*Ovid.* Met.15.)

Ea verò jam, ad ea ſignificanda quibus deſtinata ſunt, egregia ſymbola & perquam idonea. Neque *Chriſtum* ſolummodo adumbrabant res quæ offerebantur externæ, ſed & noſtra interna ſignificabant animorum ſacrificia, multò potiora gratioráque Deo; utpote ſine quibus illa altera neque placabant neque placebant. (*Mal.*1.10,11. *Mich.* 6.6,7,8.) Hæc autem ſunt Dei *laudes*, (*Pſal.*50.23.) *contritum cor*, (*Pſal.*51.17.) caſta mundities corporum, (*Rom.* 12.1.) preces, (*Pſalm.*141.2.) obſequi mandatis Dei, (1 *Sam.*15.22.) charitatis opera pietatíſque. (*Hoſ.*6.6. *Matt.*9.13. *Phil.*4.18. *Heb.*13.16.)

Sacrificium ergò fuit oblatio rei per ignem, vel integræ, vel ex parte Numini Divino conſecrandæ. Variorum erant generum. Hoc unum commune omnibus, condiri ſale. (*Lev.*2.13.) Quare communibus omnium ſumptibus ſacrificialis apparabatur ſal, ut lignum & thus aliáque multa; non eorum privatis quorum & victimæ fuerunt. Sale autem fœdus æternum Dei cum populo ſuo & Eccleſia ſignificabatur, fœdus *pacis*, (*Marc.*9.50.) quod non magìs mutari potuit, quàm ea corrumpi & putreſcere quæ condiebantur ſale. (*Num.*18.19. 2 *Chron.*13.5.) Invaluítque mos, in omnibus fœderibus adhibere ſalem. Deinde, ſalubris Evangelii doctrina, corripiens corrigénſque depravatos atque corruptos mores, deſignabatur hoc ſymbolo. (*Matt.*5.13.) Sacrificia vel ex pecoribus volucribúſve animata erant, vel inanima ex frugibus. Primò, ex frugibus & tritico, vel puriſſimæ ſimilæ Gomer minimum (*Lev.*5.11. & 6.20.) oleo ſuperfuſo, vel ex eadem collyra oleo miſta, laganáve uncta oleo,utraque in tabernaculi furno cocta,ſartaginéve aut cacabo,(*Ezech.* 46.20. 1 *Chron.*23.29.) tradebatur ſacerdoti, aræque admovebatur. Singulis addebatur & thus. Similæ crudæ oleíque partem ſacerdos, aut panis cocti fruſta quædam, (in fruſta enim frangebatur,) unáque omne thus, igni ſacro libamen tradidit, atque dicavit Deo. Reliquum ſibi & collegis in atrio tabernaculi comedendum abſtulit. (*Lev.*6.16.) Nam è ſanctioribus erat ſacrificiis, quæ foras efferri, comedíve non licebat in ædibus tentoriíſque privatis. Fermentum ſimilæ in ara

tum inanimis ex frugibus,

com-

comburendæ aut mel permiſcere nefas habebatur. (*Lev.*2.11.) Sacrificium hoc farinarium *Minchah*, id eſt, *Munus*, *Hebræi* vocant; (1 *Sam.* 10.27. *Geneſ.*4.3,4.) *Latinorum* aliqui *Libamen*: quo ſe Deo gratos pro victu aliiſque vitæ ſubſidiis præſtitiſſe opinantur nonnulli. (*Jo. Gerard.* Loc. Theolog. tom.3.16.) Huc & frugum primitiæ ſpectant, quarum è ſpicis virentibus igne toſtis, hordeóque indè contuſo, partem ſacerdos cum olei parte thuréque omni adolebat in ara. Addebatur ſingulis quadrupedum holocauſtis & pacificis è ſimila quoque munus concremandum, & libamen vini: (*Num.*15.3,&c.) ſingulis nimirum agnis ſimilæ decima, ex oleo atque vino Hinis quarta pars; ſingulis arietibus è ſimila binæ decimæ, ex oleo vinóque Hinis tertia; juvencis autem & bobus è ſimila decimæ tres, quibus olei miſcebatur dimidium Hinis, tantundémque erat libamen vini, quo erat perfundendum altare. Expiabantur & hoc peccata non minùs quàm cruentis victimis. (1 *Sam.*3.14. & 26.19.) Quare *Chriſtum* adumbrabat primo in loco, qui ſe pro nobis dedit munus & ſacrificium Deo gratiſſimi odoris. (*Eph.*5.2. *Heb.*10.5,8,9,10. ex *Pſalm.* 40.6,7.) Idem *vitæ* ac *Dei panis eſt.* (*Joan.*6.33,35.) Advenientéque *Meſſiâ* ceſſabant hæc munera, (*Dan.*9.27.) unà cum victimis. Deinde, gentes (*Eſai.*66.20. *Rom.*15.16.) per Evangelium & miniſterium verbi Divini oblatas Deo ſignificabant, unctas *oleo Spiritûs Sancti.* (1 *Joan.*2.27. 2 *Cor.*1.21.) Denique, bona Chriſtianorum opera; preces, (*Pſal.*141.2. *Mal.*1.10,11. 1 *Tim.*2.8.) & collata in homines egenos & Evangelii præcones beneficia. (*Heb.*13.16. *Phil.*4.18.) Nam & his muneribus partim alebantur ſacerdotes *Moſaici.* (*Num.*18.9,10.) Deos fruge coluiſſe & *Græcos* olim, & molâ salsâ ſupplicaviſſe, *Homerus* docet. (*Iliad.*1.) Idem *Numa* inſtituit apud *Romanos* & XII Tabulæ: *Nè deguſtabant quidem Romani novas fruges aut vina, antequam ſacerdotes primitias libâſſent.* (*Plin.*18.2.)

A.M. 2515.

Hæc de ſacrificiis inanimis. Animata fuerunt ex mundis animalibus immolatæ victimæ ad colendum conciliandúmque Deum. Neque verò ad ſacrificium eædem animantes mundæ habebantur quæ ad cibum. Sed pauciſſimæ ad ſacra poſtulabantur, eæque manſuetæ ac obviæ. Bovinum ovinúmque genus atque caprarum ex quadrupedibus, turtures columbarúmque pulli ex avibus adhibebantur, & paſſeres ad purgandam lepram. (*Lev.*14.4.) Omnes victimas oportebat eſſe integras atque ſanas, (*Lev.*22.19,&c. *Mal.*1.8. *Deut.* 17.1.) nulla ex parte mutilas aut vitiatas, monſtroſas, ægras, vel immundas. Integritatem *Chriſti*, (*Heb.*9.14. *Eph.*5.27. 1 *Pet.* 1.19.) atque noſtram in *Chriſto*, ſignificabat. Præterea, monemur hinc & nos, non niſi optima quæque dicanda & offerenda eſſe Deo: Optima prima vitæ noſtræ tempora; non fæcem, & quod in imo eſt, non minimum modò, ſed & peſſimum, ſenectutis: optima corporis membra quoque, ipſa corda, (*Prov.*23.26.) eáque pura & perfecta: (1 *Chron.*28.9.) optima etiam facultatum atque bonorum in pauperes atque miniſtros verbi Divini conferenda eſſe Dei gratiâ, non ea tantùm quæ porcis comedenda relinquuntur. In ſpontaneis tamen (*Lev.*22.23.) accepta Deus habuit etiam illa pecora quibus aliqua membri cujuſdam pars vel abundabat, vel deficiebat, paulò brevior juſto longiórve. Sed hæc non ſacrificia ſpontanea, verùm dona interpretantur *Judæi*, ad inſtaurandas pretio ſuo Tabernaculi ruinas. In tres præcipuè ordines Sacrificia generatim diſtributa videntur apud *Moſen*, in Holocauſtum, Piaculare, & Pacificum ſive Euchariſticum.

tum animatis ex pecoribus mundis.

Holocauſtum erat, quo tota hoſtia Divino conſumebatur igne, & veluti cum fumo à terris in cœlum amandabatur; ídque non ſolùm honorandi, (ut *Philo* de Sacrificiis vult,) ſed etiam propitiandi Dei gratiâ. (*Lev.*1.4. *Job.*1.5. & 42.8. *Ezech.* 45.17.) Juvencus, aut agnus hœdúſve, maſculi omnes, ditiorum, turtures columbarúmve pulli pauperum victimæ fuerunt. Quas qui offerebant, ablutis & impoſitis capiti pecoris manibus, peccata generatim confitebantur. Sacerdotes aut *Levitæ* mactabant ad altaris latus Boreale, ſanguinem aliis recipientibus in ſacro vaſe, quo ara in circuitu perfundebatur. Detractâ pelle, quam unicam ſacerdos lucrabatur ex hoc ſacrificio, artus concidebant, inteſtina & pedes abluebant, ſale aſpergebant omnia; denique, in unum conjectas quæ modò diſſectæ fuerant partes, concremabant igne ſacro. Ut in cineres redigeretur, tota plerumque nox comburendæ victimæ concedebatur. Manè lotus & ſacras indutus veſtes ſacerdos, manibus iterum pedibúſque lotis, cinerem ex ara ſuſtulit, & in atrio ad aræ frontem orientalem portæ proximam congeſſit in acervum. Mutatis deinde veſtibus, in mundum certúmque locum, ſed extra limites urbium atque caſtrorum, cineres aliáſque

Animatorum tria genera: I. Holocauſtum,

A.M. 2515. ſacrificiorum ſordes efferebat. (*Lev.* 1.16.) Turturum columbarúmque capita ſecabat ungue (non tamen à corpore diſſecabat) ſacerdos, ità ut proſiliret ſanguis ad parietem altaris. Ingluviem & ſordes in cinerem projiciebat aræ propinquam. Diffiſſa deinde manibus (non ſciſſa ferro) volucris, & ſale aſperſa, ignibus tradebatur, prærepto ac prævertente capite. Expiabantur holocauſto peccata universè, & propitiabatur Deus. Agebantur etiam aliquando gratiæ. (*Pſal.* 66. 13,14,15.) Maximéque omnium habebatur honorificum Deo, quia totum conſumebatur ſacris ignibus, nihílque ſupererat præter pellem uſibus humanis.

2. Piaculare, *Piaculare* ſacrificium noxas ſigillatim per imprudentiam (*Lev.* 4.2.) errorémve contractas, & ex præcipiti conſilio, expiabat: imò & quæ ſciens quis clàm neminéque conſcio, ſemet ſe prodente, perpetrârat, in homines præſertim. Priora pleriſque vocari *Peccata* ſolent: (*Lev.*4.) hæc poſteriora (*Lev.*7.) *Delicta.* Nam publicè deditâ operâ, ex deſtinato & propoſito contumaci, qui violabant Legem Dei, pro-bróque Numen afficiebant, nullum iſtis proderat ſacrificium, ſed excidium minitabatur Deus. (*Num.*15.30. *Eſai.*26.10. *Heb.*10.26,27.) Pro graduum varietate variabant hîc ſacrificia. Si Pontifex deliquerat, erroréque ſuo populum ſeduxerat in fraudem, aut univerſa populi ſive cujuſquam tribûs multitudo, ſicut interpretantur *Judæi*, (*Lev.*4.3,13.) victima erat juvencus; ſi Princeps populi, hircus; (ibid.22.) ſin privatus quis, (ibid.27,&c.) agna capráve immolabatur annicula: ſingulis utrâque manu capite innitentibus victimæ ſuæ, & confitentibus delictum; populi autem totius vice majoribus natu. Sanguis juvenci, delatus in tabernaculum, digito ſpargebatur ſepties ante velum adyti ſacratioris; eodem & cornua imbuebantur altaris aurei; reliquo ad ænei baſin effuſo. Deinde, cùm adipem & renes in eodem altari adoleviſſent, corpus ipſum unà cum fimo & tergore, caſtrorum extra limites urbiúmque mœnia, ubi ſacri ejiciebantur cineres, illic in cineres igne ſubjecto redigebantur. (*Heb.* 13.11.) Aliarum victimarum ſanguine majoris aræ cornua imbuebat ſacerdos, reliquo ad baſin effuſo: & igne depaſcente adipem atque renes, carnibus in atrio tabernaculi convivabantur ſoli ſacerdotes, quo in ſe delinquentis reatum derivabant. (*Lev.*10.17.) E ſacris enim piacularibus ea ſolummodo foris comburebantur, quorum in tabernaculum deferebatur ſanguis. (*Lev.*6.30.) Hujus victimæ ſi quid carnem attigiſſet, ſanctum reddebatur ipſo tactu. Si qua fortè veſtis aſpergebatur ſanguine, non niſi ſacro in loco erat eluenda labes. Ipſum vas in quo erat cocta caro, teſtaceum frangebatur, mundabatur æneum defricando proluendóque. (*Lev.*6.27,28.) Denique, pellibus eorum ſacerdos ad veſtitum, quorum carnibus ad victum fruebatur. At (*Num.* 15.24,27.) delinquente per ignorantiam Eccleſiâ, vel tribu aliquâ, (ut volunt *Judæi*,) juvencus holocauſtum unà cum debito munere, victima piacularis immolabatur hircus. Homine delinquente privato, capra tantùm annicula nominatur piacularis victima. Quo in loco tradunt *Judæi*, *Moſen* peccatum idololatriæ tantùm ſpectare imprudenter admiſſum. Sed in hoc etiam verba diſcrepant, quòd *Levitici* 4. peccata expiantur quibus ea fiunt quæ minimè oportuit; *Numer.* 15. delicta quibus ea quæ oportuit non fiunt. Aliqui opinantur etiam, illic de peccatis agi totius Eccleſiæ, hîc de ſingulis tribubus urbibúſque. Certis quibuſdam delictis, ſed levioribus, certa etiam, ſed leviora piamina inſtituta ſunt. (*Lev.*5.) 1. Si quis, adjuratus teſtis, non indicabat quæ ſibi comperta erant de propoſita re; (*Jud.*17.2. *Prov.* 29.24. 1 *Reg.*8.31. *Matt.*26.63.) vel, *Tremellio* interprete, Si quis teſtis advocatus blaſphemiam non prodiderat: 2. Si quis tactu pollutus immundo, vel Sanctuarium ingreſſus fuerat, vel de ſacris epulis comederat imprudens: (*Lev.*5.2,3.& 7.20,21. *Num.*19.20.) 3. Si quis de re à ſe vel acta vel agenda pejerabat neſciens: Hos de peccato certiores factos confiteri oportebat, & vel agnam vel capram lactentem offerre victimam. Satìs erat quibus opes fuerunt tenuiores, duos afferre turtures, aut columbarum tenerarum par, alteram holocauſti victimam, alteram piacularem futuram. Avibus autem duabus erat opus, ut eſſet, tum quod ignibus daretur & Deo, (id enim ſacrificia poſtulabant omnia,) tum quod ſibi haberet ſacerdos ad epulum. Id enim piacularium ſacrificiorum lege ſancitum eſt. (*Lev.*6.26.) Simila pauperrimis pro piaculo fuit, Ephæ decima ſine oleo; unde partem ſacerdos ignibus dedit, reliquo ſibi confecit panem. 4. Si quis imprudenter ſacrilegium admiſerat, ariete bimulo expiabat duos valente ſiclos maximos, & rem ſacram quintâ parte auctam reddidit ſacerdoti. (*Lev.* 5.15,16.) Eâdem victimâ conciliandus erat Deus, ſi quis hærebat dubius, & pec-

câſſe

câſſe tantùm ſuſpicabatur ſe. (Ibid. 17, 18.) Poſtremò, eâdem victimâ placabat Deum, & redimebat peccatum, ſi quis aut fraude aut vi aliena bona vel abſtulerat vel detinebat, etiam reperta vel depoſita qui perjurio negabat. Sed eundem confiteri peccatum & pœnitere oportuit: ea verò quæ ablata negatáve ſunt, etiam cum lucro quintæ partis erant domino reſtituenda; (*Levit.* 6. 2, &c.) vel, ſi neque dominus, neque propinquus aliquis ſupereſſet qui acciperet, ſacerdoti, quaſi vicario Dei. A.M. 2515.

Sacris *Euchariſticis*, quæ *Pacifica* eadem vocantur, partim ſalus & pax, aliáque bona, ultrò petebantur à Deo; (*Lev.* 3. 1, &c. *Jud.* 20. 26. & 21. 4. 1 *Chron.* 21. 26.) partim gratiæ pro beneficiis reddebantur: eæque aut liberæ, (*Lev.* 7. 12.) pro acceptis, vovente nemine; aut ex voto, pro impetratis, neceſſariæ. (Ibid. 16.) Ex quovis genere legitimo quadrupedum, & ſexûs utriuſvis, Deo erant acceptæ victimæ; modò nè boves trium annorum ætatem, oves capræque duorum ſuperarent. Capitibus innitebantur qui offerebant, gratiſſimis verbis recolentes & prædicantes beneficia Dei, vel precibus obſecrantes nova. Sacerdotes aut *Levitæ* feriebant hoſtias. Qui operabatur ſacerdos ſanguine conſpergebat altare majus undique. Pelle detractâ corporéque diſſecto in membra, ſale condiebat ſacerdos. Mox adipem & renes auferebat cum pectore, quæ, in ejus qui obtulerat manibus impoſita, huc & illuc ſubjectis manibus ſuis agitabat ſacrificus coram Deo, ut ejus indè Dominium in Orientem & Occidentem, terræque omnes plagas, demonſtraret. Quare adipem & renes ignibus holocauſti quotidiani ardentibus in ara devorandos tradidit. Adipem, vel ut partem victimæ opimam & optimam ſuaviſſimámque (*Gen.* 4. 4. *Num.* 18. 12.) offerebant; quo monemur & nos, non niſi optima Deo eſſe dedicanda: vel ut ſine ſenſu rem; quæ animorum noſtrorum duritiem naturalem, hebetudinem & pravitatem ſignificet, (*Pſal.* 119. 70. *Deut.* 32. 15. *Eſai.* 6. 10. *Act.* 28. 27.) Sancti Spiritûs & rerum adverſarum atque malorum ignibus minuendam conſumendámque. Renes verò, generandi ſeminis inſtrumenta & libidinum ſedes, deſtinantur ignibus, ut eo doceamur nos, affligendam eſſe carnem, domandam concupiſcentiam, *ſubigenda membra terreſtria*, (ut Sanctus habet *Paulus*, *Col.* 3. 5.) *ſcortationem impuritatém*que omnem, &c. Pectus verò, Dei pars altera, ſacerdotibus tradebatur. (*Lev.* 7. 30, 31.) Deinde, armum dextrum, &, ſi gratiæ liberæ agebantur in ſacris, unum panem ex unoquoque genere illorum qui aderant, ejuſdem in manibus cujus erat victima impoſitum elevabat ſacerdos, id eſt, ſurſum agebat ac deorſum; quo & hæc dedicabat Deo, cujus tum in cœlo ſurſum, tum in terra deorſum erat imperium. Sibi verò accepit datam & hanc portionem à Deo. Nam gratiarum & laudum ſacrificiis collyræ ſemper azymæ oleo miſtæ, laganáque azyma uncta oleo, & è ſimila raptim cocta collyridæ oleo permiſto addebantur. Sed & aliqui panes fermentati. Præter pectus & armum, quæque igni tradita ſunt, cætera in epulas ei cedebant qui obtulerat. Et victima quidem gratiarum primo erat die, eodem quo cæſa, etiam conviviis abſumenda, ut nihil ſupereſſet in poſterum. (*Lev.* 7. 15. & 22. 29, 30.) Cujus legis rationem reddit hanc *Philo*, (de Sacrific.) ut qui propenſum favorem Divini Numinis experti eſſent, ſine cunctatione de hoc ſacrificio impertirent aliis. Nam 'Ωκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· non beneficia modò, ſed & gratiæ properantes Deo gratiſſimæ. Victimis autem votivis & ſpontaneis per duos epulari dies fas erat, ità ut nihil reliquiarum ſupereſſet in tertium. Quòd ſi quid fortè aut ex his tertio die, aut ex illis reliquum fuiſſet ſecundo, ignibus devorandum erat, hominibus non ſine piaculo. (*Lev.* 7. 17, 18.) Eo enim ipſo reddebatur ſacrificium inutile & profanum. (Ibid. 18.) Addit *Philo*, in ſpontaneis & votivis offerri hoſtias pro ſalute rerum duarum, Animæ ſimul & Corporis. Proinde ſuum utrique diem epularem dari. Cùm verò tertium nihil ſit cui ſalus quæratur, epulas proferre in diem tertium eſſe interdictum lege. Alii vetitum putant ultra diem ſecundum producere hoc convivium, nè fortè carnes victimæ corrumperentur diutinâ morâ & putreſcerent; quod nefarium in ſacris habebatur. Aliis & hîc myſterium ſubolet, *Chriſti* tertio die ſuſcitati à mortuis, & abolentis tum has tum reliquas Legis *Moſaïcæ* ceremonias. At neque tempore opportuno de ſacris epulis guſtare cuiquam niſi mundo licebat; (*Lev.* 7. 20, 21.) neque peregrinis fas, qui non eſſent de familia ſacrifici, unà cum ſacrifico epulari: minùs morigeris hac in re morte denunciatâ. (*Lev.* 22. 10, &c.) Quòd ſi victimæ caro ſacra tactu pollueretur immundo, flammis & ipſa erat devoranda, neutiquam verò menſis apponenda & convivis. (*Lev.* 7, 19.)

3. Pacificum, ſeu Euchariſticum.

Tt 2 Ho-

A.M. 2515.

Holocauſtum & Piaculare ſacrificium ſignificâſſe *Chriſtum* juſtificantem, ſuo ſanguine mortéque in ara crucis peccata expiantem, propitiantémque nobis Deum, luce clarius videtur. (*Eſai*.53.10. *Dan*.9.24. *Heb*.9.14. & 10.10,12. 2 *Cor*.5.21. 1 *Pet*. 2.24. 1 *Joan*.1.7. & 2.2.) Inanima verò ſacra eundem, à reatu ſcelerum nos abſolutos etiam ſanctificantem ſui Spiritûs oleo, figurabant, panéſque nos offerentem gratos Deo; facientem denique ſuæ interceſſionis thure, ea ut accepta ſint quæcunque facimus Deo. Per eum & nos *corpora ſiſtimus vivam hoſtiam, ſanctam & acceptam Deo*, (*Rom*.12.1.) igne Spiritûs (*Matt*.3.12.) & explorationis igne (1 *Pet*.4.12.) conſecratam. Per eum denique offerimus Deo ſacrificium euchariſticum laudis, id eſt, fructum labiorum celebrantium nomen ejus. (*Hoſ*.14.2. *Heb*.13.15.) Ità ſacrificiorum ſingula genera *Chriſtum* indicabant, prædicabant *Chriſtum*, *Chriſti* ut corporis umbræ idoneæ, ſine *Chriſto* vanæ ac nihil profuturæ.

De Donariis.

§ 37. Alterum genus Oblationum ſacrarum *Donaria* diximus: quæ aut ſpontanea fuerunt, quibus propriè hoc nomen convenit; aut legibus inſtituta. Spontanea etiam aut libere dabantur, ut cujuſque animus extempore ferebat; aut neceſſaria quodammodo debebantur ex voto. (*Num*. 29.39.) In iis quæ leges imperabant Divinæ numerantur, 1. Decimæ, (*Lev*.27.30. *Num*.18.21.) quæ *Levitis* tradebantur: 2. Primitiæ; ut frugum, (*Exod*. 23. 19.) & fructuum, (*Lev*.19.23,24.) ità & hominum pecorúmque primogenitorum, (*Num*. 18.15.) quæ ſacerdotum fuerunt: 3. Pecunia ſacra collecta viritim, quâ ſumptus publicos tolerabant. (*Exod*. 30. 16. 2 *Chron*.24.5, 6.) De his alibi à me ſatis opportunè pertractatum eſt omnibus.

Purificationum ritus traditi,

§ 38. Poſt Sacrificia, Purificationum ritus *Moſi* atque *Aaroni* ſimul commonſtravit Deus, à rebus minimè quidem per ſe malis aut immundis. Verùm ideo impuras haberi voluit Deus, atque mundari ceremoniis quibuſdam, ut doceret, quanto ſtudio colenda eſſet nobis morum ſanctimonia vera, &, ſi fieri poſſet, abſtinendum eſſe non à labe modò, ſed à ſpecie peccati: (1 *Theſſ*.5.22.) omnes verò maculas aquâ baptiſmi & pœnitentiæ, ſanguinéque immolati *Chriſti*, eluendas. (*Eſai*.4.4. 1 *Joan*.1.7.) Purganda verò fuit legibus *Moſaïcis* quincuplex impuritas: 1. à fluxu ſeminis genitalis; hæc virorum eſt plerumque: 2. à puerperio: 3. à menſtruis; utraque mulierum: 4. à lepra: &, 5. à contactu rerum immundarum, præcipuè cadaverum. Iſtæ verò ſexûs utriuſque. Immundos omnes imperante Deo (*Num*.5.2,3.) caſtris exigebant *Iſraëlitæ*; quorum in medio ſua caſtra poſuerat Sanctiſſimus *Jehova*. Neque tamen omnes ex omnibus caſtris, ut ferunt *Judæi*. Tria enim fuiſſe docent: prima Dei, quæ Tabernaculo continebantur; ſecunda ſacerdotum & *Levitarum*, proxima tabernaculo ad quatuor plagas; tertia & poſtrema tribuum duodecim, eo qui tradetur mox ordine diſtributa. Elephantiacos, ut maximè contagioſos, etiam his populi caſtris excludebant, & urbibus, quæ his erant caſtris pares. Sacerdotum caſtris prohibebantur, & clivo templi, ex profluvio quovis immundi ſanguinis ſeminíſve. Cadaveribus aliíſque modis levioribus in diem polluti, ſacris tantùm ritibus & locis arcebantur atque conviviis quæ ad caſtra ſpectabant Dei.

1 in Gonorrhœa;

Qui Gonorrhœæ morbo ſive profluvio ſeminis laborabant, contactu polluebant omnia, cubilia ipſa, & ſellas tum ſtatas tum vectorias. Teſtacea quæ fœdabant vaſa frangebantur, immerſa purgabantur aquis alia. Si quis aliquam ſubſtratam illis rem tetigiſſet, pro immundo uſque ad veſperam fuit. Si quis autem portaverat, vel ſi quis eorum carnem aut thalamos contigerat, vel inſederat in ſella, & ſi quem illi vel ſputo inquinâſſent, vel manibus contrectâſſent illotis, hi omnes non modò immundi uſque ad veſperam, ſed & corpora veſtimentáque proluendo mundificabant ſe. Recreati morbo, ſeptem dies exſpectabant certitudinem ſanitatis, quorum poſtremò corpora immergebant aquis vivis, (*Lev*.15.13.) id eſt, fontanis, & abluebant veſtimenta. Octavo deinde turturibus duobus aut columbarum pullis, altero piaculari, holocauſto altero, expiabantur à ſacerdote. (Ibid.14,15.) Quibus excidebat ſemen dormientibus, immundi uſque ad veſperam lavabant ſe. (Ibid.16.) Quòd ſi fortè

——*Immundo ſomnia viſu Nocturnam veſtem maculabant*,——

pellémve; ipſa veſtis atque pellis per eum diem uſque ad veſperam immunda, erat aquis perluenda. (Ibid.17.) Imò Venus legitima (ibid.18.) & uxoria *Judæos* eâdem & labe polluebat, & purgabatur ceremoniâ; quam & profanæ gentes obſervabant, ut *Perſius*, (Sat.2.)

Hæc

A.M. 2515.

Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Non minùs immunda in fœminis Menſtrua dierum ſeptenorum ſpatio, quàm in viris gonorrhœa fuit. Eo tempore ſi quis per imprudentiam vir cum fœmina coïvit, immundi ſanguinis contactu immundus & ipſe, unà cum thalamo ſuo, reddebatur ſeptem dies. Nam ſciens prudénſque ſi quis habuit rem cum fœmina menſtruali, exciſurum ſe ambos minitatur Deus. (*Lev.* 20.18.) Verùm ſi profluvium diuturnius & præter naturam in morbum tranſierat, pari modo immunda mulier quo gonorrhœâ laborans vir, pari ſacrificio ſanitatis compos expianda fuit à ſacerdote; niſi quòd aquis vivis immergi fœminam non erat neceſſe. Lacus idonei & paludes habebantur ad corpora perluenda. 2. in Menſtruis;

In Puerperio fœmina ſeptem agebat dies, ut in menſtruis immunda, ſi maſculum peperiſſet, cui præputium amputabatur octavo. Dies deinde 33 à ſacris ei abſtinendum fuit locis atque cibis. Hæc ſpatia temporis geminabantur ei quæ fœmellam edidiſſet; quoniam eò magìs humoribus abundabat immundis, quò minùs hîc tenuis calor exſiccabat, quàm intenſior in partu maſculorum ſolet. Primo igitur poſt quadrageſimum die pueri mater, puellæ verò poſt octogeſimum primo, agni anniculi holocauſtum offerebat, & turturis vel columbini pulli ſacrificium piaculare. His victimis purgabant ſacerdotes puerperam à profluvio. Inopum verò turtur aut columba fuit agni vice holocauſtum. Immunditia puerperarum perſpicuè docet, quanta ſit nativa hominum pravitas à parentibus deducta, quâ immundi ſunt liberi, (1 *Cor.* 7.14.) & iræ filii; (*Eph.* 2.3.) utpote quos mater ipſa concepit in peccato, (*Pſal.* 51.5.) naturáque in utero finxit impuros. Nam *per unius Adami contumaciam, reatus abiit in omnes homines ad condemnationem, & peccatores conſtituti ſunt multi.* (*Rom.* 5.18,19.) *Quis* enim *ex immundo mundum produxerit?* (*Job.* 14.4.) Quadraginta verò ut minimum dies quibus arcebantur ſacris mulieres puerperæ monent, quantâ pœnitentiâ ſit opus & afflictione, ad minuendum hoc hæreditarium malum. Hic enim numerus dierum magnis jejuniis *Chriſti*, *Moſis* & *Eliæ* conſtitutus fuit. Denique, ſacrificialis expiatio puerperæ ad *Chriſtum* nos revocat, cujus & hoc originale peccatum eſt eluendum ſanguine. Aliæ immunditiæ, quas dixi, ex gonorrhœa & menſtruis natæ, cùm vitia ſint eorum principiorum unde conſtituitur humanum genus, ut & lepra corporis, ea ſignificant peccata, quæ, ex corruptis naturæ principiis orta, interiùs æſtuant & emanant. (*Marc.* 7. 20,23.) Sacrificia & ſacerdotes ad *Chriſtum* nos referunt, cujus unius virtute ac ſpiritu ſanamur; ut ea mulier à profluvio, (*Marc.* 5.25,&c.) quæ fruſtrà medicos fatigârat. Ejus enim unius *purificamur ſanguine ab omni peccato.* (1 *Joan.* 1.7. *Zachar.* 13.1.) Nam ille noſtras ſpirituales multò magìs quàm corporeas infirmitates atque morbos portavit. (*Eſai.* 53.4. *Matt.* 8.17.) Menſtrua verò, quæ ſexui elegantiori quidem & formoſiori data ſunt, partim fortaſſe ad eum retundendum qui oriri ſolet ex pulchritudine faſtum, fœdiſſimas peccatorum ſordes aliquando ſignificant in Sacris Literis; (*Eſai.* 30.22. *Ezech.* 36.17.) etiam eas quarum causâ in ſervitutem *Judæi Babylonicam* traditi ſunt à Deo. (*Lament.* 1.8,9,17.) 3 in Puerperio;

Lepra vel maximè omnium inquinabat, morbus fœdiſſimus, quod *Ægypti* peculiare malum dicit *Plinius*; (26.1.) unde *Iſraëlitas* contraxiſſe par eſt. Ea verò triplex, Hominum, Veſtium, Ædiúmque. In Veſtibus Ædibúſque lepram rariſſimam, & ſuæ penè propriam aut genti aut regioni, fatentur ipſi *Judæi.* (*Maimon.* de Lepra cap. 16. ſect. 10.) Sic in idololatriam & peccata ſui populi Deus quodam pœnæ miraculo ſeveriùs animadvertebat, quàm in gentium aliarum impietatem deſperatam. *Elephantiam* & *Elephantiaſin Græci* vocant, quia cutis morbida pellem elephantinam imitatur. Ritus hi ſunt apud *Moſen*, quos obſervare *Judæos* monet ſeriò, (*Deut.* 24.8,9.) Suſpicione ortâ, ſacerdos aliquis judicabat de morbi certitudine, indiciis quibuſdam jam antea traditis à *Moſe.* (*Lev.* cap. 13. & 14.) Quæ ſi minùs clara ſe dabant & perſpicua, ſeptem diebus ægrum ſacerdos recludebat, ídque, ſi opus erat, bis, ut perſpiceret, an eſſet latiùs diffuſura ſe morbi labes. Quòd ſi poſt explorationem nihil conſtabat, mundum pronunciabat ſacerdos, lotíſque veſtimentis pro mundo habebatur. Sin compertum erat malum, hominémque declarabat immundum ſacerdos, caſtra, & urbes, & frequentia populi erat relinquenda, ſoli degendum & ſeorſum, (*Num.* 12.14. & 5.2. *Lev.* 13.46.) nullo hominum præter- 4. in Lepra;

quam

A.M. 2515. quam ſui ſimilium conſortio. Clarâ etiam voce monendi erant ab eo prætereuntes eâ viatores, pollutum eſſe atque immundum ſe, (*Lev.*13.45. *Lament.*4.15. *Eſai.*52. 11.) nè propiùs accedentes polluerentur. Quinetiam viris lacerandæ veſtes, & alenda capitis aperti coma, demonſtrandi luctûs gratiâ; (*Gen.*37.29. *Lev.* 10.6. & 13.45.) & pudore labrum erat ſuperius obvelandum. (*Mich.* 3.7. *Ezech.*24.17. *Lev.*13.45.) Lepram in veſtibus laneis lineíſve, aut in pellibus atque pelliceis vaſis, ſigna certa ſi prodebant ſacerdoti, poſt dierum explorationem ſex, reclusâ re, peſtéque latiùs diffusâ, ſeptimo ignibus tradebatur. Sin die ſeptimo ſacerdos non reperiſſet diffuſum latiùs malum, lautam atque ſecluſam rem aliis diebus explorabat ſeptem; quæ malo nihil imminuto comburebatur. Sin viridem rubrúmve morbi colorem, & vim aquâ & morâ diminutam perſpiciebat, morbidam partem à reliqua ruptam auferebat comburebátque. Sed in recluſa tertiò, novæ morbi notæ ſi prodierant ſeptimo die, ignibus tota conſumebatur. Sin verò nulla exſtabant ſigna renaſcentis mali, denuo lautam ſacerdos mundam eſſe judicio confirmabat ultimo. Ædificium aliquod ſi corripuiſſet hujus peſtis contagio, ſacerdos monitus inſpiciebat, ſed remotâ priùs omni ſupellectile, nè & illa contaminaretur, ſi lepræ damnata eſſet domus. Poſt explorationem 7 dierum, ſi diffuderat ſe labes, totius parietis tectorium ablatum, & loci ſuſpecti lapides eruti extra civitatem in locum portabantur immundum. Parietem verò novis lapidibus reparabant, novo inducebant tectorio. Septem deinde dies clausâ domo, ſi recrudeſcebat malum, & novos invadebat parietes, dirui ædificium imperabat ſacerdos, & ligna, lapides, pulverémque ipſum in immundum aliquem extra civitatem deportari locum. Sin verò nullæ peſtis renovatæ exſiſterent notæ inficeréntque parietem, domus munda pronunciabatur. Certis deinde purgabatur ſacris morbi jam ſanati labes; duabus aviculis quibuſcunque mundis, ligno cedrino, coccineâ lanâ, & hyſſopo. Avicularum alterâ jugulatâ, & confuſo in vaſe fictili cum aqua viva ſanguine, cedrum, lanam & hyſſopum, aviculámque alteram, colligatas, in eum intingebat ſanguinem ſacerdos. Iiſdem ſuperliminare domûs aſpergebat ſepties. Avicula deinde viva in agros dimittebatur, alterâ jampridem defoſsâ in humo. Eodem ritu partim & homines levati morbo mundificari ſolebant; niſi quòd hominis manus aſpergebatur aquâ ſanguineâ, ut ſuperliminare domûs. Avis jugulata morbi fœdiſſimi labem atque ſordes expiatas ſignificabat; dimiſſa in agros, homini libertatem reſtitutam in cœtus hominum & civitates redeundi: Utraque verò *Chriſtum*; (*Rom.*4.25.) illa morientem pro peccatis, hæc reſurgentem & aſcendentem in cœlos, ut eò nos reſuſcitatos à mortuis traduceret. Cedrus & hyſſopus, maxima plantarum lignoſarum & minima, (1 *Reg.*4.33.) ſuavis & ſalutaris hæc, rigidiore ſtipite ad ſanguinem aſpergendum aptior, in piaminibus adhibita ſæpius; (*Pſal.* 51.7. *Exod.*12.22. & 24.6,8. *Lev.*14.4. *Num.*19.6,18.) illa contra Elephantiaſin ſucco utilis. (*Plin.* 24.5.) Denique, lana coccinea pretioſiſſima, & morbi colorem & ſanguinem *Chriſti* referebat. Sed hominibus convaleſcentibus ex hoc morbo, præter aſperſionem iſtam cum ædificiis communem, gratiæ Deo erant peragendæ victimis, qui peccata condonâſſet, (*Luc.*17.15,18.) & à ſordibus fœdiſſimæ peſtis mundaviſſet ex peccatis oriundæ. (*Num.*12.10. 2 *Reg.*5.27. 2 *Chron.*26.19.) Agnâ piaculari, holocauſto agni, agno pro reatu denique immolandum fuit. Similæ miſtæ oleo danda ſingulis decima pro munere, & addendus his olei puri ſextarius. Quibus monemur & nos, gratos exhibere nos Deo ſacris laudum euchariſticis, morum ſanctimoniâ, & immolatione peccatorum, qui per *Chriſtum* ſanavit purgavítque nos à nativæ pravitatis hominíſque veteris lepra. Agno unico pro reatu inopes litabant, duabus aviculis holocauſtum & piaculare ſacrificium perficiebant. Ritibus autem peculiaribus expiabatur hic reatus. Æger enim ſanatus jam, atque luſtratus aquâ & ſanguine, poſtquam & veſtes & corpus, abraſis undique crinibus & pilis, perluiſſet, in urbem revocabatur à ſacerdote, nondum verò in ſuam domum. Aliis exſpectandum erat ſeptem diebus, nè fortè recrudeſceret morbus. Horum ultimo corpus iterum à vertice radendum ad plantas pedum uſque; idem aquâ denuo perluendum, ut & veſtes fuerunt. Octavo demum die victimas immolabant. Ac inprimis agnum pro reatu viventem adhuc, & olei ſextarium offerebat ſacerdos, & agitabat coram Deo. Ejuſdem cæſi ſanguine imbuebat auriculam infimam purificandi hominis, pollicéſque manûs atque pedis dexteros. E ſextario deinde in lævam palmam ſacerdotis alicujus oleo effuſo, digito ſacrificus dextro aſpergebat indè ſepties coram

Jeho-

Jehova. Eodem auriculam infimam pollicéſque manûs atque pedis imbuebat, quos infecerat ſanguine priùs. Oleo quod reliquum erat in palma caput hominis perfundebatur. Poſtquam & alia ſacra & munera ſacerdos obtuliſſet, ritè purgatus atque mundus homo leproſus diſcedebat. Tot ritibus purganda lepra, videtur nobis ipſum corpus Peccati objicere ante oculos, & prodeuntem indè porriginem & fœditatem, afflantémque alios contagionem. Ex urbibus ergò & caſtris ejiciebantur leproſi, nè pollluerent caſtra & urbes ubi habitabat Deus. (*Num.*5.3.) Quo monebatur, peccatores nefarios ab Eccleſia Dei ſecludendos amovendóſque, nec familiariter cum illis converſandum eſſe viris bonis, nè & ipſi fermento & contagione impietatis ejuſdem corriperentur. (1 *Cor.*5.6,7,11,13. *Heb.*12.15.) Illi verò impii commonebantur, ut ad pudorem & reſipiſcentiam adigerentur primò; (2 *Theſſ.*3. 14. *Lament*.1.1,8. & 3.28,&c.) deinde ad *Chriſtum* per fidem, qui ſolus huic morbo mederi poteſt, (*Matt.*8.2,3,16,17. & 11.5,28.) & quod huic morbo reſpondet peccato. Purificabant enim ſanatum, non & ſanabant ægrotum ſacerdotes *Judæorum.* Præterea, veſtes infectæ leprâ conſumebantur igne: quod & nos docet, abolere ipſa inſtrumenta & monumenta peccatorum. (*Judæ* v. 23. *Act.*19.19. *Deut.*7.5. *Eſai.* 30.22.)

A.M. 2515.

Cadaveribus inquinabantur olim *Judæi* (quod erat quintum & poſtremum genus Immunditiæ) vel hominum, vel animantium brutarum: ex quibus & mundæ morbo, & quocunque morientes caſu immundæ polluebant. Immundæ verò habebantur (*Lev.*11.2,&c. *Deut.*14.4,&c.) eæ Quadrupedum quæcunque vel bifidas non habebant ungulas, vel non ruminabant. Ex Piſcibus autem ii quibus vel pinnæ deerant, vel ſquamæ. Pinnæ fidem ſignificant & ſpem, quibus nituntur & diriguntur pii, dum in his aguntur fluctibus; ſquamæ charitatem & opera quibus ornantur bona. Ruminationi beſtiarum par eſt in hominibus cognitio verbi Dei, quæ meditando potiſſimùm gignitur alitúrque: biſulcæ ungulæ actio, ſive ambulatio in viis Dei. Verbum Dei animæ pabulum, (*Amoſ.*8. 11.) de quo pius vir interdiu noctúque meditatur. (*Pſal.*1.2.) Nam ejus meminiſſe omnes oportet; (*Mal.*4.4. 1 *Cor.*11.2.) recordantes verò examinare (*Act.* 17. 11.) an vera ſint quæ didicerint; poſtquam examinaverint, *tenere quod bonum eſt.* (1 *Theſſ.*5.21.) Et ex præſcripto ejuſdem verbi operandum eſt ambulandúmque. (*Pſal.*103.18.) Id ungula docet. Ex præſcripto utriuſque partis verbi ejuſdem, Veteris Novíque Teſtamenti, Legis & Evangelii, recto pede incedentes. (*Gal.*2.14.) Id ungula bifida commonſtrat. Nec enim ex iis alterum ſine altero prodeſt. Iſtis autem plura inutilia. Avium nota mundarum nulla traditur. Immundæ ſolùm nominantur hæ: Aquila, Oſſifraga, & Haliæetus, Vultures, & Milvorum, Accipitrum, Corvorum, Ardearúmque varia genera; Ulula quoque, & Hybris, Cuculus, Bubo, Mergus, & Noctua; Cygnus etiam, Platea, Merops, Ciconia, Upupa, & Veſpertilio. Quæcunque repunt volucres quatuor incedentes pedibus; niſi adſint & crura quibuſcum ſaliant, ut Locuſtis quibuſdam, Bombycibus, Cantharis, & Cicadis, interprete *Junio.* Sed & hæc è Reptilibus immunda erant: Muſtela, Mus, & omne Teſtudineum genus; Viverra, Chamæleon, Stellio, Cochlea denique, & Talpa. Sed in explicatione horum nominum, nè ipſis Rabbinis *Judæorum* ſatis inter ſe convenit: qui ut notis quibuſdam etiam volucres diſtinguerent, eas ferebant eſſe immundas, quæcunque pedibus correptam proterunt atque conculcant prædam; quo fœdam rapacitatem ſceleratorum hominum deſignabant. Ut comedere immundorum quæ dixi animalium carnes prohibebant ſeveriùs *Moſaïcæ* leges; ità cadaveribus tactis omnium polluebantur *Judæi*, uſque ad ejus diei quo id contigit veſperam. Si quis autem cadavera immundorum quovis modo portabat, præterquam reptilium; aut ſi quis *Judæus* vel inquilinus religioſus carnibus mundorum, ſed morientium ſine vi humana, veſcebatur; ſi quis morticiniorum, aut laceratorum à feris, aut cæſorum quovis caſu, vel portabat cadavera; præter immunditiam diurnam, corpus perluere atque veſtes oportebat. (*Lev.* 11. 39, 40. & 17.15,16.) Morticinia laceratáque alienigenis vendere aut dare inquilinis fas erat: *Iſraëlitis* guſtare nefas. (*Deut.* 14. 21. *Exod.*22.31.) Sed ex iis quæ numeravi octonis Reptilium generibus, ſi quid in vaſa fortè incidiſſet, teſtacea frangebantur, etiam polluto quemcunque tenebant humore; alia vaſa purgabantur aquis. Si verò in cibum quemvis, aut in ſemen generis cujuſquam inciderat, utrumvis conſperſum perlutúmve aquâ, pari modo cibus & ſemen polluebantur. In fonte ſcaturiginéve aquarum, non niſi eam inquinabat

5 in Tactu cadaverum.

A.M. 2515. nabat quam tetigerat. Aliorum quoque reptilium quorumcunque, non eorum ſolummodo quæ nominavi octo, interdictus erat cibus, haud immundus verò tactus habebatur. Qui cadaver humanum attingebat, (*Num.*19.11,14,16.) oſſáve aut ſepulchrum; qui in domo tentorióve aderat, cujus erat pollutus aër cadavere humano, inquinabatur, & ſacris arcebatur ſeptem dies. Idem cadaver tentorii domûſque aperta coïnquinabat vaſa, (ibid.15.) & alias res. (*Num.*31.19,20.) Hâc ratione polluti purgabantur ſolummodo aquâ luſtrali, (*Num.*19.12,17,18,19.) tertio aſperſi atque ſeptimo die, lotis unà corporibus atque veſtimentis. Hanc purgationem ſi qui negligebant, ſententia Divina exſcindendos pronunciabat. (Ibid.13,20.) Metalla per ignem tranſmiſſa mundabantur, ſed & aquâ luſtrali aſpergenda. (*Num.*31.22, 23.) Veſtimenta inſtrumentáque pellicea & lignea lavabantur, frangebantur fictilia. Etiam qui pollutum cadavere hominem tetigerat, pollutus ipſe uſque ad veſperam habebatur, (*Num.*19.22.) & quamcunque ipſe tetigerat rem. Luſtrabant verò impuritatem hanc aquâ vivâ cinere permiſtâ juvencæ rufæ, (ibid.2.) integræ, nullum paſſæ jugum. Ea, ſpectante ſacerdote, & ſanguinem digito verſus frontem tabernaculi ſpargente ſepties, (ibid.3,4.) primò cædebatur extra limites caſtrorum atque urbium; deinde unà cum ligno cedrino, hyſſopo & coccineo dibapho comburebatur. (Ibid.5,6.) Cinerem collectum mundus aliquis vir in loco mundo, ſed extra limites caſtrorum atque urbium, reponebat in uſum publicum. (Ibid.9.) Qui hæc peragebat ſacerdos immundus ipſe uſque ad veſperam, quíque ignem admovebat, (ibid.7,8.) ambo corpora lavabant & veſtimenta. Et qui cinerem collegerat (ibid. 10.) eo pollutus die veſtes abluebat. Poſtremò, quicunque mundus ipſe tentoriis, ædibus, vaſis, hominibúſve inquinatis humano cadavere, oſſibus aut ſepulchro, aquam luſtralem aſpergebat hyſſopi faſciculo, (ibid.21.) immundus eo ipſo reddebatur ad veſperam uſque, nec niſi lotis veſtibus purgabatur. Imò tactus ipſe luſtralis aquæ, quæ purgabat inquinatos, inquinabat mundos in diem. Jam verò quid hæc ſibi voluerint videamus. Cadaverum is tactus immundus, & ex animalibus immundis cibus interdictus, peccata videntur ſignificare aliunde contracta, & contagionem ex hominum pravorum aut infidelium conſortio. Id propterea fugiendum viro bono quantum fieri poteſt commonefaciunt; ab ipſa verò idololatria & impietate profanarum gentium, & hominum pravorum peccatis, omni modo abſtinendum. (*Eſai.*52.11. 2 *Cor.*6.17. *Eph.*5.7,11.) Cadavera enim homines in peccatis mortui ſunt. (*Eph.* 2.1.) Animalia immunda profanæ gentes, (*Act.*10.12,&c. & 11.6,&c.) hominéſque impii. Itaque ad *Chriſti* uſque tempora & vocationem Gentium valuit iſta lex. (*Act.*10.14,15. 1 *Tim.*4.3.) Nihil enim eſt impurum per ſe. Omnia ſcilicet creavit bona Deus. (*Rom.*14.14.) Neque Deo commendat cibus. (1 *Cor.*8.8.) Poſtremò, nihil eſt extrinſecùs quod ingreſſum in corpus humanum polluat. (*Marc.*7. 15.) Sed iſtæ *in cibis & potionibus & diverſis ablutionibus* ceremoniæ, *ritus* erant *carnales*, (ut *Paulus* appellat,) *impoſiti Judæis uſque ad tempus reformationis* in *Chriſto*; (*Heb.*9.10.) à quo abrogati jam, (*Col.*2.14,16,17.) & vocati nos ut *purificemur ab omni inquinamento carnis atque ſpiritûs, perficientes ſanctimoniam in timore Dei*; (2 *Cor.*7.1.) *ſancti* revera, *quemadmodum ille eſt ſanctus qui vocavit nos*; (1 *Pet.*1.15, 16.) quoniam ità ſcriptum eſt, (*Lev.*11.44,45.) *Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum.* Leviſſima impuritatis macula veſperam non tranſibat; ſponte delebatur cum novo die. Ità ceremonias veteres, & ex iis contractas labes, dies *Chriſti*, *Solis juſtitiæ*, abolevit. (*Col.*2.16,17,&c.) Aliæ ſordes aquis abluebantur: (*Exod.* 19.10.) quæ ſanctificationis veræ modum docent; per *lavacrum* ſcilicet *regenerationis*; (*Tit.* 3.5.) & per lacrymas, pœnitentiæ aquas; (1 *Sam.*7.6. *Matt.*3.11.) denique, *lavando & dealbando veſtes in ſanguine agni.* (*Apoc.*7.14.) Sanguis enim Spiritúſque *Chriſti* quo ſanctificamur, aquis aſſimilantur ſæpe in Sacris Literis. (*Ezech.*36.25. *Heb.*9.13,14. & 10.22. *Zach.*13.1. *Joan.*7.38,39. 1 *Cor.*6.11.) Vaſa fictilia non purgabantur niſi fracta. Homines ea ſumus *fictilia vaſa*; (2 *Cor.*4.7.) morte frangimur; (*Jer.*19.11. & 48.38.) nec ante mortem prorſus aboletur in nobis peccatum. Quòd ſi homines reprobi ſub hac umbra lateant vaſorum fictilium, (*Pſal.*2.9. *Jer.* 19.11.) eos omnino eſſe delendos conterendóſque; electa verò piorum vaſa, reſipiſcentiæ aquis, novorúmque morum ſanctitate, ac per ſanguinem Spiritúmque *Chriſti*, perluenda hinc eſſe diſcimus, purgandáque. Harum ceremoniarum & immunditiæ ex rebus ſuâ neutiquam naturâ malis, non deerat apud gentes olim profanas aliqua notitia & uſus. Ad aram acceſſuris poſtridie, nocturnâ priùs

Ve-

A.M. 2515.

Venere abſtinendum fuit etiam apud *Græcos Romanóſque*. Unde Poëta *Tibullus*, (2. Eleg. 1.)

——Diſcedat ab aris
Cui tulit heſternâ gaudia nocte Venus.

Eòdem ſpectat *Juvenalis*, (Sat.*6.*)

Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu ſacris obſervandiſque diebus.

In lotionibus plurimi fuerunt veteres *Ægyptii*. Et lavandi ante ſacrificia morem multæ gentes obſervabant. Unde *Plautinum* illud,

Ego, niſi quid me vis, eo lavatum ut ſacrificem.

Apud *Euripidem* in *Tauris Iphigenia Dianæ* ſophiſmata ſe fatetur non ſatis capere, quæ ad aras ſuas vetabat accedere, ſi quis cadaveribus humanis aut puerperarum contactu ſe polluiſſet; ipſa verò hominum ad aras immolandorum appetebat cadavera.

§ *39*. Sexto jam loco de ſacris *Hebræorum* Temporibus dicendum eſt: quæ vel Annorum fuerunt, vel Dierum. Septimus quiſque annus (*Exod.*23.11.) & quinquageſimus erat Sabbaticus, & conſecratus Deo. (*Lev.*25.2,&c. 8,&c.) Nec enim aut vinea tum putanda, colendúſve ager: ſed ut hominibus die ſeptimo, ità ipſi terræ anno ſeptimo quieſcendum: quò & eam ſcirent eſſe, non minùs quàm ſe, Dei; ſed hominum ut causâ maledictam, ità damno recreandam. Nam & agri quotannis & aſſiduè culti, abſque omni requie ac intermiſſione, ſterileſcunt. Maximum verò erat fœcunditatis maximæ indicium, quòd ea terra non niſi anno quoque ſeptimo relaxationem deſiderârit; cùm in aliis regionibus coloni tertio quoque anno ſoleant agris vacationem concedere. Ad alendam cujuſque familiam ex annorum præteritorum copia reponebant. Sexto enim daturum ſe promiſit Deus quod ſufficeret tribus. (*Lev.*25.20,21,22.) Et ex fructibus terræ ſine cultura natis domino fas erat colligere, at non ſoli. (Ibid.*6.*) Omnes enim agri atque fructus publici erant juris, & promiſcuè à quovis percipiendi. Quo monebantur, tum primæ ac beatæ conditionis hominum in Paradiſo, cùm

Sacra Tempora: quæ vel Annorum fuerunt; ut, 1. Annus quiſque ſeptimus;

——Nullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus,

eâque omnibus dabat communia; tum beatioris aliquando futuræ conditionis in cœlo, cùm neque ſerere fruges, neque verò colligere opus erit, reponeréve. Anno præterea Sabbatico debitoribus condonabantur creditæ pecuniæ, ſed *Hebræis* tantúm. (*Deut.*15.2,3.) Neque tamen ea de cauſa minùs eſſe munificos dando credendóque vicinis egentibus oportebat, ſi quid illi à Deo dari condonarívc ſibi expeterent. Aliqui tantùm intermiſſa credunt hoc anno, at non remiſſa omnino debita. Denique, ſolennia Tabernaculorum celebraturus hoc anno populus convocari debuit univerſus, etiam pueri, fœminæ ac peregrini, ad audiendam condiſcendámque Legem Dei. (*Deut.*31.10,11,12.) Annum verò ſeptimoſeptimum, (ut ità dicam) ſive quadrageſimum nonum, ità conſtituit Deus, ut in menſis *Tiſri* Autumnalis & ſeptimi, ſed ratione rerum civilium primi, decimo die (quod erat Expiationis anniverſariæ feſtum, vel potiùs jejunium,) buccinis clangerent ubique ſacerdotes, & ſacrum anni jam futuri tempus indicerent. Tum verò non quieſcebat modò terra, verùm & ſervi omnes *Hebraici* nominis ab *Hebræis* dominis erant emancipandi. Fundi quoque propter inopiam alienati, & prædia ſuis quæque ſine pretio dominis reddebantur; nè hominum avaritia formam reip. fixam à Deo immutaret, tribuúmque diſtinctarum ſortes atque certos limites confunderet. (*Num.* *36.7.*) Hoc autem præcipuè *Chriſti* gratiâ cautum eſt, quò faciliùs naſcens noſceretur, ex tribu ſatis diſtinctè ſeparata oriundus. Eæ tantùm ædes in munitis urbibus quæ poſt annum integrum non redimebantur, alienatæ prorſus ad dominos nunquam priſtinos redibant: (*Lev.* 25.2*9*,30.) præterquam in munitis *Levitarum* civitatibus, ubi nullo jure à dominis ædificia diſcedere prorſus & alienari poterant, ut non tempore quovis redimerentur, ſpontéque redirent in Jubilæo. (Ibid.32,&c.) Cùm igitur lege ſanxiſſet Deus, ut cui filius deerat, ejus hæreditatem filia poſſideret, (*Num.*27.8.) referentibus ad *Mo-*

2. & Jubilæus, quinquageſimus:

A.M. 2515.

ſen id *Zelopheadis* quinque filiabus è *Manaſſis* tribu ; aliâ mox lege cautum eſt, *Manaſſidis* cauſam hanc referentibus, ut hæredes filiæ in tribu ſua tantùm nuberent, nè quid de ſorte primaria cujuſquam tribûs aliò unà cum nuptis tranſiret & minueretur, ità ut redire in Jubilæo non poſſet. Jubilæus autém hic annus appellatus eſt à *Jobel*, arietinum cornu ſeu buccinam ſignificante, vel ipſum tubæ ſonum, (*Exod.* 19.13.) ut aliqui volunt, quo promulgabatur. (*Joſ.*6.4.) Neque in Divinis myſticam his annorum Sabbatis ſignificationem defuiſſe par eſt. Jubilæo enim per *Chriſtum* & Sabbato annorum ſpirituali fruimur : (*Eſai.*61.1,2. *Luc.*4.18,19. 2 *Cor.*6.2.) in quo clangente per univerſum orbem buccinâ Evangelii, (*Luc.*4 18,19.) peccatorum Dæmonúmque ſervi aſſerimur in libertatem ; (*Rom.* 6.22. *Heb.*2.14,15. *Joan.*8.36.) debita nobis remittuntur à Deo, (*Matt.*6.12. *Luc.*11.4. *Eph.*4.32. *Col.* 3.12,13.) quemadmodum nos remittimus debitoribus noſtris ; cœlum & paradiſus denique liberatis redditur, (*Luc.*23.43.) quo noſtra in Deum contumacia multabatur. Nec enim alienari poteſt amittíve hæreditas piorum repoſita in cœlo, (1 *Pet.* 1.4,5. *Joan.*10.28,29. *Rom.*8.38,39.) quæ, clangente tubâ, (1 *Theſſ.*4.16,17.) redeuntéque redibit *Chriſto*, electis omnibus.

vel Dierum; ut feſta Paſchatis,

Hæc de Annis. Sacri Dies vel ſolennes & anniverſarii fuerunt ; ut Feſta Paſchatis & Azymorum, Pentecoſtes, ſeptimíque menſis tria, 1. Tabernaculorum, 2. Expiationis, 3. Tubarum : vel in eodem anno repetebantur ſæpius ; ut Sabbata & Neomeniæ. Paſchatis & Azymorum ſolennia, ubi ſunt à Deo inſtituta, illic & à nobis explicata ſunt.

Azymorum,

Azymis unis ritè celebrandis hebdomas dabatur. Singulis diebus eadem facienda erant ſacra (præter juge holocauſtum) quæ in Neomeniis. (*Num.*28.18,&c.) Primus ultimúſque dies otio & conventu ſacro celebrandi. At ſecundo è ſeptenis, primi ſcilicet menſis decimo ſexto die, (*Aprilis* apud nos,) meſſis apud *Ægyptios* & *Canaanæos* habuit initium. Quo tempore novarum frugum oportebat lectum manipulum, primitias metendarum, deferre ad ſacerdotes, offerendas & agitandas coram *Jehova* ; cúmque his agni anniculi holocauſtum, & munus triticeum, & libamen vini. Duas in hoc munere miſcebant oleo ſimilæ decimas cum agno unico, ſimilâ in primitiis frugum geminatâ. Nec de frugibus terræ quovis modo guſtare meteréve ulteriùs licebat, priuſquam his litatum eſſet primitiis. (*Lev.* 23.10,&c.) Quare ſecundus ille Azymorum dies, Dies primitiarum, *Græcè* verò δευτέρα τοῦ Πάσχα, dicebatur ; qui in meſſis initio conſtitutus, nomina quidem *Græcè* Sabbatis hebdomadíſque ſeptem, uſque ad Pentecoſten meſſis terminum, dedit. Unde primum è Sabbatis δευτερόπρωτον appellatum eſt, (*Luc.*6.1.) deinde δευτεροδεύτερον, δευτερότριτον, &c. Ipsámque Pentecoſten, *Hebdomadarum* indè *feſtum* vocitabant. (*Deut.*16.10.)

Pentecoſtes,

Quinquageſimo enim poſt hunc die, (*Lev.*23.15,&c.) ſexto menſis *Sivan*; collectis in horrea frugibus, conventum ſacrum & feſtum aliud peragebant, quod à numero dierum *Pentecoſten Græci* nominant. Tunc apud ſacerdotes populus novas primitias deponebat, duos panes coctos & fermentatos è novis frugibus agitandos coram Deo, agnóſque duos pro ſacrificio euchariſtico. Panes hordeaceos ait *Joſephus* ; (Antiq.3.) verùm triticeos fuiſſe multò credibilius videtur : triticum enim hâc meſſe colligebatur. Unà cum his holocauſtum erat immolandum, ſeptem agni, juvencus, & arietes duo ; ſingulíſque ſua dabantur munera & libamina ; ad expianda verò peccata hircus. Ad primitias hæc ſpectabant ſacra. Feſto præterea celebrando aliud immolabatur holocauſtum, juvenci duo, aries, & agni 7 ; aliud piaculare ſacrificium, hircus. (*Num.*28.26,&c.) His primitiis duabus, tum dominii Divini tum gratitudinis humanæ teſtibus atque indiciis, ipſas quidem fruges atque meſſem primis ſanctificabant ; (*Rom.*11.16. *Prov.*3.9,10. *Ezech.*44.30.) uſum earundem atque fructum ſecundis. Eâdem operâ & religione Legis promulgationem Divinæ, quinquageſimo poſt feſtum Paſchatis & migrationem ex *Ægypto* die, gratis animis recolebant ; eóque ſpectâſſe videntur ſacra quæ memoravi ſecunda in hoc feſto. Et præter eas quæ oblatæ ſunt à populo univerſo, ſuas etiam ſinguli tradebant ſacerdotibus primitias ex area, (*Num.*18.12. *Deut.*18.4.) & collyram ex maſſa. (*Num.*15.20.) Sed has nulli feſto alligatas.

& ſeptimi menſis tria; 1. Tubarum,

Ut annus atque dies ſeptimus, ità ſeptimus quoque menſis magna ex parte feſtus, & ſacris Deóque dicatus eſt. Peractis enim anni præteriti laboribus, omnibúſque fructibus terræ domi jam reconditis, opportunum erat feriari ; quod triplici feſto factum eſt. Primo à Tubis nomen datum. Nam ratione rerum civilium hic menſium

ſium primus habebatur *Hebræis*, quem locum & ordinem apud *Ægyptios* obtinebat. *A.M. 2515.*
Itaque in auſpicium novi anni tubis ubique clangebatur hujus menſis primo die, (*Lev.*23.24,25. *Num.*29.1,&c.) Neomeniarum principe duceque; unde nomen ei datum eſt, ut *Feſtum* diceretur *Tubarum*, ſacro conventu & requie cum victimis celebrandum. Holocauſta erant juvencus, aries, agnique ſeptem; piacularis victima, hircus. Munus è ſimila dandum erat oleo miſta, ternæ decimæ juvenco, binæ decimæ arieti, agnis decima una ſingulis, præter ſacra quotidiana, & Neomeniis debita. Quid cauſæ ſit cur hic potiſſimùm dies clangoribus tubarum nobilitetur, non tam promptè ſtatuitur fortaſſe, quàm quod alii dicunt facilè refellitur. Si enim id fieri dicatur in memoriam ejus diei quo tubis clangentibus Legem Deus in monte *Sina* tradidit, aut ejus quo immolandus *Iſaacus* ariete mutatus eſt hærente cornibus in vepreto: illud certè aptiùs in feſto commemoratur Pentecoſtes; hoc autem vetuſtius, nec tanti fuit ut feſto jam tandem celebraretur ab *Iſraëlitis*, cujuſmodi nihil eſt aliud feſti memoriæ traditum. Sed longiſſimè petunt futuri temporis myſterium unicum, qui de Reſurrectione mortuorum Angelis buccinantibus commonefactos *Judæos* cornibus arietinis volunt. (*Matt.*24.31.) Qui mundum in Autumno unà cum fructibus maturuiſſe contendunt, ejus natalem hoc die celebratum buccinis, decimo *Adami* noxam & generis totius labem expiatam ferunt. At verò neutrum his diebus contigit, nec agi de his ex *Moſe* vel minimâ elicitur conjecturâ, qui tamen ſuorum feſtorum ferè cauſas exponit ipſe. Quid igitur fruſtrà venemur foris? Si quid aliud eſt, præter memoriam fabricati præcipiente Deo (*Num.*10.2,&c.) inſtrumenti variis modis utiliſſimi, (*Lev.*23.24.) id profectò fuerit quod jampridem diximus; primum fuiſſe hunc anni civilis diem, unde contractuum rationes & ſyngrapharum aliarúmque rerum pendebant; quem propterea notiſſimum eſſe vulgò, populi omnis plurimùm intererat. At multitudinem univerſam nulla erat promptior monendi ratio, quàm iſtis clangoribus buccinarum. Iiſdem propterea & annus Sabbaticus indicebatur; ab iiſdem dicebatur Jubilæus, ut hic *Tubarum* eſt nactus nomen quaſi *Jubilæus dies.* Nam in Sanctuario tubis canebant duabus, cornúque ſacerdotes uno. (*Pſal.* 98.6.) Cornibus tantùm in aliis urbibus perſonabant omnia, ut tradunt *Judæi.* Quanquam in Neomeniis (*Pſal.*81.3.) aliiſque ſolennibus adhibebantur tubæ ſacrificiis; uno tamen hoc die per omnes urbes buccinabant, & promulgabatur, non menſis modò, ſed & anni principium novi. Aliqui, clangoribus tubarum primo die ſeptimi menſis, excitatos aiunt præparatóſque animos *Iſraëlitarum* ad feſtum Propitiationis ritè celebrandum die decimo, (paulò minùs remoto;) & *Joannis Baptiſtæ* prædicationem ſignificâſſe, qui viam Domino præparavit, (*Luc.*1.76.) vocémque ſuam inſtar tubæ ſuſtulit. (*Eſai.*58.1. *Jo. Gerard.* Loc. theolog. tom. 3. de Lege ceremon.)

Menſis ejuſdem decimus dies Expiatione generali habebatur inſignis. (*Lev.*23. 27,&c. *Num.*29.7,&c.) Præter conventum otiúmque ſacrum, etiam peregrinis agendum religiosè; & præter victimas cum feſto Tubarum communes, populi erat univerſi delictorum atque ſcelerum pœnitere, precibus vacare, à veſpera uſque ad veſperam affligere ſe atque macerare jejuniis. Quod ſi quis negligebat, mortem ei Deus denunciabat. Pontificis erat ſolius, ejus diei ſacra facere, ídque propriis huic feſto ritibus. (*Lev.*16.3,&c.) Primò, lotus, & lineis veſtibus, femoralibus, tunicâ ſacrâ, baltheo cidaríque indutus, juvencum piacularem pro ſe familiâque ſuâ immolabat; ex duobus verò hircis, (quos adeſſe oportebat,) alterum ſorte ductum pro populo. Juvenci atque hirci pelles carnéſque & fimus extra limites caſtrorum comburebantur: quod qui fecerat, non erat is recipiendus in caſtra, niſi corpore loto & veſtimentis. Deinde, in Sancta ſanctorum ingreſſus Pontifex, nemine in Tabernaculo præſente, manu thuribulum tenebat igne plenum ſacro, ut in id thure injecto, Propitiatorium ſuffitûs fumo adumbraret: quod tamen ſanguine immolati juvenci, poſtea & hirci, leviter primò aſpergendum fuit; deinde ſanguis ante propitiatorium ſepties inſpergendus digito. Altaris quoque aurei cornua (*Exod.*30.10.) juvenci atque hirci pariter ſanguine imbuenda fuerunt; ipſum verò altare digito leviter aſpergendum ſepties, ut ab omnibus immunditiis purgaretur, & unà cum altari Tabernaculum exterius. (*Lev.*16.20.) Tum verò hirci alterius vivi, quem diximus, capite innixus, confitebatur Summus ſacerdos, & in eum transferebat populi peccata omnia; illíſque oneratum atque devotum caput homini tradebatur idoneo, qui procul abigeret hircum in ſolitudinem. Huic miniſtro in cœtum populi redire, niſi corpore veſtimentíſque lotis, neutiquam licebat. Pontifex interea, ex-

2. Expiationis.

A.M. 2515. utis lineis, & lautus, denuo veſtes induit pontificales, holocauſtúmque arietem pro ſe unum, alterum offerebat pro populo. Haud obſcurè monuiſſe videntur hæc de *Meſſia.* Nam, interprete ad *Hebræos* (cap.9.11,&c.) Apoſtolo, *Chriſtus & Pontifex noſter eſt futurorum bonorum per majus & perfectius Tabernaculum ; & ingreſſus in ſacrarium cœli, & ſemel ingreſſus, & ſolus, per ſanguinem non hircorum & vitulorum, ſed ſuum, cum ſuffitu interceſſionis, noſtra omnium portans peccata,* (*Eſai.*53.4,5.) ut caper emiſſarius, imò *peccatum factus pro nobis,* (2 *Cor.*5.21.) æternam redemptionem nactus eſt. Habebant etiam *Athenienſes* olim, homines profani, formam atque ritus quoſdam ſuam publicè urbem luſtrandi, ſed humano ſanguine : adeò penitùs inſederat inhærebátque animis mortalium, peccata non niſi ſanguine, hominum eſſe peccata non niſi ſanguine hominum expianda. Viros itaque duos, ſexûs maſculini vice alterum, alterum fœminei, colaphis cæſos, lignis infelicibus concremabant,cineréſque ſpargebant in mare. At *Epimenides Cretenſis*,capram emiſſariam quodammodo imitatus, eaſdem *Athenas* ità luſtravit ; duas oves, nigram candidámque, ex *Areopago* ſive urbe media dimittendo liberas, & ubi accubuerant immolando peculiari cuidam & ſine nomine deo. *Jehovam* voluiſſe, cujus minimè divulgabant nomen *Judæi*, credibile videtur. (*Diog. Laërt.*)

3 Tabernaculorum. Decimo quinto ſeptimi menſis die, feſti Tabernaculorum incepit hebdomas. (*Lev.* 23.39.) Nomen ex ritu præſenti, & memoria veteri datum ; ut Σκηνοπηγία *Græcum.* Ædes enim per hos dies omnibus relinquendæ, ſub dio in umbraculis quibuſdam degendum fuit ex ramis arborum, palmis atque ſalicibus ; niſi pluviæ ad tempus cogerent in domos. Monumenta hæc populo fuerunt ejus temporis (ibid. 43.) quo in tabernaculis per annos quadraginta peregrinatus eſt ; quanquam ædes in *Canaanitide* magnificas jam tenerent, neque ſtructas neque inſtructas à ſe. Neque his deerat fortaſſe umbra quædam futurorum, tum *Chriſti* in corporis humani tabernaculo habitaturi ; (*Joan.*1.14.) tum piorum omnium peregrinantium in hac ſolitudine, *nec habentium hîc permanentem civitatem, ſed exſpectantium venturam, & domicilium æternum in cœlis.* Primus è ſeptenis dies erat otio & conventu ſacro celebrior quàm reliqui. Paria ferè cunctis ſacrificia : (*Num.*29.13,&c.) tredecim juvenci pro holocauſto, arietes bini, agni quatuordeni erant ignibus abſumendi ſingulis diebus ; niſi quòd juvencorum numerus uno erat ſingulis diebus minor. Victimis addebatur ſingulis quale in feſto Tubarum præcipitur munus triticeum. Ad expianda etiam peccata hirci erant pares numero diebus immolandi. *Judæis* poſtea in morem tranſiit, ut ſingulis diebus ramorum faſcem ſinguli portarent, ad reficienda viridi fronde tabernacula. Negligentibus jejunandum fuit. Ab acclamatione frequenti portantium ramos, *Hoſanna, Hoſanna*, & faſcibus & feſto nomen *Hoſannæ* datum eſt. Octavus autem qui proximè conſequebatur dies, vigeſimus atque ſecundus ſeptimi menſis, *Hoſanna magna*, & *magnus Feſti dies* dicebatur. (*Joan.*7. 37.) Nam & hic, etſi diverſus ab eo Tabernaculorum, feſtus tamen dies, conventu otióque ſacro, & victimis iiſdem quibus Tubarum erat celebrandus. (*Lev.* 23. 39. *Num.*29.35,&c.) Gratiarum agendarum causâ inſtitutus eſt, poſt vindemiam collectóſque omnes è terra Dei beneficio ſeneſcentis anni fructus. Unde *Collectionis feſtum* dicitur, (*Exod.*23.16.& 34.22.) ſive *Collectarum dies :* in quo traditur, (*Hoſpin.* de Orig. feſt. 7. 11.) ſacris *Judæos* publicis collatâ pecuniâ ſuppeditâſſe ſumptum ; gratias egiſſe publicas Deo fructuum gratiâ quos percepiſſent ex terra, & poſtremorum primitias obtuliſſe. Nam tum demum ex area & ex torculari collegerant. (*Deut.*16.13. *Exod.*23.16.) Ferunt etiam hoc die *Judæos*, palmarum in manibus ramos tenentes, altare ſepties circumire ſolitos, *Hierichuntis* excidium commemorantes : indéque dictum eſſe *Palmarum* diem.

Cæterùm feſti omnes de quibus dictum eſt dies ad tres præcipuè revocantur, *Paſcha, Pentecoſten*, & *Tabernacula.* Atque hi ſunt quibus quotannis liberos omnes atque ſanos virilis ſexûs convenire oportebat, ex omnibus *Canaanææ* finibus, ad Templum ſive Tabernaculum Dei, ut ſacris ſolennibus intereſſent. (*Exod.* 23.14, &c. *Deut.*16.16.) Neque eò vacuos accedere fas erat, ſed victimis inſtructos & donariis, quibus convivari populum ſuum atque lætari Deus voluit. (*Deut.* 12.5, &c. & 16.11.)

Aliqua ſæpius repetita eodem anno; ut, 1. Neomeniæ, Hactenus de Feſtis anniverſariis & ſolennibus. De Sabbatis jam & Neomeniis dicendum, ſæpius annuatim recurrentibus. Initia enim ſingula menſium ſacra eſſe imperavit Deus, ut ſe luminis autorem, non ſtellas, non Lunam Solémve, agnoſcerent

rent *Hebræi*. Hos dies *Græci* Νεομηνίας, inquit *Sigonius*, *Latini Calendas* vocârunt. Propriè tamen ſi loquamur, aliud à Neomeniis Calendæ. Hæ menſium artificialium, illæ naturalium initia. Præter juge ſacrificium, erant in his bini juvenci, aries unus, agníque ſeptem pro holocauſto immolandi. (*Num.* 28.11.) Similæ verò miſtæ oleo pro ſingulis juvencis decimæ tres adhibendæ, (ut in aliis immolationibus,) binæ decimæ arieti, cuilibet agno decima tantùm. Ex libaminibus vini juvencis etiam ſingulis dimidium Hinis, arieti verò tertia pars, quarta cuivis agno concedebatur. Neomenias *Car. Sigonius* (de Repub. *Hebr.* 3. 5.) inter dies profeſtos numerat. Nec enim iis *Moſes* aut ceſſationem ab operibus, aut conventum publicum côncedere videtur. Sed ex *Amoſo* Propheta (8. 5.) conſtat, præter fas atque morem feciſſe, qui emebant vendebántve in his diebus. In iiſdem ut in Sabbatis conſulere ſolebant Prophetas, (2 *Reg.*4.23.) & convivari, (1 *Sam.*20.5.) & ad Templum ſive Tabernaculum convenire. (*Ezech.*46.3.)

A.M. 2515.

Sabbatum Deus honore coli ſummo voluit, ad memoriam recolendam conditi à ſe mundi; (*Exod.*20.11.) quod erat longè magìs præclarum & magnificum opus, quàm eorum quicquam fuit quæ *Iſraëlitarum* gratiâ ediderat, quibus commemorandis reliqua feſta inſtituta ſunt. Sed & liberationem ſignificabat hoc feſtum ex *Ægypto*. (*Deut.*5.15.) Quare in hoc ſingulis hebdomadis redeunte ſeptimo quoque die, (*Exod.*20.10.) primò, cœtus publici agebantur, (*Lev.*23.3.) quibus maximè illuſtratur ab hominibus gloria Divina. Deinde, ſacrificia duplò aucta & majora quotidianis (*Num.*28.9.) offerebant, ità ut de ſacris perpetuis nihil diminueretur tamen. Tertiò, panes in aurea menſa coram Deo reparabantur à ſacerdotibus. (*Lev.*24.8.) Quartò, ceſſatio à laboribus imperabatur ſeveriſſima, ità ut neque cibus eo die coquendus fuerit, (*Exod.* 16.23.) neque ſuccendendus ignis domeſtici usûs causâ. (*Exod.*35.3.) Et hanc divinitus requiem quatuor ferè ob cauſas mandatam ferunt. Primò, ut Dei quietem ſive ceſſationem ab operando producendóque novas res imitantes, abſolutum totius mundi opificium grati celebrarent. 2. Ut eſſet otium publicum, quo publicis cultûs Divini ritibus vacarent omnes ac intereſſent. 3. Servis atque jumentis diem quietis atque recreationis (*Deut.*5.14. *Exod.* 23.12.) indulgendum cenſuit Deus. Poſtremò, voluit ſub diei ſeptimi quiete ſpiritualem nobis quietem figurare, tum ſanctimoniæ (*Ezech.*20.12. *Exod.*31.13. *Eſai.* 58.13.) ab operibus pravis, tum æternæ beatitudinis & gloriæ ab ærumnis malíſque omnibus. (*Heb.*4.9.) *Chriſti* præterea quietem in ſepulchro, & *Iſraëlitarum* in *Canaanæa* ſignificabat. (*Deut.*5.15.) Ipſum itaque feſto nomen inditum eſt à quiete, *Sabbatum*; à Deo quidem præcipuè poſt mundum perfectum requieſcente. Sed & noſtra quies ad exemplum Dei nonnihil addit momenti ad hoc nomen. Ejus enim gratiâ *Iſraëlitarum* feſta reliqua nonnunquam Sabbata vocabantur. (*Ezech.*20. 21.) Neque tamen hâc requie operibus interdictum erat omnibus. Conceſſa inprimis quæ ad vitam tuendam erant neceſſaria, edere, bibere, hoſtilem vim propulſare, &c. Deinde, quæ charitatis opera vocantur, jumenta paſcere, ex periculis manifeſtis expedire; (*Luc.*13.15.) multò magìs hominibus medicinam ægrotis adhibere, opem ferre laborantibus: imò & victum apparare ſanis coquendo elixandóque, ut quibuſdam videtur. Nam de igne accendendo interdictum, (*Exod.*35.3.) opus Tabernaculi ſpectare tantummodo arbitrantur; præceptum verò de coquendo elixandóque omnia die ſexto, (*Exod.*16.23.) Mannæ ſolùm in deſerto colligendæ apparandæque rationem. Quare nec *Iſraëlitas* olim, *Chriſtianos* verò multò minùs jam, his conſtringi vinculis volunt. (*Matt.* 12. 1,2,&c.) Denique, opera illa quibus aut præparabantur aut peragebantur ſacra ipſa nullo modo prohibita ſunt; mactare victimas, tubis clangere, amputare præputia, ad Templum aut Tabernaculum ſacróſque conventus è ſuis proficiſci ædibus, etiam longinquis. Aliàs enim ultra cubitos bis millenos deambulare in Sabbato nefas putabant *Judæi*. Tantum enim ſpatii traditur interfuiſſe inter Arcam ſacram & populum, cùm fluvium tranſiret *Jordanem*. (*Joſ.* 3.4.) Quo credibile eſt intervallo caſtra etiam in campis à Tabernaculo abfuiſſe. *Joſephus* tradit, (contra *Appion.* 2.) præcepiſſe *Moſen*, ut ſingulis hebdomadis (die Sabbati, opinor, vult,) conveniret populus univerſus ad audiendam ediſcendámque Legem Dei. Et in Synagogis, quæ multis demum annis poſt *Babylonicam* ſervitutem conſtrui cœperunt, lectum fuiſſe in Sabbatis *Moſen* atque Prophetas conſtat. Præcepiſſe verò alicubi *Moſen* id ut fieret, nullo modo conſtat.

2. Sabbata.

§ 40.

A.M. 2515.

Sacra Inſtituta 13 extraordinem.

§ 40. Poſtrema ſunt in Lege ceremoniali quædam Inſtituta, ſenſu & ſignificatione ſacra, ſparſim tradita, quæ ad nullum ex iis caput quæ jampridem expoſita ſunt revocari commodè poſſunt; quorum violatio, pœnæ obnoxia, purgationem non deſiderabat. Hæc ut fragmenta poſt convivium, aut poſt meſſem ſpicilegium, colligere par eſt, nè quid omiſſum videatur de præceptis *Moſaïcis* deperditúmve. Ex his ferè tredecim reperio. 1. *In lacte ſuæ matris hœdum nè coquito.* (*Exod.*23.19. & 34.26. *Deut.*14.21.) Aliqui hâc lege prohiberi putant, nè lactens fœtus cujuſquam animalis paretur ad victum. (*Exod.*22.30. *Lev.*22.27.) Alii, nè cum lacte carnes vel coquantur ſimul, vel comedantur, permiſceantúrve cibi varii guloſorum hominum luxurioſo more. *Calvinus* ad ſacrificia ſpectare vult, Deúmque ait non ferre in iis portentum ejuſmodi, ut caro teneri fœtûs coquatur in lacte matris tanquam in ſuo ſanguine; quâ immani miſturâ contaminentur ſacra. 2. *Animalia immunda, piſces, aves, quadrupedéſve, aut reptilia cujuſquam generis, nè comedito.* (*Lev.*11.2,&c. *Deut.*14.3,&c.) Immundæ verò ſunt ex beſtiis quæ non ruminant, unguláſve bifidas non habent. Mundarum genera ſunt decem; boves, oves & capræ, capreæ, rupicapræ, cervi atque damæ, ſtrepſicerotes, bubali, & camelopardalides. Piſces mundi ſunt, qui pinnis ornantur & ſquamis. Immundi, quibus alterutræ deſunt. Avium reliquæ mundæ ſunt, præter viginti genera pollutarum. Sed hæc à me ſunt alibi pluribus expoſita. 3. *Sanguinem nè quis Hebræus comedito, vel inquilinus;* (*Lev.*3.17. & 17.10. *Deut.*12.16,23,27.) carnémve ſanguine priùs non expreſſo. (*Lev.*19.26.) Si quis feram volucrémve aucupando capiet venandóve, ſanguinem effundat inprimis, pulveréque obruat. (*Lev.* 17.13,14.) Abſtinendi à ſanguine cauſa traditur. (*Lev.*17.11,12.) Anima cujuſque rei & vita ſanguis eſt, ſive in ſanguine ſita. Sanguinem ergò & vitam animalium, ad vitas hominum atque animas redimendas piaculum in ara cùm accipiat Deus, eundem comedi ab hominibus nullo modo ferendum putat. Eadem videtur etiam de adipe ratio. Sanguis etiam effuſus in ara ſacramentum videtur ſanguinis *Chriſti*, quo expiamur à peccatis: eóque ſeveriùs hoc interdictum putat *Thom. Aquin.* (1.2.quæſt. 102. art.3.) *Juſtinus* verò *Martyr*, (ad Orthodox. quæſt.145.) ut eò magis caverent ab omni feritate, & effundendo ſanguine humano. 4. *Animalia diverſorum generum ut coëant nè facito.* (*Lev.*19.19.) Moneri voluit Deus hoc præcepto *Judæos*, ut *Samaritaniſmum* fugerent; & gentium ritus profanos cum Religione vera, & *Judæorum* ceremonias cum Evangelio non eſſe permiſcendas. (1 *Reg.*18.21. 2 *Reg.* 16.10,&c. & 17.29.) 5. *Duobus eundem ſeminibus agrum aut vineam nè ſerito.* (*Deut.* 22.9. *Lev.*19.19.) Vinea Domini & ager eſt Eccleſia. (*Eſai.*5.7. *Joan.* 15.1,5.) In hac homines commiſceri profanos & incredulos cum fidelibus prohibet hâc lege Deus. (2 *Cor.*6.14,&c. *Matt.*3.7. *Apoc.*21.27.) Præterea, quæ Deus animantium genera, frugum herbarúmque creavit in principio, eadem ut multiplicarentur benedictione dignatus eſt. Homines verò conari ut faciant vel plura, quibus non benedixit Deus, vel meliora, quaſi non perfectus à Deo ſit mundus, non voluit Deus. Animalia enim promiſcuè admittendo, ut inter ſe miſceantur quæ ſunt diverſi generis, vitiatur naturæ integritas, & indè naſcitur adulterina ſoboles, quæ à prima inſtitutione Dei degenerat. 6. *Contextum ex lino lanâque veſtimentum nè gerito.* (*Lev.* 19.19. *Deut.*22.11.) Laneæ ſignificant *Chriſtum*, ejúſque merita, veſtimenta piorum; (*Rom.*13.14.) lineæ veſtes opera ſanctorum: (*Apoc.*19.8.) quæ ambo conjungi ad juſtificationem non debent. (*Phil.* 3.9. *Rom.* 3.28. *Gal.* 2.16.) *Joſephus* (Antiq.4. cap. ult.) pannum ex lino conflatum & lana ſacerdotibus ait peculiarem fuiſſe, eáque propter aliis prohibitum. At hoc, ut alia plurima, è ſuo *Joſephus* confingit cerebro. E xylino tunicam, è lino femoralia inſtituit per *Moſen* Deus. (*Exod.*28.39,42.) E lana linóque permiſtam licebat nemini veſtem induere, minimè omnium ſacerdoti. 7. *Bove ſimul aſinóque* (mundis immundíſque animalibus) *agrum nè colito.* (*Deut.*22.10.) Miniſtris Evangelii cum ſervis Antichriſti, piiſve cum profanis hominibus atque impiis, jugum aut aratrum (*Luc.*9.62.) non eſſe contrahendum, hoc præcipitur edicto Dei. (2 *Cor.*6.14,&c.) Quatuor his poſtremis quæ memoravi præceptis, nihil aliud putat *Calvinus* exigere Deum, niſi ut nativam ſimplicitatem colant in omnibus, nè hinc indè accerſant ritus alienos, & mixturas appetant pravâ curioſitate, quæ tandem perveniat ad cultum Dei. 8. *Trituranti bovi non obligabis os.* (*Deut.*25.4.) Iniquum judicatur hâc lege, ſocios laboris vetare quò minùs & fructuum ſint participes. Quare beſtiam quamvis operantem

tem prohibet prohiberi *Moſes* nè veſcatur iis in quibus laborat; multò magis homines operarios mercede fraudari: maximè omnium eos qui ſacris operantur è ſacris jubet vivere, qui Evangelium annunciant ex Evangelio. (1 *Cor.*9.9,10,&c. 1 *Tim.* 5.17,18.) 9. *Bovem, pecudémve aliam quæ munda ſit, unà cum fœtu ſuo in eodem non jugulabis die.* (*Lev.*22.28.) De ſacrificiis intelligit *Calvinus*, ſed feritatem ait prohiberi & ſævitiam, nè homines ad promiſcuas cædes obdureſcant. 10. *Avem incubantem nido unà cum ovis pulliſve quibus incubat nè auferto, verùm his ablatis illam dimittito, quò diu vivas benéque tibi ſit.* (*Deut.*22.6,7.) Non tam aves pecudéſve, quàm ſunt homines curæ Deo. Quæ igitur in bruta animalia, multò magis in homines crudelitas prohibetur, miſericordia & clementia præcipitur. Matrem interficere unà cum filiis, immanitas quædam ferina videtur. (*Gen.*32.11. *Hoſ.*10. 14.) Bonus autem vir miſericordem ſe etiam in beſtiam præbet; (*Prov.*12.10.) multò magis in hominem naturæ ſuæ participem, & imaginis Divinæ. Minimum volunt hoc eſſe *Judæi* ex omnibus *Moſaïcis* præceptum, de avibus; præmio tamen haud minimo commendatum: ut ex eo palàm ſit, ſubeſſe altiorem ſenſum quàm præ ſe verba ferant. 11. *Veſtium oris peniculamentum, oræ peniculamenti filum hyacinthinum adhibeto; ut, cùm fimbriam deſpexeris, mandatorum Dei refricetur tibi memoria.* (*Deut.*22.12. *Num.*15.38,39.) 12. *Nè quis in luctu calvitiem ſibi faciat, nè carnem ſuam laceret, ſtigmatibúſve fœdet. Nè quis comam attondat in circuitu, barbæve radat extrema.* (*Lev.*19.27,28. *Deut.*14.1,2.) Gentium erant hi profanarum ſuperſtitioſi mores; ut ſacerdotes *Baalis* (1 *Reg.*18.28.) & ſacrifici *Cybeles* cultris & novaculis lacerabant ſe: à quibus diſtingui voluit ſuos Deus, nè cum exteris ritibus ſuperſtitionem atque deos unà reciperent alienos, à genuino Dei veri cultu deficerent. Quare ab exemplis & moribus præputiatorum abeſſe juſſit quàm longiſſimè, nè aſſuendo commenta hominum verbo Dei, ſuperſtitiones pravæ ſenſim obreperent. Nec immodicè lugendos fuiſſe mortuos à populo Dei hoc præceptum docuit, quod à barbaris factum qui carebant ſpe. 13. *Annis tribus ex quo ſatæ ſunt in horto arbores, profani fructus habeantur, inſtar hominum præputiatorum: Nè quis comedat. Quarto demum ſacri & ſacerdotibus tradendi ſunt, quò purgentur in poſterum, & ſuis proſint dominis.* (*Lev.*19.23,24,25.) Ex hominùm depravatione ipſa terra contagionem traxit, ut quicquid ex ea naſcitur primâ ſuâ origine quodammodo profanum ſit, donec purgetur, precibúſque ſanctificetur & verbo. (1 *Tim.* 4.5.)

A.M. 2515.

§ 41. Ità Deus populum ſibi peculiarem, hoc eſt Eccleſiam, elegit, variíſque ac propriis legibus temperavit, varias ob cauſas. 1. Ut eſſet ubi ſe perpetuò patefaceret verbo, magnificíſque per Prophetas atque miniſtros ſuos operibus. (*Pſal.* 76. 1,2.) 2. Ut illic Deus quaſi ſcholam aperiret, unde gentes aliæ doctrinam cœleſtem atque Divini cultûs rationem veram diſcerent. (*Pſal.*122.3,4,& 147.19,20.) 3. Ut eſſet ſcriptorum ſacrorum quaſi Bibliotheca, unde poſteris integra traderentur. (*Rom.* 3.2.) Poſtremò, ut parentes daret *Chriſto* Deus, & patriam ubi naſceretur, ſuóque perfungeretur officio Redemptoris. (*Gen.*49.10. *Rom.*9.4,5.)

Præmia legibus pœnæque adduntur.

Cùm autem has *Iſraëlitis* Leges tradidiſſet, iterum atque iterum putavit commonendos, (*Lev.*26.1,2, &c.) imò præmiis atque minis incitandos & impellendos, ut obſequerentur; Nè quod ponerent idolum, nè quam imaginem ſculptilem aut ſtatuam erigerent, aut lapidem figuratum quem colerent. Quòd ſi ſua obſervarent præcepta, mandantíque ſibi obſecundarent, benedicturum pollicebatur ſe affluentiâ illis rerum, fœcunditate fœminarum, & vel ſecurâ pace, vel certâ de hoſtibus victoriâ. Etenim ſe, qui ex *Ægypto* & ſervitute illos miſerrimâ liberaviſſet, fixurum inter eos Tabernaculum ſuum, futurum illis Tutelare Numen, eos pro ſuo peculiari populo habiturum. Sin contumaces præberent ſe, violaréntque præcepta & fœdera ſui Dei, morbis ultoribus, atque hoſtium telis velle ſe timidos atque fugaces objicere. Si hâc minùs proficeret, ſterilitate agrorum atque inopiâ in impios animadverſurum. Quòd ſi nondum reſipiſcerent, feras agreſtes immiſſurum, quæ pecudes illis atque liberos auferrent, omnémque terram depopularentur. Si neque his ad frugem revocaret, ſe hoſtes provocaturum denuo ad terram deprædandam, oppugnandas urbes, cogendam intra muros multitudinem; ubi fames atque peſtis intus, militum foris crudelium in imbelles deſæviret cruenta rabies. Denique, ſi omnia hæc minimè valerent, facturum ſe ut ſuis ipſi liberis torquentem in viſceribus famem compeſcerent, ipſis hoſtibus in ſe crudeliores; ut in ſervitutem ſuperſtites præda ho-

A.M. 2515.

hoſtium abigerentur procul, reliqua pereuntium cadavera unà cum ſtercoreis diis projicerentur; diruerentur civitates, agri vaſtarentur, ipsíque hoſtes, terræ cultores deſolatæ, tantarum magnitudine cladium obſtupeſcerent; illi verò in exſilium & exitium acti, ut ingentibus attriti miſeri malis contabeſcerent. Veruntamen ſi in has extremas adacti anguſtias redirent aliquando ad ſe, ſuámque & majorum ſuorum agnoſcerent pervicaciam, deplorarent atque deponerent inſaniam, animóſque induerent molliores, reverentioréſque ſui Numinis, recordaturum & ſe *Abrahami*, *Iſaaci* atque *Jacobi*, nec non ſui fœderis cum parentibus eorum initi, quos ex *Ægypto* in *Canaanæam* vi & potentiâ maximâ, ſpectantibus attonitíſque aliis undique gentibus, perduxiſſet.

Homo blaſphemus lapidatur.

Dum iſtæ quas expoſui ceremoniæ tradebantur *Moſi*, contigit ut hybrida quidam, (*Lev.* 24.10,&c.) patre natus *Ægyptio*, matre verò *Danitide Shelomithâ*, inter certandum cum *Iſraëlita* quodam, ſacroſanctum reverendúmque *Jehovæ* nomen exſecrando blaſphemârit. Non ferebant qui aderant *Hebræi* ſcelere tam nefando violari ſuum Numen. Rapitur ad *Moſen*, cuſtodiæ traditur, donec ea de re conſultus Deus pœnam ſtatuat. Sic itaque *Moſi* reſponſum eſt: ut hominem impium extra limites caſtrorum producerent in campum; teſtes capiti manus admoverent, ac in ipſum rejicerent ſui cauſam exitii; deinde populus univerſus lapidum armatus telis obrueret blaſphemum os, & è medio tolleret, auſpicantibus pœnam iis qui ſontem teſtimoniis condemnârant. Quàm indignus vitâ eſt, qui vitæ omnis fontem atque autorem unicum exſecratur?

Decimo quartóque die menſis primi, anni verò ſecundi, ex mandato Divino Paſcha celebratum eſt ſecundum, ſed unicum in deſerto. (*Num.* 9.1,&c.) Cúmque nonnulli ex cadavere impuri appellarent *Moſen* & *Aaronem*, quærentes, an & ſibi liceret iiſdem perfungi ſacris, conſultus hac in re ità conſtituit Deus; ut immundi tempore conſtituto, aut peregre agentes, decimum quartúmque ſecundi menſis diem exſpectarent, feſtúmque ritè agerent.

Populi cenſus agitur.

Principes conſtituuntur,

§ 42. Primo autem die ſecundi menſis (*Num.* 1.1,&c.) recenſere capita *Iſraëlitarum* omnium qui viceſimum ætatis annum attigiſſent, cum Principibus tribuum & *Aarone* juſſus eſt *Moſes*. Principes verò Deus ipſe conſtituit nominatim. *Rubenitarum Elizur* dux, *Shedeuri* filius; numerus virorum 46500. *Simeonidarum* dux *Zuriſhaddæ* filius, *Shelumiel*; populus 59300. *Naaſſon*, *Aminadabi* filius, *Judæorum* dux; milites 74600. *Iſſachareorum* 54400 fuerunt, *Nethaneele* duce *Zuaridâ*. *Zebulonitarum Eliabus*, *Helonis* filius, dux; populi numerus 57400. *Ephraimitarum* numerus 40500, ſub *Eliſhama* duce, *Ammihudis* filio. *Manaſſidarum* 32200 fuêre milites; *Gamaliel* dux, *Pedahzuris* filius. *Benjaminitarum* 35400 numerus; *Abidanus*, *Gideonis* filius, dux. E tribu *Danis Abiezer* dux, *Ammiſhaddæ* filius, milites habuit 42700. *Aſeritis Pagiel Ocranides* præfuit 41500. *Gaditarum* erant 45650; *Eliaſapho* duce, *Develis* filio. Poſtremò, *Naphtalidæ*, numero 53400, duci *Ahiræ* ſuberant, *Enanis* filio. Summa erat duodecim tribuum 603550, præter *Levitas*, quorum numerus alibi expoſitus eſt. Eorum quoque tribus familiis duces præfecti ſunt tres: *Gerſonitis Eliaſaphus*, *Laëlis* filius; *Cohathitis Elizaphanus*, *Uzzielis*; denique *Meraritis Abihailis* filius *Zuriel*: omnibus *Eleazar* ſacerdos ducum dux.

& caſtrorum ſitus atque motus.

Verùm ut certo quodam ordine ingens multitudo metaretur ſua & moveret caſtra, (*Num.* 2.2,3,&c.) conſtitutum à Deo eſt ut *Levitæ*, quò magìs ad cuſtodiam Tabernaculi advigilarent, proximos haberent ſe ad plagas terræ quatuor; ab Occidente quidem *Gerſonitæ*, *Cohathitæ* ab Auſtro, à Borea *Meraritæ*, *Moſes* autem & *Aaron* cum ſuis ab Oriente ac fronte Tabernaculi. His ut ſpatio ferè milliaris interjecto (*Joſ.* 3.4.) circumfunderentur tribus duodecim, ad eaſdem plagas, ſub vexillis atque ſignis ſuis. Ad Orientem tres in unum coaleſcentes exercitum, ex militibus conſtantem 186400, *Judæ*, *Iſſacharis* & *Zebulonis*. Hi primi, claſſicum canente tubâ fracto ſono excitati, ſuas promovebant copias. *Gerſonitæ* ſequebantur & *Meraritæ* cum portatili Templo in vehiculis. (*Num.* 10.17.) Ad Meridiem, *Rubenis*, *Simeonis* atque *Gadis* tribus milites tenebant 151450. Hi ſecundo loco, tubâ iterum clangente, ingrediebantur. Comitati hos *Cohathitæ* in medio copiarum omnium tutiſſimi, ſacras humeris res, Arcam, & aras, & reliqua ſuæ fidei commiſſa, deportabant. Nam erectum ſtare Tabernaculum oportebat aliorum *Levitarum* operâ, paratâque eſſe omnia, priuſquam accederent cum ſacris oneribus *Cohathitæ*. (*Numer.* 10.21.)

10.21.) Ad Occaſum *Ephraïmus*, *Manaſſes* & *Benjaminus* tendebant cum exercitu militum 108100. Hi tertio tubæ ſonitu excitabantur, Solis imitati curſum. Ad Septentriones *Danitæ*, *Aſeritæ Naphtalidæ*que exercitum conficiebant militum 157600. Hi poſtremo agmine incedebant, quicquid rerum hominúmve relictum offendebatur in via colligebant, & ſecum in proxima deducebant caſtra. Inter ſingulas tribus vacâſſe ferunt platearum ampla ſpatia mercatibus, & quatuor exercitibus vexilla fuiſſe quatuor majora cum ſignis; imaginem Leonis prætuliſſe *Judæos*, *Rubenem* Hominis, *Ephraïmum* Bovis, *Danem* Aquilæ; fixa verò caſtra & formata in quadrum, duodecim ab omni latere milliaria telluris occupâſſe. *A.M.* 2514.

His ità conſtitutis, tribuum Principes ad dedicandum Tabernaculum, Aram præcipuè majorem, ſua ſinguli obtulerunt dona Deo. Ac inprimis plauſtra camerata ſex, totidémque boum juga, tabernaculo devehendo: unum plauſtrum duo Principes, bovem ſinguli donavêre. Quæ cùm accepta habuiſſet Deus, *Levitis* tradita ſunt: duo quidem *Gerſonitis* plauſtra, totidémque juga boum; reliqua *Meraritis*, quorum onera multò erant graviora. Reliqua munera adeò multa fuerunt, ut ſingulis ducibus ſinguli dies deſignati ſint in quibus offerrent. Atque primus *Naaſſon*, *Judæorum* Princeps, ſcutulam dedit argenteam 130 ſiclorum majorum pondere, & craterem argenteum ſiclorum 70, ſimilâ utrumque plenum oleo miſtâ; acerram quoque aureorum ſiclorum 10 plenam ſuffitu: deinde holocauſta, juvencum, arietem, agnúmque anniculum; victimam piacularem hircum; euchariſticas verò, boves duos, arietes, hircos atque agnos quinque. Paria omnino reliquorum erant ducum dona.

Cúmque Principes Tabernaculum & Aram ſuis dedicâſſent donis,

Poſt paucos dies diſceſſuri erant à monte *Sina Iſraëlitæ.* Mandavit ergò Deus duas fieri argenteas tubas (*Num.* 10.2,3,&c.) ductiles; quarum uſus erat, in hoc præſertim itinere, frequens ac penè quotidianus futurus. Fracto enim tubarum ſono monebatur populus caſtra eſſe movenda; eodem claſſicum in bello canebant ſacerdotes. Claro autem ſono convocabatur cœtus; nimirum unâ tubâ Principes cogebantur ad *Moſen*, utrâque populus ad portam Tabernaculi citabatur. Earundem clangore claro in ſolennibus feſtis atque menſium initiis ornabant ſacrificia, & ſua decantabant gaudia.

populo jam caſtra moturo, Tubæ quæ monerent factæ ſunt, jubente Deo,

Hic primus quem ullæ tradunt literæ tubarum ortus & uſus. *Plinius* (7.56.) *Piſeo* tribuit *Tyrrheno* inventum hoc; & *Diod. Sic.* (5.) *Tyrrhenis* quoque. Unde illud *Maronis*, (*Æneïd.*8.) omnium primæ.

Tyrrhenúſque tubæ mugire per æthera clangor

viſus eſt. *Acron* (in *Horatium* de Arte poët.) *Dircæum* ait in bello *Meſſenico* (*Tyrtæum* alii vocant) primum *Lacedæmoniis* tradidiſſe tubam, vel tubarum potiùs monſtrâſſe modulos & cantum; quarum inaudito territi clangore *Meſſenii* in fugam acti ſunt, *Spartani* victoriâ potiti. Hinc fortaſſe *Græci*, à *Piſeo Itali*, aliæ aliunde gentes tubam accepêre, ſed primitus repertam à *Moſe*.

§ 43. Secundi menſis, atque anni, viceſimo die poſt exitum *Iſraëlitarum* ex *Ægypto*, ſacra Nubes, quæ hactenus Tabernaculum operuerat, obſcurâ per diem ſpecie, igneâ lucidâque per noctem, in altum ſublata eſt, deſeruítque Tabernaculum. (*Num.* 10.11.) Id autem erat certum *Iſraëlitis* movendi caſtra, & aliò proficiſcendi, ſignum. Quo Deus ergò præceperat ordine diſceſſum eſt, & ſecuti ſunt præcedentem Nubem. Arcâ verò ſacrâ exeunte, ità *Moſes* comprecatus eſt: *Exſurge, Deus, & diſſipentur inimici; téque fugiant perſequente tui hoſtes, ô Jehova.* Poſt trium dierum iter, in deſerto *Paranis* (id erat montis nomen, *Deut.* 33.2.) caſtra poſita ſunt quieſcente Nube, & Tabernaculum Dei. Cúmque reponeretur Arca, ſic iterum eſt apprecatus *Moſes*: *Millibus ac myriadibus Iſraëlitarum da quietem, ô Deus.* Atque his deinceps precationum formulis, in metando caſtra movendóque, ſemper uſus eſt.

A monte *Sina* diſcedunt *Iſraëlitæ*:

Populus *Iſraëliticus*, etſi novo fœdere obſtrictus, nondum depoſuerat vetus & contumax ingenium, iterum queſturus eodem quo ſolebat more. (*Num.* 11.1.) At eodem Deus more non tulit quo ſolebat ferre ante ſancitum fœdus. Ignem accendit protinus in ultimis caſtris, quo abſumpti ſunt plurimi, eorum præcipuè qui, tædio itineris laſſi, laceſſebant querimoniis Deum. Sed invocante populo *Moſen*, *Moſe* Deum, extincta eſt flamma vorax. Itaque nomen loco *Tabera* datum, quod ſignificat *Incendium*.

at à pervicacia

A.M. 2515.

Mox alienigenarum turba (qui plurimi comitabantur) victum lautiorem concupiſcere, nauſeare Mannam; & eos imitati *Iſraëlitæ*, (nam facilè ſerpit mali contagio,) ſuam deflere ſortem, carnes atque piſces deſiderare, cucumeres etiam & pepones, porrum, cepe alliúmque, quibus in *Ægypto* veſcebantur. " Nihil hîc ſibi ante ocu-
non diſcedunt.
" los obverſari præter Mannam, vociferantes, nihil exſpectari poſſe aliud præter " Mannam, victum tenuiſſimum. Eſurire igitur ſe ac penè deficere cibi fortioris in-" opiâ. Nec pauci hæc agitabant, aut clanculùm, aliquâ Ducis Deíve reverentiâ. Ipſe *Moſes* audivit pro foribus tentoriorum conquerentes hæc, & graviter infrementes. Ingenium produnt verè humanum. Omnes enim ferè ollas *Ægyptiacas*, piſces & allia, hoc eſt, hujus mundi quiſquilias, fugacia hujus vitæ bona fallacéſque voluptates, æternæ ſaluti & beatitudini veræ, victui Angelorum anteferunt. Quare graviter & ira Dei exarſit in populum, moleſtiſſiméque *Moſes* tulit; adeò ut valde perturbatus, non ſatìs modeſtè ipſum Deum appellârit. " *Quid hoc eſt*, inquit, *ô Jehova, quòd* " *me tuum ſervulum tanto affligas malo, oneréque multitudinis tantæ opprimas? Egóne* " *genui peperíve populum hunc?* méne liberi appellant patrem, *ut curam ego unus* " *omnium geram? eóque deferam* ſolus tantam catervam, *quò tu majoribus illorum es* " *quondam pollicitus? Unde mihi caro ſit*, in hac præſertim ſolitudine, *quâ tot homi-* " *num ſaturentur millia? Etenim me* unum *ſuis querimoniis invadunt*; *à me carnem* " *poſtulant*, flagitant à me, quâ ſuam ſatient libidinem pravam. Aut hoc me onere, " clementiſſime Deus, aut *hâc me vitâ*, quæ ipſa mihi oneri futura eſt, *leva. Moſis* querelam exaudivit Deus, qui populi haud inultam paſſus eſt. Edixit ergò, ut " Seniores è populo 70, eoſdémque præfectos, ad Tabernaculum ſacrum convocaret, " ac ſiſteret coram ſe. In eos enim de Spiritu ejus collaturum ſe oneréque partem, " nè in poſterum ſolus tantâ mole gravaretur. Edici etiam populo juſſit, ut para-" rent ſe: Craſtino die habituros, quam tantopere flagitaviſſent, carnem; nec uno " tantùm die (quod aliàs factum, *Exod.* 16. 13.) paucíſve habituros, ſed per men-" ſem integrum, donec eructarent nauſeantes & evomerent. Nec enim ignorare ſe " quantopere fremuerint, ac libertati ſuæ promiſsíſque Divinis *Ægyptum* prætule-" rint ac ſervitutem. Cùm accepiſſet hæc *Moſes*, homo quidem pius, at homo tamen, ſecum aliquandiu ratiocinatus humano more, cum Deo etiam ipſo diſceptare tandem auſus eſt, quaſi majora pollicito quàm poſſent fieri. " *Sexcenta eſſe* ait in " hoc exercitu *millia virorum.* Unde igitur carnium, inquit, confici tantum poteſt, " quod tantæ multitudini *menſem integrum* ſufficiat? *Armentáne omnia & greges* " *jugulabimus? an oceanus* effundet *immenſam piſcium vim?* De avibus non cogitabat *Moſes*, miraculi oblitus in ſolitudine *Sinis*. Incredulitatem hanc ità paucis corripuit Deus. " Apage verò pravas infidelis animi diſceptationes. *Jehovæne poten-* " *tia imminuta eſt*, ut ei ſit quicquam difficile? *Veráne ſint quæ ſum ego pollicitus, ocu-* " *lis tuis mox* eam *fidem dabis*, quam dictis meis denegas. Ad populum igitur *Mo-*
Synedrion 70 Seniorum inſtituitur.
ſes cùm rediiſſet, certam de carne fecit ſpem. Ex majoribus natu deinde 70 ſibi conſcripſit pro Senatu, quos ad portam Tabernaculi convocatos Deus (*Moſen* paucis allocutus) novis & egregiis ornavit dotibus, adeò ut omnes afflatu quodam prophetico ad tempus correpti vaticinarentur. Nec hi modò qui aderant, ſed & alii duo, *Eldadus* atque *Medadus*, qui, è numero ſeptuageno quem elegerat *Moſes*, in caſtris tamen continuerant ſe, minùs libenter fortaſſe munus in ſe tam grave ſuſcepturi. Sed in caſtris latitantes etiam deprehendit Spiritus Dei. Quò enim quis ab eo fugiat? (*Pſal.* 139.7.) Monuit quidem *Joſua*, ut prohiberet nè prophetarent *Moſes*; ſive ductus æmulatione quadam, nè *Moſi* pares viderentur; ſive contumaciâ hominum ſuſpectâ, quòd juſſi non conveniſſent ad Tabernaculum. At *Moſes*, " Imò ve-" rò, inquit, prohibeo te, nè *mei causâ cuiquam invideas* Dei dona. *Utinam* Sanctus " daret Spiritus, *ut omnis hic populus prophetaret*; tantum abeſt ut ego aut invideam " ulli, aut quenquam prohibiturus ſim.

§ 44. Hæc prima inſtitutio Synedrii, quod erat ſummum apud *Judæos* forenſe Concilium, & à *Græco* ipſi *Sanedrim* appellant. Hujus erat, maximas quaſque res ac difficillimas cognoſcere & judicare, quæ ad unum antea *Moſen* referebantur. (*Exod.* 18.22,26.) Huc ab aliis Judicibus quibuſcunque provocabant. (*Deut.* 17.8,&c.) Septuaginta conſtabat Judicibus, unóque Principe, quem *Hebræi Naſi* vocant. Vocari enim juſſit 70 Deus præter *Moſen.* (*Num.* 11.16.) E ſingulis tribubus conſcribebantur ſex, è *Levitis* quatuor tantùm, ut aliqui putant. (*Jun.* Analyt. in *Num.* 11.) At *Hebræi* (*Solomon Jarchi*) chartulas aiunt à *Moſe* ſeptuagenas hâc voce inſcriptas,

Se-

Senior; duas hoc vocabulo fuiſſe, *Pars.* Quicunque has ex urna duas tollebant chartulas, ii, cujuſcunque tribûs, rejiciebantur. Septuaginta reliqui pro Judicibus habebantur. Tradunt *Judæi*, alias quondam ſibi Curias fuiſſe minores: alteram Trium atque viginti Judicum *Hieroſolymis*, & aliis in urbibus quæ 120 familias continebant; alteram Trium virorum in minoribus, (Septemviros fuiſſe *Joſephus* ait, Antiq.4.8.) quæ non niſi de rebus minoribus cognoſcebat, injuriis pecuniiſque; vitæ ac necis poteſtatem non habuit. Hanc altera quidem habebat Judicum 23; ſed nec de tribu integra vel civitate, nec de Pontifice, nec de falſis prophetis, nec de aliquo è 70 Judicibus aut zelotypia judicabat. Hæc ad Senatum ſpectabant omnia ſupremum: quem præfuiſſe populo ſuo *Judæi* ferunt, donec *Herodes*, regni ſui ſtabiliendi causâ, Synedrion ſuſtulit. (*Joſeph.* Antiq.14.17.) Sed tamen poſtea conſtat *Judæis* conceſſiſſe *Romanos*, ut in cauſis levioribus, præcipuè ſacris, & ſuum Concilium haberent, & pœnas ſtatuerent leviores: aliquando & capitales, aut permiſſu *Romanorum*, aut ſuo quodam zelo & impetu, inferebant. (*Matt.*5.22. & 26.57. *Luc.* 20.1,19. *Act.*4.1,3,5,6. & 5.17,18,21. & 6.12. & 23.14,15.) Concilia verò judiciáque apud *Judæos* inferiora, ex eo *Jethronis* conſilio (*Exod.*18.14,&c.) prodiiſſe ac inſtituta fuiſſe primò creditur. (2 *Chron.*19.5. *Deut.*19.12. & 21.6. *Ruth* 4.2.) Aderant judiciis majoribus, præter Actorem & Reum, Scribæ 2, Præcones 2, Teſtes 2, totidémque adverſarii Teſtes, & Collectores eleemoſynæ. *A.M.* 2515.

Cùm jam rediiſſent *Moſes* atque Seniores à Tabernaculo, ventûs vehemens, Deo id agente, coturnices maximâ multitudine detulit ad caſtra *Iſraëlitarum*, & hinc atque indè longâ ſerie, itineréque unius diei diſperſit, ad duos cubitos altitudinis in ſuperficie terræ. (*Num.*11.31.) Feſtinabat populus ad hanc prædam; die noctéque, poſtero etiam colligebat die; ut qui minimum, acervos decem cumulârit. Sperabant jucundas atque delicatas jam ſibi paratas epulas; quas tamen experti ſunt amariſſimas. Dum enim hilariter convivabantur, & geniis indulgebant intemperantiùs, funeſta lues caſtra invaſit, quæ magnam populi ſtragem edidit. Datum indè loco eſt nomen *Cibroth-Hattaava*, hoc eſt, *Tumuli* ſeu Monumenta *concupiſcentiæ*. (*Pſal.*78.26, &c.) Eo & nos moneri dicit Apoſtolus, (1 *Cor.*10.6.) nè iſtos imitati, res pravas ingratáſque Deo concupiſcamus. Ex *Cibroth-Hattaava Hazerothum* perrexerunt *Iſraëlitæ*, ubi *Maria* ſoror *Moſis* aliquot dies remorata eſt iter populi.

Coturnices mittuntur cum peſte.

Minimè ſperandum eſſe viro bono felicitatem aut quietem in terris diuturnam, vel unicum docet *Moſis* exemplum. Quis eo charior *Jehovæ*, gratiâque Divinâ floruit magìs? Muneri tamen præfectus eſt moleſtiſſimo, ducendo regendóque populo cervicoſo, & ſeditionibus penè quotidianis tumultuanti. Nec alieni modò, ſed in eum ſua gens & tribus, invidiæ ſtimulis agitata, infremuit. Imò, quod vix credibile videatur, ſua ſoror *Maria*, ſuúſque frater *Aaron* fratri procaciter oblocuti ſunt. Uxorem ejus non ferebant *Midianitidem*, paulò magìs alienam fortaſſe à Religione vera quàm ſummi Principis conjugem par fuit. Aliqui non *Zipporam* hanc eſſe volunt, ſed aliam *Æthiopiſſam* neſcio quam. Sic enim *Cuſhitida* interpretantur, quæ non minùs *Arabem* ſignificat. *Judæi* ferunt fremuiſſe *Mariam Zipporæ* gratiâ, eò quòd ejus conſuetudine prorſus abſtineret conjux *Moſes*, nè pollutus indè accederet ad Deum, quò erat illi accedendum quotidie. Sed propius vero eſt, eos voluiſſe hâc invidiâ conjugis alienigenæ (*Gal.*5.26.) *Moſis* autoritatem diminuere apud populum, augere ſuam: quia *Moſes* videbatur ſuo lumine illorum obſtare atque officere claritati. Aut ex diſcordia inter ſororem Principis & uxorem de primatu orta hæc eſt contentio; quæ ſolent eſſe mulierum frequentiſſimæ lites. Nugatoriæ quidem hæ ac leves; ſed tamen aliquando

Maria ſoror obloquitur *Moſi.*

———*Hæ nugæ ſeria ducunt In mala.*———

"Et verò, quid ille, inquit *Maria*, tantum ſibi vendicat, atque arrogat penè totum? "*Quaſi verò illum Jehova ſolum ſit allocutus. Quaſi non & nos pariter* Domini pro- "phetæ ſimus & miniſtri. Hæc & alia hujuſmodi clanculùm fortaſſe obmurmurabant. Facilè tamen audivit voces qui novit animi cogitationes intimas, nec impunitas paſſus eſt; utut *Moſes*, omnium vir mitiſſimus, devorare quàm ulciſci maluit fratrum injurias. Nè illum igitur apud ſe conqueſtum fortè ſuſpicarentur, aut expetiiſſe vindictam, *Jehova* illico, ut primùm illis exciderunt ea verba ignominioſa, adeſſe coram ſe ad tentorium conventûs unà ſororem atque fratres jubet. His de-

deinde verbis delinquentes increpat deſcendens in Nube Deus. "Alios, inquit,
A.M. 2515. "*prophetas, aut per* obſcura ſimulacra rerum & *viſiones, aut per ſomnia inſtruere mihi* "*mos.* Unum *verò Moſen, quem ſervum fidelem* reperi, & dignum qui *familiæ meæ* "*toti* præficeretur, humano alloquor & familiari modo. *Et ei me* quantum fas erat "*conſpiciendum quoque dedi*, hominum uni omnium. Non ità vobis, utcunque de "me venditantibus magnificè. *Unde vobis ergò audacia hæc, contra ſervum hunc mu-* "*tire meum, contra Moſen loqui?* Locutus hæc, ſubitò quaſi iratus, & facturus magìs quàm dicturus plura, diſceſſit cum Nube Deus: nec audire dignatus eſt quam eſſent defenſionem allaturi. Ex pœna verò ſenſit *Maria* damnatam ſe vel inauditam. Quippe ſtatim corpus illi totum decoloravit lepra. Quare *Moſen Aaron* ut placaret ſupplici oratione aggreſſus eſt, obnixéque petiit, "nè meritas ab iis ſtul-"titiæ ſuæ pœnas repoſceret. Confiteri peccatum ſe, doleréque vehementer. Ejus "ipſius hanc ſororem eſſe. Quare nè ſineret ut ejus caro, imò ſua ipſius caro, pu-"treſceret, ac viventi moreretur. *Moſes*, qui nullam popoſcerat de ſuis ultionem, facilè exoratus eſt ut hanc à Deo pœnam deprecaretur. Nec abnuit *Jehova* obſecrante *Moſe*, tantùm hoc præfatus; "*Si pater illi ſputo fœdaviſſet vultum* iratus, ju-"ſto illum *pudore ſeptem dies* in privatis ædibus occuleret. Ego, unus omnium "pater, impreſſi hanc ei notam ignominiæ. *Extra limites caſtrorum ſeptem* ex lege "*ſecludatur dies: deinde huc illa redeat*, hinc abite vos. Aliqui hinc allegoriam haud inconcinnam eliciunt. *Maria* illis *Judæorum* Synagoga eſt, *Æthiopiſſa* Gentium Eccleſia. Hanc *Moſi*, Legi ſpirituali ſive *Chriſto*, copulatam eſſe, & connubio junctam ſtabili, indignatur illa, & unà cum *Aarone*, ſacerdotum collegio, & *Phariſæis*, *Chriſto* detrahit. Deus tamen has *Æthiopiſſæ* probat nuptias, & *Mariam* ejicit ex Eccleſiæ ſuæ caſtris, infectam leprâ ignorantiæ fœdæ: ſed poſt hebdomadam, cùm plenitudo gentium intraverit, ſanatâ leprâ, fide recipiendam in caſtra *Chriſti*; & omnis *Iſraël* ſalvabitur.

Exploratores *Canaanææ* decem

§ 45. Redditâ caſtris *Mariâ* poſt 7 dies, ea mota ſunt, ac *Rithmæ* poſita in deſerto *Paranis*, loco *Cades-Barneæ* urbi non obſcuræ proximo, (*Num.*13.26.) atque in ipſis confiniis *Canaanææ*, tot votis tantíſque itineribus atque laboribus expetitæ. Monet ergò *Moſes* populum, minimùm abeſſe jam ut votorum ſuorum compotes fiant; in propinquo terram eſſe, in conſpectu ferè, à Deo ſibi deſtinatam. Eant modò ſecundis *Jehovæ* auſpiciis, adeántque promiſſam ſuis majoribus ante quatuor ſecula hæreditatem. At illi, paulò magìs cauti quàm pii, deliberandum cenſuerunt, nihil aggrediendum temere; præmittendos antequam ipſi periclitarentur exploratores, (*Deut.*1.19, &c.) qui ſcrutarentur atque renunciarent ſibi omnia terrarum atque viarum commoda incommodáque. Quaſi verò ad rem incertam & novâ indigentem exploratione tantum populum tantis itineribus eò deduxiſſet Deus. *Moſes* tamen, qui noverat non niſi optima deſtinari ſuis à Deo, non improbavit hanc populi cautionem: neque verò conſultus à *Moſe* hac de re Deus abnuit. (*Num.*13.1, &c.) Ipſi enim certum erat ac deliberatum jampridem quid eſſet facturus. Perficiendis autem Dei decretis, non prudentia modò, ſed etiam vecordia hominum, etiam contumacia ſternit plerumque viam. Speravítque *Moſes*, terrâ diligenter perſpectâ, fore ut exploratores ſuis præconiis magnam populo rerum optimarum ſpem facerent. Itaque ſi populo ità videretur (nec Dei atque *Moſis* exploratio ſufficeret) alios emittere ſpeculatores, è ſingulis tribubus principibúſque viris ut eligerentur voluit Deus, præter *Levitas*, qui nullam erant ſortem habituri. Proficiſcentes inſtruit *Moſes*, ut regionem diligenter omnem contemplentur, atque animadvertant, incolæne bellicoſi ac frequentes, an pauci debiléſque ſint; terrámne habitent ſalubrem ac munitam urbibus, an ſparſim in villis aut tabernaculis degant; ſolúmne ſterile, an fœcundum ſit paſcuorum, frugum, fructuúmque arboreorum. His inſtructi monitis penetrant peragrántque *Canaanæam*, à deſerto *Zinis*, Meridionali termino, uſque ad urbem *Rehobum*, atque tranſitum ad urbem *Hamatham*, limites regionis Boreales. Attulerunt verò ex malogranatis & ficubus ejus terræ, botrúmque uvarum cum palmite palangâ deportârunt homines duo, ex valle quam *Eſcholis* indè vocârunt, hoc eſt, *Vallem botri*. Poſt dies 40 reduces quæ vidiſſent expoſuerunt, traditis etiam quos indè pertulerant fructibus; unde fertiliſſimam fuiſſe terram facilè perſpiciebant *Iſraëlitæ*. Sed reliqui exploratores, præter *Calebum Jephunnæ* filium, & *Joſuam Nunis*, hunc *Ephraïmitam*, illum è tribu *Juda*, infamabant regionem, quaſi armis *Iſraëlitarum* non expugnabilem. "Incolas enim fuiſſe

dejiciunt animos *Iſraëlitis*.

"pro-

A.M. 2515.

"proceros atque robuſtos narrabant; etiam gigantes *Hebrone* ſe vidiſſe *Anaci* filios, "*Ahimanum*, *Sheſhaium* & *Talmaium*, quibuſcum ſe collatos inſtar cicadûm fuiſſe "viſos, humiles minimóſque. Hos tamen tantos taléſque urbibus ubique muni- "tiſſimis tueri ſe. (*Deut.* 1.28.& 3.5.& 9.1.) Regionem Auſtralem *Amalecitas* ob- "tinere, inimiciſſimos *Iſraëlitico* nomini; *Hithæos* verò, *Jebuſitas* & *Amoræos* in "montibus habitare, gentes bellicoſiſſimas; *Canaanæos* denique ad mare atque *Jor-* "*danis* ripam: ità ut nuſquam illis aditus in hanc terram pateat. Poſtremò, ter- "ram eſſe hanc, quæ mutuis armis continuíſque bellis conterat ſuos incolas devo- "rétque. Fruſtrà igitur conari ſe: Neque ſubigi, neque verò ſuſtineri à ſe poſſe "tot ſimul ac tantarum gentium inſuperabilem vim. Sic illi omnia quidem inve- nerunt majora in *Canaanitide* quàm vidiſſent in *Arabia*, ſed & omnia fecerunt ma- jora quàm invenerant. His nunciis perterriti omnes debilitatíque metu conciderunt animis; etſi *Calebus* quantum erat in ſe huic infamiæ reclamabat, erigebátque po- pulum, & virili oratione adhortatus eſt, " ut promiſſam à Deo hæreditatem inva- "derent & occuparent. Nolle Deum, qui ex *Ægypto* prodeuntibus aderat, qui pere- "grinantibus in deſerto aderat, in ſubigenda *Canaanæa* deeſſe, modò ſibi non deeſ- "ſent ipſi, & in actu ultimo deficerent. Ità verbis magnificis ad fortitudinem lan- guentes animos excitabat. Sed fruſtrà ſtimuli omnes & cohortationes adhibitæ ad homines longâ jampridem ſervitute fractos, & nuſquam niſi contra inermes & in ſeditionibus fortes. In tentoria diſceditur. Ibi ſuam quiſque vicem deplorat. Mœſtiſſima & penè inſomnis ea nox agitur. Nihil audires per caſtra niſi luctum & lacrymas, ſuſpiria & querelas, in *Moſen* denique ipſúmque Deum maledicta & ca- lumnias. (*Deut.* 1.27,&c. *Num.* 14.1,&c. *Pſal.* 106. 24,25.) His autem aut hu- juſmodi verbis infremebant. "*Niſi odio nos* implacabili *perſequeretur Jehova Deus*, "*non ex Ægypto* quietos in vaſtam hanc *produxiſſet* horrendámque ſolitudinem, *ut* "jam denique *hoſtibus* truculentis *ad internecionem cruciandos delendóſque objiciat* uni- "verſos. Hactenus magnâ operâ famem atque ſitim expugnavimus, vitámque hanc "miſeram tutati ſumus, ut opima tandem hoſtibus *præda* ſit; neque noſtra modò "vita, ſed *uxorum atque liberorum* quoque. Armenta etiam & greges, laborúmque "omnes noſtrorum fructus, crudeliſſimi hoſtes auferent. *Utinam*, ô utinam *in Æ-* "*gypto*, *utinam in deſerto periiſſemus* jampridem *nos*. Quorſum verò vivimus? "quorſum hunc ſpiritum infelicem ducimus? aut quò pergimus? quídve facturi re- "bus jam deſperatis ſumus? Bellum à fronte, immanéſque hoſtes progredientibus "occurrunt. A tergo inhoſpitalis & inops rerum omnium ſolitudo premit. Miſe- "ria & mors utrobique verſantur ante oculos. Quò fugimus? quídve in his agi- "mus anguſtiis? Fruſtrà enim terimus lacrymando tempus, & verberamus inane "cœlum planctibus. Si quid ſpei reliquum ſit, retro quærendum eſt. *Redeamus* "properè *in Ægyptum*. Malè verò ſit illi *Moſi*, heu! *Moſi* qui nos perdidit. Alium "*nobis præficiamus ducem* (*Neh.* 9.17.) *quîcum* in patriam *revertamur*, *in Ægyptum*. Hæc illi per caſtra paſſim queruli vociferabantur, & penè inſani. Cùm autem eò uſque provectus eſſet furor populi, ut de reditu in *Ægyptum* ſeriò cogitaret, concio re- pentè advocatur à *Moſe* ad Tabernaculum Dei. Ægre quidem vel in hoc parent. Sed tamen parent, coëúntque tandem magno cum fremitu atque tumultu. *Moſes* & *Aaron* in humum coram populo projiciebant ſe, deprecantes obnixè, at paucis, "nè "metuerent diffiderêntque tam benigno támque omnipotenti Deo: nè querelis eum "provocarent, ſuáſque relinquerent in meſſe jam ſpes. Quieſcerent modò & obſe- "querentur: pugnaturum contra hoſtes eundem, qui *Ægyptios* profligaverat, Deum. Verùm unus exploratorum *Joſua*, cujus maximè intererat, pluribus hunc populi tu- multum ſedare, compeſceréque verbis furorem conatus eſt, dolorem priùs vehemen- tem laceratione veſtium profeſſus. Nec enim aliud certius clariúſve ſubiti erat in- gentíſque luctûs indicium, etiam aliis gentibus uſurpatum. *Virg.* (*Æneid.* 12.)

Calebus excitat,

——————*Et ſciſsâ veſte Latinus,*
Conjugis attonitus fatis urbíſque ruinâ.

Sic autem *Joſua*: "Tam diu, inquit, ſilentium & mihi fuit, *Iſraëlitæ* fratres, quam- "diu ſana vobis aut verba fuerunt, aut conſilia. Poſtquam verò conſeri ſermones "audio, conſiliáque agitari de redeundo in *Ægyptum*, deſerendâ patriâ divinitus pro- "miſsâ, violandóque fœdere Dei, ex errore ac terrore neſcio quo nata, quamvis ma- "nu promptior quàm linguâ, non potui tamen facere, quin & muneris in exploran- do

& *Joſua*.

A.M. 2515.

"do mei rationem vobis redderem, & temeritatis magnæ arguerem vos, & ad mentem ſaniorem pro viribus revocarem. Liceat ergò mihi tria tantùm hæc apud vos "verba facere, ut quæram, (quia ſpem in fuga ponitis,) primùm, Quò fugiatis; deinde, A quo; poſtremò, Quamobrem, & quo terrore objecto deſeratis fugâ præſentem ſpem. Ac primò, in *Ægyptum* vos meditari fugam ferunt, unde liberi dudum "ex miſerrima ſervitute prodiiſtis. Adeóne verò quenquam vili eſſe atque ſervili "animo, ut amet alienum jugum, cariſſimóque itineris periculoſiſſimi pretio, liber "cùm ſit, emat ſibi dominos inſolentes? At nec dominos jam futuros, verùm hoſtes infeſtos atque carnifices; utpote quorum patres atque fratres, regem atque proceres, ante annum (præter alia damna innumera) veſtra cauſa interitu graviſſimo "perdidit?

"*Dic mihi, non furor eſt, nè moriare mori?*

"Ex fumo in flammam voſmet præcipitare? Nè hoſtes in *Canaanæa* præſentes incerto vos exitio dent, per ſaxa & montes, per arenas & ſolitudines, per famem, per "ſitim, per feras, per tot rerum diſcrimina, certum in *Ægypto* exitium quærere? "Quaſi verò *non & alibi ſepulchra ſint*; ut veſtra in vos regeram dicteria. Sed, A "quo tantopere fugiendum putatis in malam rem? Ab hoſtibus, credo; ab *Amalecitis*, *Amoræis* atque gigantibus. Imò verò à *Jehova*, qui vos perduxit huc, ab "Optimo Maximóque Deo, cui ſpontaneo vos fœdere ſervos dedidiſtis. Quid enim "*Amalecitæ*, quid *Amoræi*, quid gigantes valent, ſi nobiſcum ſit, qui hactenus fuit, "exercituum Deus? Hánccine verò beneficentiſſimo Numini gratiam rependitis, "redditæ libertatis in *Ægypto*, conſervatæ ſalutis in eremo; qui tot miraculis ſuum "in vos amorem demonſtravit; qui ex omnibus terrarum gentibus adſcivit ſibi vos "pro peculio, pactus æternum fœdus, bonáque pollicitus omnia, quamdiu obſequentes vos dictóque ejus audientes præberetis? Hánccine, inquam, vos gratiam redditis, gratiam ejus & beneficentiam contemnere, in *Ægyptum*, unde tantâ ille vos "ope operâque pridem aſſeruit, refugere? Sed fugite quantum libet, nunquam effugietis hunc Deum; quem ut Optimum experti eſtis, ità ſentietis mox & Maximum, niſi mentem aliam induatis. Qui loca unus complet omnia & comprehendit, nuſquam ab eo diſceditur, etſi longiſſimè fugiatur, & feſtinetur celerrimé. Idémque, ſi libet, quovis in loco vos, quovis interitu extinguere poteſt ac delere; "ut ei non ſit opus hoſtium telis, aut hominum auxiliis, quò ſuos peſſundet hoſtes. "Qui florentes in patria ſua *Ægyptios* tantis potuit exagitare prodigiis, tot cladibus "affligere, vos in deſertis arenis proterere atque conficere non valebit? ubi jampridem, niſi ejus præſidio ſubnixi, & auxilio ſublevati, periiſſetis millies.

"——*Neſcis, temerarie, neſcis, (Iſraëlita,)*
"*Quem fugias, ideóque fugis.*——

"Ille tibi hamum injiciet in os, quantumcunque fidas tuis viribus, agêtque te vel "invitum quò volet. Pergite in *Ægyptum* ergò, properate. At mihi credite, ſi "deſeritis *Canaanæam*, dum properatis aliò, peribitis in deſerto. Tantam enim contumaciam, tantámque contumeliam fieri Sacroſancto Nomini à ſervis fugitivis, "Omnipotens ille *Jehova* non ſinet, non feret, non patietur. Magnum quid eſſe "oportet, quod homines non inſanos adigat ad hanc fugam. Quam igitur ob cauſam, obſecro, in *Ægyptum* vos diſceſſum hunc paratis impium, ab hoc Domino "Deóque veſtro? Allati ad vos nuncii fortaſſe terrent animos, aditus omnes ab hoſtibus infenſis obſideri, civitates munitas, homines robuſtos & bellicoſos; imò gigantes illic eſſe ipſo aſpectu, & vobis ipſo auditu perquam terribiles; denique, terram eſſe inexpugnabilem viribus humanis. Fruſtrà igitur experiri nolle vos, quod "nec poſſit fieri, nec ſine maximo veſtro periculo tentari. Atque hæc vos abigit in "fugam formidabilis, at mendax larva; quam ego, ſi venia ſit, facillimè detraham. "Ac primùm, in eo de gentibus quod narrant hominibúſque formidoloſis, timendum "eſt nihil. Feroces enim illæ validæque ſint, hi robuſti, proceri, bellicoſi; quid attinet, dummodo ii ſint qui à nobis ſuperari poſſint? Eos verò eſſe quos debellare "valeamus nos, omnium ferociſſimi *Amalecitæ* vos docent. Qui victi ſunt, ſuperari "poſſunt, timeri propterea non debent. A gigantibus verò quid eſt quod metuatis; "niſi quod à turribus arboribúſve altiſſimis, nè cadentes fortè in vos ruant, ponderéque opprimant inopinantes? Animis bella geruntur, artibus & ingenio magìs quàm "corporum vi.

"*Pectora*

A.M. 2515.

"*Pectora ſunt potiora manu, vigor omnis in illis.*

"Quis autem neſcit, in iſtis monſtris atque montibus hominum deeſſe tantum animis, quantum corporibus abundat ac ſupereſt? Ictu minimo non difficiliùs exhalant leves animas gravia iſta corpora, quàm noſtrûm vel minimorum quilibet. Imò plerumque fit, ut ea hominum ingentium

"*Vis conſilî expers mole ruat ſuâ.*

"Quare magnum illud, ſed inutile telluris pondus, ad ſpeciem & oſtentationem, terrendáſque mulierculas aliquid fortaſſe valet; ad bellum atque pugnam nihil. Quòd ſi tamen valerent gigantes plurimùm, quid pauciſſimi contra ingentem poſſunt exercitum? quantulum eſt quod minitantur ſexcentis millibus tres? Quos ego, ubi ad manus ventum fuerit, propitio Deo, jaculis paucis confixos, humíque ſtratos, pedibus omnium conculcandos dabo. Sed à muris urbium altiſſimis conſternit animos novus pavor. Qui tandem? nè ſuos fortaſſe lapides mœnia ejaculentur in vos? Belli profectò fœminarum nidi ſunt, cinctæ urbes mœnibus. Sua viri in lacertis atque armis propugnacula, non in ſaxis inertibus gerunt. Ovium ſepta ſunt, non luporum. Timidos arguunt, non timendos, mœnia. Qui abſcondunt ſe, declinant prælium. Nolite autem vel hoc metuere, nè non vincamus etiam quos non videmus. In munimenta enim fortiſſima virtus viam, ſi non invenit, facit. At exploratorum vobis decem terram eſſe inexpugnabilem narrant. Narrant Illi quidem; ſed negat *Jehova.* Deterrent Illi, atque revocant ab hoc incepto; ſtimulat vos atque impellit Deus. Illi vobis cladem invadentibus & interitum minitantur; certam Deus victoriam pollicetur. Utri verò credendum, *Iſraëlitæ* fratres, hominibúſne ignavis & mendaciſſimis, an veraciſſimo rerúmque omnium præpotenti Deo? Vana igitur cùm ſint quæ objecta ſunt vobis terriculamenta, erigite animos, paratéque vos ad occupandam promiſſam, imò datam vobis terram à Deo. Morigeris obſequentibúſque facilem ſpondeo victoriam, non rebellibus. Ego, ſi quid apud vos mea valebunt dicta factáve, jubente Deo, gigantum exercitui ſolus occurram, muros etiam aheneos tranſcendam; per aquas ferar & ignes, per ſaxa & ſolitudines, per monſtra & feras; ſi tremat terra & dehiſcat, tartara in me excita ſi ruant, obruant maria, æther corruat,

"*Si fractus illabatur orbis,*
"*Impavidum ferient ruinæ.*

Hæc *Joſua* cùm dixiſſet, prodiit *Calebus* in eandem ſententiam loquuturus. Sed populus, non tam compoſitus oratione *Joſuæ*, quàm irritatus, reliquis præſertim ſpeculatoribus concitantibus multitudinem, ſaxa colligebat, quibus *Calebum* obrueret *Joſuámque*: cùm repentè ſuam è Tabernaculo gloriam exſeruit *Jehova*; quo attoniti omnes & conſternati, de ſua jam vita ſoliciti eſſe cœperunt, qui vim erant paraturi atque perniciem alienæ. *Moſen* verò ità compellabat Deus: "*Quouſque tandem patiar provocari me, meáque ſigna & prodigia* contemni omnia, *ab hac incredula* & contumaci *gente? Quin igitur unâ univerſos peſte auferam*, *ex uno populum majorem te*, cui promiſſa mea ſolvam, *producturus.* At *Moſes* confeſtim deprecatus hanc eſt vehementer pœnam; nè anſam hinc arriperent *Ægyptii*, aliæque gentes profanæ, calumniis atque blaſphemiis lacerandi Nomen Divinum, quaſi populum ideo ſuſtulerit, quòd præſtare illis non potuerit promiſſorum fidem. Quare iterum atque iterum obteſtabatur Deum, "ut ſui Sacroſancti Nominis recordaretur; *qui promulgaverat ſe miſericordem atque benignum, clementiâque ſummâ Deum, errata condonantem & noxas & iniquitatem; ſontes verò neutiquam abſolventem, ſed peccatorum pertinaciam in poſteris ulciſcentem ad quartam uſque generationem.* Nunc igitur *populo ut remitteret peccatum hoc pro ſumma ſua benignitate, quemadmodum* & reliqua *ex quo Ægyptum reliquerunt condonavit omnia.* Ità precatus eſt *Moſes*, neque paſſus pietatem ſuam populi pervicaciâ & ingratitudine ſuperari. Suæ autem gloriæ ut conſuleret Deus, hac etiam in re obſecranti *Moſi* annuit; juratus tamen, "perſpecturas totius mundi gentes, peccatum ſe hoc ſeveriſſimè vindicaturum. *Ex iis enim qui ſua in Ægypto atque in deſerto prodigia viderant, decies verò jam provocârunt ſe*, in hoc etiam conſpirârunt facinore, *neminem*

"*om-*

A.M. 2515.

Iſraëlitæ contumaces ad mortem in ſolitudine damnati.

"*omnium hæreditatem promiſſam aditurum.* Itaque *omnes qui* poſtremo *cenſu nu-* "*merati ſunt, præter Joſuam & Calebum, perituros in ſolitudine.* Idque populo renunciari à *Moſe Aaronéque* juſſit, hanc illis pœnam tanti ſceleris à Deo eſſe conſtitutam jurato. "*Liberos eorum, quos prædam* hoſtibus *futuros vociferati ſunt*, poti- "turos aliquando promiſſis Dei, & expugnaturos *Canaanæam. Quot dies dati ſunt* "*terræ perluſtrandæ, tot eos in ſolitudine annis* ſine urbe, ſine lare, ſine ſpe *oberra-* "*turos.* Poſt annos 40, cùm ſatis luiſſent perfidiam ſuam fœdifragi parentes, mor- "tuíque prædam feris dediſſent in deſerto, tum demum ſe in hæreditatem promiſ- "ſam eorum filios immiſſurum. Quare novum indè iter ut inſtituerent imperavit, eâ viâ quæ ad Rubrum duceret mare. Cùm hæc ad populum tradidiſſet mandata Deus, nè verba ſua & minas eluderent, aliquam exegit etiam pœnæ partem continuò ab exploratoribus decem, tantíque autoribus mali, quos peſte confecit repentinâ. Cum his difficultatibus dum conflictabatur *Moſes*, eam Precationem compoſuiſſe nonnulli opinantur, quæ in Libro *Pſalmorum* nonageſimum locum obtinet. Vehementer quidem dolebant *Iſraëlitæ* ſuo damno, cùm ſententiam in ſe Dei accepiſſent à *Moſe.* Manè tamen poſtero, quaſi revocaturi ſententiam hanc, accedebant armati ad *Moſen*, & faſſi leviter peccatum, profecturos aiebant eò jam ſe quò imperabat *Jehova.* Et in montem erant aſcenſuri, cùm à Deo *Moſes* edixit nè vaderent. "Nec "enim id proſperè ſucceſſurum, quod intempeſtivè factum. Hoſtes obſidere montes "inſidiis. Itaque ſi pergerent, perituros. Nec enim illis *Jehovam* in hoc adfutu- "rum incepto. Illi nihilominus, *Jehovæ* neque opem deſiderantes, neque pertimeſcentes minas, ſuis freti viribus, conſcendere montem ſignis explicatis; in caſtris interea cum Arca Dei *Moſe* quieſcente. At celeres contumaciæ ſuæ pœnas dedêre. *Amoræi* enim & *Amalecitæ* adorti ex inſidiis, fuderunt facilè, fugârunt, cecîderunt, & ad *Hormam* uſque per aliquot millia paſſuum perſecuti ſunt. Deinde plurimis illi querelis & precibus Deum fatigavêre, at ſurdum. Extincto igitur furoris igne, longo tempore *Cades-Barneæ* commorati ſunt. (*Deut.* 1.45,46.) Ad irritandum verò tantopere Deum, præter ea quæ *Moſes* commemorat hujus populi peccata, ab *Amoſo* Propheta (cap.5.25,26. *Act.*7.43.) *Molochi* tabernaculum eos portaviſſe, & alia coluiſſe gentium profanarum idola, exprobratur.

§ 46. Interea dum *Cades-Barneæ* populus agebat, (*Num.* 15.32, &c.) *Moſi* & *Aaroni* coram tota multitudine hominem aliqui ſtiterunt, qui Sabbatum violaverat colligendo ligna. Moriendum illi eſſe conſtabat. (*Exod.* 31.13, &c.) Sed quo genere necis nondum prodiderat Deus. Quare in vincula datum dum conſulebatur Deus, obrui lapidibus Oraculum juſſit; quæ pœna erat graviſſima, & aliis deinde omnibus luenda qui Sabbatum profanarent. Alii verò alibi hoc factum ferunt.

Corachus conſpirat

Erat in *Iſraëlitarum* caſtris è *Cohathi* progenie *Levita* nobilis, *Corachus.* Ille, neſcio quâ invidiâ ſtimulatus, ſive quòd *Elizaphanus Vzziele* natus principatu frueretur inter *Cohathitas*, neglecto ſe, *Iſharis* filio majoris, ut aliqui putant *Judæi*; ſive potiùs quòd ſacerdotio ſola fungeretur *Aaronis* familia; (*Num.* 16.10.) contra *Moſen* & *Aaronem* cœpit machinari novas res. Proxima *Cohathitis* ad Meridiem habebant *Rubenitæ* ſua caſtra. Conſuetudine igitur familiari, pellexit principes nonnullos è *Rubenitis* in ſuam conjurationem, *Dathanem* ſcilicet, *Abiramum* & *Onum.*

cum Dathane & Abiramo contra Moſen & Aaronem.

Hi, ex primogenito *Iſraëlis* oriundi, haud ſatis æquo animo ferebant, Sacerdotium à ſe in tribum *Leviticam* eſſe tranſlatum. Ducenti præterea & quinquaginta ex viris inter *Iſraëlitas* primariis unà cum his conſpiravêre, palàm denunciantes *Moſi* & *Aaroni*, "*nimium eos arrogare ſibi*, ut ſacra ſoli facerent: *quippe univerſam populi multi-* "*tudinem ſanctam eſſe* aiebant, *& univerſis intereſſe Deum. Quid ergò ſupra omnes* "*efferant illi ſe?* quid ſolis & regiam poteſtatem & ſacerdotalem vendicent ſibi? Perculſus inopinatâ re & perquam ſibi moleſtâ *Moſes*, protinus in faciem ſe pronus abjecit, quo dolorem ſummum coram populo, & animi demiſſionem ſignificabat coram Deo. Tandem poſt ſuſpiria & vota recollecto animo, "ſe quidem ait omnem rem "judici Deo libentiſſimè permiſſurum. *Eum craſtino manè quos haberet ſanctos, quos* "*elegiſſet, accederéque vellet ad ſe, indicaturum. Singuli ergò ſua pararent thuribula,* "*ignem, & thus. Quemcunque* edito ſigno *eligeret Jehova, is haberetur ſanctus* & "ſacerdos. Nóſne verò, *Corache*, tu arrogantiæ inſimulas, quòd *efferamus nos*, in- "quit *Moſes.* Imò vide nè tuum potiùs, tuum id ſit ipſius vitium. Quid enim? "*Parúmne tibi videtur, quòd adſciverit ſibi Deus vos*, quaſi familiares ſervos, *ut in ta-*

bernaculo

"*bernaculo ſibi* totius populi causâ & primogenitorum vice *miniſtretis*, *niſi & ſacerdo-* A.M. 2515.
"*tium quoque* ambitu nefario *appetatis*, & aſpiretis altiùs quàm patitur Deus? *Id*
"*enim eſt quod agitis*, quod petitis, *quòd inſurgitis contra Jehovam. Quid enim Aa-*
"*ron*, niſi *Jehovæ* miniſter *eſt*? His dictis utrinque diſceditur. Mox *Dathanem* ad ſe revocari & *Abiramum* jubet *Moſes*. Habebat fortaſſe quod cum illis amicè diſceptaret, ut à ſocietate *Corachi* perduellium principis averteret. Illi verò nuncium à *Moſe* cùm accepiſſent, ut accederent ad ſe, fremere protinus & indignari. "Nobiſne, inquiunt, fictus ille mandat rex, ut ad eum aſcendamus? Imò ſub- Convitiantur.
"ditis imperet, atque ſervis ſuis. *Nos* verò non paremus, *non aſcendimus*. *Le-*
"*viàne* jampridem *ab eo patimur*, qui hucuſque aſcendimus fruſtrà; *qui ex terra*
"*omnium feraciſſima ad internecionem in deſerto aſcendimus*, ejus mellita quidem
"ſecuti, ſed mendaciſſima promiſſa? Jam verò *ſupra omnes* inſolenter *extollere unum*
"*ſe ad culmen regium*; ſceptrum ſibi aſſumere, ac in plebem ſuam nos mandata
"ſpargere. Mutavimus tantùm ſervitutem, non excuſſimus; & famelicam hanc
"*Moſis* tyrannidem opulentæ *Pharaonis* prætulimus. Ubi enim illa, quam erat pol-
"licitus nobis in *Ægypto*, *lacte affluens atque melle regio*? Ubi *agri*, *& vineæ*, *&*
"*hæreditas* opima quam prædicabat, poſt annos jam quadraginta demum nobis ade-
"unda mortuis?

"*Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?*

"*Eruetne oculos huic populo*, nè ſua mala, & ejus perſpiciant mendacia? Apagite "verò, ac renunciate regulo veſtro, Non paremus, *non aſcendimus*. *Moſes* cùm hæc audiviſſet, quamvìs homo alioquin manſuetiſſimus, continere ſe ab ira & dolore non potuit; Deúmque protinus magnopere obteſtatus eſt, "*nè accepta haberet eorum* "*munera*. Sibi enim iniquiſſimè convitiari, qui pro viribus eorum ſedulò ac ſtre-"nuè procurâſſet res, damno vel minimo affeciſſet neminem. Deinde *Coracho* edixit à Deo, ut non ipſe modò & *Aaron*, qui de Pontificatu contendere videbantur, ſed & reliqui 250 cum thuribulis adeſſent, adolerentque ſuum ſinguli thus coram *Jehova* ad portam Tabernaculi. Atque hactenus paruerunt omnes. Dúmque agebatur hoc tempore conſtituto, universáque ferè multitudo conflueret, ſummo *Corachi* earúmque partium ſtudio, Gloria *Jehova* conſpiciendam ex Nube ſe dedit, qui *Moſen* & *Aaronem* his compellabat verbis: *Secedite pauliſper vos*, *ab hac ſecedite* infelici *turba*, *ut illam ego deleam ſubitò univerſam*. Ità minaciſſimè prolocutus eſt ille *ignis conſumens Deus*. At verò *Moſes* & *Aaron*, memores atque ſpectantes non tam quid populo, quàm ſe quid eſſet dignum, procidentes in humum, obnixè deprecati ſunt, nè *unius ob noxam in totam ſæviret multitudinem*, ſed ſuum ipſi autores luerent ſcelus. Exoratus facilè ad miſericordiam Deus, moneri populum jubet, (nam conſpecto & minitante Deo in ſua jampridem tentoria diſſipati refugerant,) ut, "ſi ſalvos cuperent ſe, *ab hominum ſeditioſorum tentoriis quàm primùm* "*diſcederent*, *quod eorum eſſet nihil attingerent*. Id enim *ipſis exitio futurum*. Deſcendente igitur cum Senioribus *Moſe*, ac monente populum, à tentoriis *Corachi*, *Dathanis* & *Abirami* undique ſubducebant ſe, ac recedebant longiùs, exſpectaturi quid eſſet novæ rei facturus Deus. *Onum* incepti pœnituiſſe temerarii videtur. *Dathanem* & *Abiramum*, ipſo audaciores *Coracho*, non metus coërcuit, non pudor, quin prodirent præſente in caſtris *Moſe*, ac in oſtiis tentoriorum oſtentarent ſe, unà cum liberis uxoribúſque ſuis. Quos ut *Moſes* conſpexit è longinquo ſuperbientes (quod plerumque fit) ante ruinam, (*Prov.* 16. 18.) ità paucis prolocutus eſt: "*Egóne quæ* "*hactenus geſſerim*, *dictante imperantéque Deo geſſerim*, *an ex meo finxerim cerebro*, *cer-*
"*tum hoc habetote ſignum*, *Iſraëlitæ*. *Hi* quos videtis elatos contumaciſſimæ ſedi-
"tionis autores, *ſi mortem obeant vulgarem*, *aliorúmque more hominum intereant*, impo-
"ſtorem prædicate me, *non Jehovæ nuncium*. *Sin Deus novum produxerit mali genus*,
"perditóſque homines miraculo perdat; *ſi terra dehiſcat abſorbeátque* non opinantes,
"*ità ut vivi deſcendant ad inferos*; *indè irritatum iratúmque Jehovam* facilè *cogno-*
"*ſcetis*, veracémque me. Vix finierat, cùm terra ſubitò contremuit, undantíſque pelagi more fluctuabat. Ea verò mox quæ ſuſtinebat perduelles, immani fragore edito, Puniuntur in terræ hauſti voraginem;

———*Ecce*, *altè præceps humus ore profundo Diſſiluit*,

*Corachúm*que, *Dathanem* & *Abiramum*, unà cum tentoriis, familiis, facultatibúſque omni-

A.M. 2515. omnibus aperta devoravit, concluſáque ſtatim occuluit in æternum. Filios tantùm *Corachi*, (*Num.*26.11.) in aliis fortaſſe tentoriis degentes, aut à patre diſcedentes monente *Moſe*, ut à ſcelere paterno immunes, ità neque pœnæ Deus participes voluit eſſe. Stridorem ejulatúmque pereuntium populus cùm ferre non poſſet, meritóque ſibi ipſe metueret, ſummâ feſtinatione avolabat, nè & ſe in alvum conderet immenſam avida tellus. Ducenti præterea & quinquaginta ſacrificuli flammâ correpti Divinâ conflagrârunt. Thuribula verò quibus obtulerant thus, eò quòd ſacris admota, & Deo erant dedicata, ex incendio tolli Deus imperavit, indéque laminas fieri ductiles, quibus obduceretur altare. Monumenta hæc *Iſraëlitis* futura dixit in poſterum, nè quis præter *Aaronis* familiam, conſecratam à ſe, arroget aſſumâtque ſibi ſacerdotale munus. (*Heb.*5.4.). Hæc *Eleazaro* ut fierent per *Moſen* mandata ſunt; ignémque ſimul profanum ut diſſiparet, quo ſuum novi ſacerdotes adoleverant thus.

& populus contumax peſte afflictus. Nondum ſubacta eſt pertinax & indomita populi contumacia. Poſtridie in *Moſen* & *Aaronem* iterum pro ſuo more convitiis debacchari, *Eos* malis artibus *contrucidâſſe populum Dei.* Et erant coituri jam, ut nefarium aliquod in ſuos Principes facinus ederent, cùm *Jehova*, qui nunquam deeſt ſuorum periculis, iterum ex Nube ſuper Tabernaculum gloriam oſtentat ſuam. Eò *Moſes* igitur atque *Aaron* properè feſtinant, audiúntque vocem Divinam ità compellantem ſe quomodo pridie compellârat, jubentémque ut *recedant ab eo* rebelli *cœtu*, *quem erat uno ſpiritu peſſundaturus omnem.* Quid enim toleret ulteriùs inſanabilem tot experimentis belluæ pervicacis ferociam? *Moſes* & *Aaron*, etſi hæc à Deo dicta ſunt eorum gratiâ, pro ſalute populi tamen, etiam proſtrati, precibus humillimis contenderunt. Tandem id precando conſecutus eſt *Moſes*, ut intelligeret, immiſſam à Deo & ortam eſſe peſtem exitioſam in caſtris *Hebræorum.* Edixit ergò *Aaroni*, ut acerram thure ignéque ſacro plenam arriperet, properaret in caſtra, mediúſque inter vivos atque mortuos expiaret quàm primùm grave hoc populi ſcelus. Id ille cùm feciſſet quantâ potuit feſtinatione, placata eſt ira Dei; at extinctis priùs 14700 repentinâ lue. *Ità currens ira Dei* (ut D. *Hieronymus* ait) *ſacerdotii voce prohibebatur:* quo maximi Sacerdotis *Chriſti*, & Oratoris noſtri apud Deum, typus illuſtriſſimus edebatur. Verùm ſigno illuſtriore aliquo ſuam in conſtituendo ſacerdotio voluntatem perſpicuè declarari voluit Deus, nè qua eſſet hominibus malè-ſanis in poſterum litigandi anſa murmurandíve. Itaque juſſit Principes duodecim tribuum virgas tradere totidem, ſingulis *Moſen* ſui Principis nomen inſcribere; virgæ autem *Levi* nomen *Aaronis.* Has in Tabernaculo coram ſe relinqui. Fore enim ut is cujus virga floreret, Sacerdotio & Pontificatu frueretur. Cùm hæc Dei mandata peregiſſent, poſtridie *Moſes* produxit è Sanctuario virgas. Una omnium *Aaronica* florem emiſerat, amygdaláque matura proferebat. Ità clariſſimo indicio perſpectâ voluntate Dei, in *Aaronis* tandem familia Sacerdotium eſt miraculo confirmatum. Virgam itaque Deus in ipſo adyto ante Arcam ſacram reponi voluit, ut perpetuo ejus miraculi monumento, ambitum deinde ſacrum de miniſteriis Divinis coërceret.

Aaronis virgâ florente,

Dei de ſacerdotio patuit voluntas.

Caſtigatus populus tot plagis timere ſibi jam cœpit, atque *Moſen* implorare "quid "faciant: tot jam Principes periiſſe, qui ſuam ſacris operam obtulerant; *perituros* "& *ſe*, *ad tabernaculum ſi propiùs accedant.* Quærere igitur, Deſtinatíne omnes ad "necem? Quid faciant? Ut hunc populo timorem eximeret Deus, iterum Sacerdotibus atque *Levitis* aſſignavit ſuas partes in Tabernaculo, Divinâque re procurandâ. Illis ait vitio daturum ſe, (*Num.*18.22,23.) ſi quid populus in ſacris offenderet, accederétve juſto propiùs ad Tabernaculum, cujus vice gratiâque *Levitæ* miniſtrabant & Sacerdotes. Nec partes modò, ſed & portiones è ſacris ſuas *Levitis*, ſuáſque Sacerdotibus diſtribuit, nè operariis deeſſet ſua merces: de quibus alibi eſt à nobis prædictum ſatís. Hæc omnia *Machelothis* contigiſſe aliqui ſuſpicantur in caſtris 22. Quippe *Congregationem* ſeu *Conventum* ſignificat ea vox. Alii *Taræ* 24. Tandem *Iſraëlitæ*, *Rithmâ* relictâ, novum iter capeſſiverunt ad Rubrum mare. Triginta octóque ferè annis peragraverunt deſertum, & multa caſtris loca nobilitârunt, geſtis memorabilibus ferè nullum. Caſtris triceſimis ſecundis *Ezion-Geberem* attigerunt, (*Deut.*2.8. *Num.*33.35.) urbem maritimam ſinûs *Arabici*, & portu celebrem. (1 *Reg.*9.26. & 22.48.)

A.M. 2523. § 47. *Belus*, ſive *Acencheres* ſecundus, *Ægyptiorum* rex, ex *Anchinoë Nili* filia, geminos

geminos genuit, *Armaïn*, (eundem *Græci Danaüm* vocant,) *Ægyptum*que fratrem. Habuit deinde *Cepheum* atque *Phineum*, autore *Euripide*. Quos omnes in vicinas emiſit regiones, coloniarum totidem duces. *Armaïs*, ſeu *Danaüs*, ad *Libyam* incolendam profectus eſt: *Ægyptus* ad *Arabiam Africanam*. *Cepheum* atque *Phineum* in *Æthiopiam* pater amandavit. *Ægyptus* cùm ſubegiſſet *Melampodas* vicinos, eorum à ſe denominari terram voluit. (*Apollod.*2.) *Cepheum* & *Phinea Phœnices Agenoris Tyriorum* regis filios, aut ex *Phœnice* nepotes, fuiſſe contendebant; *Andromedam*que *Perſei* uxorem, *Cephei* natam, ſibi vendicabant. Eos in *Perſiam* traducit *Herodotus*: (lib.7.) qua de re alibi eſt agendum. A.M. 2523.

Filius *Crotopi Sthenelas*, *Sthenelus*, & *Stheneleus*, patre mortuo *Argivis* imperavit ann. 11.

Belus, ſive *Acencheres* ſecundus, in *Ægypto* poſt annos imperii 12 menſéſque 3 obiit. *Armaïs*, idem & *Danaüs Græcis*, quatuor deinde annos menſémque unum dominatus eſt. Frater *Beli Agenor* claſſe præparatâ in *Phœniciam* copias trajecit, occupavítque *Tyrum*, (*Apollod.*2.) ac totius fortaſſe regionis imperium. Neque prorſus incredibile videtur, ideo emiſſum ab *Ægyptiis* cum exercitu fuiſſe *Agenorem*, ut *Iſraëlitarum* hoſtium conatus in *Canaanæa* pro viribus impediret. Moleſtos enim infeſtóſque vicinos ſibi futuros meritò ſuſpicari poterant. *Phœnicia* enim, *Syriæ* pars nobilis, anguſta eſt regio, ad *Syriacum* protenſa mare, à fluvio *Chorſeo* ferè, qui *Hebræis Megiddo* vocatur, in meridiana parte, uſque ad *Eleutherum* amnem, Borealem terminum; qui ad *Aradum* inſulam ſeparat à *Phœnicia Caſſiotin*. *Cœleſyri* & *Judæi* premebant ab Oriente. Urbes antiquæ ac dominæ hujus tractûs, & Mediterranei quondam maris, *magna Sidon*, & *munita Tyrus*, ut *Joſuæ* 19.28, 29. appellantur. Et *Sidonem Pompon. Mela* opulentam, urbiúmque maritimarum maximam ait fuiſſe, antequam à *Perſis*, *Cambyſe* duce, caperetur: habitáque eſt vitri artifex prima; quod ex arenis *Beli* amnis, ex monte defluentis *Carmelo*, inprimis enatum ferunt. Quingentorum erat paſſuum non ampliùs littoris ſpatium; idque tantùm multa per ſecula gignendo fuit vitro. *Fama eſt, appulsâ nave mercatorum nitri, cùm ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis tollendis lapidum occaſio, glebas nitri è nave ſubdidiſſe; quibus accenſis permiſtâ arenâ littoris, tranſlucentes nobilis liquoris fluxiſſe rivos; & hanc fuiſſe originem vitri.* (*Plin.*36.26.) *Tyrus partu clara*, (ut ait *Plinius* 5.19.) *urbibus genitis*, Lepti, *Uticâ*, *& illâ Romani imperii æmulâ Carthagine; etiam Gadibus extra orbem conditis.* *Tyri* florem decerpſit *Alexander Macedo*. *Adonis* quoque fluvius & *Leontes* in mare *Phœnicium* profluunt, ex monte *Libano* ille, hic autem ex *Anti-Libano*. Ex eodem fluvio *Belo*, ſeu *Bageda*, (*Plin.* 5. 19.) unde olim *Sidonii* conflabant vitrum, etiam *Veneti* arenas auferunt, unde vitrum illud perlucidum conficiunt *Muranæ*. Utrùm à *Phœnice* quodam patre *Agenoris*, filióve, an à palmarum copia, quas φοίνικας appellant *Græci*, gens regióque nomen contraxerit, minimè conſtat; an à *Syriaco Hebraïcó*que *Phœnice*, *luxum* & *delicias* ſignificante: (*Luc.*7.25.) quomodo *Sidonios* fortaſſe *Tyrióſ*que primò finitimi, quaſi delicatos & luxurioſos, nuncupârunt; indè *Græci* poſtea *Latini*que. (*Nic. Fulleri* conjectura eſt hæc Miſcell. 1. 11.) Sed à Palma dactylifera *Græci* nominis probabilior eſt origo, autorémque habuit *Calliſthenem*. Populum ait *Pomp. Mela ſolers hominum fuiſſe genus, & ad belli paciſque munia eximium. Mare navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum præliúmque commenti.* A.M. 2526. Ex *Ægypto Agenor* in *Phœniciam* concedit:

In pelago *Ægæo Thraciæ* obverſatur ante *Hebrum* fluvium inſula. Primò *Leucoſiam*, deinde *Dardaniam*, poſtea vocabant *Samum*, à *Samo* filio *Mercurii* ex *Rhena Cyllenide*. (*Dionyſ.Halic.*) *Saon Diodoro* dicitur, *Saos* idem *Ariſtoteli*; & ab eo *Samon*, literâ [*m*] interpoſitâ, dictam vult. Tandem, ut à *Samo Ionica* diſtingueretur, *Samothracia* & *Samothrace* appellabatur: quæ 32 mill paſſ. colligit in circuitu, à Continente abeſt 38. Ferunt ſubmerſa hujus inſulæ campeſtria fuiſſe incurſu maris ante *Deucalionis* cladem. Hominum qui evadere poterant, in loca editiora profugiſſe multos, ac remittentibus undis ſalutis terminos poſuiſſe variis in locis, atque aras, in quibus deinde per multa ſecula divinam faciebant rem. Populum diſperſum, à *Saone* (quem dixi) collectum, & ſocietate mutuâ colligatum; qui & leges dedit, multitudinémque in tribus quinque diſtribuit, filiorum ſuorum notas atque diſcretas nominibus. Apud hos editi feruntur, *Jove* (ut fingunt) patre, ex *Atlantis* filia *Electra*, *Dardanus*, *Iaſion*, & (ſi qua illis fides) *Harmonia*; quam alii *Martis Veneriſ*que natam fabulantur. *Dardanus* quidem, vir magnanimus, anguſtiis inſulæ A.M. 2527. è *Samothrace Dardanus* in *Phrygiam*.

A.M. 2527. ſulæ concludi ſe non ferebat. In *Aſiam* ergò trajecit vicinam ad *Teucrum* regem, qui tum temporis in ora maritima *Phrygiæ* Minoris dominabatur. Eum *Scamandro* genitum ait *Apollodorus*, qui fluvio in *Troade* nomen dedit, & nymphâ *Idæâ*. Eundem vicinos fluvio populos in unam imperii formam ſuámque ditionem redegiſſe, qui *Teucri* deinde appellati ſunt. Hujus filiam *Bateam* (alii *Ariſbam* vocant) cùm accepiſſet uxorem *Dardanus*, tandem obeunte ſocero, *Teucrorum* ſuſcepit imperium, tenuítque annis 65. Oppidum & ipſe condidit in littore, quod ſuo nomine *Dardanum* nuncupavit, *Dardanóſ*que populum. Alias quoque in vicinia gentes ſuæ ditioni addidit. Hæc ferè *Diodorus*. Alii *Auſonem* fuiſſe *Atlantem* ſcribunt. Ejus filiam *Electram*, *Oorytho* nuptam regi *Hetruriæ*, *Dardanum* peperiſſe & *Iaſium*.

———*Hinc Dardanus ortus Iaſiúſque pater*; ait *Virgilius*, (*Æn*.3.)

In *Samothracia* *Dardanum* ex *Chryſa* uxore *Idæum* & *Dimanta* genuiſſe. *Dionyſius Halicarnaſſ.* (1.) *Arcadem* fuiſſe *Atlantem* vult, cujus nepos *Dardanus* ex *Chryſe Pallantis* filia *Idæum* atque *Dimanta* ſuſtulit: ſtagnantéque paludibus *Arcadiâ* poſt magnam eluvionem, cùm alendæ multitudini non ſufficerent montes, *Dimante* relicto rege *Arcadum*, *Idæus* in *Samothracen* profectus eſt cum claſſe magnâque populi parte. Indè mox in *Phrygiam* plurimi *Dardanum* ſecuti ſunt ducem; ubi cum parte copiarum *Idæus* montes tenuit *Idæos*, templóque Matri deûm conſtructo, initiationes & orgia deæ inſtituit, *Dardano* interim ad *Teucrum* profecto; cujus ex filia neptéve *Batea* filios *Erichthonium* ſuſcepit atque *Zacynthum*. Alio in loco *Chryſen* ait *Dionyſius* *Dardani* uxorem pro dote *Palladium* attuliſſe, deorúmque Magnorum ſimulacra, quorum ceremonias didicerat. Iis templum in *Samothracia* ſtatuiſſe *Dardanum* & ceremonias, nominibus arcanis; ſimulacra ipſa in *Aſiam* tranſtuliſſe, ubi cùm oraculum de ſedibus urbéque nova conſuleret, juſſus eſt cultum in urbe ſua *Palladio* & *Penatibus* diis ſanctum exhibere, ceremoniis debitis, ſacrificiis atque choreis, cuſtodiíſque tutis. Ità ſalvis apud ſe ritéque cultis *Palladio* & Magnis diis, urbem ipſam perpetuò ſalvam fore. *Servius* ex *Trogo* paulò altiùs repetit de *Teucro*. *Scamandrum* ait *Cretenſem*, cùm inopiâ frugum laboraret inſula, ad novas ſedes alibi quærendas profectum, unà cum populi tertia parte. Eundem ab oraculo monitum, ut ibi ſedem figeret ubi à terrigenis noctu eſſet oppugnatus: poſitis in *Phrygia* Minore caſtris, mures dormientibus arcuum nervos & loramenta armorum arroſiſſe: *Scamandrum*, hos interpretatum hoſtes terrigenas, in *Idæ* montis proximi radicibus oppidum ſtatuiſſe. Cùm autem contra *Bebrycas* finitimos dimicans, victor jam in *Xanthum* fluvium collapſus fortè interiiſſet, ab eo *Scamandri* eſt fluvio nomen datum, filio regnum *Teucro*. Quoniam verò *Cretenſes* murem *Sminthicen* appellabant, *Apollini Smintheo* *Teucer* ædem conſtituit; *Idámque* *Phrygiæ* montem ab *Ida Cretæ* denominavit. Unde *Virgilius*, (*Æneid*.3.)

Maximus indè pater (ex *Creta* vult) ———
Teucrus Rhœtæas primùm eſt advectus in oras,
Optavitque locum regno, &c.

Euſtathius (ex *Arriano*) tradit, duas *Dardanum* *Teucri* duxiſſe filias, *Bateam* & *Neſonem*. Et ex *Neſone* filiam ei natam, primam vatum quæ *Sibyllæ* vocabantur; à qua & aliæ id nominis adeptæ ſunt, quæ ſimiliter deum paterentur. Frater *Dardani Iaſion*, (ex *Corytho*, ait *Servius*, non ex *Jove*,) formoſiſſimus vir, (*Hygin*. Fab. 270.) & agriculturæ ſtudioſiſſimus, quia *Ceres* illum amaviſſe fingitur; unde *Plutus* natus eſt, hoc eſt, *opes cumulatæ*; Ille, inquam, Matris deûm & *Cabirorum* myſteria occultóſque ritus, antea receptos in *Samothrace*, (monſtrante, ut ferunt, *Jove*,) inſtauravit, quos nemini præter initiatos audire fas erat. *Herodotus* (lib.2.) à *Pelaſgis* religionem hanc accepiſſe *Samothraces* narrat. Videtur & exteros quoque *Iaſion* initiâſſe primus, quò majorem ceremoniis celebritatem conciliaret. Eum *Hyginus* tradit ab equis diſcerptum; (Fab. 250.) *Apollodorus*, (lib.3.) cùm *Cererem* deperiret, offerréque pararet vim, *Jovis* fulmine trajectum; at *Apollonii* Scholiaſtes, eò quòd *Cereris* ſtatuam contumeliâ affeciſſet. E *Cybele* uxore *Corybantem* genuiſſe *Samothraces* narrabant; quæ cum filio poſt obitum conjugis ad *Dardanum* in *Phrygiam* eſt profecta, & ſacra Matris deûm tranſtulit in *Aſiam*. Deinde *Olympo* primo nupta peperit *Alcen*, quam ſuo nomine *Cybelen* deam appellavit. *Corybantem* verò *Theben Cilicis Agenoridæ* filiam duxiſſe uxorem; cúmque miniſtros ſacra ſuæ

ma-

A.M. 2527.

matris obeuntes cum lymphatico furore, ſuo *Corybantum* donaviſſet nomine, ea tandem cum ſacris confuſa Matris deûm tradit *Diodorus*, (4.6. & 5.11.) Sed ipſum quoque *Dardanum* ſacra Matris deûm *Aſiaticis* tradidiſſe auctor *Euſebius*. (Præpar.2. 3.) Credebant Veteres, *Cabirorum* numina initiatis adfuiſſe, auxilium ſæpius attuliſſe non opinatum in periculis, maximè in tempeſtatibus incolumes præſtitiſſe. Itaque plurimos Heroüm veterum, *Dioſcuros*, *Herculem*, *Orpheum* & alios, his initiatos ſacris, horum ope numinum, bellis, navigationibus, rebúſque aliis proſperis uſos prædicabant: Iram verò *Cabirorum* & offenſionem inexorabilem fuiſſe. Apud *Apollonii Rhodii* Interpretem, ex *Mnaſea* & *Dionyſodoro*, arcanis *Samothracum* diis hæc nomina tribuuntur: *Axierus*, quod *Cereris* fuit; *Axiocerſa*, quod *Proſerpinæ*; & *Axiocerſus*, quod *Plutonis*: quibus quartum accedebat *Caſmilus*, quod *Mercurium* ſignificabat. *Mercurium* & *Tuſcis Camillum* dictum *Macrobius* docet. (*Saturn.* 3.8.) *Caſmilum Varro* (de Lingu. *Lat.* 6.) *Dium* quendam adminiſtrum diis Magnis nominari vult. Deos verò Magnos, Δυνατὲς *Græcè*, in libris Augurum (apud *Romanos*) *Divos Potes*, Terram & Cœlum eſſe. (Ibid. lib.4.) Ex *Varrone Macrobius* (*Saturn.* 3.4.) ait, *Dardanum* deos Penates è *Samothrace* in *Phrygiam*, ex *Troja* in *Italiam* poſtea *Æneam* detuliſſe. Eoſdem ex *Caſſio Hemina* refert dici *Magnos*, *Bonos*, atque *Potentes* deos. Unde illud *Maronis*, (*Æneid.* 3.)

Cum ſociis, natóque, Penatibus, & Magnis diis.

Plinius (36. 5.) ait *Venerem*, & *Pithon* & *Phaëtontem Samothraciæ* fuiſſe ſanctiſſimis ceremoniis cultos. Sed *Cabirorum* nomina orgiáque myſtica in vulgus efferre nefas habebatur. (*Pauſ. Bœot.*) *Cabiros* etiam *Lemnii* colebant, & honorabant feſto, quod *Cabiria* vocabant: autoréque *Methapo Athenienſi*, cultum eundem ſunt amplexi *Thebani*, poſitâ *Cabiris* æde. (*Pauſ.* ibid.) Et ſacra *Cabiris* fuit *Imbrus* inſula. (*Stephan.*) In *Lemno* autem ſacra nocturno aditu occulta colebantur. (*Cicer.* de Nat. deor.1.) Horum myſteriis initiandi collocabantur in ſolio, aliis interea myſtis agitantibus in circulo choreas. (*Platon. Euthyd.*) Qui ritus θρονισμὸς & θρόνωσις dicebatur. Iidem faſciâ purpureâ ventrem circumligabant, (Scholiaſt. *Apollon.*) & caput oleæ germine coronabant. (*Proclus* in *Platon.* de Rep.) Myſterium verò *Cabirorum* quod tantopere arcanum eſſe voluerunt, *Arnobius* (lib.5.) prodit eſſe parricidium, fratrem unum à duobus trucidatum. Itaque cædis rei ad *Cabirorum* ſacerdotem confugiebant qui luſtraret. Is Κοίης & Κόης dicebatur, teſte *Heſychio*. Dictos alii *Cabiros* à *Cabiris Phrygiæ* montibus, à *Berecynthia Cabiro* alii volunt: & *Vulcanum* ex *Cabera Protei* filia *Caberos* genuiſſe tres, nymphâſque totidem *Caberidas*, *Pherecydes* tradit, & utriſque templa fuiſſe dedicata. Sed hos à *Camillo* procreatos *Acuſilaus* vult, à *Vulcano* è *Cabira Camillum*. *Cabirorum* in *Ægypto* etiam religio *Memphi* atque templum fuit, quò nemini præter ſacerdotem ingredi fas. Sed ingreſſum evertiſſe omnia *Cambyſem Perſam* atque incendiſſe, tradit *Herodotus*. *Dardani*, quem diximus, colonia dicitur & *Dardanorum* ſupra *Thraciam* gens.

A.M. 2530.

Danaüs, ex Ægypto fugatus,

Hoc anno *Armaïs* ſive *Danaüs* ex *Ægypto* pulſus eſt ab *Ægypto* fratre, qui apud ſuos appellabatur *Sethoſis*. Ità narrat *Joſephus* (contra *Appion.* 1.) ex *Manethone*. Ab *Ægypto* rege regionem univerſam appellaverunt *Ægyptum Græci*, quo *Nilum* nomine fluvium priùs vocaverant. Ipſa enim regio *Æria Græcis* dicebatur. *Danaüs* in *Græciam* profecturus, primò in *Rhodum* appulit. Eam tenebant *Cercaphi* & *Gydippes* filii tres, *Lindus*, *Ialyſus*, atque *Camirus*; qui poſt alteram inundationem partiti erant inſulam, & ſuam ſinguli urbem condiderant, *Lindum*, *Camirum*, & *Ialyſum*. *Lindiæ Minervæ Danaüs* cùm templum poſuiſſet & ſtatuam, tribus filiarum amiſſis in *Rhodo*, ad ſuos *Argis* in *Græcia* conſanguineos iter inſtituit. (*Diodor.* 5.13.) Ex *Chemmi* urbe *Thebaïdis* provinciæ *Danaüm* eſſe ortum *Herodotus* tradit. Sed ab *Ægypto* alio nomen regioni datum, ex *Diodoro* jampridem diximus, quem virtutis laude celeberrimum *Nilus* genuerat ex *Uchorei* filia *Memphi*. Nec ipſe tamen *Diodorus*, aut *Joſephus*, aut *Manetho* ſibi conſtare videtur hac in re. Quod enim in hoc catalogo planè omittitur, tradit (ibid.) *Joſephus*, *Armaïs* fratrem *Sethoſin*, dum ipſe magnis copiis ad expugnandam *Cyprum* atque *Phœnicen*, *Mediam Aſſyriámque* proficiſcebatur, regni procurationem tradidiſſe fratri. Fratrem pro libidine geſſiſſe omnia, & quaſi regem ſe, non vicarium. Antiſtitem ſacrorum per codicillos clàm *Sethoſin* monuiſſe, qui repentè cum exercitu ad *Peluſium* rediit,

diit,

A.M. 2530. diit, fratrémque abegit in fugam. Eundem *Ægyptum* regnaviſſe annis 43 tradit *Stephanus*, (in *Ethnic.*) Eundem *Seſöoſin* fuiſſe apud *Diodorum*, & *Seſoſtrin* apud *Herodotum* atque *Strabonem*, *Joſ. Scaliger* opinatur. At in Dynaſtia 12. *Seſoſtrin* ex *Manethone* idem *Joſephus* collocat, in 19. *Sethoſin*. Æqui lectores veniam dent, ſi parùm conſentanea ſcribere videamur nos, cùm Autores unde haurimus ipſis repugnent ſibi. *Diodorus* quoque alium fuiſſe hunc *Ægyptum*, alium *Seſöoſin* ſive *Seſoſtrin* vult.

A.M. 2531. Poſt *Armaïn* ferunt *Armeſin* (qui *Ægyptus* idem & *Sethoſis* appellari videtur) in *Ægypto* regnâſſe annum unum atque menſes 4. Deinde *Armeſeſmiamunem* annis 66 & menſ. 2.

2534. *occupat regnum Argis;* Cùm *Sthenelas* obiiſſet, filius *Gelanor* tractare cœpit imperium *Argis*. Sed anno regni primo nondum exacto, aderat cum *Ægyptiorum* claſſe *Danaüs*. Primum nave in *Græciam* adveniſſe ait *Plinius*, (7.56.) Antè ratibus navigabatur: 50 remorum nave, ſcribit *Apollodorus*, tum primùm inventâ ſibi à numero filiarum. Si credibile ſit, jampridem ei natas fuiſſe tot filias, cui vitæ anni ſupererant adhuc 50 & amplius. Ad vicum *Apobathmos* in *Argolide* copias expoſuiſſe dicitur. Indè *Argos* profectus poſtulavit ſibi regnum tradi, tum quòd ab *Epapho* & *Io*, & *Argo* & *Inacho* eſſet oriundus; tum quòd majora eſſet in publicam rem collaturus beneficia, quàm qui nuper immaturus juvenis ad regnum admiſſus eſt *Gelanor*. Cùm uterque pro ſe multa & juri conſentanea coram populo diceret, dubia viſa res, ac propterea in craſtinum eſt ampliata. Poſtridie accidit primâ luce, ut in armentum boum paſcentium in pomœrio impetum faceret lupus, taurum ipſum adortus ducem. Viſum eſt *Argivis* in tauro, animali domeſtico & familiari, *Gelanoris* agi cauſam; in lupo, *Danaï* peregrini. Cùm igitur lupus taurum confeciſſet, quaſi arbitrio deorum è nata re imperium eſt *Danao* delatum. *Danaüs* ab *Apolline* immiſſum lupum interpretatus, quòd orto primùm Sole adveniſſet, templum *Apollini Lycio* magnificum dedicavit, cum ſtatua (quales erant *Ægyptiis*) lignea. Monſtrabatur in eo templo poſtea (*Pauſaniâ* autore in *Corinth.*) *Danaï* ſolium, & portantis taurum ſtatua *Bitonis*. Cùm enim ſacra *Jovis* pompâ ſolenni *Nemeam* deducerentur, ille bovem ſolus humeris ſublatum deportavit. Juxtà in eodem delubro ignem perpetuum *Phoronei* accendebant, qui apud eos aut invenit ignem primus, aut conſervandi rationem docuit. (*Pauſ.* ib.) Annis imperavit 50 *Danaüs*. Idem conſtruxiſſe arcem *Argis* dicitur *Lariſſam*, (*Strabo* 8.) populúmque appellaviſſe *Danaos*. edicto edito, qui *Pelaſgiotæ* antea dicti ſunt, vel *Argivi* potiús. Idem fodere puteos docuit; (*Plin.* 7.56.) quo *Argos* δίψιον & ἄνυδρον, id eſt, aridum & ſiticuloſum, aquis abunde recreavit. *Argolidi* quidem regioni non deerant aquæ, ſed urbi tantúm: quam penuriam puteis & inſtrumentis quibúſdam aquaticis levâſſe *Danaüm* ejúſque filias ferunt.

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον. (*Strabo* 8.)

A.M. 2535. *Lacedæmon Spartæ.* *Eurotas*, *Lelegum* in *Apia* rex, cùm è vita deceſſiſſet, nullâ relictâ ſobole virili, regnum genero *Lacedæmoni* reliquit. Hunc *Jove* natum prædicabant, & *Taygetâ Atlantis* filiâ, quæ monti nomen *Taygeto* dedit. Alii *Meſſenæ* filium & *Polycaonis* malunt eſſe. Uxorem duxerat *Sparten Eurotæ* filiam; útque primum acceſſit ad imperium, regioni & populo de ſe nomina fecit, ut *Lacedæmonia Lacedæmonii*que dicerentur: urbem verò, quam ad *Eurotam* fluvium condidit, uxoris nomine appellavit *Spartam*. Sed & ejus nomen à regione tandem in urbem quoque tranſiit; nec *Sparta* modò, ſed etiam *Lacedæmon* eſt nuncupata. (*Pauſ. Lac.*) Annos 40 circiter imperavit. *Gratiis* eum ferunt ædem dedicâſſe, ac impoſuiſſe nomina *Cletæ* ac *Phaennæ*; quas *Athenienſes Auxo* & *Hegemonen* vocabant. (*Pauſ. Bœot.*)

Hâc ætate *Apteras* (*Pauſaniæ Pteras*) *Apteram* in *Creta* urbem condidit: quibus poſtea in locis dominatus eſt *Lapes*. (*Euſeb.* Chronic.)

A.M. 2553. *Iſraëlitis murmurantibus,* § 48. Perierat ferè jam rebellium *Iſraëlitarum* generatio prima, haud meliore multò ſobole relictâ. Redituri enim jam *Ezion-Gebere* verſus *Canaanæam*, ad urbem in deſerto *Zinis Cadeſhum* pervenerant menſe primo anni quadrageſimi poſt reditum ex *Ægypto*, caſtráque poſuerant triceſima tertia. Cùm autem hîc etiam aquæ deeſſent, haud ſegniùs murmura vibrabant convitiorúmque tela in *Moſen*, quàm parentes eórum *Raphidimis* olim; & iiſdem, quibus antea ſolebant, etiam querelis laceſſebant Deum. A furore multitudinis ad præſidium Nubis confugere *Moſes* & *Aaron*. Illic proſternere ſe, atque opem Numinis implorare, donec & videndum ſe

illis

illis & audiendum exhibuit. Virgam *Aaronis* arripere *Moſen* jubet; utrumque rupi propinquæ ut effundat aquas imperare, populo præſente audientéque. At hoc non *Aaron* modò ſed & *Moſes* mirari quid ſibi vellet, nec ſatis Deo fidere, audituram eſſe rupem ſe, mandatíſve hominum obſecuturam. Qui ſaxum auſculaturum debuerat, populum compellat *Moſes* planè ſurdum, ídque ſolito iracundiùs: (*Pſal.* 106.33.) *Quid*, inquit, *vultis, perduelles? An ut è ſaxo vobis hoc eliciamus aquam?* Rupi deinde non illi præcipiunt quod erat mandatum à Deo, ſed facit virgâ ſuâ vim quantam poteſt *Moſes*; &, veritus nè uno ictu minùs profeciſſet, ferit bis. Senſit hominum incredulitatem ſubiratus *Jehova* multis indiciis: &, nè illi publicè peccarent in ſe impuniùs quàm cæteri, denunciavit, quoniam Divinæ gloriæ coram populo ſuâ diffidentiâ obſtitiſſent, aliis populum ducibus Terram illam beatam occupaturos; ipſos verò, unà cum prima rebellium *Iſraëlitarum* generatione, in deſerto eſſe morituros. Peccaverat quidem antehac diffidentiâ *Moſes*: (*Num.* 11.21,22.) ſed peccaverat privatim, neminéque præter Deum conſcio. Quare minùs offecerat gloriæ Divinæ. Publica peccata quibus læditur Majeſtas Dei, nè in ſuis quidem impunita eſſe vult. Hinc igitur & loco nomen, ut *Raphidimis* olim ante annos ferè 40, *Meriba* datum fuit, hoc eſt, *Contentio*. Aqua tamen, percutiente *Moſe*, affatim profluxit ex rupe, quâ & hominum ſaturata eſt jumentorúmque omnium ſitis.

A.M. 2553.

diffiſi Deo *Moſes* & *Aaron*

prohibentur *Canaanæâ*:

Caſtra jam in finibus *Idumææ* montíſque *Seiris* poſuerant *Iſraëlitæ*, quà patuit in *Canaanæam* breviſſimum iter, & maximè commodum. *Idumæos* verò nè quo damno afficerent ſeriò monuerat Deus: (*Deut.* 2.4, &c. & 23.7.) *Edomi* enim poſteris eam ſe tradidiſſe terram, (*Deut.* 32.8.) *Abrahami* & *Iſaaci* gratiâ, ut *Canaanæam* promiſerat *Iſraëli*. Miſſi ergò ſunt ad regem legati, qui peterent tranſeundi veniam, ac nunciarent, "ſe ab *Iſraëlitis* adeſſe eorum conſanguineis, quorum illos minimè latere poſſent res: ut in *Ægyptum* olim deſcenderint; ut longâ & gravi ſervitute ibidem oppreſſi, *Jehovæ* imploraverint opem, patrii Numinis; ut exoratus ille Angelum emiſerit, aſſeruerítque ſe in libertatem; ut *Cadeſhi* denique hæreant jam in *Canaanæam* profecturi, promiſſam ſuis majoribus à Deo. Petere igitur obnixè, per fraterna *Eſavi Jacobi*que nomina, per omnia conſanguinitatis jura, ut liceat ſibi per *Idumæam* viâ tantùm publicâ perambulare: pretio ſibi mercaturos omnia quæ futura ſint opus, vi aut fraude contrectaturos nihil. Viæ tantùm regiæ copiam ſibi fieri precibus humillimis contendere. *Idumæus*, qui noverat tantum hoſpitem difficiliùs ejici quàm non admitti, tutiúſque ſuis viribus atque armis credere, quàm aliorum vel cognatorum verbis molliſſimis fidere atque promiſſis, daturum ſe per ſuam ditionem tranſitum pernegavit. Ac protinus in procinctu ſtetit cum exercitu ingenti. Cùm experiri armis non liceret, (vetuerat enim Deus,) aliam ingrediuntur viam *Iſraëlitæ*, longo circuitu per deſerta difficillimam. Ac primo itinere montem *Horem* aſſequuntur: quem *Joſephus* ait agrum claudere urbis *Arabum* primariæ, quam *Arcen* olim, poſtea *Petram* vocaverunt. (Antiq.4.4.) Hunc locum *Aben-Ezra Judæus Moſeram* putat appellari (*Deut.* 10.6.) Nec immeritò, ſi vera ſint quæ habet *Raleius*, *Horem* & *Moſeram*, ſeu *Moſerothas* (*Num.* 33.30.) numero plurali, montium eorundem eſſe duos vertices, quod de *Sina* & *Horebo* dictum eſt. Alii potiùs *Moſeram*, ubi caſtra vigeſima ſeptima metati ſunt *Iſraëlitæ*, ad *Horis* latiſſimè patentis radices poſitam eſſe, longè diſſitas ab hoc montis jugo. Exſecuturus jam Deus quod *Aaroni* minitatus erat ac *Moſi*, *Aaronem* jubet in hunc montem aſcendere, comitari *Moſen* filiúmque *Eleazarum*; veſtes pontificales, exuto patre, indui filio. Hîc enim ſtatui terminum *Aaronicæ* peregrinationis, nec eum ulteriùs perrecturum in promiſſam patribus terram, quam rebellibus infidelibúſque attingere ſit nefas. Peractis igitur quæ Deus mandaverat, cùm *Eleazarus* atque *Moſes* deſcenderent ex monte ſoli, mortuo illic & ſepulto *Aarone*, (*Deut.* 10.6. *Num.* 20.28.) populus eum univerſus 30 pullatus dies planctibus & luctu eſt, pro more temporum, honorificè proſecutus. Menſis quinti defunctus eſt *Aaron* primo die, (*Num.* 33.38,39.) cùm vitæ peregiſſet annos 123. *Mariam* ſororem ejuſdem anni menſe primo *Cadeſhi* amiſerat. (*Num.* 20.1.) Cujus exſtitiſſe illic ſepulchrum ſuâ ætate S. *Hieronymus* tradit.

quò tranſitum *Idumæus* negat.

In *Hore* monte *Aaron* moritur.

§ 49. Sub *Hore* monte dum *Iſraëlitæ* morabantur, *Aradis* rex, eâ quâ ſunt *Iſraëlitici* exploratores olim ingreſſi viâ, ex plaga meridionali *Canaanææ*, adoritur caſtra *Hebræorum*; quos reperit repugnantes fundit, captivámque abducit turbam. Paſ-

Aradæus debellatur *Hormæ*.

ſus

A.M. 2553. ſus eſt *Jehova* primo conflictu debellari populum ſuum, nè ſuis nimium viribus tribuerent. Nondum ſcilicet Divinum imploraverant auxilium. Experti quantum id ſibi opus eſſet, & pugnaturi denuo, devovent, ſi potiantur victoriâ, hoſtes neci, prædam *Jehovæ*. Exauditi ſunt, victíſque *Aradæis* compotes voti; quo ſe poſt aliquot annos *Arade* captâ liberârunt. (*Joſ.*12.14. *Jud.*1.17.) Indè loco nomen eſt *Horma* datum, à *devovendo*, quod memoriam illis tum beneficii Divini, tum ſui voti refricaret. Ut circumirent *Idumæam*, quam penetrare non licuit, iterum per ſolitudines divertebant ad *Erythræum* mare, itinere longo & permoleſto. Impiis ergò parentibus haud inficianda proles, in ipſum *Jehovam* atque *Moſen* linguarum ſpicula jaculantur haud novo more. "Eheu! inquiunt, miſeri quouſque tandem "languida trahemus membra progrediendo, regrediendo in his arenis? Húccine "verò *ex Ægypto ad necem traducti ſumus?* Nihil eſt enim quo vivamus præter "hoc inane cœlum. Siliqua *levis* pro *pane*, pro potu nobis arena traditur. Pro "vino eſſet *aqua*, ſi modò eſſet. Penè jam ad ſeditionem ſpectabat res, cùm Deus, ora blaſphema ut comprimeret, ſerpentes in eos concitavit; volatiléſne illos apud *Eſaiam*, (14.29. & 30.6.) an preſteres, ut aliqui malunt eſſe? haud dubiè peſtiferos, qui aculeis ardentibus linguarum venenatarum aculeos retunderent. Qui modò aquam tantopere deſiderabant, fontes atque flumina jam fruſtrà exhauriunt. Aqua nulla ſufficit arentibus ardentibúſque faucibus, ad ſanitatem: ſed

Serpentibus exitioſis

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Quid faciant? Suo ſe peccato accerſiviſſe noverant hoc malum, ſuâ tantùm pœnitentiâ redimendum. Quare ſupplices ad *Moſen* & ſcelus confitentes eunt, obſecrantéſque, ut ſuis precibus apud Deum ſerpentes abigat exitioſos. Et precatus quidem eſt *Moſes* vehementer. Abigi tamen ſerpentes noluit Deus, neque prohiberi nè eſſent, ſed nè nocerent. Sanari potiùs morbum quàm impediri placuit. Ex ære igitur ſimilem juſſit ſerpentem fieri, perticæque imponi, ut ægris in eum intuentibus redderetur ſalus. Simulata res veræ vim ſuſtulit; plúſque ad ſalutem oſtentando ſe valuit mortua, quàm viva pungendo ad perniciem. Hæc rebellibus relicta eſt pœna, illa fidelibus atque reſipiſcentibus inſtituta eſt medicina. Sed in æreo ſerpente latuiſſe myſterium quoque, ipſe nos *Chriſtus* docet. (*Joan.*3.14.) Similis enim ſerpenti, veneno caruit æneus: ità *Chriſtus* homini, ſed ſine peccato. (*Heb.* 4.15.) In perticam ille ſublatus: ità *Chriſtus* in Crucem. (*Joan.* 8.28. & 12.32.) Illum intuendo ſanitatem adepti ſunt: ità credendo in *Chriſtum* ſalutem. (*Eſai.* 17.7. *Joan.* 3. 14, 15.) Ut à ſerpentibus icti non operâ ſuâ, non ope humanâ ſanari poterant: ità homines neque ſuis meritis operibúſve ſalvari, neque alio præterquam unius *Chriſti* nomine. (*Joan.*8.24. *Gal.* 5.4. *Act.*4.12.) Denique, ut ingenii fortaſſe humani æſtimatione, ab ænea imagine tam letali morbo non erat ſatis probabilis medicina: ità neque à *Chriſto* crucifixo ſalus. (1 *Cor.*1.23,24.) Loco nomen erat *Zalmona*, ubi geſta ſunt hæc. Indè *Punonem* profecti; *Punone Obothas*; *Obothis* ad colles *Abaræos* in *Moabitarum* ſolitudine orientes; à collibus *Abaræis Dibonem*, in valle quam fluvius fœcundat *Zaredus*; indè verò *Almonem Diblathaïmorum*; *Almone* ad montes *Abaræos*, è *Nebuntis* regione montis altiſſimi; in ulteriore ripa fluminis *Arnonis*, quâ ex finibus *Amoræorum* deſcendit. Fluvius enim hic medius *Moabitarum* & *Amoræorum* lambit confinia. *Quare in Libro de Bellis Jehovæ dicitur*, (qualis hic fuerit nemini jam conſtat,) *Quæ ad Erythræum geſſerit mare*, vel, *contra Vehebum in regione Zuph*, (ut alii exponunt,) *quæque ad Arnonis fluenta, qui divertit Arem, fineſque lambit Moabiticos.* Hic locus metationis (*Num.* 21.18.) videtur *Mattana* vocari; *Deuteron.* verò 2.26. *Cedemothi* deſertum. Regioni proximæ imperabat *Sihon Amoræus*, ex progenie *Canaanis*, cujus urbs regia *Heſbon*. Tenuerant omnem oram hanc *Moabitæ* priùs, expulſis indè *Emæis*, (*Deut.* 2.10, 11.) giganteâ gente. Sed & ipſos *Moabitas* expulit *Amoræus*, victo rege *Vehebo*, ut aliqui putant; ac jure belli tenebat hæc loca jam ad *Arnonem* uſque fluvium: ídque *Moſes* cantico probat eâ ætate nobili, quo *Sihonis* magnificè victoria celebratur. Hoc autem ideo facit, nè quid videretur admiſiſſe contra mandatum Dei expugnando regionem hanc, prohibentis infeſtari bello *Moabitas Ammonitáſque*, (*Deut.* 2.9,19.) utpote ſuos ex *Loto* conſanguineos. Carmen verò hujuſmodi decantabatur vulgò:

Æneus ſerpens medicina.

Huc

A.M. 2553.

Huc huc adeſte; populus Hesbonem frequens Urbem Sihonis incolat.
Hesbone flamma prodit, & fax regiâ Sihonis ex urbe emicat,
Aurea ſuperbæ tecta corripiens Aris, Arnonis excelſa populans.
Væ væ Moabo, væ quibus numen Chemos: Suam ipſe gentem prodidit,
Ut ab igne rapti ferreo vincti jugo Domino Sihoni ſerviant.
Hesbone captâ, territos jaculis greges Damarum abegimus procul:
Debonem ad uſque & uſque Medebam & Nopham Vaſtæ ruinæ pertinent.

Sihonis ergò ditionem (non *Moabitarum*, ſed *Amoræorum* jam) quaſi primitias occupare juſſit Deus: (*Deut.* 2.24.) promiſítque, jam ſe terrore *Iſraëlitici* nominis perculſurum gentes univerſas, ità ut ejus famâ procul auditâ populi contremiſcant remotiſſimi. Et, nè juſta deeſſet bellandi cum *Amoræis* cauſa, legati à *Moſe* regem adeunt, eadem ferè poſtulantes quæ ab *Idumæis* fruſtrà petierant: "ut pertranſire "in *Canaanæam* liceret viâ tantùm regiâ: nemini ſe damnum daturos, nec in priva- "ta cujuſquam prædia diverſuros. *Idumæi* quidem & *Moabitæ*, quanquam penetrare *Iſraëlitas* in ditionem ſuam non ferebant, ad fines tamen prætereuntibus, quæcunque petebantur pretio venditabant. At à *Sihone* ferox redditur atque minax reſponſum, quod exſpectabatur à *Moſe*; "Nuſquam eâ tranſituros *Iſraëlitas*; aut ſpon- "te diſcedant, aut armis abacturum ſe prædones vagos. Nec mora; prodit cum exercitu ad oppidum *Jaſam*. *Iſraëlitæ*, Divino mandato auxilióque freti, non detrectant prælium. Magnâ vi concurritur. Tandem fuſi fugatíque *Amoræi*, & ad unum nullo ſexûs vel ætatis diſcrimine ſublati ſunt: erant enim devoti Deo. (*Deut.* 2.34.) Opimâ verò prædâ *Iſraëlitæ* in agris oppidíſque potiti ſunt. *Jazerem* deinde *Moſes*, nobilem civitatem, unà cum pagis oppidíſque cepit adjacentibus. Sed exploratores eò ſunt præmiſſi clàm, ad populi vires perſcrutandas. Quicquid erat illic humani generis è medio ſuſtulit, vacuámque ſuis regionem tradidit. Hinc viam quæ in *Baſanem* ducebat, paſcuis fœcundam, ingreſſus eſt. Præerat huic tractui *Ogus* rex, qui ſupererat unus è genere gigantum quos *Chedorlaomerus Aſhterothis* debellaverat: (*Gen.* 14.5.) nàm & *Aſhterothis* regnabat *Ogus*: (*Joſ.* 13. 12.) vel potiùs eorum gigantum quos victoriæ *Ammonitarum* reliquos fecerant. Ab iis enim fugatus creditur, & aliquâ parte ditionis exutus, qui ſpondâ ejus ferreâ potiti ſunt. Ea (quam *Rabbæ* poſtea in urbe regia ſervabant *Ammonitæ*, *Deut.* 3.11.) novem cubitos longa, lata quatuor, corporis in ea recumbentis molem indicabat. Occurrebat *Iſraëlitis* in ſuis finibus *Baſanenſis* rex cum ſuis copiis ad urbem *Edrein*. Sed monuerat jampridem Deus *Moſen*, nè metueret gigantem: traditurum enim ſe *Iſraëlitis* & hanc in manus prædam. Quare prælio ſummis viribus commiſſo, iterum victi cæſíque *Amoræi*; & quemadmodum *Sihon* cum ſuis, ità rex *Ogus* internecione deletus eſt, nè qua in poſterum aut illis relinqueretur ſpes, aut *Iſraëlitis* metus. Urbes captæ 60, muris portíſque & vectibus communitæ, præter oppida minora & villas; tractus verò terrarum nobiliores quatuor, *Baſan*, *Salca*, (*Joſ.* 12.4, 5.) *Argobus*, & *Gilead*: (*Deut.* 3.4,10.) quas poſtremas *Manaſſidæ* ſubegerunt. (*Deut.* 3.14,15.)

Sihonis Amoræi, prælio victi, *& Ogi Baſanenſis* ditiones occupant *Iſraëlitæ.*

§ 50. Poſt hæc mota ſunt *Iſraëlitarum* caſtra in campeſtria quæ vocabantur *Moabitarum*, (*Num.* 33.48.) ad fluvium *Jordanem*, quà civitatem is *Hierichuntem* ſpectat, ſed 60 ſtadiorum intervallo, ut habet *Joſephus*. *Nahaliel* hic locus, id eſt, *Vallis Dei*, appellatur *Num.* 21.19. Porrigebantur verò caſtra hæc à *Beth-jeſimothis*, (*Num.* 33.49.) quæ *Bamoth* dicuntur *Num.* 21.19. uſque *Abel-Sittimos*, vallémque illam in agro qui *Moabitarum* adhuc vocabatur ad radices *Piſgæ*, quà is *Jeſhimon* ſpectat ſolitudinem. Dum in hæc properabant caſtra cis *Jordanem* ultima, aquarum eſt laboratum penuriâ. Minimè novum id aut infrequens in ſolitudine malum. Populus tamen, mitior atque ſedatior paulò jam quàm ſolebat eſſe, omni contumaciâ in Deum & contumeliâ in *Moſen* abſtinebat. Sitim tolerabat fortiter ac pié. Suâ igitur ſponte Deus inopiæ ſuorum conſuluit, monſtravítque *Moſi* locum, unde populi Principes unà cum Duce fontem ſcipionibus ſuis aperirent. Solo fortaſſe baculo *Moſis* uti noluit Deus, quoniam is non ità pridem incredulitate ſuâ tantopere claudicaverat in hoc officio. (*Num.* 20.12.) Tam inopinatum beneficium tanto populum affecit gaudio, ut cantico celebrârint benignitatem Dei.

Fons miraculo aperitur.

A.M. 2553.

Emerge, ſacri limpidum fontis caput, Celebrentur hæ Pſalmis aquæ.
Non hunc bubulci ruſticis ligonibus, Pecorum levaturi ſitim,
Sed Legis ipſe lator & populi Duces Fodêre ſceptris gurgitem.

Quóque magis tanta res omnem ſuperaret oblivionem, memorabili adhæſit loco nomen *Beer-Elim*, hoc eſt, *Principum fons.* (*Eſa.* 15.8.)

A *Balaco Moabita*

§ 51. *Balacus* hâc tempeſtate apud *Moabitas* regnabat, *Zippore* natus. Regia civitas *Ar*, & *Rabbata Moabi*, *Græcè Areopolis* vocabatur. Is *Hebræorum* proſperas florentéſque res iniquiſſimis oculis intuebatur. Sibi enim ſuíſque rebus timuit vehementer, ſed immeritò, ab iis, qui fines *Moabitidis* orámque omnem legentes in itinere, nullum tamen ei populo damnum intuliſſent. Conſilio igitur cum *Midianitidis* finitimis communicato, (alia erat hæc *Midianitarum* gens, & ab iis diverſa inter quos *Moſes* tot annos verſatus erat apud *Reguelem*,) *Balaamum* divinum, (*Joſ.*13.22.) *Beoris* filium, accerſivit: quo & vate *Jehova* uſus eſt. (2 *Pet.*2.16.) *Beorem* S. *Petrus* (2 Epiſt.2.15.) *Boſorem* appellat, *Chaldaïcè* forſan, ſi vera *Babylon* ea ſit, ac non *Roma* potiùs, unde ſcripſerit. (1 *Pet.*5.13.) Suorum præcipuè gratiâ, Deus etiam iis qui ſui non erant arcana ſua prodebat olim; (*Gen.*41.25. 1 *Sam.*10.10,11. *Dan.* 2.45. & 4.21,&c.) & verbi ſui profunda myſteria ſcrutari jam atque intelligere concedit. (*Matt.*7.22,23. & 24.24. 2 *Tim.*3.8.) Ex eorum numero *Balaamus*: propheta quidem, ſed ambitioſus, avarus, improbus, qui donis Dei hominum captabat præmia, & tanquam ſtatua *Mercurialis* in trivio, aliis multùm ſapuit, ſibimet nihil. Tradit quidem S. *Hieronymus* (in Quæſt. *Hebraïc.*) ex traditionibus *Judæorum*, à *Buzo Nachoris* oriundum fuiſſe *Balaamum*, & in libro *Jobi Elihu* vocari. *Balacus* ergò, *Sihonis* atque *Ogi* exitio deterritus, palàm *Iſraëlitas* provocare non auſus eſt, & armis adoriri. Maluit vatem priùs conducere, ut exſecraretur. Nuncii ergò *Pethoram* ſunt miſſi, non procul ab *Euphrate* ſitam, (*Num.*22.5.) in *Meſopotamiæ* montibus, (*Deut.*23.4. *Num.*23.7.) qui vocarent *Balaamum*, & dicerent, "Magnam *ex Ægypto gentem adveniſſe*, *quæ terram operiat* multitudine; deletíſque *Amoræis*, jam ipſis immineat *Moabitis*. Petere *Balacum*, & *Midianitarum* principes, "ut *accedat ad ſe Balaamus*, *& populo huic* peregrino *ſui gratiâ maledicat*. Ità enim "*poſſe fieri ut ſuperetur à ſe*; cujus alioqui nulla ſit victoriæ ſpes. *Certum enim id* "*habere ſe*, *quibus ille benedixerit*, *eos benedictos*, *quibus verò maledixerit*, *eos fore devotos exſecratóſque*. Additum his, quod plurimùm valebat, honorarium divinationis præmium. Ferunt aliqui *Judæorum*, *Sihonem* jam antea conduxiſſe vatem hunc, ejúſque patrem *Beorem*, ut *Moabitas* diris imprecationibus devoverent; eâque ratione partam eſſe de iis victoriam: eundémque *Balaamum* ea proverbia ſive carmina ceciniſſe, ad celebrandum *Sihonis* triumphum, quæ jampridem ſunt à nobis tradita. Utcunque id ſe habeat, acceptis ille muneribus, nuncios pernoctare juſſit apud ſe, poſtridie cogníturos quid eſſet reſponſurus *Jehova*. Noctu enim plerumque videtur acceſſiſſe Deus, (*Num.*12.6. *Job.*4.13. & 33.14,15. *Jer.*23.25,28.) & in ſomnis monuiſſe quæ vellet. Ità nunc adfuit: cúmque interrogâſſet audiviſſétque ex *Balaamo*, quaſi rem ſibi antea ignotam, quid peterent homines peregrini; vetuit vatem, *nè ad Balacum iret*, *populóve malediceret* à ſe *benedicto*. Manè igitur nunciis prohibitum aiebat ſe nè ad *Moabitam* iret. *Populum Iſraëliticum eſſe benedictum* à Deo, vetitúmque propterea ſe *nè malediceret*, id verò non dixit. (*Act.*20.27.) Quæ ſi noviſſet omnia *Balacus*, non ille prudens fortaſſe operam tantam in re deſperata perdidiſſet. At neque nuncii *vetuiſſe Deum* ſuo regi narrant, ſed tantummodo *recuſâſſe Balaamum*. Recuſatio frigida non reſtinguit ardorem deſiderii, ſed auget magis; ut aura lenior flammas alit. Alios ergò, & plures, & honoratiores viros delegavit eò rex, qui accerſerent Magum, magnáque pollicerentur obſequenti honorum præmia. Sed & his reſpondit *Balaamus*, " Præmia quantacunque, *refertam auro argentóque domum*, *ſi donaret* rex, *valere tamen ea apud ſe non poſſe*, *ut quicquam dicat quod ſibi ſuus Deus non dictaverit.* Pravâ tamen præmiorum cupiditate captus, detinet hos etiam eâ nocte apud ſe nuncios, iterum conſulturus *Jehovam*, quaſi aliud mutatâ ſententiâ hodie dicturum quàm herì dixerat. (*Rom.*11.29.) Perſpectâ hominis avaritiâ & ambitione veſanâ Deus, permiſit, quanquam iratus, ut, quia vocatum redierant legati, quod tantopere expetebat, ad *Balacum* iret; eâ tamen lege, nè quicquam diceret non illi prædictum à ſe. Et erat illi revera Deus fræno conſtrictus *δωρόφραγον* os, nè quid poſſet præter ſua effata proloqui. Impetratâ proficiſcendi ve-

Balaamus divinus

conducitur ad exſecrandos *Iſraëlitas*.

veniâ, plenus ille gaudio & inani ſpe, mane primo aſinam conſcendit. Servi duo aſſectabantur: Nuncii præibant viæ duces. Ut offenſum tamen cognoſceret Numen *Jehovæ*, quòd honorum præmia neſcio quæ captaturus, maluerit ingratum Deo iter ſuſcipere, quàm primo ejus & perſpicuo reſponſo acquieſcere, Angelus ei ſe gladio ſtricto in via properanti objecit; quem tamen vates ipſe non vidit; aſina vidit, ac propterea divertit in agrum timida, ut declinaret periculum. At baculo percuſſam *Balaamus* revocavit in viam, multò ipſe dignior verberibus, qui avaritiâ cæcus & ambitione *rectam deſeruerat viam* Domini. (2 *Pet.*2.15. *Rom.*2.1. *Prov.*26.3.) Ulteriùs paulò conſtitit Angelus in tramite quodam vinearum utrinque maceriis coarctato. Aſina ergò, nè in gladium atque necem rueret, alteri maceriæ appropinquando pedem alliſit *Balaami*; quo ille denuo iratus multat baculo innocentem beſtiam. Pios *cuſtodiunt Angeli nè offendant pedem:* (*Pſal.*91.11,12.) Contrà eſt impiis. Qui pergunt in peccatis, ex periculo ſæpe in periculum tendunt, donec tandem in malum incidant ejuſmodi, unde nunquam valeant eluctari. (*Jer.*48.43,44.) Angelus tandem in loco ſtetit tam anguſto, ut nullum eſſet prætereundi elabendíve ſpatium. Aſina igitur, nè dominum præcipitaret in exitium, ſub onere maluit in ipſa via ſuccumbere. Tum verò graviter ſuccenſens *Balaamus*, graviùs in aſinam ſæviit; donec à Deo apertum eſt os ſtupidiſſimæ animantis, ut argueret dementiam prophetæ. (2 *Pet.*2.16.) Nec enim difficilius Deo eſt ex ore pecoris, quàm ex ore hominis loqui. *Ego verò*, inquit aſina, *quid feci*, domine, *admiſive in te*, *ut me toties baculo ferires?* Ecce ut *quæ ſtulta ſunt mundi eligat Deus*, *quibus pudefaciat ſapientes.* (1 *Cor.* 1.27.) *Balaamus* omnium ſapientiſſimus, & ex iis habebatur quos poſtea *Videntes* appellârunt. Omnes ab eo conſilium, ab eo auxilium petere. Nunc autem, offenſo Deo, ſtupidiſſima beſtiarum ſapientiſſimum hunc vatem arguit ſtultitiæ; & niſi plus vidiſſet ipſo *Vidente*, niſi meliùs conſuluiſſet ejus rebus quàm ipſemet ſuis prudentiæ conſultiſſimus vir, actum fuiſſet de *Balaamo*. Ille quidem aliis, illi verò ipſi aſina pro vate fuit. Libuit optimo Numini ſuis monere artibus incantatorem. Libuit ominibus atque monſtris, in principio itineris, ab incepto inauſpicato revocare; quibus, ——— *ſi mens non læva fuiſſet*, corruptáque tot præmiorum improbâ ſpe, facilè paruiſſet. Jam verò impedimenta omnia irritabant magìs quàm erudiebant. Aſinam igitur loquentem (quod erat monſtroſum vel maximè) nè miratus quidem homo furioſus, increpat iracundè, & transfixurum gladio ſe minitatur, ſi adeſſet quis, brutum pecus, eò quòd ſe toties ludificâſſet. Minas reddit ingratum caput, cui gratias debet maximas; & ludificâſſe ait ſe, quæ conſervârat, aſinam, erepturus ei vitam, ſine qua amiſiſſet ſuam. Nè miracula quidem flectunt obfirmatum in peccatis animum. Sola Dei gratia mollit obduratum cor. (*Joan.*12.37,38.) *Bonus vir etiam jumenti ſui vitæ conſulit.* (*Prov.*12.10.) Quòd ſi aſinæ tanta debeatur pœna dominum eludenti, (ſi conſervare ſit eludere,) quanta ipſi *Balaamo* convenit, qui ſuâ contumaciâ Dominum ludificavit Deum? Tuo te ore condemnâſti, ſerve nequam. Sed furenti domino mitiùs reſpondet brutum animal. *Quid?* inquit. *Egóne unquam in te*, *quo tamen à pueritia ſubvectus es*, *hujuſmodi aliquid perpetravi antehac?* *Minimè verò*, ait *Balaamus*. Voluit aſina ſuſpicari dominum ſuum ex hoc inſolito more, aliquid inſolitum ſibi accidiſſe: quod tum demum ipſe perſpexit *Balaamus*. Oculis enim apertis à Deo, vidit Angelum in via ſtricto ſibi minitantem gladio; quo perculſus, inclinavit caput, corporéque demiſſo in humum veneratus eſt. " *Quamobrem verò*, inquit Angelus, *toties à te vapulavit* inſons beſtia? *Ego in* " *via tibi obſtiti*, *quâ tu obliquâ incedis & immundâ. Vidit aſina*, *divertitque à me* " *ter. Quod niſi feciſſet*, *aſinâ vivâ*, *occubuiſſet hoc enſe* dominus. *Balaamus* ad hæc, " Præ iracundia, inquit, *fateor me* in aſinam *peccaviſſe*, *ut qui adverſantem mihi te mi-* " *nimè ſuſpicabar. Quòd ſi minùs tibi gratum ſit* hoc à me inſtitutum iter, *Pethoram* " te mandante *confeſtim redeo.* " Imò verò, Angelus reſpondit, *perge* quò deſtinâ- " ras. Haud efficies tamen quæ cogitas. Nam *quæ tibi ego dictavero*, *ea tantùm ut pro-* " *loquaris vide.*

Deinde in *Moabitidem Balaamus* diſcedit. Quem ut adeſſe audivit rex, ad extremos uſque regni ſui terminos obviàm profectus eſt. Honoris maximi argumentum id erat. Ubi convenêre, *Quid erat*, inquit *Balacus*, divine vates, *quòd accerſitus à me non acceſſeris? Miniméne credis poſſe me ad ſummos te honorum gradus provehere?* " *Ego quidem adſum*, reſpondit *Balaamus. Quicquámne verò putas loqui poſſe me*, *præ-* " *ter ea quæ dictaverit mihi Jehova?* Nulla me honorum ſpes ulteriùs adiget, quàm

A.M. 2553.

Zz 2 " ut

A.M. 2553.

"ut *ea dicam quæ mihi prædicta ſunt à Deo.* Ad urbem hinc in limitibus regni præſidiariam deductus, excipitur honorificè. Boves pecudéſque cæſæ magnâ copiâ, miſſæque ad *Balaamum* à rege; quibus feſtiva cum principibus regni convivia hoſpes gratiſſimus agitavit. Diluculò in Excelſa *Baal-Peoris*, *Moabitici* numinis, aſcendit cum rege *Balaamus* vates. Exercitûs indè *Iſraëlitici* extremas partes proſpiciebant. Voluit rex in oculis ei adeſſe quos erat diris exſecraturus. Eodem in loco ſeptem ſibi altaria ſtatui *Balaamus* jubet, juvencos totidem & arietes pro victimis tradi;

——*Facto pius & ſceleratus eodem.*

Aræ victimæque *Jehovæ* ideo conſecrantur, ut populum *Jehovæ* liceat exſecrari. Pietate hoſtiarum tot, impia patrandi veniam petit; moleſtâ religione importunus, ut obliviſcatur ſui Deus, & humano more mendax velit eſſe. Miſericordiam Deus quàm ſacrificia mavult. At *Balaamus* conatur ſacrificiis crudelem facere; & hoc lucri tantùm ſui gratiâ: tantò illi potior ſuus Divino eſt honor. Offerendo tot ſimul dona Deo, plura majoráque ſibi aucupabatur à rege. Bonis viris pro lucro eſt pietas. (1 *Tim.* 6.6.) Illi quæſtus pro pietate fuit. Pedibus illotis quaſi conculcat ſcalam Religionis, quâ in altiſſimos honorum aſcendat gradus. Et ſeptenis quidem victimis viri ſæpius operati ſunt pii; (1 *Chron.* 15.26. 2 *Chron.* 29.21.) etiam autore Deo: (*Job.* 42.8.) ſed in ara unica. Septenis victimis totidem aras jactabunda peperit ſuperſtitio. (2 *Reg.* 18.22. *Jer.* 11.13. *Hoſ.* 8.11. & 10.1. & 12.11. *Amoſ.* 3.14.) In ſingulis igitur aris *Moabitæ* juvencos arietéſque ſingulos *Jehovæ* obtulerunt, alieno Deo, *Balaamo* ſacerdote: haud ſoliciti cujus deorum numini ſacra facerent, modò compotes votorum fierent. Relicto mox ad aras cum holocauſtis rege, aliò in clivum ſeceſſit *Balaamus*, Deum, (ut aiebat) ſi fortè occurreret, conſulturus. Incantando & malis artibus evocâſſe videtur Deum; (*Num.* 24.1. *Deut.* 18.10.) quomodo magi ſolent ſpiritus maleficos. Deus tamen occurrit homini ſponte, quia ſui populi res agebatur; etſi *Balaamus* nec eo modo quo debuit, nec eâ mente invocabat. Cùm autem glorioſè narrâſſet vates quæ Deo ſacra obtuliſſet, quaſi meritus tantâ pietate ut ſibi gratificaretur atque regi Deus; *Revertere ad regem*, inquit *Jehova*, *& quæ ego in animum ſuggeſſero tibi*, *reſpondeto.*

Sed, impellente Deo, Aliter *Balaamus* animum ſuum induxit, aliter Deus inſtruxit hominis linguam. (*Prov.* 16.1.) Ad aram interea cum principibus ſuis anxius rex reditum exſpectabat vatis, & exſecrationem *Iſraëlis*. Adeſt igitur, altâque tandem effatur hæc voce *Balaamus*: *Ex montibus orientalibus huc Balacus me*, ex medio fluviorum *accerſivit, ut Jacobo maledicerem, & exſecrarer Iſraëlem. Quî autem ego iis maledicam, quibus non maledixit Deus? aut illos exſecrabor, quos non eſt exſecratus Jehova? E ſummis rupibus eum conſpicio, & è collibus contemplor illum. En populus qui habitabit ſolus, nec aliis gentibus annumerabit ſe. Quis numeret pulverem Jacobi? quiſve partem recenſeat quartam Iſraëlis? Mortem ô piorum contingat & mihi mori; ejúſque ſimilis fini ſit exitus meus.* (benedicit illis, fremente) Hactenus vates. At offenſus rex hoc elogio, increpuit prophetam; *Ego*, inquit, *opem tuam imploravi ut malè precareris; tu autem prorſus benedixiſti hoſtibus meis.* Reſpondit *Balaamus*, "*Nonne cavendum eſt mihi,* "*ut quæ Jehova mihi ſuggeſſerit, ea tantùm apud vos eloquar?* Ut quod res eſt di-"cam; Non eſt profectò ſitum in nobis, quoties fata canimus, ea dicere taceréve "quæ volumus. Sed in afflatis ſuo ſpiritu Deus, neque ſcientibus neque cogitan-"tibus, ipſe quas vult voces edit. Si tamen vobis gratum ſit, aliis alibi ſacris "aríſque meum, ſi flecti poſſit, Numen adoriar. In alium ergò locum traduxit eum *Balacus*, in agrum *Zophim*, hoc eſt, Speculatorum, & cacumen *Piſgæ*, unde non niſi partem aliquam caſtrorum intueretur. Cùm & illic altaria & ſacra eadem feciſſet quæ priùs, ſecedentem *Balaamum* hoc inſtruxit vaticinio Deus: *Surge atque audi, Balace* rex; *attende mihi, fili Zipporis. Inſtar hominis non eſt Jehovæ Numen, quòd mentiatur; nec ut filius hominis, quem pœniteat. Illéne quicquam dicet quod non perficiet? loquetúrve quod non præſtabit? Mandatum accepi ut benedicerem: benedixit enim ille, neque poteſt revocari. Non advertit impietatem in Jacobo, neque ſcelus vidit in Iſraële. Adeſt illi Jehova Deus, & clangorem regium in caſtris* audio. *Deus illum eduxit ex Ægypto, cujus inſtar monocerotis magna eſt vis. Nulla valet contra Jacobum incantatio, nulla divinatio contra Iſraëlem. Narrabitur quondam de Jacobo, & prædicabitur de Iſraële, quanta Deus hoc tempore ſit operatus. Ecce, populus tanquam leo immanis aſſurget, attollétque ſe tanquam leo rugiens: non cubabit, donec*

prædam

prædam comederit, & mactatarum pecudum *ſanguine ſaturaverit ſe.* Atque hæc *Balaamus:* quæ cùm *Balacus* audiviſſet fremens, "Pergíſne verò, inquit, omnia bona A.M. 2553.
"fauſtáque meis hoſtibus ominari? Si, quod ego volebam, non libeat *exſecrari, at*
"*nec eis benedicere velis*, quod mihi damno ſit. Sed propheta, ſibi quidem ait non ſæpius
voluntatem deeſſe gratificandi *Balaco*, ſed obſtare Deum. Nam, quod ſæpius monuerit, *ea neceſſariò à ſe fieri debere, quæcunque Deus diceret.* Nondum tamen abjecit *Moabita* omnem ſpem, cùm ſatis propenſum in ſe ipſum vatem animadverteret. Tertiâ vice placuit experiri, & in loco tertio, vertice *Peoris* quà *Jeſhimon* ſolitudinem ſpectat, conſecrati montis *Baali*. Illic enim & templum ejus *Beth-Peor* dicebatur. Cùm ſacris operati eſſent more ſolito, ſenſit propheta velle omnino Deum ut benediceret *Iſraëlitis.* Ad captandas igitur, ut ſolebat, incantationes non divertit; ſed converſus ad ſolitudinem, populúmque tendentem longè ac latè conſpicatus, ità ſpiritu movente Dei prolocutus eſt: *Dictum Balaami filii Beoris; dictum viri cujus oculi aperti ſunt; dictum ejus qui oracula Fortiſſimi audit, qui Omnipotentis videt oſtenta, corpore ſopito, ſed vigili animo. Quàm ſpecioſa Jacobi tentoria, & tabernacula ſunt Iſraëlis? Ut valles extenduntur, ut horti ad ripas fluviorum, ut ſantali quos plantavit Jehova, & cedri ad aquarum fluenta. Fundet aquam è ſitulis ſuis, ejúſque ſemen ſpargetur inter multas aquas; ità ut ſuperaturus Agagum ſit ejus rex, & in altum ſe attollet regnum ejus. Deus illum eduxit ex Ægypto, cujus inſtar monocerotis magna eſt vis. Gentes devorabit inimicas, oſſa conteret, jaculíſque percellet. Tanquam leo inclinavit ſe; cubat ut immanis leo: quis illum audeat ſuſcitare? Benedicti qui benedixerint tibi, & exſecrati omnes qui exſecrati fuerint te.* His auditis vehementer incenſus *Moabita*, comploſis manibus, (quod erat magnum indignantis animi, atque hominem deſpicantis indicium,) ſibi adverſa toties vaticinia ulteriùs tentare noluit. Domum ergò *Balaamum*, & in malam abire juſſit rem. "Cogitâſſe quidem aiebat ſe, honoribus atque divitiis eum cumulare. Jam verò ſuum obſtitiſſe homini *Jehovam* Deum, nè ad ſummam dignitatem extolleretur. Reſpondit *Balaamus*, *etiam ſe prædixiſſe nunciis, nihil à ſe potuiſſe fieri, niſi quod præcepiſſet Deus, etiamſi opibus refertam ſibi tradidiſſet domum. Profecturum igitur in patriam ſe*; pauca tamen *priùs moniturum, quæ futuris tandem ſeculis Moabitarum populo eſſet facturus Iſraël; Idumæis* etiam, *Amalecitis* & *Cenæis. Dictum*, inquit, *Balaami filii Beoris; dictum viri cujus oculi aperti ſunt; dictum ejus qui Fortiſſimi audit oracula, qui ſenſa novit Altiſſimi, & Omnipotentis videt oſtenta, corpore ſopito, ſed vigili animo. Ecce, videbo, neque tamen nunc; intuebor oculis, ſed è longinquo. Orietur ſtella ex Jacobo, & ſceptrum exſurget ex Iſraële, quod latera percellet Moabi, omnéſque ſubiget Sethi filios. Expugnabitur Edom, & poſſidebitur Seir ab hoſtibus. Fortiſſimè geret ſuam Iſraël rem. Dominabitur is qui naſcetur ex Jacobo, omnéſque ſuperſtites perdet ex Edomo. Prima gentium Amalec, poſtremò exſcindetur funditus. Firmum eſt, Cenæe,* (Gen. 15. 19.) *habitaculum tuum, poſuiſti nidum in rupe. Sed & Cainus devaſtabitur, donec Aſſur abduxerit captivum. Heu! quis mortalium victurus eſt, cùm hæc perficiet Jehova? Tandem à Cittæis naves advenient, quæ affligant Aſſurum, & affligant Heberum. Sed & hic peribit funditus.* Iſta prolocutus *Balaamus Pethoram* in *Meſopotamia*, ſuam in patriam, profectus eſt.

Balaco.

§ 52. Videtur autem alia privatim conſuluiſſe *Balaco*, *Iſraëlitis* pernicioſa, qui Autore
publicè omnia proſpera eſt ominatus cogente Deo. Eos enim exſecrari neminem *Balaamo*,
poſſe monuit, niſi offenſo *Jehovâ*, populíque ſceleribus irato. Quare id operam darent, ut fœminæ ſuæ illecebris atque blanditiis, primò ad ſtupra, deinde ad convivia *Baali* ſacra, ad ſacrificia ipſa poſtremò & cultum pellicerent. Ità demum inducturos *Jehovam*, ut diris exſecrandum tradat populum ſuum. (*Num.* 31. 16. *Apoc.* 2. 14.) Ità commiſſuros inter ſe hoſtilem gentem, & facilè ſubacturos. Non ille aſtutiùs docuit, quàm illi præcepta hæc omnia promptè callidéque ſunt exſecuti. *Moabitæ Midianitæ*que non arma cogitare ſe jam aut bella ſimulant, contra homines ad ſcor-
minimè ſibi damnoſos, imò conſanguineos ſuos; verùm pacem, & amicitiam, & tandum
fœdera, imò (ſi placeat diis) conjugia. Submiſſæ à viris adſunt fœminæ, quan- colendá-
tùm poſſunt ornatæ comptæque ad illecebras. In *Moabitidem* & *Midianitidem* be- que idola
nignè vocantur novi hoſpites ad convivia, & choreas, & ſacra *Baalis*, cui hæc celebrabantur convivia. Stulti adoleſcentuli facilè capti ſunt, aliíque minùs cauti, modò voluptatibus ſuis potirentur, quemvis veneraturi deum. Leviſſimâ flammâ ſtipulam accendas. Facili manu ad ea deducti ſunt vitia, quò propenſos nativa

pravitas

A.M. 2533. pravitas inclinabat. Et *Baalem* iſtum *Peoris* eundem fuiſſe multi opinantur qui *Græcis* dicitur *Priapus*, cui ſacræ habebantur ipſæ libidines. At longè ſeriùs hic natus eſt apud *Græcos* deus: irritúſque planè multorum conatus eſt, revocantium ad *Græcanicos* aliarum omnes gentium deos. Oblivioni jam traditur *Ægyptus*, & peregrinatio tot annorum in deſerto, & victoria nuper de *Ogo Siboneque* parta, & expugnandæ *Canaanitidis* propinqua ſpes, & mandata fœderáque *Jehovæ*. Eò dementiæ pervenerunt, ut nullis fœderibus obligari quàm fœminarum amplexibus maluerint, ut virginis pudicitiam expugnare pro ſumma ducerent victoria, & nullius rei meminerint præter luſtra ſua & libidines, ejúſque ſacra numinis beati, quo his autore fruebantur. Meritò ac vehementer accenſus irâ Deus in *Iſraëlitas*, edixit *Moſi*, ut hujus capita ſceleris in patibulo palàm ſuſpenderentur, documenta clara è ſublimi aliis datura, Divinúmque ſedatura furorem, nè populum exſcinderet univerſum. Eadem Judicibus dat mandata *Moſes*, ut quos quiſque ſuo ſubditos regimini haberet ex idololatris, in crucem agant. Verè hîc divinabat Magus, & præmonſtravit rationem quâ exoſi Deo & exſecrati redderentur *Iſraëlitæ*. In patibulo enim ſuſpenſi omnes exſecrationi ſunt *Jehovæ*. (*Deut*.21.23.) Interea dum populus in luctu fuit, precibúſque intentus ad tabernaculum Dei, homo quidam profligati pudoris, meretricem adduxit *Midianitidem* in caſtra, *Moſe* totóque intuente populi cœtu. Viro nomen *Zimri Simeonidæ*, ſuæque familiæ principi; fœminæ *Cosbi* fuit, *Zuris* filiæ, unius è regulis quinque *Midianitarum*. (*Num*.31.8.) Quod *Phineas* conſpicatus, *Eleazari* filius Pontificis, indignatione juſtâ & zelo protinus exarſit Divino. E media igitur exſiluit precantium turba, hominémque nefarium in ipſo lupanari conſecutus unà cum ſcorto, utrumque trajecit per ipſum jaculo ventrem. Hoc facto pacata mirificè iracundia *Jehovæ*, adeò ut lues peſtifera, quæ jampridem 23000 ſuſtulerat, (1 *Cor*. 10.8.) ſubitò ipſa fuerit ſublata. Alii forſan ex nobilioribus mille ſuſpendio perierant, quod mandaverat Deus. Nam 24000 hujus luiſſe pœnam ſceleris conſtat. (*Num*. 25.9.) *Joſephus* narrat, (Antiq.4.6.) exemplo *Phineæ* plures, æmulatione pulcherrimæ virtutis accenſos, certatim in ejuſdem criminis reos feciſſe impetum, magnámque ſtragem edidiſſe. Neque liberatus modò à peſte populus *Phineæ* ultoris gratiâ, ſed & ipſe donatus æterno præmio. Sic enim ad *Moſen* Deus; *Zelotypiâ*, inquit, *ſuâ Phineas meam avertit zelotypiam, nè populum hunc ſimul univerſum extinguerem. Cum eo igitur paciſcor fœdus pacis: Ei fungendum fruendúmque Pontificatum, ejúſque poſteris, do æterno fœdere. Midianitas* verò Deus perſequi *Moſen* hoſtili animo, & armis infeſtare jubet, qui ſuis artibus atque inſidiis tanta *Iſraëlitis* intuliſſent mala.

Pelliciuntur Iſraëlitæ.

Quæ ſcelera cæde hominum 24000 vindicantur.

Numerantur denuo Iſraëlitæ:

§ 53. Omnibus jam qui cenſu numerati erant ultimo, præter *Calebum* & *Joſuam*, deletis, (*Num*.26.64,65. *Deut*.2.14,&c. *Pſal*.78.33. & 90.) *Moſi* & Pontifici *Eleazaro* imperavit Deus, ut populi denuo recenſerent omnia capita, quæ vel attigiſſent annos vicenos, vel præteriiſſent. *Rubenitarum* ergò numerati ſunt 43730; *Simeonidarum*, 22200; *Gaditarum*, 40500; *Manaſſidarum*, 52700; *Judæorum*, 76500; *Iſſacharæorum*, 64300; *Zebulonitarum*, 60500; *Ephraïmitarum*, 32500; *Benjaminitarum*, 45600; *Danitarum*, 64400; *Aſeritarum*, 53400; *Naphtalidarum*, 45400. Summa cenſorum conſtabat militibus 601730. Qui ſolebant incredibili multitudine in *Ægypto* augeri, ſuis jam in deſerto peccatis atque pœnis effecêre, ut ſuus decreverit numerus. Pauciores enim 1820 hoc luſtro quàm in ultimo reperti ſunt. *Manaſſidæ* aucti plurimùm, *Simeonidæ* verò diminuti. Ut ovium primò, ità *Iſraëlitarum* poſtea per annos 40 paſtorem egerat *Moſes*. Numeratos primò acceperat; (*Exod*.38.26.) numeratos jam redditurus Domino, cùm erat officium depoſiturus. Inter hos qui numerati ſunt, vel horum familias 57 principes, *Canaanitis* erat ſorte dividenda. *Levitæ*, qui nullam erant cum reliquis habituri ſortem, neque numerati ſunt cum reliquis. Verùm ut unum nati menſem dicabantur Deo, ſic eâdem ætate numerabantur, repertíque ſunt 23000.

deletíſque Midianitis,

Judicia Dei *à domo Dei incipiunt*. (1 *Pet*.4.17. *Ezech*.9.6. *Jer*. 25.29.) Solverunt *Iſraëlitæ* pœnas, ità ut nè unus eorum ſupereſſet, qui ſcortando, *Peoriſque* idolum adorando, irritaverant Deum. (*Deut*.4.3.) Jam tandem & *Midianitarum* fraudes ulciſci placuit, (quod antea erat interminatus Deus,) qui ad ſcelera hæc *Iſraëlitas*, ſuarum maximè fœminarum operâ, impulerant. Iidem & *Balaamum* à *Balaco* rejectum, vel detinuerant apud ſe, vel ad ſe revocârant. Exercitum jubetur *Moſes* conſcribere militum è ſingulis tribubus mille, *Phineâ* duce, qui acerrimum ſe jampridem

gloriæ

gloriæ Divinæ vindicem præbuerat, unà cum tubis argenteis ſacrîſque vaſis. Tam parvis copiis victoriam facilem tamen dediſſe videtur Deus. Nam cæſi omnes maſculi, etiam reguli 5, (*Gen.*25.4.) *Sihonis* nuper imperio ſubditi, (*Joſ.*13.21.) *Evis*, *Recemus*, *Zurus*, *Hurus*, & *Rebas*, unà cum *Balaamo*. Hominum ille piorum quidem optàverat mortem; ſed vitæ parem ſortitus eſt. Inter impios verſatus, inter impios occiſus meritas tot ſcelerum pœnas luit: (*Ezech.*32.27,28.) ſuóque probavit exemplo, malum conſilium conſultori eſſe peſſimum. Quicquid erat ſexûs fœminei, captum & ablatum eſt, cum ingenti præda pecudum, jumentorum, aliarúmque rerum. Urbes, villæ, templa, ædéſque omnes dirutæ, & ſubjectis ignibus devaſtatæ. Redeuntibus *Moſes* & *Eleazarus* Pontifex cum Principibus populi obviàm prodivêre. Cùm autem intellexiſſet *Moſes*, fœminis *Midianiticis* pepercíſſe milites, vehementer indignatus eſt; quoniam eas *Iſraëlitæ* ſcelerum ſuorum & calamitatum præcipuos autores habuiſſent. Quare tum pueros mares, tum fœminas præter virgines occiſione ſuſtulerunt omnes. Deinde militibus imperatum eſt à *Moſe* Pontificéque *Eleazaro*, ut ſeorſim haberent ſua caſtra 7 dies, purgarêntque ſe tertio ſeptimóque à cadaverum inquinamentis, cum vaſis omnibus, aliíſque rebus, legali more. Prædam verò ità dividi conſtituit Deus: Alteram victoribus, álteram populo partem: ſuam, exercituum & victoriarum Dei, ex parte victorum, quingenteſimam *Eleazaro* tradi; ex parte populi, quinquageſimam *Levitis*. Pecudum verò ſexcenta erant & ſeptuaginta millia, 72000 boum, 61000 aſinorum, denique 32000 virginum. Ferunt *Judæi*, camelos aliáque capta eſſe animalia quàm plurima. *Midianitarum* ſcilicet cameli (*Jud.*6.5. & 7.12.) fuiſſe traduntur innumeri. Aſinos verò tantùm ex immundis nominari atque dividi, quoniam ſoli primogenitum redimendo purificantur. (*Exod.* 13.13. & 34.19,20.) Mundificati admiſsíque tandem in caſtra militum duces, *Moſi* & Pontifici renunciârunt, è ſuis quos eduxerant millibus duodecim, tantâ editâ ſtrage hoſtium, deſiderari neminem. Afferre igitur, offerréque ſe maximo *Jehovæ*, gratum, ſed leve pretium tot à Deo conſervatorum capitum, periſcelides, armillas, annulos, inaures, monilia, & quicquid denique ornamentorum aureorum nacti fuiſſent in hoc bello: ea ut accepta ſibi habeat ad expianda militum errata omnia, (*Num.* 31. 14, &c.) precibus humillimis obſecrare ſe. A *Midianitis* ad luxuriam & laſciviam adhibita inſtrumenta, perpurganda ſe Optimo Numini conſecrare. Summa erat ejus auri 16750 ſicli; quos *Moſes* & *Eleazarus* in Sanctuario depoſuerunt ut anathemata, & futura poſteris monumenta gratitudinis militaris. Reliquum auri & argenti quod ceperunt, milites detinuerunt ſibi victores, ſuæ fortitudinis præmium. A.M. 2553.

Erat *Rubenitis* atque *Gaditis* (*Num.*32.1,2,&c.) magna præ aliis tribubus copia pecorum; adeò ut agendo paſcendóque plurimum illis negotii faceſſerent. Regiones autem *Sihoni* quas ademerant & *Ogo* pratis & paſcuis alendo pecori, ut alendo gramini fluviis abundabant. *Rubenus* prætcrea & *Gadus*, primogeniti ambo *Jacobi* ex diverſis matribus, ex *Lea Rubenus*, è *Zilpa Gadus*, jure aliquo ſortem ſibi vendicare poſſe primam videbantur. Quare *Moſen*, *Eleazarum* Principéſque populi convenerunt obſecrârúntque, ut ſibi terram hanc *Amoræis* ereptam concederent, néve cogerentur ultra *Jordanem* aliam quærere, tantis pecorum impedimentis onuſti & delaſſati. Subiratus *Moſes*, "Itáne verò? (inquit) nè ultra *Jordanem* cogamini vos? *Hic*-"*cine baculum figetis*, tot immunes laborum atque diſcriminum, quæ ſubituri ſunt "*fratres? Quorſum verò minuitis atque dejicitis animos populo* veſtrâ ignaviâ? quaſi "difficilior futura ſit ultra *Jordanem* victoria. Et verò difficiliorem tantò fieri ne-"ceſſe eſt, quantum deeſt veſtrarum virium. Videte nè *patrizetis* nimiùm, pravorum "parentum *contumax progenies.* Oblitíne jampridem quid patres veſtri, quid ſpe-"culatores fecerint *Cades-Barneæ*, quámque ob cauſam tot *annos vagati ſitis vos in* "*deſerto?* Cavete, inquam, nè iterum pari ſcelere *irritatus Jehova, iterum in ſolitu*-"*dinem rejiciat vos.* Hanc *Moſes* excandeſcentiam, ex errore natam, facilè ſedaverunt *Rubenitæ*, promittendo, "ſi hæ illis concedantur ſedes, nolle ſe deſidere domi, "aut fratres deſerere, ſed præire aliis armatos, & agmen ducere in *Canaanæam*, re-"lictis interea uxoribus atque liberis, cum pecore moleſto, in urbibus atque ſeptis "cuſtodiæ Divinæ: neque ad ſua ſe redituros, donec & reliquæ tribus ſuam quæque "ſortem adeptæ forent. Hâc tandem lege conventum eſt, præcepítque *Moſes Eleazaro* & *Joſuæ*, qui futurus erat populi dux *Moſe* mortuo, ut ſi *Rubenitæ Gaditæque* præſtarent quæ polliciti ſunt, hâc provinciâ cis *Jordanem* quam petierant potirentur. Sed primogeniti jus ab inceſto *Rubeno* tranſtulerat *Jacobus* in *Joſephum*, cujus

regio *Cis-jordana Rubenitis Gaditiſque* traditur,

Ma-

A.M. 2553. *Manaſſes* erat maximus natu filius. Rationem igitur & ejus habendam in hac ſortitione prima cenſuit *Moſes*; maximè verò quia *Machiris* poſteri *Manaſſidæ* urbes *Gileadis* expugnaverant, expulerántque *Amoræos*; villas autem ceperat *Jairus* ex eadem tribu, ſuóque conſignârat nomine *Havoth-Jair*. Inter *Manaſſidas* quidem *Jairus* numeratur (*Num.*32.41.) aviæ gratiâ. Paterno enim genere *Judæus* fuit. *Pharezi* enim filius *Hezron*, *Judæ* nepos, filiam duxit *Machiris Manaſſidæ*, unde *Segubum* genuit *Jairis* patrem; qui, neglectâ ſuâ tribu, *Manaſſidis* accenſeri maluit. (1 *Chron.* 2.21,22.) *Cenatham* denique à ſe captam *Noba Nobam* appellârat. Hujus itaque tribûs dimidia pars in partem *Gileadis* recepta eſt, in *Argobum Baſanémque*. *Dibonem* verò, *Atarothas* & *Aroërem*, *Atrothas*, *Shophanem*, *Jazerem* & *Jogbaham*, *Beth-nimram* quoque & *Beth-haranem*, munitas urbes, unà cum ſeptis ovium, inſtaurave-runt *Gaditæ* ſibi; *Hesbonem*, *Elealen*, *Ciriathaæos*, *Nebuntem* & *Baal-meonem*, (ſed mutatis nominibus, quoniam idola gentium *Hebræis* erant nè nominanda, *Exod.* 23. 13. *Jud.*6.31. *Eſai.*46.1.) denique *Sibmam*, *Rubenitæ* inſtauratas ſuis coloniis occupârunt. *Geſſuræos* & *Maachathæos* non expulerunt *Iſraëlitæ*. (*Joſ.* 13.13.)

& dimidiæ tribui *Manaſſis*.

§ 54. Antequam tranſirent *Iſraëlitæ* in *Canaanæam*, iterum voluit moneri Deus, ut omnes incolas perderent ejicerêntve, (*Num.*33.52,&c. *Deut.*7.2,&c. & 12.2,&c.) *Hithæos*, *Gergeſæos*, *Amoræos*, *Canaanitas*, *Perizæos*, *Hivæos*, & *Jebuſitas*; imagines profanarum gentium & columnas ut confringerent, ſtatuas comburerent, ſuccide-rent lucos, templa demolirentur, tollerent loca excelſa idolorum ſacrata cultui, & altaria diruerent; ipſa denique ferro & flammis itâ delerent nomina, ut memoria eorum omnis aboleretur. Si quos enim reliquos facerent veterum incolarum, fœderibúſque alligatos & conjugiis admiſcerent ſibi, fore dixit ipſis tanquam ſpinas in oculis, & aculeos in lateribus, ſuíſque non modò armis infeſtaturos, verùm impietate morum adeò depravaturos, (*Pſal.*106.34,35,36.) ut ipſis *Iſraëlitis* tandem ea facturus eſſet Deus quæ *Canaanæis* interminatus eſt, eóſque pariter pulſurus ab hac Terra beatiſſima.

Limitibus *Canaanææ* conſtitutis,

Nè quid autem vel finitimi de injuſta occupatione, vel *Iſraëlitæ* ipſi de iniqua partitione conquererentur, & limites terræ ultra *Jordanem* occupandæ conſtituti ſunt, & Principes tribuum, (*Num.*34.17,18,&c.) qui unà cum *Joſua* & *Eleazaro* ſuam ſingulis ſortem diſtribuerent, nominati. Terminos verò itâ delineavit Deus, (*Num.*34.3,4,&c.) ut ab Occidente Mediterraneum mare clauderet hanc provinciam. Indè per montem *Hermonem*, quâque *Hamatham* itur, pérque *Zedadem* & *Ziphronem*, ad *Hazar-Enanem* uſque linea pro termino eſſet Boreali. Ab *Hazar-Enane Shephanum* ut aſcenderet limes Orientalis, & *Riblam*, pérque littus maris *Chinnereth*, ſive *Genneſareth*, (*Luc.*5.1.) quod poſtea *Galilææ* ac *Tiberiadis* mare dictum eſt, (*Joan.* 6.1.) ad *Jordanem* & lacum denique *Aſphaltiten*. Ut ab extremo termino hujus lacûs ad Orientem, fines pergerent Auſtrales, quodam circuitu, ad aſcenſum *Acrabbæorum*, pérque *Zinis* deſertum, & à plaga Meridionali *Cades-Barneam*, *Hazar-Addarem* & *Aſmonem*; diverterent indè ad torrentem *Ægypti*, ac deſinerent in Mediterraneo mari. Hi regionis; imperii verò *Iſraëlitici* deſignantur à Deo alii termini: (*Deuter.* 11. 24.) *Paranis* deſertum, mare Mediterraneum, *Libanus* mons à *Borea*, & *Euphrates* ab Oriente fluvius.

& urbibus 48 *Levitis*,

Nullam erant Sacerdotes atque *Levitæ* ſortem hæreditariam inter *Iſraëlitas* habituri. Neceſſariò tamen concedendum & his fuit ubi habitarent, nè ſoli ſub dio agerent aut in tabernaculis Miniſtri ejus, qui aliis omnibus ædes atque fundos dederat. Præcepit ergò per *Moſen* Deus, ut ſingulæ tribus aliquas, univerſæ illis 48 civitates traderent: quarum ſex pro aſylis haberentur, quò confugerent, ſi qui per errorem & caſu inopinato hominem occidiſſent. Addenda erant urbibus & prædia ſuburbana, (*Num.*35.2,&c.) bis vel ter millenos (ut plerique *Judæorum* volunt) cubitos à mœnibus menſuranda circumquaque, hortis & vineis, paſcendíſque pecoribus deſtinata. Itâ diſperſi quidem ſunt *Levitæ*, id quod futurum *Jacobus* prædixerat moriturus; (*Gen.*49.7.) ſed maximo & ſuo, & totius populi bono diſperſi. Nam pietate ſuâ in vindicanda gloria Dei, ulciſcendóque ſcelere aurei Vituli, effecêre, ut exſecrationem paternam benedictione mutârit Deus. Quos enim elegerat ſervos, erudiendóque populo ſuo præfecerat, (*Deut.* 33.8,10.) quò faciliùs eo munere fungerentur, par fuit eos in omnes terræ partes diſtribui; itâ ut ſingulæ tribus haberent quaſi fontes proprios, unde aquam haurirent ſalutarem, nec eas aliunde ut peterent, longiùs vagari cogerentur.

Annus

Annus jam agebatur, ex quo *Ægyptum* reliquerant *Iſraëlitæ*, quadrageſimus, undecimíque menſis primus dies. Tanto illi tempore tantillum itineris produxerunt iraſcente Deo, quod ab *Horebo* monte undecim diebus confici potuiſſet placato. (*Deut.* 1. 2.) Terræ jam promiſſæ limen attigerunt. Sed jampridem Deus *Moſi* denunciârat, eum incredulitatis causâ *Meribæ* neutiquam tranſiturum in *Canaanæam*. (*Num.* 27.12,&c.) Decretum hoc Dei precibus expugnare *Moſes* conatus eſt, (*Deut.* 3.23, &c.) quibus antea quidem plurimùm valuerat. Sed cùm fruſtrà reluctaretur ſententiæ Divinæ, provocarétque magis precando quàm proficeret, à ſe tandem ad populum tranſtulit orationem, petiítque ut aliquem ſui loco deſignaret ducem *Iſraëlitis*; nè tantum corpus ſine capite, ſine paſtore tantus grex vagaretur. Facilè hac in re *Moſen* exaudivit *Jehova*, juſsítque ut *Joſuæ* ſuas manus imponeret, ſuúmque munus traderet coram *Eleazaro* Pontifice, universâque populi multitudine. Eum ſcilicet ſpiritu aiebat ſe afflaviſſe Divino. Eum igitur ad magnanimitatem atque fortitudinem excitaret *Moſes*: *Eleazarus* doceret voluntatem Dei, per Urim conſulendo atque Thummim ſe. Ipſi verò imperavit *Moſi*, ut montem conſcenderet *Piſgam*, ex *Abaræis* altiſſimum; indè quaquaverſum proſpiceret, atque Terram exoptatam contemplaretur eminus: quod unum fieri jam per ſententiam in eum latam divinitus licebat. (*Deut.* 3.27.)

A.M. 2553. poſt *Moſen*

Joſua deſignatur dux.

§ 55. Cùm autem expertus cognoſceret *Moſes* popularium ſuorum inſitam pervicaciam, ac provideret fore, ut deficiente ſe deficerent illi à Deo, ſæpius & pluribus verbis monendos à ſe ante obitum putavit, omnibúſque modis incitandos cohortandóſque ad obſervanda Præcepta Dei. Ac inprimis multa ex iis quæ geſta jampridem fuerant commemorat, (*Deut.* cap. 1. & 2. & 8. & 10.) præcipuè ut lata ſit Lex in monte *Sina*; cujus præcepta ferè ſingula quaſi commentariis exponit, communítque variis pœnis: (*Deut.* 5. & 6. & 7. & 12. & 13.14.15.16.17.18.&c.) unde *Deuteronomium*, ſive *Secunda Lex*, liber ipſe dicitur; ubi hæc perſcripta ſunt. Deinde, cohortationibus argumentíſque variis, magnâ præmiorum ſpe, comminationéque calamitatum, inducit *Hebræos* ad obſequendum: (*Deuter.* 4. & 8. & 11. & 28. & 30.) beneficiorum præcipuè Divinorum prædicatione, quæ abunde in illos contuliſſet *Jehova*, non meritorum ſuorum gratiâ. Eos enim contumaciſſimam eſſe ingratiſſimámque gentem, qui multis Deum offendiſſent atque irritâſſent modis: (*Deut.* 9.) ſed *Canaanitarum* non tolerandam ulteriùs impietatem effeciſſe, ut hanc *Iſraëlitis* terram det, quam *Jacobo*, *Iſaaco* & *Abrahamo* juratus olim promiſerat, eorum ſe poſteris donaturum. Quòd ſi ergò *Jehovam* colerent unicum, ejúſque perficerent mandata omnia, in omnibus rebus atque locis benedicturum illis Deum pollicetur. (*Deut.* 28.1,2,&c.) Sin deficiant ad alienos deos, *Jehovæ*que ſpreverint præcepta, omnium illis generum maledictiones atque pœnas denunciat; unicâ tantùm ſpe in fundo relictâ, (*Deut.* 30.1,2,&c.) fore, ut ſi ab hoſtibus ad ſervitutem in terras abducti alienas, (quod malorum erat extremum,) peccatis omnibus renunciarent, totóſque Deo ſuo redderent ſe, exaudiret *Jehova*, & in ſuam eos patriam poſtliminiò reduceret. Quare cùm vitam atque mortem in ſua ipſorum haberent manu poſitam, (*Deut.* 30. 15,&c.) ſatiùs facturos & prudentiùs, ſi vitam eligerent, quam obſequio & pietate in Deum erant facilè conſecuturi. Hoc tempore fœdus etiam ſacrum (*Deut.* 29.1,2,&c.) quod erat in *Horebo* monte percuſſum ab *Iſraëlitis* cum Deo, ad tabernaculum ſanctum ab univerſis renovatum eſt; *Jehovâ* per *Moſen* ſeveriùs comminante, (*Deut.* 29.18,19,&c.) Si quis hoc violaret fœdus, deóſque gentium coleret aureos & argenteos, ligneos lapideóſque, ſi quis ſibi ipſi plauderet quaſi nemine viſuro ſua ulturóve peccata, eum ſe diris omnibus atque malis obruturum quæ denunciata ſunt in Lege, ut poſteri, etiam peregrini, ejus demiraturi ſint miſerrimam ſortem.

Multis ergò *Moſes* populum cohortatus ad conſtantiam, nè deficiant à Deo.

De promulgatione ſolenni legalium Benedictionum Maledictionúmque præcepturus *Moſes*, primò, autoritatis paulò majoris gratiâ, unà cum Senatu edixit populo, ut, potiti *Canaanæâ*, in *Ebale* monte columnas calce oblitas conſtituerent, in quibus clarè perſcriberetur Dei Lex: altare ſimul ut exſtruerent ex lapidibus integris rudibúſque, ubi tum holocauſta immolarent, tum ſacra Euchariſtica, quibus convivarentur hilares coram *Jehova*. Mox unà cum ſacerdotibus atque *Levitis* populo præcepit, ut in *Canaanæa*, ex *Ebale* monte Maledictiones, Benedictiones verò ex monte *Gerizimorum* promulgarentur. (*Deut.* 27.12,&c.& 11.29.) Hinc autem *Simeonidæ*, *Levitæ*, *Judæi*, *Iſſacharæi*, *Joſephidæ* ac *Benjaminitæ* ſtarent: indè verò *Rubenitæ*, *Gaditæ*, *Aſiritæ*, *Zabulonitæ*, *Danitæ*, *Naphtalidæ*que. Exſecrationes ità *Levitæ* clarâ voce denunciarent;

Maledictiones inſtituit promulgandas in monte *Ebale*, &c.

A.M. 2553. nunciarent; ſingulis autem exſecrationibus *Iſraëlitæ* ſinguli acclamarent, *Amen.* 1. *Maledictus eſto qui ſculptile fuſilève idolum fabricatus fuerit, & in abdito ſibi colendum repoſuerit, rem exſecrabilem Jehovæ. Amen.* 2. *Maledictus qui patrem vilipendit matrémve. Amen.* 3. *Maledictus qui vicini terminos movet loco. Amen.* 4. *Maledictus qui facit de via ut cæcus erret. Amen.* 5. *Maledictus qui peregrinum, viduam aut pupillum judiciis opprimit iniquis. Amen.* 6. *Maledictus qui patris inceſtat uxorem. Amen.* 7. *Maledictus qui cum beſtia rem habuerit. Amen.* 8. *Maledictus qui ſuam vitiat ſororem. Amen.* 9. *Maledictus qui ſocrum violat. Amen.* 10. *Maledictus quicunque alium ceciderit clàm. Amen.* 11. *Maledictus qui ad cædem inſontis mercede conductus eſt. Amen.* 12. *Maledictus qui mandata hæc non præſtiterit omnia. Amen.*

Jam verò *Joſuam* ducem populo commendaturus, eò quòd ipſe, jam 120 annos natus, neque poſſet per ætatem, aut ſi poſſet, prohiberet Deus in *Canaanæam* adducere *Iſraëlitas*; utrumque ad conſtantiam & fortitudinem cohortatus eſt, militem atque ducem: nè quid à barbaris gentibus timerent; Deum utrique adfuturum atque propugnaturum; & quemadmodum *Sihonem* & *Ogum Amoræos*, ità & reliquas *Canaanæa* nationes iis exſtirpandas traditurum.

ſcriptámque tradit Legem ſacerdotibus reponendam, Legem porrò univerſam literis mandatam Sacerdotibus tradidit, ab Arcæ fœderis dextro latere in ciſtula reponendam, ubi teſtis perpetuus contra populum exſtaret coram Deo: annis verò Sabbaticis in Tabernaculorum feſto prælegendam ſemper univerſæ multitudini virorum, unà cum fœminis pueríſque. Legem verò hanc à *Moſe* conſcriptam, & conſervatam in Sanctuario, quinque opinor libros complecti *Moſaicos*, *Geneſin*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, & *Deuteronomium.* Hæc eſt enim ea Lex quæ à Prophetis & parte reliqua Teſtamenti Veteris diſcriminatur. (*Matt.* 7.12.& 11.13.& 22.40. *Act.*24.14.& 28.23.) Etſi poſtremum præcipuè intelligendum videatur, qui ſummam totius Legis repetit & comprehendit unicus; unde illi nomen *Græcè Deuteronomium.* Et hunc ſolummodo in Sabbaticis annis prælectum populo *Judæi* tradunt: quanquam in Synagogis, poſt reditum ex *Babylonia*, omnes Libri *Moſis*, in portiones 54 diſſecti, per Sabbata ſingula prælegebantur; ità ut anni curriculo univerſas abſolverent. (*Act.*15.21.)

& Canticum populo ediſcendum. *Moſen* ultimò jam allocuturus Deus, unà cum *Joſua* coram Nube vocatum, (*Deut.* 31.14.) "*Tibi* mox, inquit, exuenda eſt hæc mortalitas, & diſcedendum hinc *ad* "*proavos atque majores tuos. Populus autem iſte*, diſcedente te, diſceſſurus pariter à "me *ad alienos gentium* à ſe victarum eſt *deos*, *fœdúſque meum* ſceleratiſſimè *viola-* "*turus.* Ego verò (quod præmonui ſæpius) deſertus *deſeram*, *& eos in anguſtias* "*conjiciam* inexplicabiles. *Quare Canticum hoc* (tradit verò Canticum) *à vobis* "*deſcribatur*, *& ediſcatur à ſingulis*, quo hæc prædicuntur futura, ſuæque illi ad- "monentur ingratitudinis, & beneficentiæ meæ. *Tu verò*, *Joſua*, *macte fortitudine* "*tuâ & magnanimitate*, quem populo, decedente hinc *Moſe*, ducem do. *Nè quid* "ab humana *metuas* vi: *Exercituum tibi aderit Deus.* Ego te ipſe ducem ducam, "& præeunti præibo in *Canaanæam.* Elocutus hæc Deus conticuit. Coram tribunis igitur *Moſes* præfectíſque populi Canticum prælegit novum, deinde coram populo, & ſingulis decantandum tradidit.

Poſt benedictionem tribuum, § 56. Cùm iterum juſſiſſet *Moſen* in montem aſcendere *Nebuntem* Deus, & contemplari terram è longinquo, cujus nunquam erat aliquem percepturus fructum, ibidem ei & moriendum eſſe denunciavit. Relicturus ergò populum, cui annis jam præfuiſſet 40, ut paterno more valediceret iis, quos pro liberis hactenus habuerat, ſingulis tribubus benedixit his aut hujuſmodi verbis. *Jehova prodiit è Sina, ortus illis eſt è Seire*; *eluxit è Parane*, *& cum Sanctorum myriade advenit. A dextra ejus profecta eſt* illis *ignea lex. Amat certè populum* ſuum *Jehova. Sancti ſub ejus manu* ſe *omnes* abſcondunt; *ad tuos pedes conſident*, *& à verbis omnes erudiuntur tuis. Moſes conſtituit nobis legem*, *hæreditariam tribubus Jacobi. Fuit enim in Jeſurun rex*, *cùm primores populi convenirent*, *tribus Iſraëlis. Nè moriatur*, *ſed vivat Rubenus*; *imò in magnam creſcat ejus multitudinem propago. Judam exaudiat Jehova*, *& ad populum ſuum reducito. Satìs ei ſit à ſuis manibus. Tu verò ab hoſtibus auxilio ſis. Urim atque Thummim tui penès virum ſint* (*Aaronem* vult & ejus progeniem; de tribu enim *Levi* hæc loquitur:) *ſanctum illum* atque dilectum *tibi*, *quem in Maſſa probâſti*, *quôcum contendiſti ad aquas Meribæ. Qui patri ſuo & matri dicit*, (*Lev.*10.6,7.& 21.11,12. *Matt.* 12.46, &c.) *Non reſpicio vos*; *qui fratres negligit*, *neque filios agnoſcit: quia præcepta cuſtodiunt tua*, *& obſervant fœdus. Jacobum*

docebunt

docebunt judicia tua, (Ezech. 44.23,24. Lev. 10.11. Deut. 17.9,10,11. & 24.8. Mal. 2.6,7.) *& Iſraëlem erudient in Lege. Apponent ſuffitum coram te, & holocauſtum in altari tuo. Benedic, Jehova, copiis ejus, opúſque manuum illius tibi gratum ſit. Hoſtium comminue vires, qui opponunt illi ſe; & proſterne inimicos, nè inſurgant denuo. Dilectus Jehovæ Benjaminus, cum eo ſecurè deget*, qui *proteget eum quotidie, intérque humeros ejus habitabit.* (Quia templum in tribu *Benjamini.*) *Joſephi verò benedicta Jehovæ terra ſit, rebus cœli pretioſis, rore ſupero, inferóque abyſſo: Solis proventibus, quáſque producit Luna indies pretioſis rebus: montium antiquorum æternorúmque collium fœcunditate: abundantiâ denique rerum quas* parit paſcítque *tellus, &* mei *gratiâ rubum qui incoluit* Dei. *Deſcendant hæc* abunde *in caput Joſephi, & in verticem ejus cadant qui fratrum* unus omnium *longè ablegatus*, unus omnium longè prælatus eminuit. *Inſtar juvenci primogeniti ſui gloria ejus, &* duo *tanquam monocerotis cornua, quibus coget conterétque populos uſque ad fines terræ. Ephraïmi myriades ea ſunt, & Manaſſis millia. Lætare, Zebulon, de profectionibus tuis;* (Gen. 49.13.) *&, Iſſachar, de tentoriis. Populum ad montem invitabunt, ſacrificiáque immolabunt juſta: quia marium affluentiam ſugent, & occultos arenæ theſauros. Benedictus ille qui dilatat Gadem.* (Jud. 11.) *Tanquam leo habitat:* (Gen. 49.19. 1 Chron. 12.8.) *brachium rapiet unà cum vertice.* (1 Chron. 5.18,&c.) *In principio proſpexit ſibi. Nam in portione legiſlatoris collocatus eſt. Cum principibus ergò populi profectus, juſtitiam Jehovæ exſecutus eſt, & judicia ejus cum* reliquo *Iſraële. Ut leonis catulus Dan, qui exſilit ex Baſane.* (Gen. 49.17.) *O Naphtali, ſatur gratiæ, & plenus benedictione Jehovæ; ad mare (Galilææ) Meridiémque ſit hæreditas tua. Benedictus filiis Aſer, gratúſque ſit fratribus ſuis. In oleo tingat pedem.* (Gen. 49.20.) *Ferrum & æs ſub calceo tuo. Etiam* in ſenectute *vires tibi* juveneſcent. *Nullus omnium ſimilis Deo Jeſurunis, qui cœlis inſidet ut auxilietur tibi, & cœlorum cœlis* ut ſuam oſtentet *gloriam. Sempiternus te Deus protegit, æternáque ſuſtentant brachia. Ille hoſtem expellet coram te, denunciabítque tibi ut perdas. Solus & ſecurè habitabit Iſraël; ſcaturigo Jacobi in terra tritici ferace atque muſti. Etiam cœli ſtillabunt rorem.* (Gen. 27.28.) *Beate Iſraël, quis ſimilis tui,* (2 Sam. 7.23.) *popule à Jehova conſervate, clypeo auxiliari tuo, tuæque gloriæ gladio? Hoſtes tibi* ſubigentur *mendaces,* (Pſal. 18.40,&c.) *excelſáque illorum propugnacula conculcabis.* In hac tribuum benedictione *Simeon* unicus omiſſus eſt, propter peccata, vel ſua in *Sichemitas* & *Joſephum*, vel ſuorum in ſcortatione *Midianitica*: niſi, quod aliqui putant, cum tribu *Judæ* concludatur, quâcum erat conjunctus loco in *Cananæa.*

A.M. 2553

Hæc *Moſes* cùm dixiſſet, ultimam vitæ ſcenam peracturus, in montem aſcendit, quò juſſerat Deus, *Nebuntem*, ex *Abaræis* unum, & in *Piſgam* ejus verticem altiſſimum, è regione *Hierichuntis*, primæ civitatis ab ulteriore fluvii *Jordanis* ripa. Indè monſtravit ei Deus tribuum ſingularum ſedes futuras, *Judæ, Ephraïmi*, & reliquarum. *Et hæc*, inquit, *ea eſt quam Abrahamo, Iſaaco, Jacobo promiſi juratus, eorum me daturum poſteris, terram. Hanc tibi oculis perluſtrandam concedo; potiundam, calcandámve pedibus, non dabo.* Quare oculis tandem quantum voluit ſatiatis, jucundo gratiſſimæ in terris rei ſpectaculo, cœlos deinde contemplaturus & Deum, avolavit ex monte *Moſes*, (Deut. 34.5.) exuto corpore; quod ipſe Deus unicum (tanti reliquias fecit fideliſſimi Servi) honorificentiſſimo funere in valle ſepelivit, urbi vicina *Beth-Peori*, *Michaëlis* Angeli miniſterio; ità ut ſepulturæ locus nemini unquam ſit mortalium compertus. Eo conſilio factum id opinantur plerique, nè *Iſraëlitis*, plùs nimiò ad impietatem propenſis, à ſepulchro hominis tam divini, ſuperſtitionis & idololatriæ cauſa vel anſa porrigeretur. Eámque ob cauſam inter *Michaëlem* Archangelum atque Diabolum fuiſſe *altercationem ſuper corpore Moſis*, *Judas* narrat Apoſtolus in Epiſtola ſua; (verſ. 9.) ubi Satanam non ſine convitio poſtulantem ut ſepeliretur magnificè *Moſes*, (quaſi de viri Sanctiſſimi honore ſolicitum,) non eſſe tamen Angelum contumelioſè inſectatum dicit, ſed hoc unum ejus retuliſſe opprobriis, *Increpet te Deus. Oecumenius* (in *Judam*) prohibuiſſe ait Satanam nè ſepeliretur *Moſes*, ut indignus funere, propter injuſtam *Ægyptii* hominis cædem. (Exod. 2.) At multò ſimilius vero eſt, obſtitiſſe Diabolum nè occultaretur ſepulchrum, ut eo populum manifeſto ad idololatriam pelliceret. Et adfuiſſe ait *Joſephus* morituro in monte *Moſi Eleazarum* atque *Joſuam*, ipſúmque Senatum deduxiſſe proficiſcentem; & Senatu dimiſſo, cùm poſt mutuos complexus Duci Pontificíque ultimum Vale diceret, inter loquendum nube repentinâ circundatum fuiſſe,

montem denique *Nebuntem* conſcendit;

moritur, ac ſepelitur à Deo.

A.M. 2553.

atque in vallem quandam ex monte ſublatum. Atque hæc fortaſſe de occulto *Moſis* tumulo non carent myſterio: Legem, ſcilicet, cujus erat præcipuus miniſter *Moſes*, mortuam atque ſepultam reſurgente *Chriſto*, hoc eſt, abrogatam, non eſſe deinceps requirendam à nobis, aut ſuſcitandam denuo; Ceremonias autem obſoletas æternâ oblivione quaſi occultandas. (*Rom.*8.3. *Gal.*3.13,14. *Col.*2.14,16,17. *Heb.*9.9,&c. & 10.1,&c.) Tradunt *Judæi*, ſeptimo die menſis ultimi, qui *Adar* dicebatur, & natum fuiſſe *Moſen*, & mortuum.

§ 57. Annorum erat 120 ſenex cùm moreretur *Moſes*. Neque tamen (quod ſolet plerumque viris ætate provectis contingere) tot curarum atque moleſtiarum æſtus vegetum ejus & ſucci plenum corpus debilitârant, oculorúmve aciem hebetârant adhuc juveniliter perſpicacem. *Artapanus* (apud *Euſebium* Præpar.9.26.) ſtaturâ procerum ait fuiſſe, ſubrufum colore, cæſarie promiſsâ, corpore vultúque dignitate ſummâ majeſtatéque. Triginta dies luctui dederunt *Iſraëlitæ*, triſtiſſimi, licèt occulti, funeris. Nec enim unquam Propheta exſtitit alius *Moſi* par, qui tam familiaris Deo, tantáque facinorum prodigia perpetravit. Magnum profectò ſui apud ſuos deſiderium, magnam apud exteros reliquit celebritatem nominis, memoriámque viri prudentiſſimi, juſtiſſimi, ſanctiſſimíque. Quinque primos è Sacris Teſtamenti Veteris Libros eum ſcripſiſſe, tum conſtans memoria *Judæorum* per omnes ætates docet, tum quædam teſtimonia ex Prophetis aliis probant Divina. (*Marc.* 12.26. *Luc.* 2.22. & 16.31. & 20.37. 2 *Reg.* 14.6. *Joan.* 5. 46,47.) Nomina his Libris *Hebraïcè* nulla ſunt, niſi à primis quæ occurrunt in unoquoque verbis. His enim vice nominum diſtinguuntur à *Judæis*. *Geneſis*, quomodo primus nominatur, *Græcè Generationem* ſignificat. Mundi enim Eccleſiæque ortum & initia exponit, cum hiſtoria generationum 23, hoc eſt, graduum primorum ſibi ſuccedentium in proſapia generis humani. *Græcum* pariter vocabulum *Exodus*, *Egreſſum* & liberationem continet *Iſraëlitarum* ex *Ægyptiaca* ſervitute, cum Lege Fœderéque Dei, & incrementum Eccleſiæ. Sacrificia *Leviticus* & ceremonias tradit, ſacerdotibus aliíſque miniſtris è tribu *Levitica* peragendas. *Numeri* quartus Liber *Latinè* dicitur, quoniam Tribus in eo *numerantur*, itineráque ſive caſtra in deſerto; & populi geſta ferè à tradita in primo anno Lege, ad eandem repetitam quadrageſimo, deſcribuntur. Denique, à *Legis* Fœderíſque Divini *repetitione*, *Deuteronomium Græcè* quintus eſt Liber nominatus. Primum igitur *Moſen* habemus Theologiæ, Philoſophiæ, Poëticæ, Hiſtoriæque ſcriptæ autorem, reliquorúmque omnium ducem, quibus jam refertæ ſunt ſcriptoribus Bibliothecæ ampliſſimæ. Cùm enim ab intimis eſſet conſiliis Deo, Religionem inſtituit Deo dictante, quæ ad *Meſſiam* rectâ duceret, ad *Meſſiam* uſque valeret, & coleretur unica. In explicandis mundi primordiis, ad Philoſophiam naturámque rerum inveſtigandam rudimenta plurima & pulcherrima tradit, aliarúmque alibi Artium. In *Exodi* & *Deuteronomii* Libris Hymni duo, Liber de *Jobo* ex magna parte, & *Pſalmi* aliquot (ſi B. *Hieronymum* audiamus) inter *Davidicos*, præcipuè nonageſimus, artem ejus Poëticam, & in ea præſtantiam, ſatìs indicant. Poſtremò, Hiſtoriam Eccleſiæ ab Orbe condito ſuam uſque mortem, ſumma cum veritate ac perſpicuitate, ultra bis mille quingentóſque annos, contexuit. Idem de *Jobi* quoque rebus Librum creditur vel condidiſſe, vel ex *Arabica* lingua tranſtuliſſe in *Hebræam*. Quo in loco temporéve ſcripta ſint hæc, ſi quis fortaſſe quæret ex me, quod de reliquis apertum eſt, idem quoque de *Geneſi* opinione probabili conjicitur, eum in ſolitudine ſcriptum videri, quâ tot annis oberrabant *Iſraëlitæ*, vacabátque ſatìs *Moſi*; partim ad ſanandos & ſubigendos popularium rebelles animos, partim ad conſolandos atque ſuſtinendos tot penè fractos miſeriis. Sabbati enim celebratio, & mundorum immundorúmque animalium diſtinctio, quæ in *Geneſi* commemorantur à *Moſe*, at in *Sina* monte demum inſtituta ſunt, eatenus valent apud *Theodoretum*, (Quæſt. in *Geneſ.* 1.) *Bedam*, atque *Toſtatum*, (in *Geneſ.* 13. quæſt. 132.) ut illi propterea non niſi poſt Legem latam *Geneſin* à *Moſe* conſcriptam putent. At verò animalia munda, & Sabbatum, quanquam & Lege ſancita *Moſis*, tamen ante *Moſen* ab ipſis rerum initiis poſita in more apud viros fuiſſe probos atque ſanctos, ut ſacrificia & alia quædam inſtituta ſacra, nemini eſſe dubium poteſt. *Euſebius* ergò, (Præpar. 7.2.) *Pererius*, (Præfat. in *Geneſ.*) & alii, malunt hunc Librum à *Moſe* compoſitum eâ tempeſtate quâ *Jethronis* paſtorem agebat profugus in deſerto, abundabátque otio & ſolitudine, rebus ad commentandum ſcribendúmque opportunis maximè: edidiſſe verò ad conſolandos

Multos libros edidit:

apud *Jethronem* in deſerto *Geneſin*;

dos

dos *Hebræos* in *Ægypto* crudeli ſervitute oppreſſos, eorúmque animos præparandos ad accipiendam à ſe Legem Dei. Huic opinioni maximè obſtat, quòd *Moſes*, tergiverſando detrectandóque tantopere oblatum ſibi à Deo munus reducendi *Hebræos* in *Canaanæam*, abjeciſſe videatur tum temporis omnem cogitationem atque ſpem liberationis reditûſque vivente ſe, operâve ſuâ; eáque propter minùs fuiſſe ſolicitus de iis commentandis quæ ad Legem poſtmodum ferendam à ſe viam ſternerent, quod *Euſebius* à *Moſe* factum opinatur. Verùm utcunque de ferenda Lege, ac reducendo ipſe populo non cogitârit fortaſſe *Moſes*; voluiſſe tamen *Geneſin* ſcribendo erigere popularium ſuorum animos, quanquam ab alio aliquo miniſtro reducendorum in *Canaanæam*, nihil prohibet. Ortum igitur & originem rerum tradit inprimis in hoc Libro *Moſes*, ut moneat quantum illi debeant Deo, qui homines dedit eſſe; omnium verò animantium, homines condidit præſtantiſſimos longè ac dominos; aliáque ferè omnia illorum gratiâ, illos tantùm ſuâ. Poſtea, de Fœdere narrat Dei cum *Abrahamo* inito ejúſque poſteris per circumciſionem: quo doceat, quantò illi magìs reliquo mortalium genere obſtricti ſint Deo; quantóque illis ab antiquo Deus magìs obligârit ſe. Poſtremò, variis exemplis Divinæ in homines impios ultionis, in *Adamum* & *Evam*, in Orbem terrarum veterem, in Turris *Babylonicæ* conditores, in *Sodomas* & *Gomorrham*, deterret à peccando, irritandóque tam gravem ſcelerum vindicem Deum: præmiis verò in *Abrahamum* præcipuè collatis, in *Iſaacum*, in *Jacobum* atque *Joſephum*, allicit ſtimulátque ad obſequendum præceptis Dei populares ſuos. Maximè verò majorum ſuorum propoſitâ illis in temporibus difficillimis conſtantiâ, & promiſſionibus *Canaanææ* toties repetitis, dejectos variis ærumnis erigit atque ſuſtentat animos rerum exſpectatione proſperarum, & feliciorum aliquando ſpe. *A.M.* 2553.

§ 58. Sed de his Scriptis *Moſaïcis* mihi eximendi quidam ſcrupuli videntur, qui fortaſſe torqueant imperitos. Ac inprimis expediendum occurrit, unde certam de iis quæ ſcripſit ſcientiam ſit nactus *Moſes*; maximè verò de rerum principiis, re inter Philoſophos *Græcos* maximè controverſa. Nihil enim ille argumentis concludit neceſſariis, philoſophico & *Peripatetico* more; ſed *Pythagorico* tantùm diſcipulis imperat fidem, non facit. Deinde quæritur, an hos revera ſcripſerit *Moſes* qui noſtris teruntur manibus Libros, ejúſque nomen præferunt. Ex quarto enim *Eſdræ* (cap. 14.) receptum eſt apud veterum *Chriſtianorum* pleroſque doctiſſimorúmque Patrum, *Babylonico Hieroſòlymarum* incendio Legis vel Teſtamenti Veteris Libros conflagrâſſe omnes, ac periiſſe. Poſt reditum *Judæorum*, Divino Sacri Spiritûs afflatu, renovatos ab *Eſdra* fuiſſe, ac priſtinæ redditos integritati. Poſtremò, reperiuntur quædam in his Libris quæ non ſit credibile ſcripſiſſe *Moſen*: ut de ſua morte & ſepultura; (*Deut.* 34. 5, 6, 7.) de tempore quo deſiit Manna cadere; (*Exod.* 16. 35.) de Libro Bellorum *Jehovæ*, (*Num.* 21. 14, 15.) quem, *Moſaïcis* antiquiorem, quis tandem erat qui ſcriberet? Itaque meritò ſuſpicari licet, nec à *Moſe* reliqua eſſe exarata, quanquam ejus titulo inſignia. Ad primam ex his arduam ſanè quæſtionem, & quâ Religionis veræ ipſa principia nituntur, unde *Moſes* didicerit quæ ſcripſit, cùm ſuo Marte artéve nihil ipſe invenerit, aut philoſophicè demonſtrârit; primò dicimus, in explicandis eum naturæ primordiis, non Philoſophum agere, ſed Hiſtoricum, cujus narrare munus eſt verè ac dilucidè, non arguere, non probare. Deinde, à majoribus ea quæ ſcripſit tradita per manus accepiſſe. Etenim ab *Adamo* ad *Methuſalam*, indè ad *Noachum*, à *Noacho* ad *Semum Heberúm*que, ab his ad *Abrahamum*, à patre ad *Iſaacum*, ab eo ad *Jacobum*, deinde ad *Joſephum* & fratres, ab eorum nepotibus ad *Moſen* Veterum tranſmitti facillimè Traditiones potuerunt. Cùm autem Propheta eſſet *Moſes* maximè omnium familiaris Deo, nè labi, errare, decipi, falsáque narrare pro veris poſſet, (quod uſu venit ſæpiſſimè in iis quæ ore tenus tranſeunt à parentibus ad nepotes,) Spiritum Divinum (*Pſal.* 103. 7. *Marc.* 7. 9, 10. *Luc.* 24. 44.) ſibi præſentem ac præeuntem in omnibus ducem atque lucem habuit. A *Moſe* igitur diſcendum jure monet *Abrahamus*. (*Luc.* 16. 29.) Si quis ergò Scriptorum ejus fidem veritatémque Divinam in dubium vocat, ſanè convellit is & labefactat ipſa Religionis *Chriſtianæ* fundamenta; ſi quis autem negat, diruit planè. Reliquis enim è 5 Libris ad omnem Religionem inſtituit *Hebræos Moſes*, tum exemplis, tum verò maximè præceptis, & ceremoniis ejuſmodi, (Deo monſtrante) quæ ad *Chriſtum* pædagogi more nos agerent, & à *Chriſto* abrogarentur tandem ſpiritualem præcepturo cultum, ad exitum uſque mundi perduraturum. Cavendum igitur vel max-

In quo ea quæ ſcripſit, ex traditionibus Veterum didicit:

A.M. 2533.

maximè, nè quid autoritati *Moſis* derogetur, cujus maximè fide Religio *Chriſtiana* ſtat. Quod ſecundo loco diſputatur, ſuâ ſponte corruit, quoniam infirmas habet radices, Apocryphum ſcilicet nullius autoritatis Librum. Tot enim fuiſſe conſtat Legis exemplaria, variis in locis diſperſa, tum apud ſacerdotes atque *Levitas*, quorum erat officium explicare, tum apud reges, quorum erat ſingulorum ſibi librum tranſcribere, (*Deut.* 17.18,19.) præter eos qui relicti erant à majoribus, ut omnes uno igne aboleri poſſe difficillimè credatur. Quòd ſi *Antiochus Macchabæorum* tempore, qui Sacros Libros ſummâ diligentiâ indagabat & perquirebat, tollere tamen aut invenire ſingulos non potuit; (1 *Macc.* 1.56. & 3.48. 2 *Macc.* 2.14.) quantò credibilius *Nabuchodonoſoris* flammæ ſuperſtites fuiſſe permultos, qui nihil iis mali machinatus eſt? Cúmque (2 *Reg.* 25. & 2 *Chron.* 36.) recenſeatur omnis, & *Chaldæorum* præda, & *Judæorum* jactura, Libri nuſquam in his numerantur Sacri, quorum fuiſſet jactura maximè omnium deploranda. Libro 2 *Macc.* 2.4, &c. traditur, Prophetam *Jeremiam*, permittentibus *Chaldæis*, Tabernaculum, & Arcam ſacram, & Altare aureum traduxiſſe in montis *Nebuntis* abditam ſpeluncam, ex ruinis Templi ſublata conſervatáque. Quantò probabilius eum Sacra Volumina non ſarta & tecta modò cuſtodiviſſe, ſed in ipſo abdidiſſe fovíſſéque ſinu? Imò & hoc narratur eodem autore, *Jeremiam* populo in exſilium proficiſcenti tradidiſſe Legem, (v.2.) & monuiſſe nè obliviſcerentur Præceptorum Dei. Libro *Danielis* (cap. 9.) mentio fit Librorum *Jeremiæ*, (v. 2.) & *Moſaïcorum*: (v. 13.) ergò ſuperfuiſſe conſtat, antequam redierat *Eſdras*. *Joſephus* quidem (Antiq. 11.1. ſi quâ is dignus eſt fide) memorat *Judæos*, *Theodoretus* (in *Eſai.* 45.) *Danielem* ait, *Cyro* ipſi monſtraviſſe locum *Eſaiæ* Prophetæ, quo *Cyrus* nominatus eſt antequam natus; eóque inductum præcipuè regem, exſulibus *Judæis* liberam conceſſiſſe domum diſcedendi veniam. Quare deleta fuiſſe *Moſis* Teſtamentíque Veteris omnia volumina, & *Eſdram* reddidiſſe in lucem divinitus afflatum, planè fabuloſum indignúmque fide cenſeo. Nec fortaſſe aliud voluerunt Patrum plerique veterum, niſi corruptos depravatóſque Sacros codices (non deletos) in priſtinam integritatem & nitorem ab *Eſdra* fuiſſe reſtitutos, & charactere donatos novo, id eſt, *Aſſyrio*, quem legere populus unum potuit, *Moſaïci* veteris oblitus. Objicitur poſtremò, aliqua in his Libris occurrere, quæ *Moſen* autorem non ferant; ut ea de morte *Moſis* & ſepultura narratio, de Libro bellorum *Jehovæ*, &c. Ut paucis concludam hæc; Addita fuiſſe quædam Libris *Moſaïcis* aliíſque, ſed ab aliis Prophetis, perficiendi explicandíve gratiâ, ſine injuria concedi poteſt, aut læſæ fidei periculo. *Deuteronomio* addidiſſe *Joſuam* aut *Eleazarum* Pontificem de morte laudibúſque *Moſis* quæ ſcripta ſunt, déque Libro bellorum *Jehovæ* (ab ipſo *Moſe* ſcripto fortaſſe) aliíſque rebus interpolata, vero ſimillimum videtur.

nec ejus libri *Hieroſolymarum* incendio perierunt.

Profani etiam Scriptores meminerunt de *Moſe*.

§ 59. De *Moſe* meminerunt paſſim gentium profanarum Scriptores, *Polemo*, *Appion*, *Ptolemæus Mendeſius*, *Hellanicus*, *Philochorus*, *Caſtor*, *Thallus*, & *Alexander Polyhiſtor*, ut in Parænesi ad *Græcos* traditur, quæ *Juſtini Martyris* titulum gerit. Ex his aliquot etiam *Cyrillus* nominat contra *Julianum*. *Joſephus* præterea (contra *Appion.* 1. & 2.) *Manethonem*, *Lyſimachum*, *Chæremonem*, atque *Molonem*. *Diodorus* quoque *Siculus*, & ex *Pompeio Trogo Juſtinus*, *Strabo*, *Plinius*, *Tacitus*, *Juvenalis*, *Dionyſius Longinus*, *Pythagoræi Platonici*que memorant de *Moſe*; *Numenius*, *Chalcidius*, *Sanchuniatho Phœnix*, apud *Porphyrium*; *Artapanus*, *Eupolemus*, &c. apud *Euſebium*: (Præpar. 9.) quanquam omnibus qui ſuperſunt omnium gentium Scriptoribus longè antiquior ſit. Apud alias enim gentes *Homeri* Poëmate nihil habetur vetuſtius. Unde illud *Horatii*, (Carm. 4. od. 9.)

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotíque longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.

Homerus autem ipſe poſt annos ferè 600 *Moſen* ſecutus eſt. *Manetho*, *Lyſimachus* & *Chæremon*, quos dixi, *Ægyptii* cùm ſint, maximéque infenſi *Judæis*, nihil ferè habent præter mendacia & calumnias; unde *Tacitus* quoque hauriebat ſuum virus. At hos *Joſephus* (in primo Adverſus *Appionem*) ſuis figmentis repugnantibus, atque ſibimet adverſis, ità implicatos & irretitos tenet, ut refutatione aliâ non egeant. *Diodorus Sic.* (1. ſect. 2.6.) inter eos qui ad aliquem Deum autorem ſuas leges referebant, *Moſen* ait *Judæis* tradidiſſe à Deo quem *Iao* vocabant. *Jehovam* vult. *Strabo* (lib. 16.)

(lib.16.) multa quidem habet de *Moſe*; quæ quanquam minùs vera pleraque, nihil enim habet præter auditum, ſatìs honorificè tamen inſtitutis ejus juſtitiam & religionem tribuit: quemadmodum & *Juſtinus*, (lib. 36.) *Plinius* (30. 1.) aliam ait fuiſſe Magices factionem à *Moſe* aliiſque *Judæis* pendentem, præter eam *Zoroaſtris*, & longè poſteriorem. Etſi revera multò antiquior *Zoroaſtre Moſes*, non & Magus, ſed magorum malleus. *Juvenalis* (Sat.14.) perſtringit ſuo more eos qui A.M. 2553.

Judaïcum ediſcunt, & ſervant, & metuunt jus,
Tradidit arcano quæcunque volumine Moſes.

Dionyſius Longinus (de Sermonis ſublimitate) aliqua legiſſe videtur ſcripta *Moſis*, eúmque viri laude ornat egregii, qui Numinis Divini potentiam & ritè conceperit animo, & pro dignitate verbis prodiderit. *Pythagoras* & *Plato*, non illi quidem nomine fatentur *Moſen*, ſed ex eo multa philoſophati ſunt. Quod de *Pythagora* (in Vita ejus) docet *Hermippus* apud *Joſephum*, (Contra *Appion*.2.) ubi multa eum inſtituta *Judæorum* in ſuam Philoſophiam tranſtuliſſe dicit. Et in *Timæo* plurima *Plato* accepiſſe creditur à *Moſe*: ut etiam *Chalcidius* in *Timæum*, ubi hoc eum ornat elogio, *Sapientiſſimus Moſes non humanâ facundiâ, ſed inſpiratione, ut ferunt, afflatus Divinâ*. *Numenius* apud *Euſebium Pythagoræus*, eum voce *Græcanicâ Muſæum* vocat. (De Præpar.8.8.) Et *Artapanus*, (ibid.lib.9.27.) quem *Hebræi Moſen*, à *Græcis Muſæum* appellari tradit; eúmque ſcribit à *Mœride*, *Chenephris Ægyptiorum* regis filia, eò quòd ipſa parere non poſſet, adoptatum, maximo apud *Ægyptios* habitum honore, ob ingenium divinum & inventa, tum quæ ſcientiam rerum ſpectabant, tum quæ ad publicam privatámque rem, & mores ſingulorum inſtituendos. Idem literas eundem ait inveniſſe, quas *Ægyptiis* & *Hebræis* tradidit, verus ille *Mercurius* tantopere celebratus: aliáque plurima. Sed meritò S. *Auguſtinus* (de Civ. Dei 18.39.) falſam hanc ei laudem negat, & ab *Hebero* non modò linguam *Hebræam* conſervatam, deſcendiſſe per ſucceſſionem Patrum ad poſteros *Abrahami*, ſed & literas primævas dicit. Veriùs hac in re *Eupolemus* apud *Euſebium*, (Præpar.9.26.) qui *Moſen* ait fuiſſe hominem ſapientiſſimum, ac primum literas tradidiſſe *Judæis*, unde *Phœnices* acceperunt, à *Phœnicibus* ad *Græcos Cadmus* tranſtulit. Sed alibi hac de re ſcriptum eſt uberiùs. *Demetrius* denique Hiſtoricus multa, & *Ezechielus* Tragicus integram de *Moſe* fabulam inſtituiſſe videtur; ex qua plurima legas apud *Euſeb.* (Ib.cap.28,29.)

JOSUÂ,

JOSUA,
SIVE
ANNALIUM MUNDI
Primi Tomi
LIBER SEXTUS;
Qui,
A *Moſe* uſque ad *Ebudem* Judicem, annos comprehendit 77.

§ 1. MOſes jam *Iſraëlitas*, quibus annis 40 præfuerat, mortuus dereliquit. At populum ſuum non deſeruit immortalis Deus. Jampridem elegerat *Joſuam Ephraïmitam*, filiúmque *Nunis*, qui ejus imperii clavum teneret. Eundem regiis planè dotibus inſtruxerat. *(Deut.* 34. 9.*)* Sed quoniam fortiſſimi quique, licèt probè comparati, ubi ad rem ventum eſt, vel ſubſiſtunt, vel vacillant; adhortari hominem placuit, ut mox ad expeditionem ſe accingeret; eóque magis præfecturam ejus denuo ſancire, ut populus collectis animis eum ſequi ducem non dubitaret, quem videbat pedem non movere, niſi præeunte Deo. Sic igitur *Joſuam* excitavit Deus: " *Servus mihi* fideliſſimus *Moſes fato ſuo functus eſt*, cujus te " in locum ſurrogavi. Satis luctui datum. *Agè nunc*, arma expedi, *trajicitó*que *fluvi-* " *um hunc Jordanem, ad occupandam quam vobis traditurus ſum Canaaneam. Quic-* " *quid terrarum veſtri pedes calcaverint, veſtrum eſt; quod ſum pollicitus Moſi. A de-* " *ſerto Libanóque monte, uſque ad Euphratem orientalem terminum, & mare* Mediter- " raneum *ab occidente, veſtræ ditionis limites porrigentur.* Utcunque ſint bellicoſæ gen- " tes quibuſcum tibi res eſt futura, nè quid metuas tamen; ſuccumbent omnes, tuíſ- " que armis profligabuntur. *Nulla tibi quoad vixeris obſtare poterit*, victoriarúmque " perpetuum impedire curſum. *Ego enim* ſemper *tibi*, *quomodo* nuper *Moſi*, *affuturus* " *ſum. Non deſeram ego, non derelinquam te*, quem conſtitui ducem ut *hæreditatem* " *populo* meo jamdiu *promiſſam diſtribueres. Tu modò forti animo vide & infracto ut ſis*, " *Legique meæ toti obſequaris. Eam continuâ meditatione* familiarem tibi redde, ut " quotidianos progreſſus facias, neque in hoc ſtudio totâ vitâ deſinas proficere. *Ità pru-* " *denter conſules tuis rebus, proſperéque tibi ſuccedent omnia.* Iterum ergò iterúmque " *jubeo te, magno fortique ut animo ſis, nè quid* rerum hominúmve *extimeſcas; quoni-* " *am ego tibi Omnipotens Jehova ubique ſum præſidio futurus auxilióque.*

A.M. 2553. *Joſua* Imperator, animatus à Deo,

Hoc animatus oraculo *Joſua*, nè temere tamen in maximam rem & periculoſiſſimam irrueret, viámque arriperet incognitam, duos clàm exploratores præmiſit, qui diſpicerent libérne tranſitus pateret, atque *Hierichuntii* ſecuríne eſſent, an parati ad arma & inſtructi, aliáque multa diſcerent, priuſquam pedem in terra ponerent hoſtili. Credibile eſt, ipſum Deum hanc illi ſolicitudinem injeciſſe. Nuncii cùm *Hierichuntem* perveniſſent, ut hominum fugerent conſpectum & frequentiam, in meretricis

exploratores mittit *Hierichuntem*:

A.M. 2553.

quos *Rahaba*, caupona,

cujuſdam divertere domum. (*Jacob*. 2. 25.) Ea *Rahaba* vocabatur, quæ in urbis obſcuro quodam receſſu habitabat. Paries exterior domûs in ipſo erat urbis muro locatus, procul à foro & celebritate publica; ſicuti ſolent meretrices angiportus & loca ſolitaria utplurimum incolere. Clanculùm inſinuant ſpeculatores, & abdunt ſe in latebris, unde faciliùs elabi ſe poſſe opinantur. Probabile eſt, (quod dubiis temporibus & in metu belli fieri ſolet,) appoſitos fuiſſe cuſtodes, qui ſuſpectos hoſpites obſervarent. In propinquo aderant *Iſraëlitæ*, qui apertè profeſſi fuerant apud *Idumæos* & *Moabitas*, ſe in *Canaanæa* ſedem quærere. Formidoloſa erat multitudo. Cæſis jampridem duobus in vicinia regibus, amplam ditionem occupaverant. Nimiæ ſocordiæ fuiſſet, liberum tranſitum per urbem in ipſis finibus *Canaanææ* ſitam advenis quibuſlibet permittere, in diſcrimine tam manifeſto. Exploratores igitur, quos multa indicia prodebant hoſtili animo veniſſe, regi per delatores proditi ſunt. Obſtupefacti cives à Deo videntur & excæcati, ut nihil conſilio vel ratione egerint. Facillimè potuiſſent, ut primùm ſunt ingreſſi urbem, detinere ſuſpectos hoſpites, examinare, deprehendere. Tandem ſuſpicione delatos ad ſe accerſiri jubet rex. Sed & hoc ità imprudenter geſtum, ut ſpatium iis occultandi ſe in ſummo tecto datum ſit ſub lini culmis, ad fruſtrandam ſcrutationem ritè compoſitis à meretrice. Itaque mulier appellata prodiit intrepidè in medium, & callido fallacíque reſponſo facilè expedivit ſe: " *Veniſſe* quidem aiebat *ad ſe* peregrinos; *unde* veniſſent, *minimè ſibi com-* " *pertum fuiſſe: in tenebris, dum porta claudebatur, elapſos*, facilè *comprehendi poſſe, ſi qui* " *ocyùs perſequerentur.* Valuit hic apud imprudentes dolus. Emiſſi protinus qui ad vada uſque *Jordanis* perſecuti ſunt, portáque ſtatim obſerata. Interea *Rahaba* exploratores adit, ſolicitos atque pervigiles verbis affatur his aut hujuſmodi: " *Non me* " *latet, Hebræi* hoſpites, *Jehovam dediſſe vobis terram hanc. Veſtri nominis terror om-* " *nes pervaſit nos, animíque hominum concidunt & liqueſcunt metu. Accepimus enim, ut* " *arefactum à Jehova rubrum ſit mare*, vobíſque tutam aperuerit ex *Ægypto* viam. Acce-" pimus *quid Ogo factum & Sihone ſit regibus Amoræorum* vicinis. *Cùm autem accipere-* " *mus hæc, dejecti nobis animi ſunt*, trepidationéque ſummâ conſternati. *Veſter enim* " *Deus Jehova*, unicus *eſt* revera *in cœlo atque in terra Deus. Cùm igitur benignè tracta-* " *verim ego vos*, quorum ex mea unius lingua ſalus pendet, parem *à vobis, etiam juratis* " *ac Jehovæ teſtantibus Numen, benignitatem poſtulo. Hoc autem eſt quod* poſtulo, *ut*, " votorum hujúſque vos urbis compotes, *me parentéſque meos, unà cum fratribus ac ſo-* " *roribus, familiiſque noſtris, ab exitio vindicetis.* Ad hæc reſpondent exploratores, in tanto facilè periculo exorati, "Juramus, & *modò tu nè quid prodas*, reipſa præſtabimus. " Hoc tibi pignus habe *filum coccineum, quod in hac quâ deſcenſuri ſumus feneſtra* con-" ſpicuè *ligatum*, nobis quoque ſignum futurum ſit, nè aberremus à domo. Quoſcun-" que tuorum in hoc tuæ domûs receperis aſylum, fore omnes jurati ſpondemus incolu-" mes. Sin ex his limitibus prodierint, pollicemur nihil. Spem ſalutis ut amplum ſibi præmium amplexa *Rahaba*, fune per feneſtram demiſit hoſpites, monuítque ſimul, nè rectà *Jordanem* peterent: fore enim ut occurrerent fortè militibus, qui ad perſequendum exierant. Sed properarent ad montes, ac tres ibi dies latitarent, donec redirent regii ſatellites à *Jordane*: deinde tutum carperent ad ſuos iter.

mendacio tuetur.

Cùm rediiſſent narraviſſéntque omnia quæ ſibi contigerant ſpeculatores, *Joſuam* populúmque in ſummam victoriæ ſpem erexerunt, eò quòd ejus regionis incolæ omnes, terrore ſummo divinitus perculſi, ſuóque damnati præjudicio, *Iſraëlitarum* exhorreſcerent adventum. *Rahabæ* fides nata ex auditu celebratur *Heb*. 11. 31. & *Jac*. 2. 25. Ac meritò quidem celebratur. *Jehovam* ſcilicet unicum Deum, cœli potentem atque terrarum, credidit; adeóque non dubitavit *Iſraëlitas Canaanæâ* potituros, (quod ipſis tamen *Iſraëlitis* ægre perſuaderi potuit,) ut captivis & ſolicitis de ſua vita exploratoribus ultro ſupplicârit, ſuámque & ſuorum pacta ſalutem ſit. Nec proditionis in patriam jure damnanda fuit, quia Dei judicium ſecuta eſt, quem certò credidit *Iſraëlitis* mox urbem ſuam traditurum; neque verò jam urbem ſuam ulteriùs, quæ fide tranſitura in aliam gentem, renunciare debuit popularibus ſuis. At de mendacio quo uſa eſt ad conſervandos hoſpites, quamvis in bonum finem tenderet, jure tamen *Calvinus* docet, non fuiſſe extra culpam. Nam qui mendacium officioſum prorſus excuſant, non ſatis attendunt quàm pretioſa Deo ſit veritas. Utcunque igitur fratres noſtros juvare, eorum ſaluti conſulere, & ipſos ſublevare propoſitum ſit; mentiri nunquam fas erit: quia rectum eſſe non poteſt, quod Dei naturæ eſt contrarium: atqui Deus eſt Veritas. Neque tamen ideo virtutis laude exuitur

opus

opus *Rababæ*, quamvìs maculâ ſit aſperſum. Sæpe contingit, dum Sancti rectam viam tenere ſtudent, in obliquos tamen circuitus divertere. Sed ubi actio præcipua Deo grata eſt, vitium virtuti admiſtum non imputatur: ut obſtetricibus *Ægyptiis*, (*Exod.* 1.) & *Rebeccæ*. (*Gen.* 27.) Voluit Deus expediri periculo ſpeculatores: mendacio protegi eorum vitam non probavit. A.M. 2553.

Ex læto nuncio ſpei plenus *Joſua*, ubi rebus bene compertis maturum eſſe vidit progrediendi tempus, edicto populum juſſit vaſa colligere, & ad expeditionem accingere ſe. Præfectis enim jam antea dederat mandata, ut per caſtra tranſirent, populóque imperarent, domeſticatim ſibi de annona proſpicere; poſt tres enim dies *Jordanem* tranſituros, ſuggerente Divino Spiritu, pronunciavit. Vadum nemo tentaverat, neque ulla ſpes vadum promittebat ad populum traducendum; utcunque viri duo expediti tranare, alióve aliquo modo in ripam alteram evadere potuerunt. Neque ponte neque navibus trajicere licebat. *Jordanes* enim plenior ſolito exundabat extra omnes ripas toto meſſis tempore. Et facilis nulliúſque negotii erat prohibitio. Nihil ergò aliud reſtabat, niſi ut ipſos Deus mirabiliter tranſportaret. Idque futurum *Joſua* certâ præceperat ſpe, aliquo modo ſibi præmonſtratum à Deo. In obſequii promptitudine populi quoque fides enituit; quia tantâ objectâ difficultate, niſi rejectâ in Deum curâ collocatâque omni ſpe, nunquam ità fuiſſent morigeri. Neque verò dubium eſt, quin hanc alacritatem indiderit Deus eorum animis, ut obſtacula omnia quæ morari poterant nè præſtaretur promiſſorum Divinorum fides tolleret. Deinde *Rubenitas*, *Gaditas* dimidiámque *Manaſſis* tribum compellat *Joſua*, poſtulátque, ut quam dederant *Moſi* fidem promiſſi liberent; ut, relictis uxoribus & pueris omnibúſque impedimentis, *Jordanem* armati atque primi trajiciant, neque finem bellandi faciant, donec fratres ſuos in tranquilla pariter ſede collocârint. Hâc enim lege conceſſam illis aiebat hæreditatem primam, ut in profligandis *Canaanæis* eandem cum fratribus militiam obirent, imò ut præirent aliis; miniméque fore conſentaneum, fratres eorum ſudare, ac pericula ſubire belli omnia, ipſos autem in pacata ſtatione commodis omnibus perfrui. Sed non opus fuit hortatione longâ. Alacriter illi reſpondent, in primo agmine ſui ſtudii ſe promptitudinem teſtaturos. Nec id modò, ſed in aliis omnibus liberaliter & prolixè deferunt *Joſuæ* quod debebant obſequium. Eum eodem profitentur ſibi loco futurum, quo *Moſen* habuerant. Deus modò ut adſit ſervo ſuo *Joſuæ* apprecantur, quo modo *Moſi* opitulatus eſt. Ejus quicunque mandatis non pareat omnibus, è medio tollendum denunciant. Ille igitur forti magnóque animo ut pergat, ducátque quò velit, adhortantur; ſe alacriter conſecuturos promittunt. Ecce, omnia jam conſpirant ad victoriam. Non modò populum erigit excitátque dux, (quod fieri ſolet,) verùm ipſi duci milites præcurrenti ſtimulos addunt.

§ 2. Tertio die primo manè à *Sittimis*, ubi jam diu hæſerant, mota ſunt caſtra, & in ripa *Jordanis* fluvii pernoctatum. Ibi *Joſua* populum allocutus eſt, Deíque verbis mandavit, ut conſecrarent ſolenni ritu ſe, purgaréntque ab omnibus inquinamentis, (quomodo ante Legem promulgatam purgaverant,) in *Canaanæam* cras, tot promiſſis datam à Deo, tot votis expetitam à ſe, per medium *Jordanem* tranſituri. Eorum ſcilicet gratiâ facturum mirabilia Deum: quem ex eo ſibi propitium atque præſentem eſſe cognoſcerent, expulſurúmque impias *Canaanæorum* gentes, ac terram illis traditurum, quòd Arcam fœderis *Jehovæ*, terræ univerſæ Dominatoris *Jehovæ*, præcedentem erant habituri; quieſcentibus verò ſacerdotibus qui portabant Arcam in primo aditu fluminis, aquæ, Divinâ interclusæ vi, ſiccum iter ambulantibus per alveum *Jordanis* conceſſuræ. Viros ergò duodecim, è ſingulis unum tribubus, deſignari debere, qui ex fundo fluvii totidem lapides tollerent, ut ad poſteros monumento eſſent hujus miraculi. Sacerdotibus etiam edixit à Deo *Joſua* qui Arcam erant portaturi, ut ad ripam uſque fluminis progreſſi, conſiſterent in primis aquis, exſpectaréntque dum iter populo expediret Deus. Hoc autem prodigium eo ſe conſilio editurum dixit Deus *Joſuæ*, ut eum magni faceret coram populo, indéque omnes diſcerent, quomodo *Moſi* adfuit, ità & *Joſuæ* præſtò futurum; eò quòd ejus præfecturam pari miraculo commendaret in magno fluvio, quo *Moſis* imperium confirmaverat in Rubro mari. Deinde iterum miſſi per caſtra præfecti, qui populo edicerent, ut quò Arcam Divini fœderis præeuntem cernerent, eò ſequerentur, ſed longo ſequerentur intervallo, duûm ferè millium cubitorum; nè audacior & propinquior acceſſus debitam tanto myſterio reverentiam remitteret. Ità novi ignotíque itineris Deum habituros ducem.

Iſraëlitæ Jordanem

A.M. 2553.

Ut primùm ergò conſtiterùnt ſacerdotes qui portabant Arcam in extremis aquis, pedibus tamen ſiccis, conſtiterunt & aquæ ſuperiores fluvii, & in cumulum ingentem aſſurrexerunt; inferiores in mare Mortuum feſtinabant. Ità populus è regione urbis *Hierichuntis* tutus atque totus per medium flumen, quaſi per iſthmum, tranſiit. Interea viri quos diximus duodeni, ex eo fluminis loco ubi ſtabant cum Arca ſacerdotes, ſublatos lapides collocârunt in campeſtribus *Hierichuntis*, ubi caſtra poſita ſunt prima, ut perpetui eſſent miraculi teſtes: ídque factum eſt antequam ſacerdotes ex alveo fluminis ubi conſtiterant Arcam promovebant. Ex hoc mutorum lapidum monumento, voluit Deus erudiri filios à parentibus per ſingulas ætates de ſumma ſua potentia & benignitate in ſuos. Aliud etiam *Joſua* monumentum poſuit lapidum duodenûm, eo ipſo in loco ubi qui portabant Arcam tranſeunte populo conſtiterant: quos ut pleno flumine obrutos aquis & abſconditos latuiſſe conſentaneum eſt; ità ſi quando minuebatur fluvius, interdum acervi cacumen apparuiſſe, præſertim quia non procul abfuiſſe videtur à ripa. Satis autem eſt, cumulum hunc memorialem & his ſcriptis, & hominum ſermone celebratum fuiſſe, quanquam oculis humanis non pateret. Collocatis jam in tuto reliquis, poſtremi tranſiverunt qui primi aquas tentaverant, & in medio hactenus alveo perſtiterant, portitores Arcæ ſacerdotes, vocante per *Joſuam* Deo. Qui ubi terram conſcenderunt, fluvius continuò, more quo ſolebat, aquis præcipitantibus implevit ſuum alveum & exundavit. Et præiverant *Rubenitarum*, *Gaditarum Manaſſidarúm*que millia militum 40. Pauci quidem pro numero tot tribuum. Sed majorem ab iis exercitum credibile eſt non poſtulaviſſe *Moſen*, nè regionem nuper occupatam armis, & imbellem turbam cum pecude ſupellectiléque multis gentibus infeſtis circundatam, abſque præſidio nudam relinquerent. Magnam verò *Joſua* hoc prodigio autoritatem apud *Iſraëlitas* & reverentiam deinde conſecutus eſt. Eodem *Amoræi* qui erant ad Occaſum reges & *Canaanæi* in ſummum conjecti pavorem, penè defecerunt animis, & priuſquam confligerent, jam proſtrati videbantur, ipſâ hujus miraculi famâ ingratiſſimâ perculſi.

tranſeunt ſicco pede;

& circumciduntur.

Deus *Iſraëlitis* traditurus erat jam hæreditatem *Canaanææ*, majoribus eorum ex fœdere ante annos promiſſam quadringentos. At ſignum ejus fœderis Circumciſio atque pignus gratiæ deerat. Per annos enim quadraginta quibus vagati ſunt in deſerto, neminem circumciſum ferunt. Credibile eſt, indulſiſſe per *Moſen* Deum tenero fœtui; nè cùm aſſiduè in procinctu ſtarent, incerti quando eſſet migrandum, eos fortè quibus ablata erant recèns præputia, itineris agitatio ſubita in ſummos cruciatus atque mortem conjiceret. *Junius* parentum contumaciæ tribuere videtur quòd filios non circumciderint in deſerto. Quare, nè homines profani terrâ fruerentur, non niſi fœderatis & circumciſis promiſſâ, *Joſuæ* Deus imperavit cultros acutos parari, præputiáque amputari populo: quod mox in colle factum, qui *Præputiorum* indè *collis* appellatus eſt. Ità inſtauratum fœdus, quod primò erat cum *Abrahamo* percuſſum; cui erat promiſſum quoque id, quod jam tandem erat præſtandum, ejus poſteros terram hanc hæreditario jure poſſeſſuros. Itaque ſublatum id eſſe, ait ad *Joſuam* Deus, quod probro dabant *Iſraëlitis Ægyptii*, (*Exod.* 32. 12. *Num.* 14. 13.) ali eos & lactari vanâ ſpe; nec enim unquam in terram perventuros *Canaanæam*. Perveniſſe ait jampridem, eâque in perpetuum fruituros. Locus indè *Gilgal* dictus eſt. Omnéſne ſimul & eodem die circumciſi, an alii priùs, alii poſteriùs, ut in excubiis atque præſidiis aliqui ſemper eſſent, dum reliqui convaleſcerent ex vulnere, nuſquam traditur. Ut maximè uſus fuit, factum fuiſſe credimus. Unà cum primo ſacramento fœderis, Circumciſione, alterum quoque Paſchatis renovatum eſt legitimo die. Proximo, triticum aſſecuti ex terræ ejus beatæ frugibus, quod toti multitudini ſufficeret, ad communem aliis gentibus redière victûs rationem; ſubitóque Manna defecit, quo priùs pane per annos 40 victitârant. Quamdiu penuriæ ſubveniendum fuit, viatico proſecutus eſt Deus. Miraculis non niſi neceſſariis utitur.

Ab Angelo iterum animatus Joſua,

§ 3. Apud *Hierichuntem* fortè *Joſua* verſabatur ſolus, (ſive urbis contemplandæ gratiâ, ſive qua alia de cauſa minimè conſtat,) cùm ex adverſo virum repentè cernit ſtricto ſibi occurrentem gladio. Quo ille ſpectaculo neutiquam attonitus, intrepidè percontatus eſt, quiſnam eſſet, & quarum partium, *è ſuiſne*, *an ex hoſtibus*. " *Minimè* verò hoſtis, inquit ille, *ſed princeps exercitûs Jehovæ*, auxiliaturus tibi *adſum*, " & in bello quod ſuſcepiſti hoſtes profligaturus omnes. Cùm hæc audiret *Joſua*, pronus in terram abjecit ſe, adoravítque, dicens, *Quid eſt, mi Domine, quod ſervo tuo faciendum præcipis?* " Nihil verò aliud præcipio tibi jam, magnus ille Angelus reſpondet,

det, " niſi ut *calceos exuas*, *quia ſanctior eſt locus* præſentiâ meâ, quàm ut immundis " profaníſque pedibus calcandus ſit. Obſequitur eveſtigio pius vir, pedibúſque nudis veneratur Deum. Hoc ſignum exigi videtur reverentiæ ac timoris, non ejus loci modò causâ ubi viſio facta eſt, ſed *Canaanææ* totius, quam erat Deus præ cæteris regionibus ſuâ præſentiâ quaſi conſecraturus, & in eadem piè colendus ab *Iſraëlitis*. Sed & præſentiæ ſuæ fidem obſignari voluit hâc ceremoniâ. A.M. 2553.

Ab hoſtibus tam propinquis jure ſibi pertimeſcebant *Hierichuntii* nè oppugnarentur. Quare clauſis obſeratíſque portis attenti erant ad cuſtodiam, nè opprimerentur incauti. Neque alia ejus potiundæ reliqua ſpes erat niſi armis & vi. Sed longa & moleſta obſidio munitæ urbis fatigatura videbatur *Iſraëlitas*, & animos dejectura, ſi principia minùs fauſtè ſuccederent. Placuit Deo antevertere, nè anxiâ deliberatione torquerent ſe; felicíque victoriæ facilis exordio providere, nè in futurum deſponderent animos, ſed in maximam potiùs erigerentur ſpem. *Joſuam* ergò his inſtruit mandatis, atque promiſſis animat. Urbem illi ſe regémque ac bellatores traditurum, nullo ſuorum diſcrimine. Circuirent modò taciti civitatis mœnia univerſi milites; ſequerentur ante Arcam ſeptem ſacerdotes, totidem clangentes buccinis arietinis; poſt Arcam verò qui cogebant agmen. Sex diebus id fieret, ſemel quotidie; ſeptimo ſepties. Cúmque poſtremò audirent protractum buccinæ ſonum, ut omnes quanto poſſent clamore vociferarentur. Ità fore, ut ſponte decidentes muri, ex parte omni patefacto aditu, hoſtibus ipſi proderent civitatem. At velle aiebat ſe, ut hanc à ſe urbem expugnatam ſibi tanquam primitias reliquarum devotas conſecrarent: nihil indè attingerent, aut in privatos uſus conferrent; ſed pecora, ædificia, ſupellectilem, humanúmque genus omne ferro atque flammis traderent. Aurum tantummodo & argentum, ærea ferreáque vaſa in ſuum theſaurum tranſirent. Hæc omnia, monente priùs populum & ſacerdotes *Joſuâ*, præcipuè nè quid ex anathemate ſibi quiſquam privatim arriperet, perfecta ſunt. Urbs capta dirutáque funditus, &, præter metalla dedicata ſacris, in cineres redacta omnia. Interim ſpeculatoribus qui urbem exploraverant cura demandata eſt, nè quid *Rahaba* cum ſuis detrimenti caperet; ſed ut eam liberando ſuam liberarent fidem, tutóſque omnes, at extra *Iſraëlitarum* caſtra, ponerent. Nec anathemati Divino repugnabat hæc ſeu clementia, ſeu fidelitas *Joſuæ*. Nec enim exitio deſtinati ſunt, niſi qui deditionem facere pertinaciter recuſabant, in ſuam obdurati perniciem. At *Rahaba*, antequam de urbis excidio pronunciatum eſſet à Deo, quodam (ut credibile eſt) Divino inſtinctu, à ſuis deſciverat, dediderat ſe, pepigerat de ſua incolumitate, ad Eccleſiam ſponte tranſierat; ut juſto privilegio exempta ſit communi exitio, & aliis pereuntibus incolumis evaſerit. Diſſimilis quidem patris & totius familiæ ratio. Sed quando ſe omnes abdicabant à primo ſtatu, ſalutem quam ipſis ſtipulata erat *Rahaba* promptitudine obediendi confirmârunt. Haud dubiè ſalvos eſſe Deus voluit, quorum inflexerat animos ad amplexandam liberationem. Alioqui non minùs eam ſuperbè, nec minore forſan ludibrio repudiâſſent, quàm *Loti* olim *Sodomis* duo generi. Sed utcunque liberati ab exitio, non tamen in caſtra iidem ſunt admiſſi protinus, & admiſti populo Dei, nè gregem totum ſuâ contagione pecudes pravæ inficerent. Seorſum locati & rejecti extra caſtra ut impuri, ſeverâ invitatione ad ſuperioris vitæ abnegationem, & purgandam immunditiem priſtinam, vocati ſunt. Noluit ergò *Joſua* ut polluti fœdis inquinamentis profanarum gentium, temere prorumperent in ſanctum cœtum; ſed potiùs hoc rudimento aſſuefierent ad mutandum vitæ genus. Poſtea, cùm ſatis purgati à ſordibus videbantur, in eundem ſunt populum recepti, nec alio haberi loco cœperunt, quàm ſi *Abrahami* genere fuiſſent oriundi. *Rahaba* enim *Salmoni*, *Judaicæ* tribûs Principi, nupta eſt. (*Matt.* 1.5.) Ut poſteri autem commonefierent, urbem hanc non niſi divinitus fuiſſe expugnatam, ruinas & vaſtitatem loco trophæi in perpetuum monumentum exſtare voluit Deus; quia nova ſtructura inſtar lituræ fuiſſet ad miraculum obruendum. Ergò ut loci deformitas memoriam potentiæ Dei & gratiæ ad poſteros renovaret, dirâ exſecratione ſancivit *Joſua*, nè quis urbem à ſe dirutam denuo ædificaret, quo Dei beneficium obliviſcendo ſepeliret. Quòd ſi quis unquam aggrederetur, imprecatus eſt, ut in filio primogenito fundamenta jaceret, in minori filio portas locaret: hoc eſt, infauſto & lugubri ſuorum interitu, ſceleratum ſentiret atque nefandum ſe opus ſuſcepiſſe. Sed tamen repertus eſt, etiam in Dei populo, quem formidabilis iſta adjuratio, ſolennibus verbis concepta, à ſacrilega temeritate non prohiberet, quíque Deum ex profeſſo hac in re laceſſeret. Verùm ſo-

& inſtructus à Deo,

Hierichuntem capit,

diruítque funditus.

A.M. 2553.

ſobolis ſuæ interitu didicit, quid eſſet invito & repugnante Deo quicquam aggredi, dirarúmque imprecationum vim audaciùs experiri. (1 *Reg.* 16. 34.) Ità proſperè ſuccedebant *Joſuæ* rès, celeberrimáque de illo fama per gentes undique volitabat.

Terræ uberrimæ ſaluberrimæque Deus in ipſo aditu pignus ſuo populo dat. Ut enim Palmetis hæc regio fertilis; ità in convalle ad urbem hanc Balſamum, perquam ſalutare pharmacum, alibi verò nuſquam terrarum, gignebatur. *Uni terrarum Judææ conceſſum, faſtidit alibi naſci*, ait *Plinius.* (Lib. 12. 25. & 16. 32.)

Achanis ſacrilegium

§ 4. Monuerat quidem ſeriò populum ac ſæpius *Joſua*, ut caverent ſibi, nè quid de anathemate ſeu rebus devotis *Hierichuntiorum* contrectarent. Verùm haud facilè fit in tanta multitudine, ut omnes ad unum monitis obtemperent ſalutaribus. *Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueos. Avaritia enim radix malorum eſt omnium.* (1 *Tim.* 6. 9, 10.) Erat è tribu *Judaïca Carmi* filius *Achan*, pravo ingenio vir, qui temperare ſibi non potuit, quin de ſpoliis *Hierichuntiorum* aliquam partem tolleret clàm, de oculis hominum ſecurus, non ſolicitus Dei. Itaque ira Dei vehementer accenſa eſt in populum univerſum. Nihil ſuſpicatus *Joſua*, ſed bellicis conſiliis intentus, exploratores emiſit qui civitatis *Aiæ* magnitudinem, ſitum, & acceſſus omnes adverterent, ut quantis opus eſſet viribus ad eam expugnandam edocerent, nec per ignota loca inſidiis hoſtium exponeret exercitum. Relatum eſt, urbem eſſe modicam, à duobus tribúſve millibus hominum facilè capiendam. Nè igitur fruſtrà fatigarentur plures quàm exigua poſtulabat res, circiter tria militum adverſus *Aianos* prodiverunt millia. Sed pauciores erant quàm ut *Aianorum* ſuſtinere vim atque impetum poſſent. Itaque in fugam effuſi omnes, triginta circiter & ſex deſiderati ſunt. Vulgus hominum, ut in rebus lætis atque proſperis facilè inſoleſcit; ità ubi leviter impingit, minima quævis jactura frangit illi animos, magnóque percellit metu. Nec populus modò exanimatus eſt, ſed ipſe perturbatus *Joſua* vehementer; non tam ipſâ clade, quæ admodum exigua videtur, quàm quòd deſtituti eſſent promiſſo Dei auxilio, qui ſemper fore victores pollicebatur. Ergò tam ipſe quàm Seniores, non tantùm triſtitiæ & dolori ſe tradunt, ſed ſuſcipiunt ſolennem luctum, ut in rebus maximè afflictis fieri ſolet, lacerando veſtes, ſpargendo ſuper capita pulverem, & in humum procidendo coram Arca Dei uſque ad veſperam: quæ ratio fuit peculiaris eâ tempeſtate piis Dei cultoribus, ejus iram ſuppliciter deprecandi. Id autem his à *Joſua* verbis factum eſt. "*Eheu! Dominator Jehova, quorſum verò traduxiſti* huc *nos*, unde ſit revertendi fugiendíve nulla ſpes? *An ut in manus Amoræorum traderes, qui exitio* miſeros *dent? Quantò ſatiùs ultra Jordanem permaneri poterat*, quàm tanto in perniciem miraculo præcipitari? Tuam ego potentiam atque gratiam hactenus, tuis fretus promiſſis, magnificè quidem extuli. Jam verò cùm votis populi meíſque verbis non reſpondeat eventus, *cùm hoſtibus terga verterint Iſraëlitæ*, cùm in eàs ipſe anguſtias conjectus ſim, ut fruſtrator videri poſſim, *quid dicam? quid reſpondeam?* Niſi tu mihi ſuggeras defenſionis materiam, obmuteſcere mihi neceſſe eſt æterno ſilentio. Nam qui hactenus aut ſubacti malis, aut miraculis perterriti quieverunt *Canaanæi*, ultro jam *inſilient, & populum* exanimem *aggreſſi delebunt funditus*; niſi maturâ nobis tu ſuccurras ope. Neque noſtra modò ſalus in diſcrimen vocatur, ſed & *tui nominis* dignitas. Quâ petulantiâ, quibus contumeliis lacerabunt ſacroſanctum *nomen Ægyptii*, aliæque vicinæ impiæque gentes, ſi tua nobis promiſſa deficiant; ſi hæreditate quam tantâ ſpe, tantâ omnium exſpectatione devoravimus, excidamus? Ad hæc tandem *Jehova*: "Quid, inquit, ità mœrori te intemperanter das, totóque die affligis humi? Satìs ſupérque datum eſt luctui. Agè, adhibe huic malo quod ego monſtraturus tibi ſum remedium. *Peccavit populus. De* ſpoliorum primitiis & *anathemate pactum violavit:* ſacrilegio *furati ſunt*, & fraudaverunt me. Imò, quaſi lucraturi & ſuam aucturi de meo rem, *in ſuis condiderunt loculis.* Hoc ſcelere offenſus meum ſubduxi præſidium, nec *Aiam* oppugnaturis adſui. Neque rediturus in caſtra ſum, *donec* diligenti ſcrutatione inventa *ſublatáque ſit devota res.* Agè igitur; populo nuncientur hæc. Ritè *purgati omnes die craſtino* coram *Jehova* ſiſtant ſe. *Accedant univerſi per tribus. Tribus quam* ſorte jactâ *deprehendet Jehova, per familias accedat, familia per domos, domus per viros ſingulos: hujus facinoris denique reus vir* ſorte *deprehenſus, & quæ ejus ſunt omnia tradantur ignibus* perpurganda.

deprehenditur ſortibus;

Hæc ad *Joſuam* Deus. Manè primo exſecutus *Joſua* quæ juſſerat *Jehova*, deprehendit ſortilegio tribum *Judaïcam* ſacrilegii ream, cognationem *Zari*, familiam *Zabdi*,

Car-

*Carmi*que filium *Achanem.* Eum itaque adjuravit *Joſua*, ut gloriam daret *Jehovæ* *Iſraëlitarum* Deo, fateretúrque ſcelus, cujus ipſum reum totius mundi Judex peragebat. *Achan* cùm videret ſorte definitam compertámque rem, pavore exanimatus, apertè prodidit ſacrilegium clandeſtinum, invitum agente præcipitem Deo. Graviter *peccâſſe in Deum ſe*, palàm confitetur. *Vidiſſe* quidem *inter ſpolia pallium Babylonicum pulcherrimum, ducentóſque argenti ſiclos, & ligulam auream quinquaginta ſiclorum pondere, concupiviſſe, abſtuliſſe. Eadem defoſſâ terrâ in medio tabernaculi abſcondita latêre, in imo argentum.* Miſſi protinus qui feſtinarent in tentorium, ut quàm celerrimè piaculum è medio tolleretur. Inventa omnia, & ad *Joſuam* populúmque delata, coram Deo conſtituta ſunt. Ad pœnam deinde quam conſtituerat Deus infligendam, extra caſtra in vallem *Achor Achan* eductus eſt, unà cum ſpoliis quæ ſurripuerat, liberíſque & bonis omnibus. *Joſua* judicium dat, "Quoniam *turbaviſti* ſcelere tuo caſtra *Iſraëlitarum* & Eccleſiam Dei, *turbet hodie Jehova te.* Tum verò populus univerſus, ut teſtatum faceret, ab eo crimine quod ulciſcebatur alienum fuiſſe & abhorrere ſe, lapidibus oneratum furem ceciderunt, ejúſque liberos pecoráque. Cadavera verò mox, unà cum auro, argento, pallio *Babylonico*, tabernaculóque, tradita ſunt comburenda flammis, & acervo lapidum obruta; qui ad poſteros monumentum foret, quíque tegeret omnia, nè quis indè auri argentíve particulas legeret. Suum enim Tabernaculum Deus, cui aurum argentúmque profanum addixerat, furtivo pollui non volebat.

A.M. 2553.

punitur;

Mirum fortaſſe videatur, pueros, qui extra culpam erant, ad crudele ſupplicium rapi parentum causâ; id quod prohibet Deus à nobis fieri, (*Deut.* 24. 16.) & ipſe facturum ſe negat. (*Ezech.* 18.2,3,&c.) Sed profuit *Iſraëlitis* ad terrorem in ſcelere tam nefario, non filios pro parentibus, ſed parentes in filiis puniri: ut contumeliam in patrem *Chamus* in filio luit *Canaane.* Potuit verò Deus etiam in pueris videre cur tollerentur. Potuit illis etiam prodeſſe mors ad medicinam. Utcunque tenendum eſt, id quod ſufficere poteſt homini pio, judicia Dei ſæpe occulta eſſe nobis, injuſta verò in ſe nunquam eſſe poſſe. Sed & illud quæritur hoc in loco, quo jure unius hominis crimen, & quidem clandeſtinum, in totum populum tranſcribatur, ejuſdémque pœnam plures etiam inſontes luant. Neque hoc ſemel factum in ſacrilegio *Achanis*: ſed homines etiam profani animadvertebant ſæpius id contingere ſolere.

etiam in liberis ejus:

Πολλάκι ϗ σύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Et diſſipatam fuiſſe *Græcorum* claſſem redeuntium ab *Ilio* tradiderunt Veteres

Unius ob noxam, & furias Ajacis Oïlei.

Non eſſe novum, reſpondet *Calvinus*, ut in totum corpus redundet unius membri vitium. Quia utplurimum contingit, connivendo etiam non malos alere aliorum peccata; pars culpæ meritò rejicitur in eos omnes quos diſſimulatio ſocietate implicat. Hâc ratione *Paulus Corinthiis* omnibus exprobrat privatum unius hominis flagitium, & in eorum faſtum invehitur, quòd tantâ ignominiâ fœdati adhuc gloriari audeant. At hoc furtum omnes latuit, ut defuerit locus proverbio, *Qui non vetat peccare cùm poſſit, jubet.* Eſto. Deus tamen inſolito documento voluit in poſterum admonitos, unius ſcelere poſſe omnes fieri reos, quò diligentiùs ad cavenda peccata attenderent. Nihil autem melius, quàm ſuſpenſas tenere noſtras mentes donec libri aperiantur, ubi clarè patebunt quæ nunc noſtrâ caligine obtenebrantur Dei judicia. Sufficiat nobis, privatâ labe infectum fuiſſe totum populum, quia ſic pronunciavit ſummus Judex; coram quo nunc obmuteſcere, ſicuti ad ejus tribunal ſemel nos ſiſti ac reſpondere oportet.

§ 5. Sublatâ, quæ hactenus impediverat, ſceleris occulti & piacularis religione, ad urbem *Aiam* expugnandam ultro præit *Iſraëlitis* Deus. *Joſuam* appellat, animóſque illi ac populo novos facit, hortando ut intrepidus invadat urbem, quam ipſe illis erat traditurus, *Hierichuntis* more devaſtandam igne; ſpolia tamen & animalia prædæ illis fore. Sed nè miracula ſemper exſpectarent, ut *Hierichunte*, ac ſeſe ignaviæ dederent, eorum nunc operâ & induſtriâ uti maluit Deus. Neque tamen aperto Marte confligendum putavit, quia populus nondum depoſuerat conceptum ex recenti fuga metum. Quare fallendi potiùs ſolertiam & inſidias adhiberi jubet. Præmiſſa ergò noctu 30 ſunt millia, qui ab Occidente inter *Bethelem* & *Aiam* latitarent; cúmque

Aia capitur.

Aiani

Aiani Iſraëlitas invaderent, eóſque ſimulantes fugam longiùs perſequerentur, illi ex inſidiis urbem nudam occuparent, atque incendiis emicantibus captam à ſe proderent. Jam feliciter omnia ſuccedebant. Occurrit nemo qui nunciaret *Aianis* fraudem. Omnes enim incolæ regionis in urbem munitam deſertis agris jampridem confugerant. Manè *Joſua* cum exercitu accedit ad urbem; ſimul & alia 5000 iiſdem ferè in locis ponere, aut ſimulare potiùs inſidias jubet, abundante multitudine, ut ſimulantes fortaſſe & ipſi fugam, alias 30 millium inſidias minimè ſuſpicarentur *Aiani*, ſed omnes eò liberiùs ex urbe ſe effunderent ad perſequendos hoſtes. Poſtridie apertis portis in *Joſuam* invehuntur *Aiani* & *Bethelitæ* omnes; qui, ſive ſubditi, ſive vicini, & in eodem verſantes diſcrimine, arma jam ſocia conjunxerant. Fingentes metum *Iſraëlitæ*, in fugam de induſtria ſe conjiciunt per deſertum. Tum verò & reliqui omnes, qui ad præſidium urbis relicti erant, effuſi, hoſtium veſtigiis inhærent, & ab urbe aperta deſertâque longiùs abſtrahuntur. Deo igitur imperante, haſtam quam tenuit manu contra urbem tetendit *Joſua*, quaſi fiduciæ vexillum attollens, ad confirmandos militum ſolicitos adhuc & perplexos animos. Erant fortaſſe ex inſidiatoribus primis, qui ex loco altiore hanc elevationem haſtæ exſpectabant. Protinus ergò ex inſidiis prodeuntes urbem capiunt; dúmque alii turbam imbellem exitio dabant, interim alii quædam ædificia ſuccendebant, quo captam à ſe urbem cognoſcerent *Iſraëlitæ*. Id ubi conſpicati ſunt *Aiani* flammâ ex incendio emicante, reditum fortaſſe parabant, ſed impediverunt *Iſraëlitæ*. Qui modò enim terga verterant, manus jam ſponte conſerunt, & fortiſſimè invadunt quos fugerant. Etiam ex urbe erumpunt qui eam ceperant, &, nè quis effugiat, concluſos undique ac planè fractos deſperatione cædunt paſſim, donec univerſos deleviſſent. Deinde qui reliqui erant in urbe trucidantur; cæſáque ſunt eo die duodecim ferè *Aianorum* millia. Neque retraxit ab haſta manum *Joſua*, donec, urbe captâ deletíſque hoſtibus, bellum eſſet profligatum. Incenſa urbs, præda militibus data. Rex ipſe, quem vivum ceperant, in furca ſuſpenſus; veſperì ad urbis portam projecto cadavere, grandi memoríque ad poſteros lapidum acervo coöpertus eſt.

Vicini erant huic loco montes *Ebal* & *Gerazimorum*. Recordatus ergò *Joſua* ejus quod mandaverat *Moſes*, (*Deut.* 27.2, &c.) in *Ebalem* aſcendit, ſtructóque altari ex integris rudibúſque ſaxis, holocauſta obtulit & ſacra euchariſtica. In lapidibus etiam grandibus calce illitis Legis perſcripſit ſummam. Denique, in montibus *Ebale* & *Gerazimorum* omnes tribus *Iſraëlitarum* ità ſtatuit, ut ſenis ordinibus inter ſe reſponderent. Sic enim erant diſpoſitæ, ut ſex tenerent montem *Ebalem*, totidem è regione ſtarent in monte *Gerazimorum*; *Levitæ* autem medium ſpatium occuparent cum Arca fœderis, ut Deus undique à populo ſuo circundaretur. Eo loco & ordine Benedictiones populo ex monte *Gerazimorum* propoſitæ ſunt, ut mercede magnâ Deus populum alliceret ad obſequendum. Deinde Maledictiones ex altero monte ſunt à *Levitis* denunciatæ, ſingulis ad ſingulas reſpondentibus, *Amen*; ut à maleficiis improbos deterreret. Huic autem religioni intererant, non viri modò *Iſraëlitæ*, ſed & fœminæ puerique & peregrini.

§ 6. Reliquæ gentes in Boreali tractu ejus regionis ad Mediterraneum uſque mare, *Hithæi*, *Amoræi*, *Canaanæi*, *Perizæi*, *Hivæi*, & *Jebuſitæ*, cùm de clade *Hierichuntiorum Aianorúm*que nuncii percrebuiſſent, conſpiravêre ut viribus conjunctis *Joſuam* unum omnes adorirentur, nè, dum ſinguli pugnabant, facilè ſubigerentur univerſi. At *Gibeonis* magnæ vicinæque urbis incolæ, ex *Hivæorum* gente, aliam ſibi rationem inſtituendam cenſuerunt. Repudiato bellandi conſilio, cùm fruſtrà id ſe crederent ſuſcepturos, pacem atque fœdus malunt, quàm pertinaciùs repugnando in certum exitium ruere. Sed verentur, nè & id fruſtrà petatur quod impetrari non poſſit. Cùm enim videant dirui urbes atque incendi, homines ad internecionem cædi, habitationis quæri ſedem, (non victoriæ palmam,) quam aſſequi niſi profligatis incolis non poterant; conſtituunt, non aliter poſſe ad miſericordiam aut æquitatem flecti *Hebræos*, quàm aliquâ fallaciâ deluſos; quia nunquam ſponte ac ſcientes paſſuri videbantur, quam invaſerant terram ab aliis teneri. Cùm nulla igitur ſpes aut pacis aut ſalutis obtinendæ reſtaret, neceſſitas eos ad aſtutiam atque fraudes compulit. Ex longinqua regione fingunt legatos advenire ſe. Id verò ità perſuadebant, quoniam ea quæ gerebant omnia, itineris longitudine vetuſta penéque attrita forent, ſacci, utres vini, veſtes, calceamenta, ipſéque panis aridus mucidúſque. Veniſſe autem ſe *Jehovæ* invitatos nomine, cujus audiviſſent celebrem famam atque facta in *Ægypto*, regionéque

Gibeonitæ fallunt Hebræos:

Amoræorum

Amoræorum trans *Jordanem.* Non deerant ex *Iſraëlitis* qui dubitarent, objicerént-que forſan, ejuſdem eos regionis eſſe incolas quam ipſi erant expugnaturi, & perpetuam habituri ſedem. At rerum quas præ ſe ferebant vetuſtate hominibus minimè ſuſpicacibus facilè fecerunt fucum. Itaque fœdus percuſſum eſt, & jurejurando à *Joſua* & Principibus confirmatum. Qua in re prudentia eorum & pietas deſideratur: prudentia, quòd nimis creduli tam leviter fabulæ adhibuerint fidem; pietas verò, quia ſciſcitati non ſunt quid placeret Deo. In promptu erat remedium, ſi per Urim & Thummim conſuluiſſent oraculum. Poſt triduum, cùm exercitus *Iſraëlitarum* in eorum fines atque urbes perveniſſet, errore deprehenſo, caſtigata fuit eorum levitas pudore juſto. Populum tamen, etſi frementem atque indignantem, Principes ab inferenda vi cohibuerunt; quoniam jurejurando interpoſito promiſſa fuerat incolumitas. Veriti enim ſunt, nè Dei ſui nomen, ſi violarent fœdus, infamiæ ſubjicerent apud gentes profanas. Quia tamen indignè ferebant verba ſibi dari, nè impunitas ludibrium augeret, nimiúmque ex dolis atque fallaciis autores lucrum facerent, ulciſci placuit impoſturam. Vita quidem ex pacto *Gibeonitis* conceditur, ſed eripitur libertas. Ad operas in tabernaculo & ſacris ſerviles addicuntur, ut calonum obeant laborioſum & vile munus, ut ligna cædant & aquam hauriant ubicunque placuerit Deo ſuam Arcam collocare. Indè *Nathinæi* vocati ſunt, vel hoc tempore, vel *Davidis* ætate: (*Eſdr.* 1. 43. & 8. 20.) quæ vox *Donatos*, *Hieronymo* interprete, ſignificat; quoniam *Levitis* ad miniſteria templi viliora dati ſunt à *Joſua.* Illi metu & ſalutis unicâ ſpe factum excuſabant; ſed quævis onera ſe, ut ſalutem redimerent, libentiſſimè ſubituros polliciti. Hâc Principum temeritate & ſocordiâ uſus tamen ad omnium utilitatem eſt Deus, pro paterna ſua in ſuos indulgentia. In hac enim regione pacatum iter, amicas urbes & hoſpitales, liberúmque reperiunt commeatum *Iſraëlitæ*; quod in primo ferè aditu non potuit non eſſe populo gratiſſimum. At Principes *Iſraëlitarum* quod temere pepigerant, & juramento ſanciverant fœdus, haud ſciò an prudentiùs tantâ ſibi religione obſervandum duxerint. Nam in eo ſtabile nihil eſſe potuit, quod non niſi craſsâ fraude ſubnitebatur. Se alienigenas ex regione procul diſſita veniſſe ſimulant. Cum larvis ergò paciſcitur *Joſua*; nec quicquam obligationis contrahit, niſi ſecundùm eorum verba. Ità calliditas quâ ſe inſinuabant nihil prodeſſe debuit. Sed mandato etiam Dei adverſabatur hoc fœdus. Omnem enim cum *Canaanæis* fœderationem prohibuerat. (*Exod.* 23. 32. & 34. 15. *Deut.* 7. 2.) Verùm ut major adhuc vigebat inter homines integritas, ſatis fuit *Gibeonitis* vel errore extortum jusjurandum; quod certò ſibi perſuadebant *Iſraëlitas* neutiquam violaturos. Atque id credibile eſt *Joſuam* ſpectâſſe atque alios Principes, nè ſacroſanctum *Jehovæ* nomen, quod fœderi ſtabiliendo adhibuerant, malè audiret apud barbaras nationes, niſi fidem religiosè datam religiosè præſtitiſſent. *A.M.* 2553.

§ 7. Sed *Gibeonitis* apud vicinos ſummam conflaverat invidiam hoc fœdus. Quid enim aliud erat cum hoſtibus publicis paciſci, quàm facere diſceſſionem quodammodo à finitimis gentibus, aperire januam *Iſraëlitis*, & vires ſociorum diminuere? Territus ergò *Adonizedecus Hieroſolymarum* rex tot nunciis de felicitate ac ſævitia ſimul *Hebræorum*, & fœdere *Gibeonitarum*, his primò bellum inferre ſtatuit, quòd, deficiendo ad hoſtes, prodidiſſent quantum erat in ſe patriam & cauſam publicam. Adſcivit in ſocietatem belli quatuor alios reges ex eodem genere *Amoræos*; *Hohamum Hebronis*, *Piramum Jarmuthi*, *Japhiamum Lachiſi*, & *Eglonis Debirum.* Sunt qui putent conſueviſſe *Canaanæos*, è ſuis unum regibus eligere communibu ſſuffragiis, qui ut regum rex reliquorum controverſias diſceptaret. Et ex hoc genere *Adonizedecum* fuiſſe credunt *Montanus* (in *Joſ.* 10.) & *Serarius*: *Salomonem* quoque *Pineda* (in *Job.* 1.1,17.) & alibi. Sed etymologiis nominum nititur præcipuè conjectura hæc, quæ minimi ſunt momenti: ut *Adonizedeci*, quod *Juſtitiæ dominum* ſignificat; & *Melchizedeci*, quod *Juſtitiæ regem.* Nullo S. Scripturæ teſtimonio communitur, aut probabili ratione. Oppugnati à tot ſimul regibus *Gibeonitæ*, longéque inferiores viribus, in *Joſuæ* fidem confugiunt. *Iſraëlitæ* omnes jam reverſi ad tabernacula, ut cum uxoribus atque liberis reficerent paulisper ſe, *Gilgale* morabantur. Per legatos auxilium ſuppliciter petunt *Gibeonitæ*, quaſi clientes à ſuis patronis. Annuit Deus atque animavit *Joſuam* ad hanc militiam. Totâ igitur nocte properavit cum exercitu, & repentè non opinantes oppreſſit hoſtes, & in fugam diſſipavit. Ad *Azecam* uſque & *Macedam* perſecutus eſt. Interim è cœlo Deus grandinem in hoſtes pluit tantis lapidibus, ut iis plures interempti ſint quàm vi atque armis militum. Ad occaſum inclinabat

A.M. 2554.

qui ab *Amoræis* oppugnati,

propugnantur à *Joſua*,

A.M. 2554.

clinabat Sol, & proſpiciebat fore *Joſua* ut plenâ victoriâ non potiretur, ſed effuſi jam in fugam reges è manibus ſuis per tenebras elaberentur. Et opportunum videbatur ſub veſperam in ignota regione receptui canere, & revocare ſuos *Gibeonem*. Deum igitur obnixè precatus eſt, ut ad hoſtes delendos diem produceret. Cùm exoratum ſentiret aliquo indicio, audaciùs quàm pro humana conditione, imperavit Soli ut conſiſteret in *Gibeone*, Lunæque ut ſtaret in *Aialonis* valle. Ità ſtupente mundo conſtitêre ſidera in cœlo adjurante *Joſuâ*, & jamjam occaſurus Sol moratus eſt die integro. Mira quidem res, at eò credibilior, quòd non ſolùm in Libro *Joſuæ* tradatur, ſed in alio etiam ejuſdem, opinor, ætatis celebrata ſit, qui Liber *Jaſer* appellatus, nihil habet præter nomen reliquum. Reges quinque, cùm fugâ evadere ſe poſſe diffiderent, in ſpeluncam abdiderunt ſe in *Maceda*. Id erat urbis nomen. Quod cùm eſſet *Joſuæ* nunciatum, ſaxis ingentibus obſtrui ſpeluncam juſſit, & præſidium adhiberi ad cuſtodiam ſpeluncæ, dum reliqui milites perſequebantur hoſtes. Poſtquam cædem ingentem edidiſſent, paucíque ſuperſtites in urbes munitas recepiſſent ſe, ad *Macedam Joſua* caſtra poſuit, quò etiam incolumis pervenit exercitus. Tum demum producti ſunt è ſpelunca reges, quorum colla, ut ſuos animaret, *Joſua* præfectos militum pedibus calcare juſſit. Ità enim promiſit Deus, fore ut *pedibus eorum, hoſtium colla ſubjiceret.* Suſpenſi deinde in patibulis uſque ad veſperam, in ſpeluncam denuo projecti ſunt, ſpeluncæ autem os ſaxis ingentibus obthuratum. *Maceda* mox oppugnata & capta; cives atque rex, quomodo *Hierichuntii* pridem, cæſi omnes atque ſublati ſunt. Nimia videretur hæc ſævitia potiùs quàm ſeveritas, præſertim in reges, quorum dignitati non ſecùs ac ſi viles latrunculi eſſent inſultabatur, niſi autorem habuiſſet Deum; qui regum peccata multò graviora graviore pœnâ vindicari voluit, & eo formidabili ſpectaculo incuti ſuis terrorem, nè mores gentium imitarentur, in quarum ſcelera tam atrociter animadvertit Deus. Deinde *Libnam*, *Lachiſum*, *Eglonem*, *Hebronem* denique & *Debirum*, unà cum ſubditis utrique oppidis, oppugnavit cepítque *Joſua*; *Eglonem* eodem quo caſtra metati ſunt die, *Lachiſum* ſecundo. Et *Lachiſiis* quidem auxiliatum prodiit *Horamus Geſeris* rex. At ſuâ & ſuorum cæde luit intempeſtivam opem. Omnium verò quas memoravi urbium cives regéſque pari ſeveritate cæſi ad unum ſunt quâ *Hierichuntios* diximus. Tandem ad ſuos *Gilgalem Iſraëlitæ* opimis onuſti ſpoliis rediverunt.

ſtante in cœlo Sole, dum profligabat hoſtes.

Sub initium hujus anni, deficiente Mannâ, cœperunt *Iſraëlitæ* terram à ſe ſubactam colere, ſereréque frumentum, ut proſpicerent ſibi de annona. Hinc igitur anni Sabbatici Jubilæíque numerandi ſunt: quos majori diligentiâ Divinus Vates inſtituit, (*Lev.*25.2,3,&c.) quàm populus Dei celebravit. Nihil igitur ab his habitura eſt adjumenti Chronologia ſacra, cui plurimùm certè profuiſſent ritè ab *Iſraëlitis* obſervati. Nam de acto Jubilæo, annóve Sabbatico, nuſquam Sacræ Literæ meminerunt; niſi quòd apud *Jeremiam* Prophetam ſemel de hujus violatione fiat mentio, (cap.34.8,9,&c.)

A.M. 2555.

§ 8. Partem ferè Auſtralem *Canaanææ*, præter *Palæſtinos* mari Mediterraneo proximos, in ſuam jam redegerant poteſtatem *Iſraëlitæ* continuis ferè & currentibus victoriis. Subigenda & Borealis fuit. *Jabinus Hazoris* rex in eo tractu terrarum longè latéque dominabatur, ſubditóſque ſibi habuit regulos complures. Is famâ terroréque tot victoriarum excitus, ultro bellum intulit *Iſraëlitis*, nè juſta deeſſet provocatio. Ex omnibus enim, non ſuis modò ſubditíſque regibus, ſed vicinis quoque, *Amoræis*, *Hithæis*, *Perizæis*, *Jebuſitiſ*que montanis, & *Hivæis* qui ſub *Hermone* terrámque *Mizpam* incolebant, conflavit ingentes copias, equis etiam & curribus, quos nondum periclitati erant *Iſraëlitæ*, formidabiles. Ad aquas igitur *Meromi* caſtra omnes metati ſunt, ut cum *Joſua* confligerent. Tanta belli moles ſi occurriſſet in principio, plurimùm certè turbaviſſet *Iſraëlitas*. Nunc aſſuefacti paulatim ad pugnandi audaciam, animis fortioribus ferunt tantas barbararum gentium minas. Sed oraculo etiam Deus confirmavit, edixítque *Joſuæ*, nè turbaretur tanto exercitu apparatúque hoſtium: die craſtino ſe univerſos illi traditurum jugulandos; equos verò ſubnervandos, & comburendos igne currus. Manè igitur proximo, caſtra non opinantis *Jabini* ad *Meromi* aquas repentino impetu invaſit *Joſua*; tantóque Deus perculit terrore hoſtes, ut de fuga omnes, non de pugna cogitârint. Attoniti ut erant ſtupentéſque cædunt *Iſraëlitæ*, cædunt etiam fugientes, & perſequuntur ad *Sidonem* uſque maritimam ab Occidente, & *Miſrephothmaïm*, *Combuſtiones aquarum*, ſive aquas calidas. Fornaces vitrarias *Sidoniorum* exponit *Junius*. Ab Oriente verò uſque

Jabinus rex *Hazoris* à *Joſua* victus.

ad

ad campum *Mizpæ*. Neque finem cædendi & perſequendi fecerunt, donec ſuſtuliſſent univerſos. Tum verò, quod erat à Deo mandatum, ſubnervati ſunt equi, & currus igne combuſti. Profligato exercitu, vaſtare populareque omnem regionem cœperunt, capere diripereque urbes. Regiam expugnârunt *Hazorem*, & in cineres redegerunt, quæ reliquis facem prætulerat ad hoc bellum, rege populóque omni trucidato. Reliquarum etiam urbium incolas & reges rapuerunt ad cædem; ſed in mœnia & ædificia non eſt pariter ſævitum incendiis. Tandem aliquando (ſed hoc plurium fuit annorum opus) in ſuam ditionem redegerunt univerſam terram, à monte *Halaco*, ſeu *lævi*, & ſine arborum crine glabro, qui aſſurgit verſus *Idumæam*, à Meridie, uſque *Baalgadum* in valle *Libani*, ſub monte *Hermone*, ad Septentrionem. Suſtulit etiam *Anacæos Joſua*, ſive Gigantum progeniem, ex omnibus iis locis ubi erat *Iſraelitis* habitandum; ut iis monſtris purgatâ regione quæ maximè *Iſraëlitis* erant formidabilia, tranquillam populo ſedem concederet, non modò amplam atque felicem. *Gazæ* tantùm, & *Gathi Azoti*que nonnulli ex his reliqui erant in *Palæſtina*. Atque in his debellandis *Hebrone*, ope, opinor, *Calebi* operâque uſus eſt. Is unà cum tribulium ſuorum *Judæorum* comitatu *Joſuam* conveniſſe dicitur, (*Joſ.* 14. 6, &c.) eámque petiiſſe hæreditatem quam promiſerat ei *Moſes* redeunti à terra exploranda, renunciantíque vera. (*Num.* 14. 24.) Sufficere enim vel adhuc aiebat ſe, gigantibus, volente auxiliantéque Deo, profligandis; quippe jam octoginta & quinque annos agentem, non minùs vegetum atque robuſtum ad omnia militiæ ac magiſtratûs munia obeunda, quàm in ætatis flore tunc quadragenarius fuerit. Facilè hac in re exoratus *Joſua*, benéque precatus optimo viro, *Hebronem* ei montem urbémque, unà cum villis atque oppidis quæ petierat, conceſſit; eóque libentiùs, quòd videret *Calebum* id agere, ut dictis ſuis ante annos 40 de gigantibus non formidandis, fortitudine ſuâ fidem conciliaret, eúmque populo eximeret metum. Itaque *Jud.* 1. 20. *Calebus Hebrone Anacæos* expuliſſe dicitur. *A.M. 2555.*

§ 9. Cùm diem ſuum obiiſſet *Hellen Æmoniæ* rex, maximus filiorum *Æolus*, ex nympha *Orſeïde* genitus, annis imperavit 60. Is regnum *Æolida*, populum *Æolenſes* vocavit; ipſe verò *Jupiter* cognominatus eſt. (*Pauſ. Eliac.* 1.) Fratres habuit duos minores, *Xuthum*, atque *Dorum*. Hic *Dorium* autor eſt, qui *Dorida* tenuerunt, & *Peloponneſum* unà cum *Heraclidis* poſtea. Ac inprimis ea *Doris* habebatur, quæ poſtmodum *Eſtiæotis* dicta eſt. Expulſi verò indè à *Perrhæbis*, *Parnaſſi* accolas in unam civitatem coëgerunt; ſed in regione aſpera montibus & infelice. Nam à tergo mons *Oeta*. Sed & fluvius illic *Sperchius*. (*Plin.* 4. 7. *Strab.* 9.) *Tetrapolin* incolebant, *Erinem*, *Boium*, *Pindum* atque *Cytinium*. Hi unà cum *Parnaſſo* monte *Locros Ozolas* ab *Epicnemidiis* dirimebant. (*Strab.* ibid.) Minimus, opinor, filiorum *Æoli Xuthus Athenas* conceſſit; ubi filiam *Erechthei*, proneptem *Erichthonii* regis, cùm duxiſſet uxorem, *Ionem* & *Achæum* genuit. Idem *Atticæ Tetrapolin* condidit. Sic enim ex re tandem vocata eſt, quatuor quæ conſtabat urbibus regió, *Oenoâ*, *Marathone*, *Probalintho*, & *Tricorytho*. Sed *Hytteniam* primò appellatam *Stephanus* docet. *Pauſanias* (in *Achaïcis*) ejectum ait ex *Æolide Xuthum* à fratribus, quòd de pecunia paterna magnam partem intervertiſſet. At *Æolus* ex *Enarete*, *Deïmachi* filia, filios procreavit octo; *Mimanta*, *Cretheüm*, *Deïonem*, *Magnetem*, *Salmoneüm*, *Siſyphum*, *Athamanta*, & *Perierem*, ut *Apollodorus* & *Pauſanias* tradunt. Filias verò 5 habuit, *Halcyonen*, *Canachen*, *Piſidicen*, *Perimeden*, & *Calycen*. *Æthlium* quoque *Pauſanias* (*Eliac.* 1.) *Æoli* fuiſſe filium ſcribit; nec aliâ ratione *Jovis* dici, quàm quòd *Jovis* cognomen datum ſit *Æolo*. *Stephanus* & *Iopam* numerat inter filias *Æoli*, quam *Cepheüs* uxorem duxiſſe fertur, *Iopám*que urbem, ſive *Joppam*, à ſe conditam, ab ea denominâſſe. *A.M. 2560.* *Poſt Hellenem Æolus primus regnat in Æmonia;*

In tanto *Lycaon* populo filiorum (quos alibi nominatim deſcripſimus) duas tantùm filias habuit, *Caliſto* ſatis notam, & apud *Hecatæum* (in Genealogiis deorum) *Diam*. Hæc *Dryopem* peperit, populi parentem; illa verò *Arcadem*. Cùm ignoti ſint patres, *Dryopi Apollinem* Poëtæ, *Arcadi Jovem* tribuunt. Et in fabulis habetur, *Caliſto* in urſam à *Junone* mutatam, quippe pellicem *Jovis*, deinde confixam ſagittis à *Diana* in *Junonis* gratiam; vel à ſuo filio inter venandum cùm eſſet mox configenda, tranſlatam à *Jove* inter ſidera unà cum filio. Hunc in cœlo minorem eſſe, illam verò majorem *Urſam*. *Plauſtrum* & *Böoten* eadem ſigna aliqui vocant Aſtronomi. Sed verè *Pauſanias* (*Arcad.*) hoc ei ſidus dicatum fuiſſe ait honoris gratiâ. Eam verò & humano more mortuam, & ſepulchrum ejus in *Arcadia* poſt multa ſecula extitiſſe, *Arcas poſt Nyctimum in Pelaſgia ſive Arcadia:*

A.M. 2560. ſtitiſſe. Cúmque venandi ſtudio teneretur, urſæ pellem fortaſſe pro veſte gerebat ſtragulâ; quomodo pictam fuiſſe *Delphis Pauſanias* docet, (in *Phoc.*) *Nyctimo* ſine liberis (ut credibile eſt) moriente, *Arcas*, *Calliſtûs* filius, *Pelaſgicum* ſuſcepit imperium; atque geſſiſſe diutiùs videtur, quòd ab eo *Pelaſgiæ* & *Pelaſgorum* nomen in *Arcadiam* & *Arcadas* mutatum ſit; quod *Argivis* ab *Argo* rege contigit. Nec enim niſi ſubactis *Pelaſgis* id ab eo factum eſt, ut *Euſebius* docet, (in Chronicis.) Septuaginta igitur, quot regnavit *Argus*, & huic imperii annos tribuamus. Quo ſpatio temporis, tum frumentum à *Triptolemo* acceptum popularibus ſuis tradidit, panémque facere docuit; tum veſtium texturam, totámque lanificii artem, quæ ab *Adriſta* didicerat, *Arcadibus* monſtravit. Ex Erato nympha tres filios procreavit, *Azana*, *Aphidanta*, & *Elatum*. Nam ante nuptias *Autolatum* ſuſcepit nothum. (*Pauſ. Arcad.*)

quo tempore *Phaëtontis* incendium. Atque his temporibus (ut *Oroſii* verbis utar, lib. 1. cap. 10.) *adeò jugis & gravis æſtus incanduit, ut Sol, quaſi per devia tranſvectus, univerſum orbem non calore affeciſſe, ſed igne torruiſſe dicatur; impreſſúmque fervorem, & Æthiops plùs ſolito, & inſolitum Scytha non tulerit. Ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam ſuam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt.* Hæc *Oroſius*.

Debellatum ferè jam in *Canaanæa*, § 10. Triginta & unus reges *Canaanææ*, regnáque totidem, illi cæſi, capta hæc ab *Iſraëlitis* duce *Joſuâ*, præter *Ogum* & *Sihonem Amoræos*; *Hierichuntis* nimirum, *Aiæ*, *Hieroſolymæ*, *Hebronis*, *Jarmuthi*, *Lachiſhi*, *Eglonis*, *Geſeris*, *Debiri*, *Gederis*, *Hormæ*, *Aradi*, *Libnæ*, *Adullæ*, *Macedæ*, *Bethelis*, *Tapuæ*, *Epheris*, *Apheci*, *Laſaronis*, *Madonis* & *Azoris*, *Shimron-meronis* quoque & *Achſhaphi*, *Taanachi* & *Megiddûs*, *Cedeſhi* & *Jocneam* ad montem *Carmelum*, *Dori* denique & Gentium *Gilgale* rex, ac poſtremus *Tirzæ*. Regum qui ſupererant in aliis partibus cùm nullus jam laceſſere auderet *Joſuam*, invictum ſemper Imperatorem, interquieſcere ad tempus viſum eſt, & partiri quam erant nacti prædam. Nè populus enim ſub continua militia fatiſceret, aliquid ceſſationis dandum fuit, levandi tædii causâ. Nec promiſerat Deus ſe terram ſimul iis univerſam daturum, ſed paulatim expulſurum incolas; nè cum truculentis & ſylveſtribus belluis pugnandum foret, ſi, hominibus ad internecionem cæſis, in deſertam laxiorémque populo ſolitudinem ſe conjicerent. Cùm igitur hoſpitium commodum, & quod in præſentia ſufficeret, largitus eſſet Deus, dividi terram placuit, ſuámque ſingulis tribubus partem; atque eas etiam plagas comprehendi ac in ſortes conjici, quæ nondum in manum & poteſtatem venerant; tractum præcipuè Mediterraneo mari adjacentem, qui ab hoſtibus *Palæſtinis* atque *Phœnicibus* tenebatur. Deus enim & has dederat, aliis temporibus imperio *Iſraëlitarum* ſubjiciendas; certóſque non minùs voluit eſſe de his tandem acquirendis, quàm de iis erant poſſidendis quæ jampridem acquiſierant. Quin & partitione certâ belli futura erat ratio commodior, cùm ſuos quæque tribus noviſſet unà cum terminis hoſtes. Primæ ſortes in *Judam* & liberos *Joſephi* ceciderunt.

cùm *Judæis* & *Joſephidis* ſuæ ſortes diſtributæ ſunt. *Judæ* tradiderunt *Joſua* & *Eleazar* Pontifex tribuúmque Principes meridionalem provinciæ partem *Ægypto* proximam; quæ ab Auſtro habuit torrentem *Sichorem* & deſertum *Sinis*, ab Oriente Mortuum mare montéſque *Idumææ*, ab Occaſu mare Mediterraneum, à Borea denique *Benjaminiticam Ephraïmiticámque* tribus. Urbes comprehendebat ille tractus 115, unà cum villis oppidíſque; & pertinuit uſque ad urbem *Jebus*, quam poſtea *Hieroſolymas* dixerunt. Neque tamen *Jebuſæos* indè vel *Judæi* expulerunt vel *Benjaminitæ*, quorum in medio erat conſtituta urbs. Id verò ignominiæ causâ propter ignaviam eorum commemoratur bis. (*Joſ.* 15.63. & *Jud.* 1.21.) Ipsâ quidem urbe potiti ſunt; ſed arcem munitiſſimam, ſubtrahente auxilia ſua Deo propter peccata populi, non ante *Davidis* tempora expugnaverunt: aut ſi arcem quoque ceperunt, receperunt *Jebuſæi*. *Ephraïmitæ* dimidiáque tribus *Manaſſæ*, *Judæis* finitimi ad Septentrionem, contingebant *Syriacum* mare, hi à Borea, illi ab Auſtro collocati, in provinciæ totius umbilico. Maxima tribuum in ipſis limitibus, & loco periculoſiſſimo, hoſtibus notis oppoſita eſt *Idumæis Ægyptiíſque*: Nobiliſſimi omnium *Joſephidæ* tutiſſimum in medio locum tenuerunt. Et unà cum viris etiam fœminæ, *Zelopheadis* filiæ, hæreditatem ex Dei mandato (*Num.* 27.7, &c.) poſtulabant, ac ſortitæ ſunt. Magnâ quidem donati erant portione filii *Joſephi*, at nondum vacuâ. Minimè igitur eâ contenti, de finium ſuorum anguſtiis queruntur apud *Joſuam*, quaſi unâ tantùm ſorte continerentur ambo fratres, qui tantâ præ aliis multitudine abundabant. Facilè reſpondit *Joſua*, & ſuum retorſit in ipſos telum: " Si tantâ multitudine abundarent, eò fa-

" faciliùs hoſtes *Canaanæos*, quorum iis ditio data eſt, expugnaturos. Suâ igitur eos deſidiâ, non ſortitione Divinâ, tam anguſtis finibus concludi. Adeò proclive eſt hominibus nimio ſui amore cæcis, credere minus præſtari ſibi quàm debeatur, & culpam, quæ in ipſis reſidet, temere in alios conjicere. Nondum illi tamen acquieſcunt; & montem ſqualidum eſſe cauſantur & opacum ſylvis, numeróque hominum longè imparem; in valle currus prohibere, apparatúmque belli formidabilem, nè accedant. Pari facilitate argutias & has refellit *Joſua*: " Cùm tanto eſſent numero, " fortitudinéque pari, ſuccîdi ſylvas poſſe, atque agros indè fœcundos fieri; nec ferreos impedire currus poſſe, quò minùs præſtet ſua promiſſa Deus, modò ipſi non deſint ſuâ ignaviâ ſibi.

A.M. 2560.

§ 11. *Danao Argivo*, ex variis conjugiis, filias fuiſſe ferunt 50. Totidem & fratri ejus *Ægypto* filios, ex *Euryope*, ut quidam ſcripſerunt, una conjuge, filiâque *Nili*. Hi, ut veterem inter fratres contentionem de regno & ſimultatem affinitate novâ inducerent, patrui filias ſibi uxores dari poſtulabant; ſubverente forſan *Ægypto*, nè generorum tot aliorum ope ſibi bellum inferretur. Sed aliquod oraculum regi denunciaverat, deſtinatam eſſe in fatis illi à genero necem. Injuriarum quoque memor, & adempti regni per vim, & exſilii, minimam eorum blanditiis atque promiſſis fidem habuit. Annuere tamen viſus eſt, ac ſortitò filias diſtribuere pactus. Connubiale apparatur convivium, lecti ſternuntur nuptiales. Eò properabant ſponſi alacres, ut ſuaviſſimos novorum fœderum fructus decerperent; ſed amariſſimos præter ſpem percepturi. Natabus enim ſingulis pater pugionem tradiderat haud invitis, quâ conſopitos conjuges jugularent; ità ſuas à fratre ulciſcerentur injurias, & metu qui ſuſpenſum habuit à genero liberarent. Facile erat fœminis, etiam viros vincere non repugnantes, & neci dare, ſomno jampridem vinóque ſepultos. Crudeliſſimo igitur obſequio patris mandata peragunt, maximéque inhumanam ac impiam pietatem præſtant. Actum eſt: uſque ad unum perierunt omnes. *Hypermneſtra* enim ſola, ſororum generoſiſſima, ſive humanitate victa, ſive miſericordiâ muliebri, ſive conjugali amore, *Lynceo* conjugi vitam condonâſſe dicitur, pudicitiæ ſuæ illibatæ præmium. Piæ contumaciæ maluit ſe, quàm impii eſſe obſequii ream. Sed ipſam vinculis & carcere luit innocentiam. Fruſtrà enim reliquos putabat ſublatos pater, ſuperſtite vel uno. Quare capitis filiam poſtulavit, quòd ſua non perfeciſſet mandata. Cùm enim à ſalute *Lyncei* ſua ſalus in diſcrimen vocaretur, ideo magnam à filiæ contumacia ſibi factam eſſe injuriam querebatur. At *Hypermneſtra*, ſententiis *Argivorum* abſoluta, *Veneri Nicephoræ* ſtatuam conſecravit, *Suadæ*que *Dianæ* templum. Vicus etiam, ubi agitata eſt cauſa hæc, deinceps *Criterion* appellatus eſt. Reliquæ ſorores capita virorum amputata, ut certa cædis pignora, detulerunt ad patrem, quæ *Argis* omnia ſunt ſepulta. Corpora in *Lernam* ſunt paludem abjecta, juxta quam erat cædes patrata. Interea *Lynceus* in urbem vicinam profugerat. Indè facem ex convento ſuſtulit, quâ *Hypermneſtræ* ſignificaret, ſe in tuto eſſe collocatum jam, extra inſidias *Danaï*. Ex *Lariſſa* etiam arce extulit *Hypermneſtra* facem, quò ſe quoque periculum evaſiſſe oſtenderet. Indè feſtum ſolenne *Argivis* actum, à rege, opinor, *Lynceo* inſtitutum, quod appellabatur *Fax*: oppidúmque ubi delituit *Lynceus* primò *Lyncea*, poſtmodum, à filio regis *Abantis Lyrceo*, *Lyrcea* vocata eſt, quæ ab *Argis* diſtabat ſtadia circiter 60. (*Pauſ. Cor.*) Tandem *Danaüs*, irâ tepeſcente paulatim, abſolvit filiam pietatis, & lubens volénſque *Lynceo* nuptum dedit. Reliquas, parricidii reas, cùm nullus ambiret procus, quamvis nulla ſponſalium nomine munera exſpectabantur à *Danao*, (quod fieri conſuevit,) ídque edicto promulgaverat, ludos inſtituit rex, ut qui curſûs certamine viciſſet, quam vellet primus eligeret. Ità ſecundo loco tertióque omnes qui certabant, ſuo eligebant ordine uxores. Quibus primi ludi non ſuppeditaverant conjuges, alii erant iis atque alii (ſi opus foret) exſpectandi. (*Pauſ. Lacon.*) *Euſtathius* (in *Dionyſium*) ait, *Bebrycem* quoque, aliam è ſororibus, marito ſuo peperciſſe, ac fugiſſe ambos in *Bebryciam*. Nec *Apollodorus* negat, qui unum vel duos è fratribus evaſiſſe concedit. At alii ferè omnes qui hanc rem narrant, omnes aiunt fratres præter unum *Lyncea* interemptos. Adeóque tetrum hoc facinus profanis gentibus viſum eſt, ut huic parricidio Poëtæ peculiares apud inferos pœnas fingunt conſtitutas: de quibus *Naſo*, (Met. l. 4.)

Danaï filiæ 50 totidem ſponſos conficiunt,

præter unam Hypermneſtram, quæ Lynceo pepercit.

Molirique ſuis letum patruelibus auſæ,
Aſſiduè repetunt quas perdant Belides undas;

& Ti-

A.M. 2560.

& *Tibullus*,

> —*Danaï proles, Veneris quòd numina læſit,*
> *In cava Lethæas dolia portat aquas.*

Sunt qui ad mores naturámque traducant hanc *Danaïdum* pœnam. Atque annum ſignificari *Lucretius* vult, qui hebdomadis quinquaginta conſtat. Is videtur velle nos fructibus ferendis ſaturare; cùm tamen plerumque tantundem abſumatur quantum producitur. Et ad eos refertur fabula, qui operâ vanâ in homines ingratos conferunt beneficia. Nec enim proficiunt magis, quàm qui in cribra urnáſve perforatas aquam profundunt.

> *Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper,*
> *Atque explere bonis rebus, ſatiaréque nunquam.*
> *Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm*
> *Cùm redeunt, fœtúſque ferunt, varióſque lepôres;*
> *Nec tamen explemur vitäi fructibus unquam.*
> *Hoc, ut opinor, id eſt, ævo florente puellas*
> *Quod memorant laticem pertuſum congerere in vas,*
> *Quod tamen expleri nullâ ratione poteſtur.* (*Lucret.* l.3.)

Hypermneſtram ferunt *Junonis Argivæ* ſacerdotio functam; eíque ſimul cum *Lynceo* (mortuis, opinor) fanum eſt dedicatum. (*Hygin.* Fab. 168.)

Lelex Ægyptius Megaris regnat.

Per hæc ferè tempora *Lelex Ægyptius*, *Beli Agenoriſ*que frater, in *Græciam* trajecit, obtinuítque regnum *Megaris* in *Achaia* Magna, ætates 12 poſt *Phoroneum*, cujus filius *Car* ea in urbe imperaverat primus. Populum deinde *Leleges* vocavit, regnavítque annis 50. Ad maritimam urbis partem, in imo arcis clivo, monumentum ejus exſtitiſſe *Pauſanias* refert, (in *Attic.*)

Æthlius in *Elide* regnum inſtituit; quæ deſcribitur,

Æthlius, *Jovis* (ut ferebant) & *Protogeneæ* filius, *Deucalionis* nepos, eductis *Æolenſibus* ex *Æmonia* ſeu *Æolide*, in *Elidem*, *Arcadiæ* partem eo tempore, tranſmigravit; cúmque filiam *Æoli Calycen* accepiſſet uxorem, regnum inſtituit novum, *Endymionémque* filium ſuſtulit. Imperâſſe videtur circiter annos 40. *Pauſanias* (*Eliac.* 1.) ab ipſo *Æolo* procreatum ſcribit, cui erat cognomen *Jovis*. Ergò ſuam duxit ſororem; quod minùs fuiſſe licitum apud *Græcos Byblis* & *Canace* docent. Eſt autem *Elis Apiæ* ſeu *Peloponneſi* ſexta pars, quæ *Arcadiam* habuit ab Ortu; ab Auſtro *Meſſeniam*, unde fluvio *Nedâ* ſeparatur; ab Aquilone *Ægialum*, quam poſtea nuncuparunt *Ioniam*, deinde *Achaiam* Propriam. Ab Occaſu alluebat *Ionium* mare. Peculiaria fuerunt, & maximè memorabilia in hoc agro, inprimis, quòd byſſum tulerit feliciſſimè, & ſolus in *Græcia*; quam ut cannabem & linum ferebant. Alia hæc longè ac diverſa eſt ab ea byſſo quam bombyces vermiculi, apud *Seres* tantùm antiquitus, apud *Europæos* etiam nunc, ut ſuas araneæ telas, conficiunt. Deinde, mirum videtur, quòd in *Eleorum* finibus equæ nunquam ex aſinis pariant, cùm in locis finitimis muli ſæpius generentur. Exſecrationem quandam ſuſpicabantur olim; adeóque inter portenta muli fuerunt *Eleïs*, ut animal id inter fines ali religio eſſet. Poſtea verò, qui generari ſibi mulos volebant, equas aliò miſſas, aſiníſque admiſſis gravidas reducebant; ut equæ parerent ubi aſini gignere non valebant. (*Herodot.* l.4.) At equos alebant magno ſtudio, curſorios præcipué.

> *Curribus innumeris latè patria arva laceſſunt;*
> *Et bellis armenta domant: ea gloria genti,*
> *Infando de more, & fractis durat ab uſque*
> *Curribus Oenomaï.* (*Statius Thebaïd.* 4.)

Ex fluviis in hoc tractu, *Anagrus*, ubi ex monte *Lapitha* deſcendit, à fonte ſtatim graviter olet, neque piſces alit priuſquam *Acidantem* in ſe receperit: at nè tum quidem ſalubres, quanquam in ipſo *Acidante* ſuaviſſimos. Eundem *Anagrum* vitiliginem quamvis, albam atrámve, nantibus ſanare ſolitum ferunt: at nymphis quibuſdam *Anagridibus* vota erant priùs nuncupanda. Hic primò *Minyeïus* dictus eſt, quo *Hercules Augeæ* ſtabulum purgavit. Sunt etiam *Diagon*, *Peneüs* & *Cytherus* fluvii. Ac *Cytheri* fontis aquæ ſaluberrimæ lavantibus, ad laſſitudines, & quoſvis levandos corporis dolores. *Alpheüs* maximus & ſuaviſſimus omnium, quem ut augeant plurimi accedunt alii, viz. *Heliſſon*, *Brentheates*, *Gortynius*, *Buphagus*, *Ladon*,

Ery-

Erymanthus, ex *Arcadia* omnes; ex *Elide Cladæus* & *Leucyamas*. Ait *Pauſanias*, non videre ſe, cur non credat *Alpheüm*, per occultos meatus ſub ipſo mari labentem, in *Ortygia* prope *Syracuſas* inſula emergere, & fonti *Arethuſæ* immiſceri; quoniam oraculo *Pythio* ità erat *Archiæ* traditum, ad condendas *Syracuſas* proficiſcenti. Atque hinc nata eſt fabula de amore quo *Alpheüs Arethuſam* nympham proſecutus eſt. Quaſi verò non & falſa interdum, ut ambigua ſemper & obſcura, vulgóque recepta pro veris, edere *Pythius Apollo* ſolitus ſit. Primam hujus conjecturæ cauſam fuiſſe produnt, quia ſtato tempore, cùm *Olympia* celebrabantur, & ſordes victimarum projiciebantur in *Alpheüm*, *Arethuſæ* fons turbidus redolere fimum credebatur. Sed falſa hæc eſſe, idoneus autor eſt *Strabo*, (l. 6.) *Eleorum* navale unicum, portu ſatìs opportuno commodum, *Cyllene* dicebatur. Ab *Elide* urbe centum aberat ac viginti ſtadia. At ſumma claritas huic regioni fuit à ludis *Olympicis Jovi* ſacris, (unde Faſti *Græcorum*,) & à templo *Jovis* magnificentiſſimo, longitudine 230 pedum, latitudine 95, alto denique 68, aris atque ſimulacris idolorum undique referto. Tectum erat domui, non è coctili tegula, ſed è cæſo ad tegulæ formam in lapidicinis *Pentelicis* marmore: quod inventum *Bizæ Naxio* tribuitur. Ara magnitudine magìs quàm ornatu conſpicua, pedes alta 22. Πρόθυσις, id eſt, prima ſtatio ſacrorum, ſive ima crepido, pedes colligebat in ambitu 125, gradus ſuperiores 32 pedes ſinguli. Altare hoc cineres ex aduſtis victimis collecti congeſtíque in tantam molem attollebant. Et prope templum erat focus in Prytaneo cineritius igne ardens perpetuo. Indè ſuppetebat ad aram inſtaurandam cinis. Ad ſtationem crepidinis imæ ducebantur hoſtiæ; quouſque & fœminis aſcendere fas erat, per gradus lapideos ab utroque latere. Femora in ſummo adolebantur, quò cineritii tantùm gradus ducebant. Miraculo habebatur, quòd avidum & rapax avium genus hanc attingere aram aut victimam non audebat: quod ſi quando contigit, immolanti dira portendi credebatur. Albâ tantùm populo in his ſacris victimæ cremabantur. Inter dona *Olympica* mirabantur Equam æneam, cui erat infuſum hippomanes magi hominis aſtu; adeò ut equi veri non modò adhinnirent, ſed effractis loris & repagulis invaderent atque inſilirent, nec deſinerent priùs quàm ſcuticis & acriore vi abigerentur. Ibidem *Jovis* Coloſſus etiam ex ære, 27 pedum altitudine, præ aliis omnibus eminebat. (*Pauſ. Eliac.* 1.) Peculiarem *Eleï* colebant deum *Soſipolin*. Quippe cùm *Arcades* in prælio quodam urgerent vehementiùs *Eleos*, mulier fortè obtulit ſe cum infante, monitámque aiebat ut iis opem ferret. Traditum ſibi puerum *Eleï* ante ſuam aciem deponunt humi, qui ſpeciem ſerpentis repentè induit, abjecit infantis; adeóque terruit ac repreſſit inſultantes *Arcadas*, ut multi terga verterint, reliquos *Eleï* magno irruentes impetu facilè profligârint. Ità conſervata eſt *Elis* urbs, unde ſuum dæmoni *Soſipolis* nomen. Eodem igitur in loco ubi ſerpens jacuerat, templum novo numini conſtitutum eſt, & ſimul ara *Ilithyæ*, quam attuliſſe infantem opinati ſunt. (*Pauſ. Eliac.* 2.)

A. M. 2560.

Jam verò *Protogenéa*, mater *Æthlii*, maritum habuit *Locrum*, à quo Magnæ *Achaiæ* regio *Locris* appellata eſt. De illo meminit *Heſiodus*,

> Ἦτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν·
> *Nempe fuit Lelegum Locrus ductor populorum:*

quos idem Poëta ex eo dictos innuit *Leleges*, quaſi *lectos*, id eſt, *collectos* atque mixtos è variis gentibus. Habuit filium quoque præter *Æthlium Protogenéa*, qui *Opus* vocabatur, urbíque celebri nomen dedit in parte *Locridis*. Tribus enim conſtabat, ut & *Locris.* quarum primam *Locri Ozolæ* tenebant, mediam *Epicnemidii*, extremam *Opuntii*. *Opuntii* & *Epicnemidii* ad *Ægæum* mare atque *Euboïcum* porrecti; *Ozolæ* ad ſinum *Corinthiacum* intra extráque fretum: quibus ortivum latus à *Phocide Parnaſſóque* monte claudebatur, occiduum *Ætoli* urgebant, & aliqua ex parte Septentrionem. Præcipuas urbes habuêre *Amphiſſam* atque *Naupactum*; deinde *Myoniam*, & mari viciniores *Oeanthiam*, *Molycriam*, & *Antirrhium*, ſeu *Rhium Molycrium*, in ipſo promontorio caſtellum; cui ex adverſa parte in *Peloponneſo Rhium Achaïcum* & promontorium alterum occurrebat. Inter hæc fretum vix quinûm jugerum ſpatio patebat, quo mare *Ionium* in ſinum *Corinthiacum* ſeu *Criſſæum* immittebatur. Ab Oriente finitimi *Bœotiis Opuntii*, quorum navale *Cynus* ad ſinum *Opuntium*: ab Occaſu *Epicnemidii Theſſalis* propinqui ad *Thermopylas*, hoc eſt, inter montem *Oetam* & *Maliacum* ſinum celebres anguſtias, atque portas *Græciæ*. *Cnemides* in hac parte, ipſo loco munita urbs & primaria, cui à monte *Cnemo* nomen. Ad urbem

Daph-

A.M. 2560.

Daphnunta Phocidis & *Thermopylas* dirimebantur ab *Opuntiis Epicnemidii.* Oppido *Cnemidibus Ceneüm* in *Eubœa* extremum promontorium opponebatur, freto diſjunctum ſtadiis 20 lato. Huc & *Lichades* inſulæ tres, aliæque ſpectabant obſcuriores littori adjacentes, & ad *Thronium* oppidum *Boagrii* torrens.

2561. *Tectamus Dori regnat in Creta;*

Tectamus Dori filius, *Hellenis* nepos, cum *Æolenſibus* atque *Pelaſgis Cretæ* inſulæ partem occupavit, ubi *Eteocretes* & *Cydones* indigenas reperit; ipſe regnavit circiter annos decem. Socios è vicinis etiam *Olympo* locis, & ex *Achæis* collegit *Laconiæ* incolis, unde ſolvit. (*Diod. Sic.* 4.6. & *Strabo* 10.) At verò *Achæi* adhuc nulli aderant in *Apia*, *Achæo* ipſo vix adhuc nato.

A.M. 2562. *Pandion primus Athenis.*

Poſtquam *Erichthonius Athenis* regnaviſſet annis 50, patris mortui regno potitus eſt filius *Pandion*, cui præfuit annis 40. In *Poliadis Minervæ* fano *Erichthonium* ſepultum ait *Apollodorus*, (3.) & *Euſebius*, (Præpar. 2.6.) *Pandionem* verò ex matertera *Zeuxippe*, inauſpicatis nuptiis, *Prognen* & *Philomelam* ſuſcepiſſe, geminóſque filios, *Erechtheüm* & *Butem*, ferunt.

A.M. 2563. Reliquis tribubus diſtributæ ſortes.

§ 12. *Judæis* jampridem, *Ephraïmitis*, alterique *Manaſſidarum* parti, ſuas tradiderat ſortes *Joſua*. *Calebus* etiam ſubegerat *Hebronem*, gigantéſque ſuſtulerat, *Seſaium*, *Ahimanum*, & *Thalmaium*: qui à *Joſua* priùs fugati, (*Joſ.* 11.21.) occupatis alibi *Iſraëlitis* fortaſſe redierant; ut in *Hazorem*, igne vaſtatam à *Joſua*, (*Joſ.* 11.13.) cives reverterunt; (*Jud.* 4.2.) in *Gazam*, *Aſcalonem Ecronémque*, à *Judæis* captas, (*Jud.* 1.18.) *Palæſtini*. *Othoniel Debirem* expugnârat, quam *Ciriath-ſephar* antea vocaverant, id eſt, *Literarum* ſeu *Libellorum urbem*. Cùm enim *Debir* munitiſſima eſſet urbs, *Hachſæ* filiæ ſuæ nuptias pollicitus ei eſt *Calebus* operæ præmium, qui expugnaret. *Othoniel*, ex fratre *Cenazo Calebi* nepos, accepit conditionem, cepit urbem. Quare uxor ei tradita eſt agris dotata, ſed minùs fœcundis, aquarum penuriâ; quod in montibus ferè ſolet contingere. Alios ergò pater, petente filiâ, optimè merenti genero, aquis fontanis irriguos, addidit magnificè. *Cenæi* quoque, *Hobabi* filii, *Jethronis* poſteri, *Hierichunte* aſcenderunt, & in deſerto *Haradis* ſua fixerunt tabernacula. Credibile eſt *Cenæos*, ut *Simeonidas*, in ampliſſimam *Judæ* ſortem eſſe conjectos à *Joſua*: ad *Hierichuntem* verò hactenus commoratos, ut primùm nacti ſunt locum idoneum, vacuum & expeditum hoſtibus, ſuam ſortem adiviſſe. *Cenæos* autem ab aliquo majorum denominatos, par eſt credere. At reliquæ tribus, non niſi monente increpantéque pigritiam illorum *Joſuâ*, annis aliquot ſeriùs quàm *Judæi* de ſortibus jaciendis tandem aliquando conſultavêre. Exſpectabant ſcilicet dum communi militiâ expugnarentur omnia, nè quid ſingulis tribubus in debellandis hoſtibus moleſtiæ diſcriminíſve ſupereſſet. At *Joſua* conſenuerat, nec erat ſpes eo ſuperſtite *Iſraëliticæ* ditionis fines latiùs extendi poſſe. Æquiſſimum videbatur, ut ipſe tot ſuarum victoriarum aliquem fructum deguſtaret. *Silunte* igitur celebrem indixit populi conventum, *Ephraïmiticâ* urbe, ubi Tabernaculum Dei collocatum eſt. Miſſi deinde ſunt è ſeptem quæ ſupererant tribuum ſingulis viri tres, qui provinciam omnem circuirent ac deſcriberent in ſeptem partes. Eas verò *Joſua* cum *Eleazaro* & Principibus ſorte partitus eſt. Etſi enim nondum erat ſubacta regio univerſa, multæque miſcebantur infeſtæ gentes; adeò tamen attonitæ perculſæque tot ſtragibus erant, ut itinere pacato regionem perambulârint omnem exploratores. Primâ ſorte *Benjaminus* inter *Judam* & *Ephraimum* collocatus eſt, ad fluvium *Jordanem*, tenuítque urbes unà cum villis 26. Secundâ ſorte *Simeon* urbibus ſeptemdecim donatus eſt in ditione *Judæorum*. Cùm enim in prima ſortitione humanitus erraviſſent, tantúmque regionis in unum *Judam* cumulâſſent, ut reliquis defuturæ partes viderentur; partem ejus aliquam detractam *Judæis* in *Simeonem* contulerunt. Ità *Simeonidæ* quaſi hoſpitio excepti ab aliis diſſipatíque ſunt, ac in ſolum diſperſi alienum tanquam inquilini, ut pronunciaverat olim moriens *Jacobus*, propter ſtragem non minore perfidiâ quàm crudelitate editam in *Sichemitas*. (*Gen.* 49. 5, 6, 7.) 3. *Zabulon* ad Mediterraneum mare *Manaſſidis* imminebat à Borea, (*Gen.* 49.13.) & urbes 12 tenuit cum villis. 4. *Iſſacharem* habuit ab Oriente, qui urbibus 16 imperabat. 5. *Aſer* ultra *Zabulonem* ad plagam Borealem ſitus eſt, orámque Mediterranei maris, longo tractu milliarium ferè 30, non niſi duodecim quindecímve lato. Oleo vinóque abundabat & tritico, urbium 22 dominus. 6. Hinc *Nephtali* ad Orientem attigit *Jordanem*: *Zabulonem* & *Iſſacharum* ad Meridiem habuiſſe videtur, urbéſque 19 unà cum villis. Denique *Dan* ad mare Mediterraneum, *Ephraïmo* ad Septentriones, *Benjamino* ad ortum

tum Solis, *Simeoni* à Meridie confinis, 18 ferè urbes in ditione ſua cum villis earum obtinebat. Tandem *Joſuæ Timnath-ſeram* petenti in monte *Ephraïmitico*, jubente Deo, poſſidendam hæreditario jure tradiderunt. Ruinis ergò deformem inſtauravit, multíſque auctam & magnificis exornavit ædificiis. Suas deinde urbes 48 poſtulaverunt *Levitæ* cum ſuburbiis, quod præceperat per *Moſen* Deus: (*Num.* 35.2, &c.) traditæque ſunt de ſingulis ferè tribubus 4 per ſortes. Sacerdotibus de tribu *Judæ*, *Simeonis* & *Benjamini*, (ut eſſent propinqui Templo quod deſtinaverat Deus *Hieroſolymis*,) 13. Reliquis *Coathitis*, de tribubus *Ephraïmi* & *Danis*, dimidiâque *Manaſſis*, 10; *Gerſonitis*, de *Iſſachare*, *Nephtali*, *Aſere*, dimidióque *Manaſſe* trans *Jordanem*, 13; *Meraritis* denique, de *Rubene*, *Gade* ac *Zabulone*, 12. *Juda* quinque urbes, *Manaſſes* tres tantùm contribuiſſe videtur. Ità diſperſi quidem inter *Iſraëlitas Levitæ* ſunt; quod prædixerat fore *Jacobus*: (*Gen.* 49.7.) at bono publico, nè *Iſraëlitæ* ipſi diſſiparentur, ſed in eadem religione uni Deo cohærerent, atque ſibi conſtarent perpetuó. Ex his urbibus, monente iterum Deo, electæ ſunt quæ pro Aſylis eſſent ſex, citra *Jordanem* tres, totidem ultra. Ei qui errore hominem non inimicum occiderat huc fugere licebat, atque effugere conſtitutam in homicidas ultionem. Apud urbes autem *Leviticas* tantùm voluit eſſe hoc perfugium Deus, ut illic majore fide atque autoritate innocentia defenderetur. Citra *Jordanem* conſtitutæ ſunt pro aſylis, *Cadeſhum* in monte *Nephtalidarum*, *Sichemum* in monte *Ephraïmitico*, & in *Judæa Hebron*. Ultra *Jordanem*, *Bezer* in deſerto *Rubenitarum*, *Ramotha Gileadis* quæ *Gaditarum* fuit, & *Golan Manaſſidarum* in *Baſane*. A.M. 2563.

§ 13. Diſtributis jam ſortibus, cùm ſingularum eſſet tribuum quod reliquum erat belli conficere, ſuíſque finibus hoſtes reſiduos exigere, nihil ſupererat quod *Transjordanas* tribus diutiùs in *Canaanæa* detineret. Emeritos ergò pronunciabat *Joſua*, liberóſque domum remiſit. Sed bene precatus monuit, primò, nè Legis Divinæ obliviſcerentur, quanquam remoti à Tabernaculo; ſed obſequium atque cultum Deo debitum fideliter præſtarent. Cúmque onuſti ſpoliis recederent, aliquam prædæ partem ſociis ut concederent, qui ad rerum cuſtodiam domi excubârant. His illi monitis inſtructi redeunt, & *Jordane* tranſmiſſo, in ipſa ripa fluminis altare magnum conſtituunt, aliis tribubus minimè conſultis ea de re, præteritóque ipſo Pontifice. Nihil ſibi aliud propoſitum habebant, quàm ut monumentum erigerent communis fidei, & fraternæ concordiæ, quamvis loco fluminéque disjuncti. Sed ratio quam ſecuti ſunt, celando propoſitum, fuit meritò ſuſpecta fratribus, quaſi novas in Religione res molirentur, aliúdque ad ſacrificandum ſibi altare conſtruerent, præter illud commune, quod cum Tabernaculo Deus fabricandum curârat. Pluribus autem in locis altaribúſve ſacra facere, ſeverè admodum fuit à Deo interdictum. (*Lev.* 17.3, &c.) Decem itaque tribus, cùm de altari novo nuncios accepiſſent, quaſi neglecturi eſſent *Transjordani* Tabernaculum Arámque *Silunte* poſitam, ſancto quodam zelo excanduerunt. Ipſa ſpecies impietatis offendit pios; temeréque faciunt qui anſam leviſſimam jure ſuſpicandi violatam Religionem dant. Cùm ergò in unum conveniſſent, ſuffragiis communibus decretum eſt, ritum hunc alienum à Lege Dei & degenerem armis prohibere: ſed experiri priùs verbis, atque legatos mittere qui certiores facerent ſceleris ſe, illóſque admonerent, antequam exigerent pœnas. Eò *Phinees Eleazaris* filius, & ex decem tribubus Principes decem delegati ſunt. Is populi totius verbis quaſi reos magni cujuſdam criminis ità corripuit: "*Quid hoc eſt*, *Transjordani* fratres, rerum novarum quod molimini vos? *Defectionémne* à populo noſtro, à Religione, à *Jehova* paratis? Novum enim hoc *altare* quid aliud ſibi vult, niſi cultum novum, Deum novum, & novam alienámque à nobis rempublicam ſtatuere? Adeóne *Peoris* jampridem obliti eſtis, & eorum quæ *Baalis* causâ pertulimus, ut, mutatis cum ſolo animis, idolo protinus novo flumine trajecto ſtudeatis? *Nondum* ſatis ea *ſanata ſunt* vulnera; nováſne vos plagas infligetis? Quid autem? Deteriórne vobis videtur conditio veſtra, quòd prope Arcam Dei non habitetis? *immundáque terra* hæc quam ipſi elegiſtis? *Id verò ſi ſit*, deſerite quam tantopere expetiiſtis partem, *remeate* hinc, *ſortem atque ſedem* in *Canaanæa nobiſcum accipite*, nè pravâ æmulatione *provocetis Deum*. Nè qua tribus deficiat, ea ſufficiet terra univerſis. Neque verò nos in aliena rep. nimis curioſos arguite, qui de veſtris rebus adeò ſoliciti ſumus. Noſtrâ interſunt omnium veſtra peccata. Quicquid vos deliratis hodie, etiam nos die craſtino plectemur. Redundabit in nos veſtra impietas. Corporis unius membra, ubi ſingula torquentur, ſentiunt univerſa. Unius fuit *Achani* ſacrilegium, non

A.M. 2564.

Transjordanæ tribus emeritæ domum remiſſæ.

A.M. 2564. "& unius ſupplicium. Luit familia, luêre pecora, luêre tentoria, ipſa luêre ſpolia "quæ furatus eſt; *luimus omnes Achani ſcelus.* Ità *Phinees* increpuit. At ſedatis animis & oratione leni facilè reſtinxerunt hanc è levi ſtipula emicantem flammam *Transjordani.* "*Deus*, inquiunt, *deorum Jehova*, *Deus deorum Jehova. Optimè qui-* "*dem is novit*, quem hac in re teſtem appellamus, nihil minùs cogitare nos quàm "*defectionem: idque toti mox populo innoteſcet. Altare hoc* volumus communis vo-"biſcum ſanguinis atque Religionis vinculum eſſe perpetuum. Periculum enim "eſt, nè, *poſt aliquot ſecula*, *veſtri* nos tanquam alienos excludant ſacris communi-"bus, quòd eandem terram non incolamus. *Poſteris itaque noſtris* tempeſtivè con-"ſulimus altari hoc, *non ad ſacrificia* deſtinato, ſed ut eo quaſi publicis tabulis jus "ſuum tueri queant, ut alii alios mutuò agnoſcant, & communiter *ſerviant* uni "*Deo.* Lætis animis acceperunt hæc legati *Iſraëlitici*, Deóque propitio *Phinees* gratulatus eſt, quòd populum ſuum immunem à piaculo conſervâſſet. Pari mox æquitate populus univerſus *Transjordanorum* defenſionem eſt amplexus. Denique, à *Rubenitis* atque ſociis impoſitum eſt altari nomen *Hed*, quod *Teſtem* ſignificat, ut uſum ejus verum demonſtrando, ab omni ſuperſtitione poſteros prohiberent.

A.M. 2569. Poſt *Echyreüm*, decimusſextus apud *Ægialenſes* regnavit *Corax* ann. 30; quem *Pauſanias Coroni* filium ait fuiſſe, *Orthopolidis* pronepotem.

Seneſcens *Joſua* Religionem populo commendat.

§ 14. Ingraveſcente jam ætate morti propinquus Imperator *Joſua*, operam unicè dabat ut purum Dei cultum ſibi ſuperſtitem relinqueret. Convenire igitur populum voluit, Principes verò maximè, Judices atque Præfectos, apud quos hanc habuit orationem. "*Iſraëlitæ* fratres, videtis quos *mihi* canos *ætas grandior* aſperſe-"rit, quo declinare meum vitæ diem, & ad occaſum vergere facilè perſpicitis. "Monendos itaque putavi præſentes præſens, ut magnifica vobis Dei opera ſemper "proponatis ante oculos. Hactenus eum veracem in omnibus experti eſtis. De-"bellavit ipſe hoſtes, atque gentes profanas expulit, ut ſedem vobis commodam & "quietam daret. Idem *reliquas in hæreditatem vobis à me ſorte diſtributas per tribus*, "mox traditurus eſt; cujus id vobis pro certo ſit pignore, quòd eos fines Dei mo-"nitu, non arbitrio meo, deſcripſerim. Videte igitur, iterum vos iterúmque mo-"neo, ut *ad legem Dei præſtandam* ſtudio ſummo enitamini. Cavete vobis à cor-"ruptelis profanarum gentium, quoniam & ipſi ad ſuperſtitiones propenſi admo-"dum, & magna eſtis irritamenta & illecebras habituri ab his vicinis, niſi *ſolicitè* "*caveatur.* Nè qua igitur fœdera *conjugiáve ineatis cum* hoſtium *reliquiis*, nè pro-"pior neceſſitudo ſcelerum ſocietate vos implicet. *Nè quo cultu dignemini* fictos "*illorum deos*, *nè vel admirando*, *vel commemorando idolorum nomina*; *ſed Jehovæ*, "uni *Jehovæ vos in ſolidum addicite*, *quod hucuſque à vobis* piè prudentérque *factum* "*eſt.* Veſtrum obſequium reddidit vobis propitium Deum. Modò vos non mu-"temini, mutabilem Deum nunquam reperietis. Quantum igitur vita vobis & "chara ſalus eſt, tantum intimis animorum affectibus *colite Deum & amatote.* Quòd "ſi oblatam vobis hanc Dei gratiam ſponte non amplectamini, ſed *fœderibus & con-*"*nubiis permiſceatis vos iis qui adhuc ſuperſunt Canaanæis*, & ſordibus eorum profa-"nis corrumpendos præbeatis, denuncio vobis, id quod jampridem eſt minitatus "*Moſes*, non adfuturum vobis Deum ulteriùs, hoſtiúmve reliquias *expulſurum*, *ſed* "*pro laqueis* relicturum *& offendiculis*, *ut ſtimuli ſint ad pungenda latera*, *& ad ocu-*"*los vobis configendos ſpinæ*, *donec malè pereatis*, atque amittatis *beatiſſimam hanc* "*terram*, *quam* Optimus *vobis Deus tradidit. Mihi verò jam diſcedendum eſt hinc.* "Inſtat mihi exitus qui vos omnes manet. Atteſtor igitur ego id, *quod & vobis ex* "*animo fatendum eſt omnibus*, *præſtitiſſe nobis verè Deum quæ* magnificè *promiſit* "*omnia. Quemadmodum verò beneficiis veracem* probavit ſe; *ità* mihi credite, non "irritas aut inanes fore ejus minas, quin *exitio veſtro interitúque ultimo* ſui cultûs pro-"fanationem ulciſcatur. His atque aliis hujuſmodi ſtimulis, populum *Joſua* ad conſtantiam in cultu Dei atque pietatem ſub tempus extremum incitavit.

A.M. 2570. Idem iterum fato jam proximus.

Funeri ſuo jam proximus *Joſua*, de funere *Joſephi* proavi ſui cogitare tandem cœpit; cujus oſſa quidem ex *Ægypto* in *Canaanæam* ſunt tranſlata, nondum verò ſepulta. Spelunca duplex in agro *Hebronico* ab hoſtibus fortaſſe tenebatur, ubi majores conditi jacebant. Vel potiùs, maluit *Joſua* in agro *Sichemitico* reponere *Joſephi* reliquias, ut vel mortuus eam poſſideret hæreditatem, quam pater ei moriens delegârat. (*Gen.* 48.22.) Sed hanc ceremoniam totius populi conventu celebrari voluit. Omnes ergò tribus congregavit *Sichemum*, Principes inprimis ac Judices, om-

omniúmque præfectos. Eò & Arca Dei traducta eſt, quoniam fœdus antiquum renovare cum Deo in votis ultimis habuit. In re verò tam ſeria, par fuit populum ſe ad terreſtre Dei tribunal ſiſtere; quem his Dei verbis affatus eſt, non ſuis: "Suam eos felicitatem, quòd Religione verâ imbuti eſſent, quòd Terram beatiſſimam ſubegiſſent, non ſuis debere meritis aut viribus tribuere, ſed gratiæ prorſus Divinæ omnia. *Majores eorum Tharam* atque *Nahorem* in *Chaldæa deos alienos coluiſſe. Traduxiſſe Abrahamum ſe in Canaanæam, locupletâſſe magnâ progenie, Iſaaco* filio inprimis, *Jacobo & Eſavo* nepotibus. *Eſavo Idumæam tradidiſſe. Jacobum* verò fame coactum *deſcendiſſe in Ægyptum.* Cúmque gravi ſervitute premerentur ejus poſteri, *Moſen atque Aaronem ſe*, qui prodigiis magnis perpetratis *liberarent* oppreſſos, *delegâſſe. Iſraëlitas* autem *exeuntes ad Rubrum uſque mare perſecutos fuiſſe Ægyptios curribus equitibúſque.* At *ſe*, *invocantibus Iſraëlitis*, primò *caliginem interpoſuiſſe* magnæ nubis, nè quà eundum eſſet proſpicerent *Ægyptii*; mox in currus & equites *effuſo mari*, ad unum *obruiſſe* omnes in profundo, ídque *ſuis eos oculis* in littore tutos *proſpexiſſe.* Sed ex *Ægypto* egreſſos, ſuâ eos contumaciâ mox effeciſſe, ut *longo tempore oberrârint in ſolitudine.* Tandem *ad Amoræos ultra Jordanem*, ad *Sihonem* & *Ogum* perveniſſe, quos *obſtantes* quantâ poterant vi, *domuiſſe* tamen *ſe*, *eorúmque regionem Iſraëlitis tenendam tradidiſſe. Arma quoque in eos Balacum moviſſe Moabitam, & conduxiſſe Balaamum* ingentibus promiſſis, *ut iiſdem dira imprecaretur: Sed noluiſſe Balaamum audire ſe*, verùm *benedicendo Iſraëlitis* fruſtratum eſſe utriuſque ſpem, hinc præmiorum, indè exſecrationum. Deinde, cùm *per medium Jordanem perambulâſſent* in *Canaanæam*, obſediſſe eos *Hierichuntem*, aliáſque civitates expugnâſſe atque gentes, *Amoræos*, *Perizæos*, *Canaanæos*, *Hithæos*, *Gergaſæos*, *Hivæos*, & *Jebuſitas*; ídque *non* tam *ſuâ vi*, quàm præſidio auxilióque Divino. *Se præmiſiſſe crabrones*, *qui Amoræos abigerent: ſe regionem iis dediſſe quam ipſi non excoluiſſent*, *urbes quas ipſi non ædificâſſent*, *vineas & oliveta quæ non conſeviſſent ipſi.* Tot igitur beneficiis devinctos, debere illos *ex animo Jehovam colere*, alienóſque *deos abjicere*, *quos in Chaldæa majores eorum & in Ægypto venerati ſunt. Quòd ſi minùs id vobis gratum ſit*, (ait *Joſua*) eligite *vobis quos colatis*, *ſive Chaldæorum* veteres, *ſive Canaanæorum* novos *deos. Ego certè familiáque omnis mea cultu ſacro Jehovam unicum proſequemur.* Hæc ad populum *Joſua.* Nam in fœdere pangendo, (quod erat *Joſuæ* propoſitum,) par fuit optionem populo dari, ac libertatem accipiendi recuſandíve, nè ſe vi adactos in alterius jurâſſe verba quererentur. At ille, ſatis caſtus adhuc, reſpondit piè; "*Abſit verò ut nos derelinquamus Jehovam, alienóſque veneremur deos. Ille, Ille noſter Deus eſt: Ille nos patréſque noſtros ex Ægypti ergaſtulo liberos fecit: Ille tot atque tanta conſpicientibus nobis prodigia edidit: Ille in* moleſto periculoſóque *itinere*, *tot circundatos* infeſtis *gentibus cuſtodivit*, incoluméſque in regione hac, *pulſis* incolis, collocavit: Ille nos mirabili redemptione in populum ſibi peculiarem acquiſivit: *Illi propterea nos* uni omnes ad unum *ſervos dedimus cultoréſque.* Hæc populus *Joſuæ* reſpondit. Is autem, ut ſenſus eorum intimos excuteret, nè pergerent eſſe ſui ſimiles, "Cavete, inquit, nè temere promittatis, mox violaturi fidem. Vereor equidem *ut poſſitis vos* (quo eſtis ingenio) *Jehovæ*, *Deo ſancto*, *Deo zelotypo*, *vos* totos *addicere. Quòd ſi quando deficiatis*, non *ille* paucioribus minoribúſve *plagis affliget vos*, quàm hactenus *affecit beneficiis.* Iterùm populus, "nequaquam aiebat ſe repudiaturum *Jehovam*; ſed in officio ſuo, & *obſequio ejus Numini debito*, conſtantes in perpetuum fore. Tum *Joſua*; "Quandoquidem, ait, *ultro vos imperio Jehovæ ſubjicitis*, & in ejus patrocinium atque clientelam confugitis, *veſtra* omnium *conſcientia* ſacræ perduellionis *reos aget*, niſi præſtiteritis fidem. "*Reos aget nos*, *aget reos noſtra* omnium *conſcientia*, reſpondit populus, ſi hoc unquam violamus ultroneum fœdus. Concludit *Joſua*; "Cùm totos *Jehovæ* dederitis vos, *renunciate prorſus idolis*, omníque profanationi, quò *Jehovam* ſolum *purè colatis integréque.* Ità Dei vice percuſſit *Joſua* cum *Iſraëlitis* novum Fœdus, ut Legem à *Moſe* traditam ſanctè in poſterum obſervarent; ídque in publicas Tabulas ad perpetuam rei memoriam retulit recondidítque. Verùm quia ſæpe quod ſcriptum eſt, in libris clauſis deliteſcit, aliud memoriæ ſubſidium ſtatuere viſum eſt, quod in omnium oculis exſtaret. Lapidem poſuit ſub quercu prope Sanctuarium, quaſi & eum penetraviſſet Dei vox, damnaturum fœdifragos, ſi unquam fruſtrarentur atque fallerent datam fidem. Tandem, ſepulto *Joſepho*, conventus populi dimiſſus eſt.

A.M. 2570.

 § 15. Nar-

A.M. 2570.

Columnæ Canaanæorum in Africam fugatorum à Joſua fixæ.

§ 15. Narrat *Procopius* (in *Vandal.* 2.) aliquos eorum quos è patria expulerat *Joſua*, in *Africam* Minorem profugiſſe, columnas marmoreas ibi ſtatuiſſe his inſcriptas verbis, *Nos ſumus Canaanæi, qui à facie Joſuæ latronis filii Nave fugimus.* Commentitia res, & ad fabulas remittenda.

———*Quis enim ſuâ prælia victus*
Commemorare velit?

Quis fugæ ſuæ, victoriæque de ſe alienæ monumentum ſtatuere? Quorſum verò columnam hanc tot ſeculis ante *Chriſtianiſmi* tempora nullus mortalium vidit? Nè *Joſephus* de ea *Judæus* meminit, qui ſuâ ætate uxorem *Loti* ad Mare mortuum, & filiorum *Sethi* columnam ante Diluvium, exſtitiſſe narrat. Neque ſuâ ætate *Joſua* filius *Nave*, ſed filius *Nuni* dictus fuiſſet: *Nave* nomen à LXX primùm Interpretibus datum eſt. At is eorum fortaſſe qui *Græcè* tranſtulerunt fuit error. Linguam verò *Phœniciam* in *Africæ* oram (quo argumento aliqui pugnant hac in re) *Carthaginienſes* attuliſſe conſtat, non *Canaanæos.* Qui & *Carthaginem* eorundem coloniam fuiſſe volunt, vero nomine *Chædreanech*, quaſi ab *Anacæis* ſtructam & habitatam, fabulas fabulis propugnant.

Joſua & Eleazer moriuntur.

Joſua jam centum atque decem annorum ſenex, mox & *Eleazer* Pontifex, fato ſuo defuncti ſunt, ſepultíque, hic in *Gibea*, ille in *Timna-ſera*, in tribu ac monte *Ephraïmitico* uterque. Ac *Joſuæ* ſepulchrum ſuâ ætate narrat exſtitiſſe *Hieronymus*, (in Locis *Hebraïcis*,) eíque Solis impoſitam fuiſſe imaginem, ſtantis in cœlo Solis gratiâ exorante Deum *Joſuâ*. Tantúmque valuit rerum ab eo, vel à Deo potiùs geſtarum miniſtro *Joſuâ*, operúmque magnificorum quæ *Moſes* ediderat memoria, ut quamdiu ſuperfuerunt Seniores qui horum meminerant, *Iſraëlitæ* Deum eâdem pietate ſemper coluerint, quâ Duce vivente coluiſſent. Liber ille qui *Joſuæ* dicitur, non Libri autorem indicat, eò quòd *Joſuæ* dicatur, ſed materiam, quia *Joſuæ* continet geſtas res. Potuit etiam ſuas res *Joſua* conſcribere, imitatus *Moſen.* Nam (cap. 24.26.) ſcripſiſſe dicitur populi renovatum à ſe fœdus in Libro Divinæ Legis. Et plurimi certè Autores *Joſuæ* Autori tribuunt Librum qui *Joſuæ* præ ſe nomen fert. Id verò ſi detur, multa eſſe ab aliis, ſed à Prophetis, addita concedendum eſt. Ubi enim ex Libro *Jaſher* (*Joſ.* 10. 13.) miraculum in Sole comprobatur, & manere quædam ad eum uſque diem dicitur, ea *Joſuam* ſcripſiſſe nemo dixerit. Vel ergò ex Annalibus Dialibúſque rerum memorabilium conſervatis in Eccleſia (cujus fortaſſe generis Libri *Jaſher* (*Joſeph.* Antiq. 5.2.) & Bellorum Domini fuerunt) in ordinem hunc digeſſit *Joſuæ* qui vocatur Librum *Samuel*, aut alius Propheta quis ante *Davidis* tempora; vel ab ipſo quidem *Joſua* conſcriptum interpolavit. Aliquem dixi Prophetam ante *Davidis* tempora: quoniam de *Jebuſæis* dicitur, eos non ejectos *Hieroſolymis ad diem uſque hunc.* (*Joſ.* 15.63.) At verò poſt *Davidis* imperium nemo id ſcripſiſſet; cùm certum ſit, ab eo expulſos fuiſſe, captâſque *Hieroſolymas.* Non igitur ab *Eſdra* ſcripti ſunt hi Libri, quod aliquibus videtur, interpolatíve, qui longo *Davidem* intervallo ſecutus eſt. Et Prophetam eſſe oportuit, qui Scriptis Propheticis Divinæque autoritatis addere quicquam adimeréve auſus ſit. Typum fuiſſe *Chriſti Joſuam*, primò, indicat ipſum nomen. *Joſua* enim & *Jeſus* idem ſignificant, utrumque *Salvatorem.* (*Heb.* 4.8.) Deinde, ratio id nominis docet. Superavit *Joſua* omnes *Iſraëlitarum* hoſtes *Canaanæos*; ità ſpirituales Eccleſiæ ſuæ *Chriſtus.* (1 *Cor.* 15.25,26.) Denique, hujus victoriæ fructus utrinque ſimilis. Hoſtibus victis quietem populo Dei *Joſua* dedit in *Canaanæa*; in cœlo æternam *Chriſtus* dabit. (*Heb.* 4. 8, &c.)

Libri Joſuæ quis autor.

Aſterius Cretenſium rex rapit Europam Agenoris Tyrii natam;

§ 16. *Aſterius*, (*Apollodoro Aſterion*, lib. 3. quem D. *Auguſtinus Xanthum* vocat, de Civit. Dei 18. 12.) filius *Tectami*, *Dori* nepos, regnum obtinuit in *Creta* mortuo parente, annîſque circiter 40 imperavit. Eo tempore celeberrima fuit *Europæ Tyriæ*, vel *Sidoniæ*, (ut *Hygin.* Fab. 178.) fama, propter eximiam formæ præſtantiam. *Agenore* natam ferunt rege *Tyriorum* & *Agriope*. *Argiopen Pherecydes* vocat, *Telephaſſam Apollodorus*, (lib. 3.) Miſit ergò navem *Aſterius*, in Venerem ſolutus adoleſcens, cui vel præfectus erat, vel inſigne, *Taurus*, quæ tantopere laudatam virginis formam raperet atque deferret ad ſe. Nam inter homines profanos, in illo rudi ſeculo, Poëtæ illud de Seculo ferreo valebat,

Vi-

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.

A.M. 2572.

Quoniam verò à *Cretenſium* hoc rege factum eſt, ubi credebatur imperaviſſe *Jupiter*, indè nata fabula de verſo in Taurum *Jove*. Prædâ potitus rex, filium indè genuit *Minoa* primum. Nam *Sarpedonem* & *Rhadamanthum* alterius fuiſſe *Minoïs* fratres, ratio temporum arguit neceſſarió. Et *Pandionis Athenienſis* bellum cum *Labdaco Thebano*, *Cadmi* nepote, facit, ut in hæc tempora conjiciam *Europæ* raptum, & *Cadmi* adventum in *Bœotiam*. Plurimi facta eſt apud *Cretenſes Europa*, & mortuæ feſtum *Hellotia* dedicatum, in quo corona myrtea viginti cubitorum (quam *Hellotida* vocabant) unà cum oſſibus *Europæ* ſolenni pompâ vehebatur. *Athenæus Europam* ipſam *Hellotin* fuiſſe appellatam vult. Sed *Aſterio* traditam à piratis ait *Lycophron*.

Agenor, provectus ætate jam, graviſſimè tulit raptum filiæ dilectiſſimæ. Quare filiis mandata ſimul quatuor dedit, *Cadmo*, *Cilici*, *Thaſo*, atque *Phœnici*, ut navibus inſtructis quàm celerrimè proſequerentur omnes, & inveſtigarent ſororem; nec ipſi redirent ad ſe, niſi & illam unà reducerent. Pœnam ſcilicet, ſi non invenirent, addidit

qui filios emittit ad ſororem inveſtigandam.

Exſilium; facto pius & ſceleratus eodem.

Feſtinant illi quantum poſſunt diverſis itineribus, mariáque permenſi & pervagati omnia, cùm de prædonibus virginéque præda nihil uſpiam audirent, deſperato in patriam reditu, ſedem ſibi novam quiſque diſpiciebat, ubi collocaret penates ſuos. *Cilix* ad *Pyramum* amnem in *Cilicia* hæſit Minoris *Aſiæ*, cui & nomen dedit. (*Hypachæi* priùs vocabantur, *Herod.*7.) *Phœnix* in *Bithynia*: *Hyginus* ait in *Africa*, & *Pœnos* ab eo dictos. (Fab.178.) At *Pœni* à *Carthaginienſibus* nominati potiùs. In *Phœniciam* ſe contuliſſe ait *Apollodorus*: in ſuam ergò patriam unde ſolverat, quóque reditus prohibitus eſt: minùs probabiliter. Regio quæ *Maryandina* priùs appellabatur, à *Bithyno*, vel ſociorum vel poſterorum aliquo, *Bithyniæ* nacta eſt nomen. Scholiaſtes *Apollonii* tres *Phœnicis* filios numerat, *Cilicem*, *Phineüm*, atque *Dorcylum*. *Thaſus*, cum ſuis, ejuſdem nominis inſulam in *Ægæo* mari *Lemno* vicinam tenuit, aurifodinis eo tempore ditiſſimam. (*Herodot.6.*) *Aëria* vel *Æthria* dicta priùs, à barbaris habitabatur. *Herculem* enim *Thaſii Tyrium* colebant primò, clarum originis indicium; quem eos *Olympiæ* ferunt æneum, ſuper lebetem æneâ baſi dedicâſſe cubitûm 10, dextrâ clavam, arcum ſiniſtrâ tenentem: etſi poſtea *Thebanum* venerati ſunt, reliquam ſecuti *Græciam*. (*Pauſ. Eliac.*1.) *Herodotus* (lib.3.) ait, ſe reperiſſe in *Thaſo* inſula, profectum eò de induſtria, templum *Herculis* à *Phœnicibus* conſtructum, qui ad inveſtigandam *Europam* miſſi *Thaſum* condiderant. Hîc *Telephaſſam* obiiſſe, *Stephanus* autor eſt. Hinc videtur in *Thraciam* propinquam trajeciſſe, ubi conditam à ſe urbem habitâſſe tradit *Apollodorus*; qui & *Neptuni* filium fuiſſe, at *Cilicem* natione ſcribit *Pherecydes*. *Phineüm* quoque, *Argonautarum* hoſpitem, *Agenoris* fuiſſe filium, maximéque longævum, *Apollonius*, *Hyginus*, (Fab.19.) & alii tradunt; qui nunc fortaſſe in *Thraciam* quoque delatus eſt: niſi credibilius ſit, eum *Phineüm*, *Phœnice* natum, & *Agenoris* nepotem, ex *Bithynia* in *Thraciam* tranſiiſſe. *Cadmum* primò in *Rhodum* inſulam tempeſtatis maximæ vis compulit, cum *Telephaſſa* matre, quæ ſponte comitata eſt, ut filiam quæreret. Dum fluctibus & procellis jactabatur, templum *Neptuno*, ſi præſtaret ſoſpitem, vovit. Superatis ergò periculis, in urbe *Ialyſo* vota ſolvit, fanúmque dedicavit maris deo. E ſuis etiam *Phœnicibus* reliquit, qui ſacra dei procurarent, quorum ex familiis perpetuò ſacerdotes ſuccederent. Sed ab indigenis in ſocietatem civitatis recepti, mox in populum eundem coaluerunt. *Lindiæ* quoque *Minervæ* donaria *Cadmus* dedicavit in eadem inſula. Inter ea ſpectabilis tranſiit ad poſteros lebes æneus, artis antiquæ opus. *Phœniceas* enim literas inſculptas habuit. (*Diod. Sic.*5 13.) *Samothraces* prædicabant, haud ſcio an glorioſè magìs quàm verè, ad ſe quoque *Cadmum* divertiſſe, ac ſuis initiatum ſacris *Harmoniam* duxiſſe conjugem, non *Martis* filiam, ſed *Jovis*, & ſororem *Dardani*, ex *Electra*. (*Diod.*lib.11.) *Apollodorus* ergò & in *Thracia* eum appuliſſe narrat; unde, *Telephaſſâ* matre mortuâ & ſepultâ, *Delphos* profectus eſt, ——*ſcitatum oracula Phœbi* de ſorore. *Calliſten* quoque inſulam adiit inter *Cretam* & *Cyrenaïcam*, (*Thera* tandem vocata eſt,) ubi reliquit *Membliarum* & aliquot *Phœnices* qui incolerent. (*Herodot. Pauſ. Lacon.*) Interim *Agenor*, cùm & filiam & filios unà tot amiſiſſet, dolore

Illâ nuſquam repertâ, hi ſedes alibi ſibi figunt.

lore

A.M. 2570. 2571. lore ſummo ad ſenectutis morbum accedente confectus eſt, tradidítque ſceptrum *Belo*. Is videtur annis 44 tenuiſſe regnum *Tyri*.

§ 17. Vulgatum erat ſermone inter *Thebanos*, *Cadmum* bovem ex reſponſo *Pythiæ* ducem itineris habuiſſe in *Thebaïdem*: emptam illam ex *Pelagontis* armento, & in utroque latere inſignem fuiſſe candidâ Lunæ jam plenæ formâ: in eodem loco *Phœnices* condidiſſe urbem, ubi feſſa procubuit bos: *Bœotiæ* indè regioni datum nomen, arámque ſub dio *Minervæ Oncæ* poſitam à *Cadmo*, & ſtatuam. Hæc *Pauſanias*, (in *Bœoticis*;) qui *Ectenas* hanc incoluiſſe regionem primos tradit, rege *Ogygo*: periiſſe hunc populum ferunt peſtilentiâ. (Ibid.) Veriùs fortaſſe aquarum inundatione. Succeſſiſſe in eas ſedes *Hyantas* & *Aonas* idem autor eſt; *Bœoticas*, puto, non alienigenas gentes: unde *Bœotos Hyantas* antiquitus dictos ait *Plinius*, (4. 7.) *Hyantas Cadmus* cùm fudiſſet prælio, poſterâ nocte profugerunt in *Phocidem*, propinquam ab Occaſu regionem. Illic urbem *Hyampolin* condiderunt in loco arido, aquâ pluviali & unico tantùm puteo rigati. *Aonas* verò ſupplices manere, & cum *Phœnicibus* permiſceri paſſus eſt. Et illi quidem vicatim habitabant. *Cadmus* verò oppidum *Cadmeam* condidit. Sed auctâ poſtea urbe, pro arce tantùm *Cadmea* fuit. (*Pauſ.* ib.) At verò nomen *Bœotiæ*, non tam à *Cadmi* bove, (ut vulgò fertur,) quàm à *Bœoto Æoli* ſecundi filio ejúſque poſteris datum eſt, de quibus A.M.2887. *Joſ. Scaliger* (ad *Varronem* de Re ruſtica, lib. 3.) ait, *Cadmum* urbi ſuæ *Thebarum* nomen impoſuiſſe, à navicula quâ trajecerat. *Theba* enim Orientalium linguâ *arcam* ſeu *naviculam* denotat. Alii à *Thebis Ægyptiis*, unde oriundum volunt *Cadmum*, dediſſe *Thebis* & nomen putant. At ille non niſi *Cadmeam* condidit à ſe vocatam; poſteri *Thebas* adjecerunt, eóque donârunt nomine. (*Pauſ. Strabo* l.9.)

Cadmus in *Bœotia*; quæ deſcribitur.

Partem *Achaiæ* Magnæ *Bœotiam* alibi diximus, eámque nobilem. In longum porrigebatur, ſed anguſtior. *Atticam Megarinque*, & ſinûs *Corinthiaci* partem, habuit à Meridie; *Opuntios* & ſinum *Oetæum* ab Aquilone; ab Occaſu *Phocida*; *Euboïcum* fretum ab Oriente. Montes ibi clariores *Mycaleſſus*, *Adyliſus*, *Acontius*, *Laphyſtius*, *Cithæron*, & *Helicon*, cujus in nemore *Muſis* natale aſſignabant. Hic aliis omnibus fertilitate ſoli & ſylvarum denſitate præſtitiſſe fertur, herbas omnino atque radices innocuas protuliſſe, nullo imbutas veneno; ſed & ſerpentum virus qui paſcebantur iiſdem debilitatum. Illic & *Aganippe* ſacer *Muſarum* fons, & *Hippocrene*. *Hypatus* præterea, *Cerycius*, *Meſapius*, *Ptoüs*, *Telphuſſius*, *Libethrius*, *Bœotiæ* montes memorantur. Fluvii, *Iſmenus*, *Aſopus*, *Peröe*, *Thermodon*, *Cephiſſus*, *Platamus*, *Helicon*, qui poſt curſum 75 ſtadiûm demerſus, & occulto meatu 22 ſtadia progreſſus, novo nomine *Baphyra* emergit, navigabilíque alveo exit in mare: *Lamus* in ſummo *Heliconis* montis jugo, *Lophis*, *Phalarus*, *Melas*, *Hercyna*. Navale *Theſpienſium Creuſis* ad ſinum *Corinthiacum*; ad *Euboïcum* fretum *Anthedon*, & *Aulis*, cui ab *Ogygi* filia eſt factum nomen. (*Pauſ.Bœot.*) Frugum hæc regio feracior quàm ingeniorum habebatur, contrà quàm *Attica* fuit. Nam,

Bœotûm in patria craſſóque ſub aëre nati,

hebetiores vulgò audiebant, multóque tardiores *Atticis*, quorum erat ſolum ſterilius. Sed maximè memorabilis in hoc tractu *Copaïs* lacus, ab oppido *Copis* adjacente dictus, & ſtadia 380 complexus ambitu. Hunc præter *Copas* plurimæ cingebant urbes; & influebat ex *Phocide Cephiſſus*, (unde & lacus *Cephiſſis* dicebatur; *Pauſan. Bœot.*) *Permeſſus* & *Olmeias* ex *Helicone*. (*Strabo* 9.) Urbes primariæ *Bœotiorum*, præter *Thebas*, habebantur *Platææ*, *Haliartus*, *Coronea*, juxta quam *Pambœotia* celebrabantur, *Alalcomenæ Palladi* conſecratæ, *Oncheſtus Neptuno*, *Chæronea*, *Leuctra*, *Orchomenus*, *Theſpiæ*, & *Aſcra* vicus ſub *Helicone*, ſolo *Heſiodi* ortu nobilis.

Is Literas in *Græciam* primus attulit,

Cadmum Literas in *Græciam* attuliſſe primum, ipſæ *Græcorum* literæ teſtantur. (*Diod. Sic.* 3. & 5.) Ac *Phœniciæ* primò appellabantur, mox *Pelaſgicæ*, quoniam à *Pelaſgis* receptæ inprimis, atque per *Græciam* divulgatæ ſunt. Et primi credebantur inveniſſe, qui primi *Græcis* tradiderunt acceptas aliunde. De quo *Lucanus*,

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

At verò has ipſas *Hebræorum* fuiſſe literas, ab *Iſraëlitis*, fortaſſe, jam vicinis traditas *Phœnicibus*, ipſa literarum nomina ſatis indicant. Ab *Aleph* enim, *Beth*, *Gimel*, *Daleth*, &c. *Hebraïcis*, quis non videt *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, *Delta*, &c. apud *Græcos* prodiviſſe?

viſſe? At fuiſſe *Phœnicibus* literas jampridem atque libros, antequam venerunt in *Canaanæam Iſraëlitæ*, *Ciriath-ſephar*, antiquum urbis nomen in eo tractu, quod *Literarum* A.M. ſeu *Libellorum urbem* ſignificat, indicio videtur eſſe clariſſimo. (*Jud.* 1. 11, 12.) Eadem *Debir* ab *Iſraëlitis* vocata eſt. Ut probet etiam *Græcas* fuiſſe literas ante *Cadmum*, 2571. *Jo. Zezes Cadmo* datum ait oraculum verſibus hexametris, quos conſtare literis neceſſe eſt. At non & ſcriptis literis neceſſe eſt. Et, *Cadmum ſedecim numero è Phœnicia tuliſſe*, ait *Plinius*: (lib. 7. 56.) *quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hâc figurâ*, Θ, Ξ, Φ, Χ: *totidem poſt eum Simonidem Melicum*, Ζ, Η, Ψ, Ω. *Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe*, Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ζ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ, Φ; *& duas ab Epicharmo additas*, Θ, Χ, *quàm à Palamede mavult.* Quod ſcribit *Plinius*, *ſemper arbitratum ſe Aſſyrias fuiſſe literas*; ſi *Babylonias Chaldæáſque* vult, ipſam quodammodo rem attigit. Ex *Chaldæa* enim tranſtulit *Hebraïcas*, tradidítque ſuis *Abrahamus*. Quanquam & ſuas habuiſſe *Ægyptios* à *Mercurio*; tum ſacras tum vulgares, facilè credimus, annis ferè 600 ante *Cadmi* adventum in *Græciam*. Multò ſeriùs tamen accepiſſe *Italos* conſtat, ſive ab *Evandro Arcade*, ut *Hyginus*, (Fab. 277.) & *Livius*, (1.) qui venerabilem ait fuiſſe miraculo literarum inter rudes artium homines; ſive à *Pelaſgis* traditas, ut *Plinius* docet, (ibid.) *Phœnicum* religiones in *Græciam*, unà cum literarum diſciplina, *Cadmum* detuliſſe tradit *Euſebius*; (Præpar. 1. 6.) & uſum æris, ignoti priùs, demonſtraviſſe, *Hygin.* (Fab. 274.) Verùm in *Euſebii* Chronicis traditur, *Phœnicem* & *Cadmum* ex *Thebis Ægyptiis* in *Syriam* tranſiiſſe, & in *Tyro* ac *Sidone* obtinuiſſe regna. *Europam* quoque *Phœnicis* filiam inveſtigâſſe, non *Agenoris*. De *Agenore* tamen alibi meminit, A. M. 2575. Et ex *Ægypto* literas in *Græciam* detuliſſe *Cadmum*, *Hyginus* autor eſt. (Fab. 277.) Quod *Raleius* reprehendit eo *Zenonis* dicto; cui cùm ut probrum objiceretur, quòd eſſet ortus è *Phœnicia*, reſpondit, (apud *Athenæum* Deipnoſ. 1.)

Sim patriâ Phœnix, patriâ quoque Cadmus eâdem eſt,
Cui ſcriptos debet Græcia docta libros.

Atque hoc reſponſo probatur quidem ſatìs, ità *Zenonem* putaviſſe, alióſque fortaſſe *Græcos*. At fuiſſe *Cadmum Phœnicem*, meliùs demonſtratur à *Pauſania* (in *Bœoticis*) ex *Minervæ* cognomine, cujus dedicaverat ſtatuam *Cadmus*. *Onca* enim dicebatur, quod *Phœnicium* eſt; non *Saïs*, quod *Ægyptiacum*. Idémque *Diodorus Sic.* (5. 13.) indicat ex lebete *Rhodi*, & *Phœniceis* in eo literis. Ex *Ægypto* denique profectus, literas potiùs *Ægyptiacas* quàm *Hebraïcas Græcis* tradidiſſet.

Harmoniam Cadmus, *Martis Veneriſque* filiam, (ut plerique Poëtæ fingunt,) uxorem duxit. *Dardani* ſororem *Samothraces* volebant eſſe. Horum nuptias dii omnes muneribus, *Muſæ* cantu celebraviſſe feruntur. Liberos ex *Harmonia* ſuſtulit, *Agaven*, *Ino*, *Semelen*, atque *Autonoën*, ſexûs fœminei; filiúmque *Polydorum*. Ex eo concubitu natam *Harmoniam* fingunt, (*Hygin.* Fab. 148.) quo *Vulcanus* deprehenſam indicio Solis irretivit, omnibúſque deridendam diis *Venerem* propoſuit. Cùm autem progenies ex illis nuptiis ſcelerata prodierit, *Vulcanum* atque *Minervam Harmoniæ* veſtem ſceleribus tinctam muneri dediſſe, Poëtæ commenti ſunt. (*Hygin.* ibid.) *Mnaſeas* apud *Stephanum Telephaën* facit conjugem *Cadmi* priorem. *Telephaſſam* verò *Apollodorus* matrem ait fuiſſe, non uxorem.

uxorémque duxit *Harmoniam.*

Porrò fabulantur Poëtæ, *Cadmum*, *Minervæ* immolaturum bovem, quem viæ ducem habuerat, ſociorum aliquos miſiſſe, qui ex fonte *Martio* ſeu *Caſtalio* aquam peterent. At fonti cuſtos aderat *Martius* Draco, qui in *Phœnices* appropinquantes repentino impetu inſiliit, ac interemit omnes. Ut cædem igitur cæde ulciſceretur, Draconem quoque ipſum interemit *Cadmus*; &, *Minervæ* conſilio, dentes belluæ conſevit, unde protinus exorta eſt—*ſeges clypeata virorum.* *Sparti* ex re nominati ſunt. Cúmque iterum, ſuadente *Minervâ*, nè in eum omnes unum modò nati milites irruerent, *Cadmus* lapides in mediam turbam conjeciſſet; illi, peti ſe à ſe mutuò & ſauciari opinantes, in iram protinus & pugnam effervęſcebant, mutuíſque ſemet imprudenter cædebant armis. Quinque tantùm ſuperfuerunt huic prælio, *Echion*, *Udæus*, *Chthonius*, *Hyperenor*, & *Pelorus*; quos deinde ſocios *Cadmus*, & novæ ſibi urbis incolas adſcivit. At ob cædem ſerpentis *Martii*, *Marti* operam locare mercenariam integro anno coactus eſt. (*Apoll.* 3.) Minùs commodè videtur mihi hæc *Palæphatus* interpretatus. Dentes enim eburneos, inter alias *Cadmi* opes, ait filios & amicos *Draconis*, *Bœotici* regis, interfectíque à *Cadmo*, diripuiſſe, ac deinde fugâ diſperſos

A.M. 2571.

ſperſos in varias regiones, & quaſi diſſeminatos fuiſſe. Probabiliora ſunt, *Cadmo*, *Bœotiam* invadenti, *Spartorum* gentem, aut vicinæ regionis populum, ſubitò armatum occurriſſe, támque inopinatò, ut ortus è terra videretur. *Dracone* interempto rege, inter ipſos hoſtes prudentiâ ſuâ *Cadmum* (id enim auxilium conſiliúmque *Palladis* vult) diſcordiarum ſeviſſe cauſas, &, quaſi conjectis lapidibus, occultis quibuſdam artibus eorum in ſemetipſos vim & arma convertiſſe & concitâſſe. Poſtquam verò *Sparti* ſe mutuis viribus contriviſſent, reliquos obligâſſe novo fœdere amicitiâque ſibi, & ſororem *Draconis*, ejuſdem ſcilicet *Martis* filiam, matrimonio ſibi copulâſſe, quo in eandem ſe ſuóſque liberos gentem inſereret, eóque firmius imperium ſibi redderet, ac diuturnius. Nec ſerviiſſe *Marti* anno integro aliud eſt, quàm tantundem temporis bello dediſſe, ut ſubigeret eos armis qui repugnabant, priuſquam in ſede pacata potuit conquieſcere.

Alexander ab Alex. (3. 20.) *Cadmum* ait primum, cùm *Thebas* conderet, Aſylum aperuiſſe, quò confugientes à pœna omnes liberi & immunes forent. At *Moſes* ea priùs inſtituerat in *Canaanitide*, unde *Cadmus* didiciſſe potuit. At *Moſis* multò erat æquius inſtitutum, non ut hominibus facinoroſis perfugium daret, ſed inſontibus.

Per *Cadmi* tempora *Idæi Dactyli*, quorum habebantur præcipui *Celmis*, *Damnameneus* & *Acmon*, artem ferrariam invenerunt. Cùm enim incendium fortè in *Ida Phrygiæ* monte contigiſſet, ferríque metalla ignis vi liqueſcerent; indè mollire ferrum flammis didicerunt. (Chronicon vetus apud *Clementem Alexandr.* & *Euſebius* in Chronicis: qui tamen *Idæ* incendium 24 annis poſt *Deucalionis* diluvium ſtatuit.)

Poſt *Joſuam*, ex oraculi reſponſo, *Judæi* præeunt;

§ 18. Ut primùm *Joſuæ* parentatum eſt, conſuluerunt *Iſraëlitæ* oraculum Dei, (per Urim & Thummim, credo,) ut ſcirent, quænam ex tribubus auſpicaretur bellum adverſus *Canaanæos*, mortuóque Duce duceret. Etſi enim nullum principiis ineſſet omen: ſi tamen primis poſt obitum *Joſuæ* præliis offendiſſent *Iſraëlitæ*, futurum videbatur, ut *Canaanæos* magna protinus rerum proſperarum ſpes afficeret, quaſi mutatâ cum duce hoſtium fortunâ; ipſos verò par occuparet metus, nè ruerent ac perirent funditus. Itaque reſponſum eſt atque mandatum, ut *Judæ* tribus præiret, ac primum tentaret diſcrimen belli. Ei enim ſe, nè quid metueret, terram in manus tradidiſſe. *Calebum* credibile eſt ducem *Judæis* præfuiſſe. Atque hanc tribum reliquis Numen prætulit multis modis: non quòd hominum præcelleret multitudine, potentiâque; ſed ipſam hanc multitudinem potentiámque, ipſum denique Regnum propterea contulit in hanc tribum, quòd ex ea *Meſſiam* naſci aliquando deſtinârat. Et, *tradidiſſe* ait *ſe terram*, quaſi jam factum ſit quod facere ſtatuerat, nec eorum eſſet opus armis ad peragenda, ſed animis tantùm ad ſuſcipienda imperata Dei. Quod promittit Deus, pro facta re haberi vult. *Judæi* ergò Dei mandatis alacriter obſequentes, *Simeonidas* vicinos in hujus militiæ partem aſciſcunt, operam iis polliciti mutuam. Etſi enim promiſerat Deus traditurum ſe, imò tradidiſſe *Canaanitidem*; tamen humana *Simeonidarum* auxilia non aſpernantur *Judæi*. In 4. *Matthæi Chriſtus* tentare Deum noluit, etſi Angelorum ſuis promiſerat præſidia. Non itaque diffidunt promiſſis Dei, qui ad ea perficienda prudentiam ſuam, opémve adhibent alienam. Nam qui pollicetur facturum ſe, non omnia miraculo & prodigioſè facturum pollicetur Deus. Quod per cauſas idoneas benedicente Deo perficitur, id omne pro Dei dono habendum eſt, præſertim in rebus arduis bellicíſque. Quare *Simeonidis* auxiliantibus, cum *Canaanæis Perizæiſque* prælium commiſerunt *Judæi*, in agro *Bezecenſi*. Tribûſne *Judæ* an *Manaſſis* fuerit *Bezeca* urbs, minimè conſtat.

ſuperant hoſtes, *Adonibezecum* capiunt:

Hîc ejus nomen reperitur, illic pugna probabiliùs commiſſa eſt. Sed victi fugatíque à *Judæis* hoſtes, in acie amiſerunt decem millia. Captus in fuga *Adonibezecus*, id eſt, *dominus Bezecæ*, ſive *rex*, eâdémque multatus pœnâ quâ ipſe alios affecerat, pollicibus manuum atque pedum truncatus eſt. Nec diſſimulavit jure id ſibi accidiſſe.

——Nec enim lex juſtior ulla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſuâ.

Septuaginta ſcilicet reges, pollicibus manuum atque pedum amputatis, eò adegerat, ut ſub menſa ejus canino more colligerent cibum, majoríne faſtu an crudelitate, haud facilè dixeris. Juſto igitur judicio Dei ac talionis lege, idem ipſe luit quod in

in alios commiſit. Quod ab eo crudeliter, in eum juſtè fit. *Hieroſolymas* deinde perductus, (quâ parte expugnata *Judæis* paruit,) vitam infelicem miſeriore morte commutavit. Urbem *Zephatam* poſtea diruerunt funditus *Judæi*, utpote devotam damnatámque ut holocauſtum Deo: unde *Horma* loco datum eſt nomen. Ceperunt *Azzam* quoque, ſive *Gazam*, & *Aſcalonem*, *Ecronem*que *Palæſtinorum*, unà cum villis atque oppidis quæ ſuberant hiſce urbibus. At eædem pari ſocordiâ mox amiſſæ, receptæ cultæque à *Palæſtinis*. Ope igitur Divinâ montana *Judæi* occupârunt. Fœcundiſſimas amœniſſimáſque valles per ignaviam ſuam nè tentare quidem ſunt auſi. Plùs apud eos valuit à curribus ferreis timor ad ſocordiam, quàm fides promiſsáque Dei ad fortitudinem. *Ephraïmitæ Manaſſidæ*que interim communibus armis propitio Numine *Luzam* expugnârunt, in *Manaſſidarum* ſortè civitatem; quæ ab iis deinde *Bethel*, hoc eſt, *Domus Dei*, eſt appellata: quod urbi nomen videtur antea deſignatum à *Jacobo* in *Meſopotamiam* proficiſcente. (*Gen.*28.19.) Illic enim Angelos deſcendentes aſcendentéſque per ſomnium viderat, ac in ſumma ſcala compellantem ſe Deum. Hâc autem arte *Bethel* capta eſt. Unum è civibus exeuntem urbe conſpicati fortè qui in excubiis erant *Hebræi*, ſive privati cujuſdam negotii causâ eſt egreſſus, ſive emiſſus ad explorandos hoſtium conatus, ſive ut dederet ſe exitium commune declinaturus exiit, illi hominem blanditiis demulcent, haud perterrent minis, mollibúſque verbis obſecrant, ut in urbem ſibi monſtret aditum facillimum: ità ſe facturos pollicentur, ut ipſe cum ſuis omnibus urbe captâ benigniſſimè tractetur. Factâ incolumitatis credibili ſpe præter opinionem, libentiſſimè præit exercitui proditor, oppidúmque tradit hoſtibus. Quod igitur polliciti erant excubitores proditionis præmium, ſummâ fide præſtiterunt duces. Ille cum familia dimiſſus hinc, ruricolarum fortaſſe collectâ fugientium forti manu, *Luzam Ambiguam tellure novâ*, (ut Poëta canit,) apud *Hithæos*, extra *Canaanæam*, puto, condidit, incoluítque.

A.M. 2571.

& *Ephraïmitæ Luzam* ſive *Bethelem* arte.

§ 19. *Amyclas Spartanorum* fit rex, patre mortuo *Lacedæmone*, annı́ſque imperavit 40. Is, ut aliquod ſui nominis monumentum relinqueret, exemplo parentum, in agro *Laconico Amyclas* urbem ſtatuit, & *Apollini* conſecravit. Cúmque liberos haberet plures, minimum natu *Hyacinthum*, egregiâ formâ puerum, ipſe adhuc ſuperſtes extulit acerbiſſimo funere. (*Pauſ. Lac.*) Quod unum ſupererat ſolatium, poëmatibus & ſolenni feſto propagata eſt memoria pueri ad poſteros. Poëtæ fingebant, amatum fuiſſe ab *Apolline Hyacinthum*, præſide ſcilicet *Amyclarum* & tutelari deo. Aliqui *Zephyrum Apollini* fuiſſe rivalem in hoc amore ferunt: utrumque à nomine floris in quem puer mutatus dicitur. *Hyacinthus* enim flos primo Vere Solíſque reditu germinare ſolet; unde Poëta, (Metam. lib. 10.)

A.M. 2575.

Spartanorum Amyclas rex *Hyacinthum* filium amittit.

———————Quotiéſque repellit
Ver hyemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo,
Tu toties oreris, viridíque in ceſpite flores.

Eandem ob cauſam ventus eum vernalis dilexiſſe fertur. Ac potuit fortaſſe aliis ingenio præſtare ac literis; quod *Apollinis* indicat amorem. Etſi omnes quodammodò flores amare videatur Sol, quos evocat educátque, vernales præcipué. Sed ab eodem, diſcos per luſum jaciente, imprudenter ac perinvito interfectus traditur. Radiorum Solarium credibile eſt malignâ vi, verno præſertim tempore, cùm intemperantiùs ludo indulgeret, conjectum fuiſſe in febrim atque ſublatum. Sed è ſanguine natum florem commenti ſunt ejuſdem nominis.

Nec gemuiſſe pudet Sparten Hyacinthon; honórque
Durat in hoc ævi, celebrandáque more priorum
Annua prælatâ redeunt Hyacinthia pompâ. (*Ovid.*Metam.10.fab.5.)

Feſtum enim apud *Lacedæmonios Hyacinthia* celeberrimum *Amyclis* agitabatur, in *Amycleo*, *Apollinis* templo; quippe in *Apollinis* honorem & *Hyacinthi*. *Hyacintho* mittebantur inferiæ, ſacra faciebant *Apollini*. Coronati hederâ *Bacchico* ritu *Pæana* canebant. Triduanum erat feſtum. Primo tertióque die, quibus *Hyacinthum* occiſum deflebant, hoc eſt, flores vernales calore Solis, alióſque terræ fructus hyeme marceſcentes, luctus erat & mœſtitia ſine cantu. Cœnabant ſine coronis & pane, bellariis contenti. At ſecundus dies ſumma cum lætitia peragebatur; ludi edebantur & ſpectacula, puerı́que in tunicis præcincti citharam pulſabant, canebántque ad

 tibiam,

A.M. 2575. tibiam. Alii in equis exornatis per theatrum diſcurrebant. Cœtus adoleſcentum frequentes patria quædem poëmata cantitabant, & iis permiſti ſaltatores, ſtaticulos priſci moris ad tibiam & cantum dabant. Virgines quoque, pars in pilentis tectis ſplendidéque inſtructis, pars in curribus ſubvecta, pompam ſpectatum veniebant. Denique, totâ urbe publicum eo die gaudium erat, multæque paſſim hoſtiæ cædebantur, & cives ſuos familiares atque ſervos ad cœnam vocabant. (*Athen.* lib. 4.) Atque in his reditum Solis atque Veris, indè verò flores frugéſque renaſcentes celebrabant.

A.M. 2579. § 20. Quamdiu ſibimet ipſi non defuerunt *Iſraëlitæ*, nunquam illis defuit Deus. Reliquæ autem citra *Jordanem* tribus, (non *Judæi* modò & *Simeonidæ*,) ignaviâ neſcio quâ & diffidentiâ torpeſcentes, ſuas coïnquinari ſortes conſortio *Canaanæorum* hoſtium patiebantur, quos deleri funditus oportebat. Quòd ſi quando ità præſtabant viribus, ut ejicere poſſent; ſuo tamen emolumento potiùs conſulere maluerunt, emungendo pecuniam tributariam, quàm Divinis parére mandatis, exſtirpando radicitus gentem maledictam. Quare nec *Manaſſidæ Bethſheanitas*, *Taanachæos*, *Dorenſes*, *Jibleamitas*, *Megidduntios* ſuſtulerunt; nec *Ephraïmitæ Gezeræos*; nec *Zebulonitæ Citronæos* aut *Nahalolenſes*: non *Aſeritæ* deleverunt *Acconios*, *Sidonios*, *Achlabitas*, *Achzibæos*, *Helbanos*, *Aphicenſes*, aut *Rehobanos*; neque *Naphtalidæ Bethſhemeſhios*, aut *Bethanathios*; qui tamen ad ſolvendum vectigal annuum adacti ſunt. Interea *Danitas*, ubertate vallium excluſos, *Amoræi* in montium ſterilitatem abegerunt. Sed & montem *Hereſum* tenuerunt hoſtes in *Ajalone*, & in *Saalbæis*. Sed *Ephraïmitæ* vicini, cùm ſufficerent vires ad victoriam, tributo *Amoræos* onerabant.

Socordiam Iſraëlitarum

Propheta miſſus

Subiratus ergò Deus Prophetam delegavit, qui ſuis verbis delictum argueret, & delinquentes increparet. Angelus quidem vocatur hic Propheta; (*Judic.* 2. 1.) quod nuncio cuivis, homini ſpirituíve, nomen convenit. De ſpiritu minùs credibile videtur, quòd aſcendiſſe de *Gilgale* dicatur; non, deſcendiſſe, quod magìs erat conſentaneum, de cœlo. Nec *Phineæ* competit magìs Pontifici, cui à quibuſdam tribuitur, eandem ferè ob cauſam. Cur enim ille dicatur *aſcendere* de *Gilgale* in tribu *Benjaminitica*, cujus erat in tribu *Ephraïmitica*, ſuíque nominis monte, domicilium? (*Joſ.* 24. 33.) Nam patre mortuo, eum ferunt pontificatu functum annis 78. Conventus jam populi *Bocheïs* agitabatur. Eò nuncius perrexit, Divino afflatus numine, & contumacem *Iſraëlitarum* ſocordiam his aut hujuſmodi verbis redarguit. "Oblitíne jampridem vos, ô *Iſraëlitæ*, poſt annos tam paucos, tot atque tantorum quæ accepiſtis beneficiorum Dei? *Ex Ægypto vos* graviſſimâque ſervitute maximâ vi in libertatem *aſſeruit*. *Terram* hanc beatiſſimam *vobis incolendam tradidit*, *quam veſtris quondam majoribus* donaturum ſe *juratus* promiſerat. Denique, *fœdus vobiſcum* una omnium gente honorificentiſſimum ſanctiſſimúmque pactus eſt: quod ab ejus parte nihil impedit quò minùs ratum æternúmque ſit. An ex veſtra ſe perinde habeat, vos videritis. Hæc una profectò & ſæpius repetita ejus fœderis lex, *nè quod fœdus vos cum* profanis impiíſque *gentibus Canaanæorum*, hoſtibus Dei, *feriatis*, aut contrahatis pactionem pacis; verùm ut templa *eorum altariáque diruatis*, ſtatuas perfringatis & columnas, ipſa nomina memoriámque idolorum, unà cum ipſis gentibus, aboleatis, & exſtirpetis radicitus. Quid autem vos? An huic ſtetiſtis fœderi? an huic legi *paruiſtis?* Imò verò Dei mandata, Dei fœdera, Dei beneficia ſpreviſtis omnia. Quam ille terram dedit, vos ex parte rejicitis. Quod ille prohibuit fœdus, pepigiſtis vos; quod ille pepigit, violâſtis. Quos ille ad internecionem deſtinârat damnâratque, vos abſolviſtis atque dimiſiſtis incolumes. Quæ ſancivit ille, vos, quantum in vobis eſt, irrita facitis omnia. Videte igitur qui vobis tantæ contumaciæ ſint exſpectandi fructus. Si modò vos, Divino freti auxilio, fortiter oppugnâſſetis reliquias *Joſuæ*, næ vobis *Jehova*, exercituum Dominus, facilem erat victoriam traditurus. Ideo enim hoſtes aliquos poſt *Joſuam* ſupereſſe voluit Deus, ut veſtram in obſequio, fide cultúque ſuo conſtantiam probaret. Sed erit poſthac ut artes bellicas addiſcatis, cùm proprio vobis Marte ac viribus tot hoſtes debellandi ſint; quibus quondam artibus, imperante *Joſuâ*, pugnantéque pro vobis Deo, minimè opus fuerit. Nunc enim, quoniam diffiſi Deo ex ignavia, tributum atque impiam pacem fœderi prætuliſtis Legíque Divinæ, deſertus ecce *Jehova* deſerit etiam vos. Nolite ampliùs exſpectare, ut ſuâ vobis adſit ope ad *Canaanæos* reliquos ſubigendos *expellendóſque*. Habete quos voluiſtis vicinos. Quos fœderatos feciſtis, habete ſocios. At mihi credite verbis Dei vobis

arguit.

"nuncianti

" nuncianti vera, eoſdem inimicos perpetuos, etiam hoſtes acerrimos, ubi vires ſuppetent, ſentietis. Sentietis, inquam, *in lateribus veſtris aculeos*, & in oculis ſpinas; quod ſæpe vos Deus monuit. Eorum verò templa, & aras, & ſimulacra, totidem *laqueos & tendiculas* experiemini, quæ irretiant vos & capiant, quæque à genuino cultu Dei, & felicitate quâ fruimini adhuc, ad impietatem aliquando & idololatriam, imò ad eundem interitum perducant, quem illis nè juſſi quidem vos intuliſtis. His acribus Propheta verbis cùm perorâſſet, populus, prout debuit, iram in ſe tantopere accenſam Dei moleſtiſſimè tulit. In fletum atque lacrymas dederunt ſe, reſipiſcentiæ veræ teſtes plerumque indiceſque. Et credibile eſt, ſuum confeſſos ingenuè peccatum, elatâ voce Dei miſericordiam imploraviſſe. Poſtremò, ſacra immolâſſe, quibus expiarent admiſſum in *Jehovam* ſcelus, perſpicuè traditur. Itaque nomen ipſi loco à luctu populi datum eſt, *Bochim*, quod *Hebraïcè Lugentes* ſignificat. *A.M. 2579.*

§ 21. *Lynceüs*, *Ægypti* filius, *Danaï* gener, auditâ ſoceri morte, *Argivorum* ſuſcepit imperium, anniſque tenuit 41. Sepulchrum *Danao* in medio foro poſitum eſt *Argis*: *Palinthus* dicebatur. (*Strab.* 8.) Mortem *Danaï Lynceo*, in templo *Junonis* agenti fortè, primus nunciavit filius *Abas*. Cùm igitur diſpiceret quod nuncio gratiſſimo præmium daret, *Danaï* clypeum ibi dedicatum refixit, atque donavit filio. Ludos quoque inſtituit quinto quoque anno *Junoni* celebrandos, qui Ἀσπὶς ἐν Ἄργεις vel Ἄργεια nominabantur, ubi victoribus præmium clypeus dabatur æneus, & corona myrtea. (Scholiaſt. *Pind. Olymp.* od. 7.) Utcunque *Hyginus* (Fab. 170. & 273.) clypeum ſolummodo curſoribus donatum ſcribat. Qui ſemel vicerat in his ludis, iterum deſcendere oportebat in certamen; &, niſi denuo vinceret, ſæpius deſcendere. *A.M. 2585.* *Lynceüs Argivis imperat poſt Danaum.*

Narrabant olim *Trœzenii*, *Halcyonem*, *Atlantis* filiam, *Hyperetem* & *Antham* peperiſſe, patre in fabulis *Neptuno*. (*Pauſ. Corinth.*) Atque hos *Hyperceam* & *Antheam*, oppida in *Argolide* haud procul à marino littore, condidiſſe, his ferè temporibus. Poſt annos complures *Ætium*, *Anthæ* filium, urbem ex iis alteram *Poſidoniadem* appellâſſe, patre patruóque defunctis, *Jovi*que Servatori dedicâſſe fanum. *Antham* verò, in *Cariam* profectum, ait *Strabo*, (lib. 8. & 14.) *Halicarnaſſum* conſtruxiſſe, *Antheâ* in *Argolide* filiâ relictâ. Verùm in iis locis antiquiſſimum regnaviſſe *Orum*, iidem prædicabant *Trœzenii* apud *Pauſaniam*, *Ægyptium*, ſi ex nomine liceat conjicere; *Oræam* ab eo regionem dictam; ab *Althepo* deinde, ſive *Althippo*, ex *Leïde Ori* filia nato, *Althepiam* vocatam: &, nè aliis *Græciæ* civitatibus cedere viderentur, *Neptunum* & *Minervam* de patrocinio ſuæ terræ *Jove* arbitro diſceptâſſe: eum honorem à *Jove* communem utrique numini datum. Indè venerari ſe aiebant *Poliadem Stheniadem Minervam*, atque *Neptunum* cognomento *Regem*: veterémque nummum Tridentis notâ & *Minervæ* capite ſignatum fuiſſe. *Saronem Althepo* ſucceſſiſſe, qui templum *Dianæ Saronidi* ædificavit in cœnoſo littore, quod *paludem Phœbeam* appellabant. Eundem venandi ſtudio delectatum, cervum aliquando acriùs perſecutum in mare, fluctibus obrutum periiſſe. In *Dianæ* cadaver conditum; & *Phœbeam* poſtea paludem, ab eo, *Saronidem* appellatam. Qui ſecuti ſint reges ad *Hyperetem* & *Antham* uſque, ignorare ſe profitebantur. *Trœzeniorum origines.*

§ 22. *Iſraëlitæ*, qui paucos ante annos, monente peccatorum Deo, reſipuiſſe videbantur, & victimarum plurium lacrymarúmque ſacrificiis placaviſſe *Jehovam*, maxima ex parte jam deſciverunt plané. Extincti jampridem eorum Senum plurimi fuerunt, qui opera Dei mirabilia viderant, populúmque in fide ac officio continuerant hactenus. Nunc autem non modò tributum & pacem cum gentibus impuris paciſcuntur, ſed connubia quoque permiſcent; imò & idola *Canaanitica*, *Baalem* & *Aſtarten*, lucos etiam arboréſque eximias pro diis venerantur: quod maximè omnium repugnabat fœderi Divino. Eo enim ſe, unicum *Jehovam* habituros pro Deo, religiosè obligârant. Quare hâc impietate populi ſui Deus magnopere offenſus, *Cuſani Riſcathaïmo*. *Meſopotamiæ* regi, caſtigandum tradidit. Is *Hebræos* primus omnium poſt *Ægyptios* ſub jugum miſit, graviſque ſervitute oppreſſit annis octo. Sive à *Canaanæis* conductus fuerat, ut *Iſraëlitarum* victoriis aut modum ſtatueret aut moram, ſive ſuos dilatandi fines ambitio ſtimulavit hominem, juſtas ille à perfidis *Hebræis* violati fœderis Divini pœnas exigebat. Verùm, *A.M. 2592.* *Iſraëlitas, à Cuſane Meſopotamo ſubactos,*

A.M. 2592.

——Ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frænáque vix patitur de grege captus equus:

ſic illi, victoriis tantùm aſſueti hactenus, inſolitum novúmque jugum, cùm excutere nullo modo poſſent, ægerrimè pertulerunt. Haud ignorabant ſuâ ſibi perfidiâ ſe accerſiviſſe hanc pœnam, non aliâ ſpe remittendam, quàm ſi placatum atque propitium ſibi redderent iratum Numen. Eò igitur precibus, eò lacrymis contritíſque animis confugiunt. In ſordibus & luctu cœleſtem implorant opem. Clementiſſimus Pater ſuorum reſipiſcentium, etſi denuo provocatus, denuo tamen querelas exaudivit. *Othonielem* igitur, *Calebi* generum, ſpiritu Divino afflavit, judicem vindicémque conſtituit popularium ſuorum. Ille conflato exercitu, tyrannum adortus *Meſopotamum* profligavit, gravéque jugum depulit à cervicibus *Iſraëlitarum.*

Othoniel vindicat.

Erichthonius Dardano ſuccedit:

§ 23. Cùm *Dardanus* obiiſſet, filius ex *Batea* major *Erichthonius Dardaniæ* regnum cepit, geſſítque annis 46. De hoc rege meminit *Homerus*, omniúmque ait locupletiſſimum fuiſſe ſuo ſeculo. (*Iliad.* 20.)

Ὃς δὴ ἀφνειότατος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων·
Τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο, &c.
Inter mortales fuit hic ditiſſimus omnes:
Unus enim in pratis tria millia pavit equarum, &c. (*Diod. Sic.* 4. 9.)

Minor *Erichthonii* frater, *Zacynthus*, inſulam occupavit in *Ionio* mari *Peloponneſo* & *Achaiæ* adjacentem, *Cephaleniæ* propinquam *Ithacæ*que, quam ſuo donavit nomine. *Hirie* priùs appellata, magnifica, & præcipuâ fertilitate. Mons *Elatus* ibi nobilis. Ipſa circuitu colligit 36 mill. (*Plin.* 4. 12. *Dionyſ. Halicarn.* 1.) Alii 60 numerant, motúque terram hanc frequentiſſimo infeſtari ferunt, uvarum *Corinthiacarum* hoc tempore fœcundiſſimam.

A.M. 2595.

Cadmus rerum ſuarum in *Bœotia* pertæſus,

————————Exit
Conditor urbe ſuâ, longiſque erroribus actus,
Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines. (*Ovid.* Metam. l. 4.)

Cadmo in *Illyricum* diſcedenti *Polydorus.*

Ad *Drilonem Naronémque* fluvios, qui *Liburnos* ab *Illyriis* diſterminant, habitaviſſe feruntur. Accidit mox, ut *Euchelienſes*, cùm ab *Illyriis* bello premerentur, ab *Apolline* reſponſum tulerint, ità demum futuros victores, ſi *Cadmum Harmoniámque* bello duces præficerent. Oraculi egò fidem ſecuti, & eos in bello duces, *Euchelienſes* victoriâ, *Cadmus Illyriorum* regno eſt potitus. Filium verò quem in his locis genuit *Illyrium* appellavit, unde regioni nomen. Narrat *Hyginus*, (Fab. 240. & 254.) *Agaven*, poſtquam filium *Penthea* laceráſſet, in *Illyricum* fugiſſe; ubi à *Lycothirſe* rege in domum atque thalamum recepta, maritum jugulavit, ut patri *Cadmo* regnum traderet. Denique, *Cadmum* ferunt ſenio confectum, vitæ ipſius cùm tæderet jam, ut *Bœotiâ* priùs, in Draconem unà cum *Harmonia* conjuge mutatum, in campos *Elyſios* demiſſum à *Jove. Euſtathius* humanitatem cultioréſque mores eum exuiſſe, ac in barbaram feritatem degeneráſſe, opinatur. Regno interim *Cadmeæ* præfectus *Polydorus*, unicus filius *Cadmi*, annos videtur ſeptem circiter imperáſſe. Maxima filiarum *Agave* uni *Spartorum* nupta eſt, *Echioni.* Nam eorum fuerunt in ea regione opes maximæ poſt *Cadmum.* Filium verò *Pentheüm* enixa eſt. *Inonem Athamas Æoli* filius duxit, filióſque *Learchum* & *Melicertam* ſuſcepit. *Semele Bacchum* peperit, ſed in ipſo partu exſpiravit, quaſi vitam nato traderet, non amitteret. Propter virtutis excellentiam, pater *Bacchi* nullus præter poëticum *Jovem* memoratur. At eum, matre mortuâ,

————primis Ino matertera cunis
Educat. (*Ovid.* Met. lib. 3.)

Anno *Erechthei Athenienſis* nono ab *Euſebio* (in Chronicis) natus dicitur. *Autonoën Ariſtæus Cyrenes* filius uxorem, & ex ea filium habuit *Actæonem.* Videtur enim is *Bacchi* gratiâ, propter ſtudiorum affinitatem, ejus duxiſſe materteram, ut hâc affinitate viro nobiliſſimo eſſet conjunctior. Eámque ob cauſam ex *Africa* trajecit in *Græciam*, ut vini rationem ex *Baccho* diſceret; cùm & ipſe quædam vitæ humanæ utiliſſima inveniſſet.

Mor-

Mortuo tandem *Armeſeſmiamune*, *Amenophis Ægypti* fit rex, annóſque imperat 19, & menſes 6. *A.M. 2598. 2599.*

Corax, *Ægialenſium* rex, cùm nullâ ſuſceptâ prole virili obiiſſet, *Lamedonem* reliquit fratrem, qui jure ſibi ſuccederet. Sed *Epopeus*, *Aloeï* filius, *Helii* nepos, è *Theſſalia* fortè ſupervenit cum copiis, regnúmque intercepit. Annis imperâſſe fertur 35. Narrat *Pauſanias*, (in *Corinthiacis*) *Helium* duos habuiſſe filios, *Aloëum* & *Æetam*. *Aloëo Aſopiam* terram *Ægialeæ* finitimam, ad *Aſopum* in *Apia* fluvium, tradidiſſe: *Æetæ* vero *Ephyræam*. *Ephyra* enim primò dicta eſt, à nympha neſcio qua Oceanitide, quam poſtea *Corinthum* vocârunt. Migrante aliò, & quærente ſibi novas ſedes *Aloëo*, pro more ſeculi ejus, *Ægialeæ* rex vicinus occupavit *Aſopiam Corax*. Eo igitur defuncto jam, *Aloëi* filius *Epopeus* & *Aſopiam* paternam, & *Ægialeam* ſimul arripuit finitimam. *Epopeus* in *Ægialeâ* regnat,

Endymion, *Æthlii* filius, patre mortuo, imperavit in *Elide* annis fortaſſe 50. A Luna ferunt eum adamatum, eò quòd ille primus Lunæ curſum ſuis demonſtraviſſet, longo tempore *Arcadibus* incognitum. Unde ſuam gentem Lunâ fuiſſe antiquiorem prædicabant. *Elis* autem *Arcadiæ* decerpta pars fuit. Eam ut inveſtigaret ſcientiam *Endymion*, totas fortaſſe noctes in locis editiſſimis evigilabat. Cúmque vigiliæ nocturnæ diurnos requirerent ſomnos, nè deficeret natura, ideo multos eum dormiviſſe annos in fabulis traditur. (*Plin.* 2.9. *Lucian.* Aſtrol.) *M. Tullius* (*Tuſcul.* quæſt. 1.) fabulam ità narrat: *Endymion verò, ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormivit, qui eſt mons Cariæ, nondum, opinor, experrectus. Num igitur eum curare cenſes cùm Luna laboret, à qua conſopitus putatur, ut eum dormientem oſcularetur?* Aliqui venatorem fuiſſe aut bubulcum volunt, qui per noctem aut feras indagârit, aut armenta paverit, in ſtabulis clauſa per diem. *A.M. 2600.* *Endymion* in *Elide.*

Refert *Pauſanias*, (*Eliac.* 1.) *Clymenum Cardis* filium, ab *Idæo Hercule* oriundum, in *Elidem* è *Creta* deduxiſſe coloniam, ludos in *Olympia* renovâſſe, *Herculi* proavo ſuo poſuiſſe aram, & *Adjutorem* appellaviſſe; *Minervæ* pariter *Cydoniæ* templum. Nam è *Cydone Cretæ* advenerat. Poſt annos autem 60 circiter, exutum fuiſſe regno ab *Endymione*, qui ſuis deinde filiis ludorum *Olympicorum* certamina propoſuit.

Peneüs, à quo amnis celeberrimus in *Æmonia* nomen tulit, agrum illic tenuit per multos annos ad fluvii ripas; ubi ex *Creüſa* nymphâ conjuge *Hypſeüm* genuit & *Andreüm*, (autore *Pauſaniâ* in *Bœot.*) filiámque *Stilben*. *Stilbe* filios peperit duos, (patre in fabulis *Apolline*,) *Lapitham* & *Centaurum*, unde gentibus *Lapitharum* & *Centaurorum* nomina. Ad amnem *Lapitha* cognominem ab avo collocatus eſt. Montes, puto, *Centaurus* occupavit propinquos, *Oſſam Peliúm*que. *Orſinomen Lapitha* uxorem duxit, *Eurynomi* filiam; ex qua liberorum factus eſt duorum parens, *Phorbantis* atque *Periphantis*. *Hypſeüs* autem, qui paternam ditionem obtinuit, defuncto *Peneo*, filias tantummodo genuit quatuor, *Lariſſam*, *Themiſto*, *Cyrenen*, atque *Aſtyagæam*. *Aſtyagæa Periphanti* conjugi, *Lapithæ* filio, *Antionem* peperit, alióſque ſeptem liberos. *Lariſſa* urbi nomen in *Æmonia* dedit ad *Peneüm* fluvium. Alteram enim *Lariſſam*, ad mare, à *Lariſſa Pelaſgi* filia eo nomine donatam credimus. *Themiſto Athamantis Æolidæ* erat uxor tertia. *Cyrene*, ad montem *Pelium* educata, ab *Apolline* (ut ferunt) in *Africam* eſt rapta, & in *Cyræ* montis jugum perlata, ubi *Cyrenen* poſtea urbem *Battus* condidit. Illic filium peperit, quem, pro tanti patris honore, Nymphis Poëtæ nutricibus tradunt. Ab iis tria ſimul nomina tulit, idem ut *Nomius*, & *Agrius*, (quæ *Apollinis* etiam ſunt patris utraque,) & *Ariſtæus* appellaretur. Ab iiſdem nutricibus coagulationem lactis, alveariuim ſtructuram, olivarúmque didiciſſe cultum fingitur; quia primus ea inveniſſe, atque demonſtrâſſe *Græcis*, perhibetur. *Juſtinus* Hiſtoricus, (lib. 13.) ex variis, puto, *Ariſtæi* nominibus, filios 4 peperiſſe *Cyrenen* prodit, *Nomium*, *Ariſtæum*, *Authocum*, & *Agræum*: miſſóſque ait à patre *Hypſeo* qui perquirerent virginem, loci amœnitate captos, in iiſdem terris cum virgine reſediſſe. Ex his pueris tres adultos in *Theſſaliam* reverſos avita regna recepiſſe: *Ariſtæum* in *Arcadia* latè regnâſſe, cúmque primum & apium & mellis uſum, & lactis ad coagula, hominibus tradidiſſe; ſolſtitialiſque ortus ſideris primum inveniſſe. At *Phylarchus*, & *Apollonii Rhodii Pindari*que Commentatores in *Pythia*, tradunt *Cyrenen Ariſtæo* fratrem *Autuchum* peperiſſe, ex iis unum quos numerat *Juſtinus*; eum mellificii primum in *Libya* docuiſſe artificium, & olei confectionem, ut *Ariſtæus* in *Cea*: veniſſe verò *Cyrenen* Peneï ſoboles: in quibus Lapithæ, Centauri, & Cyrene Ariſtæi mater.

A.M. 2600.

in *Africam* ſociorum comitante magnâ manu, quo loco temporéque dominabatur quidam *Eurypilus*. Tum fortè regionem illam ità depopulabatur ingens leo, ut regni præmium à rege propoſitum ei ſit qui belluam interficeret. *Cyrenes* ergò ſocii cùm venatum exiiſſent, ſuſtuliſſéntque feram, ipſa regnum eſt conſecuta. *M. Tullius* (6. in *Verrem*) *Liberi* Patris filium dicit *Ariſtæum* fuiſſe. Poſt *Hypſeüm* igitur, filii nullius patrem, *Periphas* & *Antion Lapithæ Peneï* ditione potiti ſunt. (*Diod. Sic.* 4. 6.) *Andreüs* interea, *Hypſeï* frater, in *Bœotiam* ad *Cephiſſum* fluvium tranſmigravit, regionémque amplam obtinuit infra montem *Laphyſtium*, ubi & urbem *Andreïda* condidit, regnúmque omne appellavit eodem nomine. (*Pauſ. Bœot.*)

A.M. 2601.

Ceres & *Dionyſius* in *Attica*: ubi cæſus à paſtoribus temulentis *Icarius*, à quo vinum acceperant.

§ 24. *Pandione Athenis* regnante, ferunt *Cererem* atque *Dionyſium* in *Atticam* veniſſe; hoc eſt, ſacra utriuſque, opinor, aucta fuiſſe, atque artes inventas, non ſerendi modò triticum, plantandíque vites, ſed ex iis quoque vinum conficiendi & panem. Et *Cereri* quidem *Celeüs Eleuſine* hoſpitium præbuiſſe dicitur, qui ex iis unus eſt in Hymnis *Homeri*, qui *Cereris* myſteria primus tradidit ac celebravit. *Icarius*, vel *Icarus*, hoſpitio *Dionyſium* excepit, à quo viciſſim benignitatis gratiâ, nec non juſtitiæ ac pietatis, palmitem accepit vitis, rationémque didicit atque uſum vini. Tantum ergò dei ſui beneficium aliis impertire cùm vellet, paſtoribus quibuſdam dedit bibendum. Cùm autem illi, ſuavitate potûs capti, largiùs hauſiſſent quàm par fuit, temulentíque cerebrum ſibi non ſatis ſanum perſentiſcerent, & aliqui velut ſemianimes ità ſomno jacérent oppreſſi, reliqui in iram protinus exardeſcebant, datum ab *Icario* pharmacum ſibi, non potum, rati. Omnes igitur in unum ruunt, fuſtibúſque ad necem accipiunt. Patrem *Icarium* filia cùm per multos dies abſentem deſideraret *Erigone*, ad eum inveſtigandum canem ſecuta eſt *Mæram*, quæ ſolebat plerumque proficiſcentis heri veſtigia conſectari. Ea enim redierat ab hero, ululánſque, ac vellicans puellæ veſtem, non deſtitit priùs, quàm indicâſſet in puteo abſconditum cadaver. Eò enim dejecerant parricidæ; vel, ut alii narrant, ſub arbore quadam defoſſum occultârant. Cùm autem experrecti jam, qui penè mortui videbantur, ſomni ſuavitatem viníque laudarent, *Icariúm*que requirerent, ut aliquas ei pro tanto beneficio referrent gratias, animadverſo errore ſuo qui occiderant, fugæ mandaverunt ſe, & in *Ætolorum* inſula ut hoſpites recepti domicilia poſuerunt. At *Erigone*, ſimul ac vidit parentis cadaver, abjectâ ſpe, ſolitudine ac pauperie oppreſſa, in eadem arbore ſuſpendit miſera ſe, cui ſuberat *Icarii* corpus; hoc imprecata moriens, ut pari leto *Athenienſium* filiæ perirent, niſi cædem *Icarii* juſtâ ultione perſequerentur. Mortuæ canis ſpiritu ſuo parentâſſe dicitur, vel in puteum ſe *Anigrum* abjeciſſe, unde propterea nemo poſtea biberit. *Jovem* Poëtæ fingunt miſeratum, vel *Liberum* Patrem, omnes in aſtra ſimul tranſtuliſſe *Böotæ*, *Virginis*, & *Caniculæ*. At neglectâ *Icarii* cæde, cùm virgines complures in *Attica* laqueo ſibi mortem accerſerent, *Apollo* reſpondit conſulentibus, *Erigonæ* ſatisfaciendum. Itaque feſtum *Oſcillationis* inſtitutum, quod *Aletis* & *Æora* poſtea dictum, & ſacrificium ſolenne, ubi privatim & publicè immolabant. Hoc aliqui *Erigonæ*, non *Icarii*, ſed *Ægyſthi* & *Clytemneſtræ* filiæ, tribuunt, quæ poſt abſolutum *Oreſtem* in *Areopago*, ſuſpendio ſibi gulam fregit. (*Apollod.* 3. *Hygin.* Poët. aſtronom. 2. *Arctophylax*, & Fab. 130.) Atque hæ fuerunt in *Græcia* primitiæ fructuum ex vino ſuaviſſima re ſatìs amaræ, iis haud multùm diſſimiles quos *Noachus* primos poſt mundum inſtauratum à Diluvio percepit. Non quòd per ſe noxium, ac ſuâ naturâ malum ſit vinum, viríſque bonis indignum. Imò verò eximium & ſalutare Dei donum eſt. Reficit vires, erigítque animum & lætitiâ afficit. (*Pſal.* 104. 15.) Itaque *Timotheo* præcipit, viro ſanè optimo, Sanctus *Paulus*, modicum & medicum vini uſum, propter ſtomachi vitia & crebras infirmitates. (1 *Tim.* 5. 23.) Sed pravitate hominum ſæpenumero fit, ut ad ſuam ea perniciem rapiant, quæ ad utilitatem & ſalutem Deus benigniſſimè largitus eſt.

Agros colendi artem *Triptolemus* docet:

Eodem tempore quo vini, etiam panis beneficium frumentarii collatum in *Atticos* videtur, & reliquos fortaſſe *Græcos*, dum *Pandion Athenis*, *Eleuſine Celeüs* imperabat. (*Euſeb.* Chron.) Ad eum *Triptolemus* longâ navi advectus, artem ſerendi metendíque frumenti, omnémque agriculturam docuiſſe fertur, ac tradidiſſe agricolis ſemen. Unde fictum erat à Poëtis, eum accepiſſe fruges à *Cerere*. Sunt qui ſub *Cranao Erechtheó*ve malint contigiſſe hæc. *Triptolemus* verò quo patre, quâve in patria ſit natus, planè obſcurum video, atque eò magìs incertum, quò plura ſcribuntur ea de re. *Argivi* prædicabant, *Trochilum*, ſacrorum apud ſe antiſtitem,

ſtitem, ab *Agenore Triopæ* regis filio pulſum *Argis*, in *Atticam* veniſſe; cúmque *Eleuſine* uxorem duxiſſet, *Eubuleüm* & *Triptolemum* genuiſſe. *Argis* verò *Cererem* ipſam, à *Pelaſgo* hoſpitaliter acceptam, longè antè agriculturam docuiſſe. (*Pauſ. Att.*) Eundem *Trochilum* quadrigas in curru junxiſſe primum *Euſebius* & alii tradunt; currum verò à ſe inventum *Junoni* conſecrâſſe. Unde quod *Auriga* dicitur ſidus in cœlo, ab Interprete *Arati Trochilo* tribuitur: utrumque ab *Hygino* regi *Athenienſium Erichthoneo*: ſed & illi *Argivo* tributum ab aliis fatetur, quem *Orſilochum* appellat, non *Trochilum*; ut ſolet is hallucinari ſæpiſſimè. *Trochilum Theon* (Commentario in *Aratum*) *Callithoæ* filium fuiſſe tradit, quæ *Junonis Argivæ* ſacerdos habetur prima. *Attici* verò *Triptolemum Celeo* natum ferebant, *Rhari* nepotem, pronepotem *Cranaï* regis. *Celeüm* verò ipſum cum uxore *Metanira* honoribus divinis ornatos, in Legatione ſcribit *Athenagoras*. Aliqui *Rharum* ei patrem ex *Amphictyonis* filia dabant. Natum *Oceano* & *Terra Muſæus*, *Dyſaule* tradit *Orpheüs*. *Eleuſii*, ſive *Eleuſini*, (ut appellat *Servius*,) regis *Eleuſinii*, cui *Cyntinia* uxor, filium fuiſſe ſcribit *Euſebius*, qui premente magnâ fame ſuis populum frugibus aluerat. Idem alio tempore cùm præſtare non poſſet, veritus populi vim & ſeditionem, longâ nave, cujus erat inſigne Serpens, fugit ex patria, & aliquandiu peregrinatus rediit cum maxima frumenti copia; pulsóque *Celeo*, vel, ut alii tradunt, *Lynco*, qui eo abſente regnum invaſerat, inſidiiſque ipſum appetiverat, frumentum diſtribuit, populúmque arare ac ſerere docuit. Hinc *Cereris* alumnus nuncupatus eſt. *Lutatius* quoque (in *Thebaïd.* 2.) Reverſum, inquit, *Triptolemum*, cùm ut æmulum interficere vellet *Celeüs* rex, *Cerere* jubente regnum ei tradidit. Oppidum igitur conſtituit, quod ex patris ſui nomine *Eleuſinum* appellavit. *Cereri* ſacra primus inſtituit quæ *Theſmophoria* appellantur. Cùm tanta inter ipſos *Græcos* de genere hominis diſcordia ſit, maximè videtur credibile peregrinum fuiſſe, *Phœnicem Ægyptiúm*ve, longâ nave advectum, (ut ait *Auguſtinus*,) cujus cùm eſſet inſigne vel nomen *Draco*, ideo draconibus currum agitantibus advolâſſe fingebant Poëtæ. Navium enim longarum hâc ætate non erat uſus in *Græcia*. Propterea, (ut alii fabulam hanc interpretantur,) ubi primùm *Græci* navem hanc longam conſpexêre, ſuſpicati ſunt alatum ad ſe ſerpentem devolâſſe: alatum, propter vela, ſeu potiùs remigium; ſerpentem verò, longioris figuræ causâ. Monſtrare ſolebant *Eleuſinii* ædem apud ſe *Triptolemi*, & aream, & aram, & campos *Rharios*, ubi jacta frugum ſemina primùm adolevêre: ac proinde hordeum in ſacris non aliunde natum adhibebant ad liba & molas. (*Pauſ. Attic.*) Refert *Pauſanias*, (in *Achaïcis*) *Triptolemum* ex *Attica* in *Achaiam Peloponneſiacam* veniſſe ad *Eumelum* exiguæ ditionis regulum, cui & fruges, & condendæ urbis rationem tradidit, quam à terræ cultu *Aroën*, poſtea *Patras*, vocârunt. *Antheam* verò puerum, *Eumeli* filium, *Triptolemo* dormiente, currum ejus aſcendere auſum, & frumenta ſerere, excuſſum fortè curru periiſſe. *Eumelum* igitur atque *Triptolemum*, communi conſilio, urbem de nomine pueri *Antheam* ei pro monumento ſtatuiſſe. Seviſſe frumentum aliquando *Triptolemum* ferunt, roſtróque ſuem eruiſſe ac ſpoliâſſe quod ſeverat: Ad aram itaque *Cereris* adduxiſſe beſtiam, & frugibus in caput ſparſis immolâſſe. Indè primùm inventum eſſe aiunt ſalſæ in ſacrificiis molæ uſum. (*Hygin.* Fab. 277.) Leges quoque *Triptolemum Athenienſibus* tradidiſſe antiquiſſimas *Porphyrius* docet. (Lib. de Abſt. 4.) Earum in templo *Eleuſine* ſcriptas fuiſſe tres; 1. *Parentes ut honorarent*, 2. *Deos ut fructibus colerent*, 3. *Animalia nè cæderent*, hoc eſt, (S. *Hieronymo* interprete, Adverſ. *Jovin.* 2.) carnibus nè veſcerentur. Quod Poëtæ fabulantur, *Lyncum*, *Scythiæ* regem, (*Getarum*, ait *Hyginus* Aſtron. poët. 2.) interficere *Triptolemum* voluiſſe, fruges illi traditurum, hoc, opinor, vult; *Scythas*, paſcendis tantùm pecoribus deditos, agriculturæ munus oblatum, acceptúmque gratanter ab aliis gentibus, aſpernatos rejeciſſe. (*Hygin.* Fab. 250. *Ovid.* Metam. 5. fab. 11.) Poſt inventam apud *Eleuſin* frumenti ſationem à *Triptolemo*, in ejus muneris honorem noctes initiorum ſacratæ ſunt, ſive myſteria *Cereris* inſtituta; (*Juſtin.* Hiſtor. lib. 5.) aucta verò poſtea, emendatáque ſæpius.

A.M. 2601.

Quo tempore vagatam fingebant *Cererem* Poëtæ, ut inveniret natam, hoc eſt, cum prima frugum ſatione, ficûs culturam & uſum reperit, didicítve aliunde, *Phytalus* quidam, ex *Lacidarum* Demo in *Attica*. Epitaphium id in ſepulchro *Phytali* teſtatur: Ficûs cultura *Phytalus*.

Hic

A.M. 2601.

Hîc Cererem tectis Phytalus ſuſceperat heros;
Cui dea grata ſacri donavit ſemina pomi,
Quod mortale genus Ficum vocat: illius ergò
Muneris, æterno Phytali gens floret honore. (*Pauſ. Attic.*)

Haud procul à *Phytali* ſepulchro, ultra fluvium *Cephiſſum*, *Cyamitæ* cujuſdam erat templum vetus, quaſi *Fabarium* dixeris. Ab eo credibile eſt Fabarum culturam eſſe *Græcis* primò traditam. Id enim in confeſſo eſt, non fuiſſe deæ *Cereris* inventum. Impurum enim habebatur legumen Faba. Sed cauſa in myſteriorum arcanis latuit. (Ibid.) *Ægyptiorum* ergò, unde ſuas accepêre ceremonias *Græci*, neque populus fabas ſerebat comedebátve, neque ſacerdotes intueri ſuſtinebant. (*Herodot.* 2.)

A.M. 2602. *Labdacus Cadmeæ rex, cujus frater Orion.* *Pandion Athenas relinquit Erechtheo.*

§ 25. *Polydorus*, *Cadmeæ* in *Bœotia* rex, præmaturo videtur fato ſublatus, poſtquam annos ferè ſeptem præfuiſſet imperio. Cùm ex *Nyctei* filia unicum ſuſcepiſſet filium *Labdacum*, teneræ adhuc ætatis puerum, ſocero ſuo in tutelam tradidit, magnæ autoritatis ac prudentiæ viro. Hujus fratrem *Orionem Diodorus Siculus* hiſtoricè narrat (lib. 4. c. 16.) fuiſſe virum, ut magnitudine roboréque inprimis celebrem, ità & gloriæ avidiſſimum, & ad illuſtrandum nomen ſuum opera maxima ſuſcepiſſe. *Labdacus* verò quinquaginta videtur annos regnaviſſe.

Pandioni Athenienſi bellum cum *Labdaco* gerenti ſuppetias fert *Tereus*, qui *Prognen Pandionis* filiam ducit, ſed & uxoris ſuæ ſorori *Philomelæ* vim infert. Quod ultura facinus *Progne*, *Ityn* filium elixatum dat patri epulandum; ut in prole ſua luat quod peccavit in aliena. Hinc *Ovidius*, (l. 6. Metam. fab. 8.)

Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ
Tempora, Tartareas Pandiona miſit ad umbras.
Sceptra loci rerúmque capit moderamen Erechtheus,
Juſtitiâ dubium, validiſne potentior armis.

Erechtheo regnum adepto *Athenienſe*, alter è geminis *Butes*, regis frater, ſacerdotio *Minervæ* atque *Neptuni Erechthei* præfectus eſt. Atque is videtur Buphonus fuiſſe primus, cujus ab ara fugientis vocata eſt in judicium ſecuris. Bos enim *Cereris* miniſter, hominúmque ſocius in ruſtico opere cùm ſit, (ut ait *Varro* de Re ruſtic. 2. 5.) ab eo Veteres ità manus abſtinebant, ut capite ſanxerint ſi quis occidiſſet. Sacerdos ergò, interemptâ bove, abjectâ ſecuri, aufugit protinus. *Athenienſes*, ceu incognito cædis autore, ſecurim egiſſe ream, in ſecurim ſententiam pronunciâſſe, ferunt, & ſtatuiſſe in poſterum de rebus inanimis in *Prytaneo* judicium. Quin & feſtum *Buphonia* nominatum, non tam à boum qui mactabantur multitudine, quàm ab origine cædéque bovis primæ, atque ab annua imitatione fugientis ſacerdotis bovicidæ, ſecuríſque damnatæ. (*Ælian.* Var. hiſt. 8. 3.)

A.M. 2610. Nemine apud *Iſraëlitas* regente,

§ 26. Poſt obitum *Othonielis*, nulli erant apud *Iſraëlitas* legitimi magiſtratus; non Rex, non Judex, qui publicæ præeſſet diſciplinæ, peccatáque populi ſeveritate legum coërceret. Itaque ſuis quiſque pro libidine vitiis indulgebat libere. Alieno quidem vicinorum hoſtium jugo ſuberant. At ii, de ſuis utilitatibus vectigalibúſque tantùm ſoliciti, neque *Moſaïcam* Religionem in ſubditis, neque morum eximiam probabant probitatem; ſed ipſi ad omnem vitiorum turpitudinem, idolorúmque inſaniam, præibant potiùs, quàm obſtruebant viam. Hiſce temporibus, vivente adhuc Summo ſacerdote *Phineâ*, (*Jud.* 20. 28.) viduæ cujuſdam in *Ephraïmitico* monte filius, *Micha*, ſiclos mille atque centum argenteos matri ſuæ clàm ſubduxerat. Sed cùm diris furem devoveret irata mulier, matri exſecranti filius nummos reddidit; reddenti pacata benedixit mater, quaſi revocatura imprecationes quibus eum confixerat priùs. Et voviſſe pecuniam hanc aiebat ſe *Jehovæ* filii ſui gratiâ. Itaque reddituram reddenti ſe. Ducentos autem artifici tradidit, ut ſimulacrum ſculptile fuſiléque ſibi conficeret.

ſimulacrum ſibi ſtatuit *Micha*,

Duo videntur eſſe, alterum ex ligno marmoréve ſculptum, ex ære alterum argentóve fuſum. Verſu enim 17. cap. 18. ità ſeparatim memorantur, ut alia interponantur quædam. Alii putant eandem ſtatuam fuſam priùs, deinde ſculptam aut cælatam fuiſſe. *Petro Martyri* probatur *Davidis Kimchi* ſententia, qui morem fuiſſe ſcribit, ut ſimulacra primò ſculperentur è marmore lignóve, mox iiſdem ut æreæ argenteæve laminæ inducerentur. Simulacra nactus *Micha*, fanum in ſua domo conſtituit, & veſtem fecit ſacerdotalem, (*Ephod* vocabant,) *Teraphæóſ*-

que

que deos ; & è ſuis denique unum filiis ſacerdotem immolatione victimarum conſecravit. Atque hæc omnia religiosè admodum (ut ſibi videbatur) ac pié: quod & Pontificii facere ſe dicunt, dum *Chriſti* pendentem in Cruce imaginem colunt, Deúmque Patrem ſpecie ſenis, & ſub columbæ forma Spiritum Sanctum. Nec enim ſimulacra hæc ſe colere, ſed qui ſignificatur Deum, diſputant. Ità qui aureum Vitulum in deſerto adorabant, feſtum & ſacra *Jehovæ* indicebant. Ità hîc noſter *Micha* & mater *Jehovæ* omnia dedicare ſe profitentur: quos tamen, idololatriæ reos, Secundum primæ Tabulæ Præceptum violâſſe conſtat. Mox adfuit *Levita*, ex urbe *Judaïca Bethleëm*, eò proficiſcens, ut idoneum ſibi locum quæreret ubi habitaret. Ut cauſam itineris didicit *Micha*, opportunè cum eo pactus eſt, victu & veſtitu, argenteíſque decem annuatim, ut apud ſe ſacerdotem, & quaſi patrem, ageret. Cúmque victimis eum conſecrâſſet, ſibi vehementer gratulatus eſt *Micha*, quòd "*ſciret* "*Deum ſibi jam propitium fore, qui è Levitis unum*, legitimis Dei miniſtris, *pro* do- "meſtico *haberet ſacerdote.* Sed parùm diuturna hæc ſuperſtitioſa pietas fuit. Tribui *Daniticæ* fines admodum anguſti erant, nondum conſecutæ ſuam ſortem. Miſerunt ergò ex urbibus ſuis *Eſthaol* & *Zora* viros quinque ſtrenuos admodum, qui terram explorarent, & locum ſibi diſpicerent coloniâ dignum. Ii in tractum Borealem proficiſcentes per montem *Ephraïmiticum*, in domum fortè divertunt *Michæ*; ubi facilè animadverterunt ex dialecto vocéque, juvenem ſacerdotem non eſſe indigenam, ſed advenam ex *Judæa.* Cúmque didiciſſent quam illic habitandi cauſam haberet, petivêre ut conſuleret Deum, proſperúmne illis hòc eſſet futurum iter. Reſpondit *Levita*, quaſi *Jehovâ* conſulto, Fore. Neque tamen *Jehova* conſultus eſt, ſed familiares *Michæ* dii. *Jehova* tamen permiſit vera ut eſſent quæ reſpondit *Levita. Danitici* ergò exploratores urbem adeunt *Laïs*, (*Leſhem* dicitur *Joſ.* 19. 47.) *Sidoniorum* ditioni finitimam, quamvìs ab urbe diſſitam procul. Populus ibi quietus, paritérque ſecurus, ſine malo, ſine metu agebat. Bella cum vicinis nulla, nulla commercia fuerunt. Nullus domi qui opprimeret tyrannus, hoſtis nullus qui minitaretur foris. Libere agebant, terræque amplæ ac beatæ commodis libere fruebantur. At imbelles iidem imparatíque, flagitioſi atque ſocordes, pacis diuturnæ incommodis graviter laborabant. Hæc *Danitis* reverſi exploratores cùm retuliſſent, magnámque feciſſent ſpem quæſtuoſæ ac facilis victoriæ, ſexcenti viri armis inſtructi *Laïſhum* perrecturi in montem *Ephraïmiticum* aſcenderunt, & domum *Michæ.* Dúmque exercitus ad oſtium ſermones de induſtria conſerit cum *Levitâ*, exploratores illi quinque, quibus & *Michæ* domus erat explorata, clàm ingreſſi penetrale, deos *Michæ* omnes amiculúmque ſacerdotalem auferunt. Nec enim repugnare poterant muſſitaréve fuſiles atque ſculptiles miſelli dii. Conanti obſtrepere ſacerdoti ut obſtruerent os, ejus fore pollicentur ſacerdotium; multóque ſatius aiunt videri, ſacris populi præeſſe, quàm unius familiæ. Obmutuit illico *Levita*, & ubi major quæſtûs oblata erat ſpes, eò ſe contulit mercenarius ſacerdos: quóque tutiùs diſcederet, in medium ſe agmen conjecit. His enim ſibi opus futurum diis opinabantur *Danitæ*, cùm in extremis provinciæ limitibus, procul à *Silunte* tabernaculóque Divino, ſe abfuturos cogitarent. Armis perſecuturum ſe *Micham*, ut res ablatas repeteret, facilè ſuſpicabantur ſacrilegi. Ut pueris ergò & gregibus ſupellectilíque pretioſæ caverent, eóque tutiùs incederent quò cautiùs, ea in fronte collocata ſibi præmiſerunt omnia. Cùm longiùs profecti jam eſſent, deóſque ſuos & ſacerdotem ſimul deſideraret *Micha*, vicinorum implorat opem, qui, correptis protinus armis, *Danitarum* veſtigia feſtinatione ſummâ conſectantur. Tandem conſecutis, & magnâ vociferatione conclamantibus, "*Quid hoc turbarum eſt*, inquiunt *Danitæ?* Quid "ſibi hæc arma, hæ minæ volunt? "*Quid volunt ſibi?* reſpondit *Micha.* Spolia- "tus ſum; ſacrilegio peſſimo ſpoliatus. *Meos mihi abſtuliſtis deos.* Quicquámne fie- "ri mihi gravius atrociúſve poteſt? At illi quaſi animo benevolo monere hominem, ut ſileret, caverétque ſibi, nè qui fortè homines iracundi, clamoribus importunis irritati, ruerent in eum, raperéntque in malam rem, unà cum famulis viciníſque. Cùm igitur imparem ſe tanto exercitui videret, armíſque nihil eſſe profecturum, in vacuam idolis domum rediit, deóſque maluit quàm & ſe & ſuos amittere. Has idololatriæ, quam inſtituit, optimo jure pœnas *Micha* dat. *Laïſhum Danitæ* cùm perveniſſent, facilè captam vaſtaverunt igne, cæſis ad unum civibus. Deinde novis ædificiis inſtauratam incoluerunt ipſi; Principíſque familiæ ſuæ nomine impoſito, vocata eſt *Dan.* Sed & nova quæ diximus numina coluerunt, *Levitâ* ſacerdote, qui

A.M. 2610.

& *Levitam* pro ſacerdote.

Utrumque auferunt *Danitæ*

ad cultum

A.M. 2610.

Jonathan dicebatur, *Gerſomis* filius, nepos *Manaſſis*. Ejus poſteri, quamdiu Tabernaculum *Silunte* conſtitit, eodem perfuncti ſunt munere. (*Judic.* cap. 17. & 18.)

Tum & uxor cujuſdam *Levitæ*, — § 27. Dum Principatus apud *Iſraëlitas* vacabat, neque præerat quiſquam diſciplinæ publicæ, nefarium facinus à *Benjaminitis* perpetratum eſt, quo univerſa ferè gens intercidit. In latere montis *Ephraïmitici Levita* quidam peregrinabatur, cujus concubina ſe adulterio polluerat. *Junius* non niſi cum *Levita* ſcortatam putat, quoniam ejus pater nuptias nondum ſuo conſenſu approbâſſet feciſſétque legitimas. At ea mariti verita magis quàm legum jam neglectarum ſeveritatem, profugit ad patrem *Bethleëmitam* in *Judæa*. *Levita*, cùm ferre non poſſet uxoris etiam adulteræ deſiderium, ſolitudinémque ſuam, ad caſtitatem fortaſſe à morum turpitudine revocaturus adoleſcentulam, poſt menſes 4, quæſitum uxorem unà cum ſervulo ac duobus aſinis profectus eſt. Læta uxor ut vidit, in patris deduxit domum. Lætus & ſocer generum eſt amplexus peramanter; & conciliatâ viro ſuo filiâ, conviviis triduo celebratæ ſunt quaſi novæ nuptiæ. Die quarto diſceſſurum, non ſine convivio dimittendum ſocer generum putavit; quo penè in veſperam protracto, cùm ſerum nimis videretur tempus inſtituendi novum iter, importunâ benignitate detinuit eo die, craſtino abiturum. Cùm & craſtino conaretur idem perbenignus ſocer, *Levita* ulteriùs detineri noluit; ſed poſt meridiem, convivio ſatur, itineri dedit ſe. Ad urbem *Jebus* ferè jam perventum erat inclinante Sole, quam poſtea *Hieroſolymam* vocârunt. Sex ferè paſſuum millibus ea diſtabat à *Bethleëm*. Illic ſervus pernoctandum cenſuit. Recuſavit herus ad homines profanos & idololatras divertere, cùm eſſent in propinquo ſuæ gentis ac Religionis urbes *Iſraëliticæ*. Ad *Ramam* igitur *Gibeâm*ve progredi, *Benjaminiticæ* tribûs urbem, conſtituit: quanquam homines maximè alienos atque profanos magis hoſpitales, minúſque feros reperiſſet ac inhumanos, quàm populares expertus eſt ſuos. Cùm ad *Gibeam* accederent, occubuit Sol. Eò igitur ingreſſi & pernoctaturi, exſpectabant in platea, dum civium aliquis invitaret ad hoſpitium. Sed exſpectabant fruſtrà; invitabat nemo. Tandem ſenex inquilinus ex monte *Ephraïmitico*, cùm eâ ſub veſperam ab opere in agris rediret, vidit peregrinos obambulantes in platea; cúmque didiciſſet quinam eſſent, unde veniſſent, quò vaderent, nè ſub dio noctem agerent, in ſuam perhumaniter invitavit domum. Illi ſe nihil aiebant deſiderare, præter tectum. Eſſe panem ſibi atque vinum; eſſe paleam atque fœnum quo paſcantur aſini. Hoſpes fauſta illis apprecatur omnia; nec morari dicebat ſe quid haberent, quid non haberent; operam verò daturum, nè quid illis deeſſet. Ità peregrinus peregrini, pius vir *Levitæ* miſertus, hoſpitium liberale præbuit, quod impii ac inhumani cives minimè præſtabant. Inprimis aſini pabulo recreati; deinde hoſpitibus pro more lauti ſunt pedes, conviviúmque ſplendidè apparatum. Læta jam videbantur omnia, cùm repentè *Gibeonitæ*, homines nequiſſimi, quaſi veterum *Sodomæorum* affines, non *Abrahami* atque *Loti*, domum obſident, oſtium pulſant, imperántque, peregrinum illum ſibi ad libidinem tradi. Demiratus hoſpes tam barbaram in *Hebræis*, Dei populo, impietatem, monet graviter, orátque vehementer, ſalutari quidem, ſed inani operâ. At nè violarent naturam laſciviâ inhumanâ, concubinam ſui hoſpitis, filiámque ſuam virginem traditurum ſe pollicetur, modò abſtineant viro, neque tam indignam hoſpiti ſuo contumeliam inferant. Cùm ſenis monita flocci facerent audaciæ projectæ homines, ſuam concubinam *Levita* furentibus objecit; cujus venuſtate capti, eâ omnes unicâ (ô ſingularem temperantiam!) effrænem ſatiârunt libidinem. Sub auroram dimiſſa eſt, indigniſſimè per noctem habita, & ad oſtium ſenis exanimata corruit. Ità quas adulterii ſui pœnas hominibus nullas dederat, jam tandem Deo dat. Stuprum ſtupro luit. Manè profecturus *Levita*, ubi januam aperuit, jacentem vidit concubinam, limine manu apprehenſo. Non ſuſpicatus exanimem, ſurgere monet, ac parare ad iter ſe. Ubi verò mutam & planè mortuam ſenſit, haud moratus, aſino impoſuit, ſuámque traduxit domum. Exanime corpus in duodecim fruſta diſſecuit; ſingula verò ad ſingulas *Iſraëlitarum* tribus per nuncios tranſmiſit idoneos, qui facinoris atrocitatem unà traderent. Cùm deeſſet magiſtratus, certúmque tribunal ubi querelas deponeret, populi totius implorat opem, & juſtitiam appellat. Acceptis ergò nunciis, in unum convenire viſum eſt univerſæ multitudini, quò certiùs cognoſcerent de tanta re, conſulerentque faciliùs in publicum. Urbs *Judæorum Mizpa Benjaminitis* propinqua deſignatur conventui locus. Eò quadringenta peditum acceſsêre millia, ex omnibus *Iſraëlitarum* tribubus præter *Benjaminitas*. Cùm

[Margin: in urbe *Benjaminitarum Gibea*, ſtupro nefando planè confecta eſt.]

Levita,

Levitâ, jubente populo, expoſuiſſet omnem rem, atque intendiſſet actionem in *Gibeonitas*, productis (ut credibile eſt) teſtibus ſervo ſuo hoſpitéque ſene; populi tandem ſcitum ſummâ concordiâ factum eſt, primò, non diſceſſuros indè ſe, priuſquam ſcelus *Gibeoniticum* ritè vindicâſſent: útque proſpicerent ſibi dè annona, ſi diutiùs illic hærendum eſſet, pars decima totius multitudinis, ſortitò ducta, ad commeatum undique convehendum in caſtra deſtinatur. Poſtremò, legati ad *Benjaminitas* per familias decem primarias miſſi, ut ſceleris nefandi autores dederentur ad necem, quò à populo averteretur ultio Divina. Temere in fratres bellum ſuſcipere, non præmiſsâ monitione, non oblatâ pace, iniquum videbatur. Etſi facilè poterant conjicere, *Benjaminitas* nimiùm ſontibus indulgere, qui nondum ipſi exegerant tanti flagitii pœnas, & populi totius intereſſe concilio recusârant. Monitis popularium amicis & ſalutaribus, minimè tamen *Benjaminitæ* paruerunt; ſed, ut primùm *Iſraëlitas* in *Mizpa* conveniſſe nunciabatur, & ad arma ſpectabat res, ad repugnandum ſe unâ omnes mente comparârunt: ità noxiis patrocinando, noxiorum in ſe pœnam tranſtulerunt. Bello igitur ab *Iſraëlitis* denunciato, undique in *Gibeam* coacta ſunt militum viginti atque ſex millia, præter ſeptingentos *Gibeonitas*. Ex eo numero ſeptingenti erant funditores, qui lævâ peritiſſimè ad pilum jaciebant, aberrabant rariſſimé. A.M. 2610.

§ 28. Atinprimis *Iſraëlitæ* Deum ſibi putant *Silunte* conſulendum; non de bello ipſo, legitimúmne ac Deo gratum eſſet; non de victoria, quam certam credebant tantæ multitudini de tam paucis: ſed hoc unum quærebant, cui tribuum primas deferrent in acie contra *Benjaminitas*. Ità neglectum ſe, ſuccenſuiſſe Deum credibile videtur; reſpondiſſe tamen, atque præcepiſſe, ut præirent duceréntque *Judæi*. Primo igitur manè promoventur ad *Gibeam* caſtra; occurrunt *Benjaminitæ*; prælium committitur; *Iſraëlitæ* ſuperantur, deſideratáque ſunt eorum in hac pugna viginti ac duo millia. In tanto exercitu jactura levior magis irritavit animos, quàm dejecit. Poſtero die ferociores in aciem rurſus prodeunt; rurſus à *Benjaminitis* profligantur, amittúntque ſuorum octodecim millia. Quæſiverant quidem ex Deo jam, licerétne ſibi denuo fratribus inferre bellum. Id à ſe malè credebant omiſſum primo tempore quo conſuluerant *Jehovam*. Atque reſponſum eſt, Licere. Nondum de victoria quærunt precantúrve, numero ſuo confiſi magis quàm Deo. Sed fuſi jam denuo tot à tam paucis, iratum ſibi Deum ſentiunt. Univerſus ergò cœtus illico aſcendit ad Tabernaculum. Toto die jejunatur uſque ad veſperam. Fletus ac lamentationes edunt. Sacra etiam, holocauſta & pacifica, oblata Deo ſunt. Sciſcitantur denique, utrùm pergant ac perſequantur quod inceperant bellum propitio Deo, an offenſo deponant. Oraculo denunciatum eſt ut pergerent. Craſtino enim die *Benjaminitas* Deum illis traditurum in manus. In aciem ergò prodeuntes quo ſolebant modo *Iſraëlitæ*, fugam ſimulabant, quò ab urbe hoſtes longiùs diſtraherent. In gramineto enim *Gibeæ* propinquo inſidias collocaverant, millia decem lectiſſimorum militum, quæ procul remotis *Benjaminitarum* copiis quæ opitularentur, urbem caperent incenderéntque. Id ubi factum eſt, fumo aſcendente (ut convenerat) *Iſraëlitæ* moniti captam eſſe urbem, qui priùs fugere videbantur, ad pugnam redeunt, fortiſſiméque hoſtibus opponunt ſe, copiæ ſimul omnes explicantur. *Benjaminitæ* verò, qui hoſtes revera fugiſſe putabant, certámque ſibi ſpondebant victoriam, cæſis hoſtium triginta circiter, per vias diverſas diſtracti, quarum altera *Siluntem* ducebat, altera *Gibeam*, ubi fumum incendii aſcendentem ex urbe conſpexerunt, deſpondere animos, & in fugam præcipitem ſe conjicere, ſed in hoſticum, ubi nulla erat elabendi ſpes: cæſáque in prælio ſunt octodecim millia, ſeptem in fuga, præter eos qui in præliis prioribus deſiderati ſunt. Nec enim credibile eſt, eos qui tot *Iſraëlitas* confecerant, è ſuis amiſiſſe neminem. Superfuêre tantùm ſexcenti, qui propugnaculum *Rimmon* occupavêre. Hâc patratâ virorum militarium cæde, in reliquias eorum *Iſraëlitæ* reverſi ſæviunt. In villis oppidiſque per univerſam regionem, quicquid repertum eſt humani generis belluinive, ferro ſublatum. Urbes ipſæ flammis traditæ ac deletæ. Ubi tandem iracundia & furor deferbuit, ſubiit animos miſeratio quædam, & deleviſſe tribum ſe unam ex duodenis cogitabant; nec relictam eſſe reparandi rationem aut ſpem. Paucos admodum ſupereſſe; ac iis ipſis deeſſe fœminas unde prolem ſuſcipiant. *Mizpæ* ſcilicet conjuraverant reliquæ tribus, è filiabus ſuis nullam ſe *Benjaminitis* nuptum traditiros. Sævitiam itaque ſuam deteſtati, *Siluntem* ſe ad Deum conferunt. Iterum jejuniis ſe affligunt, lacrymis

Ergò à reliquis tribubus *Benjaminita*

Penè ad internecionem deleti ſunt.

 preci-

A.M. 2610. precibúſque dant. Altare novum conſtruitur, cùm non ſufficeret vetus tot victimis, quot univerſus populi cœtus erat immolaturus. Tum verò juramenti alterius meminêre, quo pœna mortis denunciata eſt omnibus qui hanc militiam ſubterfugerent. Cenſu populi mox facto, *Jabeſii-Gileaditæ* aberant. In eos igitur millia duodena militum fortiſſimorum ſunt miſſa. Qui exercitus (præter virgines quadringentas) populum ſuſtulit univerſum. Virgines autem *Benjaminitis* donatæ, (non prohibente juramento,) condonatáque vita *Rimmoniis*, ut ſobolem procrearent, nè deficeret tribus. Sexcentis tamen adhuc ducentæ uxores deerant. Cùm jurati dare ſe non poſſe crederent, rapere juſſerunt *Benjaminitas*, ut eluderent juramentum, non præſtarent. Feſtum celebraturi erant *Siluntii*, & choreas acturæ virgines in via publica. Eas igitur ex inſidiis adortæ abſtulerunt, duxerúntque uxores reliquiæ *Benjaminitarum*. Parentum querelas non audire Principes *Iſraëlitarum*, ſed obſecrare potiùs, ut publicæ rei privatam injuriam condonarent. Atque hic eſt libidinis effrænatæ partus, hi fructus ſcelerum nefandorum, bella, cædes, gentiúmque excidia.

Minos in *Creta*, § 29. *Aſterius Cretenſium* rex fato functus, hæredi regnum *Minoï* tradidit, ejus primo nominis; qui annis videtur 55 imperâſſe. Duos fuiſſe *Minoës* in *Creta*, cùm ratio temporum flagitat, tum etiam *Siculus Diodorus* ſatis idoneus eſt autor, (lib. 4. 6.) 2614. Idque *Naxios* tradidiſſe, *Plutarchus* (in *Theſeo*) aſſeverat. *Minos*, *Itone* ducta *Lycii* filiâ, *Lycaſtum* genuit.

Pygmalion Tyri, Mortuo rege *Tyriorum Belo*, *Pygmalion* fertur annis 40 imperâſſe.

Spartæ Argalus, *Argalus*, *Amyclæ* maximus natu filius, regno præfuit *Spartano*, patre mortuo, annis fortaſſe quadraginta: de quo tamen nihil memorabile ſcriptis traditur.

2615. *Mimas*, *Æoli* ex filiis octo natu maximus, apud *Siculum Diodorum*, quanquam *Apollodoro* ignotus, *Æolidis* imperium (defuncto patre) annos tenuit circiter viginti.

in *Æolide Mimas* regnat. [a] His videtur temporibus cœpiſſe apud *Ægyptios* decima nona *Dioſpolitarum* Dynaſtia; in qua primus regnavit *Sethoſis* annis 21.

[a] 2617. [b] 2620. [c] 2625. [b] *Æetes*, *Helii* filius, matre *Perſeïde*, relicta quam tenebat *Ephyrâ*, & commendatâ *Buno* cuidam, ipſe in *Colchidem* profectus, ibi mox regnum adeptus eſt.

[c] Mortuus tandem eſt, qui genti ſuæ perpetuum impreſſit nomen, *Arcas*. Filiis tribus adultis jampridem diviſerat imperium ſuum. *Azan*, maximus, partem ſuam *Azaniam* appellavit: unde in coloniam deducti ſunt (*Pauſanias* ait in *Arcadicis*) qui circa *Steunos* habitabant in *Phrygia* antrum. Nam (ut *Thucydides* animadvertit, lib. 1.) una ferè omnium regionum in *Græcia* conſtantes habuit incolas *Arcadia*. Abundante igitur multitudine, colonias emiſit plurimas, nullas accepit aliunde.

Azan in *Arcadia* poſt *Arcadem* rex.

2626. Poſt *Lynceüm* patrem, *Abas Argivis* imperavit tribus atque viginti annis. Ex *Ocalea* conjuge (*Mantineï* filia) narratur geminos ſuſtuliſſe, *Acriſium*, atque *Prœtum*; qui dum adhuc in utero laterent, mutuò ſibi obluctari, & contendere quodammodo inter ſe videbantur; jam tum ſignificantes, quanto eſſent odio inter ſe poſtea concertaturi.

Abas poſt *Lynceüm Argivis* imperat.

EHUD,

EHUD,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER SEPTIMUS;

Qui,

Ab *Ehudis* Ducatu cœpto uſque ad *Gideonem* Judicem, annorum eſt 107.

§ 1. PER annos ferè quadringentos de *Iſraëlitis* vix aliud quicquam habetur memorabile, præter pœnas iiſdem peccantibus à Deo irrogatas, pœnitentibus remiſſas. Cùm enim ad finem uſque annorum 40 poſt *Joſuam* pacem coluiſſent perpetuam, niſi quà *Cuſanes Meſopotamus* interrupit ad tempus; nunc iterum, *Othoniele* mortuo, Duce Judicéque optimo, ad ſtipites adorandos ſaxáque gentium profanarum, mortuos mendacéſque deos, declinârunt, Numiníſque veri atque vivi zelotypam in ſe conciliârunt iram. Irritatus *Jehova*, impietatis ejus ultorem, ſuæque iræ miniſtrum, conſtituit *Eglonem Moabitidis* regem. Is igitur, *Ammonitarum* & *Amalecitarum* imploratis auxiliis, deſertos à Deo facilè ſubegit; *Hierichuntem* verò abſtulit *Iſraëlitis*, agróſque ſuis occupandos dedit. Præſidio etiam fortaſſe communivit, deſertum ab *Hebræis* locum, quò illos & graviùs premeret, & faciliùs in obſequio contineret. Servitute humanâ didicerunt miſeri, quantò eſſet potior Divina. Annorum 18 ea ſervitus fuit. Aucto enim peccato, augeri & pœnam æquiſſimum habetur. Eò autem atrocius erat peccatum, quòd caſtigati non ità pridem, & in gratiam deinde recepti, per ſummam ingratitudinem iterum defecerunt à Deo, & in ſcelera ſanati ſunt relapſi. Adverſæ res Numinis Divini refricare ſolent in impiis memoriam, cujus obliviſcuntur ſecundæ. Ab eo ſalutem acceptam ſæpius recordantur; ab eo unico perſpiciunt exſpectandam eſſe jam. Cùm ergò nulla ſpes affulgeret opis humanæ, cœlum verberant clamoribus novis; nec deſinunt priùs quàm *Ehud* illis à Deo datus eſt, qui judiciis præeſſet ac bellis, quíque ab urgentibus afflictos liberaret malis. *Ehud*, *Geræ* filius *Benjaminitæ*, captus dextrâ, lævâ tantùm valebat manu. Sed in aſſerenda libertate populi, etiam hæc dexterè ſe geſſit læva. Ut domino ſuo *Egloni* gratificarentur *Iſraëlitæ*, donum ei honorarium tranſmittere conſtituunt. Munus qui tradat popularium ſuorum, lubens volénſque in *Moabitidem* delegatur *Ehud*. Δωροφάγῳ regi gratiſſimus advenit, qui munus attulit. Traditur, accipitúrque libentiſſimé. Diſcedunt ſervuli portatores, & ſocii legationis reliqui: *Ehud* ipſe ad lapicidinas uſque in *Gilgale* comitatus eſt. Indè, quaſi à Deo monitus, in aulam reverſus, ſecreta dixit habere quædam ſe, quæ regi ſoli

A.M. 2630. *Iſraëlitas,* *Egloni Moabitæ ſubditos,* *Ehud,*

A.M. 2630. ſoli ſolus nunciet. Eam petere gratiam, ut audiatur. Donis recentibus ea facilè conceſſa eſt gratia. Proceres amandantur ſatellitéſque. Unus attendit rex quid velit. Parata erat *Ehudi* ſub veſtibus ſica cubitalis, & anceps, quò faciliùs penetraret. Eam dextro femori alligaverat, quò faciliùs manu arriperet ſiniſtrâ. Nemo quicquam de vi ſuſpicabatur à manu munifica, & penè manca. Propiùs igitur accedens, remotis procul arbitris, *A Deo eſt*, inquit *Ehud*, *tibi quod nunciem*, *ô rex.* Neque dubium eſt, quin autore Deo ea dixerit omnia feceritque. Dei nomen cùm audiviſſet, honoris ergò ſurrexit è ſolio *Moabita.* Quâ veneratione pios oportet Sacroſanctum illud Nomen accipere, cùm tantam illi reverentiam homines profani, etiam tyranni, deferant? Dum lentè aſſurgebat abdomine obeſo gravis rex, gladiolum ſtringebat *Ehud*, ſubitóque vulnere ventrem *Eglonis* præpinguem tranſverberavit, ità ut capulum pugionis in adipe abſconderit, & ex viſceribus moribundi ſtercus prodierit. (*cæſo tyranno,*) Patrato facinore, ſuæ ſaluti *Ehud* quantum potuit fugâ celeri conſuluit; ſimul oſtio cœnaculi obſerato claves abſtulit; nè facilè fugientem conſequerentur *Moabitæ*, niſi moram aliquam interponeret antequam proderetur cædes regia. Diſcedente in conſpectu aulicorum inceſſu moderato & conſtanti vultu *Ehude*, nè quid ſuſpicarentur, ſatellites accedunt ad cœnaculum. Cúmque clauſum etiam ſerâ oſtium, at ſine clave, offendiſſent, exonerando ventri operam dediſſe regem in cœnaculo æſtivo cogitabant. Dum illi moras nectunt, elabendi ſpatium nactus eſt *Ehud.* Cúmque diutiùs exſpectâſſent, neque tamen rex fores aperiret, aliis ipſi clavibus tandem reſerârunt. Dominum ſuum ingreſſi proſtratum vident humi, trucidatúmque. Turbis continuò & clamoribus omnia perſtrepere: alii querelis atque lamentis proſequi exanime corpus; alii proſpicere ſibi fugâ, nè cuſtodiæ neglectæ pœnas darent; obſtupeſcere omnes, nec facilè invenire conſilium, quid in ſubita novâque re factu optimum foret. *Ehud* interea cùm evaſiſſet ad ſuos, in medio regionis apud *Ephraïmitas* claſſicum tubâ ſonuit, ad arma ſingulos, ad arma concitavit, ipſéque præivit, ad conficiendos hoſtes. Ac inprimis vada *Jordanis* occupari juſſit, nè qui *Moabitæ* vel eâ effugerent ex *Canaanitide*, vel ex *Moabitide* tranſirent ad auxiliandum ſuis. Interfecta ſunt ex hoſtibus millia decem, viri omnes fortiſſimi atque primores populi. Hâc victoriâ *Moabitarum* attritæ ſunt res, excuſſúmque jugum, quo per annos octodecim oppreſſi ingemuerant *Iſraëlitæ.* (*ſervitute liberat.*) Secuta eſt deinde annorum 80 perpetua pax, regente tot ferè annis tot *Iſraëlitarum* myriadas *Ehude*, ex tribu ſexcentorum Judice. (*Jud.*3. 12, &c.)

(*In Cypro*) § 2. *Cyprus* inſula eſt in mari *Cilicio* & *Syriaco*, *Syriæ* oppoſita *Ciliciæ*que. Sed & *Syriæ* avulſam tradit *Plinius*, (lib. 2. 88.) & novem quondam regnorum ſedem, (lib. 5. 31.) Vocavêre inprimis *Græci Ceraſtin*, & *Ceraſtas* populum, à longis frequentium promontoriorum quaſi cornibus; pluribúſque aliis nominibus: denique *Cyprum*, vel à *Cypro Cinyræ* filio regis, (ut habet *Stephanus*;) vel à Cypariſſis, quarum arborum copiâ hæc abundabat inſula. Partes ejus Septentrionales ad Aſperam accedunt *Ciliciam.* Orientales vergunt ad *Iſſicum* ſinum. Occidens *Pamphylio*, Meridies *Ægyptiaco* mari alluitur. Ambitus inſulæ cum ſinubus ſtadiorum habetur 2420. Itinere terreſtri longitudo à *Cleïdibus*, quæ parvæ ſunt, ad Orientem inſulæ, *Cypri* claves, uſque ad *Acamantem* in Occidente promontorium, 1400 ſtadiis porrigitur: latitudo quingenta circiter patet. Urbes in ea nobiliores olim, *Paphi* duæ; *Salamis*, *Teucri* opus *Salaminii*; *Æpea*, *Demophöontis*, quæ à *Solone* poſtea *Soli* vocata, vel *Solus*; & *Citium*, *Stoïci Zenonis* patria, cujus claudi portus potuit; *Amathûs*, & *Aphrodiſium.* Quindecim *Plinius* numerat, (5. 31.) Vini oleíque ferax inſula, & ſuo ſibi ſufficit frumento. Ære dives, *Tamaſſi* præcipuè, Chalcantho, alíiſque metallis, & ærugine ad medicinam utili. Fluvii & pauci & parvi, adeò ut nonnunquam exareſcant, magnâque ibi ſiccitate laboretur. Sylvis olim ità luxuriabat, ut operam utiliſſimam navare inſularibus viderentur, qui ad conflanda metalla cædebant arbores, quíque ad claſſes navium inſtruendas. Cùm autem incrementa ſylvarum ſuperarent utramque operam, liberum ſingulis factum, & cautum eſt lege, ut tantum quiſque ſuum ac proprium haberet, quantum à ſylvis expedire poſſet. (*Strabo* 14.) Etſi (eodem autore) in *Olympo* ad Orientem promontorio fanum erat *Veneris*, quod fœminis adire conſpicerêve nefas; tamen à fœminis etiam *Venus* præcipuè colebatur in hac inſula: unde mores erant omnium in laſciviam projecti & libidinem. Quam earum nequitiam & turpitudinem exoſus *Pygmalion*, ejus inſulæ rex, *Cilicis* filius, à nuptiis abſtinebat: de quo Poëta, (Metam. 10. fab. 8.) (*Pygmalion*)

Quas

Quas quia Pygmalion ævum per crimina agentes
Viderat, offenſus vitiis, quæ plurima menti
Fœmineæ natura dedit, ſine conjuge cœlebs
Vivebat, thalamique diu conſorte carebat.

A.M. 2630.

Sed quod ſæpe contingit, ſua quemque delectant, cui minùs arrident aliena; imò humana illis perplacent aliquando, quibus minimè pulchra ſunt Divina. Qui fœminas non tulit, eburneâ fœminæ, quam ipſe ſculpſerat, imagine captus fuiſſe dicitur, & ſuum opus deperibat. Miſeratam Poëtæ fingunt *Venerem*, ſtatuæ animam indidiſſe: conjugem animatæ ſe *Pygmalion* dedit.

ſtatuam deperit eburneam.

Illa Paphum genuit, de quo tenet inſula nomen; (*Ovid.* ibid.)

& *Metharmen*, *Cinyræ* uxorem.

Tantalus Tmolo natus fuit rege *Lydorum*, & *Plutone* nymphâ, ut habet *Zezes.* (Var. hiſt. 10. chil. 5.) *Plotam* vocat *Euſebius*; *Hymantis* filiam, ait *Hyginus.* (Fab. 155.) A *Jove* genitum fabulantur Poëtæ, propter vividum & cœleſte ingenium, rerúmque divinarum atque humanarum cognitionem eximiam. Filium *Æthonis* fuiſſe *Lucianus* vult. (Dial. de Dipſad.) Hic in *Phrygia*, vel, ut *Diodorus Siculus* tradit, in *Paphlagonia*, utraque Minoris *Aſiæ* provincia, dominatus eſt, opúmque magnarum & felicitatis gloriâ floruit, annis ferè 60. Ejus ditionis montem *Sipylum* fuiſſe conſtat; cujus ex metallis aliqui divitias *Tantali* erutas opinati ſunt, quod *Strabo* docet. (Geogr. 14.) Et in *Phrygia Sipylum* fuiſſe patet: utrùm verò in Majore an Minore, dubium ait idem *Strabo*, (l. 12.) adeò confuſis earum regionum terminis. Urbem verò ejuſdem nominis terræ motu tradit everſam *Tantalo* regnante, (l. 1.) Filium habuit *Pelopem*, *Niobén*que natam, ex *Dione Atlantis*, ait *Hyginus.* (Fab. 82. 83.)

A.M. 2632.

Tantalus in *Phrygia* regnat.

Imperante *Ægialenſibus* & *Ephyræ* ſimul *Epopeo*, (quam *Buno* mortuo invaſerat,) exercitum ferunt hoſtilem *Ægialeam* invaſiſſe primùm, cùm à rege primo *Ægialeo* hucuſque, per annos ferè ſeptingentos, pacem perpetuam coluiſſent. Cauſa hæc belli traditur. Formæ habebatur celeberrimæ apud *Græcos* eâ tempeſtate filia *Nyctei*, jam *Thebani*, *Antiope. Aſopo* genitam ait *Homerus.* (*Odyſſ.* 11.) Hanc *Epopeüs*, ſive repulſus cùm peteret, ſive petulantiâ & libidine impulſus, rapuit. Poëtæ gravidam à *Jove* ſub forma Satyri factam eſſe fingebant, propter *Amphionis* qui ex ea natus eſt gloriam. A *Theoböonte* ſtupratam alii referunt: (*Zezes* 13. chil. 1.) profugiſſe verò ad *Epopeüm*, propter *Nyctei* patris minas, & eidem ſe tradidiſſe uxorem. Injuriam verò tantam armis vindicandam cenſuerunt *Thebani.* Adeſt cum exercitu *Nycteüs*, ut repetat filiam. Traditurum ſe negat *Epopeüs*, nec tergiverſatur experiri armis rem. Commiſſo prælio, duces utrinque ſaucii ſunt; *Ægialenſis* victor diſcedit. *Cadmeam* relatus *Nycteüs*, & ex vulnere jam moriturus, regni curam & regis *Labdaci Lyco* fratri commendavit. Sed in extremo ſolicitus de ultione, monuit, ut exercitu majore *Epopeüm* perſequeretur, & ipſam ſi capere poſſet *Antiopen* mulctaret malè. *Apollodorus* (lib. 3.) *Nycteüm* dolentem indignantémque ſibi ipſi manus intuliſſe narrat, commendatâ fratri ultione. Eum, *Sicyone* captâ, *Epopeüm* interemiſſe. Sed nos, ut inſtituimus, *Pauſaniam* ſequamur. *Epopeüs* pro victoria cùm ſacra peregiſſet diis, ſacris atque ludis eo nomine inſtitutis, *Minervæ* templum quoque poſuit. Quo abſoluto, deam comprecatus eſt, ut ſi grata illi eſſet ſua templi dedicatio, aliquo id ſigno indicaret. Oleum continuò ante fores templi profluxiſſe, fabuloſa tradidit antiquitas, cui libertas erat ſumma fingendi quidlibet de ſuis diis. Verùm & ipſe mox *Epopeüs* ex vulnere leviore, ſed curato negligentiùs, interiit. Ità juſto cœlorum judicio factum eſt, ut qui primi tot ſeculorum pacem armis violârant, ii ſuâ morte bellum à ſe motum luerent; quíque furias immiſerant in gentem quietam, ipſi furiis ſuis vel primi corriperentur. *Lamedon*, *Coracis* frater, imperio deinde potitus eſt annis 40: qui ſublatâ jam belli causâ, pacis rationem inire maluit. *Antiopen* verò, ejus incendii facem, ultro dedidit *Lyco*, ſed gravidam. *Thebas* dum rediret, in ipſa quæ ducit *Eleutheras* via, partu eam levatam ferunt. Haud procul enim ab *Eleutheris*, in *Cithærone* monte, fons quidam & ſpecus oſtentari ſolebant, quà *Eleuſine Thebas* iter fuit. In altero *Antiopen* expoſuiſſe narrabant quos pepererat gemellos; in altero paſtores qui ſuſtulerant infantes, faſciis exutos perluiſſe. Puerorum verò alteri *Amphion*, alteri *Zethis* nomen eſt datum. (*Pauſ. Attic.* & *Corinth.*) *Zethus* rei pecuariæ ſtudio ſe

A.M. 2634.

Ægialenſium poſt annos 700 bellum primum,

cum *Thebanis.*

Epopeo cæſo, *Lamedon Ægialeæ* rex,

totum

totum dedit: *Amphion* verò (quem à *Mercurio* lyrâ donatum ferunt) etiam Muſicam
A.M. excoluit. (*Apoll.* 3.) At *Lamedon*, ſuſcepto *Ægialenſium* regno, uxorem *Athenis* pe-
2634. tiit, *Pheno Clytii* filiam, quò ſuas augeret opes & ſtabiliret; unde filiam ſuſcepit *Zeuxippen.* (*Pauſ. Cor.*)

Refert *Pauſanias*, (in *Corinthiacis*) *Marathonem Epopeï* filium, ut patris iniquitatem fugeret, in maritimam *Atticæ* oram traduxiſſe coloniam, ubi oppidum atque Demum ſtatuiſſe videtur ſui nominis, tropæo *Miltiadis* poſtea celebrem, & *Theſeï* tauro. Eum verò, auditâ *Epopeï* morte, in Cherſoneſum ait rediviſſe, & filio *Corintho* dediſſe *Ephyram*, *Sicyoni* autem alteri *Aſopiam*. At *Sicyonem* aliis parentibus
Ephyræ Siſyphus; natum eſſe, ipſe alibi docet *Pauſanias*, de quo & alibi nos. *Siſyphúſque* videtur *Æoli* filius *Ephyram* tenuiſſe, antequam *Corinthi* eſt adepta nomen; ac proinde antequam in ea *Corinthus* aliquis dominatus eſt. Sic enim *Homerus*, (*Iliad.* ζ'.)

Ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο,
Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.

Eum igitur poſt mortem *Epopeï* occupaviſſe hanc urbem conſentaneum eſt, atque imperâſſe annis 50; vel paucioribus, ſi modò poſt *Corinthum* hoc affecutus imperium eſt. *Euſebius* quidem (in Chronicis) regnante *Cecrope* conditam ait *Corinthum*, quæ priùs *Ephyra* dicebatur.

Hippotes, *Mimantis* filius, *Æolidis* regno potitus defunćto patre, tenuiſſe videtur
A.M. 2635. annis 30.

[a] *Rhapſaces Ægyptiis* imperat annis 61, *Sethoſi* mortuo.

Hippotes Æolidis, poſt Mimanta. [b] § 3. *Strabo* (Geogr. 8.) *Aſopos* in *Græcia* fuiſſe quatuor fluvios docet. Ex iis duo nobiliores; alter qui *Thebas*, *Platæas* ac *Tanagram* præterfluit in *Bœotia*; alter in *Peloponneſo*, qui *Aſopiam* regionem à *Sicyonia* diſterminat. Credibile eſt, ut fluvios, ità viros ac reges fuiſſe ejuſdem nominis diverſos. Conjugem duxiſſe *Aſo-*
[a] 2638. *pus* fertur *Ladonis* filiam *Arcadis*. (Hic, opinor, *Peloponneſius*.) Ex ea liberos com-
[b] 2640. plures genuit; *Iſmenum* & *Pelagontem* filios, à quo bovem *Cadmus* dicitur mercatus viæ ſibi ducem. Natas verò ſuſcepit viginti, vix unius viri ſobolem. Filiarum
Aſopi plures, quorum filiæ 20. notiſſimæ uerunt hæ tres. 1. *Combe*, cognomento *Chalcis*, quæ centum pueros uno partu enixa eſt: unde proverbium, *Chalcidica peperit uxor.* Eadem *Eubœæ* urbi præcipuæ *Chalcidis* nomen dedit. 2. *Tanagra*, *Pœmandro* nupta, vitam adeò longævam egit, ut pro *Tanagra* vulgo *Græa*, id eſt, *Anus*, dićta ſit; quod ipſi etiam urbi nomen ad tempus adhæſit. 3. *Theſpia*, cui tria ferunt *Apollinem* dediſſe munera. Primum, ut ab ea civitas *Bœotiæ* clara, ad montem *Heliconem*, *Theſpiæ* vocaretur. Deinde, ut ejus eſſet in cœlo ſignum *Virginis*: quod alii tamen *Erigones* vel *Aſtrææ* potiùs fuiſſe volunt. Tertium, ut futuri præſcia vaticinari poſſet. Hæc & alia eleganter à *Papinio* deſcribuntur. (*Thebaïd.* 7.) *Iſmenus*, *Aſopi* filius, ad nominis ſui fluvium in *Bœotia* ſedem ſibi ſtatuit. (*Diod.* 4.)

Phryxo Athamantis filio Ino noverca inſidiatur. *Athamas Æoli* filius duxerat jampridem *Ino Cadmi*, ex qua filios *Learchum* ſuſceperat ac *Melicertam*. Fuerunt etiam *Athamanti* ex altera uxore *Nephele* duo liberi, *Phryxus* puer, & puella *Helle*. *Ino*, cùm eſſet duorum quoque filiorum ex *Athamante* parens, impio novercarum ingenio, privignos in ſuis ædibus animo iniquiore tulit; *Phryxum* præcipuè è medio tolli vehementer optavit. Id aſtutiâ muliebri potiùs quàm apertâ ſibi vi perficiendum rata, magnam eſt rem, víxque credibilem, aggreſſa; niſi odio novercali facinus magnum aut incredibile omnino eſſet nullum. Primarias totius viciniæ matronas in conſilium & auxilium vocat. Suadet ac perſuadet, ut triticum viris in ſementem non niſi toſtum priùs traderent, quò frugis omnem falleret ſpem. Magna indè rerum penuria, ex penuria fames, ex fame peſtilentia. Tantis malis remedium ab *Apolline Pythio* petendum cenſet *Ino*; faciléque omnes in ejus ſententiam eunt. Sed nunciis à ſe deſignatis ipſa priùs quàm irent reſponſum dedit, quod redeuntes redderent *Thebanis*; *Phryxi* ſanguine placandum eſſe *Jovem*; ità *Thebas* calamitate liberatas hâc fore. Sive *Athamas* invitus & coaćtus à populo conceſſit, ſive *Phryxus* ultro pro ſalute publica ſeſe obtulit, ad aram ſiſtitur jamjam immolandus: cùm nuncius ille *Delphicus*, tanti
Sed prodita fugit. ſceleris conſcientiâ, puerique innocentis miſeratione commotus, *Inûs* conſilia repentè prodit, vićtimámque cædi deſtinatam abſolvit. *Athamas*, ſcelere patefaćto, & *Ino* conjugem & filium *Melicertam Phryxo* necandos dediſſe fertur. At *Liberum* Patrem ſuam eripuiſſe nutricem fingunt. *Thebis* eam profugiſſe, *Athamantem* maritum

ritum deſeruiſſe, ipſo tam nefarii facinoſis pudore, aliquantò credibiliùs videtur aſſeri. *Athamas* ità deſertus ab uxore tam ſcelerata, novas alibi ſibi ſuiſque ſedes quæſiturus diſcedit. Eique tandem *Andreüs Peneï* filius *Laphyſtium Bœotiæ* montem agrúmque finitimum aſſignavit.

A.M. 2640.

§ 4. Poſt *Erichthonium* in *Dardania* filius, quem habuit unicum, *Tros* adeptus regnum, *Troada*, ſive *Trojam*, deinde voluit appellari. Hic ex conjuge ſua *Callirrhoë*, *Scamandri* filia, *Ganymedem* filium ſuſtulit, filiámque *Cleopatram*. Propter eximiam corporis formam, *Ganymedem* à *Jove* raptum, miniſtro aquilâ, fabulati ſunt Poëtæ, ut eſſet *Jovi* à poculis, *Hebe* repudiatâ. Sed, ut rectè *Marcus Tullius*, (*Tuſcul.* quæſt. 1.) *Non juſta cauſa cur Laomedonti* (*Troëm* voluit) *tanta fieret injuria.* Fingebat hæc *Homerus*, atque humana ad deos tranſtulit: divina mallem ad nos. Satìs caſtè quidem & purè *Natalis Comes* hanc fabulam, primâ fronte fœdiſſimam, interpretatur, *Xenophontem* ſecutus, (in Sympoſio,) *Ganymedem* ab Ἄγαν νυ & μῆδ@ ait compoſitum atque deductum; quæ voces *Conſilium* ſive *Prudentiam* ſignificant *intenſiſſimam*. Prudentiam verò animíque pulchritudinem Optimo Numini placere meritò & amari. Sed vereor equidem nè profundior hæc ſit exponendi ratio, quàm ut menti Veterum conveniat. Nam & verum habuit *Ganymedes* plagiarium, regem in *Phrygia* vicinum *Tantalum*; qui *Jovi* donâſſe prædam ſuam dicitur, *Cretenſium* regi ſcilicet, eò nave advectus cui erat inſigne Aquila. Sed & *Troëm* vi & armis filium dicunt repetiiſſe; quanquam rediiſſe, nuſquam traditur. Tandem verò patris fratríſque injurias ultum eſſe *Ilum* produnt, eum qui *Tantalum* regno expulit, *Pelopém*que fugavit in *Græciam*: utut *Pauſanias* & his fidem negat. At Scholiaſtes *Lycophronis* in eo ſcribit prælio cùm utrinque plurimi cecidiſſent, indè loco nomen *Peſſinunti* fuiſſe datum, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, *à cadendo.* Annis verò 49 *Tros* dicitur imperaviſſe.

A.M. 2641.

Erichthonio in Dardania ſuccedit *Tros*; cujus filius *Ganymedes* ob formam raptus.

Andreo defuncto ſucceſſit filius ejus *Eteocles*, *Andreïdis* rex. Hunc primum *Gratiis* tribus ſacra feciſſe *Bœoti* memorant: quibus verò nominibus, non tradunt. Duas jam antea *Lacedæmonii* conſecrârant. (*Pauſ. Bœot.*) Annis videtur *Eteocles* imperâſſe viginti.

Andreo Eteocles,

§ 5. *Abas Argivus*, poſt annos regni 23 fato ſuo functus, *Acriſio Prœtó*que filiis regnum, ſed & funeſtam de regno contentionem, reliquit. *Apollodorus* quidem *Acriſium* ait bello ſuperiorem, & primò imperium occupaviſſe, fratrémque *Argis* expuliſſe: ad cujus reſtitutionem (ſive accelerandam, ſive firmandam) *Cyclopes Cheirogaſteres*, quaſi *manu-ventres* dicti, (quippe qui ex arte victum ſibi quærerent,) è *Lycia* ſeptem ſunt accerſiti. At *Euſebius* (in Chronicis) *Prœtum* ait regnum inprimis intercepiſſe, ac ſeptemdecim tenuiſſe annis. *Euſebii* & nos hac in re ſequamur ductum.

A.M. 2649.

Abanti Argivo ſuccedit *Prœtus*.

In *Aſia* Minore fuerunt quondam duæ *Phrygiæ*, *Myſiæ*que duæ, ità confuſæ, ut certis limitibus diſtingui poſſent difficillimè. Minor *Phrygia Helleſponto* imminebat. In Majore *Midas* hoc tempore regnabat, opulentiſſimus, idémque avariſſimus princeps. Eum ab *Orpheo Juſtinus* ait (l. 11.) ſacrorum ſolennibus initiatum, impleviſſe *Phrygiam* religionibus. Duæ de *Mida* fabulæ maximè celebrantur. Prima, *Bacchum* dediſſe ei optionem, ut quodcunque vellet poſceret.

Midas in Phrygia regnat.

> *Ille, malè uſurus donis, ait, Effice quicquid*
> *Corpore contigero fulvum vertatur in aurum.*
> *Lætus abit, gaudétque malo Berecynthius heros*; (*Ovid.* Met. l. 11.)

donec cibum potúmque, tactum à ſe, in aurum ſenſit rigeſcere; mox deinde periturus, niſi (*Baccho* præcipiente) ſe in *Pactolo* abluiſſet. *Fulgentius* (Mytholog. l. 2.) hanc fabulam ità interpretatur: *Midam* theſauros per ſummam avaritiam & parſimoniam congeſtos (quâ victum ſibi neceſſarium negabat) in fluvium *Pactolum* profudiſſe, ut eum ad agros ſuos irrigandos variis flexibus derivaret. Altera de eodem narratur fabula, quòd, cùm ingens eſſet certamen inter *Pana* & *Apollinem* de Muſica tibiali & cithariſtica, *Tmolus* pro *Apolline* ſententiam tulit, uno minùs eam approbante *Midâ*, (tanquam aſino ad lyram,) præferentéque tibiam *Panis*. Ab *Apolline* igitur ipſe, quem damnaverat, damnatus eſt;

> *Induitúrque aures lentè-gradientis aſelli.* (*Ovid.* ibid.)

Hâc fabulâ monere Veteres voluerunt, aſininæ cujuſdam ſtupiditatis eſſe, de iis judicare

A.M. 2649.

quæ minùs intelligimus. Temerarium enim judicium (in rebus maximè Divinis) Divinum in nos judicium provocare. Ferunt *Silenum* à *Mida* rege captum, hoc ei muneris pro miſſione ſua dediſſe, regem ſcilicet docuiſſe, *Non naſci, longè optimum eſſe*; *proximum autem, quàm primùm mori.* (*Cicero Tuſc.*quæſt. 1.)

Bacchus Thebanus peregrinatur.

Hunc *Silenum* ferunt *Baccho* adhibitum puero pædagogum; qui, autor optimorum (ut ea ferebant tempora) ſtudiorum, multùm ei profuit ad virtutem & gloriam. Eundem poſtea in expeditionibus comitem habuit fideliſſimum atque conſiliarium. Quippe maturam ætatem cùm attigiſſet, peregrinatus fuiſſe dicitur & profectus in *Indiam Bacchus*, hoc eſt, in regionem Orientalem aliquam, *Syriam* præcipuè *Phœniciám*ve, avi ſui nimirum patriam. *Græcis* enim antiquis adeò ignota erat *India*, ante *Alexandri* Magni tempora, ut terris ferè omnibus ultra mare Mediterraneum commune fuerit *Indiæ* nomen. Nonnulla geſſit proculdubio temporibus illis glorioſa: præcipuè vineas conſerendi viníque conficiendi perfectam artem ità didicit, ut in *Græciam* eam retulerit, unà cum *Dionyſii Ægyptii* ſacris; unde magnam ſibi apud populum venerationem conciliavit.

A.M. 2650.

Epeüs regno *Elidis* poſt *Endymionem* fruitur.

§ 6. *Endymion Elidis* rex tres genuit filios, *Pæonem*, *Epeüm*, atque *Ætolum*: filiam verò unicam, *Eridicen.* Qua ex conjuge, ambiguum videtur; an ex *Aſterodia*, an ex *Hyperippe Arcadis*, an ex *Chromia Itoni* filia, an ex his omnibus, quod ſatis credibile. Quis enim filiorum ſibi ſuccederet capeſſerétque regnum, non aliquâ naturæ prærogativâ, ſed certamine curſûs in *Olympia* definiri voluit. Indè *Epeüs* diſceſſit victor, regnóque potitus eſt, patre vel mortuo, vel (ut volunt nonnulli) in *Latmum Cariæ* montem diſcedente. Illic enim ejus adytum oſtendebatur, in *Elide* ſepulchrum. *Apollodorus* (lib. 1.) *Seïdem*, aut *Neïdem*, vel *Iphianaſſam*, *Endymioni* uxorem tribuit; eúmque optione datâ petendi quod vellet à *Jove*, cum ſomno perpetuo juventutem immortalem poſtulâſſe. At fratrum alter *Pæon* ſuperatum ſe, fratrem regnare, admodum ægre tulit. Aliò igitur longéque profectus, ſuper *Axio* flumine *Macedonico*, regionem ubi conſedit *Pæoniam* de ſuo nomine appellavit. Alter etiam frater mox commigravit in *Ætoliam.* (*Pauſ.* Eliac. 1.) Annis 30 *Epeüs* dominatus eſt, populúmque ſuo nomine appellavit *Epeos.*

Athamas, cæſis ex *Themiſtone* liberis à matre,

Athamantem, ex nova uxore *Themiſtone* patrem, poſt annos aliquot certiorem factum refert *Hyginus*, (Fab. 4.) conjugem priorem *Ino* vivere, atque in *Parnaſſo* monte, inter *Mænadas*, *Bacchi* celebrare orgia. Miſit ergò qui adducerent ad ſe, datâ ſui amoris renovati fide: adductam verò quantâ potuit induſtriâ celabat. At *Themiſtonem* haud latebat, pulſam olim *Athamantis* domo conjugem adeſſe jam rivalem ſui thalami; ut ſuſpicax & perſpicax zelotypia eſt. Ea verò quænam eſſet, nondum didicerat. Etenim *Ino* quaſi captiva in regiis ædibus, & ſerva, nutricem agebat. Cùm timeret *Inonem*, etſi non cognoſceret, ſtatuit malè-ſana mulier ejus liberos *Learchum* & *Melicertam* ſuo dolori hoſtias immolare. Sed æquales ferè ſtaturâ ſuis cùm eſſent, quamvìs ætate paulò majores, nutricis, hoc eſt, *Inûs* ipſius ignotæ, vel precibus vel munuſculis tentavit fidem. Pueros omnes voluit ut ad ſe in obſcurum adduceret locum; ſuos quidem albis indutos veſtibus, alteros verò pullis, quò dignoſceret faciliùs. *Ino* ſuſpicata rem ut erat ex ingenio ſuo, adduxit quidem ut erat mandatum; ſed, contrà quàm optavit inimica, ejus filios nigris veſtibus opertos, ſuos verò candidis. Suos itaque liberos *Themiſto* atratos novercali furore cùm trucidâſſet, ídque reſciviſſet mox, ſemet inſuper victimam facinoroſa mulier manibus obtulit ſuorum. Sive hujus cladis dolore, ſive alia de cauſa, inſaniæ ſtimulis incitatus *Athamas*, ſuum ipſe filium quoque majorem natu ex *Ino*, *Learchum*, ſagittis inter venandum pro fera confecit. Id conſpicata mater *Ino*, cum filio minore *Melicerta* profugit incitato curſu ad marinum littus, ubi ſe, natúmque, in aquas præcipitem dedit. Puerum à Delphine acceptum, cùm in *Corinthiorum* iſthmum fuiſſet expoſitus, patruus fortè invenit *Siſyphus*, & humavit. (*Pauſ. Corinth.*) Matris cadaver *Megarenſes*, ad maritimam oram ſui agri ejectum, *Cleſonis* filias regis, *Cleſo* & *Tauropolin*, tumulaviſſe prædicabant; ac ſe propterea quotannis rem ei divinam facere. (*Pauſ. Attic.*) *Thebani* ut *Bacchum* ipſum, ità & *Bacchidem* hanc inter deos cum filio ſuo retulerunt; *Libero* (ut ferunt) id volente, jubentéque, ut illam *Leucotheam* appellarent, à *ſpuma maris*, (ait *Zezes* ad *Lycophron.*) hunc *Palæmonem.* Illam *Latini* Matrem *Matutam*, hunc *Portunum* vocabant, quòd portubus præeſſe crederetur.

inſanit, filiúmque *Learchum* ex *Ino* ſagittis conficit. Alterum, *Melicertam*, *Ino* ſecum præcipitat in mare.

Cinyras Cypri rex

§ 7. *Cinyras*, *Sandoci* filius, (*Hyginus* ait *Paphi*, Fab. 242. & 270.) *Aſtynoï* nepos, pronepos *Phaëtontis*, regnum *Cypri* poſt ſocerum *Pygmalionem* & *Aſſyriæ* ſimul

adeptus

adeptus eſt. Niſi pro *Syriâ*, quæ propinqua *Cypro* eſt, errore quodam *Aſſyria*, quæ longiùs remota, neque ſatis cognita veteribus *Græcis*, nominetur. Hæc enim regionum diverſarum nomina ſæpius apud Scriptores *Græcos* atque *Latinos* confuſa reperiuntur: etſi nemo ferè ſit, qui *Cinyram* non *Aſſyriæ* regem prædicet. *A.M. 2650.*

Clemens Alexandrin. (in Protrept.) *Cinyram* ait, cùm famoſam inſulæ ſuæ meretricem facere deam vehementer optaret, flagitioſa *Veneris* Orgia ex tenebris auſum eſſe in lucem atque diem producere. Ille igitur feſtum *Aphrodiſia* ſuæ *Veneri* & Initia inſtituit. Qui autem his initiabantur ſacris, ſtipe unius aſſis oblatâ ut meretrici, pugillo ſalis & phallo donabantur. His qui præfectus erat ſacris, eum Ἀγήτορα vocabant; unúmque ſemper è *Cinyræ* poſteris oportebat eſſe. (*Heſych.*) Ab altera *Papho*, quæ *Agapenoris* dicebatur, ad veterem *Cinyræ*, quæ 60 ſtadiis aderat, pompam in *Aphrodiſiis* deducere viri fœminæque ſolebant confluentes aliunde. meretricem habet pro dea,

Jam verò *Cinyras*, qui meretricem habuit pro dea, ſuam ipſe filiam habuit pro meretrice. Ità Optimo Deo nonnunquam libet impietatem impietate ulciſci, ſcelere ſcelus. (*Rom.* 1.21, &c.) Erat ei, præter ignobiliores in *Ægypto* tres, *Myrrha* etiam filia; ſed & ea magìs famoſa quàm nobilis. *Smyrnam Hyginus* appellat; & *Thoantis* filiam *Panyaſis* ait fuiſſe, regis *Aſſyriorum* quoque, ejuſdémque filium *Adonin.* (*Apollod.* 3.) Scelerum licentia publica ad facinus quodvis perpetrandum animos facit. Vulgaris omnium apud *Cyprios* laſcivia & impudicitia, ſui præcipuè patris, (maximè enim filiam ſuam pro meretrice,

Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica——)

Myrrham quoque ad amorem ſui patris nefarium pellexit, potiundæque libidinis lactavit improbâ ſpe. Quippe *Cinyram Hyginus* (Fab. 270.) virum fuiſſe formoſiſſimum ſcribit. Quàm intemperanter autem laſcivierit, ex eo conſtat, quòd meretricem coluerit pro dea. Cùm verò ſciret filia, quantum inceſtus crimen vel apud *Cyprios* haberetur, omnéſque gentes quibus non erat extincta humanitatis nativæ lux; credibile videtur, eam inprimis aliquantulùm obluctatam fuiſſe libidini ſuæ. Quam ſanæ mentis pudoríſque luctam adverſus turpitudinem atque furorem, etiam in hominibus olim profanis, elegantiſſimis etiam profanus Poëta verſibus depingit, (Metam. l. 10. fab. 9.)

Illa quidem ſentit, fœdóque repugnat amori;
Et ſecum, Quò mente feror? quid molior? inquit. &c.

Sed cùm fruſtrà luctaretur,

——*Poſtquam ratione furorem Vincere non poterat,*

omni abjectâ ſpe, ad reſtim denique rediiſſet res, niſi vetulæ nutricis auxilio tandem adhibito, patréque inebriato, voti fuiſſet compos nequiſſimi facta. Cùm id pater ignarus, poſt noctium duodecim ſcelera, tandem advertiſſet, furore amens gladium arripuit, quo non jam filiam, ſed meretricem & adulteram, confoderet. At illa protinus exiliit domo, & in ſylvas próripuit ſe, quibus ea referta eſt inſula: ubi cùm lateret, pudibundáque frondibus ora protegeret, ideo in arborem Poëtæ ſui nominis mutatam fabulati ſunt. Ex eo concubitu *Adonin Cyprii* natum ferebant; de quo eadem penè commenti ſunt *Græci*, quæ *Byblienſes* de *Adonide* ſuo in *Phœnicia.* (*Apollod.* 3.) *Cinyras* pudore facti doloréque tanto correptus eſt, ut quam filiæ fugienti non potuerat, ſibi ipſi demens intulerit necem. (*Hygin.* Fab. 242.) Alii tamen centum & ſexaginta vixiſſe annos referunt. (*Plin.* 7.48.) In templo *Veneris* à ſe condito ſepultus eſt. (*Euſeb.* Præpar. 2.6.) Atque hoc ſuo *Venus* cultori præmium, eâ pietate digniſſimum, reddidit, ut ſuam ipſe filiam ſtupraret, ac trucidaret ſe.

§ 8. Hoc anno videtur *Thebas* rediviſſe *Bacchus*, tertio poſtquam profectus eſt, & elephanto vectus in urbem, quaſi triumphans, magnam ſui opinionem excitâſſe: unde feſta ejus *Trieterica* poſtmodum inſtituta ſunt, tertio quoque anno celebranda. Vites credibile eſt habuiſſe priùs *Græciam.* Cùm autem à *Baccho* vinum exprimere didiciſſent, potum ſuavitate perplacentem, aliíſque omnibus longè præſtantiorem, quo hilaritatem & remiſſionem animorum, curarúmque oblivionem ad tempus & ſolicitudinum conſequebantur, imò & magnanimitatem quandam & fortitudinem inſolitam; vulgus beneficium hoc plurimi facere, ſummis laudibus extol- *A.M. 2651.* *Baccho Thebas redeunti anno tertio, populus favet;*

A.M. 2651. principes cum rege adverſantur: tollere autorem ac prædicare. At principes, maximè omnium *Pentheüs*, *Cadmi* ex *Agave* nepos, cujus maxima erat apud regem *Labdacum* autoritas, omnibus viribus *Bacchi* obſtiterunt inceptis: ſive quòd inventi gloriam gratiſſimi vulgo invidebant; ſive juſto metu ſoliciti, nè, conciliatâ ſibi populi gratiâ, novas res moliretur, aut inſano illo inebriantéque potu cives dementaret, ac civitatem peſſundaret. Ad ſummam contentionem videtur deveniſſe res. A *Pentheo* rex atque ſobrii ſenes ſtabant; ab altera parte populus ferè univerſus.

A.M. 2652. Neque vinum ſolummodo *Bacchus* invenit, quod planè divinum *Græcis*, & numinis alicujus beneficium videbatur, ſed (teſte *Diodor. Sicul.* ſub finem lib. 3.) operæ multum in Orgia & Initia contulit; ac vetuſti cujuſdam *Liberi* ſacra, quæ partim correxit, de novo partim eſt commentus. At veteris memoriâ tandem obliteratâ ex animis hominum, ejus ipſe cultûs atque gloriæ poſſeſſionem occupavit. Cum exercitu etiam peragrabat *Græciam*, aliáſque regiones, (quod ab *Oſiride* factum fortaſſe didicerat,) ut alios inventi ſui participes faceret, atque ſacrorum. Ubi autem ſolum non erat vitium capax, ex hordeo docebat potum conficere. In exercitu habuit, non modò virorum, ſed & fœminarum agmina thyrſis armata. *Mænadas* vocabant, à furore, & *Bacchas*; *Lenas* quoque, & *Mimallones*. *Thyiæ*, ſive *Thyades*, propriè appellabantur *Atticæ* fœminæ, quæ in *Parnaſſum* quotannis venientes, unà cum *Delphicis* mulieribus, arcana *Libero* Patri agitabant ſacra: quo ſacerdotio ac munere *Thyia* quædem inprimis functa eſt, *Caſtalii* filia. (*Pauſ. Phoc.*) Addunt Poëtæ, Muſas atque Satyros comites habuiſſe *Bacchum*; hoc eſt, cantibus, opinor, perſtrepuiſſe omnia & ſaltationibus laſcivis. In bello armis & Pantherarum exuviis inſtructum ferunt; in pace feſtis, choreis atque conviviis indulſiſſe: veſtes floridas geſſiſſe ac molles, hominem tenero ac delicato corpore, ſed formâ venuſtiſſimâ, & in voluptates Venereas maximè propenſum: mitrâ caput redimitum, ad reprimendos ex nimio vini potu dolores. Et ferulas aiunt inſtituiſſe, nè, incaleſcentes vino, baculis fuſtibúſque mutuò cæderent ac ſauciarent ſe; quod inprimis fecerant. (*Diod. Sic.* lib. 4.) *Thebis* jam apud vulgus hominum tantùm non pro deo habebatur, fruſtrà *Pentheo Labdacó*que repugnantibus. Quare videtur non potuiſſe *Pentheüs* continere ſe, impotens iræ, quin prodiret in publicum, objicerétque ſe inſanienti (ut putabat) populo in monte *Cithærone*; ubi his eum aut hujuſmodi verbis increpavit. (Liceat mihi *Ovidianas* elegantias adhibere, ſatìs quidem probabiles, Metam. 3. fab. 7.) *è quibus Pentheüs*

Quis furor, Anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Pentheus ait. Ærâne tantum
Ære repulſa valent, & adunco tibia cornu,
Et magicæ fraudes, ut quos non bellicus enſis,
Non tuba terruerit, non ſtrictis agmina telis,
Fœmineæ voces, & mota inſania vino,
Obſcœnique greges, & inania tympana vincant? &c.
Quin patrium retinete decus, &c.

à Bacchis laceratur; Plura dicturum invadunt *Mænades*, primámque vim ſua mater in filium *Agave* & matertera *Ino* faciunt: deinde

——————*Ruit omnis in unum*
Turba furens; cunctæ coëunt, trepidúmque ſequuntur;
Jam trepidum, jam verba minùs violenta loquentem,
Jam ſe damnantem, jam ſe peccâſſe fatentem. &c.
Non citiùs frondes Autumni frigore tactas,
Jâmque malè hærentes, altâ rapit arbore ventus,
Quàm ſunt membra viri manibus direpta nefandis.

& Labdacus perit rex, *Laio* infante ſuccedente. In eadem cauſa & *Labdacum* regem interiiſſe narrat *Apollodorus*, (lib. 3.) In *Bæotia* igitur *Bacchus*, ut patriæ ſuæ gratiam referret, civitates omnes liberas eſſe juſſit: & ad ejus beneficii memoriam, *Eleutheras* urbem condidit, quod *Græcè* nomen *Libertatem* ſignificat. At eo abſente, obeuntéque longinquas expeditiones, *Laius*, infans anniculus, in regno patri ſubſtitutus eſt; ídque *Lycus* iterum procuravit, jure Tutoris. (*Apollod.* ibid.)

§ 9. Sum-

§ 9. Summo ſacerdotio apud *Iſraëlitas*, *Phineâ* mortuo, filius ejuſdem *Abiſhua* (1 *Chronic.*6.4.) functus videtur; poſt *Abiſhuam* patrem *Bucci*; (1 *Chronic.*6.5.) poſt *Buccin*, *Uzzi*; deinde *Zerahia*, & *Meraiothus* fortaſſe. Verùm aut hunc, aut ejus filium *Amariam*, *Zadoci* avum, Pontificatu excluſum ab *Eli* conſtat, vel propter ætatis imbecillitatem, aliámve ob cauſam. Ità Summi ſacerdotii dignitas, ab *Eleazaro* & *Phinea*, in *Ithamaris* natu minoris familiam ad tempus traducta eſt. *A.M.* 2652. Summi apud *Iſraëlitas* ſacerdotes uſque ad *Helin.*

§ 10. *Erechtheüs Athenienſium* rex cum *Eleuſiniis* fortè bellum gerebat, urbe *Attica*, & *Athenis* propinqua. *Erechtheo* aderant armorum ſocii, *Xuthus* gener, & nepos *Ion*, fortiſſimus vir. *Eleuſiniis* opitulatum advenerat *Eumolpus Thrax*, de quo iſta narrat *Apollodorus*: (lib. 3.) Eum ex *Chione*, quam *Boreæ* filiam diximus, ſtupro genitum à *Neptuno*; & à matre abjectum in mare ut primùm natus eſt, formidante patris iracundiam. Ità puer *Neptuno* quaſi patri ſuo redditus, qui *Bentheſicymæ* filiæ ſuæ in *Æthiopia* & uxori *Amphitritæ* nutriendum commendavit: hoc eſt, clàm infantem pater vitio natum, in longinquam regionem deportavit ad nutricem. Sed ignotos *Eumolpi* parentes facilè credimus, quos propterea *Homerus* præter morem ſuum reticet, ubi *Eumolpum* ipſum viri præſtantis laude cohoneſtat. *Eumolpi* genus, qui *Eleuſiniis* auxiliatus eſt

Ad *Erechtheüm* ut redeamus: Oraculum ille de hoc bello & victoria conſuluerat; reſponderátque *Pythia*, eum rem præclarè ac feliciter geſturum, ſi filiarum unam pro victima immolaret *Neptuno*. Maximam apud *Stobæum* legimus, (Serm. 38.) quæ *Proſerpina* dicebatur: minimam ait *Apollodorus*. *Otioniam* vocat *Hyginus*, (Fab. 46.) alibi *Colophoniam*, (Fab. 238.) *Chthoniam*, opinor, utrobique vult, veram *Erechtheï* quidem filiam, at non virginem, ſed uxorem *Butæ*. Quippe mendoſum & mendacem *Hyginum* eſſe conſtat. Cùm ergò unam obtuliſſet, reliquæ ſorores quæ adhuc virgines erant domi, aut præcipitio, aut laqueo, aut aliâ aliquâ vi interemerunt ſe. Sic enim inter eas jam antea convenerat, ubi primùm acceperunt inhumanam oraculi ſortem, ut, mactatâ unâ, interirent omnes. Duæ nominantur à *Suida*, *Protogenéa* & *Pandora*, natu maximæ, quæ ſe immolandas pro republ. tradiderunt; ídque in pago cui nomen *Hyacinthus*, unde virgines *Hyacinthides* vocatæ ſunt, & honoris ergò Virgines κατ' ἐξοχὴν. Denique, ob eam ipſam cauſam, quòd patriæ filias pater devoviſſet, *Erechtheüs Athenis* filiæque ejus in numero deorum fuerunt. (*Cicer.* de Nat. deor. 3.) Habuítque delubrum *Erechtheüs* & ſacerdotem: in arce delubrum, quod *Erechthéon* dicebatur. Nam in primo introitu *Erechtheï* tres occurrebant aræ, ut *Pauſanias* habet in *Atticis*: una quidem *Neptuni*, ubi & *Erechtheo* ſacra faciebant ex oraculo; unde *Neptunus* cognomento *Erechtheüs* dicebatur: ara altera herois *Butæ*, *Vulcani* tertia. Commiſsâ poſt virginis immolationem pugnâ, *Eumolpus* ab *Erechtheo* victus atque interemptus eſt. Ità quidem *Apollodorus* narrat, (lib. 3.) At *Pauſaniâ* (in *Atticis*) autore, *Immaradum Eumolpi* filium *Erechtheüs* interfecit, ipſéque mox interfectus eſt. Sed *Erechtheüm* à *Neptuno* ſublatum unà cum domo ſcribit *Apollodorus*, hoc eſt, aquis abſorptum: fulmine trajectum à *Jove Hyginus*, (Fab. 46.) *Neptuni* gratiâ; eò quòd *Eumolpum Neptuni* filium intereміſſet. His tandem legibus poſita fuerunt arma, ut *Eleuſinii* ſe ſuáque omnia in *Athenienſium* poteſtatem traderent; Initia tantùm ſacráque *Cereris* & *Proſerpinæ* retinerent ſibi: ea verò *Eumolpus*, ſeu potiùs *Eumolpidæ*, *Celeï*que filiæ, *Diogenéa*, *Pammerope* & *Cæſara*, procurarent. contra *Erechtheum Athenienſem*; cujus immolatæ filiæ: ipſóque interfecto, *Athenienſes* victores

Poſt *Erechtheüm*, natu maximus filiorum *Cecrops* regno potitus eſt. Alter hic *Cecrops* alterum *Pandionem* ex *Metiaduſa Eupalami* filia genuit, annísque imperavit 40. Tradit *Pauſanias*, (in *Achaïcis*) *Erechtheï* filiis contentionem de regno fuiſſe, *Xuthi*que arbitrio permiſſam rem: eum *Cecropi* ſceptrum maximo natu tradidiſſe: à reliquis propterea fratribus pulſum *Atticæ* finibus, in *Ægialea* vitæ reliquum tranſegiſſe. At *Ion*, *Xuthi* filius, poſt hanc de *Eumolpo* victoriam, tantam eſt *Athenis* conſecutus gloriam, (ait *Strabo* lib. 8.) ut eum reipub. præfecerint; hoc eſt, (opinor) ſummam ei autoritatem, haud minorem fortaſſe quàm ipſi regi, detulerint. Nec enim poterant eum regem creare; quo in munere ſuffectum eſſe patri *Cecropem* conſtat. Sed in moderanda republica plurimum potuit, ejúſque nutu adminiſtrabantur omnia. Is itaque primùm in quatuor tribus multitudinem diſtribuit: (Ità quidem *Strabo*:) vel potiùs, quatuor tribubus, à *Cecrope* jampridem inſtitutis, nomina impoſuit nova; ut *Teleontes*, *Hopletæ*, *Ægicores*, *Ergades* vocarentur, à filiorum ſuorum nominibus: (*Herod.*5.) quæ primo *Cecropi*, *Cecropis*, *Indigena*, *Actæa*, *Maritima* dicebantur; *Cranao* regi, *Cranaïs*, *Atthis*, *Mediterranea*, *Montana*; denique *Jovia*, *Mi*- *Cecropem* 2. ſibi regem ſuffecerunt: *Ionis* tamen ſumma autoritas,

A.M. 2652.

Minervia, *Neptunia*, & *Vulcania*, *Erichthonio*. (*Pollux* 8. cap. 9. ſect. 31.) Deinde, in totidem vitæ genera, in Opifices, Agricolas, Sacerdotes, Cuſtodéſque, populum partitus eſt. (*Strab.* 8.) Aliáque multa conſtituiſſe perhibetur, & ipſi demum regioni reliquiſſe nomen, ut ab eo *Attica Ionia* diceretur. Sic enim à multis traditur. At hoc mihi videtur minùs credibile, hominem paterno genere alienum & peregrinum, ei regioni reliquiſſe nomen, quam ipſe reliquerit ut aliò proficiſceretur. *Ion* potiùs & credibiliùs coloniæ magnæ dux in *Apiam* eſt profectus, ubi Borealem peninſulæ partem occupavit, quam *Ægialeam* vocabant, ſuóſque in civitates duodecim diſtribuit. Narrat *Pauſanias*, (in *Achaïcis*) cùm bellum *Ægialenſibus* inferret *Ion*, *Selinuntem* ei regem per legatos unicam filiam deſpondiſſe *Helicen*, filiúmque ipſum & hæredem adoptâſſe. Regni ergò votíque ſui compos ſine bello, arma depoſuit, conjugem accepit, urbem de ejus nomine *Helicen* conſtruxit, de ſuo denique populum *Ionas* appellavit, *Ioniám*que regionem.

qui coloniam in *Ægialeam* deducit, *Ioniám*que vocat.

A.M. 2655.

§ 11. *Salmoneüs Æoli* filius, urbis in *Elide* cognominis rex, cùm in deos impius haberetur, & ſubditis inviſus, à *Jove* tandem fulmine trajectus dicitur. (*Diod. Sic.* 4.) *Apollodorus* (lib. 1.) eum ſcribit pro *Jove* haberi ſe voluiſſe deum, eadémque poſtulaviſſe ut ſibi ſacra immolarentur; pelves autem è curru ſuſpenſos in quadriga cum æneis lebetibus agitando, tonitrua eſſe imitatum; ardentes verò faces jaculando in cœlum, fulgura. *Servius*, in ponte æneo quadrigam agitando, tonitrua ſimulâſſe narrat: per machinam fulgurâſſe, tonuiſſe, ac ſubditorum animos conturbâſſe, *Suidas*. Quare *Jupiter* vero ictum fulmine confecit, ipſámque urbem extinctis civibus devaſtavit. Imò ſedens in curru, eo ipſo tempore dum tonitrua mentiebatur, facéſque jactabat ardentes in populum, dirâ face fulminis ipſe cum curru conflagravit. (*Hygin.* Fab. 61. & 250.) Quare hominem impium apud inferos etiam dediſſe pœnas fingunt. (*Virgil. Æneïd.* 6.)

Salmoneüs impius fulmine ictus.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & tonitrus imitatur Olympi. &c.

Cretheüs deinde, *Salmoneï* frater genérque, *Salmoneam* reliquit, & in *Æolidem* patriam remeavit, ubi condidit *Iolcum* in *Magneſia*, maritimam civitatem; quæ diu floruit, ſeditionibus tandem afflicta eſt. (*Strab.* lib. 9.) Reliquos præter *Neleüm* filios itineris comites habuit, magnámque populi traduxit manum. *Salmoneam Neleüs* tenuit vel incolumem, vel inſtauratam. (*Diod. Sic.* 4.)

Argalus moriens regnum *Spartanum* filio *Cynortæ* tradidit, qui tenuiſſe videtur annis 50, nullâ memorabili geſtâ re.

A.M. 2660.

Luciferum ex *Thracinia* genuiſſe filios tradunt Poëtæ *Dædalionem* atque *Ceycem*, diverſis planè ſtudiis deditos, etſi parentibus iiſdem natos. *Dædalionis* filia *Chione* (*Philenin* alii vocant) gemellos etiam peperiſſe dicitur, *Philammonem* & *Autolycum*, non minùs diſſimile par: illum ex *Apolline*, (ut fabulantur Poëtæ,) hunc ex *Mercurio*, qui eâdem eandem nocte ambo conſtuprârant. Ficti à Poëtis diverſi genitores, propter diverſa fratrum ſtudia. *Chionem*, aliquo morbo extinctam, ſagittis confoſſam à *Diana* commenti ſunt, quòd eſſet in eam locuta ſuperbiùs: quam pater *Dædalion*, contra hoſtes fortior quàm dolores, dum intemperantiùs deflet, de alta *Parnaſſi* rupe præcipitat ſe. Mutatum ab *Apolline* in accipitrem fabulantur, avem prædatricem, quoniam ipſe dum vixerat

Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus. (*Ovid.* Met. 11. 8. *Hyg.* Fab. 200.)

Autolycus fur

Siſypho Corinthi vicinus erat in *Parnaſſo Autolycus*: qui cùm furari ſoleret, atque vicini boves auferre, tamen eâ id arte fecit, ut deprehendi non poſſet. Senſit quidem *Siſyphus Autolyci* armentum indies augeri, diminui ſuum; quo tamen id pacto fieret, minimè ſenſit. Verùm, (ut aiunt) *cum vulpe vulpinarier oportet*. *Siſyphus* non minùs ipſe verſutus ac fraudulentus, ungulis pecorum ſuorum ſecretam impreſſit notam; quo & furtum manifeſtè arguit, ſuáque omnia quæ amiſerat ab *Autolyco* recepit. (*Hygin.* Fab. 201.) Dum in ædibus *Autolyci* hærebat *Siſyphus*, donec pecora omnia furto ablata redderentur, *Anticléam* hoſpitis natam, aut ſtupravit, (ut *Hyginus*,) aut oblatam à patre propter ingeniorum affinitatem accepit uxorem; unde complures liberos, filiámque nominis materni ſuſtulit *Anticléam*, *Laërtæ* poſtea nuptam, atque matrem *Ulyſſis*. Ità *Natalis Comes* in *Siſypho*. Erant etiam *Siſypho* ex *Merope Atlantis* liberi prognati, *Glaucus*, & *Creon*. *Glaucus* cùm equas aleret

à *Siſypho* deprehenſus: cujus *Glaucus* filius ab equis diſcerptus eſt.

ret humanis carnibus, ipſe ab iiſdem (furore Venereo correptis) in ipſo curriculo diſcerptus ac devoratus perhibetur. (*Hygin.* Fab. 250.) *A.M.* 2660.

§ 12. *Boreas Thrax*, *Ciconúm*que rex, (ut *Ovidius* prodit Metam. 6. fab. 9.) *Strymonis* erat filius, qui fluvio nomen dedit. Hic, ut cum vento Septentrionali (apud Poëtas) commune nomen habuit, ità geſta ferè confuſa omnia. Is filios duos ex totidem uxoribus genuit, *Lycurgum*, atque *Buten*. *Butes* minor, ſive regni ambitione, ſive aliâ inimicitiarum causâ, ex inſidiis *Lycurgum* de medio tollere conatus eſt. Propter quem conatum in exſilium actus cum claſſe à patre, *Strongylen* inſulam occupavit, raptíſque mulieribus orgia *Bacchi* celebrantibus, (quarum uni *Coronidi* ipſe *Butes* vim intulerat,) tantâ illico inſaniâ affectus eſt, ut in puteum ſe profundum abjeciſſe dicatur, ac miſerrimè periiſſe. Ità ſcelerum pœnas prædonum dux ipſe primus dedit. Porrò *Otus* & *Ephialtes*, (qui omnium hominum, præter unum *Orionem*, tam maximos quàm pulcherrimos fuiſſe perhibentur,) filii regis *Aloëi*, qui tum regnabat in *Bœotia*, *Strongylen* inſulam adoriuntur, *Thraces* prælio profligant, novámque expugnant civitatem. Ità imperium inſulæ nacti, novo *Diam* nomine appellârunt. Neque verò diuturnum hoc fratribus imperium fuit. Ortâ enim inter duces diſcordiâ, prælio rem decernere viſum eſt; in quo & plurimos interfecerunt alios, & ipſi mutuâ cæde occubuerunt.

Butes, *Boreæ* filius, in exſilium actus, *Diam* inſulam occupavit, captam dein ab *Oto* & *Ephialte*, qui ſe invicem confecerunt.

Interea pater *Butæ Boreas* novas ambit nuptias, unde ſobolem ſibi generet novam, quæ *Butæ* redimat jacturam. *Orithyam*, *Erechthei Athenienſis* filiam, cùm precibus impetrare non poſſet, ad fluvium *Iliſſum* flores colligentem, agentémve choreas, apertâ vi rapuit, ſuámque in patriam deportavit. *Athenienſes* poſtea, propter has nuptias, *Boream* ventum pro affine ſibi habuerunt; & propitium aliquando expertum, pro deo. Per ejus nomen jurabant, feſtóque & ſacris anniverſariis afflatum ejus deprecabantur, atque *Notum* ut ſpirare ſineret obſecrabant. Βορεασμὸς feſtum ejus dicebatur. (*Herodot.* 7.)

Boreas ipſe *Orithyam* rapit.

§ 13. In regno *Meſſenio*, cùm ex poſteris *Polycaonis* nullus jam ſupereſſet, *Perieres Æoli* filius ad imperium moderandum eſt accerſitus, ætatibus quinque *Polycaone* poſterior. Quinam reges interea *Meſſeniis* præfuerint, nuſquam traditur. Imperâſſe videtur *Perieres* annis 50; & poſt *Perſei* reditum in *Græciam*, ejus filiam duxiſſe *Gorgophonen*. *Piſum* ferunt, filium *Perieris*, urbem in *Elide Piſam* condidiſſe. (*Pauſ. Eliac.* 2.) *A.M.* 2661.

Regnum *Meſſeniæ Perieres*,

Cùm *Eteocles* obiiſſet ſine liberis, *Phlegyas* arripuit *Andreïdis* imperium, anníſque tenuit fortaſſe 25. *Phlegyas* è *Chryſe* natus *Martem* habuiſſe patrem dicitur, vir planè bellicoſus. *Phlegyantis* deinde regio dicta eſt (quæ *Andreïs* priùs) à rege novo; *Phlegyâ*que urbe conditâ, fortiſſimos quoſque viros ex univerſa *Græcia* in urbem ſuam conciliavit. Paucos poſt annos, eò provecti ſunt audaciæ, ut ex locis finitimis prædas agere, & latrociniis graſſari cœperint. Nec ſuos veriti deos, ipſum *Apollinis Delphici* rapinis templum ſpoliaverunt. Id factum à *Phlegya* commenti ſunt Poëtæ, ut ſtuprum latrocinio ulciſceretur, eò quòd filiam ejus *Coronidem* vitiâſſe *Phœbus* crederetur. *Philammon*, religionis *Græcanicæ* magnus antiſtes, *Phœbi*que filius, tantum ſacrilegium nullo modo tolerandum ratus, *Argivorum* lectâ manu, *Delphis* opitulari conatus eſt. Sed & ipſe in prælio, & ex militibus præſtantiſſimi quique ceciderunt. (*Pauſ. Bœot.*) *Phlegyarum* tandem propè omne genus crebris fulminibus & terræmotibus deletum fuiſſe traditur. Reliquos peſtis abſtulit, niſi quos paucos admodum fuga in *Phocidem* his malis eripuit. Ipſe *Phlegyas* apud inferos ad ſupplicia damnatur à Poëtis; ubi

regnum *Andreïdis Phlegyas* occupat;

———————miſerrimus omnes
Admonet, & magnâ teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Amphion & *Zethus*, *Antiopes* filii, nepotes *Nyctei*, qui *Eutreſin* hactenus habitaverant, exiguum in agro *Theſpienſi* vicum, collectâ militum manu, *Thebaïdem* invadunt, & *Lycum* ſibi cum exercitû occurrentem fuderunt prælio. Iidem regno deinde potiti annis 50, oppidum inferius cum *Cadmea* conjunctum muniverunt, portáſque 7 aperuerunt in mœnibus; unde *Thebæ Heptapylæ* ſunt dictæ. Saxa mœnium ſubſecuta eſſe *Amphionis* lyram, Poëtæ fingunt; nihil aliud volentes, niſi ſuavi & ornatâ oratione delinitos, homines eum agreſtes atque duros emolliviſſe, ac in unam urbis ſocietatem perduxiſſe. Quamvìs & ipsâ Muſicâ *Amphion* clarus habebatur, cui ſe ſtudio *A.M.* 2662.

Amphion & *Zethus* *Cadmeam*, ſive *Thebas*.

A.M. 2662.

ſtudio plurimùm dedit. *Zethus* deinde *Theben* duxit *Aſopi* filiam, cujus in urbem tranſiit nomen. *Amphion* verò *Nioben* uxorem duxit, *Aëdonem Zethus*. Cùm autem *Niobes Aëdon* fœcunditatem invideret, ipſa unici filii parens, *Amaleüm*, natu maximum ex filiis *Amphionis*, noctu interficere conata eſt. Sed, (ut veriſſimè ait Poëta,)

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων,)

loco *Amalei* per tenebras ſuum fortè interemit *Hylum*: cúmque nimio dolore contabeſceret, ex muliere in luſciniam tranſiiſſe dicitur. (*Homer. Odyſ.* 19.)

A.M. 2665.

Æolus ſecundus in *Æolide* regnat; *Lycaſtus* in *Creta*.

§ 14. *Æolus Hippotæ* filius videtur poſt patrem *Æolidis* regnum tenuiſſe in *Theſſalia* 40 ferè annis. (*Diod. Sic.* 4.)

Lycaſtus etiam, primi *Minois* filius, in *Creta*, mortuo patre, annis 50 regnavit. Eum ex *Laodamia Bellerophontis* filia primum *Sarpedonem* genuiſſe, (quem Poëtæ *Jovi* tribuunt,) credibilius mihi videtur. Idem ex *Ida Eurybantis* alterum ſuſtulit *Minoa*, *Sarpedone* majorem; (*Diod. Sic.* 4. 6.) & *Rhamanthum*, puto, ex eadem.

Cëyx & ejus uxor ob ſuperbiam pereunt.

Cëycem Trachiniorum regem, *Halcyones Æolidis* maritum, unà cum uxore ſua, in perniciem gravem ſuperbiâ ſuâ & arrogantiâ præcipitatos ferunt. Ille *Junonem* ſibi uxorem, hæc autem ſibi virum *Jovem* prædicabat. (*Apollod.* 1.) Ille dum, conſcensâ nave, ad oraculum pergit conſulendum *Delphicum*, miſerrimè naufragio periiſſe dicitur. Hæc, quantumvìs impia, conjugis tamen amantiſſima, cùm delatum ad littus pro viro mortuum conſpexiſſet, ſe quoque amens in mare præcipitem dedit. Utrumque in aves Halcyonas, nominis ſolius ratione, (quod *in mari parientem* ſignificat,) Poëtæ more ſuo mutatum fingunt,

A.M. 2666.

Acriſius & *Prœtus*, poſt pugnam, conveniunt.

§ 15. Poſtquam *Prœtus Argivorum* potitus eſſet imperio annis 17, *Acriſius* tandem ad regnum repetendum in *Argolidem* rediit. Prælium inter fratres commiſſum eſt, multis utrinque deſideratis. Communes amici intervenerunt ad pacem conciliandam. Monent, ſuadent, obſecrant, nè ad pugnam redeant: "Oportere fratres mutuò ſe "(quantum valeant) propugnare, non conterere: Quantum alteri virium imminua-"tur, utrumque deſideraturum: Neutrius opes ſine altero firmas fore. Cùm nihil utrinque profeciſſent armis, ſalutaria amicorum conſilia viſa ſunt: & his tandem legibus partes conveniſſe ferunt; vt *Acriſius Argis* potiretur, *Tirynthe* regnaret *Prœtus*. In hoc primùm bello ſcutis inter præliandum uti cœperunt *Græci*. Utrinque cæſi, quia res inter cives geſta fuerat, communi omnes ſepulchro ſunt tumulati. (*Pauſ. Corinth.*) Ad memoriam hujus pugnæ atque imitationem, feſtum deinde annuum, quod *Daulis* vocabatur, *Argivi* celebraverunt. (*Heſych.*)

Acriſius Danaën cum filio in mare projicit.

Nulla erat *Acriſio* præter unicam filiam proles, *Danaën* ſcilicet formoſiſſimam. Pro more ſui ſeculi, oraculum *Delphicum* de liberis ſuis rebúſque aliis ſciſcitanti *Acriſio*, reſpondit *Pythia*, ei aliquando ex filia nepotem exitio fore. *Acriſius* igitur cùm ſibimet à nepote pertimeſceret, arctiſſimâ cuſtodiâ filiam voluit contineri, nè quis vir ad eam accederet; immortalis (credo) hâc futurus arte. *Prœtus* tamen frater, ſpecie virginis ſuperatus, eóque magìs cupidus quò minùs licebat, corruptis auro cuſtodibus, ad ſtuprum tandem ſibi viam aperuit. Poëtæ *Jovem* imbre aureo in ſinum virginis delapſum fabulantur; quò doceant, cuncta patére largitionibus, nihílque ab auro ſatìs munitum eſſe poſſe. (De quo *Horat.* l. 3. Carm. od. 16.) Puero nato, quem *Perſeüm* vocant, matrem ſimul & filium, in arca lignea concluſos, *Acriſius* iratus in mare ſtatim projecit. Arca verò, fluctibus ad inſulam *Seriphum* delata, à *Dictye* regis fratre piſcante retibus excipitur, qui & matrem & puerum liberaliter enutrivit. (*Apollod.* 2.) *Juſtinus Martyr* (in Dialogo cum *Tryphone*) Dæmonem ſcribit inſtinctu diabolico fidem hujus fabulæ feciſſe *Græcis*, puerum ex Virgine *Jovéque* natum, poſtquam illud legiſſet apud *Iſaiam*, (cap. 7. 14.) *Virgo concipiet, pariétque puerum*. At poſt *Perſeüm* multis ſeculis vaticinatus eſt *Iſaias*.

Dictys excipit.

A.M. 2667.

Bacchus Argis prohibitus ab *Acriſio*.

§ 16. *Bacchus*, ut ſua traderet *Argivis* quoque inventa, & orgia *Dionyſii*, exercitum traduxiſſe fertur in *Apiam*, ſeu *Peloponneſum*. Sed *Acriſius* rex metuens, vel regno ſuo ab exercitu, vel moribus ſuorum à vino & ebrietate, *Argis* eum prohibuit. In *Meſſeniam* veniſſe *Bacchum* creditur, ubi *Eua* mons à *Bacchantium* clamore putatur dictus. (*Pauſ. Meſſen.*)

[a] A.M. 2670.

[b] *Phryxus* migrat in *Colchidem*;

[a] *Actæone*, *Ariſtæi* filio, venandi ſtudioſo plùs nimio, & à canibus ſuis diſcerpto, ipſius pater *Ariſtæus* in *Co* diſcedit inſulam, oraculo ità monente.

[b] *Phryxus Athamantis* filius, novercarum pertæſus & iniqui patris, navem nactus

cujus

cujus inſigne (forſan & nomen) erat *Aries aureus*, in *Colchidem* navigavit. Illud navis ſive nomen, ſive inſigne, nihil prohibet quò minùs eum theſaurum denotet quem ex pecudibus præcipuè collectum deportavit *Phryxus* in *Colchidem*, eundémque poſtea repetiit *Jaſon*.

A. M. 2670.

Ariſtæus apud *Coos* aliquot moratus annos, quibuſdam è ſuis ibi relictis, ipſe in *Sardiniam* profectus eſt inſulam.

A. M. 2674

Ariſtæus in Sardiniam.

[a] *Lamedon*, cum *Achæis* bellum gerens, *Sicyonem* accerſivit *Erechthei* filium, cui primùm dedit filiam, deinde ſpem regni; quod ei moriens hoc anno tradidit. *Sicyon* ſolium jam adeptus, & urbis & regionis mutato nomine, illam à ſe *Sicyonem*, hanc ab illa *Sicyoniam* appellari voluit, quæ priùs *Ægialea* vocabatur. Urbs hæc *Græciæ* antiquiſſima minimùm profecit opibus; amplitudine ditionis potentiâque minimè ferè aucta eſt omnium, teſtante *Pauſaniâ*, (in *Corinth.*) Per annos bis millenos iiſdem contenta, iiſque peranguſtis, imperii terminis acquievit. An populus hic vetuſtiſſimus, vetuſtiſſimum quoque morem populorum ſibi obſervandum duxit? qui à *Juſtino* deſcribitur; *Fines imperii tueri magìs quàm proferre*; *intráque ſuam cuique patriam regna finiebantur*: non invadebant, non appetebant aliena.

[a] *Sicyon Ægialeæ rex.*

§ 17. *Oenomaüm* fingunt Poëtæ *Martis* fuiſſe filium, utpote virum bellicoſum, ex matre *Aſterie* (*Sterope* potiùs) *Atlantis*. Ex *Eurythoë* uxore filium *Dyſponteüm*, & filiam genuit *Hippodamiam*. *Dyſponteüs* urbem *Piſæ* propinquam ſui nominis conſtruxit, incoluítque. De *Hippodamia* ex oraculo didicerat *Oenomaüs*, cæſum iri ſe à genero ſuo, vel eo tempore ſaltem interiturum quo nata nuberet. Hoc fatum ut effugeret, fixum habuit ratúmque apud ſe, nemini filiam nuptum tradere. Nè tamen viro careret, ſuam ipſe filiam ſtupràſſe dicitur impurus pater. (*Hyg.* Fab. 253.) Imò finxiſſe oraculum ferunt, quo filiæ ſolus conſuetudine frueretur. Cùm autem plurimi has ambirent nuptias proci, propter fœminæ formam egregiam, regníque ſpem, hanc iis propoſuit legem, ut qui ſe curuli equorum certamine ſuperâſſet, filiâ potiretur; victus morte lueret ambitionem. A *Piſa* pertinebat curſus ad *Neptuni* aram in Iſthmo *Corinthiaco*. Et licebat procis prævertere, ac præripere curſum, dum arietem *Oenomaüs* immolabat *Areo* ſive *Martio Jovi*. Peractis demum ſacris, quadrijugo curru inſequebatur *Myrtilo* aurigâ rex, & equorum velocitate facilè conſecutus, haſtâ ſolebat transfigere tardiorem procum. Cecidit primus omnium *Marmax*; cujus equas, *Partheniam* & *Eripham*, mactari juſſit *Oenomaüs* ad domini tumulum, (quem tarditate ſuâ prodiderant,) & humari. Poſt alios atque alios ab *Oenomao* victos & interfectos, *Pelops* tandem è *Phrygia*, *Tantali* & *Taygetes* filius, non dubitavit ad certamen exitioſum provocare invictum hactenus regem; ſed auro ſuo fretus magìs quàm equo. Magnâ enim pollicitatione munerum conciliavit ſibi aurigam *Oenomaï Myrtilum*; qui vel equos properantes refrænando, vel fractis clavis maléve fixis diſſolutâ rotâ, impediendo currum & curſum, facilem dedit *Pelopi* victoriam. Ità fraudis præmio, non velocitatis, potitus eſt *Hippodamiâ Phryx*. *Oenomaüs* ægritudine oppreſſus ſibimet manus intulit: (*Diod. Sic.* 4.) vel, ut alii narrant, è curru lacero decidit atque diſtractus eſt. Victo *Oenomao*, reverſus in *Aſiam Pelops* urbem novam ſtatuit; quam *Cyme Amazonum* dux (pulſis mox qui habitârunt) *Cymen* nominavit. (*Mela.*) Annos 59 regnaviſſe *Pelopem Euſebius* prodit. Tantas verò attulit opes in *Græciam* prudentiſſimus idem fortiſſimúſque vir, ut maximam iis in locis autoritatem etiam peregrinus nactus ſit, & ab eo peninſula, quæ priùs *Apia* vel *Argos* dicebatur, *Peloponneſus* tandem denominaretur; (*Thucyd.* 1.) quæ nunc *Moréa* dicitur. Nec *Peloponneſi* apud *Homerum* nomen reperitur, poſt tempora fortaſſe *Iliaca* natum. Unà cum *Pelope* Muſica in *Græciam* tranſiit. *Lydi* enim & *Phryges*, qui eum ſecuti ſunt, harmoniam *Phrygiam Lydiám*que primi *Græcis* tradiderunt. (*Athen.* 14.) Suas autem ut confirmaret opes amicitiâ regum vicinorum & affinitate, *Nioben* ſororem ſuam dedit uxorem *Amphioni Thebano*; ſuas filias mox filiis *Perſeï*. Et *Olympio Jovi* ludos, maximè omnium qui ante ſe fuerunt celebres & memorabiles, fecit. (*Pauſ.* Eliac. 1.) *Hippodamia* quoque, ut *Junoni* gratias ageret nuptiarum causâ, *Junonia* inſtituiſſe dicitur, ludos virginum, & curſûs certamina. Victrices oleâ coronabantur, & victimæ partem accipiebant, quâ litabant *Junoni*. Præerant ludis matronæ 16, cum totidem miniſtris. Quinto quoque anno & ludos inſtituebant, & peplum à ſe contextum dedicabant deæ. (*Pauſ.* ib.)

A. M. 2676.

Oenomao certamine curuli victo,

Pelops Phryx Piſæ imperat.

Alium *Oenomaüs* filium ſuſtulerat *Leucippum*, qui *Daphnen Ladonis* filiam unicè deperibat. Cúmque averſum à nuptiis animum eſſe virginis cognoſceret, nullo ſibi

Leucippus fraude ſuâ perit.

A.M. 2676.

ambitu conciliandum, aſtu tentavit rem, ut falleret, cùm flectere non poſſet. Puellam, & *Oenomaï* ſimulat filiam ſe, imberbis juvenis; quámque *Alpheo* alebat promiſſam comam, virginali nodo religat. Denique, virginali veſte indutus, ſociam in venando ſe obtulit, cujus maximè ſtudio *Daphne* tenebatur. Facilè admiſſa in comitatum regis filia eſt; mox venandi peritiâ, & obſequio, *Daphnen* miro ſibi amore devinxit, ſed caſto & virginali. Contigit aliquando poſt venationem, reliquæ ut virgines in *Ladonem* fluvium lavandi ſe causâ deſcenderent. Unus omnium recuſabat *Leucippus*. Cæteræ, detractis ei quadam vi veſtibus invito, cùm pro virgine virum deprehendiſſent, impetu ſimul omnes facto, jaculis & pugiunculis transfixum interemerunt. (*Pauſ. Arcad.*)

Pelops Olympiam vicinam capit.

Piſæ, quam ab *Oenomao Pelops* acceperat, vicina erat in *Elide Olympia*, quam *Epeüs* tenuit *Endymionis* filius. Cùm ergò ſui fines *Pelopi* nimis anguſti viderentur, nec minùs commoda ſuis rebus, quàm propinqua, eſſet *Olympia*, armorum jure occupavit, ſuæque ditionis fecit.

A.M. 2680.

Ætolus ex *Elide* migrat in *Ætoliam*.

§ 18. *Epeo* mortuo, ſucceſſit in regno *Elidis Ætolus* frater. Nam ex *Anaxirrhoë Coroni* filia filiam ſolummodo *Hyrminam* ſuſtulerat *Epeüs*, *Phorbanti Lapithæ* nuptam. Ut primùm ferè acceſſit ad regnum *Ætolus*, *Azanis Arcadis* ludi funebres à filio *Clitore* celebrati ſunt, primario in *Arcadia* rege poſt obitum patris. Accidit fortè in his ludis, ut *Apin Jaſonis* filium, ex *Pallantio Arcadiæ* oriundum, incitatis quadrigis obvium, everterit atque interemerit *Ætolus*. Quam ob cædem, licèt imprudenter admiſſam, vertere ſolum patrio more coactus eſt, cùm *Apidis* filii pœnas repeterent. A *Salmoneo* pulſum *Elide* tradit *Ephorus*, (apud *Strabonem*, lib. 8.) In regionem verò *Curetum* migravit, *Achelöo* flumini adjacentem, quam de ſuo nomine appellavit *Ætoliam*, (*Pauſ. Eliac.* 1.) *Curetas* autem in eam regionem expulit quam *Acarnaniam* poſtea dixerunt, urbéſque decem condidit. (*Strabo* 10.) *Ætolo* diſcedente, *Eleüs* imperium in *Eleos* adeptus eſt, & regnaviſſe annis videtur 60. Ex *Eurycida Endymionis* filia & *Neptuno* (ſi cui id credibile videtur, ait *Pauſanias*) genitus fertur *Eleüs*, qui *Elidi* & *Eleïs* deinde nomen dedit diuturnum. (*Pauſan.* ibid.)

Eleüs in *Elide* dominatur;

Azanis filius *Clitor* in *Arcadia*.

Clitor autem in *Arcadia* regiam *Lycoſuræ* habuit an. 50. omnium regum ſuo ſeculo potentiſſimus. Urbem quoque de ſuo nomine condidit *Clitoram*, & fluvium appellavit. *Aphidanti*, fratrum ſecundo, filius erat *Aleüs*, qui paternam ſortem obtinuit; & filia *Steneboea*, in *Apollodoro*, (libro 3.) *Elatus*, fratrum ex *Arcade* poſtremus, quinque filios genuit, *Epytum*, *Pereüm*, *Cyllena*, *Iſchyn*, atque *Stymphalum*. Addit *Caneüm Hyginus*, (Fabul. 173. & 242.) qui ſibimet vim intulit, quomodo patris exemplo fortaſſe *Clymenus*, eò quòd *Harpalicen* filiam ſuam conſtupráſſet, & quam ex ea ſuſtulerat natam devoráſſet in epulis, (*Hyg.* Fab. 246.) à filia ſtuprata ſibi appoſitam. A *Cyllene* monti eſt datum nomen; fonti à *Stymphalo*, & cognomini ad fontem civitati. *Iſchys* pater *Æſculapii* Medici fuiſſe perhibetur ex *Coronide*. *Pereüs* nullam ſuſtulit virilem ſobolem; filiam verò *Neæram* nuptum dedit *Autolyco*, *Dædalionis* filio, *Parnaſſi*que montis incolæ. (*Pauſ. Arcad.*)

§ 19. *Ariſtæus*, cùm inſulas pleraſque obiviſſet, ac ſuis excoluiſſet inventis, è *Sicilia* tandem in *Thraciam* ad *Bacchum* rediit; ubi particeps orgiorum factus, per familiarem cum eo conſuetudinem, multa ad vitam utilia didicit, ac ipſe doctus docuit. Hîc *Lycurgus*, *Dryantis* filius, *Edonorúm*que rex ad fluvium *Strymonem*, neque *Bacchum*, neque inventa *Bacchi* ſacráve in ſuam admiſit ditionem; ſed è *Thracia* expulit, contumeliâque affecit. *Bacchæ* in vincula ſunt conjectæ, & Satyrorum plurimi, hoc eſt, comitum. *Bacchus* ipſe confugit ad *Thetin*; navigio ſcilicet elapſus eſt. At ſuam luiſſe contumaciam *Lycurgum*, variis modis Poëtæ veteres commenti ſunt. Per furorem *Bacchicum* (ebrietatem, opinor) palmitem ratus amputare ſe, ſuum interfecit *Dryanta* filium; & extrema ſui corporis cùm præcîdiſſet, reſipuiſſe dicitur. Terrâ deinde fruges denegante, oraculum reſpondit, poſt *Lycurgi* mortem terræ vitam atque feracem vim redituram. A populo igitur conſtrictum vinculis, atque in monte *Pangæo* relictum, ab equis laniatum ferunt. Sic *Apollodorus*. *Plutarchus* (De audiendis Poëtis) inſaniæ *Lycurgum* meritò ait arguendum, qui vites maluit exſcindere quàm vinum diluere, inſanúmque deum alio ſaniore ac magis ſobrio caſtigare, fontium aquâ. *Baccho* tandem diſcedente in *Græciam*, cùm ad *Hæmum* pauliſper *Thraciæ* montem habitaviſſet *Ariſtæus*, ex oculis mortalium ſublatus eſt; honoréſque divinos non à barbaris modò, ſed à *Græcis* etiam conſecutus. (*Diod. Sic.* 4. 6.)

A *Baccho* ſubigitur *Lycurgus Thrax*.

Creüs

Creüsâ Erechthei Athenienſis filiâ, quam *Xutho* nuptam diximus, præter *Ionem* & *Achæum*, quendam *Janum* quoque natum referunt, (niſi fortè idem ſit *Ion* ille;) qui ex *Attica* profectus in *Ægialeam*, indè tranſiit in *Italiam*. In *Italia* enim inter *Aborigines* imperio potitus eſt, & regnaviſſe dicitur annis 33, cùm *Janiculum* in monte condidiſſet. *Plutarchus* (Quæſt. *Roman.* 22.) genere *Græcum* ex *Perrhæbia* fuiſſe *Janum* narrat; *Italóſ*que, feros adhuc, cultioris vitæ & agriculturæ rationem docuiſſe. Ad eum *Saturnus* veniſſe dicitur, *Cretenſium* alicubi rex, filii ſui *A.M.* *2680.* *In Italia Janus, Aboriginum rex,*

Arma Jovis fugiens, & regnis exſul ademptis. (*Virg. Æneïd.* 8.) *Saturnum* excipit in partem regni.

Is primus plantandi, ſerendi, inſerendi, ſtercorandi, metendíque artem, omnémque arborum & agrorum docuiſſe culturam, vitæque humanioris rationem, perhibetur. Novæ hoc diſciplinæ beneficium regni ſui dimidiâ parte compenſavit *Janus*, nominéque regni; *Saturnia* enim vocatum eſt. Primus itaque nummus quem excuderunt, ex una parte navem impreſſam habuit, quæ *Saturni* adventum, ac fortaſſe *Jani* quoque, ſignificabat; de quo Poëta,

At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata dei: (*Ovid.* Faſt. 1.)

ex parte altera bifrons effigies imprimebatur; quia communi duorum conſilio gerebatur imperium. Etſi aliæ ab aliis rationes afferantur formæ duplicis: ab *Herodiano*, (lib. 1.) quia incipiebat à *Jano*, & in eundem deſinebat annus: à *Servio*, quoniam *Romulus Titúſ*que *Tatius*, cùm in fœdera conveniſſent, duplici fronte ſimulacrum ſtatuerunt. Tanta verò feracitas agrorum fuit, copia fructuum, pax & tranquillitas rerum omnium, propter diſciplinam, æquitatem & moderationem à *Saturno* adhibitam, apud homines rudes atque ſimplices ejus ætatis regioníſque, ut ſub eo *Latini* Poëtæ Seculum fuiſſe Aureum fabulentur. Quanquam alia *Græcis* fuit hujus fabulæ ratio, qui de *Saturni* profectione in *Italiam* nihil noverant. *Juſtinus* (lib. 43.) *neque ſerviiſſe quenquam ſub illo*, ſcribit, *neque privatæ rei quicquam habuiſſe*; *ſed omnia communia fuiſſe & indiviſa omnibus*, *veluti unum cunctis patrimonium eſſet. Ob cujus exempli memoriam, cautum erat, ut Saturnalibus exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumberent.*

§ 20. *Glauco Siſyphi*, quem A. M. 2660. diſcerptum ab equis diximus, filius erat ex *Eurymede Hipponus*. Eum contigit *Bellerum* quendam imprudenter occidere, ac propterea & ſolum & nomen vertere. *Bellerophontes* enim, ſeu *Bellerophon*, deinde vocatus eſt. Alii *Deliadem* fratrem, vel *Pirenem*, vel *Alcimenem*, ab eo cæſum memorant. Profugus ad *Prætum Tirynthi* regnantem ſe contulit, à quo peramanter acceptus & expiatus eſt. (*Apollod.* 2.) Ambiviſſe dicitur *Bellerophon Æthræ Pittheïdis* nuptias, puellæ, credo, jam: ſed exſilium ejus obſtitiſſe nè duceret. (*Pauſ. Corinth.*) *Bellerophon Glauci* filius apud *Prætum* exſulat.

Amiſſo inprimis filio *Glauco*, nunc etiam nepote *Bellerophonte* in exſilium profecto, *Siſyphum* credibile eſt non fuiſſe diu ſuperſtitem; etſi quando mortuus, ubíve ſepultus in iſthmo fuerit, nemini compertum eſſe dicat *Pauſanias*, (in *Corinthiacis.*) Eum Poëtæ apud inferos dediſſe pœnas fingebant, propter furta, credo, & fraudes; de quibus *Naſo*, (Metam. 13. fab. 1.) ubi convitiatur *Ulyſſi Ajax*, *Siſyphus* moritur.

———————— *Quid ſanguine cretus*
Siſyphio, furtiſque & fraude ſimillimus illi,
Inſeris, ——— ?

Habuit alios præter *Glaucum* filios complures *Siſyphus*: *Ornytionem*, *Therſandrum*, *Almum*, *Coronum* & *Haliartum Pauſanias* commemorat. (In *Corinthiacis* & *Bœoticis.*) *Ornytion Phocum* & *Thoanta* genuit. *Phocus Tithoream* deduxit coloniam in *Phocide*, *Antiopen* verò duxit uxorem *Amphionis* matrem. Exſtabat *Tithoreæ* unum utriuſque monumentum. Eam Furiis agitatam *Baccho* inſtigante ferunt, donec ad mentem revocavit *Phocus*. (*Pauſ. Phoc.* & *Bœot.*) *Thoas*, alter filius *Ornytionis* natu minor, *Corinthi* ſubſtitit, regnavítque poſt patrem. Sed conſtare ait *Pauſanias*, poſtquam receſſerat in *Lyciam Bellerophon*, *Corinthios* perpetuò *Argis* paruiſſe, aut *Mycenis*; quandoquidem ad bellum *Trojanum* ducem è ſuis nullum, ſed *Agamemnonis* auſpicia ſignáque ſecuti ſunt. Reges tamen appellati ſunt poſt *Thoantem*, *Demophon*, *Propodas*, *Doridas*, & *Hyanthidas*. Quo tempore *Corinthi* nacta ſit nomen hæc urbs, mi-

A.M. 2680.

minimè conſtat. *Euſebius*, præproperè, opinor, *Cecrope Athenis* regnante mutaviſſe nomen ſcribit. Belli *Trojani* tempore *Corinthus Homero* dicitur, quam *Siſypho* regnante *Ephyram* vocat. *Joſephus Scaliger* duos opinatur *Siſyphos* fuiſſe; alterum *Ephyræ* conditorem, *Æolidam*, de quo hîc agitur; alterum latronem, qui matrem *Ulyſſis Anticléam*, cùm ad *Laërtem* duceretur, conſtupràſſe dicitur. Quod ſi factum fuerit, facilè concedi poteſt, ab altero factum *Siſypho*, potiùs quàm hoc *Æoli* filio. Hic enim *Anticléam Ulyſſis* matrem, ex altera ejuſdem nominis, *Autolyci* filia, genuiſſe dicitur.

Ejus frater *Athamas*, cùm nullam ſibi maſculam prolem ſupereſſe crederet, (nam *Phryxum* obiiſſe putabat, *Leuconem* noverat,) *Therſandri* filios, *Siſyphi* nepotes ex *Ephyra*, ſibi adoptavit hæredes, *Coronum* & *Haliartum*. Sed paucis pòſt annis, cùm vel *Phryxus* rediiſſet, ut aliqui ſcripſerunt, vel, ut alii, cùm adveniſſet *Presbon Phryxi* filius, cedendum ſibi cenſuerunt *Siſyphi* nepotes. Ab *Athamante* igitur agri ſui parte acceptâ, condiderunt ſibi oppida, *Coroneam* & *Haliartum*. (*Pauſ. Bœot.*)

In *Arantia*, *Peloponneſi* modica ditione, finitima *Sicyoni*, poſt *Arantem*, ipſum gentis autorem, *Aoris* filius tenuit principatum annis 65 circiter. Sororem habuit *Aræthyream*, quæ cùm *Phliantem* peperiſſet filium ex *Libero* Patre, (ut ferebant) fato immaturo defuncta eſt. Memoriam ejus ut celebraret *Aoris*, totam ejus nomini regionem dicavit, & *Aræthyream* dixit; quam *Homerus* inter eos numerat populos qui ſuberant *Agamemnoni* propriè ac peculiariter in bello *Trojano*.

Ὀρνειάς τ᾽ ἐνέμοντο, Ἀραιθυρέαν τ᾽ ἐρατεινήν.
Orneáſque colunt, & Aræthyrean peramœnam.

Fratrem *Aorin* atque ſororem *Aræthyream* venandi peritiâ & virtute bellicâ præſtantes admodum fuiſſe, prædicabant *Phliaſii*. In eodem quo urbs colle, *Cereris* quoque templum ſtabat. Hîc & *Aoris* atque ſororis tumuli, urbe dirutâ, exſtabant, inſignes pilæ. *Arantem* verò ipſum (cujus erat in vico *Celænis* ſepulchrum) ante *Cereris* initia cantu celebrabant in templo, & ad libamina ejus liberos evocabant, ad monumenta converſi. (*Pauſ. Corinth.*)

Æoli ſecundi filia *Arne Æolum* tertium atque *Bœotum* ſtupro edidit.

Secundus *Æolus*, *Hippotæ* filius, *Macareüm* genuit marem, *Canacen Arnén*que fœminas. Hæc ſtupro gravida, cùm à *Neptuno* ſe compreſſam diceret, parùm credulus pater ſeverus adulterum inſimulanti deum, hoſpiti *Metapontino*, qui fortè aderat, occultandam, alióque traducendam, tradidit ſuæ domûs ignominiam. *Biponti* gemellos enixa eſt *Arne*, quos *Æolum* atque *Bœotum* nominavit, utrumque celebrem futurum; *Æolum* quoque ventorum aliquando deum. Hoſpes ille *Metapontinus* qui *Arnen* ſuſceperat, ſtudioſè ac liberaliter ejus filios educabat; cúmque ipſe liberis careret, adoptabat pro ſuis, (quodam monitus oraculo,) & hæredes inſtituit. (*Diod. Sic.* l. 4.) *Macareüs*, *Æoli* filius, ſororis ſuæ *Canaces* amore ità flagravit, ut quia pater frui non ſineret, ipſe, crudelior patre, manus ſibi violentas intulerit. (*Hygin.* Fab. 238.) *Ovidius* ait *Macareüm* è ſorore filium genuiſſe, quem vagitu ſuo proditum canibus objecit *Æolus*, filiæque ſuæ gladium miſit quo ſe perimeret. Ad aſylum templi *Delphici* confugit *Macareüs*.

A.M. 2686.

Perſeüs, ad *Gorgonas* amandatus,

§ 21. Maturâ jam ætate *Perſeüs*, *Seriphi* agebat cum matre, apud *Dictyn* regis fratrem *Polydectis*. Sed matri ejus *Danaë*, fœminæ vel adhuc ſpectabili formâ prædita, vitium rex inferre magnâ operâ conabatur, vel invitam uxorem ducere. Sed & hoſpes *Dictys* & filius *Perſeüs* furori regio obſtiterunt. *Perſeüm* ergò amandare aliquò, & opus ei glorioſum, ſed *periculoſæ plenum opus aleæ*, præcipere ſtatuit. Simulavit parare quod daret munus in *Laodamiæ Oenomaï* filiæ nuptiis. Equos aliáque ab aliis poſtulaverat; à *Perſeo* poſtulat, ad hoc munus ut conferat *Gorgonis Meduſæ* caput. Ille, ſummâ fortitudine prudentiâque juvenis, mutuatus à *Mercurio* harpen adamantinam, clypeum à *Pallade*, & à *Gorgonum* ſororibus *Orci* galeam, his armis indutus devolavit ad *Gorgonas*. Sed averſus, & defixis in clypeo *Minervæ* oculis, ubi *Meduſam* tanquam in ſpeculo fuiſſet contemplatus, caput dormientis amputavit. Spolio jam potitus, quanto potuit impetu proripuit ſe. Reliquæ ſorores ſuſcitatæ, vindices interemptæ perſequebantur homicidam. At ille *Orci* galeâ tectus, quæ ità obſcurum reddidit ut cerni non poſſet, facilè furentium evaſit vim. Jam verò ſi detur conjiciendi venia de hujuſce fabulæ ſenſu, haud ineptè forſan *Græas Gorgonáſ*que totidem Inſulas interpretabimur in mari *Africano*, quarum omnium pulcherrima ditiſſimáque erat *Meduſa*; ejus caput, primaria inſulæ urbs, quam *Perſeüs*

Meduſæ caput amputat.

ſeüs cùm per tenebras noctis diripuiſſet, amputâſſe caput *Meduſæ* dictus eſt. Tenebras verò ſignificat *Orci* galea, quibus *Pluto* (i.e. Terra) noctu tegitur, ut galeâ caput. *Perſeüs Andromedam*, *Cephei* regis filiam, à ceto marino liberatam, in mercedem fortitudinis uxorem ducit; rivalémque ſuum *Phineüm* (*Cephei* fratrem) ſtrenuè excipit cæditque. Sic operâ duplici mercedem lucratus unam eſt, idémque ſtipendium *Perſeüs* bis meruit. *Seriphum* rediens, ad aram ſupplices invenit matrem hoſpitémque *Dictyn*, eò adactos, quia libidini regis importuni adverſabantur. Quare impetu facto in regiam, *Polydecten Perſeüs* interemit; reliquos ſui nominis terrore obſtupefactos continuit; *Dictyn* bene meritum regem inſulæ præfecit; ipſe poſt annos aliquot, unà cum uxore matréque & liberis, in *Græciam* ſuam reverſus eſt. *A.M. 2686.*

Poſt *Phlegyam*, regnum ejus in *Bœotia Chryſes* ex *Chryſogenêa* conſobrinus, aut *Chryſæ* filius *Minyas* accepit, anníſque 21 dominatus eſt. Tantos autem is divitiarum acervos cumulâſſe dicitur, ut majores ſuperârit omnes, primúſque nominis *Græcanci* ad pecuniam conſervandam ædificaverit ærarium. Quod *Pauſanias* ait (in *Bœoticis*) uſque adeò eſſe magnificum, ut cum ipſis *Ægyptiorum* Pyramidibus admiratione poſſet contendere. *Minyas in Bœotia regnat.*

§ 22. Apud *Prœtum Bellerophontes* agebat hactenus; & videri poterat exſilio felix, niſi amore nimio complexi, (ut ſimiæ ſolent ſuos catulos,) hoſpitem ipſi hoſpites tantùm non ſuffocâſſent. Regina enim *Antéa*, ſeu *Stenobœa*, formâ juvenis mirificè capta, miſerè eum deperibat. Suâ in exſulem beneficentiâ facilem ei ſpem voti ſui potiundi fecerat. Submiſit ergò qui eum de concubitu interpellarent. Cùm autem ille impudicæ libidini minimè obſequeretur, ea ſe contemptam ægerrimè ferens, metuénſque nè ſuum de adulterio conatum proderet is qui repulerat, novo facinore periculum cenſuit occupandum. *Bellerophontem* inſimulavit apud regem quaſi reum ejus criminis quod ipſa conceperat. Uxorius vir, plùs æquo credulus, virum inſontem inauditúmque ad mortem damnat. Ipſe tamen nè judicio ſuo damnatum neci daret, hoſpitii jura prohibebant. Literas ergò dat juveni, quaſi ſummæ fidei nuncio, ad ſocerum ſuum *Jobatem*, regem *Lyciæ*, perferendas: in quibus crimen exponit, exigíque pœnam ſeveriùs expoſcit. At neque *Jobatæ* integrum fuit, *Bellerophontem* jam hoſpitem interficere. Verùm ejuſmodi certamina imperavit, in quibus ei neceſſariò pereundum credidit. Ad conficiendam igitur *Chimæram* primò amandavit, monſtrum quod & ſpirando flammas propinqua omnia vaſtabat, & triplici corporis naturâ fuit; *A.M. 2690.* *Bellerophon, per calumniam delatus,* *literas tradit ſibi exitiales.*

Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimæra.

Sunt qui *Chimæram* interpretantur egregium quendam prædonem, qui *Lycios* nave infeſtabat, cujus in prora leo, in puppi draco, capra in medio depicta eſt. (*Plutarch.* de Claris mulier.) *Capram* ſcilicet *Chimæra* ſonat. Alii montem in *Lycia* ignivomum, ad *Ætnæ Veſuvii*que morem, *Chimæram* volunt appellatum; cujus verticem leones obtinebant, dracones atque ſerpentes occupabant radices, in monte medio capræ paſcebantur. Utut fuerit, *Bellerophon Minervæ* adjutus ope, quæ *Pegaſum*, alatum equum, (id eſt, Navem inſtructam actámque velis, ut alis volucres feruntur,) ei jam domitum dedit & frænatum, *Chimæram* ſuperat. *Solymóſ*que (*Cariæ Piſidiæ*que gentem bellicoſam) *Jobatis* juſſu ſecundo ſubigit. Reverſúſque ad *Jobatem*, vix dato reſpirandi ſpatio, ad *Amazonas* mittitur debellandas, opus omnium difficillimum. Hoc tamen ille feliciter perfunctus, in ipſo reditu penè oppreſſus eſt ab inſidiis *Lyciorum*, quos in locis opportunis *Jobates* collocaverat ad redeuntem juvenem trucidandum. Ex quo etiam periculo cùm victor evaſiſſet, profligatis atque peremptis inſidiatoribus robuſtiſſimis, tam incredibilem virtutem admiratus rex, literas *Prœti* tum demum perlegendas ei tradidit, uxorémque ſimul *Philonoën*, ex filiabus ſuis alteram, cum parte regni; paucíſque pòſt annis mortuus, eidem ut hæredi reliquit totum. (*Apollod.* 2.) Sed ità eſt ingenium humanum, ut faciliùs multò adverſæ res fortiter ferantur, quàm modeſtè feruntur proſperæ. Tantâ rerum felicitate elatus nimiùm eſt *Bellerophon*; in cœlum quoque volitando aſcendere conatum Poëtæ fingunt. Sed *Jovem* œſtro *Pegaſum* exagitâſſe, adeóque excuſſum è tergo *Bellerophontem* cecidiſſe in *Ciliciam*; ubi cæcus diu cùm oberrâſſet, inediâ tandem in ſolitudine faméque periit miſerrimé. Credibile quidem eſt, (ut *M. Tullius* interpretatur, *Tuſcul.* quæſt. 3.) eum, rebus feliciſſimè ac ſupra modum ſuccedentibus, faſtu intumuiſſe. Nam, ut veriſſimè Poëta, *Chimæram ſuperat, Solymóſque; tandem & Amazonas:* *Lyciæque rex factus, præceps decidit.*

Ar-

A.M. 2690.

Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores.

Et hoc habuerunt commenta Veterum ſanè probandum, utiléque ad formandos corrigendóſque mores, quòd in iis

Raro antecedentem ſceleſtum, ſuperbúmve hominem,
Deſeruit pede pœna claudo. (*Horat.* lib. 3. od. 2.)

Ilus rex *Troadis Ilium* condit.

Ilus, *Troë* mortuo, patris regnum adiit in *Phrygia*, tenuítque annis 40. *Dardaniam* fratri conceſſit *Aſſaraco*, ubi annis regnavit 48. *Ilus* ipſe, ubi diſcolor bos procubuit, ibi *Ilium* conſtruxit, atque integram regionem à patre ſuo *Troada*, ſive *Trojam*, nominavit. Cùm à *Jove* precatus ſignum petiiſſet boni ominis urbi novæ, demiſſum poſtridie *Palladium* è cœlo; *Palladis* ſcilicet ſimulacrum, pedibus ità compoſitis ut ambulare videretur. Tradit *Dionyſius Halicarnaſſ.* (libro 1.) *Palladium* & Magnos deos ab uxore ſua *Chryſe Dardanum* accepiſſe, cui donaverat ipſa *Pallas*, diligenti cuſtodiâ conſervandos: iis quippe ſalvis, perpetuò ſalvam & urbem fore, amiſsíſque perituram. *Ilum* igitur *Palladium* Magnóſque deos in urbem ex *Dardano* tranſtuliſſe, ac in arce *Pergami* collocâſſe.

A.M. 2692.

Tantalus ſcelerum pœnas dat.

§ 23. *Tantalum* in *Phrygia* quoque regem ab *Ilo* ſuperatum prodit *Diodorus*, & regno pulſum interiiſſe. Tradunt eum Poëtæ percharum fuiſſe diis, utpote *Jovis* filium; ſed felicitate ſuâ non modeſtè ſatis uſum, ſecreta cœleſtium mortalibus divulgâſſe, filiúmque ſuum cæſum cœlitibus ad convivium vocatis appoſuiſſe. Ad inferos ergò detruſum, duplicis ſceleris pœnas duplices dediſſe: alteram, quòd perpetuo, ſed vano timore torqueretur, ſaxi graviſſimi velut impendentis ruentíſque jamjam in caput malè conſcium: (*Euripid.* in *Oreſt.*) alteram verò, quòd in aquis mediis, pomíſque impendentibus, extremâ tamen fame ſitíque cruciaretur. Malè omnino *Natalis Comes* interpretatur hanc fabulam; ſed rectè in avaros eſſe fictam docet *Horatius.* (Sermon. l. 1. ſat. 1.) Avaris enim tam deeſt quod habent quàm quod non habent.

Pandion ſecundus *Athenis* regnat;

Poſt *Cecropem* ſecundum *Athenis* præfuit *Pandion* alter annis 25. *Cecrops* autem populum, qui vicatim habitaverat, in duodecim urbes coëgit univerſum, quarum nomina recenſet *Strabo*, (lib. 9.)

A.M. 2693.

Cùm ad *Prœtum Tirynthium* fama detuliſſet, quantam eſſet gloriam *Bellerophon* conſecutus, omniúmque judicia eum abſolverent eo crimine cujus reum peregerat *Stenobœa*, invidiam ejus calumniæ mulier malè ſibi conſcia ſuſtinere non potuit; quare ſibi voluntariam conſcivit mortem. Neque *Prœtus* diu ſuperfuit. Ità quam alii pœnam immerenti paraverant, meritò quidem, & ſuo damnati judicio, luebant ipſi. (*Hyg.* Fab. 57.)

A.M. 2694.

Megapenthes Tirynthi.

Prœto mortuo, quem unicum habuit filium, *Megapenthes* imperavit annis 17. Natas quas genuerat tres inſaniâ fuiſſe correptas ferunt, quòd numinum ſacra neglexiſſent. Ab eo furore agitatæ, per omnem *Peloponneſum* diſcurrebant, multa inhoneſta regiíſque virginibus indigna perpetrârunt.

A.M. 2698.

Bœotus & *Æolus* in hoſpitam ſuam impii.

§ 24. *Arne* filia *Æoli* cum liberis duobus apud hoſpitem ſui patris agebat *Metapontinum.* Hoſpiti conjux erat *Autolyte*, cui cum *Arne* diſſidia quædam incidebant. *Arne* filiorum implorat opem, qui nimiâ in matrem pietate, ut litem diriment, adverſariam ejus interimunt. Animo iniquiſſimo conjux tulit uxoris necem, támque malam ſibi gratiam pro tot redditam beneficiis. Navibus ergò inſtructis, *Metaponto* ei diſcedere viſum eſt. Diſceſsêre mox & *Arnes* filii. In *Æolidem Bœotus* ad avum rediit cum matre; fratrum alter, *Æolorúm*que tertius, adjacentes *Italiæ* quaſdam inſulas adiit: ſeptem ſunt eæ, ac ferè pares, in *Tyrrheno* mari; quas de ſuo tandem nomine *Æolias* appellavit. (*Diod. Sic.* 4.6.) Ventorum rationem primum *Æolum* docuiſſe, *Plinius* docet; (7. 56.) eo factum, ut ventorum ſive rex, ſive quæſtor fingeretur.

Perſeüs in *Græciam* rediens avum inſcius occidit.

Perſeüs haud ignarus ex quo genere natus eſſet, ad avum tandem cum ſuis omnibus tranſmigravit in *Græciam.* Dum autem robore juvenili, diſco à ſe invento, in magno hominum conventu, artem ſuam oſtentaret, contigit fortè, ipſum avum ſuum *Acriſium*, adverſo fato intervenientem, diſci volantis impetu proſterni atque interfici. Cujus infamiam parricidii cùm putaret ſibi magno apud *Argivos* fore dedecori, à *Megapenthe* impetravit *Prœti* filio, ut regna commutarent. Acceptâ *Prœti* ſorte, *Mycenas* urbem condidit. *Bacchum* deinde in *Peloponneſum* rediturum, (ut

Argivis

Argivis & *Mycenæis* inventa ſua traderet,) cum exercitu adortus, ſuperat ſimul & in-
terimit, victórque cæſis commune poſuit monumentum. *A.M.*
In *Ægypto* *Amenophthis*, *Rhapſace* defuncto, regnat annis 20. 2698.
Linus Poëta ſub hoc tempus floruit. 2699. 2700.
Rhodiorum inſula ſerpentum immanium ferax fuit: unde *Ophiuſa* antiquum nomen.
Miſſi *Delum* ſunt aliqui, qui de peſte hac averruncanda *Apollinem* conſulerent. *Rhodum* à
Reſponſum ferunt, accerſi *Phorbantem* oportere, *Lapithæ* filium. Is videtur hoc ſerpentibus libe-
tempore, non in *Theſſalia* fuiſſe apud patrem, (quod tamen hîc narrat *Diod. Sicu-* rat *Phor-*
lus, oblitus eorum quæ libro 4. 6. ſcripſerat,) ſed *Oleni* apud *Alectorem*. Is in *bas.*
Rhodum cum ſociis plurimis commigravit; ubi ſerpentibus deletis, ſummos honores
vivus mortuúſque eſt conſecutus. (*Diod. Sic.* 5. 13.)

Træzen & *Pittheüs*, *Pelopis* filii, in partem regni ſunt recepti ab *Ætio*, qui in urbe
Argolidis Poſidemade regnabat. Morientibus autem collegis, ſolus in imperio relictus
eſt *Pittheüs*, qui in cella Muſarum *Træzene* (ità enim urbem ſuam à fratre voluit no-
minari) dicendi artem docuiſſe dicitur.

Periere mortuo, *Aphareüs* regnat in *Meſſenia*, ejus filius natu maximus; cujus
matrem *Gorgophoneñ* (*Perſeï* filiam) *Græcarum* mulierum primam omnium fuiſſe
memorant, quæ ſe ſecundis nuptiis illigârit; cùm antea ſolenne haberent viduæ per
Græciam, ſecundis nuptiis abſtinere. (*Pauſ. Corinth.*)

§ 25. *Amphion* & *Niobe* (*Tantali* filia) tam regno, quàm genere, felicitate ac
fœcunditate ſuâ nimiùm elati & gloriantes, vel communi peſte, vel dolore nimio ex *A.M.*
funeribus ſuorum, conſumpti ſunt. Illa fingitur in ſaxum diriguiſſe marmoreum, 2703.
& lacrymas indè perpetuas diſtillare, propter æternum (ut credit *Cicero*) in luctu *Amphion*
ſilentium. Quicunque igitur videris tibi felix, *Nioben* vide; fortunam reverenter & *Niobe*
habe, neque dextra nimiùm te levet res. felicitate

Extinctâ domo *Amphionis*, cùm ex eo genere obſtaret nullus, *Thebani Laio Lab-* infelices.
daci filio revocato, *Cadmi*que pronepoti, imperium detulerunt. (*Pauſ. Bœot.*) Uxo- *Laius* re-
rem *Laius Jocaſtam* duxit, *Menæceï* filiam, & ſororem *Creontis*, cujus maximè auxi- vocatur ad
lio regnum adeptus eſt. (*Apollod.* 3.) Oraculum de liberis conſulenti, pro more ſui regnum
temporis, reſpondit *Pythia*, illum manu ſobolis periturum. Ex quo deliberatum *Thebanum.*
& conſtitutum apud ſe habuit, uxoris conſuetudine prorſus abſtinere, & potiùs pro
regina quàm pro uxore eam habere. (*Pauſ. Bœot.*)

Æoli ſecundi regno in *Æmonia* (cùm nullus filiorum vel adeſſet, vel ſupereſſet,)
Bœotus, nepos ex *Arne* filia, potitus eſt. Ille regionem quæ antea *Æolis* eſt dicta, à *A.M.*
matris nomine vocavit *Arnen*; populum à ſuo *Bœotos*. (*Diod. Sic.* 4. 6.) Sed erat 2705
Æolo præter *Macareüm* filius quoque *Lapithas*, qui *Lesbum* genuit. *Lesbo* filiam *Bœotus*
Methymnam Macareüs dedit in uxorem, ſociúmque regni admiſit, qui tandem & rex *Æoli-*
inſulæ *Lesbo* nomen dedit. Imperavit etiam *Lesbiis* aliquando *Epopeüs*, cujus filia *dis.*
Nyctimene ità erat inceſtâ libidine infamis, ut, lucem quaſi noctua, hominum fuge- *Lesbos* in-
ret conſpectum. (*Ovid.* Metam. lib. 2.) ſulæ nomen dedit.

Cynortæ filius *Oebalus* regnum ſuſcepit *Lacedæmonium*, patre mortuo, ac tenuit *Cynortæ*
annis 25. Is filium ſuſceperat ex primis nuptiis *Hippocöontem*; ex ſecundis *Tyndare-* ſuccedit
*um Icariúm*que, (ut plerique ſaltem volunt,) & filiam *Arenen*, *Aphareo* nuptam. *Oebalus*,

Minyis imperavit *Orchomenus* (defuncto patre ſuo *Minyâ*) annis 35, qui & urbi
primariæ nomen ſuum & populo dedit. Sed & *Minyæ* ſimul cognominati ſunt, ut *A.M.*
ab *Orchomeniis Arcadicis* diſtinguerentur. Is *Hyettum* ad ſe fugientem (quòd *Molu-* 2707.
rum uxoris ſuæ adulterum occidiſſet) accepit humaniter, donavítque agri ſui parte, *Minyæ Or-*
ubi vicum condidit *Hyettum*. *chomenus.*

Neleus, *Crethei* filius, à fratre ſuo *Pelia* ejectus è *Salmonea*, locum ab *Aphareo*
Meſſeniorum rege cum ſuis profugus impetravit, ubi urbem poneret, quæ *Homero Ne-* *A.M.*
lea dicitur, & *Ptolemæo Abarinus*; *Avarino* jam *Italis*, & *Zanichia*. 2708.

§ 26. Unà cum patruo ſuo *Pelia*, *Melampus* & *Bias*, *Amythaonis* filii, in *Pelopon-* *Neleüs* ur-
neſum deſcenderunt. *Melampus* jampridem, ſolertis ingenii vir, non augurio tan- bem con-
tùm & arte medicâ clarus habebatur, ſed ità etiam contigit ex ſerpentium gratitudine, dit in
(quos in quercu pro ædibus latitantes aluerat,) ut avium voces intelligeret. Nam *Meſſenia.*
ad eum humi fortè proſtratum & dormientem ſerpentes repunt, atque ab utroque hu- *Melampus*,
mero lambunt aures & extergunt. E ſomno tandem experrectus, ſenſit mox (auri- augurio
bus expurgatis) avium ſe prætervolantium intelligere garritum: cúmque multa indè clarus,
futura didiciſſet, aliis eadem tradidit præmonſtravítque. Calluit etiam aruſpicinam.

Cereris

A.M. 2708.

Cereris feſta, luctúmque illum carminibus hymníſque celebrari ſolitum, ex *Ægypto* in *Græciam* dicitur traduxiſſe. (*Euſeb.* Præpar. 2.3.) Eundem *Ægyptii* ſacra *Dionyſii*, & fabuloſam de diis Hiſtoriam, in patriam ſuam tranſtuliſſe prædicabant. (*Diod. Sic.* 1. 11.) In eo *Plinius* (7.33.) divinitatem ait fuiſſe, quemadmodum in *Sibyllis*, & quandam cœlitum ſocietatem nobiliſſimam. Denique, præſtantiſſimum ſeculi ſui Medicum, potiones purgandíque rationem inveniſſe primum tradunt. (*Apollod.* 2.)

Auguriorum verò Auſpiciorúmque ſolertiam, ab aſpectu garritúque avium, (quâ tantopere valuit *Melampus*,) quis primus invenerit, inter Veteres haud convenit. *Cari* Auguria tribuit *Plinius*, (l. 7. 56.) ſed Auſpicia *Tireſiæ Thebano*. Volatum avium *Phryges* primos obſervâſſe, author eſt *Clemens Alexandrinus*. Sed (quod videtur probabilius) *Chaldæis* hujus Artis primatum aſſerit *Diodorus*, (l. 2.) A *Chaldæis* videtur *Græcos*, à *Græcis Hetruſcos*, ab *Hetruſcis* etiam *Romanos* hanc ſolertiam accepiſſe. Quaſi verò certa res eſſet, *Papinius* rationem unde volucribus tanta vis requirit; & *Jovi* tandem tribuit collatum hoc in volucres donum. Sed vanitatem hujus artis *Moſſolamus Judæus* ingenioſè quidem eluſit, tradente apud *Joſephum Hecatæo*. In bello enim quodam cùm iter facerent milites, conſpicatâque ave Augur conſiſtere eos juberet, donec augurium peregiſſet; arcu tacitus arrepto, emiſsâque ſagittâ, *Judæus* volucrem interemit. Cùm id vates aliíque iniquiùs ferrent; *Quid fremitis*, (inquit *Moſſolamus*) *mali Dæmones? Hæc enim avis, quæ ſaluti ſuæ proſpicere non potuit, de noſtra prædiceret? Si futura enim noviſſet, nequaquam in hunc adveniſſet locum, ubi à me ſagittâ peteretur.*

arte medicâ *Prœtides* ſanat;

Dum in *Peloponneſo Melampus* ageret, accidit ut furor quidam *Argivas* fœminas infeſtaret, præcipuè *Megapenthis* ſorores tres, *Prœti* regis filias; quo furore agitatæ, intra domeſticos parietes contineri non poterant, ſed palantes hinc indè, aliquando etiam nudæ, per totum agrum vagabantur. A *Cypri* ſcilicet regina corruptæ, frontes induerant meretricias. (*Ælian.* Var. hiſt. 3. 42.) A *Baccho* injectum furorem inquit *Apollodorus*. Alii à *Junone*, quòd ejus ſacra neglexiſſent. Moleſtiſſimè hanc tulit ſororum inſaniam *Megapenthes*; & quantovis pretio ſanari cupiens, *Melampi* opem imploravit: qui ſanitatem iis reddere ſe velle pollicebatur, modò ipſi pro mercede traderetur tertia regni *Argivi* pars. Id rege recuſante, morbus virginum ingraveſcebat, mulieréſque ſimul alias (quaſi contagione quadam) corripiebat. *Melampus* iterum accerſitur, mercéſque promittitur quod poſtulârat. At ille jam non facturum ait, niſi merces geminetur, & alia regni pars *Bianti* fratri concedatur. Quid faciat? Veritus *Megapenthes*, nè, ſi curam ſororum ulteriùs differat, mercedem ſemper augeat Medicus, & poſcat ampliorem, annuit poſtulatis. Tanti apud Veteres, valetudinis gratiâ, habebatur Medicina. (*Herodot.* 9.) *Melampus* igitur, adhibitis quibuſdam validiſſimis ad hanc rem adoleſcentibus, & choreas entheas imitatus, è ſpelunca *Prœtides*, ubi ſeſe abdiderant, compulit uſque *Luſos*, vicum in *Arcadia*. Ibi loci, (*Pauſanias* refert,) arcanis quibuſdam ſacris in *Dianæ* fano luſtratas, inſaniâ eas liberavit. *Dianam* indè *Hemereſiam Clitorii* vocabant, id eſt, *Placabilem*. (*Pauſ. Arcad.*) Helleboro ſanatas affirmat *Plinius*: (25. 5.) quod genus ex eo vocatur *Melampodium*. Ità duas regni partes *Melampodi* ac *Bianti* ex pacto tradidit *Megapenthes*, quàm primùm vidit ſorores expurgatâ inſaniâ reſipuiſſe. Eaſdem partes tamen ut æquo jure tenerent, quas extorſerant ſummo, virgines regias, quas ſanârant, duxerunt etiam uxores; *Melampus Iphianaſſam*, *Bias* verò *Lyſippen*.

quo regni *Argivi* duas partes lucratur.

A.M. 2710.

Sicyone mortuo, rege urbis cognominis, *Polybus*, ei ex filia *Chthenophyle* & *Mercurio* nepos, avito ſceptro potitus eſt, anníſque dominatus 40. (*Pauſ. Cor.*)

Polybus Sicyoni ſuffectus eſt.

[a] *Perſeüs* obit.

[a] Quo tempore fatóve interierit *Perſeüs*, vir clariſſimus, in obſcuro ſatìs eſt. *Hyginus* (Fab. 244.) *Megapenthem* ait occidiſſe *Perſeüm*, paternæ necis vindictâ. *Perſeüs* autem an occiderit *Prœtum*, (*Ovidio* niſi credamus, Metam. lib. 4.) haud ſcio an aliquis Veterum perſpicuè tradat. Filios autem ex *Andromeda* genuerat *Sthenelum*, *Meſtorem*, *Alcæum*, *Electryonem*, & *Helanta*: unicam verò natam, *Gorgophonen*.

Ixion regnat in *Æmonia*, omnium bipedum ingratiſſimus.

Antion, *Periphantis Lapithæ* filius ex *Aſtyagæa*, *Peneï* proavi ditionem ad *Peneüm* amnem in *Æmonia* tenuit. Is genuit *Ixionem* regionis ejuſdem principem. Ille in uxorem *Diam* ambiit *Heſioneï* filiam; (ut appellat *Diodorus* 4. 6.) & magnifica patri ejus (pro more temporum) munera pollicitus, compos voti factus eſt. Cùm autem ſocero promiſſa non præſtaret, *Heſioneüs* ei equos abſtulit, pignoris loco ſibi futuros,

futuros, donec fidem liberaret. *Ixion* igitur, quaſi daturus quæ promiſerat, ſocerum vocat ad convivium; nihílque opinantem in ardentem foveam impulit, ubi combuſtus miſerè periit. A tanto ſcelere cùm expiari non poſſet ope humanâ, & furor eum ex facinoris conſcientia agitaret, Poëtæ comminiſcuntur *Jovem* (id eſt, regem aliquem longinquum, reges enim *Joves* appellabantur,) liberâſſe parricidam, cùm facti ſatis pœnituiſſe videretur. At homo peſſimæ indolis, uxorem regis tam benefici (cui jam erat à ſecretis conſtitutus) de ſtupro appellare auſus eſt. Quod cùm viro indicâſſet, rex, ut rem haberet exploratam, loco reginæ ancillam *Nephelen* conſtituto tempore ſubmiſit, ex qua *Imbreüm* genuit, quod erat primi *Centauri* nomen. Cùm enim primi *Græcorum Centauri* inveniſſent equitandi artem, & equorum dorſis veherentur, quibus antea tantùm in curribus uſi fuerant, procul à tergo intuentibus, monſtra ex equis & hominibus conflata videbantur. *Palæphatus* autem opinatur, à pungendo ſtimulis tauros, quos equis vecti feriebant, *Centauros* olim dictos eſſe. Eandem nominis rationem habet *Servius*, (in *Virgilii* Georg. l. 3.) Jam verò *Ixion* propter ingratitudinem ejectus fuiſſe ex aula dicitur. Addunt Poëtæ, eum ad inferos deturbatum, rotæ ferreæ alligatum, motu circumagi perpetuo.

A.M. 2710.

Autore *Suidâ*, *Ixion Chironem* quoque *Centaurum* genuit, qui medicinam Chirurgicam ex herbis fertur primus inſtituiſſe; ut *Apollo* primus Ocularium, (*Hygin.* Fab. 274.) *Æſculapius* Clinicen. Et à levitate manuum in vulneribus tractandis nomen habuit. Eruditum etiam in rebus cœleſtibus, (unde inter aſtra relatus eſt,) & citharæ pulſandæ rationem calluiſſe, equitandi verò peritiſſimum, ferunt. Diſcipulos habuit celeberrimos, *Æſculapium* propinquum ſuum, *Jaſonem*, *Meneſtheum*, & *Achillem:* liberos verò *Ocyroën Chariclúm*que.

Chiron inſignis eques & chirurgus.

Poſt *Megapenthem Argis Anaxoras*, *Argeï* filius, *Megapenthis* nepos, tertiam ejus regni partem tenuit annis 30 circiter. (*Diod. Sic. Pauſ. Corinth.*) *Bias*, *Argivorum* alter ex tertia parte rex, *Prœtide Lyſippe* jam, opinor, mortuâ, *Peronen* ambivit *Neleï Pylenſis* filiam. At ille, pro muneribus quæ dari ſolebant ſponſalibus, *Iphicli* boves *Theſſali* poſtulabat. *Tyro* enim *Neleï* mater, poſt mortem *Cretheï* conjugis, ex *Iolco Magneſiæ* oppido *Phylacam* migravit *Phthioticæ* regionis urbem, ad patruum *Deïoneüm*. Illic bona quædam reliquit moriens, quæ *Iphiclus*, *Phylaci* filius, *Deïoneï* nepos, occupavit. In his boves erant præſtantiſſimæ, quas arctiſſimâ cuſtodiâ detinebat: cúmque repeteret *Neleüs* materna bona, negavit ſe redditurum *Iphiclus*. Auferre palàm, aut ſuffurari clàm, res ardua & factu difficillima videbatur. *Melampus* tamen, fratris gratiâ, qui virginem deperibat, in *Theſſaliam* profectus eſt, ut boves abduceret. Sed capturus aliena, ipſe captus eſt, & conjectus in vincula, homo linguâ promptior quàm manu. Cuſtodes habuit duos, virum fœminámque. A viro humaniter, ſecùs à muliere tractatus eſt. Senſit fortè trabem à vermibus corroſam, in ſuperiore cœnaculi parte, ruinam ſtridore minitari. Protinus morbum ſimulat, miniſtróſque ſuos, ut foras eum deportent, obnixè rogat. Poſtquam vir qui à capite portabat evaſiſſet, mulier iniqua, à pedibus proditura, incidente trabe oppreſſa eſt. Idque fingebat ex vermium ſe colloquio intellexiſſe. Vatem ſe profeſſo pollicetur *Iphiclus* boves daturum eâ ſe lege, ſi rationem indicaret, quâ orbus adhuc prolem ſuſciperet. (*Phylacum* hæc promiſiſſe filii ſui gratiâ, narrat *Apollodorus*, libro 1.) *Melampus*, quaſi augurio doctus à vulture, cultrum ait ſeu gladium, quo iratus pater *Iphiclum* erat perſecutus olim, vel terruerat puerum, in quercu ſacra vel pyro ſylveſtri defixum, & cortice obductum, latére. Ejus rubiginem ſi vino mixtam dies potaret decem, liberos *Iphiclum* deinde procreaturum. Quod ubi contigit verè, filiúſque ei *Podarces* natus eſt, *Melampus* boves, *Bias Peronen* aſſecutus eſt, unde *Talaüm* ſuſcepit. *Talaüs* ex *Lyſimache*, *Abantis* filia, nepte *Melampodis*, vel, ut habent alii, ex *Lyſianaſſa Polybi Sicyonii*, *Adraſtum*, *Parthenopæum*, *Pronactem*, *Meciſteüm*, *Ariſtomachum*, & filiam genuit *Eriphylen*. (*Apollod.* 1. *Euſtath.* in *Odyſſ.* 11.)

A.M. 2711.

Melampus, fratris gratiâ ſurrepturus Iphicli boves, captus, cùm rationem ei prolem generandi demonſtrâſſet, libertate bobúſque donatus abiit.

§ 27. Diuturnâ pace, annis octogenis continuâ, feliciter *Iſraëlitarum* floruerunt res. Sed quæ noſtra eſt hominum pravitas, laſcivimus plerumque in rebus proſperis, omnéſque iis ipſis quæ à Deo conferuntur in nos bonis deteriores ſumus. Longo ſine moleſtiis malíſque ſitu, quaſi aqua limum, quaſi ferrum rubiginem contrahimus. Ità populus *Iſraëliticus*, quaſi bonorum ſuavitate nauſeans, in pejus ruere. Diſciplina morum ſancta illa & ſevera jampridem diſſoluta eſt. Ut cujuſque animus declinabat, ità ſuis indulgebat vitiis libere. Pietas emortua in plurimis, languida in optimis tepeſcebat. Nè finitimos offenderent Religione ſingulari, promiſcuos adora-

Iſraëlitas in impietatem prolapſos,

A.M. 2711. bant vicinorum deos: & Fœderi Divino præponebant amicitiam profanarum gentium. Sed poſthaberi ſe Deus non tulit. *Jehova* aut primus vult eſſe, imò ſolus, aut nullus. Noluit abdicare tamen filios contumaces indulgentiſſimus Pater; ſed corrigere maluit, ſed revocare tantùm ad ſe virgâ ſalutari. *Jabino* igitur *Hazoris* regi, nepoti ejus, credo, quem *Joſua* debellârat, ſervitute opprimendum caſtigandúmque populum ſuum tradidit. Jamdiu enim *Hazoræi* urbem inſtauraverant incenſam, reliquias populi ſui diſperſas coëgerant, fractáſque redintegrârant imperii vires.Ità maximarum *Jabinus* copiarum, curruúmque nongentorum, pro ſeculi more, ferreorum potens, populum Dei, ſed volente Deo, ſub iniquiſſimo tenuit imperii jugo annis viginti. Et *Samgar* ad breve tempus præfuit *Iſraëlitis*, adjuvítque in extremis conſtitutos malis. Videtur enim aliquatenus ægritudinem ſuorum allevâſſe, quanquam non perſanârit morbum, non depulerit ſervitutis jugum. Tandem Spiritus Dei mulierem afflavit *Deboram* Prophetidem, *Lapidothi* uxorem, ut populum *Iſraëliticum* judicaret vindicarétque. Illa, ——*patulæ recubans ſub tegmine palmæ*, in *Ephraïmitico* monte, judicia dabat litigantibus, & conſulentibus reſponſa. Si quid privatis incerti perplexíque juris incidit, ab ea petebatur interpretatio: ſi quid populo in rebus afflictis à Deo quærendum orandúmve fuit, ea docuit, ea conciliavit Deo. At *Joſephus*, non tanquam ad Judicem, verùm ut ad fœminam ſanctiſſimam, afflatámque divinitus, acceſſiſſe ait *Iſraëlitas*, & rogâſſe ut pro ſe oraret Deum. Quod perſpicuè adverſatur Sacris Literis. (*Jud.* 4. 4, 5.) Orâſſe verò illam, & exauditam à Deo aſſeruiſſe populum conſtat ab intolerando crudeliſſimæ gentis imperio. Humanorum inſtrumentorum viribus non eſt opus Deo. In debilibus & infirmis non minùs valet ejus potentia; imò verò magìs exſeritur in his, & illuſtriùs patet. Dextrâ *Ehud* debilis, ſexu *Debora*; *Samgar* ſtimulo armatus agricola. Horum tamen auſpiciis populum ſuum ab hoſtibus truculentiſſimis liberari voluit. Cùm ergò ſciret *Debora* conſtitutam ſe, cujus operâ ſua gens in libertatem vindicaretur, accerſi ad ſe *Baracum* jubet, *Abinoami Naphtalidæ* filium. Urbem ille *Cedeſhum* incolebat ſacerdotalem, & aſylo nobilem. (*Joſ.* 19. 37.) Accedenti mox, poſtquam eſſet aliquantiſper moratus, difficultate rei quam ſuſpicabatur deterritus, "Quid autem eſt, "inquit *Debora*, quòd tamdiu ſis cunctatus, *Barace*, ad munus tam honorificum te "vocante Deo? Egóne tibi præcipio hæc, *an à Jehova mandatum hoc* do, ut quoſ"cunque potes *in montem Taborem*, *ex Naphtalidis & Zebulonitis*, *inducas* verbis al"liciáſque tibi commilitones ut ſint? ut *decem indè millia* in exercitum conſcribas? "Eò quippe *Jehova ad Ciſhonem fluvium copias Jabini currúſque* omnes unà cum *Si"ſera duce*, *perducturus eſt*, *tibíque traditurus in manum*. Ità Prophetis magnâ ſpe ad magnum opus ſtimulabat. Ille tamen hæſitabat vel adhuc, & hâc unâ lege profecturum ſpondebat ſe, modò comitaretur *Debora*, periculorúmque particeps, precibus laborantem atque conſiliis adjuvaret. His commota paulùm Vates, "Non aliâ "profecturum te ais lege? inquit *Debora*. Agedum ergò; *parata ſum*, proficiſca"rum; & fœminæ geramus bellum hoc. Quare tibi hoc denuncio, *gloriam* ſplen"didiſſimæ victoriæ, quam eras integram aliàs & ſolidam adepturus, propter incre"dulitatem hanc, vel auferet, vel certè imminuet tibi *muliebris* laus. Tandem obſequitur *Barac*. *Cedeſhum* exercitus cogitur pedeſtris millium decem, cui *Barac* & *Debora* præiverunt. Non quòd militibus Deo fuit opus ad victoriam; ſed eâ tanquam eſcâ eliciebat belluam *Hazoræam*. Protinus enim delatâ rerum apud *Iſraëlitas* novarum famâ, ad arma eſt *Hazore* conclamatum; &, ſi *Joſepho* credimus, 300 peditum millia, equitum verò decem conſcripta ſunt, præter ter mille currus, quorum nongenti erant ferrei & falcati. Dux omnium à rege conſtitutus *Siſera*, bellicoſus vir, qui ad torrentem *Ciſhonem* caſtrametatus eſt. Quaſi verò nihil defuiſſet ad victoriam, niſi ut prodiret hoſtis in aciem, ità, ut primùm *Siſera* conſpectus eſt, ſignis explicatis volitans, edixit *Debora*, jam eſſe maturum præliandi vincendíque tempus. Jampridem ſcilicet præiviſſe *Jehovam*, ad profligandos *Canaanæos*. Deſcendere igitur ex monte, ſummóque impetu in hoſtes *Baracum* ferri cohortatur. *Joſephus* ait, antequam *Debora* excitâſſet, territum ità *Baracum* fuiſſe, atque hoſtium numero perturbatum, ut eſſet in montium loca munitiora ſubducturus exercitum; revocâſſe Vatem, & impuliſſe ad prælium. At credibilius eſt, auctâ divinitus fide, (*Heb.* 11. 32, 33.) auctam & induſtriam, & promptitudinem, & alacritatem ad pugnandum, animíque maximi invictam vim. Monente igitur *Deborâ*, inſtar torrentis turbiníſve cum exercitu ex monte ruit in *Hazoræos*; quos (autore *Joſepho*) grandine

[Margin notes: à *Jabino* caſtigatos longâ ſervitute, — *Debora* & — *Baracus* — vindicant in libertatem,]

grandine adverſâ ità verberabat è cœlo Deus, ut conſiſtere nullo modo poſſent. Aliquo modo conſtat exanimaviſſe Deum, & hoſtes attriviſſe, ut reliqua eſſet *Iſraëlitis* non pugna, ſed cædes. Fuſi fugatíque omnes *Canaanæi*, & ad internecionem deleti ſunt, *Baraco* uſque ad *Hazorem* perſequente. Rebus deſperatis etiam *Siſera* fugit; &, nè currus proderet, ſe in pedes conjecit inter milites gregarios. Quæ nobis arma ſunt præſidiáque munitiſſima, ſubducente robur & audaciam Deo, onera & impedimenta fiunt. Per compendia viarum nota, eò tandem pervenit *Siſera* ubi *Heberus* conſtitutum habuit tabernaculum. *Heberus* autem ex *Cenitis* erat, poſterı́ſque *Hobabi Midianitæ*, qui *Moſen* & *Iſraëlitas* comitati fuerant in *Canaanæam*. *Cainus*, ſeu *Cenus*, & reliqui perrexerant cum *Judæis*. *Heberus* unus cum ſuis, ſive propter ſocietatem gratiorem *Naphtalidarum*, ſive paſcua ibi gregibus & armentis lætiora nactus, in finibus *Cedeſhi* tentoria fixerat; cum *Hazoræis* verò pacem colebat & amicitiam, mercede forſan ab iiſdem conducens paſcua. Eò itaque divertit *Siſera*, quaſi ad amicum & ſalutarem ſibi locum. Abſuiſſe domo videtur *Heberus* ipſe. Accedenti enim *Siſeræ*, uxor ejus *Jaël* occurrit obviàm, ac invitavit perhumaniter in tentorium, tutum pollicita & extra periculum fore. Ingreſſum & recumbentem operuit, ſitienti bibendum præbuit lac. Ille de via pugnæque moleſtia laſſus, & bene potus, & commodè coöpertus, jam ſomno erat ſe daturus. Sed de ſalute ſolicitus, hoſpitam priùs monendam orandámque cenſuit, ut ſtaret pro foribus tabernaculi, eminúſque reſponderet, ſi quis de ſe quæreret, adeſſe neminem in tabernaculo. Quanquam annuere viſa eſt religioſa mulier; magìs tamen quid Deo placeret, quàm quid *Siſeræ*, apud ſe cogitabat. Populi ſacri hoſtem crudeliſſimum, cæſum fractúmque divinitus, latitantem verò jam, ut, conſervatus ex hoc periculo, vires colligat, quibus affligat denuo conterátque populum Dei, denique hominem à Deo proſcriptum, neci dare, non fas modò, ſed & laude dignum putavit. Tacitè igitur accedens, ubi altùm ſenſit dormire *Siſeram*, clavo trabali impacto, & in tempora penetrante, humo affixit caput, æternóque ſomno dormientem conſopivit. Facinus virile prorſus; quod ut mulieri glorioſum, ità manu fœmineâ interire, tanto præſertim atque tot militum milliúmque duci, maximæ ignominiæ fuit. Vix finierat, ecce feſtinantem eâdem viâ *Baracum*, dum fugam hoſtilem victor perſequebatur, ducem dux. Lætiore nuncio fit illi obviàm *Jaël*, promittítque monſtraturam ſe quem quærebat virum. Monſtravit autem proſtratum humi, atque mortuum in tabernaculo *Siſeram*. Neque verò *Canaanæi* tantùm profligati hâc victoriâ, & cæſus *Siſera*, ſed ipſe *Jabinus* rex exitio datus; &, ſi qua *Joſepho* eſt fides, *Hazor* ipſa, regni metropolis, ferro ignéque novo vaſtata dirutáque eſt funditus.

A.M. 2711. duce Jabini Siſerâ victo, cæsóque à Jaële Heberi Cenitæ uxore.

§ 28. *Picus*, *Jani* filius, *Aboriginum* in *Italia* fit rex, patre mortuo, regnóque præfuit, *Euſebio* autore, annis 37. *Auguſtinus*, (de Civit. Dei 18. 15.) ex *Virgilio* (*Æneïd.* 7.) & *Ovidio*, (Metam. 14. fab. 7.) *Saturni* fuiſſe filium vult, aut *Stercæ*, ſeu *Stercutii*; quod nomen aliqui *Saturno* ipſi tribuunt, quia ſtercorare agros docuit. (*Macrob. Saturnal.* 1.) Idem *Auguſtino Picus Laurentum* habetur primus rex. In avem ſui nominis mutatus fingitur à Poëtis, eò quòd *Circen* ſpreviſſet: quod *Servius* (in 7. *Æneïd.*) ità interpretatur, Eum augurem fuiſſe, ac domi habuiſſe picum per quem futura noſceret, quod & Pontificales indicabant libri. Idcirco lituus, qui eſt augurum proprius, à *Virgilio* ei appingitur.

A.M. 2713. Picus, Jano mortuo, Aboriginibus imperat in Italia.

Ipſe Quirinali lituo, parvâque ſedebat
Succinctus tunicâ. ——————

Sed & ſtrenuus bellator fuiſſe dicitur. *Picus equûm domitor*, —— (ait *Virgilius*;) &, ——*utilium bello ſtudioſus equorum*, (*Ovidius*.) Ideo in avem *Martiam* audacémque mutatus, Picum.

Poſtquam *Lycaſtus* obiiſſet, *Cretenſe* imperium ſuſcepit, filiorum ejus maximus natu, *Minos*, tenuítque annis, opinor, 60. Hic inprimis magno ſtudio claſſem comparavit ingentem, quâ imperium maris quoque *Græcanici* occupavit, piratas ſuſtulit, *Caras* præcipuè ac *Phœnices*, eorum inſulas & urbes maritimas in *Aſia* cepit, eodémque deduxit ſuorum colonias; liberum denique pelagus, & mercatoribus pacatum, reddidit. Credibile eſt, maritimarum rerum peritiam à majoribus accepiſſe, à cognatis primò *Tyriis* eò delatam, uſu perpetuo ab inſularibus auctam, & hâc demum ætate quodammodo perfectam. (*Thucyd.* 1.) Et claſſe principem depugnaviſſe

A.M. 2715. Minos ſecundus regnat in Creta, & maria claſſe tenet:

A.M. 2715.

ſe *Minoëm Plinius* autor eſt. (Libro 7. 56.) Eum *Plato*, prudentiæ cauſâ, ſceptro *Jovis*, hoc eſt, divino quodam animi conſilio, rexiſſe *Cretam* ait. Nec ſola regis virtus ad hunc dominatum in aquis valuit, traditâve à majoribus navalis diſciplina; ſed etiam *Dædalus*, eò fugiens, plurimùm ſuo ingenio profuit, ac promovit navales quoque res. Cùm enim antea magni ponderis naves ſolâ remorum vi impellerentur; ille vela & malos & antennas artificio majore quàm alius quiſquam ante illa tempora navibus adhibuit, non autem primò excogitavit. Nam & *Bellerophon*, & *Perſeüs*, puto, velorum atque ventorum ſunt uſi beneficio ad navigandum. Id enim *Pegaſi* alæ & *Mercurii* talaria ſignificant. Denique, ſitus loci (*Ariſtotele* autore in Politicis) conducebat plurimùm. *Creta* inſula undique imminebat mari. Hinc *Aſia*, indè verò *Græcia* exiguo ſpatio aberant; ubi populi quidem innumeri degebant, ſed viribus infirmi. Singuli enim ſuis legibus contenti atque urbibus domi, nihil in commune conſulebant adverſus hoſtem foris. Hinc facilis ad obtinendum maris imperium aditus patebat *Minoï*, prudentiſſimo viro, ac tot præſidiis inſtructo ad navigandum. Poſt hæc igitur, adempto, qui ſolebat eſſe moleſtiſſimus, à piratis metu, tanquam Harpyis parata devorantibus omnia, populus *Græciæ* ſuas quiſque res tenaciùs & conſtantiùs tueri jam, mercaturam facere diligentiùs; agrorum & omnium ferè artium cultui dedere ſe, opes accumulare, ædes atque urbes magnificentiùs exſtruere, circundare muris oppida & propugnaculis; quæcunque minùs valebant, ea urbes opulentiores in ſuam vel clientelam recipere, vel ſubigere in ditionem.

cujus frater *Sarpedon Lyciam* invaſit.

Duo erant *Minoï* fratres, *Rhadamanthus* & *Sarpedon*. *Sarpedon Lyciam* incoluit *Aſiæ* Minoris regionem, ubi regnum & ſibi conſtituit, & poſteris reliquit, poſtquam annos fortaſſe 50 pluréſve regnaviſſet. *Miletum* primò condidit in *Caria*, quâ parte poſtea ſuam *Iones* gentem atque nomen collocârunt. Indè verò populares ſuos in *Lyciam* habitatum traduxit, & *Termilas* urbem appellavit. Qui poſtea *Milyæ* dicti, antea *Solymi*, tandem à *Lyco Pandionis* filio *Lycii* omnes denominati ſunt, ut *Strabo* ſcribit, (lib. 12.) *Tremilam* antiquitus dictam fuiſſe *Lyciam Stephanus* docet, à *Tremilo* rege, qui ex *Praxidicis* unam *Ogygi* filiabus duxerat. Tradit *Apollodorus*, (lib. 3.) *Minoëm* & *Sarpedonem* fratres, in amore fœdo rivales, de puero quodam contendiſſe *Mileto*. Legiſlator enim ille judéxque (utut ſeverus) in omnem Venerem pronus habebatur. Cùm autem puer in *Sarpedonem* inclinaret propenſiùs, utrumque armis perſecutus *Minos*, *Cretæ* finibus ejecit. *Miletum* in *Caria* ſui nominis urbem condidiſſe ferunt. *Sarpedonem* in *Lycia* ſtatuiſſe regnum, ac tres ibi hominum ætates vixiſſe. Quod eorum eſt figmentum qui non niſi unum nôrant *Sarpedonem*. *Miletus* ex *Cyaneë*, *Mæandri* filia, *Caunum*, & *Byblida* ſororem, gemellos ſuſtulit. *Byblis* fratrem inceſto amore impia deperit, à quo repulſa inſtat pertinax. *Caunum* fugientem *Byblis* ſequitur; & perſequendo *Cauni* veſtigia defatigata, in lacrymas fontémque reſoluta fingitur à Poëtis. Dignam tanto ſcelere, vel profanarum gentium judicio, mortem obiiſſe, patre dignam cinædo filiam, conſentaneum eſt ſatis.

Mileti filium filia deperit.

Rhadamanthus, alter *Minoïs* frater, judiciis præfectus.

Rhadamanthum regni *Cretenſis* ſocium habuit, eúmque judiciis præfecit *Minos*, virum integerrimum, atque in latrones alióſque omnes maleficos ſeveritatis inexorabilis. Ipſe interea foris vicinos terruit, imperium auxit, & primus totam inſulam in corpus unum redegit. Uxorem duxerat *Paſiphaën*, veneficæ *Circes* ſororem, & profligatæ pudicitiæ fœminam. Quod vitium in uxore tulit animo æquiore, quòd ipſe adoleſcentior in libidinem pronus habebatur. Neque magis auxit viribus, quàm legibus, etiam ſcriptis, temperavit imperium. Præſtantiſſimos ergò *Græcorum* eum ferunt imitatos; quemadmodum ipſe (ut ſcripſit *Ephorus*) *Rhadamanthum* quendam priſcum, juſtiſſimum virum, eſt imitatus. Sicut enim *Rhadamanthus* ille feritatem *Cretenſium* cicuravit primus, afferre ſe decreta à *Jove* fingens; ità & *Minos* ſimulavit, in *Jovis* antro commoratum ſe annis novem, ex ejus conſilio jus *Cretenſibus* tradidiſſe.

Oedipus à natali expoſititius.

§ 29. *Laius Thebanus* etſi monitus ab oraculo, nè quem ex *Jocaſta* filium ſuſciperet; accidit tamen per ebrietatem, ut cum ea rem haberet, unde natus eſt illi puer. Suæ igitur ut conſuleret ſaluti, filiique vitâ ſuam redimeret, curavit puerum jam natum in *Cithærone* exponendum. Contigit verò, ut *Polybi Corinthiorum* regis bubulcus relictum in monte reperiret, & ad reginam *Peribœam*, carentem liberis, deferret. Hunc à diis quaſi oblatum accepit lubens, & pro ſuo educavit, marito conſcio. (*Strabo* l. 8. *Hyginus* Fab. 66.)

—*Puer*

A. M.

————— *Puer autem Oedipi*
Tumore nactus nomen, & vitio pedum eſt. 2715.

Poſt *Amenophthen Rameſes* in *Ægypto* annis 60 regnat. 2719.

Pelops Rex *Piſæ*, inter plurimos alios, *Chryſippum* genuit; quem propter formæ 2720. dignitatem à *Laio Thebano* raptum ferunt: in ludis *Nemeæ*, *Hyginus* aſſerit, (Fab. 85.) qui tamen nondum fuerunt editi. Turpiſſimo hoc amore tum primùm flagraverat laſcivus ille, cùm in *Peloponneſo* exſul hoſpitio *Pelopis* uteretur, amaſiúmque hunc artis curulis rationem edoceret. (*Apollod.* 3.) Sed armis patrem repetiviſſe hanc prædam à plagiario memorant, captúmque ipſum *Laium*, utut veniá donatum à *Pelope*, quòd amore impulſus flagitium iſtud commiſiſſet. *Ælianus* (Var. hiſt. 13. 5.) *Laium* ait primum (oblitus ſcilicet *Ganymedis*) hoc in maſculos furore inſaniviſſe. Oraculo forſan deterritus, nè cum fœminis rem haberet. Et quanquam honeſtum ex eo tempore apud *Thebanos* haberetur, principem imitari; à *Laio* tamen dicta eſt *Laia lex* apud *Græcos*, qualis apud *Romanos Scatinia* erat, contra marium concubitores.

Laius Thebanus pæderaſtiæ autor.

Oeagri filius *Orpheüs* Poëtas omnes qui præceſſerant (*Pauſaniâ* judice) ſuperavit; adeò ut ſylvas attrahere, ipsáſque feras cicurare Muſicâ ſuâ traderetur; id eſt, homines ſylveſtres, ut rectè *Horatius* interpretatur. Deorum etiam initia, & peccatorum expiationes nefariorum, eum inveniſſe crediderunt *Græci*. Hic, uxore mortuâ, pueris deditus, fœmináſque exoſus, à *Bacchis* meritò diſcerptus eſt. (*Hygin.* Aſtron. poëtic. 2. *Lyrâ.*) Alii ſibi manus intuliſſe tradunt, cùm ſe ab umbra conjugis eluſum cerneret.

Orpheüs, etiam pueris addictus, trucidatur à fœminis.

Eâdem hâc ætate *Thamyras* etiam Poëta *Thrax*, *Lini* diſcipulus, ingenio præſtanti, muſicæ artis peritiſſimus, floruit. De qua arte arrogantiùs paulò gloriari ſolitus, oculis tandem privatus eſt artéque muſicâ. Ab eo, quòd *Muſas* provocârit ad certamen, videtur proverbium eſſe natum, Θαμύρας μαίνεται, *Inſanit Thamyras*. Idem à nonnullis traditur maſculæ Veneris primus autor, *Hymenæo* quodam perditè amato.

Thamyras Poëta pari modo inſanit.

In *Corcyra* inſula, quæ arcui ſimilis eſt, & appulſu *Ulyſſis* hoſpitióque nobilitata, *Phæax* dominatur, indéque populus *Phæaces* dicti.

Phæax in Corcyra regnat;

In *Ætolia* jam *Ætoli* regnabant filii, *Calydon* & *Pleuron*; quorum longa apud *Apollodorum* alióſque eſt proſapia.

Ætoli ſoboles in Ætolia.

§ 30. *Euenus* filiæ *Marpeſſæ* nuptiis hanc poſuit legem, ut ſecum proci contenderent certamine curuli; victis pœnâ mortis, *Marpeſſâ* præmio victoribus conſtitutâ. Cùm multi periiſſent, *Idas* tandem equos velociſſimos nactus, cum rapta virgine in fugam ſe proripuit. Quem perſecutus pater *Euenus* cùm aſſequi non poſſet, doloris impatiens equos ſuos jugulavit, & in fluvium *Lycormam* præcipitem ſe dedit, cui exinde & nomen dedit.

Euenus doloris impatiens ſe præcipitat.

Cephalus, venandi ſtudioſus, de uxoris ſuæ *Procridis* neglectæ pudicitia ſolicitus eſſe dicitur; (*Hygin.* Fab. 189.) nè, dum ille foris capiebat lepores, illa domi cicuris præda caperetur. Vultu igitur habitúque ſimulato, caſtitatem *Procridis* oppugnavit, tandémque donis expugnavit. Illa verò, cùm depoſitâ perſonâ maritum eſſe perſpiceret cui ſeſe prodiderat, pudore ſummo confuſa (relictis ædibus) ex *Attica* in *Cretam* tranſmigravit ad *Minoëm*. Eum verò, cùm liberos nullos poſſet generare, quippe ſcorpios, ſerpentes & ſcolopendras mingens, ità ut omnes quibuſcum illi res erat mulieres interficeret, ſanatum à *Procride*, (fœmina turpiſſima,) *Palæphatus* eſt autor. Sed *Paſiphaës* inſidias formidans *Procris*, & *Athenas* & in gratiam cum *Cephalo* rediit. Verùm, ut alii ſolent, ità etiam hic ſæpius

Cephalus uxorem pro fera necat.

————*manet ſub Jove frigido*
Venator, *teneræ conjugis immemor*:

adeò ut *Procris* zelotypiâ non minùs jam laborare cœperit, quàm antea libidine ardebat. Clàm ergò obſervavit mariti venantis in ſe fidem. At cùm inter frutices moveret ſe, movebantur & virgulta quibus occultabatur. Unde *Cephalus* telum vibrans (quod illi ex *Creta* ipſa *Procris* attulerat) exitiale, feram adeſſe ratus, ſuam jaculo confixit & confecit uxorem. Cùm vidiſſet quam eſſet lucratus prædam, vehementer indoluit, ſed fruſtrà prorſus; & ſolum vertere coactus à judicibus *Areopagitis*, *Thebas* tranſiit exſulans, ibíque plures annos egit. (*Pauſ. Attic.*)

§ 31. *Cy-*

A.M. 2726.

Minos Cycladas colonis tradit.

§ 31. *Cycladas* aliáſque in *Ægæo* inſulas, ſqualentes diu, vacuáſque humanis cultibus, *Minos Cretenſis* (qui longè latéque claſſe potenti dominabatur) colonis tradidit habitandas, claſsíſque ſuæ præſidio incolumes præſtitit; ſed eâ lege, ut ſubſidio vectigalium illi viciſſim naves alerent. Magnam quoque *Aſiæ* littoralis partem in ſuam redegit ditionem. (*Diod. Sic.* 5.18.) *Carpatho* etiam, inter *Cretam Rhodúmque* interjacenti, eadem claſſis populum ſuppeditavit. (Id. ib. c. 12.) *Cycladum* unam, quæ primò *Pactia*, tandémque *Paros* eſt appellata, marmore nobilem, *Minoida* nominabant. (*Plin.* 4. 12.) *Delon* diu fluctuatam ferunt, natóque ibi demum *Apolline* conſtitiſſe. *Inopus* ibi fons eodem quo *Nilus* modo, ac pariter cum eo, decreſcit augetúrque. (*Plin.*2.103.) In ea inſula nemini licebat olim vel naſci vel mori; ſed omnes in *Rhenen* deportabantur, inſulam adeò propinquam, ut in idem cum *Delo* nomen jam coaluerit.

A.M. 2730.

Ægyptus rex Arcadiæ; Laomedon Troadis; Cychræus Salaminis.

Poſt *Clitorem Arcadiæ* regem, ſine liberis obeuntem, ad *Epytum* patruelem, *Elati* filium, pervenit imperium; quod annos fortaſſe decem tenuit. (*Pauſ. Arcad.*)

Poſt *Ilum Troadis*, filius ejus unicus *Laomedon* ſuccedit, anníſque dominatur 49.

Aſopi filia *Salamis* natum peperit *Cychræum*, regem inſulæ *Salaminis*, virum fortem & generoſum, qui immenſæ magnitudinis ſerpentem interfecit. (*Diod. Sic.* 4. 6.) Draconem poſtea inter naves conſpectum memorant, de quo ex oraculo cùm *Athenienſes* quæſiviſſent, reſpondit *Pythia*, *Cychræum* heroa adfuiſſe. Quapropter ei conſecratum eſt templum, unà cum trophæo, victoriæ monumento. (*Pauſan. Attic.*)

Chryſippi forma invidiam ſibi conſcivit, & mortem.

Chryſippum, juvenem formoſiſſimum, quem ex alia matre ſuſceperat *Pelops*, pluris facere viſus eſt quàm quos ei uxor pepererat *Hippodamia*. *Atreus* igitur & *Thyeſtes*, ſuadente matre, (ut φθόνος plerumque φόνον parit,) *Chryſippum* è medio ſuſtulerunt. Sed patris iram veriti, ad *Sthenelum*, qui ſororem eorum duxerat, confugiunt. *Hippodamia*, ſceleris conſcia, de ſe pœnam repetiit, ac mortem ſibi conſcivit voluntariam. (*Apollod.* 2. *Hygin.* Fab. 84.)

Pelopis ſceptrum, non regnum, ad poſteros tranſiit.

Pelopem, fato ſuo functum, *Elei* præ cæteris heroibus, ut *Jovem* præ omnibus diis, coluerunt. Illud habetur memorabile de tanto rege, quòd ex ejus poſteris, qui per omnem *Peloponneſum* diſperſi ſunt, nullus in *Elide* regnaviſſe poſt eum traditur. (*Pauſ. Eliac.* 1. & 2.) Et filii ejus qui fraterno ſanguine manus imbuerant, mutuis inter ſe cædibus concertaverunt. Minimè ergò probandum eſt id quod (in Chronicis) *Euſebius* habet, poſt mortem *Pelopis Atreüm* & *Thyeſtem* diviſiſſe inter ſe *Peloponneſi* imperium. Tranſiit ad poſteros Sceptrum *Pelopis* celeberrimum, etſi Regnum non tranſiit. *Vulcani* opus credebatur, ac inprimis *Jovi* datum, deinde *Pelopi* à *Mercurio*. Divinitatis ei ſceptro neſcio quid credebatur ineſſe, eíque rem divinam quotidie faciebant.

O cæcas hominum mentes, & cœleſtium inanes!

Atreüm ferunt inſtituiſſe patri ludos funebres *Olympiæ*; quo quidem in ludicro, omne genus certaminum, *Hercules* victor exſtitit. (*Velleius Paterc.* l. 1.) At hoc poſt annos complures, *Hercule* vixdum nato, factum ut ſit neceſſe eſt.

Æſculapii plures: quorum præcipuus expoſititius.

§ 32. Dicenti de *Æſculapio*, illud *M. Tullii* (de Nat. deor. 3.) repetendum eſt, *Æſculapios* fuiſſe *multos, omnes verò Medicos; ut videatur hoc Medicorum inſignium nomen commune apud Græcos, ab Aſclepio forſan Ægyptio. Atque primus ex his, quem ut filium Apollinis colebant Arcades, ſpecillum inveniſſe, ac primus obligaviſſe vulnus dicitur. Eum aiunt expoſitum, ab Autolao Arcadis filio repertum, & pro deo conſecratum. Secundus erat ſecundi Mercurii frater. Is fulmine percuſſus dicitur Cynoſuris, urbe Arcadicâ. Tertius Arſippi filius & Arſinoës, qui primus alvi purgationem, dentiſque evulſionem, (ut ferunt) invenit.* Hæc *Cicero*. In his omnibus, *Coronidis* filium, ab *Epidauriis* tantopere celebratum, quem & nos quærimus, non reperio; cui tamen tribuuntur uni (more Poëtarum) quæ ab aliis geſta ſunt, quæque illis acciderunt omnia: niſi trium fortè poſtremus hic noſter ſit; quia *Pindarus* ejus matrem non *Coronin* modò, ſed *Arſinoën* quoque appellat. Huic *Apius* nomen erat inprimis; poſtea verò, cùm *Aſclem Epidauri* tyrannum ſanaviſſet; (aliúmve neſcio quem ejuſdem nominis,) Ἀσκλήπιον, *Latinè Æſculapium*, vocaverunt: vel ab α privandi particula, & σκέλλεσθαι, quòd homines mori cadaveráque fieri non ſineret. (Ità *Zezes* Var. hiſt. chil. 7.) *Chironis* fuit diſcipulus, unde Chirurgiam præcipuè, maximéque deſideratum animi ſui pabulum, avidiſſimo ſtudio arripuit, hauſit penitùs imbibítque. Medicus

dicus verò evaſit tantus, ut Deus Medicorum apud poſteros haberetur: utut mater ejus *Coronis*, gravida ſtupro clandeſtino, (ità *Pauſanias* in *Corinth.*) in finibus *Epidauriorum* enixa ſit. Sed nemine partûs conſcio, puerum in monte (qui *Tittheon* exinde dicebatur) expoſuit mater. Lac vagienti capra præbuit; capram canis obſervabat paſtoritius: utrumque paſtor inveſtigans, in puerum hunc incidit; aliquid in eo divinum eſſe, micante circa caput flammâ, ſuſpicatus. Talia ferè ſolent fingi de infantibus raræ magnæque indolis & ſpei.

A.M. 2730.

Oebalo (rege *Spartano*) mortuo, certamen inter filios de regno fuit. Sed *Hippocöon* (*Icarii* fratris ope, quem in partes ſuas conciliârat) longè ſuperior evaſit rivali fratre *Tyndareo*, regnúmque tenuit annos circiter 52.

Hippocöon Spartanus rex.

Adoleverat *Corinthi* jam *Laii Thebani* filius *Oedipus*. (De quo A.M. 2715.) Accidit autem fortè, ut eodem tempore uterque *Delphos* ad oraculum conſulendum proficiſceretur: hic de patre, quòd ſubdititium eſſe eum æquales ei objeciſſent; ille de filio quem expoſuerat, quid eo factum eſſet interrogaturus; quia prodigia quædam portendere videbantur, inſtare jam patri à filio necem. Trivium eſt in *Phocide*, ubi *Laius Oedipúſ*que ſimul cùm fortè conveniſſent, neutro de via decedente, rixa quædam orta eſt; filiúſque iræ indulgens nimiùm, patrem imprudens interemit.

Oedipus patrem ignarus necat.

§ 33. *Dædalus Athenienſis*, à quo *Dædalidis Atticæ* Demo nomen, filius *Mitionis* ſecundùm *Pherecydem*, (apud Scholiaſt. *Sophoclis* in *Oedipo.*) *Eupalemi* filius ſecundùm *Apollodorum*, natus *Palamaone*, ait *Pauſanias*, (in *Bœoticis*,) Architecturam artémque Statuariam excoluit, multíſque ſcitè inventis locupletavit. Primus omnium *Græcorum* ità ſtatuam effinxit animatæ ſimilem, ut viſum, & inceſſum, totúmque vivi corporis habitum referret. Nec aliud fortaſſe voluit *Ariſtoteles*, (in Politicis) qui ſtatuas *Dædali* ſcribit ipſas per ſe ſua opera ſubiiſſe; & *Plato*, (in *Memnone*) qui aufugere ſolitas ni vincirentur. *Philippus* Comicus (referente *Ariſtotele* l. 1. de Anima) *Dædalum* dixit ſignum feciſſe *Veneris*, quod infuſo argento vivo moveretur. Unde *Joſephus Scaliger* αὐτοκίνητα fuiſſe *Dædali* ſigna ſuſpicabatur. Habuit *Dædalus* quos inſtrueret adoleſcentes, nè unà cum artifice artificium interiret. *Talum* habuit inter alios nepotem ſuum, ingenio juvenem ad invidiam uſque ſingulari. Is rotam excogitavit figularem, ut & ſerram fabrilem. Alia reperit inſtrumenta, ut mox magiſtrum ipſum ſuperaturus videretur. Illam *Tali* præcocitatem *Dædalus* non tulit; dolóque incautum oppreſſit ac interemit. Quod in proverbium ferè abiit, Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, de ſe magiſtri verum eſſe neutiquam patientur. Aliqui *Dædalum* de tecto præcipitâſſe nepotem ferunt. (*Pauſ. Attic. Ovid.* Metam. lib. 8. fab. 3.) Cæde patratâ, ſive legum veritus rigorem, ſive ad mortem damnatus ab *Areopagitis*, *Athenis* clàm elapſus, ſaluti fugâ ſuæ conſuluit. In *Cretam* verò profugit, florentem opibus tunc temporis, regis induſtriâ prudentiſſimi. Cúmque omnium in ore eſſet propter ſolertiam incredibilem, ingeniúmque hominis excelſum ad ſumma contenderet, tandem & ipſe *Minos*, opera hominis contemplatus, amore maximo complexus eſt. *Cnoſſi* igitur diu moratus eſt *Dædalus* apud *Cretenſes*: quod plurimùm profuit inſularibus ad artem fabrilem & ſtatuariam à ſummo artifice perdiſcendam; indéque nobiles apud *Cretenſes* artifices poſtmodum exſtiterunt. (*Pauſ. Arcad.*) *Ægyptii* olim prædicabant, à ſe didiciſſe *Dædalum* eas artes, & pulcherrimum *Memphi* propylæum *Vulcani Dædalum* condidiſſe. Itaque ſtatuam ei ligneam (quam ipſe fabricaverat) in eodem templo collocatam; imò & fanum in quadam prope *Memphin* inſula, tanquam deo, poſitum. (*Diodor. Sic.* l. 1. & 4.)

A.M. 2731.

Dædalus Athenis ſtatuarius admirandus,

Talum interimit per invidiam,

& in Cretam deinde fugit.

Dum *Thebis Creon* imperabat, monſtrum *Sphinx* celebratiſſimum, vultu & pectore muliebri, caudâ & pedibus leonis, volucrúmque more indutum pennis, ex propinquo *Thebis* monte, tanquam ex inſidiis, erumpere ſolebat, ac viatores devorare. Illis ſcilicet proponebat hoc ænigma ſolvendum, Τίς τετράπους, δίπους, καὶ πάλιν τρίπους; *Quodnam illud eſſet animal quod manè quadrupes, meridie bipes, tripes veſperì incederet.* Qui ſolvendo huic ænigmati non erant viatores, eos abreptos dilaniâſſe hoc monſtrum ferunt. Atque oraculo renunciatum, non niſi ſoluto ænigmate liberas ab hoc malo *Thebas* fore. Cùm verò *Æmon* regis filius ab hac peſte ſublatus eſſet, promulgari juſſit *Creon* præconis voce, ei tum regnum ſe, tum *Laii* uxorem pro conjuge traditurum, quicunque *Sphingis* ænigma interpretari poſſit, aut modo quovis monſtrum tollere. Præmii magnitudo periculi minuit terrorem. In patria jam exſulabat *Oedipus*, agebátque *Thebis* inquilinum. Opportunum ei videbatur, ſuam & hîc fabricari

A.M. 2732.

Thebis Oedipus Sphingem ſuſtulit, matríſque ſuæ conjugio donatus eſt.

A.M. 2732. fabricari fortunam. Animal autem de quo quærebatur interpretatus eſt Hominem, qui manibus pedibúſque infans ſe promovet; at ſolis pedibus grandior factus nititur; ſenio confectus tandem, ſcipionis quaſi tertii pedis utitur adminiculo. Hâc ſolutione cùm ipſam tetigiſſet rem, quaſi victa ingenio *Sphinx*, de alta rupe ſe dedit præcipitem. *Oedipus*, ut regno, ità matris conjugio potitus eſt; unde filios duos genuit, *Eteoclem* & *Polynicem*, totidémque filias, *Iſmenen* & *Antigonen.* (*Diod. Sic.* 4.) *Sphingem* aliqui prædonem fuiſſe dicunt, quem *Oedipus* copiis *Corintho* eductis ſuperatum interemit. (*Strabo* l.9.) Ænigmata dicitur propoſuiſſe, propter locorum diverticula & difficultates, unde viatores faciliùs infeſtabat; donec *Oedipus* occultas locorum ambages ſuperâſſet. Leonis ei membra ſunt attributa, propter vim & crudelitatem; propter celeritatem, alæ. (Vide *Philochorum* in lib. de Sacrificiis.)

Victis *Teleboïs*, *Amphitryo* ducit *Alcmenam*. § 34. Imperabat adhuc *Mycenis Electryo*, *Sthenelus Tirynthi.* *Teleboæ* regnum *Mycenæum*, avo ſuo debitum, hæredi *Meſtoris*, ab *Electryone* certatim repetunt; & pugnam poſt acerrimam, ejus auferunt armenta. *Amphitryo* caſu *Electryonem* (patruum ſuum) interficiens, *Thebis* exſulat propterea apud avunculum ſuum *Creontem*, à quo luſtratus eſt, cædéſque expiata. Ibi de *Alcmenæ* connubio cogitat, quæ tamen nupturam ſe denegat, niſi fratris ſui manes ulciſcenti. Cujuſmodi virginis pietati *Amphitryo* cenſet obſequendum, bellúmque ſuſcipiendum in *Teleboas.* Commiſſis utrinque exercitibus, *Teleboïdes* inſulæ devaſtantur ac ſubiguntur omnes, unà cum vicinis, præter ipſam *Taphum*, quæ (*Pterelao* adhuc ſuperſtite) expugnari non potuit. *Amphitryo* inſulas commilitonibus ſuis concedens, *Melænam Cephalo*, quam vocavit *Cephaleniam*, ipſe duxit *Alcmenam.*

A.M. 2733. *Hercules* naſcitur. Gemini verò ſunt nati *Alcmenæ* filii. Major *Alcæus* nomine avito dictus eſt, ſiqua fides ſit *Diodoro*; *Alcides*, ſi *Apollodoro*; *Heraclides* denique, ſi *Æliano*; (Var.hiſt.2.33.) poſtea verò Ἡρακλῆς, id eſt, *Hercules*, à *Pythia* cognominatus: qui viribus, fortitudine, rerúmque præclarè geſtarum gloriâ, reliquos *Græcorum* heroas longè omnes ſuperavit. *Iphicles* minor eſt appellatus. Quæ ad *Herculem* deum ſpectant, de ſtupro *Jovis*, geminatis noctibus, novercali *Junonis* odio partum *Alcmenæ* remorantis, (donec *Euryſtheüs* prior naſceretur,) & immittentis duos angues, qui, ut primùm natus eſt, *Jovis* nothum interficerent, quæque alia Poëtæ fingunt, in Poëticis ſunt quærenda, & *Græcorum* Idololatria. Tanta enim ejus claritas apud *Græcos* erat, ut virorum inſignium penè omnium geſta fortiter in hunc unum *Alcmenæ* filium Poëtæ veteres congeſſerint.

A.M. 2735. *Amazonum* geſta varia. § 35. *Amazonum* imperio duæ jam reginæ præfectæ ſunt; quarum altera per vices foris militabat, altera domi regni fines tuebatur. *Marpeſia* nuper forinſecas, *Lampedo* res domeſticas adminiſtrabat. Magnas geſſiſſe res *Marpeſiam* ferunt, paulò fide majores, ut habentur apud *Juſtinum*, (l.2.) Tandem tamen cum ſuis, concurſu barbarorum, in *Aſia* interficitur. Hujus in locum ſuccedit filia *Orithyia.* Cui, præter ſingularem belli induſtriam, eximia ſervatæ in omne ævum virginitatis admiratio fuit.

Æacus Æginæ inſulæ & *Myrmidonum* rex. *Ægina Aſopi* filia filium *Æacum* ex *Jove* peperit, qui in ignem converſus eam ſtupraviſſe dicitur. (*Ovid.*Met.6.fab. 2.) Heroüm enim omnium *Jupiter* pater apud Poëtas fingebatur. Credibilius autem videtur, ab ejus inſulæ regulo genitum, quam *Oenonem* priùs, poſtea *Oenopiam* vocârunt Veteres. In hac regnavit *Æacus* annos circiter 60. Ejus imperio *Myrmidones* paruerunt, ex formicis à *Jove* homines facti, precante *Æaco.* Quam fabulam ità *Strabo*, (libro 8.) *Zezes*, (Chiliad. 7. hiſtor. 133.) & *Theagenes*, (de rebus *Æginet.*) commodè ſatis interpretantur: Raros aliquando incolas tenuiſſe hanc inſulam; nec eos in publicum prodiiſſe, neque domos ædificâſſe, verùm in ſpeluncis ac rupibus delituiſſe. Illic frumentum abdidiſſe; omniúmque expertes artium, ità pro more formicarum victitâſſe. *Æacum* verò, cùm ſaluti hominum conſuluiſſet, (prohibendo incurſus atque injurias piratarum,) ex antris ſpecubúſque produxiſſe inſulares, artes omnimodas docuiſſe, atque ità ex formicis feciſſe homines. Præ cæteris diis *Hecaten* inprimis coluiſſe feruntur *Æginetæ.* Simulacri tricipitis unicum erat & os & corpus. (*Pauſ. Corinth.*) Unus omnium ætate ſuâ mortalium *Æacus* vir integerrimus optimúſque habitus eſt.

GIDEON,

GIDEON, SIVE ANNALIUM MUNDI Primi Tomi

LIBER OCTAVUS; Qui, A *Gideone* ad *Jairum* Judicem, annos complectitur 50.

§ 1. EXtincti jam ſunt *Debora* & *Baracus*, qui autoritate ſuâ diu in officio continuerant *Iſraëlitas*. Jam verò, ſeu remittentibus diligentiam ſuam Principibus ſub exitum vitæ, ſive populo ad imperia magis refractario effrænatóque, ad ingenii ſui nativam pravitatem rediverunt. Irritamentis igitur peccatorum ultionem denuo provocavêre Divinam. Denuo igitur caſtigari placuit rebelles ab hoſtibus, *Midianitis* jam, qui mancipatum oppreſſúmque ſub dominio ſuo populum *Iſraëliticum* annis habuerunt ſeptem. Brevius hoc ſpatium ſervitutis quàm ſub *Jabino*, ut eo peccâſſe leviùs videantur. Nec enim, ut antea, dicitur, aut populum *addidiſſe* ut peccarent, aut Deum *vendidiſſe Midianitis*, ſed *tradidiſſe* tantùm. Interea, deſertis ædibus, in ſpeluncis latebríſque montium abdiderunt timidi ſe, caſtríſque & arcibus communivêre. Maximâ enim multitudine *Midianitæ*, unà cum *Amalecitis*, aliiſque gentibus ab Oriente, in *Canaanæam* quotannis effuſi, ad *Gazam* uſque vaſtabant ac depopulabantur omnia. Frumentum in ſemine ſegetéve corruptum, abacti greges, boves etiam aſiníque ablati ſunt; quo factum, ut inopiâ ſummâ rerum omnium laborarent *Iſraëlitæ*. Quid agant miſeri? Nihil in ſe præſidii, nihil ab aliis relictum erat ſpei. Quippe intus alebant hoſtes; in ipſis munitionibus, caſtris atque ſpeluncis ſuis fovebant peccata, quæ hiſce malis & calamitatibus oppugnabat Deus. Contra Deum verò munire ſe propugnaculis, ejúſque vim effugere eluderéve in ſpeluncis, fruſtrà conabantur. Tandem igitur tædere peccatorum & reſipiſcere, ſuſpirare ac ſuſpicere cœperunt opem ſupernam, auxilium Divinum ſeriis precibus implorare, & gemitibus anxiis elatíſque mox clamoribus pulſare cœlum. *Ità ſemper* (ait *Sulpitius Severus* Sacr. hiſtor. 1.) *in ſecundis rebus, immemores beneficiorum cœleſtium, idolis ſupplicabant; in adverſis, Deo.* Tandem exaudivit populi ſui querelas propitium Numen. Ac inprimis Propheta (*Phineam Judæi* putant) legatione functus eſt, verbíſque Dei ſummam illis ingratitudinem exprobravit, quòd "ab eo *liberati ex* graviſſima *Ægyptiorum ſervitute*, ab eo *terrâ donati* beatiſſi- "mâ, *expulſis* qui tenebant incolis, unicâ tantùm lege, ut *Jehovam* pro *Domino ſuo* "unicóque Deo colerent, *Amoræorum deos nè colerent*, *quorum in ditionem ſuccede-*

A.M. 2737. *Iſraëlitas*, in ſervitute ſub *Midianitis* agentes,

A.M. 2737.

"*bant, minimè tamen obſecuti ſint mandatis* Dei. Integrum ſe ac bonâ fide præſtiſſe fœdus antiquum, ab eorum parte multis modis violatum. Hæc Deus. Et mala ipſa jam ad conciones audiendas viam ſtraverant peropportunam, animóſque reddiderant magìs dociles atque attentos. Conciones ad reſipiſcentiam ſeriam excitabant. Seria denique pœnitentia peccatorum ſimul & calamitatum remiſſionem exorabat à Deo. Deinde Angelus, de cœlo demiſſus, ad quercum in *Ophra* conſidere viſus eſt humanâ ſpecie. Ea verò *Joaſhi* quercus *Manaſſidæ* fuit *Abiezeræi*, viri eò nobilioris, quòd eſſet *Gideonis* omnium nobiliſſimi pater. Ad locum torcularis alienum, triturabat fortè frumentum *Gideon*, quò lateret prædatores hoſtium. Quis enim exſpectaret triticum in torculari? Ad eum Angelus cùm acceſſiſſet, *Deus tecum*, inquit, *fortiſſime vir.* "Ain' verò, *Domine?* (reſpondit *Gideon.*) *Nobiſcum* "*eſt Deus? Unde igitur tanta nos infeſtant mala? Ubi tot ejus prodigia, quæ à majori-* "*bus noſtris fando accepimus*, edita in *Ægypto?* Heu! jam *deſeruit* ſuum populum "*Jehova Deus, tradiditque Midianitis* ſpoliandum conterendúmque. Ità conqueſto *Gideone*, fixis in eum oculis Angelus, "Imò *tu*, inquit, *quâ polles* animi corporíſ-"que *vi*, *liberabis* gentem tuam ab hac peſte. *Ego tibi mando* qui præſtare poſſum; "nè quid dubites. Tu modò ad opus hoc te accinctum compara & expeditum. Ad hæc *Gideon*, "*Egóne ut liberem Iſraëlitas, qui minimus meorum, ex inopi ſum or-* "*tus familia*, non maximæ tribûs *Manaſſidarum?* Quàm eſt impar onus hoc meis "viribus? Prædicatur quidem *Gideonis* fides, (*Hebr.* 11.32.) at ea, puto, non ut erat ab initio, debilis ac vacillans, verùm, poſt aliquam fortaſſe cunctationem & luctam, confirmata jam & ſtabilis. Quare Angelus reſpondet, "Quotus tu, quâve "ſis ortus familiâ, nihil attinet. Mitte humanas rationes; de viribus, opibus, au-"toritate ſolicitus nè ſis. *Ego tibi certò ſum adfuturus*, meíſque viribus *tu Midiani-* "*tas ad unum es omnes peſſundaturus.* His dictis paulò animoſior *Gideon*, ſuppliciter petiit exoravítque, ut ſigno aliquo prodigioſo cognoſceret, ſe cum Angelo miniſtróque Dei eſſe collocutum; neque verò indè Angelus diſcederet, donec, properans domum, aliquod pro more munus afferret proponerétque. Hœdum igitur coctum, azymáſque placentas in caniſtro, & in olla juſculum, exſpectanti ad quercum Angelo propoſuit comedenda. Rupes fortè aderat, in qua carnem panéſque jubet collocari Angelus, & inſuper effundi juſculum. Baculo deinde cùm tetigiſſet, ignis emicuit ex rupe, qui cuncta ſimul ſubitóque devoravit. Signo edito, quod certam *Gideoni* fidem faceret adfuiſſe vim Divinam, ſubduxit ex oculis humanis Angelus Dei ſe. *Gideon* verò, ubi ſignum vidit manifeſtum, Angelum non vidit, quod ſignum erat alterum, tremere ac vereri protinus, nè repentinâ morte corriperetur, eò quòd terrenis profaníſque oculis cœleſtem fuiſſet gloriam contemplatus. Dum querelis Angelum proſequitur, vocem repentè conſolantem ſe audit, pollicentémque non moriturum; tranquillo eſſe jubentem bonóque animo, proſpera enim futura illi omnia. Tam idoneum nactus inſtrumentum Deus, eâdem nocte jubet aram *Baalis* paternam, ſurdi atque maximi ſibi rivalis dei, funditus demoliri, lucúmque propinquum ſuccidere. *Joaſhi* verò ara dicebatur, ſive quòd is in civitate, ſive quòd in ejus idoli cultu princeps fuerit. Aliam deinde aram conſtruere mandat, ac ordinare novam in ea rupe, rémque divinam holocauſto facere in eadem; jumenti ſeptennis holocauſto, quod erat ſecundum in armento patris, ac ſaginatum devotúmque *Baali*: id autem ſucciſi luci ligno ſuccendere. Arduum hoc opus videbatur, & non minoris periculi quàm pietatis. Noctu igitur aggredi viſum eſt, nè quis *Baalitarum* occurreret fortè, ac impediret. Non minùs piè fit, quod lentiùs, modò prudentiùs agitur. Fervor ille pietatis qui præcipitem agit in rem arduam alieno tempore, impedit magìs & moratur, quàm longior opportuni conatûs exſpectatio. Faciliùs atque feliciùs cum æſtu in portum cymba delabitur, quàm contra velis eò atque remis impellitur. Decem igitur ſervis comitatus *Gideon*, nocte mediâ, dum aberant quieſcebántque alii, ſedulò peregit mandata Dei; altare ſuſtulit *Baalis*, ſuccîdit lucum, & in ſumma rupe aram collocavit *Jehovæ Shalom*; quod illam nomen multis poſtea ſeculis nobilitavit. Id autem ſignificat, *Deus pacem det.* Denique, ligno luci (quomodo imperaverat *Jehova*) ſacris operatus eſt. Primâ luce, ubi conſpexerunt *Ophræi* quid actum eſſet, indagandóque mox compeiſſent autorem, *Joaſhum* compellant, tradíque *Gideonem* ſibi poſtulant ad ſupplicium, utpote impietatis reum in *Baalem.* At *Joaſhus*, ſive quòd filii ſui ſalus ageretur, ſive quòd verâ jam pietate imbutus eſſet à Deo, ſive quòd ipſe, præfectus urbis atque princeps, homines privatos ultionem, ac autoritatem exigendi pœnas de maleficis,

Gideon, deſuper excitatus,

variiſque miraculis confirmatus,

maleficis, arrogantes ſibi non probaret, (quæ *P. Martyris* conjectura eſt,) paulò iracundiùs reſpondit; "*Vóſne*, inquit, *Baalis cauſam agitis? Baalémne vos tutamini?* A.M. 2737.
"Imò verò *qui Baali patrocinantur, ii tradantur carnificibus*: ſic noſtræ leges poſtu-
"lant: *idque primo jam fiat manè. Si quod Baalis numen ſit, ſuam ipſe cauſam agat,*
"ac defendat ſe contra homines impios, *qui ejus altare demoliti ſunt*, cultúmque diſ-
"turbârunt. Ex eo deinde *Gideoni* acceſſit novum nomen, *Jerub-baal*, quia *Joaſhus Baalem* juſſit litem intendere *Gideoni*, contráque illum tueri ſe qui ejus aram diruerat. Ità *Ophræis* obſtructa ſunt ora, *Gideón*que pro Judice Imperatoréque ſummo *Iſraëlitarum* habitus eſt. Tolli ſcilicet idola priùs voluit, unúmque *Jehova* ſe pro Deo coli, quàm pro vindice populi ſe atque patrono gerere. Cùm ergò *Midianitæ* unà cum *Amalecitis*, more ſolito, ad ſpoliandos *Hebræorum* agros conveniſſent, ac fluvium pertranſiiſſent *Jordanem*, in valle *Jezreëlis* caſtrametati ſunt. *Gideon* interea, Spiritu animatus Divino, claſſicum tubâ cecinit, quo *Abiezeræos* primò, *Manaſſidas* deinde omnes ad arma concitavit. *Aſeritæ* mox, & *Zebulonitæ Naphtalidæque*, nunciis à *Gideone* acceptis, armati obviàm prodiverunt. Summus autem dux Deum ante omnia conſulendum putavit de victoria; ſignúmque ſibi certum edi petiit, (quoniam Arca Dei Prophetæque longiùs aberant,) quò certus ipſe fieret de voluntate Dei. Monente igitur Divino Spiritu, vel fluctuante adhuc fide, (ut alii cenſent,) obſecravit, ut vellus quod in area per noctem erat depoſiturus, rore humidum tolleretur manè, terrâ undique ſiccâ. Id enim, propitium ſibi Numen fore, demonſtraturum. Cùm ejus voti compos factus eſſet, expreſsúmque vellus phialam impleviſſet aquâ, importunæ incredulitatis homini libuit experiri denuo. Nec enim adeò mirum fuiſſe videbatur, contraxiſſe vellus humorem, & imbibiſſe rorem, quod uſu venire ſolet, ac natura lanæ fert. Ac primò deprecatus iram Dei, oravit, idem ut vellus manè proximo, in terra undique humida rore, ſiccum reperiret. Id enim putabat à natura eſſe alienum. Cùm & hoc eveniſſet ex animi ſententia, indulgente hominis imbecillitati Deo, nihil ſibi dubitandum ratus cunctandúmve ulteriùs, ſumma cum fiducia bellum aggreſſus eſt. Miraculum de vellere S. *Ambroſius* (de Spiritu Sancto lib. 1. in procem.) & S. *Auguſtinus* (in *Pſalm.* 71.) ſcitè admodum de *Judæis* atque *Gentibus* allegoricè interpretantur: Primò enim *Hebræi* ſoli gratiæ verbíque Divini rore humectabantur, quo terra omnis in circuitu, hoc eſt, aliæ nationes carebant, arebántque. Poſtea verò, terrâ universâ gentium reliquarum eodem rore madefactâ, unicum vellus *Judaïcum* ſiccitate miſerâ vel adhuc laborat. Diluculò igitur egreſſus *Gideon* cum exercitu, ad fontem *Harodi* caſtra poſuit. Hoſtes ab Aquilone ſub monte *Hammore* tetenderant. Triginta hominum duóque millia coëgerat in exercitum *Gideon*. Sed hæ copiæ multò majores viſæ Deo ſunt quàm quæ ſufficerent huic bello, quanquam hoſtibus nullo modo pares. *Iſraëlitas* enim, quâ erant ingenii pravitate, ſuis daturos viribus victoriam, ſi tanto cum exercitu ſuperarent. Per caſtra igitur promulgari juſſum eſt, ſi qui timidiores eſſent, minúſque parati ad pugnam, ut domum ſe quàm primùm reciperent. Quo facto, viginti duo militum millia diſcedunt ex *Gileade*, ſuperſunt decem. Deus tamen adhuc ſupereſſe plures aiebat, quàm ut ſibi opus eſſet eorum ope operâve. Hâc autem arte placuit diminui numerum. Ad fluvium propinquum duci exercitum juſſit ut biberent: Quotquot in genua flexis poplitibus procumbentes ore hauriebant aquas, ut ignavos dimitti; quicunque palmis tollerent, & linguis canino more lingerent, retineri. Ex his trecenti modò relicti ſunt commilitones *Gideoni*; quorum operâ *Midianitas* profligaturum ſe, & liberaturum *Iſraëlitas*, pollicebatur Deus. Viaticum ſingulis, tubæque ſimul traditæ ſunt. His telis inſtructos, ad triumphum aptioribus quàm ad prælium, in hoſtes duci Deus imperat. Quòd ſi quid dubitaret *Gideon*, diffiderétque ſuæ paucitati, unà cum ſervulo *Phura* inprimis deſcenderet clàm ad hoſtium caſtra. Illic enim auditurum ea quæ magnos illi animos facerent. Facilè paſſus eſt augeri ſibi fidem pius vir. Nihil autem eſt quod viro militari magìs eximat pavorem, quàm notus illi pavor hoſtium. Vallem totam cameli armáque *Midianitarum* occupabant, numero penè infinito. Ad extrema caſtrorum tacitè accedit *Gideon* unà cum ſervulo *Phura*, fideli quadam fortitudine armatus animatúſque. Illic hoſtili tentorio admoventes ſe & ſubauſcultantes, militem audiunt mox enarrantem ſua ſomnia, quibus conturbari admodum videbatur. In ſomnis enim viderat tortam panis hordeaceam, devolutam ex monte, factóque in tentorium impetu, ſubvertiſſe id funditus. Contubernalis expoſi-

ad liberandos ſe accingit.

 turus

A.M. 2737.

turus quæ ſomniaverat commilito, "Utinam, inquit, falſus vates ſim. Mihi verò "*nihil hoc aliud ſignificare* videtur, *niſi Gideonis Iſraëlitæ vim* de monte iſto deſcen-"dentem in nos, *cui* magnus ille *Jehova Deus* profligandos *tradidit Midianitas.* Ut "enim nihil pane hordeaceo, ità nec populo *Hebræo* vilius habetur. Eo tamen im-"pellente corruit tabernaculum: vereor nè his invadentibus diruantur & caſtra "*Midianitarum.* Hæc *Gideon* cùm audiviſſet, grato animo pronóque in terram vultu Deum veneratus eſt, nuncii autorem gratiſſimi; reverſúſque, ad prælium ſuos accingere ſe quàm primùm imperavit, eò quòd certam iis *Jehòva* facilémque victoriam eſſet traditurus. In tria univerſos partitus agmina, præter tubas, portandas etiam ſingulis lampadas, ſed in hydriis reconditas, dedit. Reliquas turmas imitari ſuam juſſit, tubis clangere clangente ſe, ſummo conatu vociferantes ſimul exclamantéſque, *Dei gladius & Gideonis.* In diverſas ergò partes abeunt, quantúmque poſſunt circundant *Midianitas* mediâ nocte, ſub initium ſecundæ vigiliæ. Arguit *P. Martyr* (in 1 *Sam.* 11. 11.) ex hoc loco, veteres *Hebræos* tres tantùm habuiſſe vigilias, eò quòd à nocte media inciperet ſecunda. Poſtea, ex conſuetudine *Romanorum* fortaſſe, quartam addidiſſe. (*Marc.* 13. 35.) Quarum ſingulæ tribus conſtabant horis. Unde *Lucanus*, (lib. 7.)

(Agitur in tranſitu de Vigiliis apud Veteres.)

Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos.

Vocabantúrque apud *Latinos* hæ quatuor, Conticinium, Intempeſtum, Gallicinium, & Antelucanum. Addit *Iſidorus*, (libro 5. Etymol.) Veſperum, Crepuſculum, & Matutinum. Vigiliarum caſtrenſium *Plinius* tradit autorem fuiſſe *Palamedem* in bello *Troïco*; (*Plin.* 7. 56.) ſed multò poſteriorem his temporibus. Nec niſi tres in partes diviſiſſe noctem videtur (*Iliad.* 10.) *Homerus*; ubi *Ulyſſes* ait præteriiſſe noctis duas partes, reliquam fuiſſe tertiam. (*Pollux* 1. 7.) Itaque non niſi *Græcis* autorem fuiſſe *Palamedem* conceditur. Ut redeamus ad *Gideonem:* ſic ei placuit hoſtes adoriri, ut timore ſubito caſtra undique perturbarentur, ac, ſi fieri poſſet, terror iis Panicus incuteretur. Noctu etiam in ſomnolentos, ac temere tumultuantes, opportuniùs hoc fieri poſſe viſum eſt. *Gideonis* igitur præeunte tubâ, tubas inflant etiam reliqui omnes, fractíſque hydriis, in ſiniſtris lampadas geſtant, quantâque poſſunt contentione clamant, *Dei gladius & Gideonis.* Clangore tubarum & clamore militum ſuſcitati conturbatíque hoſtes, facibus tot undique collucentibus, exclamant & ipſi, magnóque impetu, non morati hoſtem pugnámve, fugiunt. In ſuos fugientes ruunt, ac ſæviunt ut in hoſtes crudeliſſimé: tantâ vertigine amentes agitabat Deus. *Aſeritæ, Naphtalidæ Manaſſidæ*que hoſtes conſpicati fugientes, perſequuntur acerrimè, ac cædunt. *Ephraïmitæ* quoque, per nuncios monente *Gideone*, occupant vada fluviorum, quà tranſeundum erat *Midianitis*, nè elaberentur. Duos principes, *Zebum* & *Orebum*, capiunt interimúntque. Ad ducem capita ultra *Jordanem* deferunt, ſuáſque ſimul querelas homines faſtuoſi, quòd tantum neglectis *Ephraïmitis* bellum ſuſcepiſſet, quaſi gloriam victoriæ ſuffuraturus, & ad unum ſe tradncturus omnem. Prudens vir mitibus verbis facilè fregit hanc & ſedavit iram: "Minimè "quidem ſe affectâſſe palmam hanc, quam illis ait ſe totam conceſſiſſe. *Ephraïmi-*"*tas* in bello quidem poſteriores, at multò eſſe priores in triumpho; ut *eorum race-*"*matio Abiezeris vindemiæ præponenda ſit.* Milites gregarios ſuam eſſe prædam; "duces atque *principes Ephraïmi:* Hujus victoriæ gloriam à ſe unà cum *Zebo* & *Ore-*"*bo* ad illos tranſiiſſe. Ità cedendo victor de ſuis abiit, qui hoſtes pugnando ſuperaverat. Sed alii duo *Midianitarum* principes, *Zeba* & *Zalmunna*, ſupererant adhuc, quos feſtinatione ſummâ perſequebatur *Gideon*, cum trecentis quos ei Deus tradiderat militibus. Ad *Jordanem* erat perventum, inediâque jam longâ laſſitudinem contraxerant. *Succoth* oppidum *Gaditarum* aderat in via. Hîc opem implorat dux, & ad reficiendos milites viaticum, qui defeſſi jampridem, ulteriùs tamen erant hoſtes publicos perſecuturi. Protervè urbis principes, *In tuâne*, inquiunt, *poteſtate manúque ſunt Midianitarum duces, ut tibi nos opitularemur?* Credebant homines impii, non poſſe fieri, ut à trecentis tot hoſtium ſubigerentur millia. Quietam ergò ſervitutem periculoſæ libertati ac incertæ præferebant. Summa erat hæc inhumanitas in ſuos populares, publicæque ſalutis propugnatores. Satis igitur animosè reſpondit ſubiratus dux, *Cùm ergò Zeba & Zalmunna in mea poteſtate manúque fuerint, veſtra ego corpora ſylveſtribus dabo ſpinis laceranda tribulíſque. Penuelem* indè progreſſus, idem & ab iis petiit, paríque proterviâ dimiſſus eſt. Non minùs ergò

Hoſtes fugat & perſequitur, delétque ferè univerſos.

& il-

& illis minitatus, *cùm victis rediret hoſtibus*, *turrem ſe Penuelitarum funditus diruturum.* Centum ac viginti jam *Midianitarum* millia perierant. Quindecim ferè millia, magni exercitûs reliquiæ, ſub *Zeba Zalmunnâ*que ducibus *Carcore* agebant, poſito metu, quaſi extra omnem belli aleam poſita. Magno per deſertum circuitu feſtinabat *Gideon*, hoſtéſque ſecuros ac minimè opinantes oppreſſit. *Zebam* atque *Zalmunnam* reges conſecutus in fuga cepit, exercitúmque fudit univerſum. Tantâ celeritate peracta res eſt, ut victoria hæc, quaſi alata, meritò advolâſſe videatur ad *Iſraëlitas*. Nondum exorto Sole, in reditu *Gideon* unum fortè comprehendit è civibus oppidi *Succoth* : ab eo deſcribente didicit, qui eſſent principes 77 ejus urbis, nè quos plecteret innocentes. Ut re igitur præſtaret quod erat interminatus verbis, "*Ecce*, inquit, viri *Succothenſes*, cujus in manu poteſtatéque ſint *Zeba* & *Zal-* "*munna*, quorum vos gratiâ famelicis militibus denegaviſtis viaticum. Dignam ha- "bete promiſſámque meritis mercedem. Spinis protinus lacerandos atque vepribus dedit. *Penuelis* quoque turrem diruit, oppidanóſque ſuſtulit univerſos. Ex *Zeba* deinde *Zalmunnâ*que ſciſcitatus eſt, quales ii viri eſſent quos illi *Tabore* interfecerant. Idne verò hoc in bello acciderit, an priore, nuſquam traditur. Reſpondent reges, regios planè & egregios fuiſſe juvenes, ipſi haud diſſimiles *Gideoni*. "*Meos* "*profectò fratres*, ait *Gideon*, interemiſtis uterinos. *Ut vivit Jehova*, *viveretis & vos*, "*ſi jam illi viverent*. Eorum ſalus veſtram redemiſſet. In iis ipſos voſmet occidiſtis. Quare *Jethero* adoleſcenti filio mandat, ut patruos ulciſcatur, regéſque cædat *Midianiticos*. Excitare voluit & exercere pater filii etiam impuberis fortitudinem, conficiendo principes hoſtium, hoſtium verò Dei. Sed tenera & penè puerilis ætas non eſt auſa patrare tam virile facinus. Perſpiciebántque reges, ab eo illatam ſibi vim majori & probro & cruciatui futuram. Deſperatâ igitur ſalute, mortem optabant quàm celerrimam, & honorificam ; nè imbecilla manus torqueret magìs quàm occideret, levibúſque plagis protrahendo, mortem faceret, non vitam, longiorem. Cædem ab ipſo duce factam ſibi levem aiunt atque gratam fore. Pro ſolatio mortis habituros, *A tanto cecidiſſe viro*. Etiam hoſtibus *Gideon* benignè non niſi mortem petentibus annuit, irruit, interfecit. Clementia hæc fuit, quòd occîdere dignatus eſt cupientes mori. Maximo malorum quod habetur, quaſi beneficio maximo gratificatus eſt miſeris. Apud *Iſaiam* Prophetam (cap.9.4.) videtur hæc nobiliſſima victoria traduci ad ipſum *Chriſtum* allegoricé. *Jugum oneris ejus*, *baculúmque humeri ejus*, *& virgam exactoris ejus ſuperâſti*, *ſicut in die Midian*. Hydriis enim confractis, id eſt, *Chriſto* in Cruce mortuo, lux Evangelii affulſit, lampade Spiritûs Sancti emicante, illuſtrantéque hominum corda ; & concionatorum tubæ ſonuerunt prædicando, clamoréſque precantium audiebantur undique per caſtra omnia, hoc eſt, per orbem terrarum univerſum ; quo ſuperati ſunt hoſtes Eccleſiæ, ſalúſque parta *Iſraëli*.

A.M. 2737.

§ 2. Debellatis *Midianitis*, gravi admodum ſervitutis onere levatos *Iſraëlitæ* ſentiebant ſe, *Gideonis* operâ. Autori ſuæ ſalutis mercedem ut redderent tantis meritis parem, regnum obtulerunt hæreditario jure poſſidendum. Pius vir, "*Abſit verò*, inquit, *ut ego*, *meorúmve quiſquam regno potiatur* in populum Dei. Unus *Jehova regnabit apud vos*, unus dominabitur Deus. Eſt quoddam levius tamen quod "*à vobis munus peto*, partem *ſpoliorum*, *inaures Midianitarum*. (*Ex auro enim Iſmaëlitarum gens* univerſa geſtare ſolebat *in auribus ornamenta*.) Libentiſſimè data eſt graviſſimi beneficii merces tam levis ; quæ tamen ſiclos aureos valuit mille atque ſeptingentos, præter lunulas & gemmas, & purpurea regnum geſtamina, & torquata camelorum collaria, qualia priùs à camelis regum ſuſtulerat *Gideon*. Ex his populi donariis veſtem ſacerdotalem (*Ephod Hebræi* vocant) fieri *Gideon* volebat, qualem ſummus geſtabat Pontifex, ut eſſet perpetuum ſuæ victoriæ monumentum. *Ophræ* id in urbe ſua conſervari voluit. D. *Auguſtinus* (Quæſt. in *Judic.*) ornamenta omnia, ipsúmque ſacerdotem *Ophræ* conſtitutum putat à *Gideone* ; quod, quia in loco minùs idoneo, procul à Tabernaculo & Arca Domini factum eſt, Dei adverſabatur mandato, ac proinde in aliquod idololatriæ peccatum incidit. Sed de ſacerdote apud *Ophranos* nihil ſcribitur in Sacris Literis, nihil à *Judæis* traditur. Probabilius ergò videtur, ipſi veſti, quaſi aliquid in ſe Divinum contineret, ſacra feciſſe populum, aut ſub ea veſte vero Numini : quod in ipſum *Gideonem* ejus monumenti autorem reddidit offenſum Deum, familiæque *Gideonis* exitio fuit.

Midianitis debellatis, Gideon regnum oblatum valde noluit.

§ 3. In

A.M. 2738.

Dardaniæ rex Capys;

2740.

Æpytus Arcadum, cui Aleüs ſuccedit.

§ 3. In *Dardania*, poſt *Aſſaracum, Capys* imperavit annos 39: qui *Anchiſen* genuit ex *Themide Ili Trojani* filia, & *Laocöontem.*

Æpytus Arcadum rex, (de quo anno 2730.) dum incautiùs venabatur in monte *Sepia*, à Sepe minutulo ſerpente ictus interiit, in eodem ſepultus loco. Longiùs enim efferri cadaver, odoris gravitas non tulit. De hoc ſepulchro meminit *Homerus*, quia nullum fortaſſe nobilius viderat. Nihil tamen habuit præter aggerem terræ magnum, lapideæ crepidinis orbe circundatum. *Aleüs Aphidantis* filius, tertio item gradu ab *Arcade* remotus, patrueli ſucceſſit in imperio. Regiam ſuam *Tegeæ*, quam ipſe condidit, conſtituit, & *Aleæ Minervæ* templum. Sui etiam nominis urbem conſtruxit *Aleam*. Genuerat etiam *Stymphalus Elati* filios tres; *Agamedem, Gortyna*, & *Agelaüm. Gortyna* urbem *Gortys* ad amnem *Gortynium* ſtatuit, imitatus patrem *Stymphalum.* (*Pauſ. Arcad.*) *Agamedem* credibile eſt urbem *Stymphalum* tenuiſſe, interfecto fraude *Pelopis* patre. *Phalanthus* etiam *Agelaï* filius montem, & in eo monte urbem ſuo nomini dedicavit. Regnaviſſe *Aleüs* videtur annos 43. Templum verò *Aleæ*, quod diximus, *Minervæ*, ſummâ religione *Peloponneſus* coluit univerſa. Sacroſanctum habebatur, atque aſylum, quò ſi quis confugiſſet, violari eum nullo modo fas erat. (*Pauſ. Lacon.*)

Augeas rex Elidis.

Eleo mortuo *Elidis* rege, filius regnum ſuſcepit *Augeas*, & 40 dominatus eſt annos.

Sicania, ſive Sicilia, in eâque miranda multa, lectu digniſſima, deſcribuntur.

§ 4. *Auſoniæ*, ſive *Italiæ*, pedi, magna, eadémque nobilis, in propinquo eſt inſula; quam *Græcis* primò *Trinacriam* & *Trinacrin* dictam, poſtea, ſono vocis molliore, *Trinacin*, ſeu *Trinaciam*, (*Homero Thrinaciam*,) *Strabo* docet, (lib. *6.*) Quod à triquetra figura, tribúſque promontoriis, nacta nomen eſt, *Peloro, Lilybæo*, & *Pachyno*; ità ut *Græcæ* literæ imaginem referat quæ *Delta* dicitur, Δ. (*Pomp. Mel.*) Unde Poëta, (Faſtorum 4.)

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor
Trinacris, à poſitu nomen adepta loci.

Pachynus Peloponneſum & Orientem ſpectat; *Pelorus*, ſive *Pelorias, Italiam Boreámque*; *Africam* reſpicit *Lilibæum* & Occaſum Solis. *Sicania* deinde atque *Sicilia* vocata eſt, ex nominibus incolarum. Ab initio eam inhabitâſſe *Læſtrigonas* atque *Cyclopas* produnt Veteres. *Euſtathius* (in *Homerum*) *Leontinos* ità dictos à Poëtis putat, homines inprimis feros atque latrociniis deditos, maximéque inhoſpitales. *Cyclopas* atque *Læſtrigonas Thucydides* non niſi unam quandam tenuiſſe partem inſulæ ſcribit. *Fazellus* (Decad. 1. lib. 1. cap. *6.*) veros hanc inſulam tenuiſſe gigantes contendit, edocétque ex plurimis quæ reperta fortè ſunt monumentis cadaverum ingentium, cubitos attingentium ſuperantiúmque viginti. Argumento ſatìs quidem efficaci, modò abſuerit impoſtura. *Gentem Cyclopum vaſti teſtantur ſpecus*, inquit *Solinus*, (cap. 11.)

Poſt dirum Antiphatæ regnum, & Cyclopea ſaxa,
Vomere verterunt primùm nova rura Sicano.

Vicatim habitabant *Sicani*, oppida ſibi parva in collibus munientes, ubi ab incurſibus prædonum præſtarent ſe tutos. Nondum unius regis imperio ſuberant univerſi, verùm ſingulis urbibus præerant ſui principes. Unde in hanc inſulam appulerint, pariter hîc ut in aliis gentibus obſcurum. Qui *Sicanum* eò advectum aiunt cum ampliſſima *Iberorum* manu, aut *Sicanos*, à *Sicore* vel *Sicano* amne in *Celtiberia* dictos, à *Liguribus* expulſos veniſſe, eos *Diodorus*, ipſe *Siculus*, *Timæum* ait Hiſtoricum refutâſſe, demonſtratâ liquidò gentis antiquitate. Indigenas tamen fuiſſe, ineptè creditur. Nec enim homines oriuntur ex terra, ut mures atque ranæ. Sed poſtea quàm *Ætnæ* mons flammâs eructare cœpit, ignîſque depaſceret propinqua omnia, & obrueret longinqua cinere, obſtinatúmque per annos complures incolas urgeret malum, orientales partes inſulæ deſeruerunt, & in occiduas commigravêre. Tandem remittente incendio, cùm *Siculorum* gens ità propelleretur à *Pelaſgis* & *Aboriginibus* in *Italia*, ut nuſquam liceret conſiſtere, ſed bellis perpetuis contereretur, æſtu maris obſervato, & ratibus extempore fabricatis, in *Sicaniam* trajecit univerſa, ubi vacuum colonis agrum in orientali plaga facilè occupavit. Cúmque ille anguſtior videretur, ampliandi ſpe finitima populabantur; unde ſæpius ortæ ſunt cum *Sicanis* bella, donec, mutuo tandem fœderum conſenſu, certos utrique ſibi limites

limites agrorum ſtatuerunt. *Siculi* tamen obtinuerunt, qui partes inſulæ proximas *Græciæ Italiæ*que tenebant, ut à ſe deinceps inſula *Sicilia* denominaretur. Annis 80 *Philiſtus* ante *Trojanas* res, *Ligures* aiebat, *Siculo* duce, *Itali* filio, ab *Umbris* atque *Siculis* pulſos è ſuis ſedibus, tranſmigrâſſe in *Siciliam.* A duce igitur dictam, non à gente vult. Unde *Silius*, *A.M. 2740.*

Mox Ligurum pubes, Siculo ductore, novavit
Poſſeſſis bello mutata vocabula regnis.

Tribus verò ætatibus tradit *Hellanicus Lesbius* (apud *Dionyſium Halicarnaſſ.* lib. 1.) contigiſſe hæc ante bellum *Iliacum*, *Halcyone* ſacerdote *Argis* viceſimum ſextum annum jam agente. Annos propè trecentos numerat *Thucydides* ante *Trojanorum* in *Siciliam* adventum, ex quo *Siculi* victos prælio *Sicanos* in partes inſulæ meridionales & occiduas compulerunt. *Phœnices* quoque circa omnem *Siciliam* habitavêre, occupatis extremis ad mare partibus parvíſque inſulis, negotiandi cum *Siculis* gratiâ. (*Thucyd. 6.*) *Agrippa* (apud *Plinium* 3. 8.) circuitu patére dicit hanc inſulam mill. paſſ. *6*18. At *Diodorus*, cui de ſua patria magis credendum videtur, ſtadiorum ait 43*6*0 ambitu complecti. Fertiliſſimam eſſe conſtat, maximè frugum, terram hanc, ut quæ pluribus in locis ſponte ſuâ triticum ferat agreſte. Unde *Homerus* ait, (*Odyſſ.* lib. *9.*)

Ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
Πυροὶ καὶ κριθαί.———

Itaque gloriabantur *Siculi*, ſuam inſulam *Cereri* fuiſſe ac *Liberæ* ſacram; in hac raptam à *Plutone* deam; hoc eſt, frugum ſationem primitus repertam, frumentíque uſum. Quare feſta ſolennia matri filiæque ſe quotannis celebrare: *Proſerpinæ* quidem, eo quo fruges tempore matureſcunt; (fruges enim ipſas ea ſignificat;) *Cereri* autem, primâ frugum ſatione per decem dies. *Ceres* enim Terra ipſa eſt, culta & ſata frugibus, *Proſerpinæ*que mater. Denique, fingebant Poëtæ, in *Plutonis* & *Proſerpinæ* nuptiis, hanc inſulam ſponſæ pro anacalyptris donatam à *Jove*, hoc eſt, pro muneribus iis quæ novæ nuptæ ſolebant dari, cùm retectâ primùm facie in virorum prodiit conſpectum. (*Diod. Sic.* 5. 2.) Adhæſiſſe quondam *Italiæ* ferunt, terræ motibus abruptam admiſiſſe marinas aquas, ubi *Siciliæ* urbs *Meſſana* (olim *Zancle* dicta) *Rhegio Italico* adverſatur, quod ex eo contraxiſſe nomen creditur. Et ipſam aliqui *Siciliam* propterea denominatam à *ſecando* malunt quàm à *Siculis.* Itaque *Virgilius*, (*Æneïd.* 3.)

Hæc loca vi quondam & vaſtâ convulſa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt: cùm protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arváque & urbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.

In hoc freto, quod 1500 tantùm paſſus in latum patet, millia in longitudinem 12, eſt *Scylla* ſcopulus, & *Charybdis* mare vorticoſum, ambo clara ſævitiâ, & à Poëtis decantata, ubi dicitur,

———*Ratibus*——*inimica Charybdis,*
Nunc ſorbere fretum, nunc reddere; cinctáque ſævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo,

propter concavas rupes, & claros indè à fluctibus verberantibus, quaſi canum latrantium, ſonos. Memorabilia hujus inſulæ, montes inprimis & fontes, urbéſque tandem, præter ſoli hominúmque ingenia optima. Montes, *Eryx*, *Veneri* ſacer; *Ætna*, *Vulcano*, nocturnis mirus ignibus. Crater ejus patet ambitu ſtadiorum viginti. At *Solinus*, (in cap. 11.) *In Ætnæ vertice hiatus*, inquit, *duo ſunt, Crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo priùs fremitu, qui per æſtuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera diu volvitur: nec antè ſe flammarum globi attollunt, quàm interni ſtrepitus antecedant.* Hyeme tamen, quanquam intus ardeat, foris (ut habet *Claudianus*)

Scit

A.M. 2740.

Scit nivibus ſervare fidem—ſtat vertice celſi
Collis hyems, calidâmque nivem tegit atra favilla.

Ità in utroque invicta vis; nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſolvitur. (*Solin.* ib.) Fragilis terra, & cavernis quaſi fiſtuloſa, ſtrato intrinſecùs ſulphure bituminéque generat ignes, atque nutrit ſuâ vi. Sed & undis alitur incendium. Nec enim in tam anguſtis terminis aliter durare tot ſeculis potuiſſet, niſi & aquis nutriretur. Et ubi acrior per ſpiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum ſaxorúmque moles egeruntur. Sunt & alii montes duo, *Nebrodes*, & *Neptunius*. E *Neptunio* ſpecula erat in pelagus *Thuſcum* & *Adriaticum*. *Nebrodem* hinnuli gregatim pervagabantur, quorum copia nomen dedit. Dignus ut his annumeretur, qui (ut *Silius* eum deſcribit)

———nectareis vocat ad certamen Hymettum
Audax Hybla favis:

Quippe ut thymo pabulóque apium, ità mellis copiâ præſtantiſſimâ abundabat.

Fontium fluminúmque abunde varia miracula narrat *Solinus*. Autoritatem fortaſſe habet ea ſcribentium, at legentium in plериſque vix habiturus fidem. De *Arethuſa Sicula* & *Alpheo Elidis* fluvio, *Verum eſt hactenus*, inquit, *quòd conveniunt fons & amnis* per ſubterraneos meatus. Ità *Virgilius*, (*Æneid.* 3.)

———Alpheüm fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.

Ità *Ovidius*, (Metam. 5. fab. 10.) *Seneca* Philoſophus, (in Natural.) *Plinius*, (2. 103.) *Pomp. Mela*, & Veteres plerique. Sed gravis Autor hæc reprehendit *Strabo*. Vide A.M. 2560. Certiora fortaſſe quæ *Diodorus* indigena ſcribit: ſacrum fuiſſe hunc *Dianæ* fontem, cujus piſcibus, etſi abundabant, veſci nefas. Quod ſi quando milites feciſſent per licentiam belli, in aliquam eos calamitatem irata dea (vel dæmon potiùs) conjicere ſolita credebatur. (Libro 5. 2.) Pergit *Solinus*, & *Dianam* ait, (fontis id erat nomen) *qui ad Camerinam fluit*,

———ſi quis manibus non caſtis hauſerit unquam,
Lætifico triſtis non miſcet pocula Baccho,

ut à *Rhennii Dionyſio* idem traditur. *Acidem, quamvìs demiſſum Ætnâ, nullus frigore antevertit. Himeræum cæleſtes mutant plagæ. Amarus denique eſt* (ſalſus, diceret) *dum in Aquilonem fluit; dulcis, ubi ad Meridiem flectitur.* Imò verò ſolum, non cœlum mutat *Himeræ* fluenta: cujus ea pars quæ profluit contra *Ætnam*, quia per terræ dulcem ſuccum percurrit, eſt infinitâ dulcedine; altera verò pars, quæ per ſalinas tranſit, ſalſum habet ſaporem. *Nebrode* ſcilicet monte deſcendens, in duos alveos dividitur. (*Vitruv.* lib. 8. 3.) *In Haleſina regione fons, aliàs quietus & tranquillus cùm ſiletur, ſi inſonent tibiæ, exſultabundus ad cantum elevatur, &, quaſi miretur vocis dulcedinem, ultra margines intumeſcit. Gelonium ſtagnum tetro odore abigit proximantes. Ibi & fontes duo: alter*, de quo *ſi ſterilis ſumpſerit, fœcunda fiet; alter*, quem *ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem. Stagnum Petrenſium ſerpentibus noxium eſt, homini ſalutare. In lacu Agrigentino* (vel potiùs, in fonte quodam ejus agri, *Plin.* 35. 15.) *oleum ſupernatat*, ſive liquidum bitumen inficiens rivum. *Arundinum comis hæret*, colligitúrque ad lucernarum lumina vice olei, & ad ſcabiem jumentorum. *Nec longè indè collis Vulcanius; in quo qui divinæ rei operantur, cùm proſicias intulerant, ſi adeſt deus, ſi ſacrum probatur, ſarmenta, licèt viridia, ſponte concipiunt ignem, & nullo inflagrante halitu, ab ipſo numine fit incendium.* Quod ab aliis de oppido *Egnatia* (*Plin.* 2. 107. *Horat.* Serm. 1. ſatyr. 5.) in agro *Salentino Italiæ*, hîc de *Vulcanio* colle traditur neſcio quo *Siciliæ*. *Achatem lapidem Sicilia primùm dedit, in Achatæ fluminis ripis repertum.* (Hæc *Solinus*.) Septuaginta duabus circiter urbibus inclaruit olim hæc inſula: (*Plin.* 3. 8.) quarum *Syracuſæ* facilè maxima, *Græcarúm*que omnium pulcherrima habebatur; ſed hâc ætate *Panormus*. Ob *Cereris* templum, famam *Enna* præcipuam habuit; quod in umbilico inſulæ auguſtiſſimum, deæ ſimulacrum oſtentabat ejuſmodi, ut homines cùm viderent, aut ipſam videre ſe *Cererem*, aut effigiem *Cereris*, non humanâ manu factam, ſed è cœlo delapſam, arbitrarentur.

Circùm jacebat campus floridiſſimus, quem circa lacus lucíque erant plurimi, & lectiſſimi flores ſingulis anni tempeſtatibus. Proptèr eſt ſpelunca quædam converſa ad Aquilonem, quá *Ditem* Patrem ferunt repentè exſtitiſſe cum curru. (*Cicero* in *Verrem* 7.) In *Siculo* freto eſt inſula (*Ogygiam* vocat *Homerus*) quam *Calypſo* habitâſſe dicitur. Ad Occidentem, *Æoliæ*, de quibus A. M. 2698. *Africam* versùs, *Gaulos*, *Melita*, & *Coſura*. *Melita* 800 ſtadiis *Syracuſis* abeſt, colonia *Phœnicum* quondam ditiſſima. Eò enim, propter portuum commoditatem, in longinquis peregrinationibus divertere ſæpiſſimè ſolebant. Eſt & altera *Melita* inter *Corcyram* & *Illyricum*, unde catulos *Melitæos* appellari *Callimachus* autor eſt. *A.M.* 2740.

§ 5. Exactis *Italiâ Siculis*, urbes eorum pleraſque tenuerunt *Pelaſgi*. Condiderunt & novas; etiam aliquas, *Lariſſam* præcipuè, in *Campania*, regione pulcherrima amœniſſimâque *Italicarum* omnium; unde *Abroniſſos* gentem barbaram ejecerunt. Urbium igitur maritimarum atque mediterranearum frequentiâ, multitudine civium, copiâ divitiarum, ità *Pelaſgi* abundavêre jam, ità floruêre, ut nihil eis ad ſummam felicitatem deeſſe videretur,——*Propria hæc ſi dona fuiſſent*, ac perpetua. (*Dionyſ. Halicarn.* lib. 1.) *Pelaſgi Siculos Italiâ excludunt.*

Anaxagorâ mortuo, tertiæ partis apud *Argivos* rege, *Alector* filius eam tenuit imperii ſortem annis fortaſſe 40. (*Pauſ. Corinth.*) *A.M.* 2741.

Ægeüs Athenienſium rex, cùm liberis ipſe careret, ſororibúſque ſuis etiam calamitatem putaret immiſſam ab irata *Venere*, ejus religionem in *Athenas* primus intulit, quâ placaret offenſum numen. Plures enim uxores duxerat, *Melitam*, ſive *Metam*, *Hopletis* filiam; deinde *Chalciopen*, *Rhexenoris*, vel, ut alii, *Chalcodontis*. (*Apoll.* 3.) *Iſaacus Zezes* (ad *Lycophron.*) addit *Autochthen Perſeï*. Sed uxores *Athenæus* ait (lib. 13.) amicis ſuis habendas eum tradidiſſe, quippe ſteriles; ipſum verò extra nuptias cum aliis multis habuiſſe rem. *Stephanus Ambraciam* ei filiam, (unde *Ambracia* dicta *Theſprotiæ* urbs,) & *Achæmenem* filium tribuit. 2742. *Ægeüs Athenis imperat.*

Poſtquam *Orchomenus* fato ſuo functus eſt, *Halmi* progenies à *Siſypho* interiit univerſa. Nullos enim filios reliquerat. Ad *Clymenum* ergò *Presbonis* filium, *Phryxi* nepotem, pronepotem *Athamantis*, *Orchomeni* regnum tranſiit; quod annis fortaſſe quinque tenuit. (*Pauſ. Bœot.*) Ferunt fuiſſe filiam huic *Orchomeno* (non *Arcadi*, uti *Joſ. Scaliger* habet) *Elaram*: quam à ſe compreſſam *Jupiter* (ut in fabulis eſt) ſub terra occuluit, zelotypæ veritus *Junonis* jurgia. Indè puerum magnitudinis immenſæ natum, quem *Terræ filium* appellat *Homerus*. (*Odyſſ.* 11.) Is *Latonæ* aliquando inferre conatus vim ad *Pythonem* eunti, à *Phœbo Dianâque* ſagittis interemptus eſt. (*Apollod.* 1. *Pauſ. Lacon.*) Ejuſdem ſceleris apud inferos etiam dediſſe pœnas dicitur; ubi, ut *Homerum* exponit *Virgilius*, (*Æneïd.* 6.) *Tityi fabula quid velit, & quâ occaſione nata.*

Nec non & Tityum, Terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: roſtróque immanis vultur adunco
Immortale jecur tondens, fœcundáque pœnis
Viſcera, rimatúrque epulas, habitátque ſub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.

Duos adhibet vultures *Homerus*, *Tibullúſque*,

Porrectúſque novem Tityus per jugera terræ
Aſſiduas atro viſcere paſcit aves.

In agro *Panopenſi Phocidis* ejus monſtrabatur tumulus, cujus haud amplior circuitus triente ſtadii patebat. Itaque ſunt qui *Homericum* illud de novem jugeribus, non ad *Tityi* magnitudinem referunt, ſed areæ in qua vinctus jacebat. *Homerus* (*Odyſſ.* 7.) *Rhadamanthum* dicit à *Phæacibus* in *Eubœam* fuiſſe tranſportatum, ut *Tityum* conveniret. In ea enim inſula ſpeluncam *Elariam* demonſtrabant, quæ fabulam (credo) peperit, *Elaram* ſub terra gravidam occultandi. Et ſacellum *Tityi*, cultúſque erat aliquis apud *Eubœenſes*, quanquam damnati ad inferos. (*Strabo* lib. 9.) *Lucretius* (lib. 3.) *Tityi* pœnam rei Venereæ cupiditatem, aliáſque ſolicitudines animi, ſignificare vult. Et certè libido intemperata, quo ille morbo laborâſſe videtur, edaciſſimus jecoris vultur, quæ ſatiata ſæpius recurrit ferè indies.

Erat hoc in more poſitum apud *Thebanos*, ut ſingulis annis puerum claris parentibus, formâ roboréque præſtantem, *Iſmenio Apollini* ſacerdotem deligerent. Is autem *A. M.* 2744.

A.M. 2744.

laureo ſerto coronabatur. Hoc munere *Amphitryonis* filius *Hercules* ornatus eſt, laurúmque geſſit, tripodémque deo dedicavit maximè omnium inſignem. (*Pauſ. Bœot.*)

Ægeüs conſulit oraculum, quâ filios arte procrearet.

Carebat liberis adhuc *Athenienſis Ægeüs*, qui mortuo ſibi ſuccederent, ac viventi præſidio forent. A *Pallante* ſcilicet metuebat ſibi fratre, nè, filiorum 50 exercitu elatus, raperet imperium vivo, non à mortuo exſpectaret. *Delphos* itaque proficiſcitur conſulturus oraculum, quâ ſibi filios arte procrearet. Vetuit *Pythia*, nè quam fœminam attingeret, antequam *Athenas* in patriam rediiſſet.

Utre pedem exſtantem, vir præſtantiſſime, mando
Nè priùs exſolvas, quàm ſcandas Palladis arces:

Admodum erant obſcura ſortis verba, ut conſultum putaverit rex *Pittheüm* in reditu convenire, qui oraculum exponeret. *Pelopis* filius *Træzeniis* jam *Pittheüs* imperabat; unúſque omnium ſapientiſſimus vir iis temporibus habebatur. Ea verò ſapientia non niſi apophthegmatibus & præceptis quibuſdam ad mores inſtituendos idoneis continebatur; qualia *Heſiodi* ſunt in iis libris quos *Opera & Dies* nuncupavit. Unum ex iſtis *Heſiodi* verſum *Ariſtoteles* ait autori fuiſſe *Pittheo* tributum, *Operis ſtipendium ſolvendum. Sed nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit.* Prudens itaque vir ſibi eſt oraculum interpretatus, ſuámque filiam *Ægeo* nocte ſuppoſuit, bene poto forſan & imprudenti, *Æthram.* Re compertâ manè, haud offenſus voluptate nocturnâ *Athenienſium* rex, gladium & calceos ſub ingenti lapide, *Æthrâ* tantùm conſciâ, occultavit; præcepítque ut, ſi puerum pareret, quàm primùm lapidem hunc movere loco poſſet, ea generis ſui pignora deferret ad ſe, ſed quàm fieri pôſſet occultè, nè ab hoſtibus *Pallantidis* interciperetur. Indè ſinum trajiciens *Saronicum Athenas Ægeüs* reverſus eſt. *Æthra* ſuo tempore puerum edidit, cui nomen *Theſeüs*, aut à matre datum, aut à patre mutatum eſt *Athenis*, propter ſigna generis quæ dixi repoſita. Interea fictus ei pater eſt alius, & vulgò *Neptuni* filius prædicabatur; quem *Træzenii*, utpote maritimi, religione magnâ pro numine colebant tutelari. Ei primitias offerebant fructuum quotannis; ejus tridentem nummis imprimebant. (*Hygin.* Fab. 37.) *Æthra* enim, ut celaret ſtuprum, & ex *Neptuno* gravidam ſe factam ſimularet, commenta eſt, *Minervam* per ſomnium monuiſſe, ut in parvam inſulam, propè annexam Continenti, *Sphæriam* tranſiret, illic inferias mitteret *Sphæro Pelopis* aurigæ, quem in ea ſepultum ferebant. Dum illa *Minervæ* monitis obſequitur, *Neptunus* in ſuo regno ſolam nactus, non potuit virginem dimittere. Ædes itaque dicata eſt *Apaturiæ Minervæ*, hoc eſt, *Fallaci.* Inſula verò ſacra dicta eſt, & inſtitutum deinde, ut aliæ *Træzeniorum* virgines, ante nuptias, *Apaturiæ Minervæ* zonas dedicarent. (*Pauſ. Corinth.*) *Delphis Træzenen* profecturus *Ægeüs*, *Corinthi Medeam* conveniſſe dicitur, (in *Euripidis Medea*;) ubi Scholiaſtes eum de oraculi mente conſuluiſſe *Medeam* fœminam ſagaciſſimam tradit; cúmque *Sinis* latrocinia deterrerent, nè terrâ iter faceret, *Træzenen* adiit, ut indè navigaret *Athenas.* At verò *Corinthi* nondum aderat *Medea.* Nec enim credibile eſt, poſt *Argonauticam* expeditionem geſta hæc, genitúmque fuiſſe *Theſeüm*, quem interfuiſſe nonnulli produnt.

A.M. 2745.

Aræthyreæ Phlias regnat.

Aræthyreæ in *Peloponneſo* regulus *Aoris* cùm obiiſſet, *Phlias* ſororis *Aræthyreæ* filius ditionem ejus adeptus eſt; cui *Liberum*, opinor *Bacchum Thebanum*, fuiſſe patrem ferunt. Is urbem condidit *Phliuntem*, eóque, ut in commodiorem locum, ex *Arantia*, ex colle in planum, cives tranſtulit. *Chthonophyle* uxor filium ei peperit *Androdamanta.* (*Pauſ. Corinth.*)

[a] In *Bœotia Itonus.*

[b] *A Minoë Rhadamanthus* ex *Creta* in minores inſulas amandatur.

[a] *Itonus* quoque *Bœoti* filius, regis *Bœotorum* in *Theſſalia*, iniit regnum patre defuncto, anníſque tenuit 30 circiter.

[b] § 6. *Minos Cretenſium* rex, potentiâ ſuâ elatus & regno ampliſſimo, fratrem *Rhadamanthum*, quem hactenus conſortem imperii habuerat, non tulit ampliùs, invidiâ quadam ſtimulatus, ob inclytam viri juſtitiam gloriámque. Nè igitur ſuæ luci officeret nimiâ propinquitate, ad extremos eum regni ſui fines quàm longiſſimè amandavit à ſe. Inſulas ergò *Cariæ* objectas *Rhadamanthus* tenuit. Indè *Erythrum* filium emiſit, qui *Erythras* urbem in maritimis *Cariæ* conderet; quam *Lycii* à *Sarpedone* miſſi, *Cares* & *Pamphylii*, unà cum *Cretenſibus* incoluerunt. (*Pauſ. Achaïc.*) Et *Oenopionem*, *Ariadnes Minoïdis* filium, (ut aliqui ferunt,) *Chio* principem inſulæ præfecit: (*Diod. Sic.* 5. 18.) quem à *Baccho* genitum fuiſſe commenti ſunt Poëtæ veteres, quippe vini conficiendi autorem. Vinum verò *Chios* inſula generoſiſſimum edidit.

edidit. Unà cum *Oenopione* filios adveniſſe refert ex *Ione Pauſanias*, (in *Achaïcis*,) *Talum*, *Euanthem*, *Melana*, *Salagum*, & *Athamanta*: eodémque in *Chio* regnante, *Caras* & *Abantes* ex *Eubœa* inſulæ partem occupâſſe. Præter ſortem à fratre datam, multæ ſe præterea inſulæ in fidem *Rhadamanthi* ſuâ ſponte tradiderunt, propter ſummam viri ſanctitatem: nec inſulæ modò, ſed aliqui etiam tractus *Aſiæ* Continentis maritimi. Singulis ergò ducibus ſuis aut urbem aut inſulam donavit magnificè; *Thaumanti Lemnum*; *Egyeo Cyrnum*, *Pamphilo Peparethum*, *Euameo Maroneam*, *Alcæo Paron*, *Anioni Delum*, *Andræo* quam ipſe *Andrum* vocavit. Nec erat modò celeberrima inter mortales dum viveret *Rhadamanthi* juſtitia; ſed Poëtæ, ad perterrendum genus omne maleficorum hominum, judicem eundem apud inferos conſtitutum fingunt. (*Diod. Sic.* 5.)

A.M. 2745.

§ 7. Decimum jam & quintum ætatis annum agebat *Hercules*. Optimis artibus; ut alii principum virorum filii, inſtituebatur. Agitare currus *Amphitryo* pater, luctare docuit *Autolycus*. Ab *Euryto* ſagittandi rationem, à *Caſtore* ſub armis exerceri didicit. Fidibus etiam canere *Linus* docebat, ejus (opinor) nominis ſecundus. *Apollodorus Orphei* fratrem ait fuiſſe, qui cùm *Thebas* commigrâſſet, & Citharœdicam doceret exercerétque, civitate donatus eſt. Atque hoc citharæ ſtudium ideo propoſitum ferunt *Herculi*, quòd ejus tardius ingenium aliam diſciplinam non caperet. Cùm autem imperitiùs inſtrumentum tangeret, increpuit eum *Linus*, vel etiam (ut habet *Apollodorus* 2. & *Diodorus* 3.) plagis affecit. Irritatus *Hercules*, præceptorem ſuum ipſo plectro quod tenebat percuſſum interemit. (*Ælian.* Var. hiſt. 3. 32.) Cædis poſtulatus lege, alteram ille *Rhadamanthi*, viri omnium æquiſſimi, legem oppoſuit adverſariis, unde abſolutus eſt. Legem verò hujuſmodi fuiſſe ferunt, *Qui manibus injuſtis irritantem ſe puniverit, inſons eſto.* Sed veritus *Amphitryo*, adoleſcentis ingenio virili pugnacíque ſatis jam perſpecto, nè quod facinus denuo violentius atque ferocius admitteret, ſi in turba civium verſaretur, ad armenta boum amandavit. Nec bubulci erat vile ſordidúmve munus in eo ſeculo. Sed ille reliquos paſtores virium præſtantiâ longè ſuperabat omnes; procero corpore, torvo terribilíque vultu, igneóque ſplendore quodam ex oculis emicante; ſagittandi jaculandíque peritiſſimus, ut rariſſimè aberraret à ſcopo. (*Apollod.* lib. 2.) Hâc ætate cùm primùm pubeſceret, quod tempus à natura ad deligendum quam quiſque viam ſit ingreſſurus datum eſt, *Herculem Prodicus* (ut eſt apud *Xenophontem*) exîſſe in ſolitudinem ait, atque ibi ſedentem, diu ſecum multúmque dubitâſſe, cùm duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius eſſet. (*Cicer.* de Offic. 1.) Virtutem enim atque Voluptatem coram ſe diſceptantes audiviſſe dicitur. Sed fabuloſum hoc ad commonendos adoleſcentes in lubrico ætatis conſtitutos fictum videtur.

A.M. 2747. Præceptor *Linus* ab *Hercule* interemptus.

§ 8. Dum feſtum *Neptuni Oncheſtii* ad urbem *Oncheſtum Bœotiæ* agitabatur in luco, accidit fortè, ut *Thebani* quidam, levi causâ irritati, *Clymenum Orchomeni* regem interficerent. Cædis autorem *Apollodorus Perierem* ait vocatum, *Menœcii Thebani* aurigam, ictúque lapidis eum vulnerâſſe regem. Multos *Clymenus* filios genuerat, *Erginum*, *Stratium*, *Arrhonem*, *Pyleüm*, minimúmque *Axeüm*. Maximus natu *Erginus* regno ætatis jure potitus eſt. Mox unà cum fratribus, magno exercitu contracto, ad cædem patris ulciſcendam (quod ipſe moriturus mandaverat) *Thebas* adortus eſt. Prælio fuſos eò adegit *Thebanos*, ut facinus patratum annuâ ſe pecuniâ, vel (ut ſcribit *Apollodorus*) centum bobus, ad annum uſque viceſimum redempturos, pacti juratíque ſint. Ex eo igitur *Thebani Orchomeniis*, quodammodo ſubditi, vectigal annuum dependebant. (*Pauſ. Bœot.*)

Minyarum imperio *Erginus*,

Polybo Sicyoniorum rege mortuo, ejus ex *Lyſianaſſa* filia nepos *Adraſtus* regnum adiit, quod annis tantùm 4 eum tenuiſſe ferunt. Aderat enim fortè apud avum moriturum, quò ejectus ab *Argivis* confugerat. Quippe *Talao* erat genitus *Biantis* filio, tertii regis *Argivorum*. (*Pauſ. Corinth.* & Scholia in *Pindari Nemea* 9.) *Joſ. Scaliger Pauſaniam* reprehendit, quòd inter *Polybum* & *Janiſcum* interponat *Adraſtum*. Sed cauſam addit leviſſimam, quòd eſſet *Adraſtus* eorum ſynchronos qui contra *Thebas* militârunt. Id autem non obſtare huic *Adraſti* regno, ipſa res demonſtrabit.

A.M. 2750. *Sicyoniorum* præficitur *Adraſtus*.

Hactenus *Diam* inſulam *Thraces* incoluerunt. *Diodorus* annos numerat ducentos; quod amplius multò ſpatium eſt quàm temporum ratio ferat, ſi regnante *Smardio Theſeüs* in *Naxum* appulit, quod ab eodem *Diodoro* traditur. Æſtu nimio & ſic-

Naxi Naxius;

 citate

A.M. 2750.

citate *Thraces* deſerere inſulam, & emigrare coacti ſunt. Sed redeunte mox priſtinâ ubertate, *Cares*, ex ea quam poſtea *Lamiam* vocabant expulſi, occupabant hanc, duce *Naxio Polemonis* filio; qui & ſuo de nomine pro *Dia Naxum* deinde appellari voluit. Virum hunc aiunt egregium fuiſſe, & filio morientem *Leucippo* tradidiſſe regnum, qui *Smardium* genuit. (*Diod. Sic.* 5. 12.)

Latii *Faunus* rex optimus: cujus uxor *Fatua*, mirè caſta, in deam abiit.

Faunus, *Pici* filius, pronepos *Martis*, (apud *Dionyſium Halicarn.* 1.) *Aboriginum* in *Italia* tenuit imperium annis 44 patre defuncto; vir fortis ac prudens, quem ut Indigetem ſacrificiis & carminibus *Romani* poſtea coluerunt. Uxor ei nomine *Fatua* fuit, (ſororem aliqui ſcribunt,) quæ, aſſiduè ſpiritu quodam impleta, velut per furorem futura præmonebat. Unde poſtea apud *Latinos*, qui inſpirari ſolebant, *fatuari* dicebantur. (*Juſtin.* 43.) Eadem à *Romanis* pro dea culta eſt, appellatáque *Bona dea*, quod tantâ pudicitiâ fuerit, ut nemo illam quoad vixerit viderit mas præter ſuum virum. (Autor *M. Varro.*) Erat ei templum poſtea in ſaxo *Aventini* montis, unde viri arcebantur, & fœminæ tantùm ſacra miniſtrabant. *Faunus* ipſe (ità dictus à *fando*, quòd voce, non ſignis, futura prædiceret,) hòmines more ferarum viventes in mitiorem vitam redegiſſe fertur, ſacraviſſe lucos, locis & urbibus nomina dediſſe, templa ædificâſſe; quæ *Fana* ideo vocata ſunt, quòd pontifices ſacrando illic *fari* ſolerent. Sed cultum deorum in *Latio Janum* inſtituiſſe plerique volunt ante *Faunum*: (*Pompon. Lætus* de Sacerdot.) qui tamen & hunc addidiſſe multa non negabunt. Filium *Fauno Stercutium Plinius* dat, (lib. 17. 9.) qui, ob ſtercorandi agros inventum, immortalitate donatus eſt, ipſe doctus ab *Hercule*. Quod tamen & nomen & artificium *Saturno* à pleriſque tribuitur.

Leo *Cithæronæus* ab *Hercule* interfectus.

§ 9. Antiqua erat & clara *Bœotiorum* urbs *Theſpiæ*, quibus hoc tempore *Theſtius* imperabat, eo maximè inſignis, quòd eſſet 50 unus filiarum pater. (*Apollod.* 2.) *Diodorus Siculus* (4.) *Theſpin* vocat, *Erechthëi Athenienſis* filium. *Amphitryonis Thebani* armento, quod *Hercules* procurabat, *Theſpienſium* regis propinqua erant paſcua ad montem *Cithæronem*. Ejuſdem ergò leonis rapacitas utrumque ſimul armentum infeſtabat. Adverſus commune malum *Herculis* opem implorabat *Theſtius*. Ejus enim, adoleſcentis adhuc, & robur corporis, & animi magnitudo, in ea jampridem vicinia famâ prædicabantur honorificâ. Nec *Theſtius* modò, ſed ejus filiæ ex *Herculis* ſemine procreari ſibi liberos magnopere expetebant. Dictus ergò eſt venationi dies. Regis hoſpitio *Hercules* lautiſſimo excipitur. Sed in dies 50 venatio protracta eſt. Ab *Hercule* tandem captus interfectúſque leo; cujus pellem ſibi deinceps pro veſte vel armis induit, hiatum oris pro galea. Interim ſingulis noctibus redeunti è ſylvis, & opiparè cœnato, quò adventum ſuum hoſpiti regi gratiorem crederet, ex regiis virginibus una thalami quoque ſocia data eſt, donec omnes inſciens impleviſſet ſobole, quam tantopere optabant, generoſâ. Cúmque ille non niſi unam eandémque toto venationis tempore ſibi ſuppoſitam credebat, 50 filiorum parens factus eſt, ac novam cœpit unus *Theſpiadarum* gentem condeie. (*Apollod.* 2.) Aliqui Poëtæ, ad augendum rei miraculum, unius noctis operâ gravidatas fuiſſe omnes tradunt. Unde illud,

Theſpiadæ geniti.

Quinquaginta unâ ſtupravit nocte puellas:
Herculis eſt decimus tertius iſte labor.

Nè prorſus incredibile videatur hoc, ſcribit *Theophraſtus*, (in Hiſtor. plant.) nonnullos adeò ſalaces fuiſſe, ut vel ſeptuagies unâ *Veneri* nocte litaverint.

A.M. 2751.

Ergini feciales ignominiosè habiti,

A venatione redeunti domum *Herculi Ergini Orchomenii* fortè occurrebant legati, ad tributum annuum à *Thebanis* poſtulandum miſſi. Magnanimus feróxque juvenis, vectigal à ſuis civibus, tanquam ſubditis atque ſervis *Orchomeniorum*, exigi non tulit. Quare obviis caduceatoribus nares præcîdiſſe dicitur, (addit aures etiam *Apollodorus*,) & funiculis ſuas iis collo manus circumligâſſe. Et hoc, ait, tributum *Ergino*, à me, atque *Minyis* tradite. Hujus facinoris gratiâ, *Thebani* poſtea *Herculi Rhinocoluſtæ* ſub dio ſtatuam poſuerunt. (*Pauſ. Bœot.*) *Erginus* magnopere indignatus, tantam ejus legatis oblatam à ſubditis contumeliam, bello graviſſimo *Thebas* invadit. (*Apollod.* 2.) Sed poſtulaverat priùs facinoris autorem dedi ſibi ad ſupplicium; eóque inclinabat ipſe *Creon*, magnus avunculus *Herculis*, maximæque autoritatis vir poſt *Oedipum*, maximas *Minyarum* opes reformidans, ut traderetur. At *Hercules*, excitatâ juventute ad liberandam patriam, arma publica templis affixa, & conſecrata diis, detraxit. Quippe omnia privata ſervis abſtule-

rat

rat ſuſpicax dominorum crudelitas. (*Diod.* 4.) *Thebanorum* copiis *Hercules* præficitur. Cúmque jam commiſſuri eſſent prælium, oraculo *Thebanis* traditum eſt, eos fore victores, quorum civis aliquis clariſſimi generis ultro ſibi ipſi mortem conſciſceret. Atque huc ferè oraculorum plurima tendebant, ut ſanguine humano quaſi paſcerent ſatiaréntque ſe immundi ſpiritus. In *Antipœnum*, ſummæ dignitatis virum, oculi omnium conjiciebantur. At is cùm adduci nullâ ratione poſſet, ut pro civium ſalute ſuam proſtitueret, ejus filiæ, *Androclêa* & *Alcide*, alacriter ſe pro patria devoverunt. Ità publicos honores promeritis, in templo *Dianæ* virginis *Eucleæ*, ſeu *Glorioſæ*, monumentum conſtitutum eſt. Leonem quoque lapideum ante fanum, poſt victoriam, dedicavit *Hercules.* (*Pauſ. Bœot.*) *Thebani* enim victoriâ potiti ſunt. In anguſtiis quibuſdam viarum occurriſſe *Minyis Herculem*, tradit *Diodorus*, ubi magnas hoſtibus explicandi copias deerat ſpatium; illic interfeciſſe regem, ac deleviſſe omnes copias; regiam incendiſſe mox, urbémque diruiſſe funditus. *Erginum* fuiſſe obtruncatum *Apollodorus* etiam refert. Sed probabiliora ſcribenti *Pauſaniæ* adverſantur. Nec enim aut cæſus rex, aut urbs capta eſt in hoc bello; unóve bellum hoc prælio confectum. Acerrimè quidem pugnabat *Erginus*, ut ad officium atque tributum revocaret *Thebas*. Sed contra *Herculem*, tum maximè ferocientem juvenili robore, ſemper infeliciter pugnabat. Cùm igitur magnopere acciſas videret bello *Minyarum* opes, civéſque ſuos propè confectos cladibus, pacem ità fecit cum *Hercule*, ut in poſterum *Thebanis* remitteretur tributum annuum: addit *Apollodorus*, (lib. 2.) ut *Minyæ Thebanis* geminatum penderent. Hoc in bello cùm fortiſſimè pugnaret *Amphitryo*, interfectus eſt. *Alcmenam* deinde ſibi conjugem adſcivit *Rhadamanthus*, qui neſcio quo caſu ejectus in exſilium (ut refert *Apollodorus*) in *Ocalea* urbe *Bœotica* habitabat. Conciliatâ cum *Thebanis* pace, ad priſtinas deinde opes & felicitatem redintegrandam omnes curas & cogitationes *Erginum* contuliſſe, narrat *Pauſanias*; adeóque totus in hoc unum ſtudium incubuiſſe dicitur, aliarum rerum oblitus omnium, ut ſenectus eum cælibem & orbum invaſerit. Magnâ tandem congeſtâ in magnum illud ærarium pecuniâ, cupiditas eum cepit ſuſcipiendi liberos. Oraculum hac de re conſulitur. His verbis ei reſpondetur,

A.M. 2751.

copiæque profligatæ.

Ergine ô Clymeni proles Preſbontida, ad aram
Ut ſobolem peteres veniſti ſerus, at & nunc
Temoni vetulo validum prætendito roſtrum.

Adoleſcentulâ igitur uxore ductâ, *Trophonium* & *Agamedem* genuit. (*Pauſ. Bœot.*) Mortuo tandem *Ergino*, filiis, opinor, nondum adultis, videtur *Azeüs* frater, ſive *Axeüs*, ejúſque poſteri ſuſcepiſſe regnum, qui *Orchomeniis* in bello *Trojano* præfuerunt. (*Homer. Iliad.* 2.) *Creon Thebanus*, poſt devictos *Minyas*, ob rem præclarè geſtam, *Herculi Megaram*, filiarum ſuarum maximam, in matrimonium dedit; ex qua filios tres, *Therimachum*, *Creontiadem* & *Deïcöontem* procreavit. *Teremachum* & *Ophiten Hyginus* appellat, duóſque tantùm numerat. (Fab. 32.) Minorem natu filiam *Iphicli Creon*, *Herculis* fratri, elocavit; qui jampridem *Iolaüm* filium, ex *Automeduſa Alcathoï* filia, ſuſceperat. (*Apollod.* 2.)

Megaram Creontis ducit Hercules.

§ 10. *Pallantium* erat in *Arcadia* urbs, à *Pallante* condita *Lycaonis* filio. Seditione illic ortâ his temporibus, populóque diffidente, ultro deceſſit in *Italiam* debilior factio, *Evandrum* ſecuta ducem, virum præclarum, conſilio & virtute bellicâ reliquis popularibus ſuis longè omnibus præſtantem. *Mercurii* filius habebatur, propter eloquentiam, credo, & nymphæ cujuſdam *Ladonis* filiæ, quam ſui *Nicoſtratam*, *Latini Carmentam* dixêre, utpote fatidicam; vel à *carminibus* quibus vaticinari ſolebat; vel quaſi *carens mente*, propter furorem vaticinum. Mediocris erat turba, navium duarum onus. *Faunus* igitur *Aboriginum* rex, quem ſupplices implorabant, & agros illis, & montem benignè aſſignavit, deſignatum priùs à *Carmenta*, poſtquam ſacra peregiſſet diis. Urbeculam in monte poſitam, ſuæ patriæ memores, *Pallantium* vocavêre; unde *Palatium*, & *Palatini* montis nomen, qui poſtea medium ferè tenuit *Romanæ* urbis. (*Dionyſ.* 1. *Pauſ. Arcad.*) Poſtmodum reliquiſſe *Pallantium Arcadas* refert *Solinus*, (ſed loco tamen reliquêre nomen,) *Reate* profectos, propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens *Tiberis* fecerat. In hujus montis radicibus templum *Evander Lycæo* conſtituit, quem *Græci Pana*, *Romani Lupercum* appellabant. Ipſum dei ſimulacrum nudum, caprinâ pelle amictum erat, quo habitu

Evander coloniam in Latium ducit ex Arcadia.

A.M. 2751. *Romæ* poſt *Lupercalibus* ludis decurrebatur. *Evander* enim ſolenne allatum ex *Arcadia* inſtituit, ut nudi juvenes *Lycæum Pana* venerantes, per ludum atque laſciviam currerent; quem *Romani* vocârunt *Janum* quoque. (*Liv.* 1.) Quippe omnium deorum apud *Arcadas* vetuſtiſſimus *Pan*, maximóque fuit in honore habitus. Antrum, ſub colle, denſum contegebat arbuſtum. Sub rupibus profundi ſcaturiebant fontes. Adhærebat etiam ſaltus, arboribus crebris atque maximis opacus. Illic arâ deo conſtructâ, patrio more ſacra perficiebant; quibus *Romani* poſtea iiſdem ſunt uſi. In vertice collis *Victoriæ* templum, & ſacrificia conſtituta ſunt anniverſaria: quam *Arcades Pallantis* fuiſſe filiam, *Lycaonis* neptem, prædicabant. Eos verò *Victoriæ* ſive Νίκῃ honores exhiberi *Palladem* inſtituiſſe, quòd cum hac dea ſimul educata fuiſſet. Traditam ſcilicet *Pallanti Palladem* à *Jove* ut primùm nata eſt, educatámque ab eodem, donec adulta in cœlum ſublata eſt. *Cereri* quoque fanum, & ſacra per fœminas atque *Nephalios*, *Græcanico* more, facta. Denique, *Neptuno* dedicârunt equeſtri templum, atque feſtum ſolenne, quod *Arcades* Ἱπποκράτια, *Conſualia* vocabant *Romani*: in quo equi muliqúe, ſertis redimiti, ab operibus feriari ſolebant. Alia præter hæc templa, & aræ, ſimulacráque diis conſtituta ſunt ab *Arcadibus*, & parentalia, & ſacrificia; quibus omnibus *Romani* poſtea perfuncti ſunt, iiſdémque ritibus uſi; immutatum verò nihil. Dicuntur & Literas in *Italiam* attuliſſe primi, quas *Carmenta* in *Latinas* commutavit, numero 15: (*Hygin.* Fab. 277.) Muſica etiam inſtrumenta; cùm nihil *Itali* haberent ex eo artificio præter tibias paſtorales. Sed & Leges poſuiſſe, victúmque priſcum ex ferino ad humaniorem traduxiſſe, docuiſſe Artes & ſtudia, commodáque alia contuliſſe in publicum, feruntur; quibus magnam ſibi autoritatem, ac venerationem penè, apud hoſpites conciliârunt. (*Dionyſ.* lib. 1.) Quare à *Romanis* etiam (qui ea poſtmodum loca tenuerunt) *Evandro* & *Carmentæ* annua ſacra peracta ſunt, ut aliis Heroïbus atque Geniis, aræque dedicatæ: *Evandro* quidem in monte *Aventino*, prope portam Trigeminam; *Carmentæ* verò ad portam *Carmentalem*, ſub Capitolio. *Carmentam* aliqui uxorem *Evandri* fuiſſe malunt; & pro Fato accepêre nonnulli, quòd in hominum natales dominaretur, ac propterea coleretur à matribus. (*Plutarch.* in *Romulo.*)

A.M. 2752. Mortuo rege *Mycenarum Sthenelo*, natus ejus unicus paternum ſuſcepit imperium *Euryſtheüs*, anniſque imperavit 43. Præter filium *Sthenelus* natas etiam ſuſtulerat, *Alcinoën* & *Meduſam*, ex *Nicippe* nata *Pelopis*. (*Apollod.* lib. 2. *Euſeb.* Chron.)

Euryſtheüs Mycenis, Poſt *Talaüm* patrem, *Adraſtus*, filiorum maximus, *Sicyone* ad ſuſcipiendum *Argis* regnum eſt vocatus, quod annis 48 tenuit. Eo diſcedente, *Janiſcus*, *Clytii* ejus *Athenienſis* nepos, cujus filiam *Lamedoni* nuptam diximus, ex *Attica* venit, relictúmque *Sicyone* regnum occupavit. (*Pauſ. Corinth.*) Ferunt eum imperâſſe annis 42.

2754. *Adraſtus Argis*, *Janiſcus* regnat *Sicyone*.

a 2758. *Jaſone* duce, ab incunabulis expoſitio,

[a] § 11. Ante res *Trojanas*, famæ celeberrimæ apud *Græcos* fuit *Argonautarum* in *Colchos* expeditio. Eam verò hac maximè de cauſa ſuſceptam ferunt. *Pelias*, *Iolci Theſſalicæ* urbis ac maritimæ rex, de ſucceſſu rerum ſuarum & ſucceſſore ſolicitus, *Apollinémque* ſciſcitatus, oraculo monitus eſt, ut ab *Æolidis* caveret ſibi. Aderat illi ex ea gente ſuus tantummodo frater *Æſon*; cui mox filius natus eſt ex *Polymede Autolyci* filia, aut *Alcimede Clymeni*. (*Hygin.* Fab. 14.) Hunc etiam infantem extimuit ſuſpicax tyrannus, & è medio ſuſtuliſſet, niſi ſubductum ex ædibus clàm, in *Chironis* antrum detuliſſent propinqui, & *Centauro* tradidiſſent alendum erudiendúmque. Adultus ergò, medendi artem cùm didiciſſet, *Jaſon* vocatus eſt, qui priùs *Dolomedes* appellabatur. Indè ſe contulit in paternum rus, urbe abſtinuit, operámque dedit agriculturæ ad *Anaurum* fluvium. Alterum interea datum eſt *Peliæ* ab oraculo reſponſum, ut ab eo ſibi caveret, qui unum calceum gereret, alteróque pede nudo incederet; vel, (ut *Hyginus*, Fabul. 12.) tum demum mortem exſpectaret, cùm ad eum *Monocrepis* accederet. Accidit fortè, dum ſacra *Pelias Neptuno* in littore faceret, quò ſuos omnes convocârat, ut eò feſtinans *Jaſon*, trajiciénſque *Anaurum*, alterum in limo calceum amitteret, neque tamen intermitteret inſtitutum iter. Ut eum conſpexit meticuloſus ſenex altero nudum pede, oraculi memor, interrogat ex *Jaſone*, quid eo eſſet facturus, à quo ſe interemptum iri ſortes *Delphicæ* monuiſſent. *Jaſon* de ſe fortaſſe dictum ſuſpicatus, quò mortem declinaret, *Colchos* eum ſe miſſurum dixit, ad theſaurum indè repetendum, quem è ſua gente *Phryxus* eò deportaverat; vel potiùs, ad aurum atque argentum, nec-

non

A.M. 2758.

non & ferrum, quibus metallis ditiſſimæ habebantur eæ regiones, auferendum. Eam *Strabo* (lib. 1.) juſtam hujus expeditionis cauſam arbitratur. Vellus aureum Poëtæ vocabant, de quo A. M. 2670. Arduum hoc, & *Periculoſæ plenum opus aleæ*, videbatur. Tibi ergò, inquit *Pelias*, denuncio, ut hunc ad me theſaurum deferas, vitámque aut meam redimas, aut tuam. Animi generoſi eſt, alacriter id facere quod recuſari non poteſt, nec propter diſcriminis metum opera declinare glorioſa. Promptè *Jaſon* obſecutus eſt regis patruíque ſui mandatis. *Argum* protinus conduxit *Phryxi* filium, (ſi *Apollodoro* fides,) vel *Polybi* & *Argiæ*, (ut *Hyginus* Fab. 14.) taurinæ pellis lanugine adopertum, ut navem ſibi longam fabricaret remorum quinquaginta. *Græci* non niſi rotundis videntur uſi priùs Myoparonibus. *Danaüs* tantùm ex *Ægypto* ejuſmodi nave in *Græciam* advectus eſt, quam eſt imitatus *Jaſon*. A fabro, navis *Argo*; ubi compacta eſt, urbs *Pagaſæ* dicta creditur à πήγνυμι, quod *Græcis compingere* ſignificat. Ab *Iolco* 20 ſtadiis aberat. (*Strabo* 9.) Fortiſſimos quoſque & principes juventutis *Græcanicæ* invitavit *Jaſon*, ut ſecum eſſent hujus militiæ participes gloriæque. Divulgatâ igitur opinione tam glorioſæ expeditionis, cùm ad eum certatim concurrerent, exercitum conflavit generóſum. Quinquaginta circiter ex principibus viris numerantur, 54 apud *Diodorum*, qui nomina dederunt, *Jaſonémque* ſecuti ſunt ducem, *Argonautæ* à nave cognominati; à gente verò *Minyarum*, quæ aliquam in *Iolcum* deduxerat coloniam, *Minyæ*, ut *Strabo* docet, (lib. 9.) Primúſque *Tiphys*, *Hagnii* filius, (*Phorbantis* & *Hymanes*, ait *Hyginus*,) navis gubernaculo præfectus eſt. *Tipha* enim oppidum erat *Bœotiæ* maritimum, & navale, ad ſinum *Corinthiacum*; cujus incolæ rerum ſibi maritimarum peritiam ſummam vendicabant, ſuúmque prædicabant civem fuiſſe *Tiphyn*. (*Pauſ. Bœot.*) 2. *Orpheüs Oeagri* nominatur. At is à *Mænadibus* jampridem dilaniatus. Alius videtur ejuſdem fuiſſe nominis, atque artis ejuſdem peritus, Citharœdus *Martis*. 3. *Argus*, qui navem fabricatus eſt. 4. & 5. *Calaïs* & *Zetes*, *Boreæ* filii, *Thraces*, capite pedibúſque alatis. 6. & 7. *Caſtor* & *Pollux*, imberbes, *Tyndari* & *Ledæ*, *Spartani*. 8. & 9. *Telamon* & *Peleüs Æaci*. 10. *Hercules Amphitryonis*. 11. *Theſeüs Ægeï*. At ille tum demum *Athenas* venit, annos 20 circiter natus, cùm ex *Ægeo Medea Colchica* filium peperiſſet *Medum*, ſexennio ut minimum poſt hæc tempora. Quare ab aliis pleriſque omittitur. 12. & 13. *Idas* & *Lynceüs*, *Aphareï Meſſeniorum* regis. 14. *Amphiaraüs Oicleï*, *Argivus*. 15. *Cæneï Coronus*. 16. *Palæmon Vulcani*, *Ætolive*. *Hyginus* ait *Lerni*, & *Palæmonum* vocat. 17. & 18. *Cepheüs* & *Amphidamus*, *Aleï* & *Cleobules* filii, *Arcades*. (*Hygin.*) 19. *Laërtes Arceſii*, *Ithacenſis*. 20. *Autolycus Mercurii*. At is, puto, fuit grandior ætate, quàm ut his rebus intereſſe potuerit, avus *Jaſonis*. 21. *Atalanta Schœneï* filia *Arcadis*. 22. *Menœtius Actoris*. 23. *Actor Hippaſi*. 24. *Admetus Pheretis*. 25. *Acaſtus Peliæ*, *Theſſalus*, qui ſponte, non rogatus, comitem patrueli ſe dedit. (*Hyg.*) 26. *Eurytus Mercurii*. 27. *Meleager Oeneï*, *Calydonius*. 28. *Ancæus Lycurgi*, *Tegeates Arcas*. 29. *Euphemus Neptuni*. 30. *Pæas Thaumaci*. 31. *Butes Teleontis* & *Zeuxippes*, *Athenienſis*. 32. & 33. *Phanus* & *Staphylus*, *Dionyſi*. 34. *Erginus Clymeni*. 35. *Periclymenus Neleï*, *Pyleüs*. 36. *Augeas Eleï* & *Naupidames*, *Eleüs*. 37. *Iphiclus Theſtii*. 38. *Euryalus Meciſteï*; qui minor ætate videtur fuiſſe quàm ut hîc adeſſe potuerit, quippe unus *Epigonorum* qui cêpêre *Thebas* poſt annos ferè 50. 39. *Peneleüs Hippalcimi*; & 40. *Leïtus Alectoris*: qui cùm bellum geſſerint *Trojanum*, rebus his eoſdem interfuiſſe minùs credibile videtur. 41. *Iritus Nauboli*, (*Iphitus Hygino*, & *Homero Iliad.* 2.) *Phocenſis*. 42. & 43. *Aſcalaphus* & *Almenus*, *Martis*, (*Ialmenus Homero*.) Sed & hi contra *Trojanos* militârunt. 44. *Aſterius*, ſive *Aſterion*, *Cometæ*. 45. *Polyphemus Elatæ*, *Hygino Elati*, matre *Hippiâ Antippi* filiâ, *Theſſalus*, ex urbe *Lariſſa*, pedibus tardior. Hos tantummodo *Apollodorus* numerat: è quibus tamen *Sophocles* & *Æſchylus* non numerant *Theſeüm*, *Amphiaraüm*, *Laërtem*, *Autolycum*, *Atalantam*, *Menœtium*, *Actorem*, *Euphemum*, *Pæanta*, *Phanum* & *Staphylum*, *Periclymenum*, *Euryalum*, *Peneleüm*, *Leïtum*, *Iritum*, *Aſcalaphum*, & *Almenum*. Sed plures addunt alios: 1. *Æthalidem*, *Mercurii* & *Eupolemiæ Myrmidonis* filiæ filium, *Lariſſæum*; 2. *Amphidamanta*; 3. *Argeüm*; 4. & 5. *Aſterionem* & *Amphionem*, *Hyperaſii*; 6. *Biantum*; 7. *Calaüm*; 8. *Canthum*; 9. *Clytium*, & 10. *Iphitum*, *Euryti* & *Antiopes*, *Oechalienſes*; (*Hyg.*) 11. *Echionem*; 12. *Eribotem*; 13. *Eurydamanta*, *Iri* & *Demonaſſæ* filium, ejúſque fratrem; 14. *Eurytionem*; 15. *Hylam*, *Thyodamantis* & *Menodices* nymphæ filium, *Oechalienſem*; 16. *Idmonem*, *Abantis* filium, *Argivum* augurem, *Apollinis* (Poëtæ fingunt) &

Argonautæ navigant Colchos.

Aſteries;

A.M. 2758. *Aſteries*; (*Hyg.*) 17. *Iphiclum Æſonis*; 18. *Laocoönta Oenei* fratrem, *Calydonium*; 19. *Laodocum*; 20. *Mopſum*, *Ampycis* filium & *Chloridis*, augurem; 21. *Nauplium*, ex *Theſſalia Lapitham*; 22. *Odeüm*; 23. *Oileüm*, patrem *Ajacis* minoris; 24. *Phalèrum*, *Alcontis* filium, *Athenienſem*; 25. *Tænareüm*, qui ſicco pede ſuper aquas currebat; 26. *Talaüm*, *Biantis* filium, *Argivum*. His inſtructa navis *Argo*, his acta remigibus, (ut Poëtæ prædicabant, qui tamen duces videntur potiùs in claſſe, quàm in nave remiges,) in *Colchidem* proficiſcitur. In itinere hæc ei accidiſſe ferunt. Primò, in *Lemnum* inſulam delata eſt, *Vulcano* ſacram, in *Ægæo* mari adverſus *Thraciam*, quæ ab *Atho* monte 87 mill. paſſ. diſtat, circuitu patet 22 mill. fluminibus caret. Oppida habuit *Hephæſtiam*, & *Myrinam*; in cujus forum ſolſtitio *Athos* ejaculatur umbram. (*Plin.* l. 4. 12.) Nobilitabat hanc inſulam Labyrinthus, *Cretico* *Ægyptio*que ſimilis, columnis tantùm 140 mirabilior; quarum in officina turbines ità librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. (*Plin.* 36. 13.) *Lemnia* Rubrica celebris, minio proxima, quæ non niſi ſignata venundatur; unde *Terra ſigillata* dicitur. (*Plin.* 35. 6.) At nihil hìc ab *Argonautis* jam repertum præter fœminas. Extinctum erat omne virile genus, uxorum conſpirantium ſcelere contrucidatum, quòd ob graveolentiam neſcio quam ſpernerentur à maritis, *Threſſas* præferentibus ancillas. *Hypſipyle* regnabat, quæ una patri pepercerat *Thoanti*, & ablegaverat clàm. In Cherſoneſo deinde *Taurica* eum regnaviſſe tradit *Hyginus*. (Fab. 120.) Novis tamen hoſpitibus ſua ſèque *Lemniades* proſtituerunt liberaliſſimè; donec ipſe Veneris laſciviæque tantæ pertæſus *Hercules*, increpuit ſocios, & ad iter inſtitutum revocavit. Ex *Jaſone* regina *Euneüm* & *Nebrophonum* filios peperit; quóſque alios *Lemniades* fœminæ conceperunt ex *Argonautis* liberos, patrum iis nomina impoſuerunt. (*Hygin.* Fab. 15.) Sed *Argonautarum* poſteri *Lemno* poſtea ejecti ſunt à *Pelaſgis*. *Hypſipyle* verò, quæ patrem ſola ſervârat, periiſſet ipſa, niſi fugâ celeri quæſiviſſet ſalutem; quam vix fugâ tamen conſecuta eſt, à prædonibus capta, & *Lycurgo Pheretis* filio, *Nemeæ* regnanti, vendita in ſervitutem. Ex *Ægæo* mari *Minyæ* in anguſtias eunt quas vocabant *Helleſpontum*; unde tenuis Euripus, 7 ſtadiorum latitudine, 86 mill. paſſ. ſpatio porrigitur ad *Propontidem*; ubi laxiùs exſpatiatur æquor, rurſúſque in arctum coït: quæ anguſtiæ *Thracius Boſphorus* dicuntur, latitudine 500 paſſ. Dein vaſtum mare, pontus *Euxinus*, qui quondam *Axenus*, longè refugientes occupat terras; magnóque littorum flexu retro curvatus in cornua, ab his utrinque porrigitur; ut ſit planè arcûs *Scythici* formâ. Medio flexu jungitur oſtio *Mæotici* lacûs. *Cimmerius Boſphorus* id os vocatur, 2500 paſſ. latitudine. At inter duos *Boſphoros*, *Thracium* & *Cimmerium*, directo curſu, ut autor eſt *Polybius*, 500 mill. paſſ. interſunt. (*Plin.* 4. 12.) Per *Euxinum* pontum erat in *Colchidem* navigandum. Primò igitur ad *Doliones* in *Propontidis* inſula pervenerunt, (*Hygin.* Fab. 16.) quibus imperabat *Cyzicus*, *Ænei* filius, *Euſori* ex filia nepos. (*Apollod.*) Ab eo perbenignè ſunt excepti. Sed ulteriùs paulò progreſſos nocturna tempeſtas, reflantium ventorum impetu, ad eandem inſulam ignaros locorum repulit. *Cyzicus* hoſtes adeſſe *Pelaſgos* ratus, quibuſcum, utpote propinquis, bella continenter gerebat, ad arma conclamat. Pugnatum eſt acerrimè; cùm neutri tamen ſcirent, quibus cum hoſtibus pugnaretur. Repulſi atque cæſi *Dolionum* plurimi, unà cum rege *Cyzico* à *Jaſone* interfecto: quod ubi poſtero die patuit, magno cum dolore luctúque, detonſis etiam ſibi capillis, tumulatum eſt à *Græcis* magnificè corpus regium; traditóque liberis regno, diſceditur. Ludos etiam in hoc funere celebratos, ſaltu, luctatione, & jaculo, tradit *Hyginus*. (Fab. 273.) Hæc, opinor, *Cyzicus* inſula eſt in *Propontide*, quam *Strabo* (libro 12.) Continenti ait annexam duobus pontibus, ſtadiorum 500 ambitu. Urbs inerat præclara, ejuſdem nominis; & portus duo, qui claudi poterant. Urbem *Pomponius Mela* conditam à *Minyis* tradit, ut *Cyzico* regi per imprudentiam cæſo monumentum eſſet. Unde *Ovidius*, (Triſtium lib. 1.)

Cyzicon Æmoniæ nobile gentis opus.

In monte qui *Dindymus* appellabatur, *Dindymenæ* Matri deûm *Argonautæ* templum dedicârunt. In *Myſiam* indè navigatum eſt. Ibi *Hercules*, cùm in terram deſcendiſſet unà cum *Hyla* puero, & *Polyphemo*, amaſium in aqua demerſum perdidit. Aquatum ſcilicet emiſſus eſt. Raptum à Nymphis, propter egregiam formæ præſtantiam, Poëtæ fabulantur. Ignari quid eo factum eſſet, *Hercules* & *Polyphemus*, dum puerum

puerum quærunt, etiam ſocios navémque requirunt. Ventorum quippe vi rapta in altum navis *Herculem* comitémque hærentes immorantéſque in ſicco reliquit. *Hercules* in *Græciam* rediit. In *Myſia Polyphemus*, urbe *Cio* conditâ, regnum inſtituiſſe traditur. Quos habuerit in regno ſubditos, quorum ope comitum in urbe conſtruenda ſit uſus, non traditur. Quaſi verò tam facile fuerit homini peregrino, & ſoli penè, in aliena ditione urbem atque regnum condere. Probabilius videtur quod ſcribit *Herodotus*, *Herculem* non adfuiſſe *Jaſoni*, aliis fortaſſe rebus occupatum domi. In *Bebryciam* deinde *Amyci* regnum appulerunt *Græci*. Is *Neptuni* filius habebatur & *Bithynidis*, (*Melies*, ait *Hyginus*, Fabul. 17.) homo ſævus & truculentus, ſed pollens viribus. Itaque hoſpites provocare ſolebat ad certandum cæſtibus, & victos perimere. Deſcendit in certamen *Pollux*, qui, cubito ejus percuſſo, pugilem ipſum interemit, qui plurimos antè dederat neci. Amiſſo rege, in *Pollucem* erant *Bebryces* impetum facturi. Sed arreptis armis *Græci* facilè abegerunt in fugam. Indè *Lycus*, inſulæ cujuſdam in *Propontide* rex, (*Mariandynos* vocat *Apollodorus*,) eò accepit honorificentiùs *Argonautas*, quòd hoſtem ejus interfeciſſent *Amycum*, à quo ſæpius infeſtabatur. Itaque diutiùs apud *Lycum* morati, dum venationibus oblectabant ſe, *Idmonem* vatem amiſerunt, qui ab apro percuſſus interiit. Is *Theſtorem* genuiſſe dicitur ex *Theſtia*, vel, ut alii, ex *Laothoë*, augurem, & *Calchantis* patrem. Dum honorificum *Idmoni* funus inſtituunt, *Tiphys* quoque nauclerus moritur: cujus in loco *Ancæus* ille *Samius* ad navis gubernaculum eſt adhibitus. Indè *Salmydeſſum* adeunt in *Thracia*, cui *Phineüs Tyrii Agenoris*, vel potiùs *Phœnicis* filius, nepos *Agenoris*, imperabat. *Heſiodus* enim *Phœnicem* tres genuiſſe filios prodit, *Cilicem*, *Phineüm*, & *Doryclum*. Alius ergò hic *Phineüs* à fratre *Cepheï*, quem interemiſſe *Perſeüs* dicitur. Oculis privatum à *Jove* fingebant, eò quòd, vates cùm eſſet ab *Apolline* inſtitutus, conſilia deorum enunciaret, ac prædiceret mortalibus futura: vel, quòd filios ſuos, *Crambin* & *Orythum*, ſive *Parthenium*, ex *Cleopatra Boreæ* genitos, propter *Idææ* novercæ calumniam, quaſi ſtuprum ei obtuliſſent, oculis multavit. Sed pœna gravior *Harpyiæ*, quæ *Jovis* dictæ ſunt *canes*, ideóque ſunt immiſſæ, ut cibum ſemper ſeni appoſitum diriperent, perpetuâque miſerum diſcruciarent fame. *Virgil.* (*Æneid.* 3.)

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis & ira deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Ingluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

His monſtris credibile videtur ſignificari ventos; at ventos ejuſmodi qui vapores inducant putridos fœtidóſque, adurant ſegetem, ac fruges corrumpant propè maturas jam, & ad meſſem ac menſam paratas. Itaque fingunt, *Harpyias* à *Boreæ* filiis in fugam actas, quoniam ab Aquilone flamina ſalutaria noxias exhalationes corrigunt abigúntve. Perſecuti verò dicuntur *Harpyias Calaïs* & *Zetes*, jaculis enſibúſve nudatis, ad inſulas uſque *Plotas* verſus Meridiem; quæ deinde *Strophades* vocatæ ſunt, quòd ab iis verſo itinere, ad ſocios *Boreadæ* redierint, poſtquam juratæ promiſiſſent *Harpyiæ*, *Phineo* ſe in poſterum moleſtas non fore. Neque à moribus aliena eſt hæc fabula. Mixtum enim illud avaritiæ genus *Harpyiæ* denotant, quod cum prodigalitate conjunctum eſt, opéſque alienas

Quærit ut abſumat, conſumpta requirere certat.
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.

Liberatus à pœna *Phineüs*, monſtravit *Argonautis* viam, ac præcipuè monuit de tranſitu per *Cyaneas* inſulas in ponto *Euxino*, ſive *Planetas*, quæ ab aliis *Symplegades* dictæ ſunt, *traditæque fabulis inter ſe concurrere; quoniam parvo diſcretæ intervallo, ex adverſo intrantibus geminæ cernebantur, paulùmque deflexâ acie, coëuntium ſpeciem præbebant.* (*Plin.* 4. 13.) Poëtæ *Phineüm* fingunt docuiſſe, ut columbam præmitterent ad viam explorandam; quæ ſi pertranſiret incolumis, ipſi nè dubitarent eâdem ſequi viâ: ſin periiſſet columba concurſu ſcopulorum attrita, fruſtrà eos progredi ac penetrare conaturos. Et emiſiſſe columbam *Argonautas*, quæ amiſsâ tantùm extremâ caudâ ſcopulis coëuntibus pervaſit: ſecutam verò navem, labore ſummo remigantibus *Argonautis*, puppis parte mutilatâ incolumem evaſiſſe. Has deinde inſulas, quaſi

A.M. 2758.

fixis in pelago radicibus, hæſiſſe immobiles. Admiſſi per *Cyaneas* petras in *Pontum* *Græci*, dum errabant incerti viarum, in *Diam* fortè inſulam delati ſunt, ubi 4 *Phryxi* filios naufragos inopéſque offenderunt, dum ad ſuos erant in *Græciam* redituri. Iis ducibus tandem

Contingunt rapidas limoſi Phaſidos undas,

qui clariſſimus *Colchorum* eſt fluvius, & ſitam ad fluvium hunc *Æam* civitatem. (*Herodot.* 1.) Collocatâ in occulto navé, *Chalciopes* ope uxoris *Phryxi*, filiis id agentibus, *Medeæ* commendatur *Jaſon*, *Æetæ* regis *Colchorum* alteri filiæ, fœminæ ſolertiſſimæ veneficæque. Nam & terra ipſa venenorum ferax invitâſſe videtur, & amitæ *Circes* diſciplina inſtituiſſe fœminam in rebus magicis. Præter alia, Ephemerium poculum inveniſſe *Medea* creditur, quod occulti quadam ignis vi habetur immedicabile. (*Nicand.* Alexipharm.) Ea ut primùm conſpexit *Jaſonem*, ſpecioſiſſimum virum, amore tanto protinus correpta eſt, ut omnia ſe facturam ejus gratiâ polliceretur, modò & ille promitteret juratus, eam ſe pro conjuge habiturum, abducturúmque in *Græciam*. Hujus amoris cum pudore ac pietate in patriam atque parentes lucta ingenioſiſſimè pingitur à Poëta *Ovid.* (Metam. 7. fab. 1.) In verba *Medeæ Jaſon* facilè juratus eſt, qui perſpexit, aliâ ſe lege voti compotem non futurum. Cùm ergò repetiiſſet ab *Æeta* vellus aureum, hoc eſt, theſauros aliáſque res à *Phryxo* delatas in *Colchidem*, Poëtæ fingunt, promiſiſſe regem traditurum ſe quod peteret, ſi modò *Cadmeï* ſerpentis qui reliqui erant dentes conſereret, tauris ignivomis & æripedibus adamantinum trahentibus aratrum; armatos deinde milites ex eo ſemine orituros ſubigeret. Quæ omnia cùm *Jaſon*, auxiliante *Medeâ* medicamentis carminibúſque, peregiſſet; tantum aberat tamen *Æetes* à præſtando quod erat pollicitus, ut navem flammâ, nautas ferro delere conſtituerit: ídque *Medeam*, conſilii paterni conſciam, detuliſſe ad *Jaſonem* ferunt; deinde, conſopito veneficiis quibuſdam Dracone qui cuſtodiebat, abſtuliſſe vellus aureum, & cum *Argonautis* denique profugiſſe in *Græciam*, *Abſyrto* fratre tanquam obſide abducto. Sed ut fabulæ mittantur, ſimillimum vero eſt, prodidiſſe *Medeam* arcana patris conſilia, ac tradidiſſe quem petebant repetebántve theſaurum, poſtquam cuſtodum aut fallaciis quibuſdam & artibus diligentiam labefactâſſet, aut muneribus fidem. Serpentina enim oculorum perſpicacia aptiſſimè cuſtodum ſignificabat vigilantiam. Potiti ergò quod petebant *Græci*, *Medeâ* ſimul raptâ, in fugam ſe nocturnam dederunt. Quam ubi dies prodidit, *Æetes* claſſe fugientes perſecutus eſt. Quare *Medea*, fratre *Abſyrto* jugulato, ejus membra diſcerpti ſic in ipſa via diſperſit objecítque patri, ut eo in colligendis filii reliquiis occupato, *Jaſon* interim elaberetur cum ſuis. Indè *Tomos* dicta; à diſſectis pueri membris loco nomen eſt datum. Ad ſepulturam filii redeunte patre, vel quòd ulteriùs pergere ſenem ætas non pateretur, claſſis tamen emiſſa cum mandatis atque minis, ut *Medeam* reducerent, aut nè ipſi redirent. Poſtquam diu errâſſent——*maria omnia circum*, neque *Jaſonem* tamen *Medeám*ve uſpiam invenirent, in *Corcyram* poſtremò appulerunt. Eò & *Græcos* fortè impulerat tempeſtas, à *Jove* concitata propter *Abſyrti* cædem, ut Poëtarum pietas fabulatur. *Colchi* protinus à rege *Phæacum Alcinöo*, qui patri *Phæaci* nuper ſucceſſerat, tradi *Medeam* ſibi poſtulant, ſui regis filiam, per maria hactenus quæſitam à ſe omnia. Reſpondit æquo jure acturum ſe *Alcinoüs*, omnémque rem craſtino die cogniturum. Eam ſe, modò virginem, remiſſurum ad patrem; nuptam verò, *Jaſoni* marito relicturum. Nam in uxorem eſſe marito jus, in filiam adhuc virginem patri. Interim à *Jaſone* ducta eſt eâdem nocte, *Arete* reginâ nuptias procurante. Cùm ergò pro *Jaſone* pronunciâſſet rex, & *Colchi* ſcirent, fruſtrà ſe in patriam abſente *Medeâ* redituros, alii *Abſyrtidas* inſulas habitârunt; alii *Corcyræis* permiſti tranſierunt in *Phæacas*; alii denique *Polas* condiderunt in *Illyrico*, quod nomen *Colchicè urbem exſulum* ſignificat, ut *Callimachus* docet. (*Strabo* lib. 5.) *Abſyrtum Hyginus* ait, (Fab. 23.) & *Strabo*, (lib. 7.) ab *Æeta* patre miſſum, ut *Medeam* atque *Jaſonem* perſequeretur; quam apud *Phæacas* tandem conſecutus, vi atque armis auferre conatus eſt. *Alcinoüs* arbitrum ſe interpoſuit, cujus tamen arbitrio minimè ſibi ſtandum eſſe *Abſyrtus* putavit; ſed *Græcos* diſcedentes ad *Minervæ* inſulam ſecutus, à *Jaſone* illic interfectus eſt. Sed in *Italiam* quoque veniſſe *Jaſon* dicitur, ubi in agro *Piſentino Junoni* templum *Argivæ* condidit. (*Plin.* 3. 5.) In *Theſſaliam Græci* tandem, poſt quatuor menſium navigationem, pervenêre. De reditu *Jaſonis* ut primùm audivit, ægerrimè tulit *Pelias*

Aureum vellus ad *Peliam* deferunt;

Iolci

Iolci rex, qui ſperabat hominem ſe in exſilium præcipitâſſe. Cùm igitur de interficiendo *Æſone* fratre, ac patre *Jaſonis*, cogitaret; ille fratris impietatem atque vim antevertit ſuâ, taurique immolati epoto ſanguine interiit: *Peliâ* jubente, *Diodorus* ait. Comitem viro futuram ad inferos animam, quam in terris habuerat ſociam, uxor ejus *Amphinome* laqueo expulit gladióve; ſed *Peliæ* crudelitatem diris omnibus exſecrata priùs. *Promachus* etiam puer interemptus eſt. Adfuit mox alter filius; qui tempus alienum eſſe adhuc querendi de injuriis ratus, diſtulit vindictam, vellus tradidit, & in Iſthmo *Corinthiaco* navem dedicavit *Neptuno*. Cúmque apertâ vi & armis contra *Peliam* nihil poſſet fieri, *Medeam* obſecravit, aliquam ut iniret rationem ſuis artibus, quâ tot atque tantas *Peliæ* ulciſceretur injurias. Filias habuit duas tantùm apud *Apollodorum Pelias*, *Aſteropéam* & *Antinoën*, ità nominatas à *Myrone* pictore, ubi Poëtæ ſilent. (*Pauſ. Arcad.*) Quinque tamen *Hyginus* numerat, *Alceſtin*, *Pelopiam*, *Meduſam*, *Iſidocen*, & *Hippothoën*. (Fab. 24.) Apud has gratiam conciliat ſibi *Medea*, ſive mentita *Dianæ* ſacerdotem ſe (ut *Hyginus* tradit, & *Diodorus*,) ante *Jaſonis* appulſum, ſive odio in *Jaſonem* ſimulato, (ut *Ovidius* Metam. 7. fab. 4.)

A.M. 2875.

ſed & artibus *Medeæ* mortem.

——— Odium cum conjuge falſum
Phaſias aſſimulat, Peliæque ad limina ſupplex
Confugit: atque illam (quoniam gravis ipſe ſenectâ)
Excipiunt natæ; quas tempore callida parvo
Colchis amicitiæ fallacis imagine cepit.)

Tandem pollicetur ſe, ut gratiam pro meritis referat, à ſumma ſenectute *Peliam* ad juvenilem ætatem ſuis veneficiis & medicamentis revocaturam. Et quò majorem hoſpitibus fiduciam faceret, ſuíſque dictis fidem, multa ſuis artibus miracula iis objecit, quæ veriſimilia videbantur; arietéque vetulo in ahenum conjecto, agnus indè pulcherrimus proſilire viſus eſt. In eundem igitur ahenum conjiciendus & *Pelias* fuit, emiſſo priùs, ex jugulati ac diſcerpti corpore, veteri atque inutili cruore. Sed ut fœminas filiáſque adduceret ad jugulandum elixandúmque patrem, eloquentiâ erat non vulgari opus.

Jámque neci ſimilis, reſoluto corpore, regem,
Et cum rege ſuos cuſtodes, ſomnus habebat:
Quem dederat cantus, magicæque potentia linguæ.
Intrârant juſſæ cum Colchide limina natæ,
Ambierántque torum. Quid nunc dubitatis, inertes?
Stringite, ait, gladios, veterémque haurite cruorem,
Ut repleam vacuas juvenili ſanguine venas.
In manibus veſtris vita eſt ætáſque parentis.
Si pietas ulla eſt, nec ſpes agitatis inanes,
Officium præſtate patri, teliſque ſenectam
Exigite, & ſaniem conjecto emittite ferro.
His, ut quæque pia eſt, hortatibus, impia prima eſt;
Et, nè ſit ſcelerata, facit ſcelus. Haud tamen ictus
Ulla ſuos ſpectare poteſt, oculóſque reflectunt,
Cæcáque dant ſævis averſæ vulnera dextris.
Ille cruore fluens, ſubitò tamen allevat artus,
Semilacérque toro tentat conſurgere; &, inter
Tot medius gladios, pallentia brachia tendens,
Quid facitis, natæ? quis vos in fata parentis
Armat? ait. Cecidêre illis animíque manúſque.
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abſtulit, & calidis laniatum merſit in undis.

Alceſtis, una filiarum, à patre manus abſtinuiſſe dicitur. Tandem ubi, vitâ decocto non redeunte, deceptas à *Medea* ſe *Peliades* advertebant, patrémque ſibi jam nec juvenem ſupereſſe, ac nè ſenem quidem, ſed impiè laceratum atque reſolutum cadaver, adeò ut reſtaret nihil humani corporis quod ſepulturæ traderent; tum verò, quò invidiam parricidii, & *Acaſti* fratris iram ultionémque declinarent, in *Arcadiam* profugiſſe memorantur; ubi poſt multa ſecula in agro *Mantineenſi* monſtrabantur

A.M. 2758. tur earum tumuli. (*Pauſ. Arcad.*) *Acaſtus* enim ſorores perſecutus dicitur, ut necem patris ulciſceretur, & funebres ei ludos inſtituiſſe. (*Pauſ. Eliac.* 1. *Hygin.* Fab. 273.) *Zethum* ait *Hyginus*, (vel *Zeten* potiùs,) Aquilonis filium, dolichodromo viciſſe, *Calaïn* ejus fratrem diaulo, *Caſtorem* ſtadio, ceſtu *Pollucem*, *Telamonem* diſco, *Peleüm* luctatione, *Herculem* pammachio, *Meleagrum* jaculo; *Cycnum Martis* filium armis occidiſſe *Pilum Diodoti*; *Bellerophontem* equo, (at ille jampridem interiit,) *Iolaüm* ſuperâſſe quadrigis, *Iphicli* natum. At ille nondum videtur pubertatem attigiſſe. Fabulam de reddita ſenibus juventute, *Palæphatus* vel de flore quodam interpretatur, quo capillorum canitiem ſuſtulit *Medea*; vel de calido lavacro, quo ſenes etiam ſaniores agilioréſque reddidit. *Pelias* verò, cùm, præ ſumma ſenectutis debilitate, æſtum atque ſudorem ſuſtinere non poſſet, extinctus eſt. Interim dato à *Medea* ſigno, *Jaſonem* occupaviſſe regiam *Hyginus* docet; (Fab. 24.) ſed *Acaſto* comiti ſuo reddidiſſe regnum. Ejectam ab *Acaſto Medeam Jaſonémque* ſcribit *Apollodorus*; *Medeam* profugiſſe clàm, *Pauſanias*. Migraviſſe *Corinthum* conſtat, ubi *Æetes* quondam pater *Medeæ* regnaverat. Hujus expeditionis exſtitiſſe in *Armenia* paſſim & *Media* finitimíſque locis monumenta, circa *Sinopem* ejúſque oram maritimam quoque, *Propontidem*, & *Helleſpontum*, uſque ad *Lemnum* inſulam, multa indicia prodit in Geographicis (lib. 1. & 11.) idoneus autor *Strabo*. A *Baccho* ad *Herculem* & *Argonautas*, anni ſexaginta tres colliguntur apud *Clementem Alexandrinum*. (Stromat. 1.)

Aliter *Diodorus* res narrat *Argonauticas*. § 12. In rebus *Argonauticis*, *Diodorus Siculus* fatetur, ſibi cum aliis pleriſque Scriptoribus non convenire; nec in priſcis fabulis quærendam eſſe conſtantem ſibi in omnibus hiſtoriam. In quibuſdam verò jure mihi reprehendendus videtur. *Peliam* ſcribit *Jaſoni*, ambienti aliquod præclarum facinus, eò libentiùs annuiſſe, quòd ipſe careret virili ſobole, ac propterea ſibi à fratre metueret; cùm tamen fateatur idem mox, regnum à *Jaſone* traditum *Acaſto Peliæ* filio. Deinde, *Herculem* ait imperatorem à proceribus creatum: quod in aliena re, navéque aut claſſe aliena, cui *Jaſonem* ipſe ducem præficit, alienum videtur & minùs credibile. Reliqua verò ſic narrat: *Athon* ac *Samon* prætervectos Heroas, ad *Sigæum Troadis* promontorium procellarum vi adactos; ubi *Heſione* liberatâ, præmium *Hercules* depoſuit apud regem *Laomedonta*, donec rediret ex *Colchide*. Hinc digreſſos, aliâ tempeſtate vexatos, quam ſedavit *Orpheüs*, voto *Samothracibus* nuncupato diis: duas verò quaſi ſtellas *Dioſcurorum* capitibus adhærentes, cujuſdam divinitatis opinionem peperiſſe, & periculi jam depulſi fidem. In *Phineï Thracis* regno, duos regis filios, crudeliter à patre habitos propter novercæ calumniam, occurriſſe, fidémque hoſpitum imploràſſe; *Phineo* fruſtrà prohibente, nè peregrini rebus alienis immiſcerent ſe; nec enim velle patrem ſeverius aliquid in ſuos liberos ſtatuere, niſi magnitudo facinorum naturam ſuperaret. *Calaïn* & *Zeten*, avunculos, opem nepotibus primos obtuliſſe. Ipſum regem cum exercitu mox prodeuntem ab *Hercule* fuiſſe interemptum. Regnum igitur matri *Cleopatræ* cùm tradidiſſent, juvenes *Jaſonem* ſecutos eſſe. E *Thracia* in Cherſoneſum *Tauricam* appuliſſe, ubi ante annos aliquot *Perſa* regnaverat, *Æetæ* frater, atque pater *Hecates*. Eam, veneficiorum peritiſſimam, herbarum noxiarum experimenta in hoſpitibus feciſſe; útque regno ipſa potiretur, patrem ſuſtuliſſe: templum *Dianæ* poſuiſſe, cujus ad aram hoſpites immolabantur: *Æetæ* patruo nuptam, *Circen* ei atque *Medeam* peperiſſe, filiúmque *Ægialeüm*. *Circen* matris diſciplinæ ſe dediſſe, venenorum artificio præſtantiorem. Eandem regi *Sarmatarum* vicino traditam in matrimonium, cùm veneno virum ſuſtuliſſet, ipſa regnum crudeliùs gereret, à ſubditis fugatam, inſulam in oceano deſertam, unà cum aliis mulieribus comitibus fugæ, vel *Circæum* in *Italia* promontorium, occupâſſe. *Medeam* ſororem, pharmacorum ſatìs edoctam vim, ad hominum ſalutem uſam eſſe arte, non ad perniciem. Nam & *Æetes* non minùs in hoſpites truculentus, *Hecate* ſtimulante, præſertim quòd ex oraculo didiciſſet, moriturum ſe, cùm peregrini vellus ei aureum abſtuliſſent. *Medea* verò, aut gratiâ ſuâ & precibus apud patrem, aut conſilio & prudentiâ, multis præſidio fuit; adeò ut, ſuſpectam de inſidiis, cuſtodiæ parentes eam tradiderint. Hinc elapſæ fugâ in quoddam Solis templum, & in littore marino deambulanti fortè, *Argonautæ* occurrebant, ex Cherſoneſo *Taurica* nuper appulſi. Diu igitur de ſuis utrinque rebus collocuti peropportunè, his tandem legibus pacti ſunt; ut *Medea Jaſoni* conferret opem ad rapiendum vellus, *Jaſon Medeam* in tori conſortium acciperet, abduceretque in *Græciam*. Ad ſacrarium ergò

A.M. 2758.

gò *Martis*, quod 70 ſtadiis à *Sibaro* diſtabat urbe regia, noctu accedentes *Minyæ*, *Medeâ* duce apertis foribus admiſſi, cuſtodum qui in præſidiis erant plurimos cædunt, vellus diripiunt, quàm celerrimè ad navem contendunt. Qui fugâ evaſerant præſidiarii, regi nunciavêre quid accidiſſet. Tumultuariâ militum collectâ manu, feſtinabat ad portum rex, impetúque facto, *Iphitum Euryſthei* fratrem occîdit. Sed repulit *Meleager*, oppreſsitque primum agmen, etiam rege interempto. Reliqui mox profligati omnes; vulneratis *Græcorum Jaſone*, *Laërté*que, *Atalantâ*, & *Theſpii* filiis. In reditu, ob negatum *Herculi Heſionæ* liberatæ præmium, captum eſt *Ilium*, & *Priamo* datum, rege interfecto. Noctu portum ſubeunt in *Theſſalia* clàm: ubi ducibus de *Pelia* tollendo agitantibus, *Medea* id facturam ſe recipit. Rugis exarata ſimulat anum, ſacerdotémque *Dianæ* ſe profeſſa, ex *Hyperboreis* ad ſalutem regis populíque adveniſſe prædicat. Nè multa; quo antè dictum eſt modo jugulatus eſt rex: ipſa in celſiſſimum culmen ædium regiarum cum facibus mediâ jam aſcendit nocte, quaſi *Dianam* invocatura; ſed revera ut ſignum *Argonautis* daret, quò in urbem ocyùs properarent. Vix deſcenderat ad coquendum *Peliam*, cùm ex improviſo *Jaſon* regiam invadit, omniáque in ſuam poteſtatem redigit. Sed tamen regnum *Acaſto* reddidit filio regis, & è ſuis uni comitibus: ipſe in Iſthmum profectus *Corinthiacum*, peractis ritè ſacris, *Neptuno* conſecravit navem. *Hercules* jurejurando adegit omnes ejus militiæ ſocios, mutuam ſibi ſe invicem collaturos opem, ſi quid opus foret. *Eleorum* deinde campos, annuentibus ſociis, ad conventum totius *Græciæ*, ludóſque celebrandos, inſtituit, & dedicavit *Jovi*.

In *Argonauticis* tractandis chronologicè peccat *Joſ. Scaliger*.

§ 13. In *Joſepho Scaligero*, hîc ubi de rebus *Argonauticis* agit, acumen Chronologicum maximè requiro, tam multa ſunt quæ peccat una in re. Illud præcipuum, quòd inter expeditionem *Argonauticam* & caſum *Ilii* non intercedere viginti annos vehementer contendit. Id autem facilè ità paucis convellitur. Ut nihil dicam de *Clemente Alexandr.* (Stromat. 1.) annos interponente 75; quis ignorat, *Medeam*, quæ cum *Jaſone* redeunte in *Græciam* advenerat, poſt annos aliquot (decem aliqui numerant) *Corintho* expulſam *Athenas* ad *Ægeüm* confugiſſe, ei filium peperiſſe *Medum*, redeunti *Theſeo* venenum paraviſſe, tum demum diſceſſiſſe in *Aſiam*; poſt hæc *Theſeüm* ex *Creta* redeuntem regnaviſſe annos 30, *Meneſtheüm* 23, ante *Trojanas* res? Diſſimulat certè hæc, aut nihili facit, *Scaliger*, & *Argonautica* ſub *Theſeo* rege ait contigiſſe, non ſub *Ægeo*. At certè plerique omittunt *Theſeüm*, ut his, credo, minorem temporibus; & qui addunt eundem, *Træzene* potiùs emittunt quàm *Athenis*. Præterea, *Meleagrum* interfuiſſe conſtat. Eo mox poſt apri *Calydonii* venationem unà cum *Althæa* matre mortuo, ejus pater *Oeneüs* alium genuit filium ex alia uxore *Tydeüm*; *Tydeüs* deinde *Diomedem*, ducem in bello *Thebano*, poſtea in *Trojano* quoque, fortiſſimum. Hæccine viginti annorum, an quinquaginta potiùs pluriúmve, ſunt acta? Quid, quòd poſt reditum *Argonautarum* ab *Hercule* captum eſt *Ilium*, &, cæſo *Laomedonte*, annos *Priamus* 50 regnâſſe dicitur? Quid autem eſt cur *Scaligero* contrahenda videantur hæc tempora? 1. “*Hercules*, ait, “unus *Argonautarum*, (at nec illud ſine dubio eſt,) erat σύγχρονος *Theſeo*, & paucis “annis ante *Trojanum* excidium periit; ut expeditio *Argonautica* pauculis annis an“teceſſerit caſum *Trojanum*. Quàm diſſoluta eſt hæc ratiocinatio? Σύγχρονος quidem erat *Theſeo* magna ex parte; ſed tamen major natu, æmulúmque *Theſeüm* habuit. *Theſeüs* autem ipſe triginta & tribus annis, quot regnavit *Meneſtheüs*, ante ruinam *Ilii* defunctus eſt, 63 regnavit. Sed paucis annis ante excidium *Trojanum* periiſſe *Herculem*, minimè omnium conſtat. *Euryſtheo* enim vivo eſt mortuus, qui liberis ejus, corúmque gratiâ *Athenienſibus*, bellum indixit. At *Euſebius Atreo* & *Agamemnoni* 70 annos tribuit poſt mortem *Euryſthei*, antequam *Ilium* oppugnatum eſt. Sed verum ſit, *Herculem* periiſſe paucis annis ante *Trojana* fata. Ideóne ſequitur, expeditionem *Argonauticam* annis etiam pauculis anteceſſiſſe? Quaſi verò ea ſuſcepta ſit *Hercule* ſeneſcente, ac non florente potiùs vigentéque. 2. “*Circe*, inquit, “*Medeæ* amita, vivebat poſt *Iliaca*. At verò *Circen* aliqui ſororem eſſe volunt, non amitam, *Medeæ*: & qui *Trojæ* ſcribunt ſuperfuiſſe, deam fuiſſe atque immortalem ſcribunt, ut ab ea nihil in ratione temporum probari poſſit. Denique, aliam credibilius eſt veneficam in *Italia* fuiſſe, non *Æetæ* ſororem in *Colchide*. 3. “Rur“ſus, inquit, *Aſcalaphus*, *Martis* filius, utrique expeditioni interfuit, *Argonauticæ* “& *Iliacæ*. Parvo igitur ſpatio temporis diſtabant. Sed à multis non commemoratur *Aſcalaphus* inter *Argonautas*. Fruſtrà verò ab incertis arguitur. Magíſque mul-

to

A.M. 2758.

tò mirum videtur, ſi tam breve ſpatium interfuit, *Argonautarum* plurimos non interfuiſſe bello *Trojano*, quàm adfuiſſe unum. 4. "Adultis *Caſtore* & *Polluce*, *Helenam* quoque maturam viro fuiſſe neceſſe eſt: ergò anus in bello *Trojano*, ſi *Argonautica* tam remota ſtatuantur. Imò verò neceſſe non eſt, inquam ego, pari ætate *Helenam* cum fratribus fuiſſe. Sed fieri potuit, in ea ætate mundi, ut ex matris ejuſdem liberis alii alios triginta quadragintàve annis ſuperarent; quod & *Helenæ* fortaſſe contigit. Scribit eam *Plutarchus* decennem fuiſſe cùm raperetur à *Theſeo*. At fratres, puto, quinquagenarii repetebant. Quòd ſi *Theſeo* regnante *Argonautica* ſtatuantur, *Calaïn* & *Zeten*, quos interfuiſſe conſtat, & vocantur ab *Ovidio*—— *Juvenes Aquilone creati*, neceſſe eſt interfuiſſe jam ſenes, octogenarios ut minimùm; quippe nepotes *Erechthei*, qui regnum unà cum vita depoſuit 113 annis antequam *Theſeus* iniit.

A.M. 2760.

Pelaſgi ex Italia exſulant propter decimas malè diis redditas.

§ 14. Hactenus propè ſummum felicitatis culmen *Pelaſgi* tenuerant in *Italia*. Urbes in variis locis, numero frequentes, populo refertas, ſolo fœcundiſſimo ſitas opportunè, opibus florentes, aut veteres occupârant, aut ſibi condiderant novas. Jam tandem labaſcere ac ſenſim ruere cœperunt ex tanto faſtigio, duabus ferme ætatibus ante *Trojam* oppugnatam, (ut habet *Dionyſius*;) donec ipſa ferè nòminis *Pelaſgici* memoria ex univerſa regione *Italorum* deleta ſit. Initium hujus mali ab æſtu nimio profectum dicitur. Torrebat Sol, deerant imbres qui lenirent fervoris vim. Ardore perpeti exuſta & exhauſta tellus pecori pabulum negabat, arboribus fructum, debitámque ſeminibus frugem. Ipſi latices aut ſiccati prorſus, aut minimè ſalubres potu, aquam alii nullam, alii noxiam præbuêre. Pecora deinde, ac ipſæ mox mulieres, aut abortu abjiciebant fœtus, aut mancos edebant, adeóque debiles, ut indigni eſſent qui tollerentur. Qui in vitam atque mundum integri evaſerant, ii morborum gravium novorúmque varietate cruciabantur, ut neque mundo neque vitâ frui poſſent. Dæmonas tandem, ſuos deos, conſulentibus reſponſum datur, Eos votis potitos, non perſolviſſe tamen quæ voverant diis; ſed pretioſiſſima quæque deſiderari atque deberi adhuc. Quippe ad ſterilitatem ſoli quâ priùs laboraverant curandam, omnium proventuum decimas *Jovi*, *Apollini* atque *Geniis* voverant. Redditâ verò ſoli fœcunditate, rerúmque omnium copiâ, frugum ſolummodo pecorúmque partem reddiderunt diis. Cùm hoc oraculo novo quid poſceretur conjecturis aſſequi non valerent, unus, paulò ſagacior aliis, ità paucis monuit: *In ſummo eos errore verſari, ſi immeritò accuſari ſe à diis crederent. Quòd enim aliarum rerum decimas, frugum pecorúmque, obtulerint, rectè quidem eos & ex voto feciſſe: nondum ſatisfeciſſe tamen. Quippe cùm decimam rerum omnium partem ſint polliciti, nihil autem hactenus è ſua prole, re omnium pretioſiſſima, perſolutum ſit, ejus voti ſe reos vel adhuc, eas debere decimas; quibus tandem traditis, finem hiſce malis fore.* Cùm eſſet hæc loquutus gravis ætate quidam prudentiâque vir, alii rectè monitis parendum exiſtimabant; aliis ex fraude compoſitus ſermo videbatur, ac propterea minùs obſequendum. Convenêre tandem in hac ſententia, mittendos eſſe qui dei ſententiam exquirerent. Cùm & ille, hominum ſe non minùs quàm aliarum rerum decimas exſpectare, diceret, parendúmque neceſſariò videretur, de modo decimandi magnæ crebræque ſeditiones factæ ſunt. Ac primò inter ſe principes urbium diffidere; mox & populus ſuſpectum habere magiſtratum ſuum. Suos abſtrahi liberos, tradíque immanibus diis, moleſtiſſimè omnes ferre. Sine ullo igitur more modeſtiâque ſeceſſiones fieri, velut ſtimulis furiiſve agitatæ. Aliò enim ſponte aliqui demigrare, nè liberos amitterent; eódem propinqui abeuntes proſequi, nè dererent ſuos. Ità quotannis cùm fierent hæc, pleræque urbes, exhauſtæ vacuæque civibus, occupandæ finitimis patebant. Pars maxima in *Græciam* rediit. Alii, per omnia diſperſi loca, facilem ſibi aperuêre viam vi, cùm, aſſiduo armorum uſu inter bellicoſas gentes, militaris rei ſcientiâ ferè omnibus præſtarent; nauticæque peritiam haud exiguam ex *Tyrrhenorum* conſuetudine familiari contraxiſſent. Adeò enim permiſti confuſíque fuerunt cum *Tyrrhenis Pelaſgi*, ut eorum & nomen apud varios Scriptores induerint, ac *Tyrrheni* ſint appellati per omnem *Græciam*. Poſt ſexaginta octogintàve annos, vix ullam in *Italia* urbem *Pelaſgi* reliquam habuêre, præter *Crotonem Umbriæ*, & ſi quid inter *Aborigines* tenebant. (*Dionyſ.* 1.) Qui in *Græciam* rediêre, commigraverunt *Athenas* plurimi; ubi datus eſt habitandi locus (ut habet *Pauſanias* in *Attic.*) ſub *Acropoli:* quam urbis partem, eo tempore extimam, illi muro circundederunt, qui τεῖχος Πελασγικὸν vocabatur. *Tyrrhenos* eum condi-

condidiſſe ait *Heſychius*, novo *Pelaſgorum* apud *Græcos* nomine. *Herodotus* (lib. 6.) ſcribit, *Athenienſes*, muri ab illis conditi quaſi mercedem, habitandam illis dediſſe regionem ſub *Hymetto*; quam illi excoluerunt optimè, nullo antea pretio dignam. Utrinque tandem pulſi ab *Athenienſibus*, proditionis quippe ſuſpecti, in *Lemnum* inſulam commigrârunt. A.M. 2760.

§ 15. *Tyrrheni* verò, *Aboriginibus* finitimi à Septentrione, *Thuſci* & *Hetruſci* à *Latinis* dicebantur. A locis munitis, quæ ab his in *Italia* primis conſtructa ſunt, *Tyrrhenorum* adepti ſunt nomen. Illis enim pariter atque *Græcis* ea *Tyrſes* appellabantur, à *Tyriis* fortaſſe autoribus, quorum & hos coloniam fuiſſe aliqui opinantur; idque ſatis probabiliter, niſi quòd linguæ *Phœniciæ* apud *Tyrrhenos* teſtimonio careat. Inter *Apenninum* & mare Inferum, *Macram Tiberimque* fluvios, penè omnes claudebantur, urbibus duodecim totidémque principibus clari. Urbes erant, *Veii*, *Volſinii*, *Cluſium*, *Peruſia*, *Crotona*, *Aretium*, *Falerii*, *Volaterræ*, *Vetulonii*, *Ruſellæ*, *Tarquinii*, *Cære*. Sed & alia plura his oppida minora ſuberant. Unde inprimis advenerint, pro certo nuſquam traditur. Habet fabulam *Herodotus*, & ex eo *Paterculus*, (lib. 1.) & *Tacitus*, (Annal. 4.) in *Mæonia* ſive *Lydia*, quæ Minoris *Aſiæ* regio eſt, frugum alimentorúmque magnam aliquando fuiſſe penuriam: & famem hanc duodeviginti annos toleraviſſe *Lydos*, partim laboribus improbis, partim ludis talorum, teſſerarum pilarúmque partem diei cujuſque alteram tranſmittentes. Cùm nondum remitteret malum, à *Lydo Tyrrhenóque* fratribus, *Aty* regnante, ſortes jactæ ſunt, uter cum parte multitudinis aliò diſcederet. Cùm in *Tyrrhenum* cecidiſſet, appulſus in *Auſoniam*, expulsíſque *Umbris*, nomen ſuis dedit; quemadmodum reliquis hærentibus in patria *Lydus*. Hinc *Lydi* & *Lydia*, quæ *Mæonia* priùs & *Mæones*, illinc *Tyrrheni* vocabantur. Unde *Virgilius*, (*Æneid.* 8.)

Tyrrheni unde ſic dicti ſunt.

——————Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.

Sed fabulam hanc propterea dixi, quia *Xanthus Lydius*, veterum hiſtoriarum ſtudioſiſſimus, qui patriæ ſuæ diligentiſſimè perſcripſit res, de hoc *Tyrrheno* nihil uſquam prodidit. *Lydum* enim & *Torebum Atys* fuiſſe filios narrabat, ac partitos imperium regnaviſſe ambos in *Aſia*. *Strabo* (lib. 5.) *Herculis* ex *Omphale* filium ait *Atyn* fuiſſe, cujus de filiis ea narratur fabula; & *Tyrrhenum* in *Hetruria* 12 quas dixi urbes condidiſſe, *Tarchonis* conſilio & operâ uſum, qui *Tarquiniis* etiam nomen dedit, prudens vir, & canus à puero. Alii filios *Telephi Myſi Tyrrhenum* & *Tarchonem* fuiſſe; aliqui *Pelaſgos* veros *Tyrrhenorum* quoque dictos nomine opinati ſunt, incredibili prorſus conjecturâ, propter ſummam linguarum diſcrepantiam, cùm tamen proximè & promiſcuè habitarent. Quâ ratione, neque *Lydos* fuiſſe arguit *Dionyſius*, cùm linguæ populorum nullo modo convenirent, neque religiones, neque leges aut mores denique. *Thuſci* verò à *Græco* θύειν videntur appellati, propter ſummam peritiam in myſteriis atque religionibus deorum.

§ 16. *Calydone* jam in *Ætolia* regnabat *Oeneus*, *Parthaonis* filius, *Agenoris* nepos, ex *Epicaſte* nata *Calydonis*. Eum ferunt *Dianæ* omnium deorum uni —*plenis ſucceſſibus anni Primitias frugum* non obtuliſſe. Iratam itaque deam immiſiſſe aprum ingentem, qui *Ætoliam* depopularetur, ſuis *Cromyoniæ* partum, (ut aiunt) quam *Theſeus* interemit. A.M. 2762.

Aper Calydonius

Is modò creſcentes ſegetes proculcat in herba;
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in ſpicis intercipit. Area fruſtrà,
Et fruſtrà exſpectant promiſſas horrea meſſes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus;
Baccáque cum ramis ſemper-florentis olivæ.
Sævit & in pecudes: non has paſtórve, caniſve;
Non armenta truces poſſunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec ſeſe in mœnibus urbis
Eſſe putant tutos; donec Meleagrus & unà
Lecta manus juvenum caluêre cupidine laudis:
Tyndaridæ gemini, præſtantes, cæſtibus alter,
Alter equo, primæque ratis molitor Iaſon,
Et cum Pirithöo felix concordia Theſeus, &c. (*Ovid.* Met. 8.)

Ade-

A.M. 2762. Aderant etiam huic venationi *Idas* atque *Lynceüs Apharei*, *Telamon* atque *Peleüs Æaci*, *Toxeüs* & *Plexippus Theſtii*, *Dryas Calydonius Martis* filius, *Admetus Pheræus*, *Ancæus Lycurgi Arcadis*, & *Lycurgi* frater *Cepheüs*, *Iphicles Amphitryonis Thebanus*, *Oiclei Argivi Amphiaraüs*, *Eurytion Phthius*, *Atalanta* denique *Schœnei Arcadis* filia. Hos *Apollodorus* numerat. Addit *Ovidius*, (Metam. 8. fab. 4.) & ex iis pleroſque *Hyginus*, (Fab. 175.) *Leucippum*, *Creatum Eurytúm*que filios *Actoris*, *Cæneum*, *Hippothoüm*, *Phœnicem Amyntoris*, *Phyleüm Eleüm*, *Echionem Lelegem*, *Panopeum*, *Hyleüm*, *Hippaſum*, *Neſtorem*, *Laërtem*, *Enæſimum Hippocoöntis*, atque *Mopſum Ampycis*, qui pro vate habebatur. Ab *Oeneo*, qui ad venandum vocaverat, novem dies hoſpitio accepti ſunt. Decimo cùm eſſent venatum exituri, *Ancæus* cum patruo *Cepheo*, aliíque nonnulli, indignum rati *Atalantam* in hoc certamine, cum fortibus viris permiſceri fœminam, tergiverſari primò cœpêre, donec à *Meleagro* coacti, unà cum ſociis in ſylvas prodivêre. *Meleager* enim, ſeu formâ, ſeu virtute viraginis captus, amaviſſe dicitur, etſi jampridem duxerat uxorem, *Idæ* atque *Marpeſſæ* filiam *Cleopatram*.

Sylva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit à plano, devexáque proſpicit arva.
Quò poſtquam venêre viri, pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur
Signa pedum, cupiúntque ſuum reperire pericl'um. &c.
Tandem aper excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis.
Sternitur in curſu nemus, & propulſa fragorem
Sylva dat: exclamant juvenes, protentáque forti
Tela tenent dextrâ lato vibrantia ferro.
Ille ruit ſpargítque canes, ut quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu. (*Ovid.* ibid.)

Telis fera plurimis petebatur, ſed pleriſque irritis; quorum copiâ denſâ ſibimet magìs nocebant ipſis quàm belluæ. *Eurytion* à *Peleo*, hoſpes hoſpite, ſed imprudente, jaculo confoſſus eſt. *Phyleüs* & *Ancæus Arcas* apri dentibus laniati, & *Enæſimus* apud *Ovidium*, & *Alcathoï Megarenſis* filius *Echepolis* apud *Pauſaniam* in *Atticis*. Prima omnium *Atalanta* eminus belluæ tergum ſauciavit ſagittâ. Mox *Amphiaraüs* oculum ei alterum excuſſit. Tandem latere transfoſſo *Meleager* humi proſtravit, confecítque. Capite præciſo, detractâque pelle, ſpolium *Atalantæ*, quæ prima vulneraverat, dono dat. Amor hic & munificentia in virginem alienam magno ei ſtetit, invidiámque protinus maximam conflavit. Quare avunculi ejus *Theſtiadæ*, indignati exuvias feræ, ac victoriæ præmia, tot viris præſentibus prætеritíſque, donari fœminæ, quæ, recuſante *Meleagro*, vendicabant ſibi cognatione proximis, *Atalantæ* munus, muneris jus *Meleagro* ademerunt. Non tulit generoſus vir ſua intercipi dona. Itaque flagrans irâ, pudore ſimul & amore ſtimulante, ſtricto ferro invaſit avunculos & obtruncavit, munus reddidit *Atalantæ*. *Althæa*, *Meleagri* parens, ubi fratres à filio ſuo interemptos accepit, ——*melior germana parente*, exſecrata protinus *Meleagrum*, & diris omnibus proſecuta eſt. Nec ille diu ſuperfuiſſe dicitur. Phthiſi enim correptus contabuit ſenſim, & extinctus eſt. Imprecationibus maternis confixum atque ſublatum è medio *Homerus* narrat, (*Iliad.* 9.) De fatali torre fabulam, autore *Pauſaniâ*, (in *Phocaïcis*,) *Phrynicus* Poëta primus edidit. Ea verò hujuſmodi eſt: Partui *Althææ*, cùm naſceretur *Meleager*, adfuiſſe *Parcas* tres; quæ, poſito in ignem ſtipite,

Staminâque impreſſo fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignóque tibíque,
O modò nate, damus. Quo poſtquam carmine dicto
Exceſsêre deæ, flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem, ſparsítque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis;
Servatúſque tuos, juvenis, ſervaverat annos:

donec, ultura fratrum necem, in ignem abjecit truculenta mater, filiúmque ſuum torruit & concremavit.

Aprum

Aprum *Calydonium* aliqui fuiſſe latronem putant, *Phææ* ſuis *Cromyoniæ* filium, quam & ipſam, ſtupris atque latrociniis infamem, *Theſeüs* trucidavit. De *Theſtii* filiis alia eſt quorundam narratio, (*Apollod.* 1.) Ex hac de Apri ſpoliis contentione, vel potiùs de agrorum finibus, (ut *Strabo* vult, lib. 10. *Theſtius* enim, *Curetum* dux, *Pleuroniam* occupaverat vicinam,) inter *Curetas* & *Calydonios* bellum eſſe conflatum, & è *Theſtii* filiis aliquos à *Meleagro* interfectos: matre propterea filium exſecrante, eum, desertâ patriæ causâ, bellum non eſſe ulteriùs proſecutum. Hoſtibus itaque urgentibus, accedentibúſque ad ipſa mœnia, cùm ſupplicarent cives vehementiùs, ut patriæ laboranti opem ferret, ægre tandem exoravit uxor ut prodiret in aciem; ubi reliquis *Theſtii* filiis interemptis, ipſe quoque in humanis eſſe deſiit. Defuncto filio, matrem *Althæam* ſibi ipſi manus intuliſſe, nec non *Cleopatram* quoque uxorem, ferunt. Fingunt Poëtæ, (*Ovid.* Metam. 8. fab. 4.) ſorores ejus in aves fuiſſe mutatas, dum intemperantiùs lugebant fratris obitum. Quod natum ex eo commentum eſt, quia poſt *Meleagri* mortem fortaſſe primùm eæ viſæ *Græcis* aves, in eo maximè loco ubi ſepultus eſt *Meleager* verſabantur; ideo & *Meleagrides* dictæ. *Oeneüs* deinde ex *Peribœa*, *Hipponoï Argivi* filia, *Tydeüm* genuit; ſive *Aleno*, *Achaïcâ* urbe, *Oeneï* auxiliis expugnatâ, munus eam accepit; ſive, (ut *Heſiodus* tradit) ab *Hippoſtrato Amaryncei* filio vitiatam, & ad *Oeneüm* ex *Oleno* ablegatam à patre, ſive compreſſam à ſe gravidámque priùs, habuit pro uxore. (*Apollod.* lib. 1.)

A.M. 2762. quid ſignificet.

§ 17. De *Atalanta*, cujus hæc aiunt causâ contigiſſe quæ memoravi priùs, multa narrat *Ælianus*, (Var. hiſtor. 13. 1.) quorum pleraque *Apollodorus*, (lib. 3.) Eam *Jaſionis* filiam fuiſſe *Arcadis*, (*Iaſum Apollodorus* vocat,) non *Schœneï*, ut *Heſiodus* & alii. Patrem, ut primùm nata eſt, imperâſſe ut exponeretur, quòd maribus indigere ſe, non fœminis, diceret. In montem itaque *Parthenium* delata, prope fontem relicta eſt. Fonti rupes imminebat, rupi quercetum; ſuberat ſpelunca. Infanti vagienti ſpoliata catulis urſa, turgentibus copiâ uberibus, præbuit lac. Qui ſectabantur urſam venatores, cùm in puellam fortè incidiſſent, ſuſtulerunt, aluerúntque in mapalibus vicinis. Adulta virgo, *Atalantæ* jam nacta nomen, virorum fugere conſortia, ſolitudinem petere, altiſſimáque montium juga. Quotidianis venatibus exercere aleréque ſe. Antrum ei pro domicilio, pro lecto pelles ferarum, carnes earundem pro cibo, denique pro vino præterfluentes aquæ fuerunt. Pedibus velociſſima, ut eam nec feræ currendo effugere poſſent, nec homines inſequendo capere. Fœminas pleraſque ſuperabat ſtaturâ formâque ſpecioſâ, cui aliquid virile inerat; puellare verò aut molle nihil ferebat præ ſe. Memorant, aliquando è *Centaurorum* finitimorum gente duos juvenes laſcivos (*Rhæcum* & *Hylæum Apollodorus* vocat) procatum adveniſſe novo terribilíque more, expugnaturi, non exoraturi nuptias. Ardentes enim tædas manibus geſtantes jactantéſque, ramis obtecti coronatíque arborum, perpetuo ſtrepitu concutiebant arma, & ad antrum ſummo impetu proripiebant ſe. Illa ſæpius jampridem experta virorum inſidias, & viſis procul ignibus admonita potiùs quàm terrefacta, adduxit arcum, telóque eminus ex procis alterum proſtravit. Alter libidine ſimul & irâ flagrans, pronúſque in vindictam & Venerem, armis expeditis properabat fruſtrà. Obviâ enim currenti alterâ ſagittâ confixus atque confectus eſt. Hucuſque *Ælianus*. In ludis *Peliæ* funebribus, (hæc *Apollodorus* addit,) cum *Peleo* luctata palmam conſecuta eſt. At *Hyginus* (Fab. 273.) viciſſe *Peleüm* refert. A parentibus tandem notis ad nuptias contrahendas impulſa, hanc indixit conjugio ſuo legem, ſecum ut proci currendo certarent: Victori palmam ſe, victo necem propoſuit. Multi cùm occidiſſent, *Amphidamantis* filius, *Lycurgi Arcadis* nepos, *Melanion*, pomis aureis (à *Venere* donatis, ut habent fabulæ) ità remoratus eſt colligentem ea virginem, ut victor *Atalantâ* ſit potitus præmio. *Euripidi* vocatur *Hippomenes*. Ambo tandem per venationis otium in luco *Jovis* coëuntes, vel in templo *Cybeles*, (*Ovid.* Metam. 10. fab. 11.) eò quòd locum ſacrum concubitu laſcivo polluiſſent, in leones transformati ſunt. *Pauſanias* (in *Arcadicis*) *Atalantam* ait *Schœneï* fuiſſe *Bœoti* filiam, qui in *Arcadiam* diſcedens, oppidum ibi *Schœnum* condidit. Ex *Melanione* aut *Meleagro Parthenopæum* peperiſſe dicitur; (*Hygin.* Fab. 70.) quem, (eodem autore Fab. 99.) virginem ſimulans, mater in monte *Parthenio* expoſuit. Servatus tamen, poſtea unum è ſeptem *Argivis* ducem præſtitit in bello *Thebano*, ut aliqui Autores volunt. *Meleagri* haſtam, (de tanto viro nè quid omittamus,) quâ confixus aper eſt, repoſitam

Atalanta, expoſita à patre, enutritur ab urſa; victrix vincitur; caſta mœchatur.

A.M. 2762.

fuiſſe ferunt *Sicyone*, in templo *Apollinis* vetuſto: corium verò atque dentes apri *Tegeæ*, in templo *Aleæ Minervæ*; unde *Auguſtus Cæſar* poſt *Actiacam* victoriam duos dentes ſuſtulit. (*Pauſ. Arcad.*)

Alcathoï pietas inhumana.

De fratris *Echepolidis* nece, quem à fera *Calydonia* laceratum diximus, *Callipolis* frater nuncium primus accepit, dum pater domo aberat *Alcathoüs*, &, in arce *Megarenſi* fortè, *Apollini* ſacra faciebat. Triſti nuncio turbatus adoleſcens, ad patrem incitato curſu properavit; & vel nimiâ feſtinatione impedito ſpiritu, vel dolore ad tempus ſuffocante vocem, nihil prolocutus, tantùm ligna in foco ad ſacrificium collocata diſturbavit; intempeſtivum ratus in tanta calamitate operari diis minimè propitiis. Cùm piaculum commiſiſſe dirum *Alcathöo* videretur, de filii cæde nihil ſuſpicanti, non minùs iræ ſtimulis incitatus pater quàm doloris filius, ſtipite arrepto ex iis ipſis quæ diſſipata erant lignis, capitíque adoleſcentis impacto, juvencæ loco mactavit juvenem, hoſtiámque humanam prorſus inhumanâ pietate cecīdit. Ubi reſcivit pater omnem rem, & ſe utroque ſimul eſſe orbatum filio, vehementer quidem, ſed fruſtrà, indoluit; quódque unum potuit jam, cadaver quod fecerat ſepelivit honorificè, monumentúmque poſuit, in quo cæſi nomen viveret atque pertranſiret ad poſteros: alterúmque datum eſt *Echepolidi* in *Prytanéo*. *Polyidus* deinde vates, *Cærani* filius, *Abantis* nepos, pronepos *Melampodis*, *Megara* venit accerſitus *Argis*, & luſtravit *Alcathoüm*. Ex eo *Megaris* habitâſſe videtur *Polyidus*, ubi templum *Libero* Patri ſtatuiſſe dicitur, quem *Patrium* vocabant: Alterúmque poſtea (*Daſyllium* vocabatur) eidem conſecravit deo *Polyidi* nepos *Euchenor* ex *Cærano* ſecundo. (*Pauſ. Attic.*) *Euchenorem Homerus* (*Iliad.* 13.) *Polyidi* filium ait fuiſſe, qui maluit apud *Ilium* occumbere, (nam à *Paride* interfectus eſt,) quàm in ædibus ſuis morbo confici; cùm alterutram ei ſortem denunciâſſet pater neceſſariò eſſe ſubeundam.

Ex *Phocide* (quæ deſcribitur)

§ 18. *Phocus*, *Æaci* filius è *Pſammathe Nereïde*, ut fratribus natu majoribus *Telamoni* & *Peleo* locum daret, in eam regionem ſuos lares tranſtulit quam ab eo præcipuè *Phocidem* nuncupavêre; ubi cum *Iaſeo* ſingularem quandam amicitiam conglutinavit. (*Pauſ. Phoc.*) Priore quidem ætate hoc regioni eſt nomen datum, à *Phoco Ornytionis* filio, *Siſyphi* nepote, qui coloniam eò deduxerat; at ei duntaxat parti regionis quæ ad *Tithoream* eſt & *Parnaſſum*. Ab *Æaci* filio jam proxima etiam loca omnia ſub eodem nomine coïverunt. (*Pauſ.* ibid.) Huic tractui, quem *Achaiæ* Magnæ partem diximus, Meridiem claudit ſinus *Corinthiacus*, *Locri Ozolæ* Occaſum, *Epicnemidii Locri* Aquilonem, denique Orientem *Bœotia*. Montium ibi præcipuus in occidua parte *Parnaſſus*, cacumine ſupra nubes ferè protenſo. In iis tamen jugis *Thyades* per furorem (hoc eſt, *Atticæ* unà cum *Delphicis* mulieres) *Libero Apollini*que ſacra quotannis faciebant. Inferiùs patebat longiſſimo receſſu, tectóque ſatis alto, antrum *Corycium*, nymphis *Coryciis* & *Pani* ſacrum. Ad ultima ferè penetrare licebat ſine face, rivóſque videre ſcaturientes. Ex ipſa etiam teſtudine antri plurimum aquæ diſtillabat, guttæque dureſcebant in lapides. (*Plin.* 31. 2.) *Parnaſſum*, atque *Delphos* propinquos, in orbis totius umbilico poſuêre Veteres, at imperitè. *Lucan.* (5.)

> *Heſperio tantum quantum ſemotus Eöo*
> *Cardine Parnaſſus, gemino petit æthera colle,*
> *Mons Phœbo Bromióque ſacer.* ————

Nam Sphæræ, qualis terræ ac orbis figura eſt, quælibet in medio pars eſt. Fluvii regionis *Cachates*, *Cephiſus* aut *Cephiſſus*, *Pliſtos*, atque *Charadrus*. Amnis *Cephiſus* præfluit *Delphos*, oppidum ſub monte *Parnaſſo*, clariſſimum in terris quondam (ut *Græci* crediderunt) oraculo *Apollinis*. (*Plin.* 4. 3.) Quæ in *Cephiſi* fontes ad urbem *Lilæam* porriciebantur bellaria ſtatis diebus patrio more, eadem ferebant emergere & conſpici ſolere in fonte *Caſtalio* procul diſſito: eundémque fluvium è terra erumpere, meridianâ præſertim horâ, cum ſonitu & taurinis mugitibus perſimili voce. (*Pauſ. Phoc.*) Ad eum pinguiſſima habebatur ſoli gleba. Præter *Tithoreæ* mœnia lapſus eſt *Cachates* fluvius. *Pliſto* vicinum erat *Delphorum* navale *Cirrha*, *Ptolemæo Cyrrha*, quam veteri nomine *Homerus Criſſam* appellat, (autore *Pauſaniâ* in *Phoc.*) At hæ diverſæ Geographis urbes habentur, *Cirrhæ*que portus *Chalæon Plinio* dicitur, (lib. 4. 3.) Alius *Anticyræ* portus, ab *Anticyreo*, quem æqualem *Herculi* fuiſſe volunt. Priſcum urbi *Cypariſſus* nomen, quo maluit *Homerus* uti. *Ptolemæus Anticyrrham* appellat, *Anticirram* & *Strabo*, quaſi alterum *Cyrrhæ* oppoſitum navale. In monti-

montibus huic imminentibus urbi frequens Helleborum naſcebatur: cujus, nigri, radice purgatur alvus, & nigra bilis egeritur; candidi verò, ſtomachus per vomitum levatur. (*Pauſ.* ib.) Unde illud Poëtæ, *A.M.* 2762.

O tribus Anticyris caput inſanabile,———

de homine furioſo. Urbium in *Phocide*, ut clariſſimi *Apollinis* gratiâ *Delphi*, ità eſt maxima, maximéque opportuna *Elatéa*, in ipſis faucibus & confiniis ſita, ut qui eam teneat, ipſo in *Phocidem* & *Bœotiam* aditu potiatur. Sed & *Abæ*, urbs *Phocidis*, templo & oraculo *Apollinis* ſatis quæſtuoſo claruerunt, (*Herodot.* l.8.) & vetuſtiſſimo. (*Pauſ.* ib.) *Delphico Stephanus* tradit antiquius fuiſſe: quod ab *Argivo* tamen *Abante* conditum ferunt. Nota etiam *Daulis Tereï* facinore, *Drymæa* regio apud *Plinium*, (4. 3.) In medio ferè totius regionis ingens erat ædes conſtituta, columnis tectum ſuſtinentibus: *Phocicum* appellabant: quò ſolebant è ſingulis urbibus aliqui delegati ad conſultandum de publica re, ut opus ferebat, convenire. A columnis utrinque ad parietes gradibus quibuſdam aſcendebatur, ubi ſedes legatorum. Sed in extremo ædificio *Jovis* tantùm in ſolio ſimulacrum, *Junone* ad dextram, ad lævam aſſidente *Minervâ*. (*Pauſ.* ib.) Intra hujus terræ fines hirundines ferunt neque parere, neque nidulari.

Ex *Phocide* jam ad patrem fortè redierat *Phocus* in *Æginam*; ubi à fratre *Peleo* jactu diſci temerario interemptus eſt. Quam ob cædem in exſilium actus à patre, conceſſit in *Phthiam Theſſaliæ* regionem, ubi à rege *Actore* expiatus eſt, *Deïonis* filio; qui, cùm liberis careret, moriens *Peleüm* in regno ſucceſſorem habuit. Ità narrat *Diodorus Sic.* (lib. 4. 6.) *Apollodorus* autem (ſuæ Bibliothecæ 3.) ait, *Phocum* à *Telamone* potiùs occiſum. Cùm enim in certaminibus præſtare *Phocus* videretur, inſidiosè illum fratres ad ludum provocâſſe, diſcóque percuſſiſſe *Telamonem*; ſed, *Peleo* adjuvante, occultaviſſe mortuum cadaver in ſylva quadam: mox autem proditâ cæde, *Peleüm* ad *Eurytionem Actoris* filium profugiſſe *Phthiam* in *Theſſalia*, à quo expiatus, filiam ejus *Antigonen* ſibi conjugem adſcivit, atque in tertiam regni partem receptus eſt. Ex ea genuit *Polydoram*, quam *Sperchio* ſive *Boro Perieris* filio nuptum dedit, eáque *Meneſthium* peperit. *Telamonem* verò ſcribit exſulatum abiviſſe in *Salaminem* inſulam; ubi regis *Cenchræi* filiam *Glaucen* pro conjuge, mortuóque ſocero imperium inſulæ adeptus eſt, coloniâ *Æginetarum* eò traductâ. (*Pauſ. Attic.*) *Plutarchus* (in Parallel: 27.) *Telamonem* ait *Peribœam* vitiaviſſe *Alcathoï Megarenſis* filiam, & profugiſſe clàm. Ab alio id factum ſuſpicatus pater, filiam ſatelliti abjiciendam in mare tradidit. At clementior patre ſatelles in *Salaminem* vendidit, ubi à *Telamone* (*Glauce* mortuâ) empta, filium ei peperit *Ajacem*. *Eribœam* pro *Peribœa Diodorus* habet, (4.) *Pauſanias* (in *Corinthiacis*) *Phocum* à fratribus ad quinquertium fuiſſe invitatum narrat, ut matri obſequerentur, quæ rivalem tori non tulit *Phoci* matrem. *Peleüm* verò, ſaxo aſpero uſum pro diſco, *Phocum* eo de induſtria percuſſum necaviſſe. Facinore patrato, nave protinus conſcensâ profugiſſe ambos. Caduceatorem verò mox à *Telamone* miſſum ad patrem, qui cædem fortuitò admiſſam diceret, conſultò negaret. *Æacus* ergò audire non recuſavit, ſed è nave, dicentem pro ſe filium, aut ex marino aggere. In terram deſcendere *Telamonem* prohibuit. Noctu igitur in portum qui *Occultus* vocabatur navigio vectus, aggerem conſtruxit, cauſam egit. Sed damnatus à patre, rediit in *Salaminem*.

Phocus rediens, à fratre *Peleo* interimitur.

§ 19. Jam verò *Peleüs*, poſtquam ſocerum *Eurytionem* ictu fortuito interemiſſet, *Phthiâ* etiam exſulare coactus, *Iolcum* ſe contulit ad *Acaſtum*. Ab *Acaſto* luſtratus eſt. Ludi tum fortè agebantur in honorem *Peliæ*, primi omnium funebres, autore *Plinio*; (7. 56.) quanquam *Azanis* in *Arcadia* apud *Pauſaniam*, & alii apud alios memorantur priores. At in his *Peleüs* cum *Atalanta* & aliis, credo, in palæſtrica pugna decertavit; victoriâque potitus, adeò aut formâ corporis, aut virtute, oculos omnium attraxit in ſe, ut *Acaſti* conjux *Aſtydaméa* laſcivo ſui hoſpitis amore capta ſit. Literis etiam agere de concubitu non pudebat. Cùm autem ille nullo modò adduceretur ut conjugii ſimul & hoſpitii jura violaret, de vindicta protinus impudica mulier cogitare cœpit. Ac primò, ad uxorem ejus *Phthiæ* morantem literas dat, quibus narrat, aliam eum conjugem eſſe propediem ducturum, filiam *Acaſti Steropen*. Credula mulier ſuſpectam à marito injuriam laqueo crudeliter ulta eſt in ſe; quo ſibi graviorem intulit, quàm à conjuge ſuſpicata eſt. Apud *Acaſtum* deinde *Aſtydaméa* queritur, *Peleüm* ſe de ſtupro appellâſſe. Cùm nihil eſſet cur uxoris querelæ diffideret, neque tamen

Peleüs, egregiè caſtus, de ſtupro appellatur.

 hoſpitem

A.M. 2762. hoſpitem luſtratum à ſe fas illi eſſet interimere, in montem *Pelium* abduxit hominem venatum, ubi in monte ſummo dormientem reliquit, ablato abditóque enſe in fimo boüm. Experrectus *Peleüs*, dum ſolicitus inveſtigabat enſem, morabatúrque diutiùs, à *Centauris* ibi captus eſt. Damnatus ad necem, *Chironi*, qui fortè aderat, ſalutem debuit. Quippe filium *Æaci*, generoſúmque virum, honore magno *Chiron* proſecutus eſt. Deinde ferunt eum, imploratâ *Jaſonis* & *Dioſcurorum* ope, *Iolcum* expugnaviſſe; cepiſſe *Aſtydaméam Acaſti* conjugem, quæ falſi eum criminis inſimulatum detulerat innocentem ad maritum; eámque trucidatam, diſtractámque in partes, per viam publicam exercitu traducto, equis & militibus conculcandam reliquiſſe.

A.M. 2763. § 20. Hactenus *Medea* feliciter agebat *Corinthi*, amoréque *Jaſonis* mutuo fruebatur. Anno jam ſexto, (decimo, ut narrant alii,) peregrinæ mulieris & veneficæ pertæſum, (quod à multis ei probro datum *Hyginus* tradit, Fab. 25.) beneficiorúmque oblitum, *In nova fert animus Jaſonem* conjugia, cum filia *Creontis Corinthiorum* principis *Glauce*. Neque tamen repudiâſſe *Medeam*, ſcribit *Diodorus*, ſed voluiſſe utrâque ſimul conjuge potiri. Tantam contumeliam animo iniquiſſimo *Colchis* ferebat. Deteſtata igitur *Jaſonis* ingratitudinem, deóſque omnes obteſtata conjugii ſui teſtes, promiſſorúmque *Jaſonis*, ad ultionem ſe accingit. Etſi autem furore zelotypo æſtuaret intus, irâ tamen ad tempus diſſimulatâ, quaſi probaret omnia, & gratularetur nuptias, filiis ſuis dona tradidit quæ ad novercam ferrent. Peplum, ait *Apollodorus*; coronam auream, *Hyginus:* (Fab. 25.) ſed utrumvis aliquo veneno infectum; aut naphthâ illitum, ſive unguento ex naphtha præcipuè confecto, quod ſuapte vi ad ſe ignem trahit etiam longinquum. (*Plutarch.* in *Alexand.*) Ut primùm ergò induit nova nupta ſuæ rivalis donum, igne vehementi correpta eſt, unà cum patre qui aderat, & protinus extincta. De quo *Horatius*, (Epod. 5.)

Medea Jaſoni ſupplicium & ſibi infert.

> *Cùm palla, tabo munus imbutum, novam*
> *Incendio nuptam abſtulit.*

Sunt qui produnt ipſam quoque arſiſſe regiam, à *Medea* incenſam radice quadam, quæ accenſa extingui non poterat. Alii ſcrinium perexiguum ad *Creontis* filias miſſum ferunt, cui erat incluſus ignis quidam ſacer & inextinctus; eóque aperto, tantam repentè flammarum evolâſſe vim, ut totum eâ palatium conflagrârit. Interim conſcia futuri *Medea* fugam præripuit. Scribit *Euripides*, & alii ex eo plurimi, ſuos à *Medea* filios ex *Jaſone*, *Mermerum* & *Pheretem*, jugulatos fuiſſe, ut eo dolore patrem affligeret. *Theſſalum* & *Alcimenem* gemellos *Diodorus* vocat, & minorem his *Teſandrum*. Sed illud finxiſſe creditur tragicus Poëta, minùs conſentaneum vero, ut *Corinthiis* rogantibus gratificaretur, quò amolirentur à ſe crudeliſſimæ cædis infamiam. (*Ælian.* Var. hiſt. 5. 21.) Alii enim ab ipſis *Corinthiis* obrutos lapidibus commemorant, propter dona quæ *Glaucæ* tradiderant exitialia. Nam oppreſſis per vim innocentibus pueris, *Corinthiorum* pueri ſuâ nece pœnas dederunt ex oraculo, & annua illis ſacra facta ſunt expiatoria, (ut habet *Ælianus*,) *Pavoriſ*que dedicata imago, quæ diu exſtitiſſe fertur, habitu muliebri, ſed ad terrorem quàm fieri potuit maximè compoſita. Quin & pueri crinem illis detondebant, veſtémque induebant atram. Qui ritus uſque ad everſam à *Mummio Corinthum* celebrati ſunt. (*Pauſ. Corinth.*) *Apollodorus* quidem utrumque tradit: *Mermerum* & *Pheretem* à *Medea* interfectos; infantes verò alios, ante *Junonis Acrææ* aram ſupplices, à *Corinthiis* fuiſſe (matris odio incitante) multis vulneribus contrucidatos. Quærentibus verò *Corinthiis* de ſepultura puerorum, imperaviſſe *Pythiam Diodorus* tradit, ut in *Junonis* templo tumularentur, & colerentur heroïcé. *Theſſalum* quoque, qui fortè effugerat, educatum à *Corinthiis*, *Acaſto* mortuo, *Iolci* potitum imperio. Sed *Corintho* fugiens *Medea*, primò *Thebas* ad *Herculem* divertiſſe dicitur, quem pactorum in *Colchide* fidejuſſorem habuit, (ut aliqui narrant,) jam violatorum vindicem habitura. Sed eum ſuæ mentis impotentem reperit, atque ſanavit. (*Diodor.* 4.) Quippe in furorem inciderat; quem in morbum prona plerumque ſunt heroïca ingenia: tantúmque valuit inſania, ut ſuos ex *Megara* filios tres, & *Iphiclis* fratris duos, in ignem conjecerit flammis concremandos. Cùm ad ſe tandem rediiſſet mœſtiſſimus pater, tanti reus parricidii, inſtituto *Græcorum*, ſponte in exſilium profectus eſt; ſed expiatus inprimis à *Theſtio* rege *Theſpiarum*. Indè verò *Delphos* adiit, ut ex *Pythia* cognoſceret quem deinde locum eligeret habitandum.

Hercules furit, & reſipiſcit.

dum. Sors ex oraculo data eſt, ut habitaret *Tirynthi*, *Euryſtheóque* ſerviret annos 12, donec totidem imperatos labores confeciſſet; vel ut eo redimeret parricidii noxam; vel ut *Euryſtheo* corrupta fortaſſe *Pythia* gratificaretur, ſuo regno metuenti ab *Hercule*, ac totius *Græciæ* tranquillitati conſuleret, quam perturbaturus videbatur, niſi vinculis quibuſdam ejus indomiti ſpiritus coërcerentur. Tandem verò, addidit oraculum, omnibus eum perfunctum certaminibus, immortalitate cœlóque donatum iri. *Diotimus* aiebat *Euryſtheüm* turpiter amatum ab *Hercule*, ideóque tot eum *Euryſtheo* certamina ſudaviſſe. Sed non erat hoc novum in *Græcia*, generoſiſſimos fortiſſimóſque viros à tyrannis exagitari, ſuſpicacibus propter inclytam & formidoloſam ſuo regno virtutem; aut ex invidia nonnunquam ad militiam longinquam ablegari, & periculis objici. *Perſeüs* atque *Bellerophon*, nupérque *Jaſon*, quàm hoc eſſet verum docuêre. Et *Herculi* fortaſſe, ut *Alcæi* & *Electryonis* hæredi, regnum debebatur *Mycenæum* jure. Quod nè vendicaret ac invaderet fortiſſimus vir, Εὐρυσθεῖ ζειν *Apollo* doctus, hæc ei denunciavit ſub imperio *Mycenæi* regis certamina. Ea verò an tot fuerint, an hæc ipſa fuerint, quæ tantopere à Poëtis prædicantur; an aliorum *Herculum* geſta, *Ægyptii Tyriique*, uni *Thebano* tribuantur à *Græcis* omnia; an *Herculi* mythicè, ut Solem ſignificanti, hæc tribuantur duodena; meritò quærunt doctiſſimi viri. Multa profectò ex illis aliter tradi, aliter intelligi debere, id verò certiſſimum eſt. Atque hoc primùm tempore mutatum ei nomen, & Ἡρακλῆς, ſive *Hercules*, à ſacerdote cognominatus eſt; quod his verſibus factum refert *Ælianus*, (Var. hiſt. 2. 32.)

> Ἡρακλῆ δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει·
> Ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων, κλέος ἄφθιτον ἕξεις.

Macrobius, cui Sol eſt *Hercules*, Ἡρακλῆ dici vult, quòd ſit *decus* & *gloria Junonis*, hoc eſt, aëris. (*Saturnal.* 1. 20.) Alii, quod ex odio *Junonis* gloriæ materiam nactus ſit: *Juno* premendo ſuſtulit.

Medea, diſcedente *Thebis Hercule*, & ſatagente rerum ſuarum, ut non vacaret ei vindicare cognoſceréve *Jaſonis* injurias, ipſa quoque diſceſſit *Athenas*.

> *Excipit hanc Ægeus, facto damnandus in uno.*
> *Nec ſatìs hoſpitium eſt, thalami quoque fœdera jungit,* (*Ovid.* Met. l. 7.)

unde *Medus* iis filius prognatus dicitur.

§ 21. Dum feſtum *Athenæa* celebrabatur magnâ *Græcorum* frequentiâ ludis certaminibúſque variis, ſpectatiſſimus juvenis *Androgeos*, *Minoïs Cretenſis* filius, aderat quoque *Athenis*, atque certavit. Cúmque omnibus palmam atque gloriam unus præriperet, magnam repentè cum *Pallantidis* familiaritatem contraxit. *Pallantem Ægeüs* fratrem ſuum, quaſi rivalem regni, pertimuit, oderátque. Itaque amicitiam hanc ſuſpectam habuit, nè *Cretenſium* auxilio & opibus freti, novas res *Pallantidæ* molirentur. Profecturus erat *Athenis Thebas Androgeos*, ad ſacrum aliquod ſpectaculum; quod opportunum iter inſidiis videbatur. Ad *Oenoën* ergò, *Atticæ* urbem, juvenis egregius ſicariorum ſcelere ſublatus eſt. Aliqui à tauro *Marathonio* interfectum ferunt. At in eo nullum fuiſſet humanum facinus à *Minoë* patre vindicandum. Alii *Thebas* euntem ad *Laii* certamen (funebre, opinor) ab athletis propter invidiam dolo ſublatum volunt. *Gratiis* in *Paro* inſula *Minos* fortè rem ſacram faciebat, quo tempore nuncius de filii nece allatus eſt. Quare coronam è capite ſublatam protinus abjecit, tibiíſque abſtinuit; incepta nihilominus peregit ſacra. Unde mos in poſterum obtinuit, ut ſine tibiis atque coronis in *Paro Gratiis* immolaretur. (*Apollod.* 3.) *Athenas* mox trajecit *Cretenſium* rex, ad poſtulandam de autoribus tanti facinoris vindictam. Sed cùm æqui nihil impetraret ab *Ægeo*, præter iram atque dolorem nihil domum retulit. (*Diod. Sic.* 4. 6.) Indignatus ergò vehementer, de gente univerſa pœnam ſumere ipſe ſtatuit, quam de ſicariis impetrare non potuit, & ulciſci armis tam nefarium ſcelus. Bellum igitur *Athenienſibus* indicit, omnia priùs à diis imprecatus mala. *Megarenſes* primò adoriri placuit, qui *Athenienſium* imperio ſuberant, vel cædis participes habebantur, (ut habet *Servius* in *Æneïd.* 6.) *Niſus* imperabat, *Ægeï* frater. *Megarenſium* portus *Niſæa* dicebatur, cui propinqua eſt parva inſula. Eò *Creticam* claſſem appuliſſe *Minoëm* ferunt. (*Pauſ. Attic.*) Hoſtilem in modum populati regionem *Cretenſes*, cùm alia cepiſſent oppida, *Niſum* ipſum intra *Niſææ* mœnia compulſum obſidebant. In fabulis habetur, crinem purpureum habuiſſe regem, quem

A.M. 2763.

Androgeos meritis ſuis perit.

A.M. 2763. quem niſi amiſiſſet, in fatis erat & oraculo vulgatum, non potuiſſe *Niſum* mori. Sed filiam ejus, (*Scyllam* vocabant,) amore *Minoïs* captam, patri dormienti abſcidiſſe crinem fatalem, atque hoſti tradidiſſe, nuptiarum ſibi factâ ſpe. Filiam prodidiſſe regnum patris, admodum vero ſimile videtur ex hac fabula. Ità *Niſum* à *Cretenſibus* interfectum, ſepeliverunt *Athenienſes* in urbe ſua. (*Pauſ.* ib.) *Bœotii Megareüm* tradebant, *Onchesti* regulum, *Neptuno* ſatum, vel *Hippomene* potiùs, (*Apollod.* 3.) cui *Niſi* filia *Iphinoë* nupſerat, ſocero contra *Minoëm* ſuppetias attuliſſe; cúmque in prælio cecidiſſet, eo ipſo in quo ceciderat loco ſepultum, urbi nomen à ſe *Megara* dediſſe, quæ *Niſa* priùs dicebatur. (*Pauſ.* ibid.) At *Megarenſes*, qui de bello *Cretico* & urbe capta diſſimulabant omnia, in regno *Megareüm* ſocero aiebant ſucceſſiſſe, non à *Minoë* cæſum. Deinde verò filius *Pelopis Alcathoüs*, vir ſtrenuus, regnò eſt *Megaris* potitus, qui *Megareï* filiam *Euæchmen* duxerat. *Menippus* enim, *Megareï* filius, (quem & *Enippum* alibi vocat *Pauſanias*,) videtur priùs obiiſſe quàm regnare potuit; cujus erat in *Prytaneo* unà cum *Echepolide Alcathoï* monumentum *Athenis*; à leone inter venandum, unà cum aliis multis, in monte *Cithærone* laniati. Interfecti ejus leonis gloriam *Alcathoüs* tulit. Cùm enim & alium haberet filium *Megareüs* natu majorem, *Timalcum*, qui cum *Caſtore* & *Polluce Aphidnam* oppugnabat, & à *Theſeo* interfectus eſt, (quod tamen per tempora fieri non potuit,) reliquam habuit è liberis filiam unicam. Ejus nuptias cum regno ſpoſpondit ei, quiſquis leonem *Cithæroneum* interfeciſſet. Id *Alcathoüs* præſtitit, regnúmque adeptus eſt. Propterea templum *Agroteræ Dianæ*, ſeu Venatrici, & *Agræo Apollini* dedicavit. (*Pauſ.* ibid.) Sed & urbem nitori ſuo priſtino reddidit; quóſque demoliti *Cretenſes* erant muros, denuo inſtauravit. At quæ patrem patriámque prodiderat virgo, tantum abfuit ut uxorem duceret *Minos*, ut ultro eam ac immodeſtè ingerentem ſe (nam

——*Gnoſſiacæ hærebat comes invidioſa carinæ*,)

abjici mandârit in fluctus. Obrutam æſtus ad promontorium detulit in *Argolide*, quod ab ea *Scyllæum* poſtea dictum eſt. Neque verò cadaver ſepulturâ dignati ſunt; ſed prædam in littore marinis volucribus reliquerunt. Hoc apud vivos juſtitiæ ſuæ ſpecimen exhibuit, in patriæ atque parentis proditorem, apud inferos mox futurus judex.

Sed tanti ſceléris vindictam Minos poſtulat, & exſequitur.

Captis everſíſque *Megaris*, non deſtitit propiùs urgere vexaréque ipſas *Athenas*, donec in ſuas tandem ſatìs rigidas convenire leges compulit. *Pythii* ſaltem *Apollinis* ope adeptus eſt, quod ſuis armis multò difficiliùs erat conſecuturus. Magna per eos dies ex æſtu diuturno ſiccitas, è ſiccitate frugum calamitas, indè fames, *Atticam* inprimis, univerſámque pervaſit *Græciam*. Civitatum principes de his averruncandis malis inito conſilio, *Pythiam* conſulunt. *Æacum Æginæ* regem obſecrandum reſpondet vates, ut pro ſalute communi vota concipiat; deos virum integrum atque juſtum exaudituros. Miſſi è ſingulis urbibus legati ad *Æacum*; qui exoratus ipſe, exoraviſſe deos dicitur. Eo enim deprecante, *Panellenió*que *Jovi* ſacris ritè peractis, levata quidem reliqua malis *Græcia*, & frugum donata eſt copiâ. Unde fanum *Jovi Apheſio* dedicatum eſt in *Moluridis* montis jugo. (*Pauſ.* ib.) Ad ejus rei memoriam, legatis *Græcorum* ſtatuæ in *Æacéo*, celeberrimo urbis loco, ab *Æginetis* poſitæ ſunt; & *Æaco* templum communi *Græcorum* nomine, & *Æacea* feſtum cum certamine, ubi victor coronam dedicabat in fano. In *Attica* tantùm adhuc eâdem fame, ſed & peſte, laborabatur. Ac primùm, ex veteri oraculo *Athenienſes Hyacinthi* quatuor filias, qui *Lacedæmone Athenas* demigrârant, *Geræſti* ad *Cyclopis* tumulum jugulârunt, cæde graviore cædem expiaturi. Cùm nihil proficerent tanto innocentium ſanguine profuſo, ad oraculum denuo confugiunt; ubi denunciatum eſt, ut *Androgeo* pœnas penderent quantas poſtularet *Minos*. Ità demum liberos ab his futuros malis. Ad cædem unius expiandam, univerſa gens objicitur hoſtili odio: tantum apud *Apollinem* valuit, ad ſummam crudelitatem & injuſtitiam, juſtiſſimi regis, at ejuſdem potentiſſimi, gratia. Ità ſcilicet à deo ſuo didicit æquitatem, apud inferos adhibendam in judiciis. Quid faciant miſeri? Obſequuntur *Apollinis* decreto, hoſtis libidini permittunt ſe. Hâc igitur à *Minoë* damnantur pœnâ, ut ſingulis annis ſeptem ſibi pueros & puellas totidem tradant in *Creta*; ad victimam, an ad ſervitutem, haud conſtat, an ad præmium iis qui in ludis *Androgeo* dedicatis vincerent. Poëtæ fingebant à *Minotauro* fuiſſe devorandos. *Diodorus Siculus* (4.6.) ſep-

ſeptem pueros non niſi anno quoque ſeptimo ait ſolutos, quamdiu *Minotaurus* viveret: nono ſcribit *Ovidius*, (Metam. l.8. fab.2.) & *Plutarchus*, (in *Theſeo.*) Sed in hoc etiam diſſident Scriptores, quòd alii pueros ſorte ductos, miſsóſque ab *Athenienſibus* prodant. A. M. 2763.

——Stat ductis ſortibus urna: (*Virg. Æneïd. 6.*) &,
Tertia ſors annis domuit repetita novenis. (*Ovid.* ibid.)

Sed *Plutarchus* & *Diodorus* ſuâ claſſe *Minoëm* accerſiviſſe tradunt electos à ſe. Quod minùs conſentaneum videtur iis quæ de *Theſeo* narrantur. De *Minotauro*, quem dixi, hanc habent fabulam Poëtæ. *Paſiphaë* regina veſano amore taurum deperibat. Immiſſam ferunt nefandam hanc libidinem, vel à *Venere*, *Soli* ejúſque progeniei, propter adulterium ſuum cum *Marte* proditum, iratâ; vel à *Neptuno*, quia, vovente illi optimam victimam *Minoë*, in ſacrificio ad regnum ſibi ſtabiliendum deſtinato, cùm taurum illi *Neptunus* eximiæ formæ obtuliſſet, alium tamen minùs formoſum immolavit rex, amandato ad armentum ſuum pulchriore. Hanc mariti fraudem *Paſiphaë*, turpiſſimo in pulcherrimum taurum amore, luit. Quare *Dædalum* exoravit ingenioſiſſimum artificem, jámque diu exſulantem in *Creta*, ut vaccæ fabricaret effigiem quàm ſimillimam ex ligno, in qua concluſam ſe taurus iniret. Hoc etſi factum non ſit, fieri tamen potuiſſe ſpectacula docent *Romana*, fabulis *Græcorum* multò magis nefaria; quibus tamen applaudit nequiſſimus Poëta. (Lib. Spectac. epigram. 5.)

Junctam Paſiphaën Dictæo credite tauro;
Vidimus, accepit fabula priſca fidem.
Non ſe miretur, Cæſar, longæva vetuſtas:
Quicquid fama canit, donat arena tibi.

Ex hoc belluino concubitu natum fingunt eſſe monſtrum, parte ſuperiore hominem, inferiore taurum, quod *Minotaurum* appellabant. *Apollodorus* (libro 3.) taurino fuiſſe vultu ſcribit, virum in cæteris. *Dædalus*, ut vaccæ fabrefactæ crimen opere alio redimeret, jubente rege Labyrinthum conſtruxit, in quo monſtrum illud concluderetur, nè hominum pateret oculis regiæ domûs infamia. Labyrinthus erat inexplicabilibus viarum ambagibus confuſa domus, ità ut aliquantulùm in eam progreſſus quis, nullum poſſet exitum invenire. *Virgilius* ità deſcribit, (*Æneïd.* 5.) *Minotaurus*

——Cretâ fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum, quo ſigna ſequendi
Falleret indeprênſus & irremeabilis error.

Ovidius autem (ubi ſuprà) his eum coloribus depingit.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbátque vias, & limina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapſu refluítque fluítque,
Occurrênſque ſibi venturas aſpicit undas;
Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum
Incertas exercet aquas: ità Dædalus implet
Innumeras errore vias; vixque ipſe reverti
Ad limen potuit, tanta eſt fallacia tecti.

Lapide polito conſtructum fornices tegebant. Ac fuiſſe in *Creta* Labyrinthum conſtat, *Dædali* opus, qualem in *Ægypto*, ſed longè ampliorem *Thebis* viderat. Indè enim (ut *Plinius* habet 36. 13.) ſumpſiſſe *Dædalum* exemplar ejus Labyrinthi quem fecit in *Creta*, non eſt dubium; ſed centeſimam tantùm portionem ejus imitatum. Etſi *Frid. Hervart.* ſuo more, (cap. 13. Theolog. ethnicæ,) Navale ſubterraneum fuiſſe ac maritimum, non verum Labyrinthum, comminiſcitur. *Minotauri* fabulam de juvene quodam feroce *Palæphatus* exponit, ſpurio *Paſiphaës*; qui cùm armentorum ſubeſſe cuſtodibus recuſaret, quò erat à *Minoë* miſſus, nec ad ipſum regem vocantem rediret; ex foſſa in monte ſubterranea, quæ *Labyrinthus* dicebatur, deprædari ſolebat, Quid velit.

A.M. 2763. lebat, ſpoliaréque vicinos ac viatores. Ad eum igitur, ſi qui erant damnati ad pœnas malefici, mittebantur interficiendi à rege. Sed Labyrinthum (ut dixi) verum in *Creta* fuiſſe, ambigi non poteſt. Probabilius ergò, *Taurum* fuiſſe claſſis regiæ ducem, fortem formosúmque virum, at eundem crudelem. Cum eo conſueviſſe *Paſiphaën*, conſcio & adminiſtro *Dædalo*. Labyrinthi carcere *Athenienſes* pueros tamdiu concluſos, donec in ludis *Androgeï* gratiâ inſtitutis victori præmium traderentur. Primo certamine *Taurus* victoriæ præmium, *Athenis* eò miſſum, conſecutus, pueros puellâſque duriùs habuit & inhumaniùs, quàm æquum parentibus eorum & popularibus viſum eſt. Itaque *Attici* Poëtæ poſtea, maximè tragici, graviter in *Minoëm* atque *Taurum* veluti monſtrum invecti ſunt, & quibuſvis eos contumeliis atque convitiis exagitabant. Tantò gravius eſt, irritare ad vindictam eos qui ſtylo feriunt, quàm qui gladio. (*Plutarch.* in *Theſeo.*)

Herculis Labores ſub *Euryſtheo* enarrantur octo.

§ 22. Cùm regis *Mycenæi* ſe jugo ſubmiſiſſet *Hercules*, (deorum enim oracula contemnere impium prorſus atque nefarium videbatur,) primum ei opus denunciatum eſt, ut Leonis *Nemeæi*, cute impenetrabili belluæ, ac proinde quæ vulneribus non patebat, pellem *Euryſtheo* traderet. Sylva erat *Nemeæ* urbi cognominis; *Nemea Cleonis* propinqua, in aditu ferè *Peloponneſi*. *Cleonas* uſque cùm perveniſſet *Hercules*, quidam paſtor *Molorchus* eum hoſpitio excepit; admiratúſque ingentem viri vim, erat hoſtiam illi ceu deo immolaturus. At *Hercules* eum triginta dies exſpectare juſſit: quo tempore, ſi à venatione incolumis reverteretur, *Jovi Servatori* mactaret victimam; ſin occumberet, ſibi ut Heroï parentaret. De hoc *Tibullus*, (lib. 4.)

Quin etiam Alcides, deus aſcenſurus Olympum,
Læta Molorchæis poſuit veſtigia tectis.

Itaque leonem aggreſſus, cùm ſagittis eum fruſtrà eminus, exhauſtâ penè pharetrâ, oppugnâſſet, clavâ eſt adortus, acriore telo, quo in ſpeluncam biforem adacta eſt fera, ad radices montis *Treti*, ſeu *perforati*; quod nomen ab hoc belluæ ſtabulo adeptus eſt. Cùm oſtium igitur alterum obſtruxiſſet *Hercules*, altero ingreſſus, & amplexus utriſque brachiis collum feræ, tamdiu aſtrictum tenuit donec præfocavit. Humeris deinde impoſitum *Mycenas* ad *Euryſtheüm* portavit. Cùm autem hoc non ante poſtremum feciſſet eorum triginta dierum quos *Molorcho* ad exſpectandum propoſuerat *Hercules*, paſtor ut mortuo inferias parabat. At *Hercules* ſuperveniens ea *Jovi* ſacra obtulit *Servatori*. Leonem hunc *Nemeenſes* admodum ſibi ſenſerant moleſtum infeſtúmque. Plurima enim & ferè quotidiana illis damna inferebat. Quare *Herculi*, cùm ſuſtuliſſet feram, tantóque omnem viciniam liberâſſet malo, publici honores decreti ſunt; quos ille poſtea in *Cleonenſes* tranſtulit, eos 360 qui adverſus *Molionidas* auxilium ei tulerant, & fortiter ceciderant in prælio. (*Ælian.* Var. hiſt. 4. 5.) Sed an hocce modo, & ſingulari certamine, ferociſſimum leonem expugnârit, an venando, & aliquo artis adminiculo uſus, nihil equidem ſtatuo; cùm tradatur illud, hoc autem verò ſimilius ſit. Nec enim hiſtoricâ fide, ſed magnificè prædicant omnia Poëtæ. Quanquam ſuperare leonem humanis viribus non ſit facinus ejuſmodi, quod ſuperet fidem; quia *Samſonus*, *David* aliíque id multi præſtiterunt. Atque hujus leonis, non *Cithæronæi*, pelle induiſſe *Herculem* ſe *Diodorus* narrat: quod minùs credibile tamen, quoniam alieni erat juris, *Euryſtheo* tradita, hæc pellis. Cùm ex primo certamine perſpexiſſet *Euryſtheüs* quantæ forent vires *Herculis*, non eſt paſſus deinde ut in urbem ingrederetur. Sed mandata illi per *Copreüm* præconem tradita ſunt; quæque afferebat *Hercules*, pro portis erant deponenda. *Copreüs* autem *Pelopis* fuiſſe filius dicitur, qui poſt *Iphitum* à ſe interfectum exſulabat *Mycenis*, & ab *Euryſtheo* expiatus eſt. *Cypreüm* appellat *Homerus*; (*Iliad.* 15.) cujus *Periphetes* filius, patre multò præſtantior, ab *Hectore* interfectus eſt. Imò ferunt meticuloſum regem æneüm ſibi dolium comparâſſe, in quo ſub terra occultaret ſe, *Herculiſ*que vim effugeret.

Sed primus hic vix duorum erat menſium labor. Secundum igitur *Copreüs* imperavit, ut *Hydram*, paludis *Lernææ* ſerpentem in agro *Argolico*, tolleret, maleficum ac peſtilens animal, quod longè latéque ſtrages hominum edidit pecorúmque. Maximam fuiſſe belluam *Pauſanias* tradit, (in *Corinthiac.*) & veneno inſanabili præditam; quo *Hercules* poſtea ſpicula ſuarum ſagittarum imbuit: at non niſi unicum habuiſſe caput, utcunque *Piſander Camirenſis*, quò fera terribilior, & carmina ſua plus habere dignitatis viderentur, capita illi plura tribuerit. Quâ vi artéve confecerit hanc peſtem, haud

haud facilè quis colligat ex Poëtis. Illi 7, aut 9, aut 50 ei capita affingunt, è quibus unum in medio immortale; reliqua duplicari ſemper ferebant exciſa, niſi protinus adurerentur. A.M. 2763.

Vulneribus fœcunda ſuis fuit illa; nec ullum
De centum numero caput eſt impunè reciſum,
Quin gemino cervix hærede valentior eſſet. (*Ovid.* Metam. 9. fab. 1.)

Herculem eò curru vectum aiunt, aurigante *Iolao*, Hydram in tumulo quodam reperiſſe propter *Amymones* fontem, ubi ſæpius latitare conſueverat; ignitis eam ſagittis expuliſſe è latebris, manúque prehenſam contudiſſe clavâ. Sed cùm ingens cancer, admorſo *Herculis* pede, auxiliaretur Hydræ, opem & ipſum imploraviſſe ab *Iolao*; qui è ſylva ſuccenſa torribus arreptis, adurendo capita prohibuit renaſci. Reciſum immortale ac defoſſum eſt caput, ingentíque lapide oppreſſum, nè reſurgeret. *Euryſtheüm* ferunt noluiſſe victoriam hanc in iis quas debebat *Hercules* duodecim numerare, quoniam adhibuiſſet opem alienam. Hydræ fabulam *Palæphatus* de propugnaculo interpretatur, in *Lerni* cujuſdam reguli ditione, *Argolidis* parte, qui ab *Euryſthei* defecerat imperio. Ejus oppiduli præſidio quinquaginta erant ſagittarii adhibiti, quot apud Poëtas pleroſque Hydræ capita; quorum uno cedente cadentéve, è reliquis duo protinus locum ejus occupabant. Ad hanc munitionem expugnandam ab *Euryſtheo* miſſus eſt *Hercules*. Cúmque *Lerno Carcinus* quidam bellicoſus dux opitularetur, *Iolaüs* etiam *Herculi Thebis* auxiliares copias tulit; qui turrim primariam ſubjectis facibus incendit. Ità cepit Hydram atque delevit *Hercules*. *Iolaüs*, ſive *Iulius*, (apud *Stephanum*,) narrat *Herculem* ab *Apolline* remedium quæſiviſſe ad ſanandas Hydræ morſus venenatos: juſſiſſe *Pythiam*, ut ad Orientem pergeret, donec amnem inveniret cujus in ripis herba naſceretur Hydræ ſimilis: Dracunculum verò herbam inveniſſe, quâ ſanatus eſt. *Plato* (in *Euthyd.*) Sophiſtam ſcribit Hydram fuiſſe, qui maledictis *Herculem* inſectatus eſt. Sophiſticâ enim nihil fœcundius.

Tertia erat inſtituta *Herculi* de velocitate contentio cum Cerva, aureis cornibus inſigni apud Poëtas æreíſque pedibus, *Dianæ* ſacra. Hanc *Oenoë* alebat in *Attica*: nec interficere, ſed afferre vivam oportuit, quippe dedicatam deæ. Annua igitur venatio huic prædæ data eſt, continenti curſu. Laſſam denique in *Artemiſio*, *Arcadico* monte, cùm *Ladonem* fluvium jamjam tranatura deſcenderet, ſagittâ ſauciam cepit. Aliqui tamen eam retibus implicatam, indagine alii captam fuiſſe malunt.

Quartum erat *Herculi* certamen propoſitum contra *Erymanthium Arcadici* montis Aprum, qui *Pſophidiorum* agros devaſtabat. Eum quoque vivum atque vinctum traduxit *Mycenas*, altiſſimæ nivis impedimento delaſſatum, atque captum in fruticeto. Eò profecturus *Hercules*, ad *Centaurum* divertit *Pholum*, in eo monte degentem, qui ab eo *Pholoë* poſtea dictus eſt. Perbenignè *Pholus* accepit hoſpitio, & toſtas *Herculi* carnes appoſuit, cùm ipſe crudis veſceretur. Sed vinum deerat tanto dignum hoſpite. Poſcenti verò *Herculi*, *Centaurorum* omnium commune dolium relevit generoſiſſimi vini: cujus odore fragrantiſſimo excitati ejus montis *Centauri*, impetu facto in *Pholi* ruebant ædes; ſive quòd aliis negaret vinum, rapturi per vim; ſive injuriâ incenſi, quòd publicæ rei detrimento privatam ſibi unus captaret gratiam. At cæſis ab *Hercule* plurimis, in fugam ſe reliqui dederunt. *Pholus* ipſe, cùm ſagittam *Herculis* Hydræ tinctam veneno minùs cautè manibus tractaret, eáque delapſa fortè cecidiſſet in pedem, levi, ſed quod remedium non tulit, vulnere extinctus eſt, & ab *Hercule* ſepultus honorificé. Montem ipſum *Pholoën* pro monumento habuit. (*Apollod.* 2.) A.M. 2764.

Arcadicæ urbi *Stymphalo* propinqua erat palus magna, quò convolare ſolebant aves quædam frequentiâ maximâ. *Stymphalides* à loco appellabantur; veſcebantúrque humanis carnibus, ut in fabulis erat vulgatum; hoc eſt, fruges devorabant quibus erant alendæ carnes humanæ. Et emiſſis pennis jaculari ſolitas *Hyginus* refert. (Fab. 30.) In *Arabiæ* deſertis ferunt (inquit *Pauſanias Arcad.*) ejus nominis aves volitare, non minùs pardis aut leonibus truculentas: arma etiam ænea ferreáque roſtris penetrare; at in veſtimento è corticibus arborum contexto inhæreſcere ac detineri volucrum roſtra, non ſecùs ac minorum avium viſco capiuntur alæ. Gruibus pares, Ibibus *Ægyptiis* ſimiles, accipitrum genus quoddam. Quæ cùm in *Græciam* fortaſſe

 devo-

A.M. 2764. devolârunt aliquando, *Herculis* operâ ſublatæ ſunt. Cùm aut hæ rapinis atque cædibus infeſtæ, aut aliæ damnis, quæ numero infinito fruges depaſcebant, *Stymphalidem* frequentarent paludem, dignum *Hercule* opus *Euryſtheo* viſum eſt, ut eas abigeret. Qui ergò ſæpius jampridem venatus eſt fatali obſequio, aucupatum nunc à *Copreo* mittitur. Prudentiâ hîc & arte opus erat magìs quàm viribus & virtute bellicâ. Etſi fabulæ ferebant, ſagittis ab *Hercule Stymphalidas* fuiſſe confectas ; *Piſander Camirenſis*, crepitaculorum ſonitu atque tinnitu perterritas pulsáſque tantùm aufugiſſe tradidit. Crepitaculum verò illud æneum à *Minerva*, hoc eſt, prudentia, donatum *Herculi*, à *Vulcano* factum, id eſt, ſummâ & divinâ quadam arte, fingebatur à Poëtis. Ità quinto *Hercules Euryſthei* mandato perfunctus eſt.

Augeæ, regi *Elidis* primario, tot fuiſſe boüm armenta gregéſque tantos caprarum ferunt, ut agri magna pars obduceretur fimo, nihílque domino prodeſſet. (*Pauſ. Eliac.* 1.) Stabulum *Diodorus* ait ſtercore annorúmque plurium ſordibus refertum, quod ſine immenſa opera & ſumptu purgari non poſſe videbatur. Hoc ut faceret tamen fœdum atque tetrum opus unico die, in ſextis *Herculi* mandatis *Euryſtheüs* dedit. Ad *Augeam* igitur accedit *Hercules*, purgaturum ſe à ſtercoribus vel agrum, vel ſtabulum, certâ mercede pollicetur. Agri fortaſſe partem aliquam, aut pecoris decimam, (ut *Apollodorus*,) aliúdve pactus pretium operis, immiſſo *Minyeo* flumine, perfecit negotio facili. *Peneüm Diodorus*, *Peneüm Alpheúm*que ſimul tradit *Apollodorus*. Ità ſuperbo ignominiosóque domini ſui mandato obſecutus eſt ; nihil tamen turpe, aut ſuo indignum decore, admiſit. Cùm arte factum rex videret, quod maximi & diuturni fuiſſe laboris opus crediderat, imperantéque factum *Euryſtheo*, quod ſponte ſuſceptum ab *Hercule* putârat ; tantam ſe mercedem daturum pro tam levi negotio, atque alii debito, pernegavit. Imò verò ipſam, quam erat pactus, mercedem inficiatus eſt. Maximus natu filiorum regis, *Phyleüs*, non potuit non monere patrem injuriæ in virum bene meritum de ſe. Alii ſcribunt eum pro *Hercule* vel judicium tuliſſe, ejus arbitrio permiſsâ re, vel in judicio dixiſſe teſtimonium. At hoc juſtitiæ candoríſque tulit præmium à patre, abdicatus eſt, & in exſilium miſſus. Contulit verò *Dulichium* ſe, *Ionii* maris inſulam, *Ithacæ* propinquam & *Cephaleniæ*. Ipſe *Hercules Elide* pulſus imperio regis, ut ulciſceretur tantas injurias, cum auxiliis *Arcadum* rediit mox, at profecit nihil. *Augeas* enim ope ſociorum adeò communiverat ſe, ut *Iphicle* fratre *Herculis* à *Molionidis* vulnerato, ipſe digreſſus indè ſit, diſtulerítque vindictam in otium magìs opportunum. Quippe jam ad *Euryſtheüm* ei redeundum erat neceſſarió. *Molionidæ* (quos dixi) *Actoris* erant filii, *Creatus* & *Eurytus*, juvenes fortiſſimi, à matre *Molione* vulgò ità cognominati. *Actorem* alibi diximus ex *Phorbante* natum *Lapithæ* filio, & *Hyrmina Epeï*. De matris nomine *Hyrminen* oppidum in *Elide* conſtruxit *Actor*, ibidémque regnavit. Auxiliatus etiam eſt *Amaryncеüs*, rerum uſu bellicarum ſolertiſſimus. Is *Pyttio* patre genitus eſt, homine *Theſſalo*, qui ab *Augea* erat in regni partem admiſſus propter virtutem bellicam. At *Iphicles* in oppidum *Arcadiæ Pheneüm* relatus à ſuis, à *Buphago* & *Pronoë* perbenignè acceptus, ex vulnere tamen mortuus, honorificéque tumulatus eſt. Eidem ut Heroï, multis poſtea ſeculis, parentatum. (*Pauſ. Arcad.* & *Eliac.* 1.) *Dameonem* quoque, *Phliantis* filium, unà cum equo, interfectum à *Creato* ferunt in hoc prælio. (*Pauſ. Eliac.* 2.)

Dum in *Elide* morabatur *Hercules*, ferunt eum cum *Lepreo Pyrgeï* filio, urbis *Leprii* conditore, edacitatis inſtituiſſe certamen : cúmque bovem uterque occidiſſet, ac *Lepreüs* in vorando nihilo *Hercule* ſegniorem ſe præberet, eò proceſſit concertandi ardor, ut eum *Hercules* ad certamen armorum provocârit. In ea pugna interemptum aiunt *Lepreüm*, & in *Phigalienſium* finibus ſepultum. (*Pauſ. Eliac.* 1.) *Lepream* hunc (nam & *Lepreas* dictus eſt) *Aſtydamiâ* matre, filiâ *Phorbantis*, & *Actoris* ſorore, patre verò genitum *Glaucone*, refert *Ælianus*. (Var. hiſtor. 1.24.) Eundem autorem fuiſſe *Augeæ*, ut *Herculem* in vincula conjiceret. Inviſum propterea, matris tamen *Aſtydamiæ* gratiâ in gratiam ab *Hercule* receptum, æmulatione quadam, variis cum eo certaminibus contendiſſe : diſco inprimis ; exhauriendâ mox aquâ ; deinde, uter bovem citiùs comederet ; quartò, uter plus biberet. Superatum ſe in ſingulis cùm indignaretur *Lepreas*, ad armorum denique certamen provocavit *Herculem*, ubi victus atque interfectus eſt. *Olenum* indè ad *Dexamenum* videtur *Hercules* divertiſſe : quo de *Eurytione Centauro* conquerente, quippe cogi ab eo nolentem ſe, ut filiam ei *Mneſimachen* uxorem traderet ; accedentem eò *Centaurum* ut auferret ſponſam

ſam *Hercules* obtruncâſſe dicitur. *Hippolyten Diodorus* filiam *Dexameni* vocat; cui, cùm *Axani* nuptum daretur, *Eurytion* afferre voluit vim, ac propterea cæſus ab *Hercule* interiit. At *Euryſtheüs* neque hoc ſtabuli purgati opus inter duodena numeraviſſe dicitur, eò quòd mercede conductus perfeciſſet, & ſtipendio alieno. A.M. 2764.

Cùm nihil ſupereſſet jam in Continente *Græciæ* quod vel periculo terreret, vel difficili opere detineret *Herculem* diutiùs, & negotium ei faceſſeret, in *Cretam* eſt inſulam amandatus ab *Euryſtheo*. Celebris erat fama per *Græciam* feri atque immanis Tauri, qui *Cretenſium* hoc tempore agros, *Tethrini* præcipuè amni adjacentes, quotidianis damnis populabatur. Hunc igitur ad ſe pertrahi *Euryſtheüs* voluit. Poetæ fingebant, oranti *Minoï* à *Neptuno* datum, ac promittenti, quod primum vel quod optimum occurrebat, id ſe immolaturum deo: hujus autem bovis, ex mari aſcendentis illico, eximiam ſpeciem conſpicatum regem, ſubſtituiſſe deformem *Neptuno* victimam, ſervato ſibi pulchriore. Iratum itaque numen efferâſſe taurum, magno totius inſulæ damno. At *Pauſanias* (in *Atticis*) *Neptunum* ideo *Minoï* ſuccenſuiſſe narrat, quòd, cùm latè maris imperium teneret, nihilo tamen majorem deo maris detuliſſet honorem quàm cæteris diis. Quid multa? Trajecit *Hercules* in *Cretam*; venandi veniam impetravit à *Minoë*: captus denique taurus eſt, & perlatus ad *Euryſtheüm*; ſed, ut numini dedicatum animal, libere dimiſſum. Ex campis itaque *Argivis*, per Iſthmum *Corinthiacum*, in *Atticam* tranſiit, *Arcadiâ* priùs *Laconiâ*que peragratâ; ubi agrum *Marathonium* non minùs infeſtum reddidit quàm *Cretenſem* priùs.

§ 23. *Theſeüs*, *Ægeï Athenienſis* atque *Æthræ Pittheïdis* filius, comam, pro more ſui temporis, ubi ex ephebis exceſſerat, *Pythio Apollini* jampridem dedicârat; ſed comam ſincipitis tantùm, *Abantes Eubœæ* imitatus, qui à fronte ſola tondebant crines, nè quam hoſtibus vellicandi ſe anſam, quando pugnabant cominus, darent: eáque deinceps tonſura *Theſida* vocabatur. Jam tandem cùm ad virilem ætatem perveniſſet, *Æthra* mater, quod celaverat hactenus, verum ei genitorem indicavit. Monſtrato enim lapide, (*Sthenii Jovis* ara dicebatur,) eum dixit amovere loco ſi poſſet, certa *Theſeüm* pignora ſui generis inventurum, quæ ad ſe deferri pater quàm primùm imperavit. *Saxum* deinde *Theſeï* dictum eſt. Motus loco lapis vera comprobavit quæ filio enarraverat mater. Magna jampridem *Theſeüs* atque illuſtria optimæ indolis atque virilis animi prodiderat indicia. Pædagogo uſus eſt *Comidâ*; cui propterea multis poſtea ſeculis vervecem immolabant *Athenienſes*, pridie ſolennitatis magnæ quam *Theſeo* celebrabant. Memorare ſolebant *Træzenii*, cùm annum ætatis ferè ſeptimum *Theſeüs* ageret, *Herculem* aliquando ad *Pittheüm* veniſſe, dúmque accumberet cœnæ, leonis pellem depoſuiſſe: pueros accurriſſe ad ſpectaculum novum; reliquis autem perterritis, unum *Theſea* propiùs accedere auſum, arreptâque bipenni è ſatellitis manu, invadere conatum quaſi viventem belluam: magnum ſpecimen generoſæ indolis. (*Pauſ. Attic.*) Noto jam patre, hactenus matri atque avo cum nepote conveniebat, ad *Ægeüm* eſſe *Athenas* proficiſcendum; ſed quâ viâ proficiſcendum, diverſa erat ratio. Mater atque avus iter maritimum ſuadebant: brevius id atque tutius aiebant fore. Vias enim terreſtres obſideri omnes à latronibus, qui fortitudinis laudem ex rapto quærebant, & ſpoliis alienis. Quò magìs illi prohibebant, eò pronior ille ad iter interdictum fuit, eóque ipſo quo dehortabantur periculo ſtimulabant. *Herculis* incendebat urebátque hominem gloria, conſobrini ſui, (ut quibuſdam placet,) qui *malleus maleficorum* habebatur, coërcebátque latrocinia, & hominum ubique opprimebat audacium furorem. Nihil *Theſeüs* audiebat libentiùs quàm geſta *Herculis*. De iis cogitabat quotidie ac diſſerebat; de iis ferè ſolis noctu ſomniabat. Ac præſente in *Græcia Hercule*, continebant ſe utplurimum latrones. Dum verò ille jam peregre agebat, & expeditionibus longinquis diſtinebatur, hi vias infeſtare, atque impuniùs graſſari cœperunt. Hanc prohibere licentiam, & coercere audaciam hominum perditorum, magnæ ſibi laudi futurum *Theſeüs* credidit. Ultro igitur diſcrimina quærebat ingens animus, & materiam gloriæ. Cùm à propoſito dimoveri non poſſet, per *Epidaurum* iter inſtituit, eo animo, nemini ſe illaturum injuriam & vim, illatam verò ſibi haud impunè toleraturum. In eo agro magnus prædabatur latro *Periphetes*, *Anticléæ* filius & *Vulcani*; qui, pedibus debilior, clavam geſtabat ferream & ingentem, unde *Corynetes* dicebatur. *Theſeüm* igitur prætereuntem adoritur clavâ, haud invitum imparatúmve. Nec mora, provocatus ad pugnam, quod unum optabat exſpectabátque, ſtricto gladio cominus agit rem;

De *Theſeo* latè agitur: de *Jaſone* obiter & *Medea*.

rem; viribúſque præſtantior, mox humi proſternit clavigerum, & neci dat. Cùm
A.M. 2764. hoc edidiſſet primum ſpecimen ſuæ fortitudinis, clavam ipſe deinceps geſſit, ut leonis pellem *Hercules*. In Iſthmo *Corinthiaco Scinis* occurrebat *Pityocamptes* in *Cromio* vico, qui retortis pinuum ramis homines alligatos, iiſdem ſubitò redeuntibus diſtractos, miſerè lacerabat. *Polypemone Scinin* hunc & *Syleâ Corinthi* filiâ prognatum ferunt. In *Megarenſi* agro *Sciron*, vel inſignis latro per eam viciniam, vel, ut alii narrant, homo inſigni crudelitate, qui ad ipſum littoris marini marginem adigebat viatores, ut lavarent ſibi pedes; cui intentos operi, repentino pedis ictu impulſos, deturbabat præcipites in mare. Ab eo propterea nominatæ ſunt *Scironides* petræ. Ad urbem *Eleuſin Cercyon Arcas*, *Vulcani* filius, hoſpites luctâ ſuperatos interimebat. *Damaſtes*, ſeu *Polypemon*, cognominatus *Procruſtes*, in *Corydalio Atticæ*, (ut *Diodorus* habet,) vel in urbe *Hermionia*, (ut *Plutarchus*,) vel ad *Cephiſum* denique, (ut *Pauſanias* in *Atticis*,) lecto ſuo viatores, quos aſſequi potuit, adaptare ſolebat, vel diſtendendo breviores, vel amputando longiorum pedes, doloréque ſummo excruciare. Hos omnes edomuit *Theſeüs*, & iiſdem noxios affecit pœnis, quibus illi tormentis afflixerant inſontes.

———Nec enim lex juſtior ulla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſuâ.

De *Scirone* quæ narrantur, vera eſſe *Megarenſes* olim negabant. A *Theſeo* quidem interfectum aiebant, quo tempore à *Megarenſibus Eleuſin* abſtulit. Hominem verò fuiſſe meliore famâ dignum indè arguebant, quòd *Cychreüs* eum *Salaminius* generum, ſocerum *Æacus* haberet, *Telamon* atque *Peleüs* avum, optimi omnes viri. *Chariclo* enim *Cychreï*, *Scironis* uxor; hujus filia *Eudeïs* conjux *Æaci*. *Scinis* verò filiam *Perigonuam* vitiâſſe *Theſeüs* dicitur, unde *Menalippum* genuit: eam verò poſtea *Deïoneo* nuptum dedit, *Euryti Oechalienſis* filio. De *Cercyone* luctatore fertur, eum filiam genuiſſe *Alopen*, quæ ſtupro filium peperit *Hippothöontem* clàm. Expoſuit mater, & expoſito equam præbuiſſe ferunt lac. Paſtor tandem invenit puerum, habitu quodam regio indutum. Roganti alteri donatus infans à paſtore, ſed negata veſtis pretioſa. Indè jurgium, & lis, & apud ipſum *Cercyonem* contentio. Prolatâ veſte, ex ſuæ filiæ indumentis conſarcinatam agnovit rex. Quæſtione habitâ, nutrix prodidit *Alopes* partum, ſed *Neptuni* crimen. Nam à *Neptuno* genitum prædicabat mater. At non tam credulus quàm crudelis pater, ſævitiâ pari ſuam filiam, quâ hoſpites imbelles, eo ipſo quo infantem ediderat loco trucidavit, puerúmque denuo expoſuit. Quà *Megaris Eleuſinem* via ducit, monumentum exſtabat *Alopæ* poſitum: nec indè procul *Cercyonis* palæſtra. Denuo repertus infans, equâ iterum porrigente mammam. Suſtulerunt paſtores, & quaſi deorum munere conſervatum aluerunt, *Hippothöontis* nomine dato ex re. Avo jam cæſo, ad *Theſeüm Hippothöon* accedens, quia *Neptuni* genus eſſe videbatur, avito regno donatus eſt. (*Hygin.* Fab. 187.) *Theſeüm* aiunt primum Palæſtricam inveniſſe, & artem ejus inſtituiſſe ac diſciplinam; quòd antea ſolâ corporum vi ac robore nitebatur. (*Pauſ. Attic.*) Sed nè coactus omnia, & ſuæ tantùm ſalutis gratiâ facere videretur, Suem agreſtem in *Cromyone*, (*Phæam* vocabant,) ſummâ ferociâ, & ipsâ magnitudine formidabilem, interemit, quo permoleſtum toti viciniæ malum ſuſtulit. Aliqui mulierem fuiſſe hanc malunt, ſtupris atque latrociniis infamem, à bruta impurâque morum feritate *ſuem* cognominatam. Primi *Phytalidæ*, ad *Cephiſum* fluvium nobilis familia, geſtorum famam atque virtutem viri admirantes, obviàm prodiverunt, & hoſpitio *Theſeüm* exceperunt honorificè. Eundem quoque petentem, ſacrificiis, more temporum, ad *Milichii Jovis* aram à cædibus expiârunt quas in eo itinere patraverat; *Scinis* præcipuè ſui propinqui ab avo *Pittheo*. (*Pauſ. Attic.*) Conviviis denique hoſpitis gratiſſimi adventum celebrârunt magnificè. *Athenas* indè perrexit. Sed & illic primò publicâ tantùm famâ gloriâque notus. Aliquandiu celari à patre voluit, quò gratior accideret adventus inopinatus. Ferunt eum, incognitum adhuc, eo tempore ſolum introiiſſe urbem talari pallâ & comâ eleganter pexâ, quo *Delphinii Apollinis* ædes ad faſtigium uſque perducta jam erat: dúmque novum ædificium contemplabatur, per ludibrium rogâſſe fabros, quid ità nubilis virgo ſola oberraret: illum verò nihil reſpondiſſe, verùm disjunctis à plauſtro quod propinquum erat bobus, trabem magnâ vi altiùs quàm culmen templi ſtatuerant fabri projeciſſe. Ità virium oſtentatione virum probavit ſe, virginis probrum repulit. (*Pauſ. Attic.*) Sed *Medeæ* ſubole-

ſuboluerat neſcio quid majus facinorumfamâ, & futurum ſibi deterius. Itaque perſuaſit *Ægeo*, periculoſum hoſpitem convivio excipere, & veneno tollere, quaſi *Pallantidarum* adverſæ factionis ſtudioſum. Et fortaſſe audiverat *Ægeüm* de filio jam propediem adventuro, ſi viveret, differentem. *Theſeüs* vocatus aderat jam convivio regali, & aliquam excogitavit cauſam oſtendandi gladium *Ægeo* præſente: quem ille contemplatus diu fixis oculis, ubi *A.M. 2764.*

——in capulo cognovit eburno Signa ſui generis,——

cùm erat venenum porrecturus mox, *Quis tu verò*, inquit, *homo es, qui hunc geſtas gladium? Æthræne filius Pittheïdis? Imò & ejus, pater, & tuus ego ſum*, *Theſeüs* reſpondit. Cùm & reliqua indicia convenirent, paterétque res clariſſimè, abjecit protinus venenum *Ægeüs*, & amantiſſimè complexus filium, ſumma cum hilaritate peregit feſtum diem, quem cædi & triſtitiæ deſtinârat. Poſtridie populi concione advocatâ, Jam tandem eſſe monuit, & adeſſe, ſibi filium hæredem, eum ipſum cujus præeuntem famam accepiſſent jampridem, *Theſea*. Et certè tam celebris ubique vigebat factorum ejus gloria, ut tanti hoſpitis adventu non minùs lætaretur populus, quàm filii rex; qui propterea

————fovet ignibus aram,
Muneribúſque deos implet; feriúntque ſecures
Colla toroſa boüm, vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies: agitant convivia patres; &c.
Conſonat aſſenſu populi precibúſque faventûm
Regia; nec tota triſtis locus ullus in urbe eſt.
Nec tamen (uſque adeò nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitúmque aliquid lætis intervenit,) Ægeus
Gaudia percepit nato ſecura recepto. (*Ovid.* Metam. 7. fab. 23.)

Pallas enim, frater *Ægeï*, cum filiis 50, ægerrimè ferebant, ſpem regni, quam certam habuerant *Ægeo* defuncto, fruſtrari jam ſpuriâ ſobole, & alienigenas excludere regiam *Erechtheï* familiam. Arma confeſtim expediunt,non exſpectandum ulteriùs rati. Et copias dividebant: quarum altera cum *Pallante* pars urbem occuparet; altera *Gargetti* (villa erat ea vicina) ex inſidiis *Ægidas* adoriretur cùm eſſet opportunum. *Leos* quidam aderat his caduceator, qui conſiliorum conſcius, *Theſeo* prodebat omnia. *Theſeüs* ergò inprimis *Gargettum* adortus cum forti militum manu, inſidias oppreſſit vi: de quo cæteri *Pallantidæ* certiores facti cecidêre animis, & in fugam dilapſi omnes ac diſſipati ſunt. Sed *Pallante* unà cum filiis interempto, neceſſe erat *Theſeüm*, qui interfecerat, patriis legibus, aut ſolum vertere, aut pœnam ſubire talionis. Novum ergò judicium forúmque in *Delphinio* conſtitutum eſt, ubi defenderent ſe, qui jure aliquem occidiſſe viderentur. Illic auditus *Theſeüs* & abſolutus eſt. (*Pauſ. Attic.*) Jam verò, ut & civibus ſuis aliquod ſpecimen ederet ſuæ fortitudinis, Taurum *Cretenſem*, *Marathonium* jam, qui *Tetrapolin Atticæ* regionem infeſtabat, aggreſſus eſt, atque vivum cepit; ut cum *Hercule* ipſo de hac victoria contendere videretur. Cúmque per mediam urbem *Athenienſium* egiſſet prædam, atque oſtentâſſet populo, *Apollini* eum *Pythio* immolavit. Proficiſcenti ad hoc certamen, ferunt *Hecalen* quandam, anum, liberale hoſpitium præbuiſſe, ac voviſſe *Jovi* ſacrificium, ſi compos voti reverteretur. Eâ verò ante reditum ejus defunctâ, ipſe inſtituit, ut oppida villæque adjacentes convenirent, & ſacrum *Jovi Hecaleo* facerent, quod *Hecaleſion* vocabant, & illam inter ſacra commemorabant *Hecalinam*. *Medea* interim, quæ ſuaſerat parricidium, iterum ſibi & hinc fugiendum putavit, ubi morari diutiùs tutam ſe non poſſe noverat. In *Phœniciam Diodorus* ait migraviſſe, datis ab *Ægeo* comitibus, qui deducerent quò vellet. Refert *Hyginus*, (Fabul. 26.) ſacerdotem *Dianæ Athenis* exagitâſſe *Medeam*. Negabat enim à rege ſacra caſtè fieri poſſe, quamdiu adeſſet illi venefica mulier & ſcelerata. Fugatam propterea *Medeam* rediviſſe *Colchos* ait. In itinere *Abſoridem* veniſſe, ubi *Abſyrtus* frater ſepultus erat. Incolæ cùm de ſerpentium multitudine quererentur, opémque implorarent, *Medea* collectos omnes in fratris tumulum conjecit; unde ſi quis eorum prorepſiſſet extra limites conſtitutos, protinus exſpirabat. *Jaſonem*, calamitatibus fractum, voluntariam ſibi necem intuliſſe, *Diodorus* autor eſt. Credibilius fortaſſe id quod pluri-

rimi

A.M. 2764.

rimi referunt, otii atque ſegnitiæ pertæſum in *Græcia*, cum ingenti multitudine, quæ ad famam virtutis ejus ac profectionis novæ ex omnibus gentibus confluxerat, repetiviſſe *Colchos*: comitem verò *Medeam* habuiſſe cum privigno *Medo*, quam, repudiatam, exſilii miſeratione receperat. Ac inprimis (ut aiunt) ſocerum regno pulſum à fratre *Perſe* reſtituit. Magna deinde bella cum finitimis geſſit; captáſque civitates partim regno ſoceri, ad compenſandam ſuperioris militiæ injuriam, adjunxit, partim populis quos ſecum adduxerat aſſignavit. (*Juſtin.* lib. 42.) Nam ferunt eum uſque ad mare *Caſpium*, & *Iberiam Albaniám*que, fuiſſe profectum; *Armeniæ* quoque Majoris magnam partem & *Mediæ* peragrâſſe: quod *Jaſonêa* teſtantur, ſive Sacella *Jaſonis*, religioſiſſimè à Barbaris culta. (*Strabo* 11.) Totus enim ferme Oriens illi, ut conditori, divinos honores templáque conſtituit; quæ *Parmenio*, dux *Alexandri* Magni, poſt multos annos dirui juſſit, nè cujuſquam nomen in Oriente venerabilius quàm *Alexandri* eſſet. (*Juſtin.* ib.) *Jaſonius* quoque mons ſupra *Caſpias* portas, aliáque in iis locis ejus nominis monumenta ſupererant. Unus de numero ducum *Jaſonis Armenus*, ſive *Armenius*, fuiſſe perhibetur, *Theſſalus* natione, qui ex urbe *Armenio*, inter *Lariſſam* & *Pheras*, ad *Bœbeïdem* paludem, prodiit. Is recollectam multitudinem, quæ amiſſo *Jaſone* rege paſſim vagabatur, in *Acilіſena* & *Syſpieritide* collocavit, uſque ad *Calachenam* & *Adiabenam*, regioníque univerſæ *Armeniæ* nomen dedit. Sed & fluvius *Araxis* à *Græco* ῥήγνυμι dictus videtur; quia cùm ſtagnaret in campis *Armeniæ*, nullúmque reperiret exitum, ut *Peneüs* olim in *Theſſalia*, patria *Tempe* imitatus *Jaſon*, aperuit ruptis montibus meatum, quo in *Caſpium* ſe præcipitavit mare; quemadmodum inter *Oſſam* & *Olympum* perrupit ſibi *Peneüs* viam. (*Strabo* ib.) In hac militia quoque *Amphiſtratus* & *Rheca*, *Dioſcurorum* aurigæ, ſecuti ſunt *Jaſonem*; à quibus ortam *Heniochorum* gentem feram, conſtare ait *Plinius*: quippe *Græcis Heniochos aurigam* ſignificat. Eoſdem *Dioſcuriada* urbem in *Colchide* ferunt condidiſſe, facto à *Dioſcuris* nomine; adeò claram, juxta fluvium *Anthemunta*, ut trecenti linguarum variarum populi, ſalis ferè quærendi causâ, eò deſcenderint; & à *Romanis* poſtea 130 interpretibus negotia ibi geſta ſint. (*Strabo* ib.) Suâ tamen ætate deſertam fuiſſe *Plinius* tradit. Barbaris enim populis, quibus nulla rerum, neque ulla ferè ſunt linguarum commercia; quo fit, eadem ut gens in linguas facilè varias diſcedat, ſingulis ferè familiis degentibus ſeparatim. De *Medo Medeæ* filio (*Medium* appellat *Juſtinus*) narrat *Hyginus*, (Fabul. 27.) dum repetentem *Colchos* matrem tardiùs paulò ſequebatur, in *Perſæ* regnum, fratris *Æetæ*, tempeſtatibus impulſum fuiſſe. Reſponſum ex oraculo habuiſſe *Perſen*, à fratris progenie ſibi ut caveret. Id cùm ſciret *Medus*, non auſus profiteri ſe, perductus ad regem, *Hippoten*, *Creontis Corinthii* filium, ſimulavit. Ad explorandam rei veritatem, nè quid fraudis lateret, in cuſtodiam datus eſt. Magnâ tum fortè penuriâ frugum & ſterilitate laborabant. Interim adeſt *Medea*, iiſdem acta ventis; quæ, *Dianæ* ſacerdotem ſe mentiens, magnam pollicetur frumenti copiam placatis ritè diis. Cùm autem de filio *Creontis* audiviſſet, ſuum adverſarium rata, eum conſtituit apud ſe in certum exitium impellere. Monuit ergò regem, advenam illum non eſſe, quem ſimulabat ſe, *Creontis* filium, ſed *Æetæ* nepotem, à matre *Medea* miſſum ut *Perſen* interficeret. Nihil ea tamen ſuſpicabatur minùs, quàm ſuum eſſe filium cui perniciem parabat. Sibi ergò interficiendus ut traderetur, petiit: ità fore ut placati dii ſterilitatem remitterent. Cùm, producto ad mendacii pœnas *Medo*, ſuum eſſe filium videret, quem adverſarium crediderat, impetratâ ſeorſim colloquendi veniâ, enſem ei tradidit quo erat ipſe perimendus, ut eo *Perſen* tolleret. Ità *Medus* regnum patrium adeptus eſt.

A.M. 2765.

Theſeüs ſuos liberat ex jugo Cretenſi, & Ariadnen Minoïs ducit.

§ 24. Tertio jam anno ſolvendum erat ab *Athenienſibus Minoï* tributum; quod grave admodum populo viſum eſt. Nec favebant linguis, ſed libere de ipſo rege conqueri cœperunt; ejus culpæ ſe pœnas dare; eum ſolummodo immunem qui peccârat, ſe plecti innocentes. *Ægeo* ad hæc ſurdo, *Theſeüs* querelas parentum graviter tulit, qui liberos ſuos ægerrimè ad principatum tam longinquum erant dimiſſuri, nedum ad ſervitutem aut necem. *Ferre quam ſortem patiuntur omnes*, ſe non recuſare ipſius regis filium profitetur. Nec deerat illi ſpes, à cervicibus *Athenienſium* fortitudine ſuâ excutiendi *Cretenſe* jugum. Atque hâc unâ re maximè omnium, populi amorem ſibi conciliavit. Ab hoc propoſito, quantum potuit, pater filium avertere conatus eſt. At ille immobilis, poſtulat ſorte ſibi comites dari; ſe primum, & extra ſortem, reliquis ducem & quaſi patrem profecturum. Navis quâ proficiſcendum

dum fuit nigris velis agebatur; eò quòd in exitium, in exſilium certè perpetuum, abituri videbantur. Gubernatore *Theſeüs Phereclo Amarſiadâ* uſus eſt, vel, ut alii tradunt, *Nauſitheo* & *Phæante*, à *Sciro Salaminio* miſſis; quibus & fana & feſtum ſtatuit, quod Κυβερνήσια dictum eſt. Profecturus jam, primò *Delphinium* adiit, ut offerret *Apollini* pro ſe comitibúſque ſuis Ἱκετήρια, hoc eſt, conſecratum olivæ ramum albâ circumvolutum lanâ. Ex *Pherecyde Macrobius* refert, *Theſea*, cùm in *Cretam* ad *Minotaurum* duceretur, voviſſe pro ſalute ac reditu ſuo Ἀπόλλωνι οὐλίῳ, & Ἀρτέμιδι οὐλίᾳ. Indè ad littus deſcendit *6. Martii* die; quo deinceps, ad tempora uſque *Plutarchi*, morem *Athenienſes* retinuerunt, ut puellæ in *Delphinium* aſcenderent ſupplicaturæ diis. Addunt aliqui Scriptores, oraculum præcepiſſe *Delphicum*, ut *Veneris* propitium ſibi numen faceret, ejúſque auſpiciis navigaret. *Veneri* ergò dum in littore capram immolabat, in hircum repentè mutatam ferunt; unde *Venerem* dixerunt ἐπιτραγίαν, *Hircinam*. Gubernatori à rege, ultra reliquam curam, hoc additum in mandatis fuit, ut ſi proſperum iter facerent, ac rediret incolumis *Theſeüs*, vela nigra mutaret albis, vel, ut alii tradunt, puniceis. *Pauſanias* (in *Atticis*) id facturum ſe ipſum promiſiſſe *Theſeüm* narrat. Cùm appuliſſent in *Cretam*, *Minotaurus* ille vel interfectus, vel certè victus à *Theſeo*, liberam *Athenienſium* juventuti veniam diſcedendi fecit. Poëtæ fingunt *Ariadnen*, *Minoïs* filiam, amore *Theſeï* captam ſpecioſiſſimi juvenis, glomum ei tradidiſſe, quo notaret viam in Labyrintho, ac eâdem regrederetur, *Cæca regens filo veſtigia.* Occiſo monſtro, fugiſſe noctu clàm *Theſea*, & *Ariadnen* unà cum ſorore *Phædra* ex pacto abſtuliſſe. *Ariadnen* in *Naxo* inſula eripuiſſe *Bacchum.* Credibiliora ſunt, *Taurum* Thalaſſiarcham *Cretenſem*, hominem faſtu & ferociâ præditum ingenti, & regii thalami rivalem, (ut vulgò jactabatur,) vel occiſum à *Theſeo* in ipſo portu; vel potiùs in ludis funebribus *Androgeo* dedicatis victum, qui ſolus antea palmam tulerat in iis certaminibus, ubi præmia victores *Athenienſium* pueros tulerunt. (*Euſeb.* Chron.) Popoſcerat enim *Theſeüs*, ut pro libertate ſua & ſuorum certare ſibi liceret in ludis. Nec indignum *Tauro* videbatur, cum regis filio contendere. Sed palæſtrâ victus eſt; quod plauſu maximo & populus excepit, & ipſe rex. Omnes enim *Taurum*, propter morum inſolentiam, rex etiam ut rivalem oderat. Admiratus ergò *Theſeï* fortitudinem, ſed magìs gratulatus de *Tauro* victoriam, ejus gratiâ liberum conceſſit reditum juventuti, tributum civitati condonavit ac remiſit in poſterum, & pacem cum *Athenienſibus* æquo jure pactus eſt. Aliqui propter nefarium *Theſeï* amorem, inimicitias cum *Athenienſibus* depoſuiſſe *Minoëm* narrant. Aderant his ludorum ſpectaculis & fœminæ virginéſque: in quibus *Ariadne*, virgo regia, *Theſeï* partim formâ ſpecioſâ, partim excellenti virtute mirificè capta eſt. Neque *Taurus* enim, neque alius *Cretenſium* quiſquam, ullo modo par *Theſeo* repertus eſt. *Ariadne* igitur adeò exarſit, ut amoris vim cùm ferre non poſſet, pacta cum *Theſeo* fugam fuerit, itineris comite *Phædrâ* ſorore. Sed perbrevem ſui amoris fructum cepit. Amiſſa enim in itinere, *Athenas* non attigit. Quo loco amiſſa, quóve caſu, minimè conſtat. Aliqui derelictam à *Theſeo* exprobrant, novis amoribus occupato *Ægles Panopeïdis*, fregiſſe laqueo ſibi gulam. *Oenaro* alii nuptam aiunt, *Bacchi* apud *Naxios* ſacerdoti; unde Poëtæ raptam à *Baccho* fingunt in ea inſula. *Amathunte* in *Cypro* gravidam occubuiſſe nonnulli volunt, ablato procellarum vi *Theſeo*, dum illa decumbebat: redeuntem verò, ſacra illi anniverſaria inſtituiſſe, & ſimulacra dedicâſſe duo; alterum ex argento, ex orichalcho alterum. *Ariadnes* loco ſeu deſertæ, ſeu mortuæ, *Phædram* habuit pro uxore *Theſeüs.* Traditam ei à *Deucalione* fratre *Minoïdarum* maximo *Diodorus* tradit; ut fœderi ſtabiliendo cum *Athenienſibus* deſtinatæ videantur hæ nuptiæ. *Smardium* ferunt regnaviſſe apud *Naxios* quo tempore *Theſeüs* eò cum *Ariadne* divertit. Eum *Leucippi* filium, *Naxii Caris* nepotem fuiſſe. (*Diod. Sic.* 5. 12.) Ex *Creta* ſive *Naxo* in *Delum* inſulam appuliſſe *Theſeüm* tradunt; ubi *Apollini* ſacra facta ſunt, & ludi celebrati, victoribus palmâ coronatis. (*Pauſ. Arcad.*) Ibi & *Veneris* imago parva è ligno, *Dædali* opus, (*Pauſ. Bœot.*) quam ab *Ariadne* acceperat, dedicata eſt. Deinde unà cum pueris popularibus ſaltationem inivit ſinuoſam & implicatam, quæ Labyrinthi referret mæandros. Eam *Delii Gruem* appellabant, & per annos ultra millenos celebrârunt. Oræ jam *Atticæ* appropinquabant, & in ſpecula ſolicitus admodum exſpectabat *Ægeüs* dum redirent. At illi, ſive triſtitiâ & mœrore perturbati propter amiſſam *Ariadnen*, ſive gaudio potiùs nimio perfuſi ex reditu proſpero & feliciore omni ſpe, mandatorum obliti ſunt quæ diſcedentibus *Ægeüs* dederat, & promiſſorum *Theſeï.* Mutata non

A.M. 2765.

ſunt

A.M. 2765.

Ægeo mortuo præ nimia credulitate,

ſunt vela; ſed nigra, quæ abegerant *Athenis* navem, in portum *Phalerum* intulerunt. *Omnia quæ curant ſenes meminerunt.* *Ægeüs* nigra è longinquo vela cùm cerneret, actum eſſe de filio putabat, actum de ſe, cujus è filii ſalute unica pendebat ſalus. Quid enim ille viveret, ſine præſidio ſenectutis, ſine ſpe hæredis? A rupe igitur unde contemplabatur infelicem navem in mare præcipitem ſe dedit, quod ab eo deinceps appellatum eſt *Ægæum*. Sepulchrum ſive Heroüm *Ægeï Athenis* exſtabat poſt multa ſecula; (*Pauſ. Attic.*) &, ſi verè *Harpocration*, oraculum. *Ægeïdis* quoque tribûs nomen ejus honori datum eſt. Dum ſacris in littore operabatur *Theſeüs*, præmiſſus in urbem caduceator de felici reditu nunciabat. *Ægeï* cauſâ luctus, novi nuncii gaudio facilè ſuperatus eſt. Oblatam caduceatori ex floribus coronam ipſe in luctu publico non geſſit, caduceo impoſuit. Unde mos deinde in *Oſchophoriis*, virgam caduceatoris ornare floribus, non & caput. *Theſeo* quoque mœrorem *Ægeï* mors & comitibus juſtum attulit, quippe autoribus: at eò in urbem ocyùs feſtinatum eſt. Cúmque patri honorificè parentâſſet, die ſeptimo menſis *Pyanepſionis*, ſive *Octobris*, quo ex *Creta* in urbem *Theſeüs* redierat, *Pyanepſia* feſtum *Apollini*, (cui votum diſcedens fecerat,) aut *Minervæ*, celebratum eſt. A πύανον ſignificante *fabam* genitum feſto nomen; quoniam fabæ tum aliáque legumina coquebantur; & ramus laureus in *Apollinis* honorem, aut oleaginus *Minervæ* ſacer, lanâ coronatus, atque omnium generum fructibus dependentibus, portabatur à puero ad *Apollinis Palladiſ*ve templum, hos interim canente verſus,

> Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
> Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
> Καὶ κύλικ᾽ εὔζωρον, ἵνα μεθύουσα καθεύδῃ.

Oſchophoria quoque inſtituta ſunt eodem *Theſeo* autore. Voverat idem profecturus, modò ſalvus rediret ipſe, comitéſque ſalvos reduceret, ſingulis annis in *Delum* ſe ſpectaculum ad *Apollinem* ducturum: quem morem ſuo adhuc tempore ait (in *Phædone*) *Plato* ſervâſſe *Athenienſes*, ut ipſam eandem *Theſeï* navem, 30 remorum, coronatam in *Delum* mitterent: quo toto navigationis tempore, quouſque ad *Piræeum* rediiſſet navis, ſupplicio quenquam afficere capitali nefas habebatur. Multis igitur ſeculis ſuperſtes, tranſmiſſa eſt ad poſteros eadem navis; modò eadem vocari poſſit, quæ toties reſarcita eſt, ut nulla pars veteris exſtaret minutiſſima.

& ſolutis *Androgeo* pœnis,

Solutâ jam *Androgeo* abſolutâque cædis pœnâ, eidem poſtea ſuæ virtutis præmium exhibuerunt *Athenienſes*, honorem propè divinum. In *Phalero* enim portu aram ei poſuerunt, quam vocabant *Heroïs*, inter alias Heroüm deorúmque aras, qui vocabantur *Ignoti*. Sed & *Theſeï Phaleri*que, & liberorum, in eodem poſitæ loco ſunt aræ: *Phaleri*, cui portus ipſe debebatur; & *Theſeï*, qui ex eo portu auſpicatò ſolverat navigaturus in *Cretam*, eodémque redierat feliciter. (*Pauſ. Attic.*) Sed tantis *Theſeï* meritis, gratitudine *Græcâ*, debebantur etiam templa & ſacra. Templum igitur conſtructum eſt, *Phytalidæ* præfecti ceremoniis, qui primi primo in *Atticam* adventu hoſpitio eum exceperant liberali. Utque ſumptus ſuppeteret, quod erat *Cretenſibus* antea ſolutum, in ſua tranſtulit ſacra.

Theſeüs Athenis imperat; ſed & regnum deponens in populum confert.

Regno jam *Athenis* poſt *Ægeüm* potitus eſt filius *Theſeüs*, quod annis fertur tenuiſſe triginta. Rem protinus magnam atque novam aggreſſus eſt, oraculo probante, ut populum univerſum ſuæ ditionis, qui à *Cecrope* in vicos 12 diſtributus erat, in *Athenas* unas cogeret; quia populus tot in partes diviſus, ægre ad tractanda communia commoda poterat convocari, & ſæpe etiam diffidere atque armis inter ſe contendere ſolebat. Singulos ergò Demos atque familias obibat ſeparatim, magnâque induſtriâ & eloquentiâ uſus, primò inferioris ordinis atque ſortis privatæ homines non difficulter ſibi conciliavit. Principes ægrius adduxit, qui dominati fuerant, ut æquo jure cum reliquis viverent. Neque perſuaſiſſet, niſi pollicitus bonâ fide, populo ſe habenas regni traditurum, neque regium ſibi quicquam habiturum, præter imperatorium in bello munus, & cuſtodiam legum. Ità paruerunt etiam ii qui minimè probârunt hoc inceptum; nè temere ac fruſtrà eum offenderent, qui tantâ erat apud populum gratiâ, ut cogere poſſet, ſi quid impetrare non valebat. Curias igitur & fora & tribunalia in ſingulis vicis demolitus eſt; alia conſtruxit *Athenis*, cum plateis, muríſque longè amplioribus, in plano. Quam urbem novam Ἄσυ vocavit: antiquum antiqua urbs nomen retinuit, in loco edito conſtructa, & arcis inſtar; Πόλις enim vocitata eſt. Et nè tanto ſpatio quantum ille muris complexus

eſt

eſt populus *Atticæ* non ſufficeret; publicâ præconis voce peregrinos invitavit ex omni *Græcia*, ut civitatem æquo jure participarent. Collectam undique multitudinem in tres ordines diſtribuit: in Optimates, quos judiciis & religioni deorum præfecit, rerúmque ſummæ; in Agricolas deinde, & Artifices. Cùm ex animi ſententia perfeciſſet quæ voluit, ea quæ priùs *Athenæa* dicta ſunt, *Panathenæa*, feſtum commune omnium *Atticorum*, appellari voluit; & *Metœcia* inſtituit *Junii 16.* die inquilinis: idem fortaſſe quod *Synœcia* apud *Stephanum*; niſi hoc civibus jam in unum congregatis, illud ſit datum peregrinis. *Veneris* quoque *Popularis* & *Suadelæ* cultum ordinavit. (*Pauſ. Attic.*) Bovis effigie ſignaviſſe nummum dicitur; ſive ut taurum *Marathonium* captum à ſe, ducémve *Cretenſem* eo nomine victum, denotaret: ſive potiùs, ut induſtriam ſuis & laborem aſſiduum in agricultura præcipuè commendaret. Ab eo natum eſt nummo proverbium, *Bos in lingua*, ubi ſilentium quis pecuniâ conductus agit. Poſtquam *Atticæ* ditioni *Megarenſem* agrum addidiſſet, columnam quadratam in ipſis finibus conſtituit, (nè qua in poſterum de terminis contentio fieret,) quæ *Peloponneſum* ab *Ionia* diſtingueret: ſcripto in ea parte quæ Solis ortum ſpectabat, *Ionia eſt hæc, non Peloponneſus*; in oppoſita verò, *Hæc Peloponneſus, non Ionia eſt.* Poſtremò, regiam autoritatem ex parte maxima depoſuit, atque in populum contulit. A.M. 2765.

§ 25. *Biſtonum* erat in *Thracia Diomedes* rex, *Cyrenes* filius atque *Martis*, apud Poëtas. Homo ſævus, at ſæviores equos, vel equas, humanis carnibus ſaginâſſe fertur. Æneis præſepibus, ferreis propter feritatem alligabantur catenis. Non ferebat *Euryſtheüs*, pius vir, tantam crudelitatem. Homines maleficos, atque noxias generi humano res, tolli omnes voluit; ſed operâ diſcriminéque alieno. *Herculi* ergò imperatur, ut equas anthropophagas ad *Euryſtheüm* deferat *Mycenas*. Paretur. Cum volonum valida manu navigatur in *Thraciam*. *Thraciam* Geographi laxiorem alii faciunt, alii multò magis anguſtam. *Pomp. Mela* omnem trans *Danubium* regionem, ad *Dalmatarum* uſque & *Macedonum* montana, hoc nomine complectitur; quo utramque ferè *Myſiam* comprehendit. *Plinius* etiam *Iſtro* definit à Septentrione; & *Æmum Strabo* montem mediam ferè *Thraciam* ait dividere: cujus montis adverſa tamen, & in *Iſtrum* devexa, *Mæſos*, *Getas*, aliáſque gentes barbaras, obtinuiſſe, *Plinius* fatetur, (lib. 4. 11.) quæ propriè non habentur *Thraces*. Sit ergò terminus à *Borea Æmus* mons anguſtioris *Thraciæ*, maximus omnium & celſiſſimus in ea regione, qui ſex mill. paſſuum in altum aſſurgit: ab Ortu claudat *Pontus* atque *Propontis*, unà cum anguſtiis *Helleſponti Boſphori*que *Thracii*; à Meridie *Ægæum* mare. *Neſſum*, ſive *Neſtum*, fluvium *Pangæi* montis ima ambientem, à *Macedonia Thraciam* in Occaſu dirimere *Philippus* atque *Alexander Macedo* voluerunt. In hoc tractu, poſt *Æmum*, *Rhodope* clarus mons: præter *Neſſum*, *Strymon Hebrúſ*que fluvii nobiles; quorum hunc *Odryſarum* gens effundit, *Æmus* illum. *Tearus* amnis cùm aliis morbis, tum ſcabiei ſanandæ hominum equorúmque, utilis habebatur. Is verò ex fontibus 38, partim calidis partim frigidis, & eadem ex petra profluentibus, in *Contadeſdum*, *Contadeſdus* in *Agrianen*, *Agrianes* in *Hebrum* defluit. (*Herod.* 4.) *Satræ* hujus gentis bellicoſiſſimi; ſolíque *Thracum* ſemper liberi, in montibus degebant editiſſimis; *Dionyſii* tamen oraculo divinabant. (*Herod.* 7.) Eorum quæ *Pomponius Mela* de hac regione gentéque tradit pleraque Borealem tractum ſpectare videntur, extra *Thraciam* veram: ubi frigidam & infœcundam ait eſſe, ac eorum quæ feruntur malignè parientem; rarò uſquam pomiferam arborem ferre, nec maturare vitem: quoſdam hominum feros, & ad mortem paratiſſimos: ſolere fœminas etiam ſuper mortuorum virorum corpora interfici. Memorabile videtur, barbaram *Thracum* ferámque gentem, Muſicæ tamen, Poëticæ ac Religionis autores *Græcis* fuiſſe. Hæc enim *Orpheo*, *Muſæo*, *Thamyridi*, *Eumolpo Eumolpidiſ*que debebantur: ipſáque ubi Muſæ colebantur loca vel in *Thracia* fuerunt, ut *Pieria*, *Olympus*, *Pimpla*, *Libethrum*, primitus; vel à *Thracibus* inquilinis *Bœotiæ* conſecrata ſunt Muſis, ut *Helicon*, antrúmque nympharum *Libethridum*. (*Strabo* lib. 10.) Erant his etiam, ut aliis gentibus, quidam ritus peculiares. Alicubi, ex multis uxoribus, quæ dilectiſſima judicata eſt ad viri tumulum defuncti mactabatur, & in eodem condebatur ſepulchro: reliquæ ignominiam vivendi ægerrimè ferebant, more *Indico*. Compunctas notis habere frontes, nobiliſſimum habebatur. Otiari honeſtum, ex bello atque rapto vivere pulchrum, agricolatio deſpicabilis videbatur. Lugebantur apud *Trauſos* puerperia, feſta erant funera, & cum gaudio celebrata; dum recolerent quanta in mala naſcerentur, à quan-

A.M. 2766.

In *Thraciam* (quæ deſcribitur) profectus *Hercules*.

A.M. 2766.

quantis liberarentur mortui. (*Herodot.* 5.) Nupturæ virgines (ait *Mela*) non à parentibus viris traduntur, ſed publicè aut locantur ducendæ, aut veneunt. Utrum fiat, ex moribus & ſpecie cauſa eſt. Probæ formoſæque in pretio ſunt; cæteras qui habeant mercede quæruntur. Vini uſus quibuſdam ignotus eſt. Epulantibus tamen, ubi ſuper ignes quos circumſident quædam ſemina ingeſta ſunt, ſimilis ebrietati hilaritas ex nidore contingit. Hæc ſepulturæ optimatibus ratio. Prolato triduum cadavere, mactatíſque hoſtiis omnifariis, convivabantur. Defletum combuſtúmque ſepeliebant, certamina omnis generis & monomachias ad tumulum celebrantes.

Diomedem equabus ſuis vorandum dedit.

Tinda erat oppidum (ait *Plinius* 4. 11.) *Diomedis* equarum ſtabulis dirum: quò cùm exercitum ſuum traduxiſſet *Hercules*, regémque cepiſſet, qui advenas peregrinos more inhumano brutis animantibus devorandos objicere ſolebat, ipſe iiſdem ab advena peregrino appoſitus eſt ac devoratus. (*Diod. Sic.*4.) *Apollodorus* narrat, equas ab *Hercule*, cuſtodibus domitis, captas & abactas ad navem; ſed perſecutum eſſe cum *Biſtonibus* armatis *Diomedem*. Interea dum pugnabatur à reliquis, *Abdero* commiſſa eſt equarum cuſtodia, juveni *Opuntio*, *Erimi* filio, & amaſio *Herculis*; qui, dum liberiùs & incautiùs verſabatur inter animantes feroces, correptus ab iiſdem atque diſcerptus eſt. ——— *Et quis cuſtodiat ipſos Cuſtodes?* Victis fugatíſque *Biſtonibus*, & rege cæſo, *Abdéra* urbs lacerato ab equis juveni pro monumento eſt poſita; quæ ſtupiditatis cujuſdam inſaniæve probro notata, de quo *Martialis*, (Epigr. lib. 10.)

Abderitanæ pectora plebis habes,

in cive uno ſapuit *Democrito*;

———*Cujus prudentia monſtrat*, (inquit *Juvenal.* Satyr. 10.)
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patria craſsóque ſub aëre naſci.

Pompon. Mela (lib.2.) *Abdèram* ait à ſorore *Diomedis* accepiſſe nomen, non à juvene *Locro*; & *Hyginus* (Fab.30.) famulum *Diomedis* vult *Abderum* fuiſſe, & ab *Hercule* interfectum: quo modo ſolet hallucinari ſæpius, & à trita Poëtarum via deerrare ſolus.

Equæ tandem *Diomedeæ* ad *Euryſtheüm* deductæ, ab eo dedicatæ ſunt *Junoni*, & in *Olympum* tranſmiſſæ montem; ubi à feris ipſæ dilaniatæ ſunt, quæ tot homines dilaniaverant; & ſuorum viſcerum eſcâ paverunt leones, quæ paſtæ fuerant humanis. (*Apollod.*2.) *Diodor.* tamen *Siculus* refert, ad *Alexandrum* uſque *Macedonem* equorum hoc duraviſſe ac deſcendiſſe genus. Sunt qui *Diomedem* equites quàm plurimos ingentibus tributis atque latrociniis aluiſſe credant; indè fictum, equos eum viſceribus paviſſe humanis. Alia fingit *Ariſtophanis* Interpres, coëgiſſe *Diomedem* hoſpites ad inferendum filiabus ſuis deformibus ſtuprum, illato interemiſſe. Eas verò ſubactas à viris equas fuiſſe vocatas, quæ humanâ carne veſcerentur. Sed & *Stymphalidas* aves aliqui latrones fuiſſe volunt; Taurum quoque, Cervam & Leonem, quorum inſignia latrones vel nomina geſſerunt.

A.M. 2767.

Theſeus, initâ cum Pirithöo amicitiâ,

§ 26. Divulgatum erat per univerſam *Græciam* clariſſimum *Theſeï* nomen; *Lariſsámque* in *Theſſalia* pervenerat jam inclyta viri fama, ad *Pirithoüm Ixionis* filium, qui propter opinionem virtutis habebatur filius *Jovis*. (*Hygin.* Fab. 15.) Is reipſa experiri voluit famæ veracitatem de *Theſeo*. Cum juvenum ergò manu in *Marathonem Atticæ* irrupit latronis more, boúmque abegit magnam prædam. Querelæ protinus ad *Theſeüm* delatæ, qui cum ſuis confeſtim perſecutus eſt, & facilè aſſecutus de induſtria morantem, ac redeuntem ſubitò ut occurreret perſequenti. Ut ſe mutuò contemplati ſunt formâ ſpecioſiſſimâ juvenes, nihil minùs quàm de armis & pugna cogitabant. *Pirithoüs* prior protensâ manu, *Theſeï* arbitrio permittere ait ſe æſtimationem injuriæ; ſoluturum libentiſſimè quicquid ille pronunciâſſet. At *Theſeus*, non modò injuriam ſe remiſſurum liberaliſſimè, reſpondit, ſed etiam ambire, petereque, ut ejus in poſterum amicitiâ frueretur, & armorum ſocietate. Facilè id impetravit ab eo, qui eandem rem fieri non minùs optabat quàm qui petebat. Jurati ergò in fœdus mutuum, arctiſſimis per omnem vitam amicitiæ inter ſe vinculis colligati atque conſtricti ſunt. Hinc, opinor, *Plinius* (7.56.) primum fœdera inveniſſe ac inſtituiſſe *Theſeüm* tradit. *Pirithoï* deinde celebratæ ſunt nuptiæ cum *Hippodame*, ſive *Hippodamia*, *Byſti* filia. (*Diod. Sic.*4. *Ovid.* Met.12. fab.5.) *Deïdamiam* alii vocant.

cant: (*Plut. Theſ.*) ex qua *Polypœtes* ei filius natus eſt. (*Apollod.* 3.) Vocatus *Theſeus*, atque *Peleus* & *Neſtor*, aliíque principes viri, ad convivium nuptiale. Vocati etiam *Centauri*: qui cùm vino incaluiſſent, hippomaniâ quadam ardebant, contemptóque omni jure hoſpitii conjugiíque, fœminas ad libidinem per vim, ſponſam ipſam *Eurytion*, ſive A.M. 2767.

Eurytus, Hippodamen, alii, quam quiſque probabat
Aut poterat, rapiunt; captæque erat urbis imago.
Fœmineo clamore ſonat domus.——— (*Ovid.* ib.)

Injuriâ tam atroci *Pirithoüm* affici amicum amicus non tulit;

——*& primus, Quæ te vecordia, Theſeus,*
Euryte, pulſat, ait, qui me vivente laceſſas
Pirithoüm, violéſque duos ignarus in uno? (Ibid.)

In ſponſam protinus manum injicit, magnâque vi

Summovet inſtantes, raptâmque furentibus aufert. (Ibid.)

Homerus (*Odyſſ.* 21.) ait, *Eurytioni Lapithas*, cùm foras eum traxiſſent, aures atque nares amputâſſe. Acris pugna exorta eſt, & cæſus à *Theſeo Eurytion*, à *Neſtore Ereuthalion.* (*Homer. Iliad.* 4.) Reliqui *Centauri*, prout meriti ſunt, à *Lapithis* aliíſque convivis, *Centauros cædit.*

——*data pars leto eſt, partem fuga nóxque removit.* (Ibid.)

Bene *Horatius* monet (lib. Carmin. 1. od. 18.)

——*Nè quis modici tranſiliat munera Liberi,*
Centauréa monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata.———

Ferunt antehac *Centauris* bellum fuiſſe cum *Pirithöo* & *Lapithis* de ſua paternæ ditionis parte, (nam & ipſi ferebantur *Ixionis* filii,) vel potiùs de finibus. At ea jampridem

———*ſub inducta jacuit ſcintilla favilla*;

donec, irritatis utrinque per hanc novam rixam animis, in bellum exarſit funeſtum & exitiale. Plurimis enim *Centaurorum* cæſis, reliquos è *Theſſalia* exegerunt, & in *Arcadiam* fugavêre *Maleámque*, opitulante *Theſeo*; ubi, ex *Pholoë* monte eruptionibus factis, viatores latrociniis infeſtabant. (*Diod. Sic.* 4. *Plutarch.*) *Homerus* (*Il.* 2.) expulſos *Pelio Centauros* ad *Æthicas* ait fuiſſe fugatos, *Pindi* montis accolas. (*Strabo* 9.) Apud *Ovidium* (Metam. 12. fab. 4.) de *Cæneo* narratur *Perrhæbo*,

———*qui factis inclytus Othryn*
Incoluit;———
Contemptor ferri, nullóque forabilis ictu.
———*Quóque id mirum magìs eſſet in illo,*
Fœmina natus erat;———

quæ, à *Neptuno* vitiata, pro munere optavit, (quodvis enim optandi munus copiam deus fecerat,) ut, in virum mutata, nihil in poſterum tale pateretur. Ille huic pugnæ cùm intereſſet, nec à *Centauris* vulnerari poſſet, trabibus arboribúſque obrutum ferunt: ——*& erat pro vulnere pondus.* His fabulis docebant Poëtæ, *Cæneüm*, ex molli & ignavo adoleſcente, virum exſtitiſſe acrem & bellicoſum. Imbelles enim viri fœminæ appellari ſolent: ut *Virgilius*,

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges; (imitatus illud *Homericum*,
——Ἀχαΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.)

Invulnerabilem finxêre, quòd rei bellicæ adeò peritus eſſet, ut, cùm plurima feciſſet prælia, nunquam tamen ſauciatus ſit.

§ 27. Poſtquam indicatum eſt *Minoï Cretenſium* regi, *Paſiphaën* uſam eſſe operâ *Dædali* ad procurandum infame cum *Tauro* adulterium, vehementer indignatus ſenex, graviſſimas minas intonabat. Sed noluit regina hoſpitem, bene meritum in mala *Dædalus, à Minoë exulans.*

A.M. 2767. mala re, ſui cauſâ ſupplicium dare. Navigium itaque præbuit, quo clàm aufugeret, irâmque *Minoïs* & vim declinaret. Ipſum *Dædalum* ædificâſſe naviculas duas, ait *Pauſanias*; (in *Bœotic.*) quem & fraudis capitalis damnatum, liberatum à regina, & ex vinculis tradit elapſum. Imò in patriam reductum à *Theſeo Hyginus* (at ſolus) refert, (Fab. 40.) *Athenas* fortaſſe rediturus erat,

———Creten, longúmque peroſus
Exſilium, tactúſque loci natalis amore. (*Ovid.* Met. lib. 8.)

In itinere ad inſulam in *Ionio* mari provectus, quæ *Doliche*, & *Macris*, & *Ichthyoeſſa* fuerat appellata priùs, decem & ſeptem mill. paſſ. longitudine patentem, *Icarum* amiſit filium ſuum. Dum enim temere juvenis parabat exſcenſum in terram, in mare caſu delapſus interiit, & à ſe inſulam deinde *Icarum* denominavit, quæ *Sporadum* una eſt. Vicinum pelagus dictum eſt ab inſula *Icarium*. Poëtæ fingunt, alis artificio miro compactis avolaviſſe *Dædalum* unà cum filio, cùm alias elabendi vias obſtruxiſſet *Minos*: ſublatum altiùs *Icarum*, calore Solis nimio liquefactâ cerâ, quo pennæ vinculo colligabantur, amiſiſſe alas, & in aquas præcipitem decidiſſe. Alæ autem vela navigii ſignificant, quibus, eo quidem ſeculo raris, ad fugam properandam unà cum remis uſus eſt *Dædalus*, cùm regiæ naves remis tantùm impellerentur. *Icarum* verò inveniſſe vela, malum & antennam *Dædalum*, ait *Plinius*, (7. 56.) Sed alteram *Icari* navem, ob imperitiam naucleri, ad ſcopulos aiunt feciſſe naufragium: corpus naufragi jactatum fluctibus, æſtúque tandem delatum ad inſulam *Dolichen*, quæ ab illo *Icaria* dicta eſt, *Herculem* fortè iis in locis agentem agnoviſſe, ac mandâſſe tumulo: cujus meriti gratiâ (ut refert *Pauſanias* in *Bœot.*) *Dædalus* ei ſimulacrum poſtea ligneum dedicavit *Thebis*. Narrat *Apollodorus*, quòd *Hercules* hanc imaginem ſuam noctu fortè conſpicatus, opinatúſque vivam eſſe, lapide percuſſerit; tam ingeniosè naturam mentita erat ars *Dædali*. Præcepta patris ad filium jam volaturum apud Poëtam, inſtituunt & mores.

Icaro filio amiſſo,

Me pennis ſectare datis; ego prævius ibo:
Sit tibi cura ſequi; me duce tutus eris.

Optimos imitari, compendiariam vult eſſe ad virtutem viam.

Nam ſive æthereas vicino Sole per auras
Ibimus, impatiens cera caloris erit.

Non eſſe ambitiosè quærenda loca ſumma, præluſtria, & propinqua regibus, hoc monet.

Sive humiles propiore freto jactabimus alas,
Mobilis æquoreis penna madeſcet aquis.

Infimum in plebe gradum eſſe omnibus obnoxium & expoſitum injuriis docent hæc.

Inter utrumque vola: medio tutiſſimus ibis.

In medio virtutem, in medio vitam beatam collocari monet. Nam,

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ. (*Horat.* Carm. 2. 10.)
———Ventos quoque, nate, caveto; (ait prudens pater,)
Quáque vocant auræ, vela ſecunda dato.

Cedendum eſſe tempori, neque natandum adverſo flumine, in his præcipitur.

Iter divertit in *Siciliam*: quò *Minos* eum perſequitur in cædem ſuam.

Dædalus, amiſſo filio, in *Siciliam* divertit iter ad *Sicanos*, & *Cocalum*, in urbe *Inyco* regnantem; à quo liberaliſſimè habitus, in magno apud regis filias & populum honore, propter artis & ingenii præſtantiam, fuit. Ubi cognovit *Minos Dædalum* inter *Sicanos* agere, magnâ claſſe in *Siciliam* perſecûtus eſt. Ad eam verò *Agrigentini* agri partem appulit quam deinde *Minoam* vocitârunt. Expoſitis copiis, per nuncios ad *Cocalum* miſſos, *Dædalum* ex *Creta* profugum expoſcit ad ſupplicium. *Cocalus* provocare tantum regem exercitúmque tantum veritus, neque tamen ſupplicem

cem facilè proditurus, ad colloquium, imò & hoſpitium, perbenignè *Minoëm* invitabat, omnia facturum ſe quæ peterentur pollicitus. Inter alia benevoli hoſpitis & liberalis munera, balneum dedit, ubi ſudando corpus onere levaret moleſto. Sed ingreſſum *Minoa* tam diu in thermis filiæ regis detinuerunt, fruſtrà reluctantem, donec æſtu caloris amantiſſimè ſuffocatus eſt. Extremis enim temporibus, non corporis modò, ſed & animi vim atque vigorem amiſiſſe *Minos* traditur; de quo Poëta, *A.M. 2767.*

——————————Propter amara ſenectæ.
Tempora deſpicitur, nec quo priùs ordine regnat.

Cretenſibus cadaver traditum nullam ſuſpicantibus fraudem. Vulgabatur enim, ex loco lubrico fortè in aquas fervidas incautum decidiſſe. Magnificè à ſuis tumulatus eſt, monumento duplici. Occultius (celari enim voluerunt oſſa) oſſa continebat; quæ poſtea, urbe *Agrigentinorum* conditâ, in *Cretam* remiſſa ferunt imperante illic *Therone*. In altero, quod apertius erat, *Veneri* templum erat conſecratum, quod longo pòſt tempore in cultu fuit. *Cretenſes*, claſſe à *Sicanis* incensâ, deſperatóque reditu in patriam, ſeditione inter ſe quoque diſtracti, pars in propinquo poſuêre civitatem, quam à rege ſuo *Minoam* vocabant; pars altera, mediterraneis peragratis, in munito admodum loco conſtruxêre ſibi oppidum, quod à ſcaturiente illic fonte *Engyum* denominaverunt. Indè tanquam ex arce ſæpius erumpentes, vicinæ regionis partem aliquam in ſuam ditionem redegerunt, opibúſque indies aucti ſunt. (*Diod. Sic.* 4. 6.) De hac *Minoïs* expeditione infelici Poëta *Silius*,

————Mox accola Minos, (inquit,)
Duxerat & Cretum non fauſta ad bella cohortes,
Dædaleam repetens pœnam.————

Narrat *Herodotus*, (lib. 7.) cæſo *Minoë*, *Cretenſes* omnes præter *Polichnitanos* & *Præſios*, magnâ rurſus claſſe inſtructâ, ejus necem ulturos in *Siciliam* navigâſſe, & *Camicum* obſediſſe quinquennio, minimè tamen expugnâſſe; verùm fame abactos, & redituros in *Cretam*, fœdâ tempeſtate in *Iapygiam* ejectos; ubi, navibus laceratis, abjectâ ſpe reditûs, *Hyriam* urbem condiderunt. In regno *Minoï* ſucceſſit filius *Deucalion*, tenuítque annis fortaſſe 35. Interim *Dædalus*, metu ſolutus, multa edidit opera inſignia; quo factum eſt, ut nihil eſſet famâ ejus in *Sicilia Italiâ*ve illuſtrius. De morte nihil conſtat. *Dædalum* fuiſſe urbem *Lyciæ* ferunt, ubi ſepultus dicitur. Varia traduntur ejus opera, iíſque temporibus nobiliſſima. 1. Sella lecticaria compactilis in arce *Athenarum*: 2. *Thebis Hercules*: 3. apud *Lebadenſes Trophonius*: 4. in *Creta* lignea *Minerva* apud *Gnoſſios*: 5. *Olunte Britomartis*: 6. *Venus* lignea in *Delo*. Et hæc poſtrema quinque opera poſt annos 1200 extabant iiſdem in locis conſpicienda. (*Pauſ. Bœot.*) 7. Apud *Corinthios Herculis* nudi ligneum ſimulacrum; rude illud quidem, ſed auguſtâ quadam ſpecie: (*Pauſ. Corinth.*) 8. apud *Samios* lignea *Juno*: 9. *Megaride* Colymbethra, (ut vocabant,) unde ingens fluvius *Alabon* manabat. 10. *Agrigentinam* in *Camico* urbem condidit munitiſſimam in rupe, quæ nullâ vi poſſet expugnari, præſidiariis pauciſſimis tuta. Quare *Cocalus* ibi regiam poſuit, opéſque omnes recondidit. 11. In agro *Selinuntio* cellam ſubterraneam, cui ſulphurei ſuberant ignes naturâ, ità compoſuit perfecítque arte, ut ſenſim illic & cum voluptate ſudor eliceretur, & ſine moleſtia fervoris corpora ſanarentur morbida. 12. In *Eryce* monte confragoſo, præcelſo, támque arcto in vertice, ut *Veneris Erycinæ* templo non ſufficeret, *Dædalus* præcipitia muro circumdedit, verticem complanavit, artéque in ſummo longè ampliorem reddidit. 13. Aureum quoque favum *Erycinæ Veneri* tanto fecit artificio, ut ille propiùs naturam, quàm illum potuerit quiſquam alius artifex imitari. Multa perfecit alia in *Sicilia*, & *Argis* alibíque, quorum formam longinquitas temporis, imò & famam alicubi abolevit. (*Diod. Sic.* 4. 15.) Aſciam primus & perpendiculum, lithocollam & glutinum terebrámque inveniſſe dicitur. Habuit uxorem *Gortynis* filiam, ex qua ſuſcepit filios, eoſdémque diſcipulos, *Scyllidem* & *Dipœnum*; (*Pauſ. Corinth.*) quibus & ſui erant diſcipuli *Tectæus* & *Angelion*, qui ſimulacrum *Apollinis Delium* fabricati ſunt; & his *Calon* & *Æginetes*. (Ibid.) Ex *Cretenſi* muliere quadam *Iapygem* ſuſtulit, qui è *Sicilia* in *Italiam* diſcedens, *Iapygiæ* nomen dedit, *Iapyge* urbe conſtructâ. (*Strabo* 6. *Plin.* 3. 11.) *Iaſii* filium *Iapygem* alii faciunt, & vatem; unde *Virgilius*, (*Æneid.* 12.) Reliqua *Dædali* recenſentur.

Jámque

A.M. 2767.

Jámque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx
Iaſides; acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo,
Augurium citharámque dabat, celeréſque ſagittas. &c.

Ex *Naucrate* ſerva *Icarum* genuit. Erat *Smilis Ægineta*, *Euclidis* filius, ſtatuarum artifex, *Dædalo* æqualis ætate, ſed gloriâ multò inferior; ut & alii complures, quibus omnibus in arte fabrili palmam præripuit *Dædalus*. (*Pauſ. Attic.*)

& quicquid reliquum de *Minoë*.

Ut reliqua de *Minoë*, quæ in ſcriptis Veterum traduntur, exſequamur: propter ſummam & legum juſtitiam quas promulgaverat, & potentiam, quâ vel ab invitis éxtorſerat obſequium, & ad neceſſitatem parendi pertinaciſſimos adegerat, ideo apud Inferos à Poëtis judicum tertius, unà cum *Æaco* & *Rhadamantho*, conſtitutus eſt. *Europæos Æacus*, *Rhadamanthus Aſiaticos* judicabat; ſi quid ambigui dubiíve occurrebat, ad *Minoëm* referebatur. De *Glauco* ejus filio memorat *Apollodorus*, (lib. 3.) eum, vel cùm pilâ luderet, vel cùm inſequeretur murem, in dolium fortè mellis incidiſſe. Deſideratus quæſitúſque diu, cùm nuſquam inveniretur, conſultum eſt oraculum. Oraculum de monſtro *Minoï* nato reſpondit, cujus ænigma qui ſolveret, ab eo puerum inventum, & in vitam revocatum iri. Monſtrum verò illud *Curetes* bovem ſeu vitulum eſſe retulerunt tricolorem in armento regio. Ter enim quotidie mutabat ſpeciem poſt horas quatuor; ex albo in rubrum, ex rubro denique in nigredinem. Cui rei hic eſſet ſimillimus bos, qui aptiſſimè judicâſſet, ab eo *Minoï* quærendum eſſe de filio. Quippe id ſibi volebat oraculi ſors. Cùm alii arioli minùs aptè aſſimilâſſent, *Polyidus* tandem repertus eſt, *Cærani* filius, ex gente *Melampodis*, acceríitus *Argis* vates, qui bovem portentoſum ei eſſe fructui ſimilem dixit quem ferret rubus, morúſve, ut habet *Hyginus*, (Fab. 136.) Hos enim fructus colorem ità matureſcentes variare. *Polyidi* ſimilitudinem approbavit rex. A *Polyido* igitur ſibi filium reddi poſtulavit. Cùm declinari non poſſent mandata regis ex oraculo nata, augurio placuit experiri. Noctuam vidit ſuper cellam vinariam ſedentem, atque apes indè abigentem. Hinc de melle dolióque auguratus eſt, puerúmque invenit, ſed exanimem. *Minos* verò, non corpus pueri modò, ſed & animam ſibi ex oraculo reddi voluit; & vel *Glauco* vivendum, vel moriendum fuit *Polyido*. Ambo in eadem concluſi domo ſunt; dúmque multa verſatur animo ſolicitus vates, ecce draconem videt proſerpentem, & properantem ad pueri cadaver. Veritus nè devoraret, omnémque vitæ ſpem tolleret, lapide percuſſum (enſe, ait *Hyginus*) interemit. Aderat mox & alter draco, qui parem exanimem conſpicatus, herbam ſtatim petiit, quæ mortuo ſerpenti admota vitam reddidit. Eandem *Polyidus* cùm admoviſſet *Glauco*, ille pariter in vitam revocatus eſt. *Polyidi* artem demiratus rex, (nam & hoc arte factum credidit,) edixit, non ei diſcedendum eſſe, antequam & hanc tradidiſſet *Glauco*. Nè diutiùs exſularet vates, dominóque tam tetrico ſerviret, obſecutus eſt. *Glaucus* etiam vates fit. Sed conſcensâ jam nave, diſceſſurus magiſter in *Græciam*, à diſcipulo petiit ut in ſuum ſpueret os. Quo facto, quaſi revocatus ad *Polyidum* ſpiritus rediit, artémque divinandi *Glaucus* amiſit. *Hyginus* hanc tribuit *Æſculapio* ſanationem, non *Polyido*. Fabulam *Palæphatus* naturali & probabili ratione interpretatur. Bibendo edendóve mel, choleram contraxiſſe *Glaucum*, quâ in ſummum vitæ diſcrimen adductus eſt. Nam,

——Καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.

Polyidum verò Medicum, & morbi cauſam inveniſſe, & ſanaviſſe herbâ cujus à Medico *Dracone* quodam uſum didiciſſet.

A.M. 2769.

Hercules Amazonas profligat juſſu nono Euryſthei.

§ 28. *Amazonibus* jam imperabant ſorores, *Antiope* & *Orithyia*; *Otrera Juſtino* dicitur; cujus virtute tantum additum gloriæ gentis fœmineæ fuit, ut *Herculi* rex, cui 12 ſtipendia debebat, quaſi rem ſupra vires humanas arduam, imperaverit, ut arma reginæ *Amazonum* ſibi afferret, ſive balteum, ut alii narrant. Id, ut filiæ *Admetæ* gratificaretur, poſtulaviſſe regem ab *Hercule* ferunt. (*Apollod.* 2.) Eò profectus igitur longis novem navibus, comitante principum *Græciæ* juventute, inopinantes aggreditur. Foris bellum gerebat *Orithyia*: *Antiope* domi aderat, & cum ea infrequens multitudo, nihil hoſtile metuens; cùm per *Thermodöontis* oſtia ad *Themiſcyram Hercules* applicuit. Ità effectum eſt, ut paucæ repentino tumultu excitatæ arma ſumerent, facilémque victoriam hoſtibus darent. Multæ igitur cæſæ captæque; in his

his *Antiopæ* ſorores duæ, *Menalippe* ab *Hercule*, *Hippolyte* à *Theſeo*, captæ. *Hippolyten Theſeüs* in præmium ſibi datam accepit in conjugem, & filium ex ea *Hippolytum* genuit. *Menalippen Hercules* captivam ſorori poſt victoriam reddidit; pretium accepit quod petitum venerat. (Hæc *Juſtin.* lib. 2.) A.M. 2769.

Illic quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia balteo,
Detraxit ſpolium nobile corpori,
Et peltam, & nivei vincula corporis,
Victorem poſito ſuſpiciens genu.

Diodorus Antiopen captam atque ductam à *Theſeo* narrat, non *Hippolyten*. Et ex *Hegeſia Trœzenio Pauſanias* (in *Atticis*) prodit, cùm *Themiſcyra* capi non poſſet, *Antiopen*, amore *Theſeï* captam, qui *Herculi* militabat, tradidiſſe urbem *Herculi*, *Theſeo* ſe: quam tamen *Pindarus* à *Theſeo Pirithoóque* raptam dicit. Nam plerique Veterum Hiſtorici (autore *Plutarcho* in Vita *Theſeï*) tradidêre, *Theſeüm* ſuis copiis poſt *Herculem* in *Amazonas* moviſſe bellum, atque *Antiopam* cepiſſe; at cepiſſe dolo magìs quàm virtute. Cùm enim donum honorarium attuliſſet *Antiope*, quo gratulabatur hoſpitis adventum, ille pellectam blanditiis in navem, protinus vela dans, minimè opinantem abſtulit. Aderant *Theſeo* comites in ea militia *Euneüs*, *Thoas* atque *Soloïs*, geniti *Athenis* fratres. *Soloïn* ferunt amore correptum *Antiopæ* tam perdito, ut ab ea repulſus & ſine ſpe, in fluvium ſe propinquum præcipitârit: *Theſeüm* verò, cùm & factum & cauſam didiciſſet, dolore maximo fuiſſe cruciatum. Sortis ergò recordatus quam *Pythia* proficiſcenti ediderat, ut eo in loco urbem conderet ubi maximus eum dolor affligeret, hîc eam eſt molitus: *Pythopolin* vocavit, fratribúſque ſubmerſi juvenis habitandam gubernandámque dedit. *Soloïn* quoque fluvium appellari juſſit. At verò ipſam reginam *Apollodorus Hippolyten* appellat, eámque ad navem *Herculis* (quâ unâ vectus eſt) deſcendentem, ubi adventûs cauſam didiciſſet, zonam ait promiſiſſe daturam ſe. Interim ſparſo fortè in vulgus urbanum rumore, ſuam reginam ab hoſpitibus rapi, *Amazonas* equis citatis armatas ad portum accurriſſe. *Herculem*, ſubeſſe dolum & inſidias reginæ promiſſis ratum, ipſam protinus obtruncâſſe, irruentes *Amazonum* profligâſſe turmas, ablatóque balteo ſolviſſe in *Græciam*. Sed in itinere dum in *Aſiam* navigabat, ad inſulam *Paron* appuliſſe refert idem *Apollodorus*, quæ tum *Minoïs* dicebatur; ubi è ſociis amiſſi duo ſunt, à *Minoïs* interempti filiis quatuor, ejus inſulæ colonis; quorum nece ultus injuriam, urbem ipſam obſidione preſſit *Hercules*. Deprecantibus verò per legatos oppidanis, ultróque offerentibus quos vellet ad compenſationem injuriæ, pepercit urbi, *Alcæum Sthenelúm*que *Androgeï* liberos accepit, in *Myſiam* denique ad *Lycum* abiit *Daſcyli* filium, qui *Argonautas* in *Colchidem* proficiſcentes tam honorificè acceperat. Inſulam is in *Propontide* tenebat, *Myſiæ* atque *Bebrycibus* propinquam, ſed hoſtibus. Contentione igitur temere commotâ, cùm *Lycum* armis *Bebryces* invaderent, multos trucidavit *Hercules*, & in his *Mygdonem Amyci* quondam reguli fratrem: urbem ipſam diruit, terrámque tradidit *Lyco*. *Heracleam* deinde *Lycus* appellavit. Hæc in *Aſiam* proficiſcenti acciderunt.

In reditu, ad *Ilium* in *Troadem* divertiſſe memorant; ubi *Heſionen* offendit, regis *Laomedontis* filiam, ſaxo alligatam, expoſitámque marinæ belluæ prædam, oraculo denunciante. Nec enim aliud fore calamitatum quibus opprimebantur remedium edixerat; pelagi ſcilicet exundantis, mariníque in omnia ſævientis monſtri. Regis impietati mala hæc *Trojani* accepta referebant, qui pecuniam *Neptuno* & *Apollini* ſacram in urbis mœnia contulerat, neque reddiderat unquam ſuas opes diis: unde locus fabulæ datus eſt, *Apollinem* atque *Neptunum* conductos ut muros conderent, & mercede fraudatos, his impium regem multaviſſe pœnis. *Hercules* igitur liberaturum ſe à Ceto *Heſionen* pollicetur, modò equos ei præſtantiſſimos, ſuper aquas & ariſtas ambulare ſolitos, (*Hygin.* Fab. 89.) hoc eſt, naves quaſdam velociſſimas, operæ ſuæ pretium tradat. Equi ſcilicet marini ſunt naves, unde Ἵππιος *Neptunus* dicitur. Eas ait *Apollodorus Herculem* equas poſtulaviſſe, quas *Troï Jupiter* ad compenſandam rapti *Ganymedis* jacturam dederat: vel potiùs alias ex eodem genere prognatas, quales (*Iliad.* 5.) *Æneas* habuiſſe dicitur. Facilè promiſit *Herculi* rex, quod præſtare in animo non fuit. Quare cùm Cetum confeciſſet *Hercules*, liberâſſétque vinculis *Heſionen*, non ſolutâ quam erat pactus mercede, irarum plenus minarúmque abiit, cùm ulciſcendi

A.M. 2770.

Ad quem reverſurus, *Heſionen* liberat, ceturn interimendo.

A.M. 2770. di tempus opportunum feſtinatio ad *Euryſtheüm* non concederet. *Ænum* deinde appulit in *Thracia*, *Ciconum* regiam, ubi *Poltys* eum hoſpitio excepit, cujus fratrem *Sarpedonem*, *Neptuni* filium, hominem contumelioſum atque improbum, ſagittis confixum interemit. *Thaſum* inſulam, cùm indè *Thraces* expu iſſet, *Androgeï* filiis habitandam dedit, quinque mill. paſſ. à *Lemno*. Indè *Coronen*, *Polygonum Telegonúmque*, *Proteï* filios, qui hoſpites luctâ ſuperatos trucidabant, luctando ſuffocavit *Hercules*. Tandem imperio functus, *Euryſtheo Mycenis* balteum *Amazonium*, ſive arma, tradidit.

Amazones, profligatæ à *Græcis*, nubunt *Scythis*. § 29. Hoc, opinor, tempore accidiſſe volunt quæ narrat *Herodotus* (lib. 4.) de *Amazonibus*. Nec enim alia *Græcorum* uſpiam de iis victoria memoratur. Cùm victores *Græci* abiiſſent, quas capere potuerunt *Amazonas* tribus in navibus auferentes, inſidiis in longinquo portu aliquo poſitis, has ab *Amazonibus* captas fuiſſe naves ferunt, quas ipſæ viris trucidatis agere conatæ ſunt, ut in patriam redirent. Verùm, ſi ſapiat,

Navem agere, ignarus navis timet.

Illæ, cùm neque velis neque remis uti, neque navium gubernaculis cognoſcerent, quócunque tempeſtas tulit, eò delatæ ſunt. In *Scythiam* fortè per *Mæotidem* paludem applicuerunt: ubi cùm in equorum armenta incidiſſent, conſcendentes & obequitantes prædas agere cœperunt. Ad arma conclamant *Scythæ*, primóque intuitu mirati novos hoſtes, pari ætate tot juvenes imberbes. Sic enim videbantur. Mox, ubi captis quibuſdam cognovêre ſexum, cum novo genere hoſtium novum inſtituêre pugnandi genus. Æquali ferè numero juvenes emiſſi, qui non tam præliarentur, quàm procarentur. Cùm nullo ſe damno affici *Amazones* viderent, nec ipſæ damnum intulerunt: ſed propiùs utrinque admota ſunt caſtra indies. Convenire tandem & colloqui, primò ſingulæ, plures mox; donec ab univerſis demum agitur de connubiis. Eâ lege concedunt *Amazones*, modò ex iis locis recedant longiùs. Nec enim poſſe convenire ſibi cum *Scytharum* fœminis, propter morum ſtudiorúmque diſcrepantiam. Illas enim deſidere in plauſtris, procurare domeſticas tantùm res, & in umbra extra Solem & pulverem agere. Opera ſe muliebria ignorare, ſed equitando venandóque in campos prodire, jaculari, & confligere cum hoſtibus. Veriſſima cùm eſſent hæc, & ſuam quiſque patrimonii partem à parentibus cùm repetiiſſent adoleſcentes, ultra *Tanaïn* ad Orientem trium dierum itinere facto, *Sauromatarum*, ſive *Sarmatarum*, gentem condiderunt; quod nomen longè latéque *Europam Aſiámque* proximam occupavit. Eorum itaque virginibus peculiare hoc, & *Amazonicum* fuit, quòd nubere iis non licebat, priuſquam ex hoſtibus unum interemiſſent.

Atreüs & *Thyeſtes* fratres invicem inimiciſſimi. § 30. Capitali odio diſſidebant inter ſe parricidæ fratres, qui conſpiratione factâ fratrem *Chryſippum* ſuſtulerant, *Atreüs* & *Thyeſtes*. Exſules jam in aliqua parte regni *Mycenæi* dominabantur. *Mideam* illis donatam à *Sthenelo* ſcribit *Apollodorus*, (lib. 2.) Ipſis enim *Mycenis* ipſe imperabat *Sthenelus*, filiúſque poſt patrem *Euryſtheüs*. Cùm autem ità pares utrique vires eſſent, ut neuter alteri nocere poſſet, in ſimulatam gratiam redierunt, animis nihilo minùs infenſis. Simulatio ipſa opportunam *Thyeſti* dedit adulterii conſuetudinem cum *Æropa* fratris conjuge. (*Hyg.* Fab. 86. & 258.) Ab *Atreo* igitur, ſceptri toríque ſimul non ferente rivalem, in exſilium pulſus eſt. Sed levior hæc injuriarum tantarum ultio viſa eſt. Ut crudeliùs ergò vindicaret, fratrem revocavit in regnum *Atreüs*, gratiámque redintegratam denuo ſimulavit: útque lautiore convivio redeuntem exciperet, ſuos ei filios *Pliſthenem Tantalúm*que jugulatos & coctos in epulis appoſuit. Dum veſcebatur, brachia puerorum oráque nota patri ut objicerentur imperavit. Tam nefarium ſcelus nè conſpiceret, oculóſque videndo conſceleraret, ipſum fingebant Poëtæ Solem averſos retro egiſſe currus. *Hyginus* fabulam hanc de Sole ità interpretatur: (Fabul. 258.) *Atreüm*, *Mycenis* dum ageret, Solis eclipſin primum deprehendiſſe. Quam ei gloriam cùm invideret frater, ſuâ ipſe urbem ſponte dereliquit. Primò igitur *Theſprotum*, ad lacum *Avernum* alicubi regnantem, adiit. Indè mox *Sicyonem* pervenit, ubi filiam depoſuerat *Pelopéam*. Sed lentiùs feſtinantem ea fortè nox intercepit quâ *Minervæ* ſacra *Sicyonii* peragebant. Sacra verò virginea *Thyeſtes* vir nè pollueret, abſtinuit urbe, & in luco propinquo ad auroram uſque deliteſcere maluit. Interim *Pelopéa*, dum choreas duceret, lapſa fortè, pecudis cruore veſtem inquinârat. Ad flumen

flumen igitur egreſſa clanculùm, ut ablueret ſordes, tunicam maculatam depoſuit. *Thyeſtes*, cùm tantum ſupereſſet lucis ut cerneret, minimè verò diſcerneret mulierem, capite obducto repentè ex luco proſiluit, invaſit, atque compreſſit ſuam filiam. In luctâ, patris gladium abſtulit *Pelopéa*, quem ſub acropodio *Minervæ* abſcondit; ut ſi quem ex eo congreſſu partum ederet, eo pater indicio proderetur. Credibile eſt, *Thyeſtem Sicyone* ad *Theſprotum* filiam traduxiſſe, opémque regis imploráſſe, quâ in patriam reduceretur. Sed *Mycenis* interea ſterilitas magna penuriáque frugum orta eſt, ob nefandum *Atreï* ſcelus, ut vulgò credebatur. Oraculo conſulto, reſponſum eſt, revocandum eſſe in patriam *Thyeſtem*. *Thyeſtem* ergò inveſtigaturus *Atreüs Theſprotum* adiit, ubi commorari fratrem fama tradiderat. Sed tum temporis fortè aberat. Adfuit *Pelopéa*, quam *Theſproti* filiam eſſe opinatus *Atreüs*, uxorem ſibi petiit dari. Data eſt, deductáque *Mycenas*. Nec enim aut negare auſus eſt rex quod *Atreüs* petiit, aut patrem illi verum prodere. Ventris tandem intumeſcentis onere levata eſt, ſed clanculùm, *Pelopéa*; ut, ſi fieri poſſet, *Atreum* lateret; expoſitúſque puer eſt. Paſtores cùm inveniſſent, capræ uberibus, nè deficeret fame, admoverunt; unde nomen ei *Ægiſthus* datum; Αἲξ enim *Græcis capra* dicitur. *Atreüs* autem cognitâ re minimè offenſus, infantem ſuſtulit aluítque pro ſuo. Ad *Thyeſtem* verò perquirendum, ut calamitatem publicam levaret, *Agamemnonem* & *Menelaüm* filios emiſit *Atreüs*; qui, nè temere vagarentur, *Delphis* oraculum inprimis conſulendum ſibi putaverunt. Aderat eodem tempore *Delphis* etiam *Thyeſtes*; cui vates *Pythia* de ultione conſulta reſpondiſſe fertur, Quem ex filia ſua *Pelopéa* filium procreâſſet, eum paternas injurias vindicaturum. Sed ab *Atridis* captus *Thyeſtes* eſt, *Mycenáſque* perductus in patriam, ſed cuſtodiæ traditus graviſſimæ; cujus videtur ſordes & ſqualorem 40 circiter annos pertuliſſe.

A.M. 2770.

Ægiſthus expoſitus à capra nutritur.

§ 31. Hâc videtur ætate Poëta & vates *Muſæus* floruiſſe *Athenis*; cujus nullum exſtat poëma, ait *Pauſanias*, (in *Atticis*) præter Hymnum in *Cererem*, quem *Lycomidis* fecit: quamvìs & *Eumolpia* poëſis tribuebatur eidem. (*Pauſ. Phoc.*) *Servius* ſuper illud Poëtæ, [*Muſæum ante alios*, &c.] Theologum ait fuiſſe poſt *Orpheüm*; & eum alii (inquit) *Lini* filium, alii *Orpheï* volunt; (*Diod. Sic.* lib. 4. & *Juſtinus Martyr* Parænef. contra gentes;) cujus conſtat fuiſſe diſcipulum. Ad ipſum enim primum carmen ſcripſit, quod *Cratera* appellavit. *Orpheümque* in omnibus imitandum ſibi *Muſæus* propoſuit. (*Pauſ. Phoc.*) Poſt *Orpheï* mortem, lyram ejus contigiſſe *Muſæo*, Interpres *Arati* prodidit. Alius videtur *Muſæus* fuiſſe, hujus prioris nepos ex filio *Eumolpo* tertio & *Selene*; qui apud *Diogenem Laërtium Theogoniam* ſcripſiſſe primus traditur, & Sphæram inveniſſe. Eundem ait opinatum eſſe, *Omnia ex uno conſtare, atque in idem reſolvi omnia.* Atque hunc, opinor, *Athenienſes* prædicabant, apud ſe in colle quodam & canere ſolitum dum viveret, & ſepultum eſſe poſtquam ſenio confectus occubuiſſet. Unde *Muſæum* loco eſt nomen datum. (*Pauſ. Attic.*) In Demo *Phalero* epigramma vetus eum obiiſſe prodit, urbi vicino. Portus enim *Phalerus* 20 tantùm ſtadiis aberat. (*Pauſ. Attic.*)

Qualis fuerit *Muſæus*.

Εὐμόλπου φίλον υἱὸν ἔχει τὸ Φαληρικὸν οὖδας
Μουσαῖον· φθίμενον σῶμ' ὑπὸ τῷδε τάφῳ.

Vivente vigentéque *Muſæo*, pariter atque *Orpheo*, celebrabantur *Delphis Pythia*, ubi antiquiſſimum erat certamen Muſicæ, hymnóſque in *Apollinem* canentium Poëtarum. Animadvertit tamen *Pauſanias*, (in *Phoc.*) neque *Orpheüm*, (initiorum traditione venerabilem, aliíſque animi dotibus clarum,) neque *Muſæum*, qui *Orpheï* veſtigia conſectatus eſt, etſi Poëtas Muſicóſque peritiſſimos, in hoc unquam certamen deſcendiſſe. Nec Poëta modò, ſed & Vates habebatur *Muſæus*; cujus de *Athenienſium* clade oraculum habetur apud *Pauſaniam*: (in *Phoc.*) ejúſque apud *Herodotum* (lib. 7.) memorantur Sortes, quas apud *Xerxem* interpretatus eſt *Onomacritus*.

§ 32. *Orithyia Amazonum* regina, dum *Hercules Themiſcyræ* aderat, aut *Theſeüs*, foris occupata, ubi reſcivit bellum ſororibus illatum, & raptorem fuiſſe *Athenienſium* principem, hortatur comites in ultionem; fruſtráque & *Ponti* ſinum, & *Aſiam* domitam eſſe dicit, ſi *Græcorum* non tam bellis quàm rapinis pateant. Auxilium deinde à *Sigilla*, ſive *Sigillo*, rege *Scytharum* petit. Genus ſe *Scytharum* eſſe, cladem virorum, neceſſitatem armorum, belli cauſas oſtendit; aſſecutáſque virtute ſe, nè ſegniores viris fœminas habere *Scythæ* viderentur. Motus ille domeſticâ gloriâ, mittit cum ingenti equitatu filium *Penaxagoram* in auxilium. Sed ante prælium diſſentione

A.M. 2771.

Orithyia regina *Amazonica* à *Theſeo* vincitur.

A.M. 2771. ſentione ortâ, ab auxiliis deſertæ, bello ab *Athenienſibus* vincuntur. (*Juſtin.* lib.2.) Intra muros penetrâſſe *Amazonas* credibile *Plutarcho* videtur, propter nomina locorum quorundam, & tumulos earum in urbe quæ ceciderant in acie. Ac diu exercitus utrinque ſpectâſſe tantùm & exſpectâſſe dum hoſtes adorirentur. Tandem *Timori* deo ex vaticinio quodam veteri cùm litaviſſet *Theſeus*, ipſo *Boëdromiorum* die, *Auguſto* menſe, prælium inivit, quo cecîdit plurimas, reliquas in caſtra repulit. Poſt menſes quatuor, in pacis leges conventum atque juratum eſt, eo in loco quod *Horcomoſion* ex eo dictum eſt. Idémque indicant *Amazonum* ſacra perantiqua ante *Theſei* feſtum peracta. *Antiopam, Theſei* uxorem, à *Molpadia* ſagittis confoſſam *Athenienſes* tradebant; à *Theſeo Molpadiam* fuiſſe interfectam. Ac ſanè monumentum utrique, *Antiopæ Molpadiæque*, poſuerunt *Athenienſes*. (*Pauſ. Attic.*) Receptaculum victæ habuerunt caſtra ſociorum; quorum auxiliis intactæ ab aliis gentibus in regnum revertuntur. Migrâſſe in *Scythiam Diodorus* tradit. Pugnaviſſe aliis in locis, & occubuiſſe videntur nonnullæ. Nam tumulos *Amazonum* oſtentabant *Megaris*, & ad rivum *Hæmonem Chæroneæ* propinquum, & *Scotuſæ* in *Theſſalia*. (*Plut.* in *Theſ.*) *Trœzenii* ad ſe quoque perveniſſe *Amazonas* narrabant, & à *Theſeo* victas quoque apud ſe. Eodem in loco delubrum fuiſſe *Marti* poſitum. (*Pauſ. Corinth.*) Hæc prima fuit *Græcorum* contra exteras gentes pugna, quæ *Athenienſium* nomen nobilitavit. (*Pauſ. Eliac.* 1.) *Hyginus*, (Fab.241.) *Antiopen* ex reſponſo *Apollinis* neſcio quo interfectam à *Theſeo*, narrat. Quò ſpectat *Ovidius* in epiſtola 4. de matre *Hippolyti*,

Si quæras ubi ſit, Theſeus latus enſe peregit.

Mortuo *Gideone*, filios ejus 70, excepto unico *Jothamo*, occîdit ſpurius *Abimelechus* regnandi gratiâ.

§ 33. Pacatè proſperéque agebant *Iſraëlitæ* per annos 40 maxima ex parte poſt *Deboram*, moderante res *Gideone*; cujus familia interim plurimùm eſt aucta 70 filiis ex conjugibus variis, præter *Abimelechum* ex concubina *Sichemi* natum. Tandem annorum ſatur obiit, *Ophræque* in paterno ſepulchro eſt conditus. Deinceps *Iſraëlitæ*, nec Dei memores, nec *Gideonis*, impietate in *Jehovam* & ingratitudine in *Jerubbaalem* graviſſimè peccaverunt. Nam *Baalem-Berith*, cui pacto ſe obligârunt, (id enim *Berith* ſignificat,) colebant pro Deo; *Gideonis* autem liberos crudeliſſimè tractabant. Etſi enim conſtituerat Deus, in ipſa familia ulciſci patris idololatriam, & dignus erat *Jerubbaal* qui pœnam illam ſolveret; næ indigni tamen *Iſraëlitæ* fuerunt qui infligerent. Quippe illo vindice, Judiceque moderato ac felici, per annos erant uſi plurimos. Oblatum erat à populo regnum quoque, ſed minimè acceptum à *Gideone*. Filius tamen *Abimelechus*, id quod repudiaverat pater, ſummo ſibi ambitu acquirendum putavit, nullúmque jus non violandum regni gratiâ. Ex *Ophra* igitur *Sichemum* diſceſſit patre mortuo, in urbem natalem, ad avunculos alióſque materni ſanguinis cognatos. Atque hos ad populum oratores adhibuit, qui monerent, "defuncto *Gideone*, Principem deeſſe qui remp. gerat: *quanto ſatius foret, uni* "ſubeſſe *regi*, quàm 70 ſimul dominis parére, *filiis omnibus Gideonis.*

" Οὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔσω.

"Quantò denique magis expediret *Sichemitis*, virum unum *ſuæ* civitatis atque *cog-*"*nationis* imperare, quàm alienos, quàm *Abiezeritas* tot. *Jerubbaalis* filium, & eun-"dem *Sichemitam* eſſe *Abimelechum*. *Abimelecho* igitur neminem eſſe præferendum, "qui regno *Iſraëlitico* præficiatur. Popularia hæc plurimùm ſanè apud vulgus valuerunt; maximè, quòd eſſent regem ſuæ civitatis atque ſanguinis habituri. Ex templo igitur *Baalis-Berith*, ubi vel publicum erat ærarium, vel pecunia reponebatur ſacra *Baali*, 70 nummos argenteos tradunt *Abimelecho*; quibus ille homines egenos audacéſque ſibi ſatellites conducit. Hâc ſicariorum, & *Sichemitarum* ſtipatus magnâ manu, *Ophram* rediit, fratréſque legitimos, præter unum *Jothamum*, qui fortè abdiderat ſe, intercepit omnes, atque in eodem ſaxo ad unum interfecit, quòd ambitioni ſuæ obſtare viderentur. Proh dirum atque immane facinus! Hominem quemvis occidere, imaginémque delere Divinam, ſummum nefas, & morte dignum, Summus pronunciavit Judex. Sed fratrem occidere, nexu propiore conjunctum, & fœdare ſe ſuo ſanguine, eò magis hîc odio peccatur, quò plus naturâ debetur amori. Fratres verò plures, 70 ſimul fratres, eóſque immerentes ac innocentes, jugulare, nullâ vel offensâ privatâ, vel publicâ noxâ provocantes vindictam, ſolam propter imperii ſpem ac dominandi libidinem, barbarum planè, atrox, inhumanum, & quod omnia ſuperat ſcelerum nomina, parricidium eſt. Hóccine verò eſt jure ſanguinis

adipiſci

adipiſci regnum, à cæde fratrum auſpicari? Illud profectò conſtat, quòd hominibus ambitioſis, per fas nefáſque ad tyrannidem graſſantibus, *A.M. 2771.*

Imperia pretio quolibet conſtant bene.

Sichemitæ protinus, familiáque ejus materna, quæ *Millo* vocabatur, *Abimelechum* regem renunciant, in campo quem *Columnæ* dicebant. De quo *Jothamus* ubi certior factus eſt, unicus jam filius *Gideonis*, *Gerazimorum* conſcenſo monte, ità populum elatâ voce affatus eſt: "*Viri Sichemitæ*, pauca ſunt quæ ſcire vos veſtrâ non minùs "intereſt quàm meâ. *Ità Deus aurem* precibus *veſtris facilem det*, *ut meæ vos atten-* "*tas* orationi. *Convenêre aliquando arbores*, *ut eligerent ſibi regem: & Olivæ* primò "*detulerunt imperium.* Repudiavit *Oliva.* Nec enim *depoſituram* aiebat *ſe pinguedi-* "*nem ſuam*, *quâ Deo grata erat hominibúſque*, *dominandi causâ. Ficum* deinde *obſecrâ-* "*runt*, *ut ſylvæ ſuſciperet imperium.* Repudiavit *Ficus* etiam. Nec enim *velle* aie- "bat *ſe amittere ſuam dulcedinem*, *ut aliis imperaret.* Mox *Vitem regnare voluerunt in* "*arbores.* At nec *Vitis* annuit; quòd *vino ſuo nollet privari ſe*, *quo & Deum* in li- "bationibus, *& homines recreabat* in conviviis. Cùm recuſáſſent ferè omnes ingra- "tum regni onus, tandem *à Rhamno petunt*, infimo ſylvarum colono, *ut principatum* "*in ſylvas gerat.* Facilè impetrant ab indigno, ut in meliores præſtantioréſque ſe "dominari velit. Sed quod proverbio dicitur, *Aſperius nihil eſt humili*——atque "infimæ ſortis homine, cùm proſperis fortunæ flatibus in altum provectus eſt.. *Ru-* "*bus* igitur, *Si me*, inquit, *ſeriò vocatis in regnum*, *ſub mea vos omnes umbra protegi-* "*tote. Sin minùs*, *prodibit ignis è Rubo*, *qui altiſſimas Libani cedros devorabit.* De "vobis hæc narratur fabula, *Sichemitæ.* Recordamini quantis meus *Gideon pater* "*periculis ſuam ſalutem objecerit veſtræ causâ*; quanto cum diſcrimine ſuo *vindicâ-* "*rit vos à Midianitis. Si ſatìs in eum gratos*, *ejúſque familiam*, *præbueritis vos*, *qui* "tot *ejus liberos in eodem ſaxo* crudeliter *mactaviſtis*, *Abimelechúmque regno præfeciſtis* "*nothum*; *& rex vobis*, *& rege vos* diu ac feliciter *potiamini. Sin verò* ſummæ in- "gratitudinis & impietatis in virum optimè meritum teneamini, exaudiat *Jehova* "Deus, efficiátque, ut *ignem accendat Abimelechus*, *qui Sichemitas domúmque Millo* "*conſumat*; *& à Sichemitis* pariter *domóque Millo prodeat flamma*, *quæ* regem *devoret* "*Abimelechum.* Hæc *Jothamus* cùm dixiſſet, in pedes dedit ſe, quantóque potuit impetu avolavit. Primam hanc omnium quæ literis traduntur fabulam Sacri nobis Codices tradunt. Eſt autem Fabula, rei fictæ quaſi geſtæ narratio, ad oblectationem vel utilitatem, vel ad utramque, ingenioſè compoſita. *Rationales* eæ dicuntur, quæ ad homines tantùm pertinent. *Morales* fabulas aliqui vocant, & *Apologos*, ubi res inanimæ, expertéſque rationis, colloqui, ac ſeria tractare negotia videntur; ut in hac *Jothami* fabula. Miſtæ aliquando reperiuntur. Ex fabulis rationalibus omnis nata eſt ars Poëtarum. Itaque *Homerus* & *Heſiodus* primi apud *Græcos* Autores habentur, quorum nos fabulas legimus. Sed acutiſſimum in Apologis *Æſopi Phrygis* ingenium fuit. Ex hac autem ipſa *Jothami* conſtat fabula, *Hebræos* longè ante vel *Æſopum*, vel *Homerum* ipſum, utilem fabularum ſuavitatem ad mores informandos adhibuiſſe: quæ apud rudes & imperitos plurimùm valent, & maximè omnium Apologi. Citiùs enim fabulâ vulgus capitur, quàm ingenioſiſſimâ ornatiſſimâque oratione. Sed cavendum in fabulis, nequa turpitudo admiſceatur vel obſcœnitas; quo vitio plerumque laborantes Comœdiæ, ingenia vel optima corrumpunt, non inſtituunt.

Jothami apologus ad Sichemitas primus omnium & elegantiſſimus.

§ 34. Prodierat jampridem è ſchola *Chironis Æſculapius*, & Medicinam excolebat exercebátque ſummâ cùm diligentiâ tum felicitate *Epidauri:* non modò eam quæ in vulneribus ulceribúſque ſanandis verſatur, quam à *Chirone* didicerat, & *Chirurgia* dicitur; ſed & eam quæ curandis morbis, & valetudini totius corporis vel tuendæ, vel inſtaurandæ adhibetur, & *Clinice* vocatur. Tantum verò valuit arte quadam novâ, plurimúmve auctâ, ut multos qui videbantur deſperatæ ſalutis ad ſanitatem revocârit. Ideo mortuos ad vitam ſuſcitare ſolitum, & ea de re *Plutonem* eſſe conqueſtum apud *Jovem*, in fabulis narratur. Conſtat profectò, ità eum claruiſſe, ac præſtitiſſe omnibus medendi peritiâ, ut Medicorum ſummus dum viveret, eorundem deus poſt mortem haberetur. Quare templum habuit poſtea nobiliſſimum *Pergami*; (*Lucian. Icaro-menipp.*) & fanum *Tetrapoli*, quam civitatem *Iones Caréſque* incolebant, (*Strabo* lib. 8.) & apud *Meſſenios*, cum plurimis nobiliſſimíſque ſtatuis. (*Pauſ. Meſſen.*) In *Tricca* etiam *Theſſalica*, & inſula *Co*, hominum frequentiâ morbidorum *A.M. 2772.*

Æſculapii Apothec-ſis & *αἰ*-[illegible]

A.M. 2772.

bidorum perpetuò celebratum. Tabulis votivis obducti parietes & obvelati undique latebant. Si quis enim ex aliquo morbo convaluerat, qui vota feciſſet *Æſculapio*, ſalutem illi acceptam referebat: ut ſolet his temporibus *Romanenſium* vulgus Virgini *Mariæ*, aliiſque Cœlitibus, quorum ægroti imploraverant opem. Sanati etiam vota ſolvebant *Æſculapio*, quæ nuncupabant morboſi. *Cyrenaïci* Capram in ſacrificiis, (*Pauſ. Corinth.*) alii plerique Gallum immolabant; qui ob vigilantiam huic deo dedicatus eſt. Dedicati & Dracones; ii verò præcipuè qui fulvo colore conſpicui ſunt, quos *Epidauria* tantùm cicures alit. (*Pauſ. Corinth.*) Eidem ludi celebrabantur quinquennales, in ſuo quem dixi luco, nono ſemper poſt *Iſthmicos* die; & alii apud ſuos *Epidaurios*, *Megarenſes* dicti, vere novo. Illic enim præcipuâ religione colebatur; quam ad alios indè traductam docet *Pauſanias*, (in *Corinth.*) Uxor *Epione* filios ei tulit *Machaonem* & *Podalyrium*, celebres in bello *Trojano* Medicos. In *Eliacis* prioribus *Pauſanias* multas ei filias tribuit. *Iaſo* & *Hygiæa* præcipuè memorantur; quæ ficta videntur nomina, *ſanitatem* ſignificantia, conſervatam hoc, illud redditam, quam generare quodammodo ſolent Medici. Quanquam ab arte ſua liberis dediſſe nomina nihil prohibet. Significare videtur apud Mythologos *Æſculapius*, ſalubrem bene affecti aëris temperiem, (*Hygin.* Fab. 49. & 202.) unde ſanitas pendet. Ea verò ipſa proficiſcitur à Sole. (*Pauſ. Achaïc.*) *Apollinis* ergò filius fingebatur *Æſculapius*. Fulmine ictum ferunt & hunc fuiſſe, quod jampridem de ſecundo *Æſculapio* diximus. Cauſam Poëtæ fingunt, eò quòd *Hippolytum* aliòſque vitâ defunctos revocâſſet ab inferis: de quo *Virgilius*, (*Æneïd.* 7.)

Namque ferunt famâ, Hippolytum, poſtquam arte novercæ
Occiderit, patriâſque explêrit ſanguine pœnas,
Turbatis diſtractus equis, ad ſidera rurſus
Ætherea, & ſuperas cœli veniſſe ſub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Apollinem, filii cæde dolentem iraſcentémque, *Cyclopas* interfeciſſe fingunt fulminum artifices, cùm ipſi *Jovi* nocere non poſſet. Eum propterea cœlo dejectum à *Jove*, *Admeti* regis *Pheræorum* in *Theſſalia*, *Pherete* geniti, aut armenta paviſſe, aut greges. Quam fabulam de *Arcadico* nonnulli rege interpretantur, quem, expulſum regno, aliquâ ſuæ regionis parte ad *Amphryſum* fluvium donavit *Admetus*, ubi ποιμένα λαῶν, *populi paſtorem*, egit, hoc eſt, regem. Alii verò cauſam contorti fulminis in *Æſculapium* fuiſſe volunt, non benefaciendi ſtudium, ſed hominis avari αἰσχροκερδίαν, quæ *Pindaro* dicitur χρυσὸς ἐν χερσὶ φανείς. En quales miſeræ olim gentes coluerint pro diis, qui nè homines quidem probi habebantur, ſed ab iis ipſis notantur infamiâ qui colebant. Meritò *Socrates* (apud *Platonem* de Rep. lib. 3.) dei eſſe negabat filium, multò magìs deum, qui erat turpis lucri nimiùm ſtudioſus. *Archias Pergamenus*, à convulſione membrorum, quâ inter venandum correptus fuerat, in *Epidauria* ſanatus, dei religionem indè *Pergamum* traduxit; indè *Smyrnæi* tulerunt: & qui *Balangris* colebatur apud *Cyrenæos*, idem erat *Æſculapius*. (*Pauſ. Corinth.*) *Aſclepia* feſtum huic deo multi celebrabant; ſed magnificentiſſimè omnium *Epidaurii*, ubi Rhapſodorum aliorúmque Muſicorum certamen erat inſtitutum. *Æſculapii* filius *Machaon* quatuor videtur filios genuiſſe, *Sphyrum*, *Alexanorem*, *Euamerionem*, & *Polemocratem*. *Sphyrus* nobiliſſimum avo templum dedicavit *Argis*. *Alexanor Sicyonem* profectus, avo delubrum poſuit in ea regiuncula quam *Titanam* vocabant, & ſimulacrum, cujus facies tantùm & manus patebant, imíque pedes; reliquum albâ ex lana tunicâ pallióque velabatur: ut eodem in loco *Hygiææ* ſtatua, partim comis quas mulieres ei detonſas conſecrabant, partim veſtis *Babylonicæ* laciniis obtegebatur. Et *Alexanori* heroïcos tantùm honores deferebant *Sicyonii* poſt Solis occaſum: *Euamerioni* divinos; quem *Pergameni* ex quodam oraculo *Teleſphorum*, *Epidaurii Aceſium* vocabant. *Polemocrates* quoque Medicus, in *Eua*, *Argolidis* pago, ædem ſibi dedicatam habuit, honorémque, propterea quòd accolas morborum doceret remedia mortuus etiam. (*Pauſ. Corinth.*) Quemadmodum in *Delo* inſula & *Titanæ*, ità quicquid immolabatur hîc eodem conſumebatur in loco. Supra templum ædes erant, ubi

Aſclepia.

ubi qui precatum venerunt dormiebant,& captabant ſomnia. Neque verò *Coronidi* ſuus honos & cultus defuit. In fano etenim *Æſculapii Titanæ*, ſoluta *Coronidis* ſtatua, ubi deo ipſi rem fecêre divinam, in *Minervæ* templum tranſlata colebatur. (*Pauſ.* ibid.)

A.M. 2772.

§ 35. Sperabat *Euryſtheüs*, aut facinorum magnitudine ac difficultate, ſuperantium vires humanas, aut longinquitate itinerum, atque tædio per gentes barbaras, victum aut confectum iri aliquando *Herculem.* At ille, neque devictus neque defatigatus, ab *Amazonibus* in Oriente, extremos adiit Occidentis terminos in *Hiſpania.* Maxima boüm armenta oviúmque greges illis temporibus maximæ opes habebantur. Cùm ergò in *Iberia*, vel inſula potiùs *Iberiæ* oppoſita, præclarâ ſpecie boves fuiſſe comperiſſet *Euryſtheüs*, (puniceas aiunt Poëtæ,) regium indè armentum ut abigeret, adducerétque *Mycenas*, in mandatis jam decimis *Herculi* dedit. (*Pauſ. Meſſen.*) In ipſo capite *Bæticæ*, (quo nomine ulterior *Hiſpania* vocabatur, à *Bæti* flumine perfluente,) ab oſtio freti *Herculeï* paſſ. 75 mill. *Gades* in oceano inſula eſt, oſtiis fluvii *Bætis* propinqua, longa 12 mill. lata 3 mill. paſſ. Abeſt à Continente proximâ parte minùs paſſ. 700, reliquâ plùs 7 mill. Ab eo latere quo *Hiſpaniam* ſpectat paſſibus ferè centum, altera inſula eſt longa 3 mill. paſſ. mill. lata, in qua priùs oppidum *Gadium* fuit. Vocatur ab *Ephoro* & *Philiſtide Erythia*, à *Timæo* & *Sileno Aphrodiſias*, ab indigenis *Junonis*. Majorem *Timæus Cotinuſſam* apud eos vocatam ait, noſtri *Tarteſſon* appellant, inquit *Plinius*; (lib. 4. 22.) *Pœni Gadir*, ità *Punicâ* linguâ ſepem ſignificante, quòd aquis undique ſepiatur. Indè Γάδειρα *Græcum*, & *Latinum Gades*. *Erythia* dicta eſt, quoniam *Tyrii*, quorum colonia *Gades*, orti ab *Erythræo* mari ferebantur. In hac *Geryones* habitâſſe à quibuſdam exiſtimatur, cujus armenta *Hercules* abduxerit. Propter ſummam pabuli lætitiam, ovium ibi lac ſero aiunt carere; nec indè caſeum poſſe cogi, pinguedinis ratione, niſi multum aquæ permiſceatur: quinquaginta dierum ſpatio ſuffocari saginâ pecus, niſi aliquid ſanguinis emittant. Videntur autem Veteres, ait *Strabo*, (lib. 3.) *Bætin* appellâſſe *Tarteſſum*, qui cùm oſtiis duobus exeat in mare, urbem fuiſſe olim in medio flumini cognominem ferunt; quam *Gaddir* vocatam à *Tyriis* docet (in fragmentis Hiſtoriæ, lib. 2.) *Saluſtius*, quòd interamna ſeptâque fluminibus eſſet. *Gades* verò cum inſulis vicinis *Erythiam* antiquitus vocavêre. Memorabant *Gaditani*, oraculum fuiſſe *Tyriis* datum, ut ad *Herculis columnas* deducerent coloniam. Miſſi ergò qui ſpectarent locum nonnulli, uſque ad fretum *Herculeüm* pervenêre. Extrema ſe terrarum attigiſſe credentes, factâ divinâ re, cùm perlitare non poſſent, re quam ſuſceperant infectâ, rediviſſe domum feruntur. Alii mox emiſſi, & freto egreſſi in oceanum 1500 ſtadia, ad inſulam venêre ſacram *Herculi*, & *Onobæ Hiſpanicæ* urbi oppoſitam. Ibi columnas fuiſſe ratos, aiunt *Herculi* ſacra feciſſe: ſed victimis non faventibus, iterum diſcedere coactos *Tyrum*. Tertio demum adventu, in *Gadibus* condidiſſe, ab Occidente urbem, ab Ortu templum *Herculi*, medio totius inſulæ ſpatio. (*Strabo* lib. 3.) Sed *Tyrius* fuit hic, non *Thebanus Hercules*. Ea verò inſularum plurium, ſed exiguarum, urbs unica, ità floruiſſe dicitur ſub Imperatoribus *Romanis*, ut, poſt ipſam gentium caput *Romam*, opulentiâ multitudinéque civium vix ulli cederet; qui tamen maxima ex parte foris negotiabantur, pauciſſimi deſidebant domi. (*Strabo* ibid.) His inſulis imperabat *Geryones*, *Chryſaoris* filius & *Callirrhoës* Oceaninæ. *Chryſaorem* ex *Meduſa Gorgone* ſuſtuliſſe *Neptunus* fingitur. Tricorporem fuiſſe *Geryonem*, & bicipitem habuiſſe canem, *Orthrum*, armenti cuſtodem ſub *Eurytione* bubulco, fabulabantur Veteres: at *Herculem* interfeciſſe canem unà paſtorémque, ipſum denique *Geryonem*, & famigeratas abſtuliſſe boves. Reliquas mitto fabulas, de ſagittis in Solem & oceanum vibratis provocantes *Herculem*; de aureo poculo ſeu lebete donato à Sole, quo in *Iberiam* navigavit; de *Alebione Dercynó*que interemptis; déque aliis rebus vaniſſimas. *Palæphatus*, id quod de tribus corporibus dictum eſt, de urbe interpretatur neſcio qua *Tricarinia*. Quærentibus enim, Cujum pecus? *Herculem* ait reſpondiſſe, *Geryonis Tricarinii* fuiſſe. Indè primò natum apud vulgus hominum de tribus *Geryonis* capitibus figmentum. Probabiliora *Juſtinus* narrat, & *Diodorus Siculus*, Tres fratres, filios *Geryonis*, tantæ concordiæ exſtitiſſe, ut uno animo & regere omnes, & regi viderentur; nec bellum *Herculi* ſuâ ſponte intuliſſe, ſed cùm armenta ſua rapi viderent, amiſſa bello repetiiſſe. Victis tamen cæſiſque fratribus, abegiſſe boves *Herculem* conſtat. Bicipitem canem, de copiis terreſtribus navalibúſque *Geryonis*, (in Deorum imaginibus) exponit *Albricus*, quas profligavit *Hercules*, potentiámque ejus terrâ maríque ſimul comminuit. *Baleares* apud *Diodorum* (lib. 5.)

Hercules boves Mycenas abigit ex Iberia, idque decimo Euryſtheï juſſu;

occiſo Geryone;

non

A.M. 2772.

non boves *Herculem*, ſed aurum atque argentum, *Geryoni* abſtuliſſe narrant, boüm fortaſſe formâ ſignatum. Ideo ſe nolle aiebant opes congerere, nè prædones allicerent, idémque ſibi quod *Geryoni* contingeret. *Jovianus Pontanus* (in *Uraniæ* lib. 7. procem.) *Geryonis* fabulam exponit Phyſicè, de tribus animabus, vegetante in corporibus plantarum, ſentiente in brutis animalibus, rationali denique ſimul & reliquis in homine. Ut ſuæ in extremis terrarum victoriæ monumentum exſtaret ad poſteros, duas *Hercules* Columnas poſuiſſe dicitur ad fretum quod ab eo *Herculeüm* dictum eſt, mill. paſſ. 15 longum, vix latum 7; quâ oceanus ab Occaſu inter *Mauros* & *Hiſpaniam* irrumpens, lævo latere *Europam* radit, *Africam* dextro. Columnarum alteram in *Abila* promontorio *Africano* ſtatuit, alteram in *Calpe*, *Hiſpanico*; vel in duabus inſulis utrique monti propinquis. (*Strabo* ibid.) Sed & hoc de *Tyrio Hercule* credibilius quàm *Græco* videtur. *Ælianus*, (Var. hiſtor. 5. 3.) ex *Ariſtotele*, has ait columnas quondam *Briareï* dictas; in *Herculem* deinde tranſlatam ejus nominis gloriam, propter inclyta merita de genere mortalium. Ex *Creta Diodorus* ait ſolviſſe claſſem *Herculis* in *Hiſpaniam*; illic milites conveniſſe: propter maximos verò ſibi honores à *Cretenſibus* delatos, memoriámque *Jovis* in ea inſula nati, feras omnes ità delevit ſerpentéſque, ut nullum deinde *Creta* noxium animal protulerit. (*Diod. Sic.* 4.)

A.M. 2773. & per *Galliam* rediturus

Domum rediturus erat jam itinere pedeſtri *Hercules* per *Hiſpaniam*; ubi à regulo quodam ità magnificè habitus eſt, ut partem ei boüm donaverit, quas ille conſecravit *Herculi*, taurúmque illi pulcherrimum quotannis immolavit. Et ex eo genere in *Hiſpania* exſtitiſſe boves etiam ſuo ſeculo, *Diodorus* autor eſt. Cùm in *Celticam* tranſiiſſet ex *Iberia Hercules*, plurimíque ad eum confluerent mortales undique, ut ſub eo mererentur, urbem ibi conſtituit, quam à ſuis erroribus *Aleſiam* appellavit. Ad eam incolendam magna pars comitum relicta eſt. Indè in *Italiam* contendens, per aſperrimos *Alpium* montes viam ſibi aperuit. In *Galliam* ex *Alpibus Ciſalpinam* deſcendit *Liguriámque*. In *Liguria*, ut *Æſchylus* habet, (in *Prometheo* ſolut.) contra *Ligures*, Geographi verò, in *Gallia Narbonenſi* contra *Neptuni* filios, *Albionem* & *Bergionem*, tradunt, inter *Maſſiliam* & *Rhodanum*, dimicaviſſe *Herculem*: (*Alebiona* & *Dercynum Apollodorus* vocat:) cúmque tela defeciſſent, ab invocato *Jove* adjutum imbre lapidum ferunt. Hoc ideo fictum videtur, quia facilè credas ibi pluiſſe lapides, adeò multi paſſim & latè jacent. Indè *Campos lapidarios* appellabant. (*Pomp. Mela* 2. 5.) Quod revera factum eſt à vero Deo grandinis pluviâ, *Joſuæ*que gratiâ fortiſſimi Imperatoris, id fortaſſe *Græci* ſuo tribuerunt *Herculi*.

A.M. 2774. *Cacum* perimit; de quo aliiſque latè agitur.

Fabulantur Poëtæ, cùm per *Tuſciam* veniſſet in *Latium*, prope *Tiberim* in loco herbido procubuiſſe *Herculem*, ut læto pabulo reficeret boves: dormiente verò *Hercule*, *Cacum*, ejus loci accolam, & principem latronum, eximias boves duas in ſuam caudis traxiſſe ſpeluncam, nè directa veſtigia deducerent ad furti celati locum. Experrectus *Hercules*, luſtrato grege, cùm partem abeſſe numero ſenſit, omnia circuit, averſa reperit veſtigia. Confuſus novitate rei, ex loco infeſto agere armentum cœpit, ſed prope ſpeluncam de induſtria; quam ſcrutandi copiam *Cacus* negaverat, vicinorúmque imploraverat auxilium, quaſi facturo injuriam *Hercule*. Cùm actæ boves deſiderio relictarum mugiiſſent, reddita è ſpelunca incluſarum vox prodidit furtum, *Herculem* progredientem convertit: quem, inventâ fraude, cùm vadentem ad ſe *Cacus* vi prohibere conaretur, ictus clavâ, & fidem paſtorum nequicquam invocans, occubuit. Concurſus trepidantium paſtorum ad venam reum cædis faciunt apud *Evandrum*, qui miraculo literarum inter rudes artium homines, aliíſque meritis venerabilis vir, ea magìs autoritate quàm imperio regebat loca. Is habitum formámque viri, aliquantò ampliorem auguſtiorémque humanâ, intuens, rogabat qui vir eſſet. Ubi nomen patrémque ac patriam audivit, *Jove nate Hercules*, *ſalve*, inquit. *Te mihi mater veridica*, *interpres deûm*, *auctiurum cœleſtium numerum cecinit*, *tibíque aram hîc dicatum iri*, *quam opulentiſſima olim in terris gens Maximam vocet*, *tuóque ritu colat.* Dextrâ *Hercules* datâ, accipere ſe omen, impleturúmque fata, arâ conditâ & dicatâ, ait. (*Liv.* decad. 1. lib. 1.) *Dionyſius Halicarnaſſ.* (lib. 1.) ipſam ait ſpeluncam diruiſſe *Herculem*, nè ſupereſſet opportunus qui maleficos invitaret locus, eóque dominum quaſi tumulo contexiſſe. Deinde, cùm cædis noxam flumine abluiſſet, aram *Inventori Jovi* dedicâſſe, immolâſſéque juvencam. Eadem ſacra in eadem ara, & iiſdem ritibus, peregiſſe *Romanos* juxta portam *Trigeminam*. *Aborigines* verò *Arcadéſ*que non reum peregiſſe *Herculem*, ſed gratulatos fuiſſe latronis necem,

necem, coronis laureis ornatos, ornantéſque virum tam divinâ (ut videbatur) ſpecie ac virtute præditum: etiam reges eorum ad hoſpitium invitâſſe; cúmque didiciſſent qui vir eſſet, quaſi monitu matris, *Evandrum* deo futuro poſuiſſe aram extemporalem, & juvencum indomitum obtuliſſe; quem & *Romani* ritum poſtea obſervârunt. Populo tam benigno & hoſpitali, viſum eſt *Herculi*, cæſis quibuſdam bobus, epulum præbere: útque ſacra hæc perpetua fierent grataque, ceremoniis *Græcanicis* à *Potitiis* & *Pinariis* peragi voluit, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant. Fortè evenit, ut *Potitii* ad tempus præſtò eſſent primo manè, híſque exta apponerentur; *Pinarii* extis adeſis ad cæteram venirent dapem. Indè inſtitutum manſit, quamdiu *Pinariorum* genus fuit, nè extis eo ſolennium die veſcerentur. *Potitii* ab *Evandro* edocti, (ab *Hercule*, ait *Dionyſius*,) antiſtites per multos annos his præfuerunt ſacris, donec tradito ſervis publicis ſolenni familiæ miniſterio, *Potitiorum* & *Pinariorum* omne genus interiit. Ara quam *Evander* conſtruxit, cui *Hercules* decimas ſolvit, *Maxima* vocabatur, & proxima fuit poſt *Romam* conditam foro boario. Ad hanc juramenta ſanctiſſima, & conventiones, & vota fiebant decimarum, ſi quis fieri dives voluit. Hinc *M. Luculli* maximæ opes accreviſſe putabantur, & *Hercules* ipſe credebatur theſaurorum deus. (*Pompon. Lætus* ex *Livio* & *Dionyſ.*) Multa quidem ex iſtis quæ narravimus fabuloſa *Dionyſius* opinatur; veriora quæ jam traditurі ſumus, ex iis qui *Herculis* geſtas res more ſcripſerunt hiſtorico. *Herculem* aiunt ſuâ ætate fortiſſimum fuiſſe omnium ducem, magno cum exercitu terras etiam longinquas peragrâſſe, ut principes crudeliores, gravéſque ſubditis aut peregrinis, populóſque finitimis infeſtos, hominéſque maleficos & ſceleratos, aut è medio tolleret, aut ad humanitatem, legitimúmque & æquabile jus, reduceret; ità immanitatem tyrannidémque prohiberet, & hoſpitum cædes & latrocinia; moderata verò imperia conſtitueret ubique. Fluminum præterea derivatione, ut erat maximè terris commodum, urbium in locis deſertis atque opportunis molitione, ſemitarum in montibus locíſque inviis explicatione, aliíſque operibus magnificis, juvabat mortales, optiméque meritus eſt de genere humano. Ex *Hiſpania* jam redeuntem itinere terreſtri, claſſem tardiùs conſecutam exſpectâſſe diutiùs in *Italia*. Sed & *Ligures*, populoſum & pugnax barbarorum genus, ſub ipſis ferè *Alpibus* collocatum, in tranſitu *Herculi* ſe objecerunt, *Italiæ*que aditu arcere conati ſunt. Graviſſimum certamen hoc fuit, deficientibus *Herculi* ſagittis. Præter alios, *Cacum*, præfidentem viribus, & accolam vicinis infeſtum, è medio ſuſtulit. Ex *Herculis* enim caſtris propinquis, incurſione factâ, prædam, quantam incuſtoditam reperit, abegit; eámque in locis quibuſdam, quæ plura habuit, munitis, militibus præſidiariis conſervandam tradidit. Incluſi ergò latrones, & oppugnati à *Græcis*, tandem & ſe & propugnacula omnia *Herculi* dedidêre; quæ, cæſo prædonum duce, *Fauno Hercules* & *Evandro* donavit. *Cacum Solinus* ait habitâſſe locum cui *Salinæ* nomen, ubi *Trigemina Romæ* porta fuit; eundémque, (autore *Gellio*) cùm à *Tarchone Tyrrheno*, ad quem legatus venerat *Marſyæ* regis, ſocio *Megale Phryge*, cuſtodiæ foret datus, fruſtratum vincula, unde venerat rediiſſe; & præſidiis amplioribus occupato circa *Vulturnum* & *Campaniam* regno, dum attrectat etiam ea quæ conceſſerant in *Arcadum* jura, duce *Hercule*, qui tum fortè aderat, oppreſſum eſſe. *Servius* (in *Æneïd*.8.) ſecundùm fabulam ait *Cacum Vulcani* fuiſſe filium, ore fumum & ignem vomuiſſe, quòd flammâ & ferro vicina vaſtaret omnia: revera tamen fuiſſe nequiſſimum *Evandri* ſervum atque furem, à ſorore *Caca* proditum: unde ſacellum merita eſt, & per virgines *Veſtales* ſacra. Sed redeamus ad *Herculem*, qui ex hoſtibus etiam victis ſuum ſolebat exercitum augere, feſſóſque itineribus ac debilitatos bello milites in coloniis paſſim collocare. Hîc etiam è ſociis multos reliquit, errorum pertæſos, miſſionémque petentes; qui in colle *Saturnio*, (*Capitolinus* poſtea dictus eſt,) tribus diſtante à *Palatino* ſtadiis, urbeculam ſibi ſtatuerunt. Hi, poſtquam ſuo jure ſeparatim aliquandiu adminiſtrâſſent ſuas res, cum indigenis confuſi mox, *Aboriginum* & ſacra & jura ſuſceperunt. Colebatur eo in loco *Saturnus* etiam humanis hoſtiis, ut in *Gallia* & *Carthagine*, alibíque paſſim. Prohibitam ab *Hercule* ferunt immanitatem hanc, qui docuit ſimul, nè patria ſacra deſeruiſſe viderentur, vice hominum, quos manibus atque pedibus colligatos præcipitare ſolebant in *Tiberim*, ut ſimulacra hominum fingerent, veteríque more in flumen projicerent. Ab eodem *Hercule* in *Campania Pompeios* conditam ferunt, quia victor ex *Hiſpania* pompam eò boüm duxerat. (*Solin.* 2.) His in locis, quod alibi ſolebat, haud oblitus eſt operæ ſuæ partem liberis generandis dare. Ex *Lavina*, ſeu *Dyna*,

A.M. 2774.

A.M. 2774. *na*, *Evandri* filia, *Pallantem* filium procreâſſe dicitur, qui fato præmaturo ſublatus eſt: ex *Hyperboride*, quadam obſide, *Latinum*. Eam verò, trajecturus in *Græciam*, *Fauno* dedit uxorem, *Aboriginum* regi; qui puerum *Herculeum* pro ſuo aluit in regni ſpem. (*Dionyſ.* 1.) *Juſtinus* verò (libro 43.) *Latinum* ſcribit ex filia *Fauni* & *Hercule* ſtupro conceptum. *Virgilius Fauno* ipſo natum & nymphâ quadam *Maricâ* ſcribit. At *Suidas*, *Telephum Herculis* filium, cognomento *Latinum*, ex *Aſia* in *Italiam* veniſſe vult, & *Cetios* populum *Latinos* ab eo dictos. *Suidæ* autem autoritas, quem fabulis abundare conſtat, non eſt apud me tanti, ut à *Dionyſio* recedam. *Avernus* erat in *Campania* lacus, *Proſerpinæ* ſacer, quinque ſtadiorum circuitu, incredibili profunditate. Hujus fluxum in mare, dum in *Italia* morabatur *Hercules*, egeſtâ humo cohibuit, viâmque interpoſuit quam *Heracleam* vocabant. (*Diod. Sic.* 4.3.) *Romæ* in Boario foro ſtatua erat *Herculis Triumphalis*, ſeu *Victoris*, ab *Evandro* dedicata. (*Plin.* 34. 6.) Ibidem & ſacellum, quod argumenta & convivii & majeſtatis ipſius retinuiſſe ait *Solinus* ad ſua tempora. Nam divinitus illic neque canibus neque muſcis erat ingreſſus. Etenim cùm viſcerationem ſacrificulis daret, *Myagrum* deum dicitur imprecatus contra muſcarum moleſtiam; clavam verò in aditu reliquiſſe, cujus olfactu refugerent canes. In *Italia* fuiſſe *Herculem* annis 55 ante *Æneam*, *Dionyſius Halicarnaſſ.* prodit, (lib. 1.) Claſſe appulsâ tandem, in ſtatione navium ſuarum ſui nominis urbem condidit *Heracleam*. Indè conſtitutis *Italiæ* rebus, cùm diis prædarum obtuliſſet decimas, in *Siciliam* trajecit. *Siciliæ* partem *Italiæ* proximam tenebat *Eryx*, *Butæ* filius indigenæ. *Venerem* (puto) *Erycis* matrem fingebant ideo Poëtæ, quia pater eam *Butes*, filiúſque poſt patrem, perpetuâ veneratione dignati ſunt. In monte ſui nominis urbem ædificavit, in urbis arce templum *Veneri*: operâ *Dædali* (credo) uſus in utriſque. Abacti ex *Erythea* pecoris mirâ cupiditate incenſus *Eryx*, in luctæ certamen cum *Hercule* deſcendit, eâ lege, ut hinc *Herculis* boves, indè regnum *Erycis*, victori præmia traderentur. (*Pauſ.* in *Meſſen.*) Ferunt *Eryci* fuiſſe filiam *Pſophidem* ab *Hercule* vitiatam: patrem verò, cùm domo ſuâ non dignaretur gravidam ſtupro filiam, *Phegeæ* in *Arcadia* apud hoſpitem *Lycortam* reliquiſſe. Interim *Syracuſas* profectus *Hercules*, (*Ennam* potiùs dixiſſe debuit *Diodorus*, quandoquidem nondum erant conditæ *Syracuſæ*,) *Cereri* & *Proſerpinæ* magnificè operatus eſt. Ritus etiam ad *Cyanen* docuit, peragendi ritè anniverſaria ſacra *Liberæ*, immolato è ſuis præſtantiſſimo bove. Indè per mediterranea ducenti exercitum, magnis occurrebant inſtructi copiis *Sicani*; quos omnes profligavit, plurimóſque cecîdit: quorum fortiſſimis ſpectatæque virtutis ducibus heroïci deinde honores per multa ſecula ſunt delati. Agri *Leontini* pulchritudinem admiratus, propter exhibitum ſibi honorem ſummum, ſummo favore populum iſtum proſecutus eſt. *Agyrinæi* quaſi deum venerati ſunt ſacris, ac primi quidem, ſiqua fides *Diodoro*; quanquam apud *Dionyſium Arcades* præcedant & *Aborigines*. Ratam verò habuit venerationem hanc, annuáque ſacrificia ab iiſdem ſibi decreta, quòd ab ipſo numine ſignificari ſibi futuram immortalitatem quodam boüm prodigio crederet. In via enim petricoſa cùm ad urbem accederet, impreſſa tanquam in cera boüm veſtigia cernebantur. *Agyrinæis* ut gratias redderet, lacum iis ante urbem, (aquam, puto, deſiderantibus,) quatuor ſtadiorum ambitu, ſuóque nomine celebrem, effodit. Hîc *Geryoni* fanum ut Heroï conſecravit: & magnificum *Iolao* commilitoni ſuo templum, cultúmque anniverſarium, cum ludis gymnicis atque equeſtribus, conſtituit. Sed & comam *Iolao* ſacram alebant, magnificéque litantes offerebant. Quæ ſiquis fortè ſacra neglexerat, elinguis illico factus & penè exanimis, non antè convaleſcebat, quàm dato pignore voviſſet, ſacra ſe debita peracturum. Cùm in *Italiam* rediiſſet *Hercules*, *Crotonémque* cæſum per imprudentiam funere ſplendidóque monumento cohoneſtâſſet; prædixit accolis, oppidum aliquando clarum eo futurum eſſe in loco, quaſi majus monumentum, defuncti jam *Crotonis* nomine. Indè ſolvit in *Græciam*, armentúmque *Euryſtheo Mycenis* tradidit.

Abimelechus & Sichemitæ ſibi invicem inſidiantur, mortémque afferunt.

§ 36. Tyrannis *Abimelechi* quò magìs violenta, eò minùs diuturna. Tres tantùm annos in populum *Iſraëliticum* dominatus eſt; nec in eum fortaſſe totum. Ulteriùs non diſtulit pœnas Deus tot tantíſque facinoribus *Abimelechi* ſimul & *Sichemitarum* jam diu debitas. Eas verò mutuò ſibi, regem populúmque *Sichemiticum*, voluit infligere; nec minore odio à ſe invicem diffidere, quàm hactenus concordiâ in cædibus ſceleribúſque aliis conſpiraverant. Id enim *Jothami* diræ imprecatæ ſunt. Spiritus ergò malignus miſſus eſt, qui eos inter ſe committeret. Simultas

A.M. 2774.

multas orta jam pridem, animorúmque alienatio. *Sichemitæ* inprimis regi cœpe-runt malè machinari. In montibus poſitæ ſunt inſidiæ, quæ tranſeuntem fortè *Abimelechum* interciperent: quarum latrociniis viatores paſſim infeſtabantur. Sed & *Gaal Ebedi* filius, magnæ vir autoritatis, unà cum fratribus, *Sichemum* ſe contulit. Quorum ope, ac virium oſtentatione valde magnâ, plurimùm freti cives, in vineas prodiêre, quos antea metus intra muros continuerat: collectíſque uvis, vinum ſibi conficiebant, quo, in templo *Baalis*, ſumma cum hilaritate agitabant ex primitiis convivia publica. Regem verò diris atque convitiis omnibus inſectabantur. *Gaal* quoque, ut ſtimulos currentibus adderet, "*Quis tandem*, inquit, *Abimelechus* iſte, *ut* "*ei nos pareamus?* Fortuitúſne *Jerubbaalis filius*, *cum præfecto ſuo* Zebule, nobis om-"nibus imperabit? *Quin Hamori* potiùs ejúſque *liberis*, antiquis dominis, *obſequa-*"*mur*, quàm novis hiſce & nuper editis. Quòd ſi jugum *Sichemi* excuſſimus, mul-"tò minùs hæc *ſervitus à nobis erit toleranda. Utinam ego rebus* veſtris *præficerer*, "auſpiciíſque vos meis (*Sichemitæ* fortiſſimi) militaretis. *Næ ego Abimelechum* "iſtum facillimè *hinc abigerem* in malam rem. *Augeat* ergò *vires* quantum poteſt "tyrannus iſte, *copiáſque in aciem producat* ſuas. Sentiet quàm eum nihili, viréſque "ejus omnes, facturus ſim. Ità magnificè coram civibus jactabat ſe *Gaal*, abſen-témque *Abimelechum*, miniméque repugnantem, contemptim habuit. Nihil tamen horum omnium latebat regem. Nam præfectus urbis *Zebul*, cùm hæc audiret, at iracundiam profiteri aut palàm prodere non auderet, (dum eâ intus æſtuabat,) nunciis clandeſtinis regem monuit, *Arumæ* habitantem, adfuiſſe *Gaalem*, urbem defeciſ-ſe,& communiri. Faceret ergò ut adeſſet mediâ nocte cum exercitu, inſidias poneret, primo manè urbem ipſam oppugnaret, *Gaalem* denique cum civibus in aciem cam-póſque prodeuntem pro merito acciperet & caſtigaret. Sedulò exſecutus eſt quæ *Zebul* monuerat *Abimelechus*. In quatuor agmina partitus copias, diluculò ex in-ſidiis cum una manu militum ad urbem perrexit. *Gaal* interim cum ſuis erat ex urbe proditurus, (ſuadente, puto, *Zebule*, quò regiis ad pugnam inſtructis cives minùs paratos ad pugnandum objiceret:) ſed prudenter ſatis & cautè, antequam desereret urbis munimenta, & apertis dubiíſque ſe campis committeret, videtur in ſpeculam aſcendiſſe ad portam civitatis, omnia (quantum oculi proſpicere valebant) contemplaturus. Mox ex monte propinquo multitudinem deſcendere animadvertit. Cúmque *Zebuli* narraret quæ videtur ſibi vidiſſe; diſſimulavit ea vir prudens, quorum ſe autorem eſſe noverat, reſpondítque, "*umbras montium* ei imponere, atque *homines* "videri tantùm. Nè quid umbras metuat vir fortis. "Quid tu mihi umbras mon-"tium narras? inquit *Gaal*. *Ecce una per medios campos*, *altera verò manus per* "*Meonenim planitiem deſcendit.* "Deſcendit quidem, ait *Zebul*, ſed ut triumphum "tuum ornet utraque deſcendit.

"———*Ubi ſunt ingentia magni Verba viri?*

"*Hic eſt* ille *Abimelechus quem* tantopere *tu contemnis*; hæ miſellæ iſtæ copiæ quas "tu provocas in arenam. *Egredere*, *opponéque te hoſtibus*, nec patere certam ex ma-"nibus elabi victoriam. Pudore tandem expugnatus, prodiit in aciem cum *Sichemitis Gaal* dux. Sed facilè repulſi dedêre terga, cædente quàm plurimos, & ad portas uſque civitatis perſequente *Abimelecho*. Hâc regis victoriâ confirmatus, expulit *Zebul Gaalem Sichemo*.

———*Varium ac mutabile ſemper Vulgus.*

Quem non ità pridem lætantes triumphantéſque lautis conviviis exceperant, cui ſe tradiderant uni, quem ducem ſuis præfecerant copiis, ubi fortuna paululùm reflavit, exigunt, excludunt civitate. Cùm enim conſilia rerum non capiant, ab eventu, quicunque ſit is, temere de conſiliis judicium dant homines imperiti. Ejecto *Gaale*, placatum *Abimelechum* putabant, ut ab eo nihil ſibi jam eſſet mali metuendum. Itaque in agros libere ad obeunda ſua quiſque negotia prodibat. At tyranni non ità facilè obliviſcuntur injuriarum. Quò minùs imperio dignos nôrunt ſe, eò violentiùs retinent, proditionémque ulciſcuntur crudeliús. Haud ignorabat *Abimelechus* quid *Sichemi* ageretur. Cùm ergò poſtridie populus exiret in agros, exercitum ſuum rex in tria partitus agmina, duobus adoritur cives foris, ídque ſubitò ex inſidiis, magnámque ſtragem edidit. Tertia turma ipſam irruit urbem, totóque oppugnavit die; expugnatam denique diruit funditus, civéſque trucidavit omnes.

A.M. 2774. nes. Utque alios crudelitatis exemplo perterrefaceret, nè quid rerum novarum molirentur, in ſubactum aratro ſolum urbis pro ſemine ſalem ſparſit, quò infrugiferum redderet, ac in ſolitudinem redigeret. Interea civitatis principes, qui turrem occupaverant, cùm ei propugnaculo minùs fiderent, in arcem interiorem *Baali-Berith* ſacram ſe contulerunt; ſed & hanc ligneam. Verùm loci religio & numen *Baalis* firmiſſima videbantur præſidia. Nec erat tamen. Ubi hoc enim regi nunciatum eſt, cum exercitu protinus in montem *Zalmonem* atque ſylvam aſcendit; ubi plurimis ſecuribus juſſit arborum præcîdi ramos, mîliteſque ut id facerent quod facientem viderent ſe. Suſtulit ergò ramum in humeros rex, ſuſtulerunt & milites ſinguli ſingulos, quibus arcem ſuccenſam funditus deleverunt. Viri ſimul omnes atque mulieres, milleni ferè, combuſti perierunt. Adeò nihil aut illis profuit, aut ſibi, ligneus *Baal.* Hactenus *Jothami* diræ valuerunt. Ignem accendit *Abimelechus*, quo *Sichemitas* domúmque *Millo* ſuſtulit. Sed & ipſe ſublatus eſt igne *Sichemitico.* Propinqua *Thebets* urbs conſpiraverat cum *Sichemitis*, excuſſerátque jugum *Abimelechi.* Eò igitur cum exercitu profectus urbem facilè cepit. Populus enim univerſus in turrim confugerat, quæ in medio erat urbis firmiſſima. Dum properat ergò audaciùs rex, ut hujus etiam turris oſtio ignem ſubjiciat, accidit fortè, ut mulier à tecto fragmen dejiceret molæ, quo ejus pertudit ac perfregit calvariam. Ubi ſe moriturum ſenſit, transfodiendum pectus armigero ſponte præbuit, nè fœmineâ ignominiosè manu cæſus diceretur militaris vir. Adeò de fama in extremis opinionéque hominum, (quomodo ſolent impii,) magìs quàm de anima, de cœlo, de Deo, ſolicitus fuit. Viris enim, qui fortes haberi ſe volebant, probroſum id maximè ſemper viſum eſt, à muliere necari: ut poſt paucos annos *Herculi*;

O turpe fatum! (inquit) *fœmina Herculeæ necis Autor feretur.*

Duce mortuo, exercitus *Iſraëlitarum*, qui ejus militabant auſpiciis, repentè diſſipatus, ac in ſuam quiſque domum eſt dilapſus. Poſtquam de *Sichemitis* ſcelerum ſociis exegiſſet pœnas *Abimelechus*, etiam ſuas luit jam (quod *Jothamus* prædixerat) nefarius parricida, ut fraterni ſanguinis tandem aliquando importunus clamor conſileret. Poſt *Abimelechum Thola*, è tribu *Iſſacharis*, *Puæ* filius, patruelis *Abimelechi*, (*Pua* enim *Gideonis* uterinus frater,) præfectus eſt *Hebræis* à Deo, ut Judicem ageret, non Regem, & ab hoſtium injuriis vindicaret *Iſraëlitas.* *Samire* habitabat *Thola*, *Ephraïmitici* montis urbe; ubi & ſepultus eſt, poſtquam tres atque viginti annos judiciis præfuiſſet.

A.M. 2775. § 37. Undecima *Euryſthei* mandata in *Africam* pepulerunt *Herculem*, ut aurea indè raperet *Heſperidum* mala. Hortos *Heſperidum Strabo* (lib. 17.) locum ait *Ammoni* ſimilem fuiſſe, palmiferum & irriguum; imminere autem *Cyrenaïcæ* in *Africa* ad Meridiem. *Plinius* (lib. 5. 5.) ad urbem *Heſperidum* dictam in *Cyrenaïca* hortum hunc ſtatuit, quæ, ab *Ægyptia* regina, *Berenice* poſtmodum vocata eſt. Sed *Heſperidum* nympharum hæc, non civitatis, poma ſunt. Eæ verò *Atlantis* filiæ, vel *Heſperi* ejus fratris, habebantur apud Poëtas, *Ægle*, *Erythia*, *Veſta*, & *Arethuſa.* Ad oceanum *Atlanticum*, & urbem *Lixam* in *Mauritania*, tenuiſſe hortum fingebantur, fructuum aureorum feracem, & ſecurum à prædonibus immaniſſimi draconis cuſtodiâ. In vicinia erat *Antæi* opus & regia *Tingis.* *Neptuni Terræ*que filius, ingenti mole corporis, è genere gigantum *Antæus*, ſuffocabat hoſpites luctando. Nec enim proſtratus humi ſuperabatur, ſed à terra ſemper novis fortior viribus reſurgebat. In palæſtram ergò cùm deſcendiſſet *Hercules*, nè mater opem filio atque vires cadenti ſufficeret, ſublimem à terra ſuſtulit, eliſúmque ulnis interemit. Hîc vel maximè Mythologo eſt opus, & candido fabularum interprete. Nec enim *Hercules* ultra ſeptem pedes longus, ſexaginta cubitorum fuiſſe *Antæus*, traditur à *Gabinio* rerum *Romanarum* Scriptore. Aperto ſcilicet ejus apud *Tingin* ſepulchro, conſpicatum ibi *Sertorium* ait *Romanum* imperatorem oſſium compagem eâ quam dixi amplitudine. Nanus verò vix pedum ſeptem, ut 60 cubitorum gigantem ab humo ſublimem tolleret, quis crediderit hæc potuiſſe fieri? Meritò igitur *Gabinium*, ut fabularum prodigioſarum autorem, reprehendit *Strabo*, (lib. 17.) Sed maximi tamen corporis exſtare ſignum ait *Pomponius Mela* (lib. 1.) parmam elephantino tergore exſecto ingentem, ob magnitudinem nulli jam uſuro habilem; quam locorum accolæ ab *Antæo* geſtatam pro vero habent tradúntque, & indè eximiè colunt. *Solinus* (cap. 24.) & (in Chronico) *Euſebius* ità exponunt hanc de lucta fabulam: *Antæum* impli-

Undecimis *Euryſthei* mandatis *Heſperidum* poma rapit *Hercules.*

Antæum enecat.

candi

candi explicandíque nexus humi peritiſſimum fuiſſe habitum. *Herculem* verò, cùm nativis polleret viribus, non opus habuiſſe palæſtricâ illâ arte, luctandíque modis qui exercentur humi. In altum igitur, nè humum tangeret, ſublatum interfeciſſe. Hoc certamine perfunctus, & occiſo pervigili hortorum celebrium cuſtode, mala *Hercules*, quorum advenerat causâ, ſuſtulit. (*Apollod.* 2.) *Plinius* (5.3.) comites ait habuiſſe *Herculem Pharuſios Æthiopas* cùm ad *Heſperidas* tenderet. Sed lucta cum *Antæo Herculi* primo tribuitur ab *Euſebio*, paulò ante *Cecropis* ætatem; *Ægyptióne Herculi* an *Phœnici*, minimè conſtat. De *Buſiride Ægyptio* dictum eſt alibi, quem in hoc itinere ab *Hercule* interfectum aiunt. De *Cycno Martis* filio, quôcum pugnavit *Hercules*, opitulante patre *Cycno*, ac dirimente pugnam *Jove*; de *Nereo* vincto, donec monſtrâſſet ad *Heſperidas* viam; de *Tithoni* filio *Emathione*, quem in *Arabia* peremit, vel *Æthiopia*, (ut *Diodorus* habet;) de Aquila quam in *Caucaſo* confixit, *Prometheümque* liberavit, aliarúmque fabularum tædio, ſuperſedendum puto. Hanc autem de *Heſperidibus* ità *Palæphatus* interpretatur: *Heſperi* cujuſdam *Mileſii* filias oves habuiſſe pulcherrimas. *Græcis* enim non modò poma, ſed & oves quoque μῆλα vocantur. Paſtori nomen *Draco*. Oves paſtorémque ſimul *Herculi* prædam fuiſſe. At *Plinius*, (lib.5.1.) *Lixæ*, inquit, oppido *Mauritaniæ*, affunditur æſtuarium è mari, flexuoſo meatu; in quo Draconis cuſtodiæ inſtar fuiſſe nunc interpretantur. Amplectitur intra ſe inſulam, quam ſolam, è vicino tractu aliquantò excelſiore, non tamen æſtus maris inundat. Sed & hoc *Straboni* (ibid.) fabuloſum videtur. Exſtat in ea (inquit *Plinius*) & ara *Herculis*; nec, præter oleaſtros, aliud ex narrato illo aurifero nemore. In *Athenæo*, *Juba* citrum ait malum *Heſpericum* apud *Libyas* vocatum: indè in *Græciam* ab *Hercule* tranſlata poma, quæ à colore aurea, à loco in Occidente remotiſſimo ubi naſcebantur *Heſperica* vocabant, ſive *Heſperidum* mala. A.M. 2775.

§ 38. Nullum ferè jam in terrarum orbe monſtrum ſupererat, ferarum ferorúmve hominum, quod non perdomuerit *Hercules*. Cùm arte nullâ *Euryſtheus* quaſi aliud agens ad inferos poſſet hominem ſibi inviſum demittere, & exſilio dare, apertè imperióque ſibi dato à diis id agendum putavit. Poſtremò igitur edixit, ut *Cerberum*, tricipitem apud inferos canem, Soli ſibíque conſpiciendum produceret. Ad locum tam infauſtum profecturus, luſtrari priùs ac initiari voluit ſacris *Eleuſiniis*, quò ad *Proſerpinam* (puto) gratior accederet. Sed impediebant multa nè id fieret. Nec enim tempus aderat ea celebrandi ſacra: quinto enim quoque anno Initia peragebantur. Et vetuit myſteriorum lex, ea peregrinis communicari. Denique, à cæde *Centaurorum* (ut *Apollodorus* habet) nondum expiatus, nondum erat initiorum capax. Cùm autem *Herculi*, amico ſuo, benéque merito, negare *Athenienſes* nollent, adoptatus à *Pylio*, civitatéque donatus eſt, nè peregrinus haberetur; expiatus ab *Eumolpo*, ejus, opinor, tertio nominis, & *Muſæi* filio; ſacra poſtremò inſtituta nova & Minora, quæ *Agris* in *Attica* menſe *Antheſterione* quotannis deinceps erant celebranda: *Eleuſine* tantùm Majora, quinti cujuſque anni menſe *Boëdromione*; utraque in Autumno. (Scholiaſt. in *Homer. Iliad.* 7.) Aliqui tamen *Eleuſine*, aut in Demo *Melita*, non *Agris*, initiatum *Herculem* tradunt. Tum demum perrexit ad manes, ubi *Theſeüm* atque *Pirithoüm* vinctos reperit; qui *Herculem* conſpicati, protenſis manibus opem ejus implorabant. Cùm enim *Proſerpinam* à deo raptore denuo rapturi deſcendiſſent, capti ſunt. Ac *Theſeüm* liberaviſſe *Hercules* dicitur. *Pirithoüm* à *Cerbero* jampridem laceratum ac mortuum plerique tradunt. *Apollodorus* autem terræ motu impeditum ait *Herculem*, nè *Pirithoüm* ſolveret. Reliqui manes, præter *Meleagrum* & *Meduſam Gorgona*, conſpectu *Herculis* territi fugatíque ſunt. Impetrato à *Plutone Cerbero*, per *Trœzenem* rediiſſe dicitur, qui per *Tænarum Laconiæ* promontorium deſcenderat. *Euryſtheo* denique ubi oſtendiſſet canem, *Plutoni* reddidit. E ſpuma *Cerberi*, renitentis & reluctantis ad primum lucis inviſæ conſpectum, Aconitum herbam venenoſam genitam eſſe finxerunt; eò quòd *Aconis* in *Ponto*, ad urbem *Heracleam*, & in *Acheruſio* ſpecu, (quâ ad inferos etiam aditus patebat,) plurima naſceretur. A cautibus nacta & herba eſt nomen, ut ipſæ *Aconæ* videntur. Cautes enim Ἀκόναι *Græcis* dicuntur; ut *Ovidius*, (Metam. 7. fab. 22.) Cerberum edomat, Euryſthei juſſu duodecimo.

Quæ, quia naſcuntur durâ vivacia caute,
Agreſtes aconita vocant.———

Hanc de *Cerbero* fabulam interpretatur *Euſebius* de *Aidoneo* rege *Moloſſorum*, cujus uxor *Proſerpina* dicebatur. Ei canem fuiſſe ingentis ait magnitudinis, & immanitatis

A.M. 2775.

tis atque ferociæ; quem *Euryſtheüs*, ut credibile eſt, perduci *Mycenas* voluit. Nam robuſtiſſimi olim ferociſſimíque *Moloſſorum* canes habebantur. Et ſolutum vinculis ab *Aidoneo*, *Herculis* gratiâ, *Theſeüm* fuiſſe conſtat. Sed *Hecatæus Mileſius* (apud *Pauſaniam* in *Laconicis*) de ſpelunca in *Tænaro* promontorio, quæ pro templo habebatur, & per quam traductum ab inferis *Cerberum* plurimi narrant, ità refert: Immanem illic ſerpentem aliquando luſtrum habuiſſe; inferorum canem ex eo dictum, quòd (ut rabidi canes) morſu venenato ſi quem attigiſſet, morte repentinâ extingueret, demitterétque ad inferos. Hunc ab *Euryſtheo* expetitum, ab *Hercule Mycenas* perductum eſſe.

A.M. 2776.

Mandatis duodecim perfunctus,

§ 39. Apud *Græcos* agebantur fortè jam certamina *Iſthmica*; libérque aderat *Hercules*, ex oraculo perfunctus duodecim *Euryſtheï* mandatis. His ludis aderant *Actoris* etiam filii *Molionidæ*, *Eurytus Creatúſ*que, ſive ad ſpectandum, ſive cum ſacris ad litandum diis ab *Eleïs* miſſi. Indignè ferens *Hercules*, quòd *Augeæ* opitulantes contra ſe in acie ſtetiſſent, ex inſidiis adortus, (ut ferunt,) *Cleoniſ*que ſagittis uſus, nil opinantes interemit. *Cleonis* poſitum eſt mortuis eodem in loco monumentum. Cùm autem cædis autor lateret inprimis, ſummâ diligentiâ indagavit *Molione* mater; cognitâque demum re, ab *Argivis* *Eleï* (*Molionidarum* populares) ad pœnam *Herculem* depoſcunt. Id cùm eſſet negatum, à *Corinthiis* deinde contendunt, ut *Argivis* omnibus, pro violato ludorum jure, *Iſthmicorum* celebritate interdicant. Cùm nec id obtineri poſſet, diris exſecrata eſt *Eleos* omnes *Molione*, ſi qui unquam *Iſthmicis* deinde ludis intereſſent. Eo factum eſt, ut ab iis in poſterum certaminibus *Eleï* ſemper abſtinuerint. (*Pauſ. Eliac.* 1.)

Megaram conjugem ſuam dimittit; *Iolen* ambit.

De nova jam uxore liberíſque legitimis cœpit *Hercules* cogitare. Quippe *Megaram* ſibi dimittendam cenſuit, quòd auſpiciis parùm fauſtis nuptam crederet, interemptis à ſe filiis quos ex ea ſuſceperat. (*Pauſ. Phoc.*) Eam verò conjugem *Iolao*, *Iphiclis* gemelli ſui fratris filio, dedit. Ipſe *Iolen*, virginem pulcherrimam, *Euryti* filiam, ambiebat. Ejus connubium eâ lege proponebatur, ut proci ſagittando ipſum *Eurytum* filióſque, qui omnium peritiſſimi habebantur, ſuperarent. Superavit quidem *Hercules*, at victoriæ præmium nequaquam tulit. Suffragabatur ei *Iphitus*, maximus natu *Eurytidarum*; at reliqui filii unà cum patre pernegabant, veriti nè filios, ſi quos ex *Iole* tolleret, ut *Megaræ* filios, trucidaret. Verbis tamen amicis, nec ſine ſpe, dimittendum tantum procum exiſtimârunt. Et devorandam ſibi injuriam, (ad tempus ſaltem,) ultionémque differendam, putabat *Hercules*. Cùm *Alceſtes* nuptias peteret *Admetus*, qui regnabat in *Theſſalia*, (quò jam *Hercules* profectus eſt,) poſtulavit *Pelias*, ut à feris animalibus traheretur currus iſte quo erat uxorem *Pheras* traducturus. *Apollinis* factum id ferunt, ab apro & leone conjugatis. Cúmque lege fatali moriendum eſſet *Admeto*, impetratum à *Parcis* eſt, ut ſi parentes ejus aut uxor vicem ejus obituri eſſent, ipſe viveret *Admetus*. Recuſabant parentes, uxor præſtitit. Amoris tanti gratiâ, ad ſuperos mortuam remiſit *Proſerpina*; vel (ut alii fingunt) ipſe *Hercules* reduxit. Poſtremum hoc *Palæphatus* de vicaria morte interpretatur. Et *Plutarchus*, (in Erotico,) peritiâ quâ valebat rei medicæ, *Herculem* ait reddidiſſe tantùm non mortuæ ſanitatem; ídque *Admeti* unius gratiâ, quem amaſii loco habuit. Eámque ob cauſam *Clemens*, ex vetere Poëta neſcio quo, ſerviiſſe *Admeto Herculem Apollinémque* ſimul ſcribit. *Pheris* autem in *Theſſalia* redeunti jam *Herculi* occurrit in via *Iphitus*, *Euryti* filius, narrátque patris ſui boves ab *Autolyco* eſſe abactos; (ſi modò *Autolycum* hâc ætate ſuperſtitem fuiſſe credamus;) ſuſpicari ſuos fratres patrémque, *Hercule* id autore factum, ac propterea pertinaciùs *Iolen* negari. Petere igitur ſe, ut ſuam operam *Hercules* ad inveſtigandas boves conferat.

Iterum furens amicum *Iphitum* occidit.

Exorat *Iphitus*, promittit *Hercules* facturum ſe. Interim *Tirynthe Iphitus* ab *Hercule* hoſpitio excipitur. Accidit verò ut in furorem *Hercules* denuo incideret; quo agitatus, hoſpitem ſibi amiciſſimum de mœnibus præcipitatum interemit. (*Homer. Odyſſ.* 21.) Cùm ad ſe rediiſſet, nihil valuit dolere. Quod factum erat, infectum fieri non potuit. Sed expiari neceſſe fuit. Ea de cauſa *Neleüm* inprimis *Pyliorum* regem adiit in *Meſſenia*. Excluſus indè à rege filiiſque undecim, (abſente uno, vel diſſentiente, *Neſtore*,) quia vetus *Neleo* amicitia cum *Euryto* interceſſerat. Excluſus & *Spartâ* fuit. *Amyclas* indè ſe contulit, urbem *Laconicam*; ubi à *Deïphobo Hippolyti* filio à cæde luſtratus & abſolutus eſt. Alii à *Theſeo* ſcribunt probabiliùs. (*Apollod.* 2.) *Diodorus* ipſum *Herculem*, *Iole* negatâ repulſum ab *Euryto*, equos abegiſſe narrat, ad ulciſcendam injuriam; *Iphitum Tirynthem* veniſſe ut repeteret: eum, in excelſam per-

perductum turrem, cùm juſſiſſet contemplari *Hercules*, an paſcentes uſpiam cerneret, negarétque *Iphitus* videre ſe, præcipitem dediſſe, quòd ſe falſi criminis inſimulâſſet. *A.M.* Quanquam expiatus, pro more, gravi tamen morbo tantum facinus luiſſe dicitur. 2776. *Pythiam* ergò *Delphis* conſuluit de remedio. *Xenoclea* ſacerdos, tanto ſcelere pollutum, ſilentio condemnavit oraculo indignum. Cùm nihil reſponderetur, eſſétque jam tripode ſublato diſceſſurus *Hercules*, hunc illi vates extempore verſum edidit,

Ἄλλος ἄρ' Ἡρακλῆς Τιρύνθιος, οὐχὶ Κανωβεύς.

Nam & antè *Hercules Ægyptius* adveniſſe *Delphos* memoratur. Ubi vocem audivit, tripodem reddidit, quæque voluit ex *Pythia* didiciſſe *Pauſanias* refert, (in *Phoc.*) Atque hinc orta videtur *Herculis* de tripode apud Poëtas cum *Apolline* contentio & pugna, quam *Jupiter* fulmine diremit. Sortem verò ex tripode hanc tulit; Tum demum ei valetudinis ſpem morbíque finem fore, cùm juſto pretio venditus, ſervitutis barbaræ jugum ſuſtinuiſſet triennio; *Iphiti*que cædem redemiſſet ab *Euryto*. Valetudinis gratiâ, morbi pertinaciâ coactus, paruit oraculo. In *Aſiam* profectus, *Omphalæ* dominatui ſe venalem ſervum tradidit. *Jordanis* filia, vidua *Tmoli*, *Mæonibus* imperabat, qui & *Lydi* appellabantur, *Omphale*; quæ *Jardana Herodoto* vocatur. Servi *Herculis* pretium natis *Iphiti*, ad redimendam patris jacturam, perſolutum eſt. Aliqua etiam ſervus & æger facinora patravit in *Mæonia Hercules*. *Cercopas* latrones haud procul ab *Epheſo* cùm cepiſſet, *Omphalæ* vinctos tradidit. *Syleüm* in *Aulide*, qui viatores compulit vi ut in vinea ſua foderent, unà cum *Xenodice* filia, interfecit, vitéſque radicitus exſtirpavit. (*Apollod.* 2.) *Itones* deinde, qui *Omphalæ* regnum infeſtabant, extortâ prædâ, expugnatâque urbe quam incolebant, ſub jugum miſit. Admirata virtutem ejus regina, non modò liberum fecit, ſed & patrem. Nam ex ea *Lamon* ſuſtulit; *Laomedontem* vocat *Palæphatus*, *Agelaon Apollodorus*, unde regium *Crœſi* genus: ex conſerva priùs genito *Cleolao*, (*Diod. Sic.* 4.) quem *Alcæum* appellat *Herodotus*, (l. 1.)

Omphalæ dominatui ſe ſervum tradit.

Capy mortuo, ſucceſſit in regno *Dardaniæ Anchiſes* filius. Eum adamâſſe *Venus* ipſa dicitur, propter ſummam formæ dignitatem, (*Hygin.* Fab. 270.) & ab eo genitum *Æneam* peperiſſe. *A.M.* 2777.

Ammenemes Ægyptiis imperat ann. 5. poſt *Rameſen*; *Thuoris* ann. 6. poſt *Ammenemen*. 2779.

Sanitatem libertatémque ſimul poſt triennium adeptus *Hercules*, in *Arcadiam* venit, ubi quinquennio moratus eſt. Nec enim *Tirynthem*, puto, redire, perpetratæ cædis reus, per jura potuit. Tum demum ad ulciſcendas quas pertulerat hactenus injurias animum induxit. Ac primùm in *Laomedontem Trojanum* animadvertit, qui pactam *Heſiones* liberatæ causâ mercedem recusârat ſolvere. Exercitu coacto, cujus erant præcipui poſt *Herculem* duces, *Telamon Æaci*, & *Talaï Argivi* filius *Oicleüs*, *Melampodis* nepos, cum octodecim quinquaginta remorum navibus ad *Ilium* oppugnandum profectus eſt. De navibus tantùm ſex meminit apud *Homerum* (*Iliad.* 5.) *Tlepolemus*. Dum ad urbem *Hercules* properabat, in claſſem *Laomedon* rex impetum fecit. Sed à præſidio navium repulſus eſt, *Oicleo* tantùm cæſo qui præfuit: cujus tamen *Arcades* monumentum oſtentabant apud ſe. (*Pauſ. Arcad.*) Obſidetur deinde oppugnatúrque *Ilium*, ſcanduntur mœnia, primúſque ingreditur *Telamon*, ſequente *Hercule*: qui cùm urbis capiendæ ſibi gloriam præripi, vel ab amico, non ferret, ſtricto in *Telamonem* gladio erat facturus vim. At ille, ut declinaret periculum, protinus lapides in terra diſperſos colligere cœpit, & coacervare. Nova inopináque res tenuit ferientis manum, & percontantis, quid ea ſibi vellet lapidum ſtrues. Aram ait ſe *Telamon Herculi* eſſe *Callinico*, ſeu *Victori*, poſiturum. Generoſus animus ingenioſo commento facilè pacatus, iráque in laudem reſoluta eſt. Capto *Ilio*, cæſóque unà cum filiis *Laomedonte*, præter unum *Podarcen*, præmium *Telamoni*, ob rem præclariſſimè geſtam, *Heſione* data eſt regis filia; & *Heſionæ* datum eſt, ut ex captivis quem vellet redimeret. Ea fratrem ſuum *Podarcen* delegiſſe dicitur, pretiúmque libertatis, ſublatum à capite ſuo flammeum aureum, tradidiſſe. Indè *Priamum* appellatum ferunt, à πρίαμαι, quod eſt *Græcis*, *redimere*. *Heſione Telamoni Teucrum* peperit. (*Hyg.* Fab. 89. 90.) Redeuntis in *Græciam* claſſem *Herculis* tempeſtas fœda diſſipavit, ipſum verò in *Co* rejecit inſulam. *Coï* adeſſe prædones rati, à portu lapidibus quantum poterant arcebant. At *Hercules* fruſtrà prohibitus, magnâ vi exſcendit

Ad ſe rediens, injurias ulciſcitur ſibi illatas, à Laomedonte,

à Coïs,

dit in terram, regem cecîdit *Eurypylum*, *Aſtypalææ* filium, inſulam denique populatus eſt. A.M. 2779. Sed & ipſum à *Chalcodonte* fuiſſe vulneratum ferunt. Regnum *Trojanum* *Priamo Laomedontis* filio ab *Hercule* relictum eſt; qui annos videtur octo & quadraginta imperâſſe. *Diodorus* ait *Priamum* ob juſtitiam in ſolio fuiſſe paterno collocatum ab *Hercule*; quippe unum ſervandæ fidei autorem, patri adverſatum fratribúſque.

A.M. 2780. Reverſus in *Arcadiam Hercules* magnis copiis *Elidem* invaſit, ad exigendas de *Augea* pœnas; qui promiſsâ eum purgati ſtabuli mercede fraudaverat. Ex *Argivis*, *Thebanis* & *Arcadibus* conflavit exercitum. *Pylii* atque *Piſæi* auxilia hoſtibus tulerunt. ab *Augea.* *Augeas* veterum ſociorum, *Euryti Creati*que, deſtitutus ope, facilè ſuperatur, & (narrante *Apollodoro*) interficitur. Regnum *Phyleo* traditur, quem in exſilium *Augeas* pater *Herculis* causâ pepulerat. At *Pauſanias* (*Eliac.* 1.) *Phyleüm* ait tum captivos, cùm patris pœnam, condonaviſſe, verecundiâ quadam potiùs quàm ſponte; ac ipſum, relictâ patri *Elide*, in *Dulichium* rediviſſe. Tum & *Olympicum* ab *Hercule* inſtitutum certamen ferunt, poſitámque aram *Pelopi*, & majoribus duodecim diis. Magna civium pars in *Italiam* profugit, (*Epii* dicebantur,) & *Arcadibus Aboriginibúſ*que ad montem *Saturnium* permiſta, in eundem mox populum coaluit. (*Dionyſ. Halic.* lib. 2.) Cùm *Hercules* in *Olympia* rem divinam faceret, & multitudine muſcarum infeſtaretur, *Jovi Apomyo* ſacrificâſſe inprimis ferunt; illico muſcas facto agmine ultra fluvium *Alpheüm* avolâſſe. Eadem *Eleï* ſacra *Muſcarii Jovis* ſacris & certaminibus *Olympicis* præmittere ex eo tempore ſolebant. (*Pauſ.* Eliac. 1.)

A.M. 2782. Poſtquam *Elidem* profligâſſet, promovit caſtra adverſus *Pylios*, qui *Eleïs* inter pugnandum ſuppetias tulerant. *Pylóque* facilè expugnatâ, filios *Neleï* univerſos (inter quos *Periclymenum*, qui in varias formas, pendente prælio, mutatus fuerat,) ſolo *Neſtore* excepto, è medio ſuſtulit. Everſâ *Pylo*, arma convertit in *Lacedæmonem*, *Augen* comprimit, ex qua *Telephum* ſuſcipit. ut (ob *Oeoni* nefariam cædem) *Hippocöontem* ulciſceretur; regnúmque ejus *Tyndaro* (quem frater *Hippocöon* interemerat) tanquam depoſitum concrederet. Ceciderunt in ea pugna *Hippocöon* ipſe, unà cum decem filiis; de *Herculanis* verò, *Iphiclus*, & de 20 *Cepheï* filiis ſeptemdecim. Hinc divertens ad regem *Aleon*, *Augen* filiam compreſſit. *Aleos* puellam gravidam *Nauplio* tradidit demergendam: quæ in ſylvam abducta, infantémque enixa maſculum, ſub virgultis reliquit deliteſcentem. *Nauplius* verò *Caribus*, ex *Argolidis* portu in *Aſiam* ſolventibus, gratìs erogat puerperam, qui *Teuthranti Myſiæ* regi eandem vendunt. In monte *Parthenio* relictus infans expoſititius, & à *Corythi* regis paſtoribus, inter ſugendum cervæ ubera, repertus fortè, ad regem illico defertur, atque ab ipſo tanquam ſuus ſub *Telephi* nomine educatur. Adultus tandem hic puer, matrem ſuam *Teuthrantémque*, *Delphis* edoctus, inveſtigavit. Qui & filiam ſuam *Argionen* in uxorem illi donavit, conſtituítque ſibi ipſi in regno *Myſorum* ſucceſſorem.

Deïaniram ducit; Indè *Hercules Calydonem* (*Ætoliæ* urbem) concedens, *Deïaniram* uxorem duxit: quo tempore *Acheloüm* in alium alveum divertens fluvium, magnum fœcundi agri ſpatium hoc pacto vindicavit. Id quod fabulis Poëtarum materiam dedit, *Herculem* cum *Achelöo* in taurum converſo decertâſſe, eíque cornu [*Amalthææ*] detruncatum *Ætolis* dono dediſſe. Poſt hæc *Calydoniis* bellum *Theſprotis* inferentibus, auxilium præbens, *Ephyram* vi cepit, regémque *Phyleüm* interfecit; è cujus filia à ſe compreſſa *Tlepolemum* procreavit.

A.M. 2785. Exacto triennio ex quo *Deïaniram* thoro ſibi conjunxerat, *Eurynomum* puerum invitus condylo interficiens, mox deinde cum uxore & *Hyllo* parvulo exſulavit. In hoc itinere ad ripas *Eueni* fluminis accedens, *Centaurum Neſſum*, *Deïaniræ* ſtupro illaturum, ſagittâ trajecit venenatâ. *Neſſus* verò moriturus eidem *Deïaniræ* reliquit cui *Iolen* ſuperinducit. philtrum. Trajecto amne, ad *Cëycem Trachiniæ* regem ſe recepit; ſacrilegum *Phylantem*, regem *Dryopum*, (è cujus filia captiva *Antiochum* genuit,) obtruncavit; auxiliíſque *Melienſium Dryopas* omnes ejecit. Bellum deinde inter *Lapithas* & *Dorienſes* ortum eſt. Hi verò, *Hercule* adjuti, profligant illos; regionémque illam *Hercules*, tantùm ut παρακαταθήκην, *Ægimio* regi ſervandam tradidit. Dum *Trachinem* regreditur, *Cycnum Martis* filium ſingulari certamine ſuperavit. Mox in tranſitu *Pelaſgiotidis Hormenium* regem trucidavit; ejúſque filiâ *Aſtydamiâ* (quam *Hormenius Herculi* denegaverat) per vim bellicam potitus, *Cteſippum* filium ex ea genuit. Hinc progreſſus in *Oechaliam*, *Euryti* natos, (*Toxeüm*, *Molionem* & *Pytium*,) ob denegatam ſibi *Iolen*, ſuperavit atque occîdit. Captâ *Iole*, quam petierat in conjugium, ad *Eubææ* promontorium, *Cenæi* nomine inſignitum, iter ſuum inſtituit. Illic ſolenne

adornans

adornans ſacrum, *Trachinem* cum mandatis legavit *Licham* miniſtrum ſuum, ut induſium indè & tunicam (quibus in ſacris veſtiri pro more habuit) afferret. Ex quo *Deïanira* de amore *Ioles* certior eſt facta, ut præ illa à marito amaretur, interulam philtro (quod fuit oleum cum cruore *Centauri* mixtum, ínque perniciem comparatum,) inunxit penitùs. Hanc ignarus mali *Lichas* ad herum ſedulò deportat. Sed eâ *Hercules* indutus in morbum incidit ineluctabilem. Vipereum ſcilicet ſagittæ virus, in ſubuculam transfuſum, carnes toto mox corpore æſtu ſuo depaſcitur. Unde miſerrimis cruciatibus diſtrictus *Hercules*, exitialis rei miniſtrum continuò perimit; exercitúque ſtatim dimiſſo, *Trachinem* redit. Morbo jugiter ingraveſcente, *Iolaüm* & *Lycimnium Delphos* mittit de remedio *Apollinem* ſciſcitaturos. (Interea temporis *Deïnairam* eò flagitii conſcientia adigit, ut guttur ſibi laqueo frangendum cenſuit.) Reſponſum datur, cum apparatu bellico in montem *Oetam* deportandum eſſe *Herculem*, ibíque prægrandem ei pyram conſtruendam; cætera *Jovi* curæ fore. *Iolaüs* mandata exſecutus, quorſum res tendat in propinquo cum ſuis præſtolatur. Pyram *Hercules* conſcendit, adſtantiúmque unumquemque, ut rogum ſuccendat, exhortatur. Reliquis verò univerſis iſtud facere non auſis, ſolus tandem *Philoctetes* morem gerit. Atque in præmium miniſterii ſagittis & arcu remuneratus, pyræ ignem ſubjungit. Mox etiam & fulminibus de cœlo tacta exarſit, atque in cineres tota conſedit. Hinc amiciſſimus *Iolaüs* cùm oſſa cremati conquiſiturus nihil omnino inveniret, perſuaſio orta eſt deinceps, ex mortalium conſortio (prout oraculo proditum erat) ad deos *Herculem* emigrâſſe. Conſecrationis ergò ritibus ut Heroi peractis, & excitato ingenti tumulo, *Trachinem* indè redierunt. *Menœtius Actore* genitus, (cui cum *Hercule* amicitia interceſſerat,) horum exemplum imitatus, heroïcos ei cultus in civitate *Opuntiorum* quotannis inſtituit obeundos. Id imitatis etiam *Thebanis*, primi omnium *Athenienſes* ſacrificia tanquam deo fecerunt *Herculi*. Quo facto, primùm *Græcos* alios omnes, deinde cæteros orbis populos, utì *Herculem* pro numine venerarentur, induxerunt. Poſt hujuſmodi ἀποθέωσιν, *Juno* (*Jovis* ſuaſu) filium ſibi *Herculem* perhibetur adoptâſſe, atque maternâ complexa illum deinceps ſemper benevolentiâ. Adoptionem illam ferunt hoc pacto factam. *Juno* lectum ingreſſa, *Herculem* corpori ſuo admotum (ut verum partum imitaretur) ſubter veſtes ad terram demiſit. Quem ritum adoptionis *Diodori* uſque ad tempora ſervârunt barbari. *Heben* dein *Herculi* nuptum dediſſe fabulantur. Mortuorúmque in Hiſtoria manes ejus Poëta hiſce verbis introducit;

A.M. 2785.

Indè morbus,

mors, &

ἀποθέωσις.

——— αὐτὸς δ᾽ μετ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίαις, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

§ 40. *Hercule* ad cœlos ſic evecto, liberíſque ejus *Trachini* apud *Cëycem* regem relictis; *Euryſtheüs*, vir providus, *Cëyci* bellum inferre ſtatuit, quoniam *Heraclidas Arcadáſ*que è regno ſuo non expulerat. Hinc *Heraclidæ*, haud viribus pares, ex *Trachine* ultro profugi *Athenas* migrant; ibíque ſedes in *Tricorynthο* (*Tetrapoleos* parte) ſortiuntur. Brevi tempore interjecto, cùm *Herculis* ſoboles adoleviſſet, magnum *Euryſtheüs* in *Heraclidas* exercitum duxit. Illi verò, *Athenienſium* amicitiâ & ope confirmati, ſub *Iolaï*, *Hylli Theſei*que auſpiciis militantes, ipſum *Euryſtheüm* ejúſque filios ad unum omnes interfecerunt.

A.M. 2787.

Heraclidas perſecutus *Euryſtheüs* perit.

Eteocli convenerat cum *Polynice*, (quos ex ſua ipſius matre ignarus *Oedipus* generaverat,) utì populo *Thebano* alternis annis imperarent. Sed *Polynices* (quòd *Eteocles* ſe imperio abdicare, exacto anno, recuſâſſet,) auxilium contra fratrem ab *Adraſto* rege impetraturus, ſe *Argos* confert. *Adraſtus*, oraculo morem gerens, filiam *Argiam Polynici*, *Deïphilen Tydeo* uxorem dedit. Et *Polynicem*, jam generum, in regnum debitum reducturus, ad *Eteoclem Tydeüm* (qui quinquaginta inſidiatores unus & ſolus in hoc itinere interfecit) legatum miſit. *Eteocle* verò pactum uſque & uſque violante, *Adraſtus* in procuranda expeditioni neceſſaria incubuit totus. Atque ad belli ſocietatem unà ſecum ineundam *Capaneo*, *Hippomedonti* & *Parthenopæo*, ſuaſor ſimul & autor erat. Vati etiam *Amphiarao* ſuadere inſtitit *Polynices*. Is verò præſciens eo ſe bello interiturum, non eſt facilè ſuffragatus. Aureum ergò torquem *Polynices Amphiaraï* uxori obtulit, ut virum ad belli conſortium flecteret. Sub id tempus de regno diſceptantes *Amphiaraüs* & *Adraſtus*, ità inter ſe convenerant, ut arbitrium controverſiæ penes *Eriphylen* totum eſſet, quæ *Adraſti* quidem ſoror, *Amphiarao* conjux erat. Hæc & *Adraſto* victoriam adjudicat, & viro neceſſitatem contra *Thebanos* militandi. *Amphiaraüs*, utut ab uxore ſe pro-

Bellum *Thebanum* primum inter *Eteoclem* & *Polynicem*.

A.M. 2787. proditum videret, ad bellum *Thebis* inferendum in ſe recepit proficiſci. Ità tamen, ut *Alcmæoni* priùs dederit in mandatis, ut de *Eriphyle* matre ſua poſt interitum paternum vindictam ſumeret. Id quod fecit ſtatim *Alcmæon*, matrem *Eriphylen* interimendo. Cæterùm ſeptem prædicti duces ingenti cum exercitu *Thebas* petunt. Ibi mutuis vulneribus occumbunt fratres inimiciſſimi. *Capaneüs*, dum mœnia (admotis vi ſcalis) valde conatur ſuperare, mortem oppetit. Terrâ dein dehiſcente, *Amphiaraüs* unà cum curru à voragine abſorbetur. Denique alios quoque duces, præter unum *Adraſtum*, (qui *Argos* regreditur, relictis ſuis inſepultis,) ſæva hujus belli tempeſtas hauſit.

2790. *Thola* vixit, & mortuus eſt. § 41. Interfecto *Abimelecho*, *Thola* quidam, de tribu *Iſſachar*, ſive Dux ſive Judex totius populi *Iſraëlitici* ſuffectus eſt. Sed, per totum illud trium ſupra viginti annorum ſpatium, quid ab eo actum fuerit, Scripturæ Sacræ ſilentium agunt: dubio procul, quia nihil memoriâ dignum perpetravit.

2796. *Zeuxippus Sicyonis* rex; dein *Hippolytus*. § 42. *Phæſtus*, poſtquam octennium *Sicyoniis* imperaviſſet, in *Cretam* ſe recipiens, *Zeuxippo* regnum reliquit ſuum. Quo mortem oppetente, *Hippolytus Phæſti* nepos avitum regnum recuperat. Huic autem *Agamemnon* bellum intulit, (inquit *Pauſanias*,) viribúſque ſuis diffiſum non tam vicit, quàm recepit in deditionem.

SAMSON,

SAMSON,
SIVE
ANNALIUM MUNDI
Primi Tomi
LIBER NONUS;
Qui,
Ab anno primo *Jairi* Judicis ad ultimum *Samſonis*, annos exhibet 73.

§ 1. POST *Tholam* Judicem, *Jairus Manaſſides* ex *Gileade* duobus annis ſupra viginti eo munere perfunctus eſt. Vir ſanè nobiliſſimus, antiqui *Jairi*, qui *Gileadem* primus expugnavit, nepos pronepóſve. Idem triginta pater erat filiorum, qui mulis vecti more principum incedebant, & urbibus totidem præfecti ſunt. A.M. 2797. *Jairus* filiorum 30 pater.

§ 2. *Agamedes* & *Trophonius*, (quos *Erginus* valde ſenex ex uxore quadam adoleſcentula ſuſcepiſſet,) egregiam deorum templis regúmque aulis ædificandis navârunt operam. Ex quinque tantùm lapidibus *Apollini* fanum quod erat *Delphis* exſtruxiſſe perhibentur. Cùm ærarium *Hyriæo* erexiſſent, lapidem quendam in pariete ità affabre collocârunt, ut, quotieſcunque viſum eſſet, lapidem eum eximendo, quantum vellent pecuniarum clàm intrantes auferrent. *Hyriæus*, cùm & claves, & ſeras, & ſigilla, & quicquid erat repagulorum, illibata videret omnia, & theſaurum nihilominus quotidie minui, laqueos illico ſuper vaſis ubi pecuniæ reponebantur eo pacto diſpoſuit, ut nummos auferre ſatagentes in vinculis ſtatim tenerentur. Quapropter *Agamedi* ingreſſo, ſimul & irretito, caput præcîdit *Trophonius* frater; nimirum veritus nè quæſtio per cruciatus haberetur, ipſéque tanquam ſocius iſtius furti indicaretur. * Cujuſmodi hiſtoriolam *Ægyptii* (apud *Herodotum* l.2.) de ingentibus *Rhampſiniti* theſauris narrant. De morte fratrum in malo, *Agamedis* & *Trophonii*, aliter atque aliter ſcripſerunt Veteres. *Pindarus* eos ait ab *Apolline* mercedem ob templum *Delphis* ædificatum poſtulaviſſe; atque *Apollinem* reſpondiſſe, ſeptimâ eos die petitum præmium recepturos; juſſiſſe inſuper genio interea temporis indulgere. Imperata facientes ſeptimâ nocte exſpirâſſe. Eódem ferè redeunt quæ habentur apud *Plutarchum*, (de Conſolatione ad *Apollin.*) ut & apud *Ciceronem*, (*Tuſc.* 1.) *Pauſanias* verò refert, *Trophonium* in luco *Lebadeæ* hiatu terræ fuiſſe hauſtum; foveámque *Agamedis* eodem in loco extitiſſe. 2802. *Agamedes* & *Trophonius* in malo fratres, & in pœna. *Vide porrò Sect. 6. A.M. 2803.

§ 3. Poſtquam *Laodamas Thebanus* rex adoleviſſet, *Tydéi*que filius & *Polynicis*, novum *Argivi* exercitum contra *Thebas* conſcribendum ex oraculi conſulto cenſuerunt. Ducem *Pythia Alcmæonem* conſtituit, *Amphiarái* filium. Reliqui verò commilitones ſe dabant, eorum liberi qui bello priore occubuerant: (*Græci Epigonos* vocabant:) Bellum Thebanum ſecundum.

A.M. 2803. cabant:) *Ægialeüs Adraſti* ex *Demoanaſſa*; *Promachus Parthenopæi*; *Polynicis Therſander*, unà cum fratribus *Adraſto* & *Timea*; *Diomedes Tydeï*; *Capaneï Sthenelus*; *Hippomedontis Polydorus*, ex *Euanippe Elati* filia, ejuſdémque frater *Therſander*, cum *Amphilocho Alcmæonis* fratre; (*Hyg.* Fab. 71. *Pauſ. Corinth.*) & *Euryalus Meciſtheï*, quem *Apollodorus Eurypylum* appellat, & loco *Polydori* ſeptimum inter duces numerat. Nec *Argivi* modò, ſed & *Arcades* & *Meſſenii*, *Megarenſes* & *Corinthii*, ſigna *Epigonorum* ſecuti ſunt. Primò quidem detrectabat hanc militiam *Alcmæon*; donec *Therſander* matri ejus *Eriphylæ* peplum donaviſſet, (quem *Harmoniæ Venus* dederat,) ut filium ſuum ad hæc arma tardiorem incitaret & impelleret. Matris ergò & *Apollinis* authoritati ceſſit. Ducem ſe *Argivis* præbuit oppugnaturis *Thebas*, ut manes paternos ulciſceretur. (*Apollod.*) Ac inprimis finitimos *Thebis* vicos depopulantur. *Thebani*, opem laturi ſuis, ad oppidum *Gliſantem* ſe hoſtibus opponunt, duce *Laodamante*. Utrinque fortiter pugnatum eſt. Sed victi mox & effuſi fugâ *Thebani* in urbem ſe recipiunt. *Ægialeüs* tantùm *Adraſti* filius in eo prælio eſt amiſſus, à rege cæſus *Laodamante*. Propinqui ſublatum *Ægialeï* cadaver *Pagas* in agrum *Megarenſem* deportârunt. Monumentum illi heroïcum, quod *Ægialeüm* per multa deinde ſecula appellatum eſt, poſuerunt. (*Pauſ. Bœot.* & *Attic.*) Tanta erat clades cædéſque civium, ut *Tireſias* vates conſultus reſponderit,

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem,

ſed fugâ ſibi quàm primùm conſulere. Vati ſtatim obſequuntur; feciales de pace mittunt. Interim noctu ferè omnes elapſi, in *Tilphoſæum* (*Bœotiæ* urbem) maximam partem profugerunt. At *Laodamas*, cum ea manu quæ regis ſui maluit auſpicia ſequi, ad *Illyrios* uſque penetravit; quò *Cadmus* antea ſe contulerat. Multi ex his tamen, itineris tædio tam longinqui, in *Theſſaliam* divertêre, ubi *Homoloën* montem occupavêre, omnium in ea plaga fertiliſſimum. Primâ luce *Argivi* invadunt urbem atque diripiunt. Pauciſſimi cives aderant. *Daphnen* unà cum patre *Tireſia* captam tranſmisêre *Delphos*, quaſi prædæ primitias. Voverant enim, captis direptíſque *Thebis*, ſe *Apollini* præſtantiſſimam ſpoliorum partem donaturos. *Daphne* (quam *Manto* nonnulli appellârunt) divinandi artem callebat vel ipſo patre ſolertiùs. Qua in arte dum apud *Delphos* agebat profecit plurimùm. Ingenio ſummo, miróque artificio, multa ferunt oracula conſcripſiſſe; unde non pauca *Homerus* carmina mutuatus, ad ſui Poëmatis ornatum tranſtulit. Inter *Sibyllas* igitur à *Græcis* celebrata eſt olim. *Pythia* vates, nè ſuæ luci officeret *Daphne*, ac palmam ſibi in divinando præriperet, alibi & apud alios maluit eſſe quàm in *Græcia*. In coloniam ergò diſcedere unà cum reliquis captivis imperat. Senex vates ad *Haliartum* in via, *Delphos* iturus, obiit. Feſſus enim de via cùm ſitiret, de *Tilphuſio* fonte aquam avidiùs bibit, animámque protinus exhalavit. Ad ipſum igitur fontem ſepultus eſt. Plurimos eum ferunt vixiſſe annos; & ex viro fœminam aliquando factum, deinde poſt ſeptem annos in virum rediiſſe. Qualem ſexûs mutationem ſemel factam, exemplis plurimis docet *Plinius*, (Hiſt. nat. 7. 4.) & *A. Gellius*, (9. 4.) etſi, quando accidunt, pro diris atque prodigiis habeantur, aliena prorſus à legibus naturæ. Summâ ſapientiæ gloriâ videtur vivus inclaruiſſe, quem *Homerus* (*Odyſſ.* 10.) unicum apud inferos ſapientem eſſe dicit. In *Tilphoſæo Diodorus* narrat defunctum eſſet *Tireſiam*; ubi magnificè tumulatum ad divinos planè honores *Thebani* extulerunt. Ad *Argivos* ut redeam: in bello ſuperiore unus ducum ſupererat, hujus *Ægialeï* pater *Adraſtus*; reliqui omnes interierunt. Jam verò unus duntaxat ducum ſublatus eſt, feliciore bello, ejuſdem *Adraſti* filius qui evaſerat ſolus priore. Ità repetere videbatur à filio belli ſors, quod patri condonaverat. Pro patre vicariam vitam dediſſe, ait *Hyginus*, (Fab. 71.) Cùm per agrum *Megarenſem Adraſtus* copias ſuas reduceret, *Thebis* jam expugnatis, eum quoque ipſum apud ſe mortem obiiſſe narrabant *Megarenſes*, partim ſenectute, partim ob filii necem mœrore confectum: eidémque mortuo honores aliquos deferebant. *Sicyonii* certè, quibus antequam adeptus eſt regnum *Argivum* imperaverat, cùm aliis eum honoribus proſecuti ſunt, (monumento publico, feſtíſque diebus atque victimis,) tum choris quoque tragicis ejus infortunia defleverunt. (*Herodot.* l. 5.) Poſt *Adraſtum* & *Ægialeüm* patrem, *Cyanippus* regnavit *Argis*. Sed immaturâ ætate cùm eſſet, *Diomedes Tydeï* & *Euryalus Meciſtheï*, tutelâ pueri ſuſceptâ, regnum adminiſtrârunt. (*Pauſ. Corinth.*) Reliqui enim duces, militiâ ſuâ præclarè functi, ſpoliíſque onuſti, in patriam reverterunt; *Thebis* traditis *Therſandro*,

cujus

cujus causâ pugnaverant. In reditu ludos *Nemeos* inſtaurabant; ubi de curſu *Melanippus* palmam tulit. (*Pauſ. Phoc.*) *Thebani* qui ex fuga montem *Homoloën* occupaverant, invitati benignè à *Therſandro*, in patriam ſuam redierunt, & portam quâ *Thebas* ingreſſi ſunt *Homoloïdem*, à monte unde redierant, nuncupârunt. Qui *Tilphoſſæum* confugerant, in *Doridem* indè moverunt, victóſque prælio *Dorienſes* expulerunt patriâ. Multi *Thebas* redierunt *Creonte* rerum potiente, (utì habet *Diodorus Sic.*) vel potiùs *Tiſamene Therſandri* filio. Nam *Creon*, diverſarum cùm eſſet partium, maximéque infenſus *Argis*, aut in bello cecidiſſe, aut exſulâſſe, par eſt. Sed & ſuis ſedibus poſt annos aliquot receptis, *Dorienſes Erineüm Cytiniúm*que urbes incoluerunt. Captivi quos in coloniam deduci juſſit oraculum, in *Aſiam* tranſmittentes, ad *Claron* fortè appulerunt, agri *Colophonii* oppidum. Protinus occurrebant armati incolæ, à quibus ad regem deducti ſunt *Rhaſium*. Is enim ex *Creta* nuper advenerat, orámque maritimam occupârat, *Cariæ* partem. Cùm ex *Manto* didiciſſet quinam eſſent, & quam itineris haberent cauſam, reliquos in urbem facilè recepit, *Manto* ipſam in thorum. Ex qua *Mopſum* ſuſcepit filium, eundémque vatem, qui *Caras* poſtea omnes è ditionis ſuæ finibus ejecit. (*Pauſ. Achaïc.*) *A.M. 2833.*

§ 4. Proſperi ſucceſſus *Heraclidarum* ante annos decem armorum ſocios complures jam conciliârant, crevítque exercitus magnis auxiliorum copiis, *Dorienſium* præcipuè. *Hyllo* igitur duce, *Peloponneſum* erant invaſuri, ut paternam hæreditatem repeterent, à *Mycenæis* præcipuè, *Lacedæmoniis Meſſeniiſ*que. Sed oraculum priùs, ut in re graviſſima, erat conſulendum. Reſpondet *Pythia*, exſpectandum eſſe *Heraclidis* ad tertium uſque fructum. Annum tertium ſignificari putabat *Hyllus*; quo elapſo, magnis cum copiis in Iſthmum properabat *Corinthiacum*. (*Apollod.* l. 2.) Sed *Atreüs Mycenæus* rex, cùm *Tegeatas* alióſque ſibi commilitones adſciviſſet, in ipſis finibus *Megarenſium* properantibus occurrit. Fuſos *Heraclidas* ait *Pauſanias*, (in *Arcadicis*.) Congreſſuri jam erant exercitus, (narrante *Diodoro* l. 4.) cùm juvenili ferociâ exſultans *Hyllus*, ad ſingulare certamen provocat quemvis hoſtium, eâ lege, ut ſi vinceret, *Euryſthei* regno potiretur; ſin occumberet, per annos 50 (100 ait *Herodotus*, l. 9.) *Peloponneſo* abſtinerent *Heraclidæ*. Placet hoſtibus conditio. *Echemus Arcas*, rex *Tegeatarum*, *Atridarum* affinis, (*Timandram* enim duxerat, *Clytemneſtræ* atque *Helenæ* ſororem, *Apollod.* 3. *Pauſ. Arcad.*) in certamen deſcendit, *Hyllúm*que victum interemit, qui *Megaris* eſt ſepultus. (*Pauſ. Attic.*) *Antoninus* quidem *Liberalis* (Metam. 33.) *Heraclidas* ait ab *Euryſtheo* exactos ad *Demophöontem* fugiſſe *Theſei* filium longè poſt hæc tempora; aſſignatámque ſibi *Tetrapolin Atticæ* habitâſſe. Sed non ſatis commodè temporibus diviſa videntur hæc. Ex pacto igitur diſcedunt *Heraclidæ*, & ſe recipiunt *Tricorynthum*. Multos autem repetiiſſe ab *Ægimio* ferunt quam pater *Hercules* apud eum depoſuerat regionem: communes deinde cum *Dorienſibus* ſedes tenuiſſe. *Licymnium* tantùm, *Alcmenæ* fratrem, cum liberis, & *Tlepolemo Herculis* filio, *Argos* commigraviſſe, civibus ultro invitantibus. Accidit hîc fortè, ut in contentione quadam ludicra *Tlepolemus Licymnium*, avunculum magnum, interficeret. Aberrante baculo cecidiſſe ait *Apollodorus*, (l. 2.) quo ſervum ſuum erat percuſſurus. Quare *Argis* profugus in exſilium diſceſſit voluntarium. Ex oraculi autem reſponſo *Rhodum* ſe contulit; & quos potuit conciliare ſibi comites traduxit. Inſulam eam hoc tempore *Hellenes*, à *Triope Phorbantis* eò deducti, obtinebant. Omnes autem *Tlepolemo*, propter virtutis paternæ gloriam, ultro imperium inſulæ detulerunt; quod æquiſſimo jure moderatus eſt. *Alcmena Thebas* reverſa, fratre defuncto, cùm aut evanuiſſet, aut mortua eſſet, deæ inſtar à *Thebanis* culta eſt. (*Diod. Sic.* 4. & 5.) Qui tamen ſepulchrum ei nullum fuiſſe aiebant, quòd in lapidem converſa ſibi ipſi eſſet monumentum. (*Pauſ.* in *Bœot.*) De *Hyllo* diverſa eſt narratio *Apollodori*: (l. 2.) Poſt *Euryſtheüm* interfectum, rediiſſe *Heraclidas* in *Peloponneſum*, ac ſua omnia recepiſſe. Univerſam regionem eodem anno peſtem invaſiſſe, ex eo natam, (oraculo reſpondente,) quòd priùs *Heraclidæ* quàm liceret per fata rediiſſent. Relictâ igitur *Peloponneſo*, *Marathonem* eos commigraviſſe. *Hyllum* verò, poſtquam *Iolen* ex *Herculis* præcepto duxiſſet, genitis indè filiis nepotibúſque, demum de reditu in *Peloponneſum Apollinem* conſuluiſſe, & quæ diximus oraculum præcepiſſe. *Joſephus Scaliger* & *Chriſtoph. Helvicus* monomachiam *Hylli* 30 ſtatuunt annis poſt caſum *Ilii*, autorem præ ſe ferentes *Diodorum Siculum*. Ab eo verò nihil minùs dicitur, ſed ab iis colligitur malè. Volunt ſcilicet *Heraclidas* octogeſimo pòſt anno quàm expugnatum eſt *Ilium* rediiſſe. Hi ergò 50, ex lege duelli,

A.M. 2805.

Res *Heraclidarum* ſub *Hyllo* duce.

duelli, quos commemorat *Diodorus* anni ſi demantur, ſupereſſe credunt, ut trigeſimo A.M. 2805. poſt captam *Trojam* commiſſum hoc ſit prælium. Inepta ſanè argumentatio. Nec enim ſcribit *Diodorus*, poſt annos ab hoc pacto 50 rediiſſe *Heraclidas*; verùm per fœdus licuiſſe ut redirent, prohibitum priùs. Et elapſi erant anni fœderis 50 multò ante reditum, quem illi ſæpius tentaverant, ſed incaſſum, inquit *Euſebius*, (De Præp. Evang. l. 5. c. 20.) Nec potuit fieri, ut quæ ab *Echemo* patrata eſt pugna vivente præſentéque *Atreo*, utriſque mortuis jampridem ederetur. Quid, quòd *Tlepolemus* poſt *Hylli* cædem, *Licymnio* caſu interfecto, *Rhodi* exſulavit, ſed apud *Trojam* occubuit? *Troja* igitur *Hyllo* ſuperfuit.

Evandro mortuo, *Sarpedonis* primi filio, *Sarpedon* alter *Lyciæ* regnum ſuſcepit, anníſque imperavit 23. (*Diod. Sic.* l. 5. c. 15.) Ex *Evandro* & *Laodamia Bellerophontis* filia genitum ferunt. Quanquam *Homerus* & Poëtæ Jovem ei affingunt patrem. (*Apollod.* 3.

A.M. 2807. *Helenæ* proci, nuptiæque cum *Menelao.* § 5. Regi *Spartanorum* filii deerant *Tyndareo*. Unica domi filia reſtabat *Helena*, formæ ſpecioſiſſimæ, regníque hæres futura. Magno igitur ambitu nuptias ejus petivêre principes *Græciæ*; *Ulyſſes Ithacenſis*, *Diomedes Argivus*, *Antilochus Pylius*, *Agapenor Arcas*, *Sthenelus Argivus*, *Amphilochus* & *Thalpius* ex *Elide*, *Meges Dulichius*, *Amphilochus* alter *Argivus*, *Meneſtheüs Athenienſis*, *Polyxenus Eleüs*, *Peneleüs Theſſalus*, *Ajax Locrenſis*, *Aſcalaphus*, *Ialmenus*, *Elephenor*, *Eumelus*, *Polypotes Lapitha*, *Leonteüs*, *Podalyrius* & *Machaon* fratres *Meſſenii*, *Philoctetes*, *Eurypylus*, *Proteſilaüs*, *Menelaüs Atreï* filius *Mycenæus*, *Ajax* & *Teucer* fratres *Salaminii*, *Patroclus Phthius*, aliíque. Tantam conſpicatus procorum turbam *Tyndareüs*, pertimeſcere cœpit, nè ſi cui filia ſua uni in uxorem traderetur, offenſi reliqui turbas darent. Timebat etiam ab *Agamemnone*, nè is ægre ferret, ſi, repudiatâ *Clytemneſtrâ*, in *Helenam* regni ſpes traduceretur. (*Hygin.* Fab. 78.) Non dubia erat jam tum *Ulyſſis Ithaci* prudentia. Conſultus ille reſpondit, Si *Tyndareüs* polliceretur, operam ſuam daturum ſibi ad *Penelopen* adipiſcendam, fratris ſui *Icarii* filiam, rationem ſe demonſtraturum quâ pacatè hæc omnia tranſigerentur & ſine turba. Rege promittente, ſuaſit, ut procos univerſos jurisjurandi religione obſtringeret, poſtquam *Helena* maritum ſibi elegiſſet, reliquos pro virili opem ei laturos contra omnem vim injuriámque. Sanum hoc viſum eſt & ſalutare conſilium. (*Apollod.* 3.) Ferunt igitur *Tyndareüm*, equo mactato, ad ejus exta jurejurando procos obligâſſe, ut *Helenæ* omnes ejúſque conjugi (cuicunque id contingeret) auxilio forent, ſi quâ injuriâ laceſſerentur. (*Pauſ. Lacon.*) Equum deinde in eodem loco defodiſſe ubi jurati ſunt. Inſtituit denique, ut cuicunque filia ſua nubere vellet, (nam *Helenæ* arbitrio permiſſa res eſt,) ejus capiti coronam imponeret. (*Hygin.* Fab. 78.) *Menelaüm* ſibi ſponſum elegit *Helena*, *Agamemnonis* fratrem, qui ſororem *Helenæ* jampridem duxerat *Clytemneſtram*, ſed *Thyeſtis* filio *Tantalo* priùs deſponſatam. (*Pauſ. Corinth.* & *Attic.*) Filiam ex his nuptiis *Hermionen* genuit *Menelaüs*, & (quemadmodum nonnulli tradunt) *Nicoſtratum* quoque marem. Æquiùs tulit *Agamemnon*, alienatam à ſe regni *Spartani* ſpem, quòd in ſuum ipſius fratrem collatam cerneret.

Alcathoüs Megarenſium rex cùm fatum ſuum obiiſſet, *Ajax Telamonis*, ex filia ejus *Peribœa* nepos, ſucceſſit in imperio. Heroüm *Alcathöo* poſitum eſt; ſed & feſtum illi à *Megarenſibus* dicatum eſt. *Ajax*, pugnax magis quàm prudens, *Marti* plus quàm *Mercurio* debuit.

Poſt *Deucalionem* patrem ſuum, *Idomeneüs* in *Creta* dominatus eſt.

A.M. 2808. De *Proteo* agitur & *Rhampſiniti* ærario, & notabili furis ingenioſiſſimi mercede. § 6. His temporibus Dynaſtia *Ægyptiorum* incepit vigeſima, regúmque *Dioſpolitarum* 12, quorum nomina deſiderantur: annorum verò ſumma à *Julio Africano* ex tertio *Manethonis* Tomo traditur. Ex his videtur fuiſſe *Ceteüs*, (*Græci Proteüm* appellabant,) & primus quidem ex his; qui, obſcuro loco natus, poſtquam per ætates quinque vacâſſet regnum, ad imperium eſt deſignatus. In ejus ætatem incidiſſe *Trojanas* res *Diodorus* tradit, & memorabant olim *Ægyptii*. Ex aſſidua cum Aſtrologis conſuetudine, arcanorum omnium peritiſſimus evaſit quæ ad ventos attinent. Idem in capite cùm leonis, draconis, aliúſve animantis aut rei effigiem gerere ſoleret, quaſi inſigne principatûs; *Græci* ex eo ſunt fabulati, illum quendam fuiſſe deum qui ventorum ſcientiâ præſtaret, & in formas quaſlibet ſe mutaret. Ritum hunc *Diodorus* ait omnibus fuiſſe communem regibus *Ægyptiorum*, exornandi ſe variis & innumeris rebus, ut ſtuporem aliis & reverentiam injicerent. At ſi id omnibus erat in more poſitum, cur *Proteo* magis tribuitur quàm aliis regibus? Ex numero il-

lo

lo regum obſcurorum, quos dixi, duodeno, credibile eſt fuiſſe *Rhemphin* quoque, (*Rhampſinitum* vocat *Herodotus*, l.2.) *Protei* filium, & ſeptem alios (quos etiam habet *Diodorus*) ignavos reges, ac nullius præterea nominis. *Rhampſinitus* ille ſe totum opibus avariſſimè cumulandis dedit, adeò ut auri argentíque talenta quadringenties mille coëgerit. Sed avaris de pecunia aſſervanda non eſt minor ſolicitudo, quàm de congerenda. Ærarium ergò lapideum, idémque munitiſſimum, ædificari ſibi voluit, ubi tutum à furibus theſaurum reponeret. Faber callidus, nè tantæ divitiæ uni tantùm prodeſſent, ſed ut ſuos etiam participes faceret regiæ gazæ, quanquam alios excluderet, è lapidibus unum ità inſeruit ſolutum, ut eum facilè cùm voluit tollere poſſet, ſibíque aditum patefacere in ærarium. Deinde moriturus filios duos monuit hac de re: cúmque locum, & menſuram lapidis, & quomodo eſſet amovendus, docuiſſet, ea ſi obſervarent, fore dixit ut pecuniis abundarent, ærarii regii tanquam quæſtores. Patre mortuo, filii divitiarum avidi noctu ad locum ſibi monſtratum accedunt, facilè repertum lapidem loco movent, quantúmque libuit auferunt pecuniæ. Cùm id ſæpius feciſſent, viderétque imminutam ſibi pecuniam rex, obſeratâ domo ſalvíſque ſignis, quem peculatûs inſimularet nullus habuit. Cùm nullum ſuffurandi finem facerent, laqueos ad vaſa nummorum rex adhibuit, quibus capti nullo modo expediri poſſent. Ità fratrum alter, nihil doli ſuſpicatus, captus eſt: cúmque nulla eſſet elabendi aut ratio aut ſpes, caput ſibi amputari, auferríque veſtes juſſit, nè agnitus ipſe & ſuos proderet. Ità furem deprehendit quidem rex, ſed quem deprehendiſſet ignorabat. Socios habuiſſe, ablatum caput indicabat. Eos etiam ut dolo caperet, truncum furis à muro ſuſpendi juſſit, adhibitis cuſtodibus, ut ſi quem plorantem miſerantémve animadvertiſſent, ad ſe perducerent. Non tulit mater tam indignè tractari filii ſui cadaver. Fratri ergò minata eſt, niſi fratrem à muro tolleret, omnia ſe regi prodituram. Ille, metu ingenioſior, aſinos vino onuſtos quaſi fortè eò agitans, utre uno & altero de induſtria ſoluto, ità callidè rem geſſit, ut, cuſtodibus vino ſomnóque ſepultis, corpus fraternum abſtulerit. *Rhampſinitus*, quò fur aſtutior, eò avidior cognoſcendi, magìs fœdam quàm credibilem rem inſtituit. Filiam ſcilicet proſtituit ſuam, exquirere juſſam à ſingulis mercedis loco, quid in vita ſolertiſſimum ac ſceleſtiſſimum ſimul feciſſent. Qui de furtis his narraret, eum prehenderet & detineret. Commentum regis callidum cùm didiciſſet fur callidior, ſuâ fretus aſtutiâ, huic etiam periculo ſe objecit. Ad regis filiam acceſſit; ſed & brachium hominis nuper mortui ſub pallio clàm geſſit. Interrogatus de factis ſuis, profeſſus eſt, ſceleſtiſſimum ſe perpetrâſſe, quòd fratris caput amputâſſet; ſolertiſſimum verò, quòd ejuſdem à tot cuſtodibus cadaver ignotus abſtuliſſet. Fœminæ, cùm hæc audiret, manum injicienti, manum mortuam porrexit; quam illa dum tenaciùs comprehendit, ille per tenebras elapſus eſt. Demiratus hominis ingenium rex, tum denique publico edicto excivit ac vocavit ad ſe; non modò incolumitatem, ſed & tantâ ſolertiâ dignam pollicitus mercedem. Publicâ fide ubi fur prodîſſet, filiam ei ſuam collocavit rex ipſe, quaſi hominum omnium ingenioſiſſimo, tantò *Ægyptiis* præſtantiori, quantò reliquis mortalibus *Ægyptii* forent. De *Rhampſinito* etiam prodit *Herodotus*, eum ad inferos vivum deſcendiſſe; ibi cum *Cerere* (*Cererem* & *Liberum* præficiebant inferis *Ægyptii*) luſiſſe aleâ; aliquando victum, aliquando victorem, à dea dono mantile aureum reportâſſe. Id fortaſſe volebant hâc fabulâ, ex agriculturæ quadam dubia atque ancipiti ratione magnos eum auri acervos cumulâſſe.

A.M. 2808.

§ 7. *Tyndareo* defuncto, *Helenæ* conjux *Menelaüs* regnum *Spartanum* adeptus eſt, annîſque tenuit 31. — A.M. 2809.

Reverſus in patriam *Alcmæon*, & paterni de matre mandati memor, eandem & peplum audivit accepiſſe, ut filium quoque ſe in eandem proderet militiam. Quare, furiis quibuſdam incitatus, non dubitavit ei necem inferre, à qua ipſe vitam acceperat;

Alcmæon matrem occîdit ſuam, impiè pius adverſus patrem.

> ———*ultúſque parente parentem*
> *Natus, erat facto pius & ſceleratus eodem.* (*Ovid.* Met. 9. fab. 10.)

Ac parricidas ferè omnes agitari furiis Poëtæ veteres tradebant. Nec enim quenquam ſanæ mentis concipere poſſe tantum ſcelus, nedum animo eſſe quieto perpetrati jam conſcium exiſtimabant. Credibiléque ſatìs videtur, mente captum fuiſſe *Alcmæonem* cædis maternæ reum. Conſtat quidem exſulaviſſe: & in *Arcadiam* primò ad

A.M. 2809.

ad *Oicleüm* ſe recepiſſe tradit *Apollodorus*; indè mox *Pſophidem*, quæ tunc temporis *Phegia* dicebatur, ad *Phegeüm* commeâſſe. Ab eo luſtratus filiam ejus *Arſinoën* (*Alpheſibœam Pauſanias* vocat) conjugem duxit; nuptámque novam *Harmoniæ* monili atque peplo donavit. Cùm autem ejus causâ frugum inopiâ ſummâ faméque laboraretur, vel, (ut habet *Pauſanias* in *Arcadicis*,) cùm inſaniæ morbus ſubindè recurreret, *Apolline Delphis* conſulto, in terram recentiſſimam migrare juſſus eſt, quam mare poſt illud tempus edidiſſet quo matris cædem perpetrâſſet; nec enim uſque eò ultorem genium materni ſanguinis conſecuturum. *Calydonem* igitur profectus primò, *Oeneï* hoſpitio uſus eſt. Indè *Theſprotos* adiit, qui à ſuis illum finibus repulerunt. Tandem ad fluvium accedit *Acheloüm*; ubi terram recenti fluminis alluvione congeſtam nactus, ſuum poſuit domicilium. Sed & novam illic ſibi conjugem accepit, *Acheloï* filiam (ut ferebant *Acarnanes*) *Callirrhoën*. Ex ea genuit *Acarnana*, qui genti ad eam Continentis oram nomen dedit; ut qui *Curetes* vocabantur priùs, *Acarnanes* dicerentur. Scribit *Ephorus*, poſt *Thebas* expugnatas *Alcmæonem* cum *Diomede* ſocietatem belli iniiſſe, *Oeneïque* ultum inimicos, *Ætoliam* ſubegiſſe & *Acarnaniam*. Illam *Diomedi* tradidiſſe, hanc ipſum tenuiſſe. Interim *Agamemnonem Argivos* adortum victoriam facilem obtinuiſſe, eò quòd plurimi cum *Diomede* in longinquam militiam profecti eſſent. At mox bellum in *Trojanos* ſuſcepturum *Agamemnonem*, veritum nè *Diomedes* & *Alcmæon* (alter *Adraſti* hæres, alter *Amphiaraï*,) *Argivam* ſibi abſenti ditionem eriperent, utrumque ad *Argos* recipiendum, bellíque novi ſocietatem, invitâſſe. Ac veniſſe quidem *Diomedes* dicitur, *Alcmæon* reſpuiſſe. Nulli proinde *Acarnanes Trojanis* rebus interfuêre. Quo merito *Acarnanes*, poſt multa ſecula, à *Romanis* callidè obtinuerunt legibus patriis jus liberum utendi, quòd nulla ipſi, *Græcorum* ſoli, contra majores *Romanorum* tuliſſent arma. (*Strabo* l. 10.) Ac *Diomedem* certè conſtat, ſive capto jam *Ilio*, (ut vult *Hyginus*,) ſive antequam eò profectus eſt, quod potiùs credo, (*Sthenelo* aut *Alcmæone* armorum ſocio adhibito,) *Ætoliam* invaſiſſe. Eò clàm profectum eſſe, *Apollodorus* eſt autor. *Agrii* enim ſex filii *Oeneüm Diomedis* avum regno dicuntur expuliſſe, & in vincula conjectum flagris turpiter cecîdiſſe. *Calydoniis* patrem ſuum præfecerant. Reliquos ergò *Agrii* filios, præter *Oncheſtum* atque *Therſippum*, (qui profugerant in *Peloponneſum*,) ſuſtulit *Diomedes*, avum reſtituit. Sed cùm *Oeneüs* jam ſenio confectus eſſet, regnum ejus genero *Andræmoni* tradidit *Diomedes*, avum voluit apud ſe vivere in *Peloponneſo*. At ſenem *Argos* proficiſcentem *Therſippus* & *Oncheſtus*, inſidiis poſitis in *Arcadia*, occîderunt. Sublatum avi corpus à nepote in vico ſepultum eſt cui nomen ab eo *Oenoë* datum eſt. (*Apollod.* l. 1. *Pauſ. Cor.*)

Ab uxore nova proditus, à priore occiditur.

Callirrhoë, *Alcmæonis* uxor nova, (ut exſtimulant ſæpe fœminas acriores cupiditatum aculei,) monilis fatalis potiundi & pepli vehemente flagrabat deſiderio. *Alcmæonem* ergò vel invitum ut *Phegiam* iret impulit, moniléque ab *Alpheſibœa* & peplum repeteret: ſui corporis ei copiam non aliâ lege facturam ſe minabatur. Obſecundavit ille quidem uxoris novæ libidini. Interea veteris repudium ſuâ morte meritò luit. Simulavit enim, vaticinio aliquo fuiſſe renunciatum, à furore tum demum liberatum iri ſe, cùm peplum *Eriphyles* & monile *Apollini Delphico* dedicâſſet. Hoc inprimis *Phegeüs* credidit, dónaque tradidit fatalia. Sed ex famulo poſtquam didiciſſet ea *Callirrhoæ* parari, filiis imperavit, *Temeno* & *Axioni*, ut nece impoſtoris fraudem ulciſcerentur. Quod illi mandatum crudeliter ſatis ſunt exſecuti; & ſororem ſuam *Arſinoën*, fratrum hanc ſævitiam increpantem, concludunt in arca, *Tegeámque* traducunt ad *Agapenorem*, ab *Alcmæone* fuiſſe interfectam mentientes. Hæc *Apollodorus*, aliáque minùs credibilia. *Euripides* narrat, *Alcmæonem* per inſaniæ tempora ex *Manto Tireſiæ* filia liberos ſuſcepiſſe, *Amphilochum* marem, & ſexûs fœminei *Tiſiphonen*, aliáque addit multa, libertate fingendi planè poëticâ. Peplum & monile *Delphis* conſecrâſſe *Phegeï* filios, *Pauſanias* aſſerit, (in *Arcadicis*;) *Phocenſium* poſtea tyrannos, ſpoliato templo, abſtuliſſe. At *Alcmæonis* filius *Clytius* ex *Alpheſibœa*, cùm avunculos ſciret paternæ cædis autores eſſe, non putavit ſibi ulteriùs *Phegiæ* permanendum; ſed *Elin* migrans, ibi penates deinceps ſuos collocavit. (*Pauſ. Eliac.* 2.)

A.M. 2810.

Paris, à patre expoſitus, in patriæ ruinam ſervatur.

§ 8. In *Ilio* jam regnabat *Podarces*, cognomento *Priamus*, qui *Meropis* filiam *Ariſbam* duxit, (*Alixithoën* vocat *Ovidius*, Metam. 11. fab. 11.) & pro pellice potiùs habuit quàm uxore. *Aſteropen* ei nuptam ferunt, quam tanto amore vivam, luctúque mortuam eſt proſecutus, ut in mergum fingatur mutatus avem. Interea *Hyr-*

taco

taco Priamus Arisbam in matrimonium collocavit; *Hecubam* ipſe, *Dymantis* filiam, ſibi conjunxit, quæ *Hectorem* illi primum peperit. Filio ſecundo gravida, in ſomnis viſa eſt videre ardentem facem, quâ totum eſt incenſum *Ilium*, & conflagravit. Quo audito, *Æſacum Priamus* rure ad ſe arceſſi filium jubet, qui ſomniorum interpretationem ex avo *Merope* didicerat. Is puerum de quo ſomniatum eſt feris monuit projiciendum, quippe rebus *Trojanis* exitio futurum. *Priamus* ergò, ut primùm eſt natus, exponi jubet. *Agelao* traditur, ſive *Archelao*, ex famulis uni, à quo in montem delatus *Idam*, præda feris relictus eſt. At feræ infanti præbent, non ab eo capiunt alimentum. Quinque ſimul dies ab urſa nutritum ferunt. *A.M. 2810.*

Turpe erat, ingenium mitius eſſe feris,

quàm hominibus in hominem. Puerum igitur ità nutritum & incolumem adhuc nactus poſt tot dies *Agelaüs*, (aut alius paſtor quis, ut vult *Hyginus* Fab. 91.) tanquam ſuum educavit, *Paridém*que voluit appellari. Hic, cùm adoleviſſet, tum ſpecie corporis tum robore longè omnibus præſtabat, gregibúſque contra latrones magno erat præſidio; unde ab ope opportuna quam paſtoribus ferebat *Alexander* eſt cognominatus. *Oenonen* ſibi matrimonio ruſticus adhuc copulavit, *Andromachen Hector.* Plures verò liberos *Hecuba* tulit, *Deïphobum*, *Helenum* vatem, *Pammonem*, *Politem*, *Antiphum*, *Hipponoüm*, *Polydorum*, *Troïlum*, qui ex *Apolline* natus fingitur. Filias quoque *Creüſam*, *Laodicen*, *Polyxenam* peperit, & *Caſſandram*. Huic à *Phœbo* vaticinandi data vis, concubitûs promiſſi præmium. Sed fides adempta eſt, nè quis veriſſima dicenti crederet: quod promiſſi erat non præſtiti pœna. Sed & alii *Priamo* ex aliis mulieribus erant, numero cuncti quinquaginta & quatuor. *Hyginus* refert, (Fab. 91. & 273.) *Priamum* filio *Paridi* expoſito (ac defuncto, ut credidit,) Cenotaphium poſuiſſe, ludóſque inſtituiſſe gymnicos. Cúmque *Alexandro* jam adulto taurus requireretur, quod erat futurum victoris præmium, ſatellites regii *Paridis* taurum, quem in deliciis maximè habuit, ad regem erant abducturi. Ille, nè amitteret quem tanti æſtimabat bovem, comitatus eſt, ac in curſûs certamen funebre deſcendit ipſe; ut eo, ſi fieri poſſet, victoriæ ſuæ præmio frueretur. Deſcenderunt ſimul *Neſtor Neleï* filius, (qui videtur tamen antiquior, *Trojaniſ*que ignotior, quàm ut hiſce certaminibus intereſſe potuerit,) *Helenus*, *Deïphobus*, & *Polites Priami*, *Telephus Herculis*, *Cycnus Neptuni*, & *Sarpedon Jovis*. Victor *Páris* renunciatus, non taurum ſolummodo recepit, ſed & veros mox parentes reperit, *Caſſandrâ* indicante fatidicâ ſorore.

Venerem Junoni præfert & Minervæ.

Fingunt Poëtæ, in *Peleï* cum *Thetide* nuptiis, omnes deos adfuiſſe: *Eridem*, ſive Diſcordiam, utut non vocatam, (quippe quæ amori conjugali adverſaretur,) veniſſe tamen; ſed excluſam, aureo pomo in medium projecto, cui [*Detur pulchriori*] inſcriptum erat, magnam inter deas de formæ præſtantia contentionem excitâſſe; inter *Junonem* præcipuè, *Palladem*, *Venerém*que. Judice opus erat. *Mercurium* itaque *Jupiter* ad *Paridem*, vel in *Antandro* vel in *Idæ* monte, excellentiæ præmium deferre jubet; *Paridem* verò ſtatuere de dearum pulchritudine. *Venus* formoſiſſimæ omnium fœminæ amorem ei conciliaturum ſe pollicetur. Quod ille, homo voluptuarius, virtuti prætulit, *Venerém*que pulcherrimam pronunciavit. Hoc, puto, volebant ſibi Fabulatores priſci, potuiſſe *Paridem* quieto frui & ſecuro dominatu, integrâ etiam probitate, juſtitiâ, caſtitate & prudentiâ; maluiſſe tamen renunciare virtutibus, regnúmque in extremum diſcrimen vocare, ut fœminæ laſcivæ adulterio potiretur.

Helenam ſuffuratur.

Latrocinari ſtrenuè, ac prædas abigere ex agro alieno, glorioſum habebatur in eo ſeculo, ſummæque fortitudinis laude dignum. Ac ſcelera ſua prædones impunè ſæpius tulerunt. Prædas verò pretioſiſſimas habebant fœminas pulchritudinis nomine celebratas. *Europam Cretes*, *Io Ægyptii* rapuerunt, *Meduſam Perſeüs*. Idem ſibi *Paris* cùm licere non minùs impunè crederet, *Helenam Spartanam*, *Menelaï* conjugem, formæque inſignis fœminam, ut furtim abduceret, *Lacedæmonem* cum claſſe profectus eſt, nemine ſuorum id probante, ut ipſe apud *Ovidium* de ſe fatetur. At homo perditæ nequitiæ diſcrimen publicæ rei poſthabuit ſuæ libidini; tempúſque nactus opportunum, (abſente nimirum *Menelao* in *Creta*,) *Helenam*, unáque (ut *Hyginus* habet Fab. 92.) *Theſeï* matrem, & *Phiſadien*, vel *Thiſadien*, *Pirithoï* ſororem, cum ingenti opum vi, abduxit *Ilium*.

Mene-

A.M. 2811.

Indè *Trojanis* illatum bellum.

Menelaüs cùm domum rediiſſet, cognoviſsétque de raptu conjugis, magnâ vociferatione apud reliquos *Græciæ* principes conqueri cœpit: *Agamemnonem* præcipuè fratrem, & *Helenæ* procos appellavit, religione obſtrictos jampridem, contra omnem vim injuriámque *Menelao* ſe non defuturos. *Agamemnon* autem apud pleroſque ſui terrore nominis plùs valuit, quàm ſumma jurisjurandi religio. Tantis enim pollebat viribus terrâ maríque, ut ejus voluntati nemo eſſet auſus repugnare. (*Thucyd.* lib. 1.) *Calchantem*, celeberrimum eo tempore vatem, ut ad belli ſocietatem duceret, *Agamemnonem* ipſum ad veniſſe *Megara*, prædicabant cives, ubi templum *Dianæ* poſuit. (*Pauſ. Attic.*) *Calchas Theſtoris* habebatur filius, nepos *Idmonis*, *Abantis* pronepos nati *Melampode*. De *Theſtore Hyginus* (Fab. 190.) narrat hanc, quales habet plurimas, fabulam. Filiam ei *Theonoën* rapuerant prædones, & regi cuidam *Icaro* vendiderant in *Caria*, qui pro concubina habuit. *Theſtor* profectus ut inveſtigaret filiam, naufragio in *Icari* provinciam ejectus eſt; ubi captum in vincula protinus conjecerunt. Altera ejuſdem filia, *Leucippe*, ſororem atque patrem perſequitur, promittente *Apolline* inventuram. Sed juvenem virgo ſimulat ſacerdotem, crinéſque tondet. Cùm per multas regiones oberrâſſet, in *Caria* quoque ſcrutari placuit. Ubi conſpexit eam *Theonoë* juvenili habitu, in ignotæ amorem ignota incidit. Concubina regia peregrinum ſacerdotem ad ſtuprum adduci jubet. Adductus in cubiculum, cùm pernegaret id fieri poſſe quod rogabatur, neque proderet cauſam, iracunda mulier, & prona in vindictam, ex ergaſtulo mandat aliquem accerſi qui peregrinum ſacerdotem interficiat. *Theſtori* ſeni commiſſa res, gladiúſque traditus à *Theonoë*: quo armatus, audiente *Leucippe*, *Heu*, inquit, *miſero Theſtori! Quod me fatum adegit huc, ut libertate unà cum filiabus amiſſâ, libidinis alienæ mancipium, claudam ſcelere ſenectutem? Cùm moriendum ſit, moriar innocens. Patiar potiùs quàm faciam ſcelus. In meam mihi vitam jus eſt, nullum in alienam.* In ſuum igitur pectus jam erat ferrum adacturus, cùm *Leucippe*, audito *Theſtoris* nomine, patrem agnovit, gladium extorſit, ejúſque rogavit opem ad interficiendam reginam. Regina ipſa, ut *Theſtoris* nomen audivit, ejus & ſe filiam eſſe prodidit. Ità repentè in gaudium & amorem cædes atque odium tranſiit. *Icarus* denique rex, ubi reſcivit novam rem, oblectatus, liberum *Theſtorem*, muneribúſque onuſtum, cum filia *Leucippe* in patriam dimiſit.

***Theſtoris* filia ſororem deperit.**

A.M. 2812.

***Ulyſſes Icarii* filiam ducit.**

§ 9. *Icarium* ferunt, *Oebali Spartani* filium, ut filiam ſuam *Penelopen* alicui viro nobili nuptam daret, exemplo *Danaï*, curſûs certamina propoſuiſſe. In iis ludis *Ulyſſes Ithacenſis*, *Laërtis* filius & *Anticléæ*, palmam tulit, & uxorem *Penelopen*. *Minervæ* igitur apud *Spartanos*, quam appellavit *Celeuthiam*, ſtatuam poſuit; alibi verò, ædes eidem tres. (*Pauſ. Lacon.*) *Laërtes* autem *Arceſio* patre natus eſt, *Arceſius Jove*, ut *Ulyſſes* ipſe de ſuo genere gloriatur apud *Ovidium*, (Metam. 13.) At *Hyginus* (Fab. 189.) *Arceſium Cephalo* genitum ſcribit & *Procride*.

A.M. 2813.

***Atreüs* pœnam quam *Thyeſti* paravit luit.**

Thyeſtes carcere detinebatur adhuc, cùm tribus ferè quadragintáque annis miſerias omnes fortiter devorâſſet. Etiam in ſordibus vivere, beneficium videbatur, & morte gratius. Invidit illi beneficium hoc frater; nec ulteriùs cenſuit indulgendum, ut carcere frueretur. *Ægiſtho* imperatur, ut *Thyeſtem* interficiat. Uxoris ſuæ filium, quem pro ſuo educaverat, quævis mandata fideliter peracturum *Atreüs* non dubitabat. *Ægiſthus* ut carcerem ingreſſus eſt, gladium quo necem illaturus erat contemplatus *Thyeſtes*, facilè novit eum eſſe quem ante annos 40 *Sicyone* amiſerat. Interrogatus ergò *Ægiſthus* unde gladium accepiſſet, A matre ſibi *Pelopéa* fuiſſe datum reſpondit. Accerſi & eam *Thyeſtes* obſecrat, magnam ei ſe rem narraturum pollicitus. Cùm didiciſſet proba mulier naturæ violatum jus, patrémque ſuum *Ægiſthi* quoque patrem eſſe, ac ſe ſororem, quaſi aliud actura gladium repentè arripuit, pectus intimum perforavit, ulta in ſe paternum ſcelus. Amens filius, gladium gerens cruentum, è matris pectore calidum, ad *Atreüm* in littore ſacrificantem accurrit. Gratulaturus ille ſuo *Thyeſtis* necem, à *Thyeſtis* ipſe filio enectus eſt; quámque alteri paraverat, ſuo capite pœnam luit. (*Hygin.* Fab. 87. & 88.)

A.M. 2815.

Agaſthenem Elidis regem filius in imperio ſecutus eſt *Polyxenus*, ſceptrúmque annis 40 fortaſſe tenuit. (*Pauſ. Eliac.* 1.)

Agamemnon, ut imperii ſui fines proferret, *Sicyonios* invaſit. Sive *Polyphides* regnabat, ſive *Herculis* pronepos *Hippolytus*, ipſo *Mycenæi* terrore nominis perculſi ultro ſe dediderunt; atque in ſe recepit rex, imperata ſe deinde *Agamemnonis* facturum. (*Pauſ.* in *Corinth.*)

§ 10.

§ 10. Jam ferè omnes conciliârant ſibi *Atridæ*, tum Continentis *Græciæ*, tum inſularum vicinarum, regulos, quaſi ad incendium commune reſtinguendum. *Ulyſſes* tantùm *Ithacenſis* atque *Achilles Peleï* filius hanc militiam detrectabant: quorum hic fortiſſimus *Græcorum* omnium, ille facundiſſimus prudentiſſimúſque habebatur. *Ulyſſes*, nè uxorem filiúmque nuper editum deſereret, incertáque ſubiret bellorum diſcrimina, inſaniam dicitur ſimulâſſe. Bovem cum equo junxit ad aratrum, & ſalem ſeminavit. *Palamedes*, *Nauplii* filius ſolertiſſimus, eò miſſus à principibus *Græciæ*, ut cum vulpe vulpinaretur, *Telemachum*, ejus filium, è cunis ſublatum, aratro paterno ſubjecit. Quem *Ulyſſes* cùm declinaret, abigerétque jumenta aliò, nè puero nocerent, ſatis ſanum ſe prodidit. Depoſitâ igitur ſimulatione, mandatis *Græcorum* repugnare non auſus, iniit belli ſocietatem. Sed *Palamedi* ex eo ſemper infeſtiſſimum ſe præbuit. (*Hygin.* Fab. 95.) *Achilles* autem, cùm nonum ætatis annum expleviſſet, eodem Autore, (nonum & decimum credibilius,) pro virgine, habitu muliebri, à matre *Thetide* miſſus eſt ad *Lycomedem* in *Scyro* inſula regnantem, inter virgines regias educandus. Illic latére volebat mater filium, nè militatum ad *Trojam* proficiſceretur, ubi eum interiturum fatidica *Thetis* proſpiciebat. Sed & illic ſe virum *Achilles* prodidit; neque ficta virgo *Deïdamiam* regis filiam manere veram eſt paſſus. Ab eò ſcilicet vitiata, *Pyrrhum* ei filium peperit. *Hyginus* (Fab. 96.) *Achillem* ipſum ait *Pyrrhum* appellatum fuiſſe, (dum virginem agebat,) à flavedine capillorum. *Calchas* vaticinabatur, ſine *Achillis* adminiculo *Trojam* capi non poſſe. Perquiſitum igitur diligenter cùm nuſquam eum invenirent *Græcorum* duces, tandem didicerunt apud regem *Lycomedem* in *Scyro* inſula habitare. Eò miſſi legati cùm invenire non poſſent, *Ulyſſes* inter virgines eum agere edoctus, circumforaneum aginatorem ſimulavit ſe, mercibus in regio veſtibulo expoſitis, & in his quibuſdam armis ad bellum comparatis. *Ulyſſes* ſubitò tubicinem canere, crepitúmque armorum fieri juſſit. *Achilles* igitur, hoſtes adeſſe ratus, veſtem illico abjecit muliebrem, clypeúmque arripuit & haſtam. Ità ſuo indiciò proditus, militiæ *Græcorum* publicæ nomen dedit. At *Neſtor* (apud *Homerum Iliad.* 11.) ſe cum *Ulyſſe*, à principibus *Græcorum* miſſum ad commilitones conciliandos, *Phthiam* veniſſe narrat, exorâſſe *Peleum* & *Menœtium*, ut in belli *Trojani* ſocietatem eorum filii accederent; quam laudis gloriæque materiam ultro juvenes appetebant.

A.M. 2816.

Ulyſſes Achilléſque invitiſſimi ſe accingunt ad bellum Trojanis inferendum.

Aulidis portus in *Bœotia* conventui principum deſignatus eſt locus. De navium numero *Hyginus*, ut pleraque habet mendoſa, ità in pleriſque diſſidet ab *Homero.* Sed quo id autore faciat, nequaquam conſtat. Antiquiorem certè à quo diſceret, Scriptoríſque vetuſtiſſimi catalogum emendaret, habuit neminem. Naves bis centum quadraginta & quinque, nec plures, numerat; cùm recenſeat *Homerus* 1196. Atque his claſſiarios 85 ſingulis ſi demus, (medio numero inter 120 *Bœotiorum*, & 50 qui *Philoctetæ* navibus inerant,) milites univerſi aliquantulùm pauciores centum millibus reperientur. (*Thucyd.* l. 1.) Interfuit huic bello *Nauplii* filius *Palamedes*, vir ſolertiæ eminentiſſimæ; de quo tamen apud *Homerum* nè γρῦ quidem; nè viri tam eximii interitus invidioſus *Agamemnonis* atque *Ulyſſis* officeret gloriæ, labémque iis aſpergeret, quorum ille virtutes plùs nimiò prædicat. Dubitatur de locò unde *Æſculapii* filii venerint. Verùm illud conſtat, undecunque profectos huic bello interfuiſſe, curandíſque ſauciorum vulneribus utiliſſimam patriæ ſuæ operam impendiſſe. (Ità *Diod. Sic.* l. 4.) *Nireus*, *Charopi* & *Aglaies* filius, *Græcorum* omnium ſanè pulcherrimus, at idem debiliſſimus, fœmineâ ſuperbus dote, fœmineo morbo laborabat. Pauciſſimos propterea commilitones habuit; leonibus cervo parére dedignantibus.

A.M. 2818.

Græcorum numerus initur;

Argis ferunt fuiſſe *Jovis Machinatoris* in cippo æneo ſimulacrum. Ad hoc *Argivos*, ad bellum *Trojanum* profecturos, conjurâſſe, aut victores ſe, aut nunquam in patriam ſuam redituros. Claſſis univerſa in unum jam coacta eſt. Dux omnium *Agamemnon.* Nihil ferè deſiderabant præterquam *Æolum* propitium, qui iis hucuſque non omnino favebat, exercitum in portu otiantem fruſtrà detinens, imò & peſte laborantem imminutúmque indies. *Calchas* vates conſulitur. Aliquid erat reſpondendum, quod moram tantiſper faceret dum redeant venti. Et iratus forſan *Agamemnoni*, qui invitum eò protraxerat, reſpondit augur, Virginis ſanguine iram deæ virginis placandam eſſe; *Agamemnonio*, *Dianæ*, qui ſacram ejus cervam occiderat inter venandum. *Iphigeniam* ergò jubetur

quorum dux *Agamemnon* vati paret, ſed & illudit.

A.M. 2818.

Immeritam ſævæ natam mactare Dianæ.
Denegat hoc genitor, diviſque iraſcitur ipſis. &c.
Hunc tamen utilitas populi, fratérque, datique
Summa movet ſceptri, laudem ut cum ſanguine penſet.(*Ovid.*Met.13.)

Vlyſſes igitur & *Diomedes*, *Græcorum* legati ad *Clytemneſtram*,

———(*quæ non hortanda, ſed aſtu*
Decipienda fuit,)———

ſimulant *Iphigeniæ* futuras eſſe cum *Achille* nuptias. Ità in *Aulidem* perducta, (ubi

———*pietatem publica cauſa,*
Réxque patrem vicit,)———

ad aram ſtatuitur. Cúmque in eo eſſet ut immolaretur, arte aliquâ patris & propinquorum ſubducta eſt, & in *Tauricam* Cherſoneſum tranſmiſſa clàm ad regem *Thoantem*, *Dianæ* ſacerdos eſt conſtituta. Vulgabatur, *Dianam* miſeratam eſſe virginis, ſacrorum miniſtris caliginem objeciſſe, ſuppoſuiſſe cervam quæ mactaretur, *Iphigeniam* denique per nubes in *Tauricam* detuliſſe. (*Hygin.* Fab. 98. & 261.) Poſt moram in portu ingratiſſimam, proſperi tandem flare cœperunt venti. Quod ut primùm contigit, hoſtias protinus *Dianæ* quaſi placatæ jam immolabant, eáſque ſine delectu, maſculas fœmináſve, quæcunque illis in promptu erant. Indè ritum aiunt in *Aulide* receptum, ut hoſtiâ quavis litari poſſet. (*Pauſ.* in *Bœot.*)

Philoctetes privatam publicæ rei injuriam condonat.

Cùm ad *Lemnum* inſulam perveniſſent, *Philoctetes*, 7 navium dux, à colubro fortè percuſſo pede, non modò ſummis ipſe doloribus cruciabatur, ſed & alios odore tetro graviter offendebat. Mandante igitur imperatore, in *Lemno* expoſitus & relictus eſt. Expoſitum, à *Phimaco*, *Actoris* paſtore, nutritum eſſe ferunt. Sed reſponſum oraculo datum eſt, ſine *Herculis* ſagittis *Trojam* capi non poſſe, quas *Philocteti* ab *Hercule* morituro datas alibi dictum eſt. *Philoctetes* igitur adeundus, demulcendus, conciliandus aliquo modo, ſupplicitérque exorandus, ut accedere ad *Ilium*, teláque adducere fatalia, dignaretur. Ex quo enim expoſitus atque deſertus eſt in *Lemno*, infenſus maximè *Agamemnoni* reliquíſque principibus, diris eos quotidianis exſecratus eſt. Miſſi tamen *Vlyſſes* & *Diomedes*, ultimo belli hujus anno, ità hominis iracundiam atque ferociam molliverunt, ità blanditiis tractaverunt, ut eorum votis annueret, privatúmque dolorem publicæ rei condonaret. (*Hyg.* Fab. 102.)

Telephus, niſi eâdem quâ vulneratur haſtâ, ſanari nequit.

Cùm ſecundis jam ventis *Aſiatico* littori appropinquarent, contigit partem copiarum ab inſtituto navigationis curſu aberrâſſe,atque in *Myſiam* deſcendiſſe,ubi tanquam in hoſtico prædas agere cœperunt. *Telephus* in ea regnabat ora, filius *Herculis*; qui, collectâ militum manu, populantibus ſe oppoſuit regionem ſuam *Græcis*, prælióque confligere non dubitavit. *Therſandrum Thebanum*, cujus in ea pugna præ cæteris virtus enituerat, à *Telepho* ferunt interemptum: ipſum *Telephum* ab *Achille* vulneratum; de quo Poëtæ fingunt, non potuiſſe eum ſanari, niſi eâdem quâ vulneratus erat haſtâ, oraculo neſcio quo ità pronunciante: tandem *Achillem* exoratum, haſtæ raſurâ medicatum eſſe. (*Hyg.* Fab. 101.) Quanquam vero ſimilius, *Achillem*, qui à *Chirone* artem medicam didicerat, adhibuiſſe vulneri medicinam.

Trojani in littore hoſtes ſuos exſpectabant ad prælium inſtructiſſimi. Primo igitur deſcenſu *Græcorum* ex navibus pugnatum eſt acriter. Sed nihil geſtum eſt memorabile, niſi quòd *Proteſilaüs* ab *Hectore* dicitur interfectus. *Græci* nihilominus, propulſis hoſtibus, prævalebant. Neque enim niſi victores caſtra figere potuiſſent. Deinde, cùm deeſſet victus tantæ idoneus multitudini, pars frumentatum emiſſa eſt; pars occupata in colenda Cherſoneſo. *Trojani* reliquis non impares, annis decem continuis fortiter ſatìs repugnaverunt. Quòd ſi victu *Græci* nummóve ſatìs copioſo inſtructi acceſſiſſent, omnéſque vires contuliſſent ad civitatem obſidendam, breviori temporis ſpatio facilè captum dirutúmque fuiſſet *Ilium*. (*Thucyd.* l. 1.)

Maritum *Proteſilaüm* *Laodamia* vel mortuum deperit.

Proteſilaüm, quem *Hector* primum *Græcorum* interfecit, *Hyginus* narrat *Iolaüm* fuiſſe priùs appellatum; tum demum *Proteſilaï* adeptum eſſe nomen, cùm primus omnium occubuiſſet. Juxta *Helleſpontum* tumulus ei congeſtus eſt, in quo arbores, cùm in tantum excreverant ut *Ilium* aſpectarent, inareſcebant, adoleſcebántque rurſus. (*Plin.* 16. 44.) Uxorem habuit *Acaſti* filiam *Laodamiam*. Quæ perditè amans, cùm de mariti morte nuncium accepiſſet, precibus importunis exoraviſſe deos fingitur,

tur, ut horas tres cum eo vivo colloqueretur. Quo impetrato, non minore deinceps deſiderio flagrabat, quàm ſi nihil impetrâſſet. Æneum ergò ſimulacrum fecit ſuo conjugi quàm ſimillimum, quod in thalamo collocatum colere cœpit, imò mutum atque frigidum æs amplecti ſimul & oſculari. Quod cùm famulus vidiſſet per rimam oſtii, (qui poma fortè ad ſacrificium afferebat,) adulterum dominæ adeſſe ratus, *Acaſto* patri rem totam nunciavit. Is, cùm in thalamum irrupiſſet, præter ſimulacrum nihil reperit: quo nè filia ſua dilecta diutiùs luderetur, pyrâ conſtructâ comburi juſſit. *Laodamia*, cùm dolorem ulteriùs ferre non poſſet, quaſi ultimas reliquias mariti ſui proſecutura, in ardentem inſiliit rogum, & concremata libens interiit. (*Hyg.* Fab. 23. & 24.) A.M. 2818.

§ 11. At nec *Trojani* ſuis tantùm viribus nitebantur contra tot populos. Ex *Aſia Thraciâ*que aderant auxiliares copiæ. Atque *Trojanos* quidem ex *Ilio* viciniâque ducebat *Hector*, maximus filiorum *Priami*, fortiſſimúſque vir; *Dardanios* & finitimos *Æneas*, *Anchisâ* genitus, & cum eo *Archilochus*, *Acamas* *Polybúſ*que & *Agenor*, filii *Antenoris*, viri ætate jam atque prudentiâ graviſſimi. *Aphneïs*, qui *Zeleam* ſub *Ida* monte incolebant ad fluvium *Æſepum*, *Pandarus* imperabat, filius *Lycaonis*, qui, propter ſagittandi peritiam, ab *Apolline* arcum accepiſſe fingitur. Hic pedeſtrem ait ſe veniſſe, ac ſine curru, (*Iliad.* 5.) ſagittis fretum unicis. *Adraſteïs* viciníſque ad montem *Tereiam*, *Percoſii Meropis* filii duo, *Adraſtus* atque *Amphius*, præerant. Pater quidem vetuerat, vaticinio clarus, nè ſibi ultro accerſerent mortem. At illi, gloriæ magis quàm vitæ ſtudioſi, nè patri vatique ſunt obſecuti. Qui ex *Percota Practio*que, *Seſto* & *Abydo*, finitimíſque locis, militatum *Priamo* advenerunt, *Aſium* ſecuti ſunt ducem, *Hyrtaci* filium. Atque omnes hi quidem ſubditi *Priamo* ex *Troade* conſcripti ſunt ad hanc militiam. *Strabo* enim (lib. 13.) novem *Troïcæ* ditionis partes ſive provincias enumerat, qui *Priami* ſceptro paruerunt, unà cum inſulis *Lesbo Tenedó*que, & aliis, quæ ſuos etiam regulos habuerunt. *Lelegum* erat *Altes* rex in urbe *Pedaſo*; *Cilicum* in *Lyrneſſo*, *Mynes*, in *Theba*, *Eetion*, pater *Andromaches*: qui fortaſſe non recenſentur inter eos qui copias duxêre ad propugnandum *Ilium*, quoniam *Achilles* eos invaſerat, ut ſuarum rerum ſatagerent domi. Aderant auxilio etiam peregrinæ gentes: *Acamas Eüſſoro*, & *Imbraſo* natus *Piroüs*, (*Iliad.* 4. & 6.) *Thracum* duces ex *Æno* ad *Helleſpontum*; *Euphemus Ciconum*, *Trazenii* filius, atque *Ceï* nepos; *Iphidamas* quoque, *Antenoris* & *Theanûs* filius, apud *Ciſſeüm* avum maternum educatus in *Thracia*, ubi poſtquam materteram duxiſſet uxorem, ſub finem belli duodecim adduxit naves ad *Ilium*. (*Iliad.* 11.) *Lariſſæi* verò *Pelaſgi* prope *Cumam Hippothöo Pyleó*que parebant, *Litho Pelaſgo* genitis, *Teutami* nepotibus; *Pyrechmæ Pæones*, ex urbe *Amygdone* ad flumen *Axium*; *Heneti* ex *Paphlagonia Pylæmeni*; *Odio* & *Epiſtropho Halizones* ex *Alybe*, fodinis argenti clara. *Myſis* imperabant *Chromis* & augur *Eunomus*; *Phrygiis* verò *Phorcys*, & *Aſcanius* ex regione ſui nominis; *Mæonibus* qui *Tmolo* monti ſuberant, filii *Pylæmenis*, *Antiphus* & *Meſthles*; *Caribus Naſtes* & *Amphimachus*, filii *Nomionis*; *Sarpedon* & *Glaucus* denique *Lyciis*. Aderant etiam *Aſteropæus* & *Hippaſi* filius *Apiſaon*. (*Il.* 16.) Sed *Aſteropæus*, *Pelegone* genitus, *Axii* nepos, ſub exitum belli advenit, dies undecim antequam ab *Achille* cæſus eſt. Ab *Homero* igitur in catalogo navium omittitur. At celebratur ab eodem, & in proverbium abiit, eo nomine quòd ambidexter eſſet. (*Il.* 21.) Tandem adfuerunt & patruo ſuo *Memnon*, & avo ex *Myſia Eurypylus*, *Telepho Heraclidâ* genitus, & *Amazonum* regina *Pentheſiléa*, imperatórque *Thracum Rheſus*. Serò quidem hi, at ſatis omnes ad ſuum citò exitium adfuerunt.

Trojanis auxiliantium enumeratio.

Caſtris utrinque communitis, viſum eſt inprimis, *Helenam* raptáſque res per legatos repetere. *Menelaüs* & *Ulyſſes* in urbem propterea miſſi. Sua cauſa *Menelaüm*, ſua prudentia facundiáque *Ulyſſem* ad hoc munus commendabat: quos ità deſcribit apud *Homerum* (*Iliad.* 3.) hoſpitio ſibi notos *Antenor*. *Menelaüm* ait altiorem fuiſſe, cùm ſtarent ambo; venerabiliorem, cùm ſederent, *Ulyſſem*: & illum *Laconicâ* brevitate, verbis admodum paucis, at acutis & efficacibus, orationem habuiſſe; ab hoc autem profluxiſſe verba torrentis inſtar hyemalis, ubertate ſummâ ſuavitatéque, ut nullus omnium eſſet qui cum eo contentione dicendi decertare poſſet. Cùm in concilio perorâſſent legati, *Priamus*, *Antenor*, & *Æneas*, credo, aliique fortaſſe multi, reddendam conjugi *Helenam* cenſuerunt. A.M. 2819.

Legati ad Helenam miſſi repetendam infectâ re redeunt.

Antenor cenſet belli præcidere cauſam, (ait *Horatius*, Epiſt. 1. 2.)

Sed *Antimachus*, optimatum unus, & orator vehemens, (ut credi par eſt,) muneribus aureis ab *Alexandro* corruptus dicitur, ut *Græcorum* legatis adverſaretur, ac detinendam

A.M. 2819.

nendam *Helenam* contenderet. (*Iliad.* 11.) Imò *Paridi* gratificaturus, eò inhumanitatis progreſſus eſt, ut *Menelaüm* è medio tolli ſuaderet; ità belli finem fore, cùm reliquus nemo eſſet qui jure ſibi *Helenam* vendicaret. Ac eatenus valuit conſilium *Antimachi*, nè redderetur *Helena*: ut *Menelaüm* interficerent, violarentque gentium jus, quo ſacri habentur legati, & immunes ab omni vi, eatenus non valuit. Id enim ferum nimis & barbarum aliis viſum eſt. Ità legati *Græcorum*, infectâ re dimiſſi, ad naves rediverunt. Alii plerique Scriptores miſſam ex *Aulide* legationem hanc fuiſſe tradunt. Mala *Trojanis* machinati ſunt omnigenis dolis atque inſidiis *Græci* per novennium. (*Odyſſ.* 3.) Sed aperto Marte non ſunt præliati; quod voluiſſe quidem ſe gloriatur *Hector*, (*Iliad.* 15.) ſed prohibuiſſe proceres timidóſque ſenes. *Plutarchus* autem, (lib. de *Homero*,) poſt reditum legatorum ſuorum, negantibus *Helenam Trojanis*, alteram *Græcos* ait commiſiſſe pugnam: ſuperioréſque factos, alteram exercitûs partem in obſidione urbis reliquiſſe; alteram *Achilli* traditam, quâ ditionem *Priami* devaſtaret.

Ulyſſes Palamedem impiè prodit ad necem.

Dum culturâ vacat ager, ſpinas ferè tribulóſque fert: Sic animi dum ferientur humani à feriis utilibúſque negotiis, nihil agendo malè diſcunt agere, artibúſque ſe pravis dedunt. Deſidebant jam in littore *Trojano Græci*, gerebatúrque nihil rerum bellicarum quas inſtituerant. *Ulyſſes* igitur, homo inquieti & agilis ingenii, ſui olim furoris à *Palamede* convicti memor, otiúmque ad vindictam ſatìs opportunum adeptus, eum

> *Prodere rem Danaam finxit; fictúmque probavit*
> *Crimen, & oſtendit quod jam præfoderat aurum.* (*Ovid.* Met. 13.)

Miſerat enim ad *Agamemnonem* qui diceret, monitum ſe per quietem, ut uno die caſtra moverentur loco. Id è publica re futurum. Somnio *Ulyſſis* obtemperante rege, mota ſunt omnium tentoria, poſteróque die in iiſdem denuo collocata ſedibus. Interea *Ulyſſes* nocte mediâ ſolus magnum auri pondus eo in loco abdidit clàm, terrâque obruit, ubi *Palamedis* tabernaculum ſteterat. Epiſtolam deinde *Phrygi* cuidam captivo quaſi ad *Palamedem* dat; præmiſſo milite, qui non longè à caſtris tabellarium interficeret. Cùm igitur in priora caſtra jam exercitus rediret, repertus eſt mortuus *Phryx*, epiſtoláque ad *Agamemnonem* delata, quaſi *Priami* ad *Palamedem* fuit; ubi tantum auri miſſum à ſe ad *Palamedem* ſcribebat, (ut, quemadmodum convenerat, caſtra ſibi *Danaorum* proderet,) quantum *Ulyſſes* in *Palamedis* abdiderat tentorio. Quæſtione habitâ, cùm pernegaret factum *Palamedes*, tabernaculum ejus perſcrutati ſunt. Effoſſum indè productúmque eſt aurum, quod clariſſimum proditionis deſignatæ indicium videbatur. Quare damnatus vir egregius per *Ulyſſis* calumniam, lapidibus innocens ab exercitu eſt obrutus univerſo. (*Hygin.* Fab. 105.) Non prudentia, non merita, non excellens in omni genere virtus, non bene ſibi conſcia mens puráque ſceleris, contra vafros clandeſtinóſque inimicorum dolos, ſatìs cuiquam præſidio eſſe valent. Adeò tutum non eſt callidorum impiorúmque hominum in ſe, vel optimè agendo, vindictam irritare. At *Cypria* olim carmina, ab *Ulyſſe Diomedé*que merſum in aquis *Palamedem*, cùm piſcatum exiviſſet fortè, narrabant, autore (in *Phoc.*) *Pauſaniâ.* Ludum teſſerarum excogitavit *Palamedes:* ordinémque exercitûs, ſigni dationem, vigiliáſque, invenit in hac militia. (*Plin.* 7. 56. *Pauſ. Phoc.*) Teſſeras autem primas in templo Fortunæ *Argis* dedicavit. (*Pauſ. Corinth.*)

Inimicis clanculùm & in ipſis caſtris inſidiabatur *Ulyſſes:* At *Achilles* foris apertóque hoſtes Marte aggrediebatur. Cùm enim propugnacula ſua tantùm hoſtibus opponerent *Ilienſes*, ut morâ diuturnâ proficientes nihil defatigarent abigeréntque; *Achilles* interea cum ſuis *Myrmidonibus* in *Troadem* emiſſus eſt, ut ditionem hoſtium depopularetur omnem terrâ maríque, nè quid auxilii adjumentíve *Priami* rebus ſuppeditare poſſent. (*Strabo* 1. & 13.) Ità futurum videbatur, ut nuda urbs, vicinorúmque ſubſidiis orba, facilè tandem expugnari poſſet. Claſſe adortus maritimas urbes duodecim, mediterraneas pedeſter 11, cepit *Achilles* diripuítque. (*Iliad.* 9.) Ac *Tenedon* primò inſulam aggreſſus, *Tennen* regem ſuſtulit, quem videtur *Homerus Arſinoüm* appellare. (*Iliad.* 11.) Deinde *Leſbum* expugnavit, ac pretioſiſſima quæque deprædatus eſt. (*Iliad.* 9.) *Theben* urbem *Cilicum* primariam cùm cepiſſet, *Eetionem* qui ibi regnabat, repugnabátque, interfecit, unà cum ſeptem filiis; interfectum verò non ſpoliavit, reveritus dignitatem regiam. Spoliari enim ac denudari exanimatum cadaver, probroſum habebatur, nec ſine ignominia fieri potuit. Flammis

mis ergò tradidit armatum corpus, & humanitate quadam heroïcâ cineribus tumulum aggeſſit. *(Iliad.6.) Scyrum* quoque, regis *Enyei* urbem, *(Iliad.9.) Chryſém*que & *Cillan*, *Pedaſum*, *(Iliad.20.)* atque *Lyrneſſum* denique, alteram *Cilicum* provinciam, *(Iliad.19.)* ſubegit armis. Et in hac *Mynetem* regulum, *Epiſtrophúm*que reguli generum, *Briſeïdis* maritum, fratréſque interemit ejuſdem tres. Sed & prædas ab *Ida* monte propinquiores egit. Ibi filium *Priami Antiphum* cepit, *Isúm*que nothum, paſtores paternarum ovium, id eſt, præſides paſtorum; quod munus in eo ſeculo habebatur ſatìs liberale. Capti verò, atque viminibus colligati, ad naves abducti ſunt, à patre mox redempti pretio. *Anchiſæ* boves etiam in eadem paſcentes *Ida* cùm abigeret *Achilles*, opem laturus *Æneas* magnâ feſtinatione accurrit; ſed majore mox aufugit. Niſi enim agilitas pedum ad fugam ei profuiſſet plùs, quàm robuſta manuum ad pugnam vis, fatetur ipſe, *Dardaniam* ſe nunquam fuiſſe incolumem rediturum. *(Iliad. 20.)*

A.M. 2819.

§ 12. *Jairo* Judice apud *Iſraëlitas*, in ſolitam proterva gens impietatem prolapſa, *Baalos* colebat & *Aſhterothas*, finitimorúmque populorum deos, *Syrorum* & *Sidoniorum*, *Moabitarum Ammonitarúm*que, *Palæſtinorum* denique, derelicto prorſus, quem unicè venerari debebant, *Jehovâ*. Finitimis ergò gentibus, quarum deos adorabant, vexandos conterendóſque Deus tradidit, *Palæſtinis* præcipuè & *Ammonitis*; qui octo decémque annis in miſeros *Iſraëlitas* crudeliſſimè deſævierunt. Nec enim moratus pœnam eſt Deus, aut vindicta ſcelerum claudicavit: ſed ut primùm deſertus eſt, deſeruit, eóque protinus flagello contumaces perſecutus eſt. Nec *Gileadem* ſolummodo ſibi vicinam depopulati ſunt *Ammonitæ*, ſed in *Judæam* quoque, in terram *Benjaminiticam* & *Ephraïmiticam* penetrantes, prædâ & ſpoliis onerabant ſe. Cùm ſentirent *Hebræi* in ſe flagrantem, pœnáſque repetentem ſeveriùs iram Dei, quaſi è ſomno evigilantes, agnoſcere tandem ac faſtidire cœperunt impietatem ſuam, & deprecari ultionem Divinam. At non facilè *Jehova* exoratus eſt, toties læſus & laceſſitus à pervicaci natione. “*Liberaviſſe* quidem, reſpondet, atque ſervâſſe pereuntem ſe “populum *Iſraëliticum* ſæpiſſimè, ab *Ægyptiis*, *Amoræis*, *Ammonitis Palæſtiniſ*que, “à *Phœnicibus* etiam, *Amalecitis*, & *Maoniis*. Nihil tamen profeciſſe. Neglectum “*ſe* atque *relictum* ſæpiſſimè ab iis ipſis quorum ſalutem procuraverat. Cùm *deos* “ergò *alienos* prætuliſſent *Jehovæ*, ab alienis jam *ſalutem ſibi quærerent diis. Ni-* “*hil auxilii* exſpectarent *à ſe*, quem toties habuiſſent ludibrio. Animi ſibi conſcii malè haud ignorabant quàm hæc eſſent vera. Suâ igitur ſe condemnabant ſententiâ, unum hoc obſecrantes quàm humillimè, ut “ipſe Deus quibus vellet ſuppliciis “afficeret; ab hoſtibus tantùm liberaret. Tum denique profligati aliarum gentium dii, ſublatáque protinus idola ſunt omnia. Quare Deus etiam, ubi verè populus reſipiſcere, commoveri & ipſe condoleréque viſus eſt, ſuggeſsítque illis rationem ſalutis expediendæ. Aderant *Ammonitæ* ſuo more, caſtráque in *Gileade* metati ſunt, vi & armis regionem *Transjordanam* ſubacturi. Exercitum quoque in *Mizpam* coëgerant *Iſraëlitæ*, procul diſſitam, & ab hoſtibus remotam longiùs, in *Judæa*. *Gileaditæ* igitur, ut ſuæ ſaluti conſulerent, quóque bellum hoc ſuſciperetur alacriùs, ità conſenſu mutuo inter ſe ſtatuerunt, Quicunque primus adoriretur hoſtes, eum ſibi ducem atque principem futurum. Extorris fortè jam in agro *Tobi* cujuſdam degebat fortiſſimus vir, *Manaſſidéſ*que, *Jephta*, *Gileadis* filius nobilis viri, ſed nothus; à fratribus propterea legitimis expulſus paternis ædibus, nè quam hæreditatis partem attingeret. Is hominum obæratorum audaciúmque, qui ad eum undique confluxerant, manu ſtrenuâ ſtipatus, in *Ammonitas* impetum fecerat, quorum ex finibus abegerat prædam. Nihil tamen adhuc de popularium ſuorum decreto didicerat. Cùm iſtud primus omnium feciſſet, ac urgerent *Ammonitæ* jam, magnâque vi oppugnarent *Gileadem*; primores urbis, & in his fortaſſe fratres *Jephtæ*, ad revocandum exſulem, præficiendúmque ſibi ducem, profecti ſunt. Miratus *Jephta* quid eſſet, quòd ad ſe potiſſimùm ii jam in anguſtiis poſiti venirent, quorum fuiſſet operâ maximè relegatus; ubi ſæpius audivit, ideo veniſſe, ut eum ſibi ducem conſtituerent; eâ tandem lege annuit rediturum ſe pugnaturúmque, ſi Deo propitio victorem pro ſuo principe in poſterum eſſent habituri. Idem à *Gileaditis*, *Jehovâ* etiam teſte, denuo promiſſum eſt, & coram Deo *Mizpæ* ſancitum fœdus; ubi & familiam ſuam *Jephta* dux ad tempus collocavit. Ac inprimis per legatos cum rege *Ammonitico* agendum quærendúmque cenſuit, quibus injuriis provocatus ditionem ſuam invaſiſſet. Reſpondet *Ammonita*, “ſuam fuiſſe *Moabi*que ſui fratris omnem

Iſraëlitis in idolomaniam relabentibus,

ſed & agentibus pœnitentiam,

ſuccurrit *Jephta*: de cujus voto (& victoria) latè agitur.

“regio-

A.M. 2819. "regionem inter *Jabocum* & *Arnonem* fluvios uſque ad *Jordanem*; ab *Iſraëlitis* occupatam teneri jam. Eam ſi redderent, poſituros arma ſe, nec hoſtile quicquam "ulteriùs molituros. Cavillatio hæc, non cauſa belli, *Jephtæ* videbatur; quod ut clariſſimè pateret, cædiúmque futurarum culpa omnis in hoſtes rejiceretur, ità denuo per legatos diſſeruit *Hebræorum* dux: "Regionem hanc ab *Amoræis* ablatam tenere ſe, "quam illi jam antea extorſerant *Moabitis Amonitiſ*que,(*Num.* 21.) donatam verò ſuis "majoribus à *Jehova*. Quòd ſi quid in eam juris *Moabitæ Ammonitæ*ve habuiſſent, id "ante annos ferè trecentos repetendum fuit,quo primùm tempore occupata eſt ab *Iſraelitis* regio. Aſſeruit quidem *Balacus* & propugnavit ſuam ditionem; reddi verò "hanc ſibi non poſtulavit. Nullâ igitur ſuos populares provocâſſe *Ammonitas* in"juriâ. Bello autem ab iis peti ſe, damníſque maximis affligi. Quare Deum ſe "apprecari, ut juſto litem hanc judicio dirimat, populóque retribuat utrique pro me"ritis. Verè quidem *Jephta* diſceptabat, ſed fruſtrá: ſurdis narrabat fabulam. Robore magìs freti quàm æquitate, pugnare malebant armis *Ammonitæ*, quàm verbis contendere. *Jephta* igitur, inſpirante fortitudinem Deo, feſtinatione ſumma ex *Mizpa Judaïca* properavit ad *Mizpam Gileadis*, indè verò ad hoſtium caſtra. Neque tamen antè congreſſus eſt, quàm votum Deo nuncupâſſet, ſi victoriâ potiretur, quodcunque primùm illi ex domo ſua redeunti occurriſſet, id ſe Deo ſacrum pro holocauſto dedicaturum. Temerarium planè votum, pióque viro indignum, niſi autore forſan Deo ſuſceptum ſit: quod tamen ex Divino Codice haud colligitur. Piâ potiùs mente imprudentem concepiſſe inter tumultus bellicos exiſtimandum eſt. Nec enim exſpectare potuit, ut mundum animal, & idoneum ad ſacrificia, ex ædibus occurreret; vel canes prodituri erant, vel homines: quorum hi præſtantiores habebantur, illi deteriores, quàm ut eorum ſanguine ſacra fierent. Minimè verò novum id erat, vel inauditum, viros etiam bonos aliquando in ſcelera incautos neque opinantes cadere; ut irritus eorum conatus vanúſque ſit, qui facta virorum vel optimorum abſolvunt omnia. Nec ſatìs temeritatem hujus voti excuſant, qui exponunt disjunctivè, rariſſimâ ſignificatione vocis *Hebraicæ*; [Aut *dedicabitur* Deo, ſi ejuſmodi ſit quod ritè offerri non poſſit; *aut immolabitur*, ſi modò animal idoneum fuerit.] Potuiſſet enim canis occurrere, qui nec immolari, neque verò dedicari poteſt. Collatis tandem ſignis, opitulantéque *Jehovâ*, profligati ſunt *Ammonitæ*, magnâque ſtrage cæſi. Captæ urbes etiam ac dirutæ viginti. Ità qui dominati ſunt hactenus, à ſuis deinde ſubacti ſubditis atque ſubjecti fuerunt. Confecto jam bello, imperator *Jephta Mizpam* ad ſuos redit, votum quod ſuſceperat ſoluturus Deo. Domum accedenti propiùs unica patri occurrit filia cum tympanis & choreis, Ἐπινίκιον pro more canens, ut gratularetur victoriam. Quam ut vidit, maximo protinus dolore perculſus infelix pater eſt, laceratíſque veſtibus ingemiſcens, "*Heu!* "quàm triſte, inquit, ſpectaculum occurriſti mihi jam, dilectiſſima *proles*, cujus "me gaudio ſolebat aſpectus recreare! Heu! quanto mei me neceſſarii quàm ipſi "hoſtes graviùs affligunt! Quantò magìs domeſticæ *me turbant* res, quàm vires "*Ammonitarum* terruerunt? Naufragium in portu mihi fit. Juſtiſſimè fateor, ſed "tamen ſeverè, voti mei temeritas plectitur. *Voto* enim *teneor*, atque recepi in me "*coram Jehova*, holocauſtum ei gratulatorium fore, ſi hoſtes vincerem, quicquid ex "ædibus meis primùm redeunti obvium prodiret. Tu, filia, tu mihi prima pro"diiſti; tu, in ſacris immolata, orbum liberis nepotibúſque me, parricidam, non "patrem, derelinques. Quid agam? Victimíſne humanis ei litabo, qui ſeveriùs "id nè fieret prohibuit? nec placere mihi niſi parricidio licebit? At ſanctè polli"citus ſum. Quâ igitur fronte compellabo cùm opus eſt Deum, voti reus, nec ſo"lutâ quam ultro ipſe promiſi victimâ? Quicquámne charum eſt nimis, aut pre"tioſum, quod donetur Deo? Quem effudero ſanguinem in ara, meus eſt; quam "eripuero vitam, dedi. Diſceptantem hæc interpellat filia; &, "Video, inquit, in "magnis te anguſtiis verſari, *mi pater*. Meo *tibi votum* ſanguine *ſolvendum eſt*. Nè "quid moleſtum tibi ſit. Ego verò ſolvam libentiſſimé. Libentiſſimè vitam hanc "in ejus tradidero manus, qui *Ammonitas* tradidit in tuas. Nam de voto ipſo mihi "quærere nefas videtur. Qui precantem exaudivit ut vinceres, idem & voventem "approbare viſus eſt. Nec tibi poſſunt liberi deeſſe, qui jam patriæ tuæ pater jure "optimo es appellandus. Unicum verò ſolatium eſt, quod inprimis à te moritura "*peto*, reverende pater: quoniam virgo ſine liberis obitura ſum, nullâ prole à me "aucto populo Dei, ut *menſes mihi concedantur duo*, *quibus* probrum hoc *per montes*

"*In-*

" *lugeam, unà cum* aliis virginibus *ſodalibúſ*que meis ; reditura deinde, ac redditura " volens ſterilem vitam hanc Deo tibíque, unde accepta eſt. Facilè annuit *Jephta* moram expetenti, non vitam. Ità ſui filia compos, ſuíque pater voti factus eſt. *A.M.* 2819.

Non deſunt ex Rabbinis quidam, ſed recentioribus, *David Kimchi* & *Levi Ben-Gerſon*, *Lyranus* etiam & alii, qui mactatam fuiſſe negant hanc virginem ; ídque in Erroribus vulgò receptis à noſtrate *Brouno*, viro doctiſſimo, numeratur. (Lib. 5. cap. 14.) Dicatam fuiſſe Deo volunt, ità ut ſola & ſeorſim, dum viveret, ejus tantummodo cultui vacaret ; ſed viveret tamen, neque mortem, niſi quam civilem vocant, obiret ; denique, virginitatem voviſſe patrem, non vitam. Verùm *Joſepho* & *Hebræis* antiquioribus, D. *Ambroſio* pariter & *Auguſtino*, *Petro Martyri*, aliíſque plurimis, minùs hoc probabile videtur. 1. Quia virginitatem vovendi nullum in Lege veteri præceptum traditur, exemplum reperitur nullum ; imò repugnat potiùs voci Divinæ, ubi fœcunditatem *Iſraëlitis* morigeris, ſterilémque fore nullam, pollicetur. (*Exod.* 23. 26. *Deut.* 7. 14.) 2. Deinde, ſummus ille atque ſtupens dolor, quo *Jephta* correptus eſt ubi filiam conſpexit occurrentem ſibi, vitam arguit in diſcrimen vocatam fuiſſe, non fœcunditatem ſolummodo. Quid enim tantopere plangeret cruciarétque ſe pater, ſi ſterilitatis unicus, nullus autem fuiſſet mortis metus ? Quid virgines *Hebrææ* quotannis eam lugerent more perpetuo, ſi ad virginitatem ſolummodo & cultum Dei, non ad holocauſtum, damnata fuiſſet ? Quaſi verò ſola hæc, non & aliæ virgines vixiſſent atque obiiſſent plurimæ apud *Iſraëlitas*. Itaque D. *Auguſtinus* ejus moris cauſas opinatur duas fuiſſe ; primam, ut pium promptúmque virginis obſequium celebri memoriâ recoleretur : alteram, ut patres monerentur & caverent deinde, nè voto ſe tam pernicioſo temere obſtringerent. 3. Ipſa rei narratio ſatìs perſpicua devotum fuiſſe à *Jephta* holocauſtum indicat, *Deo erit ſacrum, & offeram holocauſtum.* Quod enim Rabbi *Kimchi* reſpondet, particulam *Hebraïcam*, quæ per conjunctivam, *&*, redditur, exponi poſſe per disjunctivam, *aut*, [*Erit ſacrum Jehovæ, aut immolabitur*, ſi modò animal idoneum ſit ;] fatemur ità exponi poſſe, ut *Exod.* 21. 15. *Si quis percuſſerit patrem, aut matrem :* neque tamen ſequitur, debere hoc in loco ; cùm & hæc multò rarior, & altera ſit aptior interpretatio, ut *holocauſtum* exponat quid ſibi voluerit, *ſacrum Deo.* Sed ex altera parte objicitur, 1. *Jephtæ filiam defleviſſe, non vitam, ſed virginitatem ; eandem propterea voviſſe patrem.* Facilè reſpondetur, ideo non voviſſe, quia deflevit. Vota enim libenti erant animo ſolvenda : vita igitur ſine luctu oblata eſt, quæ in voto fuit. Quòd ſine liberis virgo vitam deponeret, id illi moleſtum fuit, mortémque fecit acerbiorem. 2. *At immolatam fuiſſe non dicitur*, inquiunt ; *ſed ex voto ſolùm feciſſe Jephtam.* Ex voto feciſſe idem eſt, ac ſi holocauſtum feciſſe diceretur. Nec enim ſemper neceſſe aut conſentaneum eſt, ut res atrociores verbis explicentur perſpicuis. 3. *Sed ubi ex voto feciſſe Jephtam traditur, verbis proximis narratur, ejus filiam nullùm admiſiſſe virum, ut in eo ſitum fuiſſe votum videatur.* Adduntur ea quidem verba, ſed ut cauſam explicent luctûs qui præceſſit, & conſuetudinis quæ ſequitur, non ùt voti denotent vim. Sic alii reſpondent. 4. Quod *Brounus* arguit, *ex vocis quadam ſignificatione, virgines Iſraëliticas allocutas fuiſſe quotannis & conſolatas Jephtæ filiam, eandem propterea vixiſſe*, haud ſatìs firmum videtur ; quoniam de anniverſaria conſuetudine verba illic fiunt, multis pòſtea ſeculis celebrata, non de eo quod vivente virgine factum eſt. Non igitur propriè *alloqui*, ſed *lugere* potiùs hoc in loco & *lamentari* ſignificat *Hebraïca* vox. 5. *Inter ſanctos verò fideléſque homines numeratur Jephta, (Heb.* 11. 32.) *& ſpiritu Dei actus eſt ; (Jud.* 11. 29.) *ergò non eſt credibile filiam ab eo mactatam fuiſſe.* At viros etiam ſanctos aliquando peccaviſſe graviter conſtat : & ab eo ſpiritu fortitudinis quo *Jephta* donatus eſt, ea quæ poſtea fecit profecta eſſe omnia, minimè conſtat. 6. *Cùm & ſpurius eſſet Jephta, & ex tribu Levi non eſſet, ſacra illi per Legem facere non licebat, nedum victimis humanis facere.* Fatentur qui diſſentiunt hac in re, non licuiſſe per Legem. Sed ante conſtitutam ſub regibus rempubl. quo tempore id quiſque faciebat quod ſibi optimum videbatur, multa quidem facta ſunt quæ fieri non oportuit. Et reprehenditur à Scriptoribus *Hebræis Jephta*, quòd ex Pontifice maximo non didiciſſet quid eſſet ei ex officio faciendum. 7. Denique, *ſtupiditatis* (ait *Brounus*) *ac dementiæ meritò condemnaretur, ſi filiam occidiſſet, quam jure Moſaïco potuiſſet redimere.* (*Lev.* 27. 4, &c.) Imò verò, ſi redimere licebat, quorſum tantas movebat turbas pater, lacerando veſtes lugendóque ? aut quid opus erat filiæ, virginitatem ſuam deflere, ſéque totam Deo addi-

An *Jephtæ* filia mactata fuerit, ventilatur.

A.M. 2819.

addicere? Quare videtur non tam illud voviſſe *Jephta*, quàm hoſtium à ſe jugulandorum gratiâ devoviſſe ad necem quod primùm ſibi occurrebat; cujus generis devotæ res nullo erant pretio redimendæ. (*Lev.* 27. 28.) Meritò igitur conquerebatur, revocari votum ſuum non poſſe. (*Jud.* 11. 35.)

De *Ammonitis* victoriâ partâ, invidi *Ephraïmitæ* cæduntur plurimi.

§ 13. Poſt partam de *Ammonitis* victoriam, *Ephraïmitarum* ingentes copiæ maximo cum fremitu ac tumultu tranſeunt in *Gileadem*; ubi *Jephtæ* ferociter minitantur, in domum ejus dominúmque ſe ferro atque flammis graſſaturos, quòd auſus fuiſſet ſine ſe cum hoſtibus confligere. Ille verbis mollioribus iracundiam hanc ſedare inprimis conatus eſt: &, "*Ephraïmitas advocâſſe* reſpondit *ſe*, eorúmque imploraviſſe opem. Cùm autem tardiùs prodirent quàm *Gileaditarum* pericula ſumma poſtulabant, ſolum ſe aleam belli ſubiviſſe, ac propitio Deo ſubegiſſe hoſtium vim. Proinde mirari, *quorſum illi contra ſe*, tantis inſtructi copiis, *adeſſent*. Sed verba nihil apud gentem hanc molliſſima valebant. Superbiâ enim ſummâ intumeſcebant, ſupráque omnes populares efferebant ſe, ut ſine ſe ab *Iſraëlitis* geri nihil oportere crederent. Superbia plerumque invidiam parit, utraque ingratitudinem: quæ quidem ſumma in virum fuit de patria meritum præclariſſimé. Victoriam igitur gloriámque alii cuiquam præter ſe deberi tribuíve, maximè indignati ſunt. Ipſum itaque *Jephtam* peſſimè accepturi videbantur, quòd ſuo diſcrimine *Iſraëlitas*, ipſóſque *Ephraïmitas*, ab hoſtium vindicâſſet injuriis, mala maxima pro maximo beneficio redditurи, & ad ſe principatum in *Gileadem* revocaturi. *Jephta* ex *Gileaditis* protinus exercitum coëgit, ſignísque collatis fudit atque fugavit *Ephraïmitas*, cæſis duobus ſupra quadraginta millibus. Nam & vada *Jordanis* occupavit, nè fugientes effugerent; ubi ſuis proditi linguis interierunt plurimi. Nè quis enim ex aliis tribubus errore aliquo necaretur, vocem *Schiboleth Gileaditæ*, ſignificantem *vadum*, proponebant iis pronunciandam qui vadum tranſmiſſuri accedebant. Literam verò *Schin Ephraïmitæ* ſoli ex *Hebræis* conſonare non didicerant. *Siboleth* igitur pro *Schiboleth* pronunciantes, prodebantur ad necem. Eóque ſæviebant graviùs *Gileaditæ*, quòd eos non modò armis, verùm calumniis quoque invaſerant cognati. Fugitivos enim appellarânt, convitiandóque irritârant magìs quàm pugnando. Ità ſuperbiæ invidiæque, ingratitudinis atque ſeditionis dedêre pœnas *Ephraïmitæ* juſtiſſimas, fugati prælio cæsíque. At convitiorum ſupplicia, linguarum ſuarum proditione, graviſſima perſolverunt.

A.M. 2824.

Placat *Apollinem Agamemnon*, ſed *Achillem* valde irritat.

§ 14. Pluribus fortaſſe annis ea geſta ſunt ab *Achille* quæ à me ſunt memorata ſuperiùs. Spoliis atque prædâ ejus belli non unus omni potitus eſt qui ceperat; ſed auſpiciis publicis parta, publicè inter ſe partiti ſunt *Græcorum* principes; fœminas præcipuè nobiles atque præſtantes. Alii alias; *Hecameden* accepit *Neſtor*, fœminam ſolertem ex *Tenedo* inſula, regis *Arſinoï* natam; (*Iliad.* 11.) *Briſeïda*, ſive *Briſæ* cujuſdam filiam, formâ ſpecioſiſſimam, *Achilles*. (*Iliad.* 1.) Ducum ſummus *Agamemnon*, præter ſeptem *Lesbidas*, pulcherrimam quoque ſortitus eſt virginem *Chrysâ* genitam ex urbe *Chryſa*, *Sminthii* ſacerdote *Apollinis*. Is, cùm filiæ ſuæ deſiderium ferre non poſſet, in caſtra *Græcorum* acceſſit ſordidatus, ut iniquam filiæ ſortem deprecaretur. Multis precibus fatigabat *Agamemnonem*, & pretium ſimul grande obtulit, quo redimeret captivam. Sed neque prece neque pretio quicquam proficiebat. Cùm ergò importuniùs urgeret, non ſine opprobriis & ignominia in patriam repulſus eſt. Accidit mox, ut gravis lues invaderet exercitum, magnámque militum ſtragem ederet. Ab *Apolline* immiſſam cladem hanc nemini erat dubium. Quippe Solem Veteres tum ſalutaris tum vitioſi aëris, morborum atque ſanitatis autorem putavêre. Quæ *Apollinem* cauſa irritâſſet, quo eſſet placandus modo, *Calchas* erat ea de re conſulendus augur. *Achilles*, qui videri volebat maximè omnium popularis, & ſtudioſus ſalutis publicæ, concionem ad *Agamemnonis* tentorium coëgit, vatémque produxit in medium. Ille pactus impunitatem, ſi quem fortè magnatum liberiùs loquendo offenderet, ſuccenſere *Apollinem* reſpondit ſui ſacerdotis gratiâ contumelioſè habiti ab *Agamemnone*; nec niſi redditâ gratìs *Chyſeïde* placatum iri. Facilè perſpexit *Agamemnon*, malorum omnium quibus laborabat exercitus inſimulari atque traduci apud populum autorem ſe; damnóque ſuo remedium quæri. Itaque graviter ſtomachari, & augurem *Achillémque* ſevero ſupercilio verberare. Non auſus tamen augurio tam probabili repugnare, nè & alere ſolus videretur dux, quam populo ſolus intulerat calamitatem: tandem igitur, "Fateri ſe, ait, ex virgine illa captiva magnam cepiſſe voluptatem ſe; minùs ergò libenter dimiſſurum: dimiſ-

"ſurum

"ſurum tamen, & ſuam privatam voluptatem donaturum (quoniam ità videbatur) " ſaluti publicæ. At ejus loco aliam ſe fœminam exſpectare, nè belli dux ſpolio ſuo " ſpolietur unus, reliqui ſuis omnes fruantur præmiis. Avaritia quædam videbatur hæc, ſordidè vendentis beneficium, neque de ſuo quicquam populo bene merentis ducis. Qui mutat merces, nihil dat; qui compenſari damnum ſibi vult, donat nihil. Nec enim videtur nimium fuiſſe tantæ calamitatis autori, ſuâ jacturâ populi redimere ſalutem. *Achilles* igitur cùm liberiùs obloqueretur, palàm denunciavit atque minatus eſt *Agamemnon*, ejus *Briſeïde* velle ſe jacturam *Chryſeïdis* penſare. Nec enim par eſſe, ut ille populo gratificaretur, & ſibi gratiam damno colligeret alieno. Vehementer indignatus *Achilles*, poſtquam ſatis iracundiæ ſuæ convitiis atque opprobriis litaviſſet, concio ſoluta eſt. *Chryſeïs* patri ab *Ulyſſe* tradita, inſtruente navem *Agamemnone*; Hecatombe ſimul oblata eſt *Apollini*. *Eurybates* interea *Talthybiúſ*que præcones miſſi à duce, qui ab *Achille Briſeïda* repeterent traducerentque. Neque ille repugnandum cenſuit; nè ſuo amori dolorive plus tribuere videretur, quàm aut paci aut ſaluti publicæ. Satis vindicaturum ſe hanc injuriam putavit, ſi abſtineret armis. Sperabat enim fore, ut, abſente ſe, *Trojani* ſuperiores (quod etiam accidit) *Græcos* omnes, præcipuè *Agamemnonem*, ad ejus ignominiæ pœnitentiam adigerent. A.M. 2824.

§ 15. *Jephta*, poſtquam ſex tantùm annis Judicis officium geſſiſſet apud *Iſraëlitas*, fato ſuo functus eſt, ac ſepultus alicubi inter *Gileaditas*. Id enim, opinor, vult quod ſcribitur, *in civitatibus Gileadis*. Nam, quod *Hebræi* quidam narrabant, parricidii cauſâ in filiam patrati, marcuiſſe *Jephtæ* ac defluxiſſe corporis membra, dúmque peragraret *Gileadem*, ſingula in ſingulis urbibus eum amiſiſſe, figmentum videtur *Judaïcum*, & planè fabuloſum. Nec veriora fortaſſe quæ traduntur ab aliis, eum gloriæ ſtudio monumenta ſibi varia in variis civitatibus poſuiſſe. *Petrus Martyr* (in *Judic.* 12.) opinatur, unam principem deſignari urbem proprio *Civitatum* nomine, quòd in eam plures coaluiſſent; quomodo *Syracuſis* alibíque factum eſt. *Ibzan* deinde, *Bethleëmita Judæus*, eam præfecturam nactus eſt, tenuítque ſeptennio. Erat ei præſidio filiorum triginta valida manus, quibus omnibus uxores in ſuam adſciverat domum; generorúmque totidem, quibus filias triginta elocaverat. A.M. 2825. *Ibzan* judex *Iſraëliticus*.

Nonus jam belli apud *Ilium* annus agebatur, & in caſtris utrinque otium quaſi pactis induciis. *Achilles* enim, qui *Trojanos* hactenus infeſtaverat, obſtinatâ quadam ſegnitiâ deſidebat in tentoriis; plectrum & citharam ſola tractabat arma; ingratámque habuit ipſam victoriarum gloriam, *Atridarum* ingratiſſimorum ſibi gratiâ partam. *Agamemnon* tamen, ſive ſomnio feliciore monitus pollicente victoriam, ſive pudore quodam ac tædio tam diuturnæ atque inutilis moræ, excitatus, haud exſpectandum ulteriùs putavit, dum remitteret ſe *Achillis* pertinacia, & iracundiæ fervor tepeſceret. Inſtruere igitur copias inſtituit, hoſtémque adoriri, ut, ſi urbem expugnare poſſet, deſidiæ tantæ ignominiam triumpho redimeret atque deleret. Quippe tam —*manſiſſe diu, vacuúmque redire*, turpiſſimum videbatur. Ac fortaſſe provocabant ad pugnam *Trojani*, & laceſſebant ultro, audaciores multò jam detrectante militiam ac deliteſcente, quem unicè formidabant, *Achille*. Sed veritus *Græcorum* dux, nè per oblatam fortiſſimo viro contumeliam alienâſſet à ſe militum voluntatem, eóque ſuis mandatis minùs obſequentes reddidiſſet, antequam in prælium educeret, explorandos tentandóſque cenſuit, reditûſne cupidiores forent an pugnæ. Nam invitis dubiæve fidei militibus ſuam ſalutem & *Græci* nominis gloriam committere, ac in certum vocare diſcrimen, minimè conſultum videbatur. Simulavit ergò ſe, dimiſſo exercitu, in patriam rediturum. Fruſtrà illic tempus & opes conterere procul à patria, ab uxoribus liberíſque procul; nullam eſſe victoriæ ſpem, expugnandíve *Ilii*. Principes quidem nonnullos antè conſilii ſui participes fecit. At militum grex, voluiſſe regem ratus id quod dixerat, ſatis alacriter ad fugam ſe comparabant, & in *Græciam* rediiſſent mox, niſi *Ulyſſes* atque *Neſtor*, conſiliorum conſcii, ſuâ prudentiâ obſtitiſſent, abeuntéſque revocâſſent ad arma; ut *Ulyſſes* gloriatur de ſe apud *Ovidium*. (Metam. l. 13.) A.M. 2826. *Achilles* militiam detrectat.

§ 16. Exploratis confirmatíſque militum animis, cùm in aciem copias produxiſſet *Agamemnon*, haud ſegniùs *Trojani*, *Hectore* duce, obviàm prodierunt. Congreſſuri jam erant exercitus, cùm *Paris Menelaüm* ad ſingulare certamen provocabat, ut ſuo duorum eventu profligaretur bellum, ſanguini parceretur inſonti. His igitur legibus conventum eſt, ſancitúmque teſtibus diis; ut aleam hujus belli ſuſciperent in ſe A.M. 2827. *Paris* provocat *Menelaüm* ad certamen ſingulare.

A.M. 2827.

ſe autores; altero cæſo, alter *Helenâ* potiretur; pacem inter ſe gentes deinde ac fœdera utrinque facerent colerentque. Ubi ventum ad manus eſt, initúmque certamen, ſuperior tandem *Spartanus*, jugulaturus mox *Paridem* videbatur, niſi aut ille fugâ maturè proripuiſſet ſe, aut à ſuis imminenti exitio ſubductus fuiſſet, *Menelao* ſimul & fœdere *Pandari* ſagittâ violato. Nebulâ circumfuſum à *Venere* ſublatúmque *Paridem* fabulantur Poëtæ. *Pandarus* autem, *Lycaonis* filius *Zeleënſis* ſub *Ida* monte, acumine ſagittarum nobilior quàm ingenii, aliorum verbis temere inductus eſt, ut, *Paridi* gratificaturus, *Menelaï* nece fœdus frangeret gentiúmque jus. Sed leve vulnus erat, multóque plus terroris attulit quàm diſcriminis. Valuit ergò tantùm ut *Paridem* hoſti periculóque eriperet, tolleretque inducias; conficere *Menelaüm* non valuit. Tantâ igitur contumeliâ támque indignâ provocati, ad arma protinus *Græci* conclamant; ad arma etiam *Trojani*. In prælium utrinque deſcenditur, concurritur, ſummíſque viribus concertatur.

Pugnatur inter exercitus acerrimè.

Ceciderunt in hoc prælio (ſi qua ſit *Homericis* adhibenda fides) è *Græcis* ducibus, *Elephenor Abantum Eubœenſium* regulus, & *Epeorum Diores Amaryncei* filius. Hic à *Piro* cæſus, *Imbraſi* filio, qui *Thraces* duxerat ex *Æno*; *Pirus* ipſe mox à *Thoante* peremptus eſt *Ætolo*. *Elephenor* autem ſpoliaturus *Echepolum* ab *Antilocho* interemptum, ab *Agenore* filio *Priami* leto datus eſt. Ex *Trojanis* autem *Odium* ſuſtulit *Agamemnon*; *Pandarum* illum fœdifragum *Diomedes*; *Menelaüs Pylæmenem*; *Ajax* major *Amphium*. Alii alios utrinque, ſæpius variante fortunâ. Cædibus nox finem ſtatuit. Poſtridie ad tumulanda cæſorum cadavera pactæ ſunt induciæ. Ac tum demum, poſt annos belli novem, *Homerus* ait murum à *Græcis* ædificatum, quo claſſem ab impetu *Trojanorum* communirent ac defenderent. Deinde verò in aciem denuo producti exercitus, & magnâ eſt præliatum vi. Sed fortiſſimè rem gerente *Hectore*, pulſi tandem intra murum ſuum *Græci*, apud naves trepidi continebant ſe. Nè quid ultrà conarentur *Trojani*, quaſi ſucceſſibus eorum invida, prohibuit nox, *Græcis* quidem gratiſſima. *Hector*, jam animo excitato maximâ ſpe, quò citiùs primo manè murum invaderet, incenderetque naves, in campo ſibi pernoctandum cenſuit, accenſis ignibus, adhibitíſque per caſtra vigiliis; ad urbis verò cuſtodiam, pueris ſenibúſque. Sumptâ quam ex urbe tranſmiſerant cœnâ, reliquam ferè noctem inſomnem agebant, exſpectantes avidè, votíſque omnibus invocantes auroram. Interim *Græci*, de ſumma rerum ſuâque ſalute ſoliciti, conſilium ineunt, ſtatuúntque excubias in foſſa collocandas extra murum, nè *Trojani* ſe inopinantes adoriantur. Deinde, mittendos eſſe ad *Achillem* oratores, deprecatum ut remittat iram, ſuámque laboranti patriæ opem conferat; quippe *Agamemnonem* ſibimet iraſci jam, quòd iratus *Achilli* fuerit, petereque vehementer, ut injuriam *Achilli* oblatam liceat ſibi quantiſcunque donis redimere, ſuámque meritò luere temeritatem. Ità inſtructi ad *Achillem* delegati ſunt viri tres: *Ulyſſes*, homo peramicus & orator facundus; patruelis ei frater *Ajax*; & quem inſtar præceptoris atque patris colebat, habebátque intimum à conſiliis, *Phœnix*. Atque hi quidem privatæ amicitiæ meritorúmque ſuorum jure gratiſſimi advenerunt. Sed in cauſa publica impetravêre nihil. Non amicitiâ, non ſanguine, non autoritate, non precibus, non donis, non facundiâ, non ullis denique artibus machiníſve, ferociam hominis iracundi flectere, offenſúmque animum delinire poterant. Sed quo illi plus frigidæ affundebant, iracundia ejus eò magìs inflammari, & ab ipſis ali aquis incendium.

Græci ad naves fugati.

Achillem ambiunt, ſed incaſſum.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.

En quantò magìs ſit arduum viro, etiam fortiſſimo, ſe ſubigere, ſuóſque ſpiritus elatos atque tumidos perdomare, quàm hoſtium vires vel maximas frangere, urbéſque munitiſſimas expugnare. Hoc præſtitit *Achilles*; illud efficere non valebat. Doluêre quidem *Græciæ* principes, cùm hæc audirent; quippe qui crediderunt, ſine *Achillis* auxilio & *Myrmidonum* ſuſtineri vix poſſe, nedum profligari, hoſtium vires. Nec tamen animos deſponderunt. Conſultum videbatur, exire per noctem ſpeculatores, qui hoſtium res atque conſilia explorarent. Huic diſcrimini ſe obtulit audaciſſimus *Diomedes*, *Ulyſſém*que ſibi comitem adſcivit. Accidit fortè, ut ex caſtris *Trojanorum* eodem *Dolon* tempore ſpeculatum emitteretur, magnâ præmiorum ſpe ab *Hectore* conductus. Huic obviàm *Græci* cùm occurriſſent, injectâ manu, ex captivo ſunt percontati, quis, unde, quò, quamobrem, nocte mediâ in campis obambularet.

Dolon & Rheſus à Diomede & Ulyſſe obtruncati.

Ille

Ille ſibi timens, treménſque miſerè, ut inertem animam ſuam proditione quavis redimeret, facilè promptéque narravit omnia; imò & plura quàm ſunt rogata. *Rheſum Thracem* eâ veſperâ cum auxiliis adveniſſe, cui in fatis erat poëticis, ut victoriâ potiretur, ſi modò pabulum *Trojanum* equi ejus comediſſent, & bibiſſent aquam. (*Pomp. Mela.*) Cùm *Dolona* occidiſſent, (nè vitæ præmio gratificarentur proditori,) ad *Rheſi* caſtra properabant. *Thraces* illic, ex itinere fatigati, ſecurè admodum jacebant gravati ſomno. Nihil enim ab *Achivis* formidabant, jam pridem famâ profligatis; ad victoriam ſe prædámque, non ad bellum, veniſſe rati. Speculatores in caſtra media *Græci* facilè penetrabant, cùm nullæ eſſent quæ prohiberent excubiæ, ipſis vigiliis dormientibus. Regem igitur alto ſomno in tentoriis ſuis ſopitum, alióſque complures qui regem ad inferos comitarentur, ex improviſo obtruncârunt. Ac nè morâ diuturnâ ſibi traherent periculum, equos regios conſcendentes ad naves illico feſtinârunt. *Græcorum* principes exſpectabant, felicémque ſuorum reditum gaudio ſummo gratulabantur. Et jam aderat lux prima, cùm *Achivos* armari imperat *Agamemnon*, quibus in campum ipſe præit. *Hector* etiam ad arma *Trojanos* vocat; cui aderant *Æneas* atque *Polydamas*, cum tribus iſtis *Antenoridis*, *Agenore*, *Polybo* & *Acamante*, aliíſque plurimis. Congreſſi tandem exercitus, æquo Marte aliquantiſper dimicârunt, victoriâ nuſquam inclinante. *Agamemnonis* tandem præclara virtus ſe exſeruit; quâ non hoſtes modò *Trojanos*, ſed & fortiſſimos *Græcorum* duces eo in prælio ſuperavit. *Trojanorum* enim plurimis trucidatis, reliquos ad portas ferè urbis fugientes eſt proſecutus. Vulnere tandem accepto, cujus dolore cruciabatur, prælio excedere coactus, ad naves rediit medicóſque; relictâ, quam in manibus habebat, hoſtibus victoriâ. (*Iliad.* 11.) *Diomedes* enim, cùm *Hectori* animosè ſe opponeret, ſagittâ *Paridis* vulneratus, in prælio conſiſtere nequaquam potuit. Ab eodem ſaucius etiam *Eurypylus*, & *Machaon* chirurgus; à *Soco Hippaſi*, *Ulyſſes*. Qui omnes cùm aciem ſociorum deſeruiſſent, *Trojani* multò alacriores, magnâ vi ad murum uſque & naves *Græcos* repulerunt. Hìc in quinque diſtributi ſunt agmina, quorum ſingulis tres duces præerant; principes ternionum, *Hector*, *Paris*, *Deïphobus*, *Sarpedon*, & *Æneas*. Hi murum invadunt undique. Effracta porta cum ſuis *Hectorem* admiſit, ubi acriter pugnatum eſt: utrinque plurimi occubuerunt. *Hector* ipſe ab *Ajace* contuſus ſaxo, & tantùm-non confectus eſt. Quo ex prælio decedente, *Trojani* reliqui murum quem occupaverant deſeruerunt. Sed eodem recreato, mox & redeunte, ii ſimul in murum pugnámque ferociores redierunt.

A.M. 2827.

Iterum pugnatur.

Patroclus, qui *Achillem* in hanc militiam ſecutus eſt, unus omnium ei chariſſimus, quanquam prælio non intererat, *Achille* in caſtris quieſcente, facilè tamen animadvertit ex navibus atque tentoriis quæ fierent intra murum. *Trojanos* igitur cùm videret jam denuo irruentes, quanquam à navibus repulſos ſemel, nec telis duntaxat, verùm & facibus armatos, cœpit de ſalute *Græciæ* reíque ſumma pertimeſcere, nè, claſſe incensâ, funditus omnes interirent. Et *Neſtor* jam pridem monendo dixerat, ut afflictis patriæ ſuæ rebus quantum poſſet ſuccurreret. Magno igitur metu atque mœrore perturbatus, *Achillem* adiit; (id quod *Neſtor* voluerat;) vehementérque ab eo petiit, ut vel irâ depoſitâ *Græcis* ipſe auxiliaretur, vel ſibi ſaltem *Myrmidonas* contra *Trojanos* ducendos traderet. *Achilles* jam paulò mitior, amico deprecante, quàm eſſet hactenus, & vel periculo ſuo prudentior, quamvìs iram ipſe ſuam injuriámque *Agamemnonis* nondum ſatìs concoxerat, amici tamen gratiâ *Myrmidonibus* conceſſit, ut ad opem *Græcis* ferendam prodirent protinus in aciem, & *Patroclum* ſequerentur. *Ajax* quidem *Telamonius* diu hactenus obſtiterat, nè in navem *Proteſilaï*, quæ prima occurrebat, faces *Hector* injiceret. Sed hoſtium obrutus multitudine, loco ceſſit; ignéque protinus concepto, navis flagrare cœpit in mediis nihil jam proficientibus aquis. *Achilles* fumum ubi vidit aſcendentem, emicantéſque flammas è longinquo, ſuſpicatus id quod erat, concitavit ſuos ipſe ut feſtinarent, ſítque ſtrenuè rem gererent hortatus eſt. Ubi ad hoſtes ventum eſt, *Pæones* primi occurrebant; quorum ducem *Pyræchmen* cùm *Patroclus* interemiſſet, reliquos in fugam *Myrmidones* facilè conjecerunt. *Trojani*, *Achillem* ipſum adeſſe veriti, cedere à navibus cœperunt omnes. Quos *Græci* eò majore perſecuti ſunt impetu, quòd *Myrmidonum* ſibi adeſſent recentes copiæ. *Sarpedonem Patroclus*, alii alios *Trojanorum* fortiſſimos duces ſuſtulerunt. Magna ſtrages facta eſt, & ad ipſa urbis mœnia fugati ſunt hoſtes. Ab uno ſibi *Patroclo* certam ex manibus victoriam extorqueri, *Trojani* multùm indignabantur. Eum itaque ſibi tollendum quovis modo exiſtimabant. *Euphorbus*, armorum peritiſſimus, à

Tandem, *Patroclo* interempto,

claſſéque *Græcâ* ab hoſte flagrante,

A.M. 2827.

tergo ei vulnus inflixit haſtâ, cùm cominus pugnare non auderet. *Hector* adortus vulneratum, confoſſum haſtâ interemit. De cadavere defuncti certamen ortum eſt ingens; his ad ludibrium expetentibus, illis ad ſepulchrum. *Euphorbus* ſibi, tanquam debitum, poſtulabat: at eum confecit *Menelaüs*. *Hippothoüs* deinde cadaver nobile contrectabat; at ab *Ajace* confectus magno, cadaver & ipſe factus eſt. Tandem ad *Achillem* deportatum eſt cadaver ſublatum humeris. De cujus nece ubi accepit infauſtum nuncium, dici non poteſt quantopere dolendo ſemetipſum cruciaret. Quod fruſtrà fieri cùm animadverteret, unicúmque ſupereſſe ſolatium, ultionis ſpem de homicida, in eam continuò ſe totum dedit. In gratiam redit cum *Agamemnone*, cum quo hactenus exercuerat (ut Poëtæ verbis utar) —*pretioſa odia, & conſtantia magno*: magno *Danaïs*, nam——μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε· ſibíque magno ipſi, quæ *Patroclum* ademerant. *Briſeïs* recepta, quæque obtulerat *Agamemnon* ad injuriam redimendam accepta dona ſunt. Odium recens in *Trojanos* vetus illud in *Achivos* induxit ſimul & ſuperavit: iráque in hoſtes quaſi in proprium derivata eſt alveum, quæ ſuos ſupra ripas, limitéſque à natura conſtitutos, divagata eſt priùs in ſuos ipſius populares.

ſuis *Achilles* ſuppetias fert.

Ad bellum totus ſe comparat. Non jam cithara, non cibus potúſve, aut ſomnus ei ipſe gratus eſt. Jucundum jam nihil niſi cædes & vindicta. *Græcorum* copiæ manè primo in campum prodierunt, ubi paratos exſpectantéſque invenerunt *Trojanos*. *Hectore* ſcilicet imperante, pernoctatum eſt in campo, adverſante fruſtrà *Polydamante*. Horum *Homerus* animadvertit, in pari ætate, ſtudiorum morúmque perquam notabilem diſſimilitudinem. *Hector* robore præſtabat & fortitudine, armis inclytus artibúſque bellicis: *Polydamas* verò conſiliis valebat plurimùm, clarúſque prudentiâ & pacis artibus habebatur. Eodem tamen tempore utroque nato, vana probat atque incerta vatum præſagia à Genethliacis. In acie jam, ut in regno ſuo, *Achilles* inclytus dominabatur: irruit in *Trojanos* inſigni impetu; *Æneam* primò, mox & *Hectorem* in fugam egit. Cùm neci plurimos tradidiſſet, & in obvios quoſque ſæviret furore maximo, *Trojani*, perniciem tantam ſuſtinere non valentes, verterunt terga, & conati ſunt evadere, ut quiſque potuit. Medium agmen urgebat victor, & poſtremos haſtâ demetebat. Quare ſciſſum eſt agmen, & in duas partes diſceſſum eſt. Ad urbem alii confugiebant; *Scamandrum* fluvium petebant alii, ubi à fluctibus plerique, unde ſalutem ſperabant unicè, abſorpti ſunt. Horum preſſit veſtigia, ipsáſque in aquas perſecutus eſt *Achilles*. Ibi, inter alios, interemit *Aſteropæum*. Vivi duodecim capti ſunt juvenes nobiliſſimi, inferiæ *Patroclo* mox futuri. Dum hîc *Achilles* morabatur, *Trojani* in urbem reliqui omnes evaſêre, extra telorum diſcrimen poſiti. Unus *Hector* ad *Scæam* portam, ipſo nomine infortunatam, ipſum *Achillem* exſpectabat, ut vel eo cæſo gloriam reportaret; vel ipſe cæſus ignominiam deleret eam quam à ſuis meritò pertimuit, ut qui prudens & ſalutare *Polydamantis* conſilium repudiâſſet, recepiſsétque ſe *Achillem* propulſaturum. Exſpectatus adeſt *Achilles* tandem, *Hectorémque* obvium habuit, quem omnium maximè exoptabat. De fuga *Hectoris* nihil dicam, trinâque murorum circuitione, quam ad augendam *Pelidæ* gloriam Poëta fingit. Quo caſu, quâve arte id factum ſit, haud multùm refert: ſed victus eſt *Hector*, & interemptus. *Achivis* magnum ex eo gaudium, luctus par *Trojanis* fuit. Poſt cadaver *Hectoris* ſpoliatum, pedibus conſtrictis, & poſt currum alligatis, ad naves pertractum cum ignominia, turpiſſiméque fœdatum pulvere, funus *Patroclo* eſt inſtitutum: eodémne modo quo narrat *Homerus*, nihil attinet. Hoc certè præſtat commodum narratio illa, quòd ritus funerum apud *Græcos* ſolennium doceat. Ritibus autem abſolutis, (quos commodiſſimè apud *Homerum* videre eſt,) & ſub auroram combuſtâ pyrâ; ignis jamjam defecturus vino nigro extinctus eſt. *Patrocli* oſſa, quæ in media jacebant pyra, in auream phialam adipémque duplicem collecta ſimul & collocata, in ſummo pretio apud *Achillem* atque honore habebantur. Tumulo denique congeſto, ad ludos indè funebres deſcenderunt in circum. Equorum certamine curuli primas tulit *Diomedes*. *Eumelus* enim, utut ejus equæ perniciſſimæ habebantur *Græcanicarum*, fracto tamen crure fertur fuiſſe impeditus. *Epeüs Phocenſis* longè præſtitit pugilatu, de cujus tamen armati geſtis nihil in bello memoratur. In palæſtra luctabantur *Ajax* major & *Ulyſſes*. Ille viribus, hic arte præſtans, ambo pares renunciabantur, præmiáque tulerunt prorſus æqualia. Currendo præmium reportavit primum *Ulyſſes*, prolapſo fortè in boüm ſordibus *Ajace Oilidâ* qui concertabat. Haſtis dimicando ſuperior erat *Diomedes*, ut qui *Ajaci Telamonio* inflixit vulnus. Diſcum projiciendo *Polypœtes* præmio potitus eſt; ſagittando *Meriones*,

riones, qui ſub nubibus volantem columbam trajecit, cujus funiculum quo pes alligatus erat diſciderat *Teucer*. Denique, jaculando *Agamemnon* ipſe, nè honoribus *Patrocli* deeſſe videretur, certaturus, præmio maximo ſine certamine donatus eſt. *A.M.* 2827.

§ 17. Interea *Hectoris* cadaver in caſtris jacebat inſepultum. *Priamus* ergò ipſe, impetratâ, per tempus induciarum, conveniendi *Achillem* veniâ, ——— *auro redimit jus triſte ſepulchri*; filiíque ſui exſequias magnificè peregit. *Hectore* ſublato,

Atque hactenus *Homerum* in hoc bello ſumus ſecuti ducem; iis tantùm amputatis quæ omnino fabuloſa, aut ſtudio partium ficta, videbantur. Aliunde nobis reliqua ferè omnia ſunt colligenda. Narratur in convivio apud regem *Agamemnonem*, (*Odyſſ.* 8.) *Achillem* atque *Ulyſſem* vehementer verbis contendiſſe, quâ potiſſimùm ratione capiendum eſſet *Ilium*. *Achilles* fortiter pugnando, *Ulyſſes* prudenter conſulendo, per ſtrategemata & inſidias, id facillimè præſtari poſſe, contendebant. Cùm hæc audiret *Agamemnon*, mirificè gaviſus fuiſſe dicitur, utpote revocans in memoriam, ab initio *Pythiam* reſpondiſſe, *Græcos* tum demum votis victoriâque potituros, cùm ducum optimi diſſentirent atque inter ſe contenderent.

Sublato licèt *Hectore*, ſociorúmque ferè omnium amiſſis ducibus, *Priamus* tamen ejúſque filii neutiquam animos deſpondebant, ſed in auxiliis contrahendis conatu ſummo laborabant. *Memnon* copias recentes iis attulit ex Oriente, qui proinde fingebatur *Aurorâ* natus. *Pentheſiléa* quoque vocata eſt *Amazonum* regina. (De qua *Virgilius Æneïdos* primo elegantiſſimé.) *Eurypylus* ex *Myſia* in belli acceſſit ſocietatem, antehac forſan per ætatem ad arma capeſſenda vix maturus. *Memnon* autem, (de quo *Diodorus* l. 2. multa ſcribit,) *Perſiæ Suſianæ*que ſub *Teutamo* rege præfectus, ætatis flore, corporis robore, animi magnitudine, ſummâque apud regem ſuum gratiâ nobiliſſimus, *Suſis* regiam conſtruxerat in arce, quæ ad *Perſarum* uſque imperium *Memnonea* vocabatur. Viam publicam ibi conſtraverat, quæ multò diutiùs autoris nomine celebrabatur. Idem hoc in bello facinora edidit præclara multa; illud inprimis, quòd *Neſtoris* filium *Antilochum*, virum fortiſſimum, interemit. Ipſe tandem ab *Achille* trucidatus interiit. Illi tumulus eſt congeſtus in agro etiam *Ilienſi*. *Plinius* enim (l. 10. 26.) Autores ait non deeſſe, aves quaſdam ex *Æthiopia* quotannis *Ilium* advolare, atque ad *Memnonis* ſepulchrum confligere; quas *Memnonidas* idcirco vocant. *Memnonis* gladius ex ære totus, haſtáque ejus (ſed ima duntaxat) ærea; atque in fano *Æſculapii*, *Nicomediæ*, multa poſt ſecula oſtendebatur. Arma autem ex ære inprimis conflata erant omnia. (*Pauſ.* in *Laconicis*.) *Pentheſiléam* quoque ferunt ab *Achille* interfectam, deletáſque tandem ejus à *Græcis* copias; neque ullum deinde gentis hujus memoratur egregium facinus. Paucæ quæ remanebant vix aut nè vix quidem ſeſe adverſus finitimos defendentes, ad uſque tempora (inquit *Juſtinus*) *Alexandri* Magni duraverunt. Securim bellicam *Plinius* docet (lib. 7. 56.) à *Pentheſiléa* inventam eſſe, quâ cominus pugnando pro gladio plurimùm utebatur. *Troïlum* quoque memorant ab eodem *Achille* cæſum, *Priami* filium ex *Hecuba* quidem, (*Apollod.* 3.) ſed tantæ ſpei adoleſcentem, ut, per ætatem ſi licuiſſet, *Hectoris* fortitudini videretur ſucceſſurus. *Priamus* ferociter inſtaurat bellum.

Audaciſſimo quoque ducum *Trojanorum* interempto, *Achilles* reliquos acerrimè urgebat, ipsíque urbi imminebat, quam jamjam capturus videbatur. Interea ſucceſſu tumidus, ſuíſque viribus præfidens, dum ſe temere conjicit in pericula, ex inſidiis à *Paride* ſagittâ ictus occubuit. Narrant aliqui, nuptias *Polyxenæ Achillem* ambiviſſe, virginis formoſiſſimæ, filiæque *Priami*: cùm ea de re veniſſet ad colloquium, ab *Alexandro* & *Deïphobo* inſidiosè trucidatum. (*Hygin.* Fab. 110.) *Trojanos* multùm exſultaviſſe, concidente quem unicè formidabant hoſte, in proclivi eſt credere. Erectis igitur animis in aciem redeunt, acerrimúmque de cadavere certamen movent. Nec ceſſuri videbantur, niſi vehemens turbo irruiſſet, & quaſi cœlitus diremiſſet prælium. (*Odyſſ.* 24.) Tum demum *Ulyſſes*, qui in hoſtibus ſummovendis operam ſtrenuam navârat hactenus, ſublimè ſuſtulit cadaver, atque ad naves deportavit. (*Odyſſ.* 11.) De quo gloriatur apud Poëtam, (Metam. 15.) *Achilles* victor occumbit:

His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis
Et ſimul arma tuli.—————

Dies 17 luctui dederunt: octavo atque decimo ignibus traditum cadaver. Inferiæ manibus & ludi funebres exhibiti; omniáque ut *Patroclo* ab *Achille*, ſic *Achilli* à *Græcis* perſoluta ſunt officia exſequiarum cumulaté.

Quo

A.M. 2827.

Quo Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet,
Hoc fuit, ——— (Metam. 12. fab. 7.)

Achillis obitu *Hectorem* eſſe compenſatum.

Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelaſgi
Nominis, Æacides, caput inſuperabile bello, &c.
Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam. (Ibid.)

Oſſa ſcilicet *Patrocli* in eadem congeſta ſunt; ut qui vixerant conjunctiſſimi, non ipsâ morte divellerentur. *Achillëum* appellatum eſt tumulus ejus. Gymnaſium erat in *Elide*, locus ludis dedicatus, ubi *Achilli* Cenotaphium ex oraculo erat conſtitutum, matronæque ſtato die, ſub initiis ipſis ludorum, ad *Achillis* tumulum ſub veſpere pectora plangebant. In *Euxino* erat mari *Leuce* inſula, ubi delubrum ei cum ſtatua dedicatum eſt. In *Laconia*, quâ in *Arcadiam* itur à *Sparta*, in via occurrebat *Achillis* fanum, quod recludi religio erat. Huic puberes rem divinam ſolebant facere pugnaturi. Aliud templum ei poſitum in *Braſiis* erat in *Laconia*, diéſque feſti quotannis celebrabantur. (*Pauſ. Lacon.*)

de cujus armis certatur acriter.

Poſt interitum *Achillis*, de præclariſſimis ejus armis acre certamen ortum eſt. *Ajax Telamonius*, in ſtataria pugna fortiſſimus, & ſecundus ab *Achille*, patruelis ſui arma uni ſibi deberi credidit. At *Ulyſſes*, qui conſiliis artéque plurimùm patriæ ſuæ res adjuverat, tantâ ſe mercede non minùs dignum opinabatur. Coram principibus res defertur in judicium; ſuam uterque cauſam dicit. Sed *Ulyſſes*, tam facundiâ quàm ſummâ apud proceres præpollens gratiâ, armis victor potitus eſt.

Mota manus procerum; & quid facundia poſſet,
Tum patuit, fortiſque viri tulit arma diſertus. (*Ovid.* Met. 13.)

Ajax impensè indignatus, qui jampridem atrâ bile ad amentiam ferè laboraverat, cùm tantam ferre contumeliam non poſſet, nec ulciſcendi aut ſpem aut facultatem haberet ullam, manus ſibi ipſi furens intulit.

Hectora qui ſolus, qui ferrum, ignémque Jovémque
Suſtinuit toties, unam non ſuſtinet iram;
Invictúmque virum vicit dolor. ——— (*Ovid.* ibid.)

Æolenſes verò coloni, qui in *Troade* ſunt relicti, *Achillis* arma referre ſolent, poſt *Ulyſſis* naufragium, ad *Ajacis* ſepulchrum fuiſſe à fluctibus delata; *Neptuno* æquiùs judicante quàm *Græcorum* principes, ſuúmque digniori reddente præmium. (*Pauſ. Attic.*) *Suidas* ait,contentionem de *Palladio* potiùs fuiſſe; cúmque nox interveniſſet, lite nondum judicatâ, *Palladium Diomedi* eâ nocte ſervandum eſſe traditum. *Ajax* interea interfectus *Ulyſſem* invidiâ ſuſpicionis oneravit. Poſt rixam hac de re inter principes, ſervante *Palladium Diomede*, diſceſſum eſt. *Mneſtheüs* oratione *Ajacis* funus cohoneſtavit. (*Philoſtr.* Heroïc.) In *Rhœteo* promontorio poſitum *Ajaci* ſepulchrum eſt, quod *Æanteüm* poſtmodum dicebatur. Ejuſdémque nominis oppidum à *Rhodiis* poſtea condebatur, (*Plin.* 5. 30.) quod *Rhœteüm* appellare videtur *Strabo*, (l. 13.)

Ulyſſes & *Diomedes Palladium* rapiunt.

§ 18. *Ulyſſes* deinde à principibus in *Scyron* inſulam miſſus eſt, utì *Pyrrhum* indè traduceret *Achillis* filium, qui patris vice *Myrmidonibus* imperaret. Et videtur quidem ex eo *Neoptolemi* nomen adeptus, quòd in *bellum adoleſcens* profectus ſit. *Philoctetes* etiam ex *Lemno*, ſanato jam vulnere, *Ulyſſis* operâ & *Diomedis* jam tandem revocatus, fatalibus *Herculis* ſagittis feliciſſimè uſus eſt. Iis enim hujus belli prima fax tandem extincta eſt *Paris*. Ferunt eum *Paridem*, ſimulatque ſauciatus eſſet, primæ conjugis *Oenones* (quam medicinæ noverat peritiſſimam) opem fruſtrà imploràſſe. Illa ſcilicet ſe rejectam, prælatámque ſibi *Helenam*, indignata, orantem repulſa repulit, & interire paſſa eſt, cùm ſanare una poſſet. Mox autem eam cùm pœniteret iracundiæ, ſeróque vellet mortuo medicinam adhibere, ſibi & ipſi mortem conſcivit laqueo. (*Apollod.* l. 3.) Sunt qui à *Pyrrho* narrant *Paridem* interfectum; *Helenámque* deinde *Deïphobo Paridis* fratri denuptam eſſe. *Helenum* quoque vatem, filiumque *Priami*, ab *Ulyſſe* captum eſſe, qui *Trojanorum* fata *Ulyſſi* prodidit; quæ niſi expedirentur, expugnari civitas non potuit. *Palladium* inprimis obſtitit, ſimula-

A.M. 2827.

ſimulacrum *Palladis* διοπετὴς. Vigilantiſſimis ergò cuſtodiis in templo *Minervæ*, intimíſque penetralibus *Pergameæ* arcis, aſſervabatur. Sed & huc per cloacas aut cuniculos. *Ulyſſem* ferunt & *Diomedem* aſcendiſſe; arcanúmque illud imperii pignus, cæſis cuſtodibus, rapuiſſe. Hoc *Æneæ Diomedem* tradidiſſe, *Solinus* memorat; (l. 2.) ut & *Servius*, (in 2. *Æneïd.*) *Dionyſ. Halicarn.* (l. 1.) & *Pauſanias* (in *Corinthiacis*) ſcribunt id *Æneam* in *Italiam* deportâſſe. *Procopius* contrà (de Bello *Goth.* l. 2.) *Diomedem* ait, in *Italia* cùm eſſet, graviſſiméque decumberet, ab oraculo monitum, *Æneæ Palladium* tradidiſſe. Pergit *Procopius*, & *Romæ* id poſtea diutiſſimè conſervatum, ab imperatore *Conſtantino* in urbem ſuam tranſlatum eſſe, atque in Foro *Conſtantini* defoſſum, quo imperium terrarum huic urbi perpetuum fatali ſigno affigeret. Quæ ſi vera ſunt, nondum videtur vir ille magnus totam antiqui ſerpentis pellem exuiſſe.

Indéque Trojæ conflagratio.

Interea dum *Ulyſſes* hæc, ab aliis acriter pugnatum eſt, cæſíque plurimi. *Herculis* ille haud degener nepos *Eurypylus Machaonem* fertur occidiſſe medicum, ad ſananda (puto) vulnera quàm ad inferenda promptiorem; quanquam *Virgilius* inter duces in equo *Trojano* eum ſtatuit. Univerſis ferè barbarorum hoſtium ducibus, qui auxiliatum *Trojanis* venerant, trucidatis, atque è medio ſublatis *Trojanorum* audaciſſimis; de urbe tandem expugnanda conſulere viſum eſt. Si muros obſiderent, longum id opus & diuturnum; ſi invaderent integros aſſiliréntque, arduum id ſanè & multi ſanguinis futurum cenſebant. Tandem, (ſi Poëtas audire volumus,) *Heleno* ſuadente,

> *Inſtar montis equum divinâ Palladis arte*
> *Ædificant* ———

ligneum, *Epeo Phocenſi* fabricatore. (*Pauſ. Phoc.*) Tanquam jam diſceſſuri votum ſimulant pro reditu, cujus fama diſſeminatur; atque inſcribunt monſtro ſuo, *Danaï Minervæ dono dant.*

> *Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim*
> *Includunt cæco lateri, penitúſque cavernas*
> *Ingentes uterúmque armato milite complent.* (*Virg. Æn.* 2.)

Lycophron & *Iſaacius* de *Bryli*, ſeu *Brylli*, vate *Lemnio*, meminerunt, qui, à *Palamede* perſuaſus, *Græcis Trojam* proficiſcentibus prædixit, equo eſſe ligneo capiendam. *Danaorum* copiæ reliquæ, in *Tenedum* inſulam provectæ, deſerto in littore ſe condunt. Abiiſſe *Troës* rati, triumphare omnes præ gaudio; equum verò ingentem perluſtrantes obſtupeſcere; altercatíque variis ea de re ſententiis, tandem ruptis mœnibus in urbem funibus pertraxerunt. Nam & *Sinon* vaferrimus fidem fecerat perjuriis, *Minervæ* hoc donum ſi violaretur, *Trojanis* exitio id futurum. Sin in urbem reciperetur, magna *Græcis* mala denunciari. Lætitiâ ſummâ, conviviíſque lautiſſimis, feſtus hic eſt *Minervæ* celebratus dies. Quo autem plùs de die ſunt poti, eò arctior *Trojanos* noctu ſomnus amplexus eſt. His ergò altùm dormientibus, *Græci* littus *Trojanum* repetunt, adventúmque ſuum ex puppe regia elatis facibus denunciant. Quos cùm *Sinon Græcorum* ſpeculator animadvertiſſet, eveſtigio & ſine mora equi clauſtra laxavit; unde *Græcis* erumpentibus, in urbem captam crudeliſſimè ſævitum eſt. *Menelaüs* atque *Ulyſſes* in *Helenæ* thalamum irrumpunt, *Deïphobúm*que planè nudum mactant fœdiſſimè mutilántque. Non deerant è ducibus qui cenſebant, tollendam eſſe & adulteram, tot funerum cauſam. At *Menelaüs Ulyſſis* operâ (amoris flammâ nondum extinctâ) effecit, ut ſibi incolumis traderetur. Interim *Caſſandra*, *Priami* filia ſpecioſiſſima, ab *Ajace Oileï* in templo *Palladis* (quò ad aſylum fortè confugerat) turpiſſimè conſtuprata eſt. Quod facinus adeò nefarium ipſis *Græcis* viſum eſt, ut *Ulyſſes* in concilio *Ajacem* cenſuerit lapidibus obruendum; ad deam ſcilicet placandam, cujus templum violaverat. (*Pauſ. Phoc.*) Nè in ſingulis morer, ipſe *Priamus*, ad aram ſtatuámque *Herceï* ſub dio *Jovis*, (quò confugerat,) à *Pyrrho* juvene imberbi reverendus ſenex eſt immolatus. Equum verò illum, quo *Trojam* eſſe captam Poëtæ fingunt, *Pauſanias* (in *Atticis*) credibiliùs multò exiſtimat machinam fuiſſe bellicam, ab *Epeo* factam ad muros urbis disjiciendos, equi formâ; quales poſtmodum *Arietes* à ſimilitudine dicti ſunt. Hoc autem fateatur neceſſe eſt, (inquit *Pauſanias*,) qui *Trojanos* nolit ſtuporis atque ſtultitiæ condemnare; nec *Trojanos* duntaxat, verùm etiam *Græcorum* principes, qui ſunt auſi, tam

Equus Trojanus quid ſibi velit.

A.M. 2827. tam dubiâ ſpe, tanto ſe omnes diſcrimini objicere. Quare *Plinius*, (lib.7.56.) *Equum*, inquit, *qui nunc Aries appellatur, in machinis muralibus, Epeüs invenit ad Trojam.*

Æneæ fuga. § 19. Captâ incenſâque urbe inferiore, *Æneas* propere cum ſuis in arcem *Pergami* confugit. Illic, ut in loco tutiſſimo, ſacra erant *Trojanorum* patria; illic magna pecuniarum vis; illic bellici apparatus, quibus maximè uſus eſt. Atque impetus hoſtium ex arduo conantium aſcendere, ad tempus ſaltem, repellebatur. At *Æneas* obſidionem tolerari non poſſe perſpiciens facilè, ſe ſuóſque unà cum ſacris aliò ſtatuit conferre, alibíque in tuto (quantum fieri potuit) collocare. Imbellem igitur turbam puerorum, ſenum mulierúmque, quibus opus erat fugâ tardiore, præmittit. Militaris etiam roboris partem præſidio dat ad montem *Idæum* properantibus; dum hoſtibus, in arce oppugnanda occupatis, fugientium veſtigia perſequi non vacaret. *Græcos* enim pugnâ variâ tenebat *Æneas* impeditos, quò ſuis fugam tutiorem redderet. Mox, quibuſque rebus ſuis convaſatis pretioſiſſimis, cum *Anchiſa* patre in viam ſe dat, poſticâ parte munimenti elapſus. *Palladium* quoque & deos Magnos fugæ ſuæ comites habere voluit. Tandem præmiſſos cùm eſſet conſecutus, uno omnes agmine in montium aſpera contendunt, quæ ope minimâ defendi poſſe videbantur. Magna jam aderat *Æneæ* multitudo, eorum ſcilicet *Trojanorum* qui ad eum in montem confluebant; brevi fore ſperantes, ut, *Græcis* in patriam diſcedentibus, ſua omnia reciperent, *Iliúm*que novum conderent. At *Græci* ſe ad hoſtes etiam montanos accingebant. Sed ab *Ænea* caduceatoribus conciliandæ pacis gratiâ miſſis, ità colloquium impetravit, ut has in leges convenerint. Quæcunque reliqua habebant reliquiæ *Trojanorum*, retinerent, auferrent; ſed ex agro *Trojano* diſcederent, nováſque ſibi pararent ſedes. *Græci* verò per maria terráſque ſuæ ditionis ſecurum illis præſtarent tranſitum.

Spoliorum partitio inter duces *Græcorum*. *Ilio* flagrante, ſpolia inter ſe *Phrygia* partiti ſunt *Græcorum* duces. De auro argentóque & ſupellectile pretioſa, quid quantúmve cuique obvenerit, nuſquam traditur. De captivis ferunt, *Caſſandram*, etſi vitiatam ab *Ajace*, ab *Agamemnone* tamen repudiatam non eſſe. (*Pauſ. Corinth.*) *Hecubam* reginam ſortitus eſt *Ulyſſes*, *Andromachen Pyrrhus*; alii alias captivas in prædam & præmium accepêre. *Jovis* patrii, ſive *Hercei*, ſimulacrum *Sthenelus*, qui in *Argivo* id *Minervæ* templo poſuit. Tertium dicitur oculum in fronte habuiſſe: quod ſignificat, (inquit *Pauſanias*,) unum deum tribus mundi partibus imperare: dictus indè τριόφθαλμος Ζεὺς, *Trioculus Jupiter*. (*Pauſ. Corinth.*) *Eurypylo* arca obtigit quæ incluſum continebat *Liberi* patris ſimulacrum. Id ut primùm conſpexit *Eurypylus*, in dementiam actus eſt; ità ut rariſſimè apud ſe eſſet, donec, aliquot pòſt annis, cives *Aroënſes* ſacrorum infamiâ valde crudelium liberavit: eámque urbem pro patria deinceps habuit, ubi rediit ad ſe, ad ſuos nunquam. Prædam ſuam partiti, conviviis *Græci* lautiſſimis atque lætiſſimis indulgebant: cùm ex tumulo *Achillis* umbra dicitur prodiiſſe, minaciſſimè conquerens, nullam ſibi partem ſpoliorum datam eſſe. *Polyxena* igitur formoſiſſima, quam vivum amaviſſe *Achillem* ferunt, à *Pyrrho* ad aram patris, ad placandos mortui manes, mactata eſt. (*Hyg.* Fab. 110.)

A.M. 2828. § 20. *Troja* jacet, regnúmque à *Dardano* ante annos tercentenos conſtitutum deletum eſt funditus, anno *Agamemnonis* 15. ut *Euſebius* ipſe; at 18. ut *Tatianus* apud *Euſebium* ſtatuit. (Præp. Evang. 10. 11.) *Græcis* nihil jam reſtabat, niſi ut domi triumpharent, gloriâque apud ſuos victoriæ tantæ perfruerentur. *Menelaus* cum ſuis manè primo diſcedit. *Neſtor* vicinus comitabatur; *Diomedes* atque *Ulyſſes* cum aliis uſque ad *Tenedum*. Illic diſſidium ortum eſt; peractíſque ſacris ad reditum impetrandum, *Ulyſſes* contendit, gratificaturus *Agamemnoni*, (quem reliquerant,) ad imperatorem redeundum. Interea *Neſtor* cum *Diomede Lesbum* effugerunt, quos *Menelaüs* ſecutus eſt: quartóque pòſt die pervenit *Argos Diomedes*; paulóque ſeriùs *Neſtor Pylum*. (*Hom. Odyſſ.* 3.) *Menelaüs Sunium* (promontorium *Atticæ*) prætervectus, *Neſtore* comitante, *Phrontida* ſuum amiſit gubernatorem peritiſſimum. Cùm in *Ægypto* ageret *Menelaüs*, à *Theone* quodam rege hoſpitio acceptus fuiſſe dicitur, muneribúſque donatus pro more; ut & *Helena* à regina *Epidamna*. Nam, ut alia multa, ſic ei pharmacum Nepenthes tradidit, quod vino mixtum mœſtitiam tolleret ex animo, alacréſque etiam redderet. Suſpicantur nonnulli, Bugloſſam tantùm fuiſſe, quæ vino injecta hilaritatem pariat, autore *Galeno*. (*Cæl. Rhodig.* Var. lect. 19. 3. *Hom. Odyſſ.* 4.) *Ælianus* verò refert, (de Animal. 9. 21.)

Diſſidium inter victores *Græciam* ſuam repetituros.

Mene-

Menelaüm, ultra *Ægyptum* in *Africam* Interiorem & *Æthiopiam* profecturum, apud *Thonin Helenam* depoſuiſſe cuſtodiendam; qui, amore correptus, de ſtupro eam interpellavit. *Helena* rem totam *Polydamnæ* indicavit; quæ, nè fœminæ peregrinæ formam maritus ſuæ præferret verita, in *Pharum* inſulam traditur *Helenam* expoſuiſſe. Cùm autem ea ſerpentibus abundaret inſula, herbam ei tradidit *Polydamna* ſerpentibus inimicam; cujus odorem ut primùm perceperant, ſe in terram abdidêre. Hanc ab *Helena* propagatam herbam, *Helenium* deinde appellatam fuiſſe aiunt.

A.M. 2828.

Nauplius injurias *Palamedis* ſui ulciſcitur.

Agamemnon interim cum ſuis, poſtquam ritè, ſed fruſtrà, ſacra ſua peregiſſent, vela dant in patriam redituri; proſperâque uſi navigatione, *Græciam* propè attigerant, cùm repentè tempeſtas ſæva invaſit claſſem, quo ad ſaxa *Caphærea* in *Eubœa* naufragium fœdiſſimè factum eſt. Dum cæcâ nocte fidem deorum implorabant, littoráque perſonabant ejulatibus, ſubaudivit fortè *Nauplius*, (qui ſenex ibi regnabat,) ſensítque tempus jam veniſſe ad perſequendas filii ſui *Palamedis* injurias. Laborantibus ergò quaſi opem allaturus, portúmque monſtraturus ſuum, facem in mediis ſcopulis ardentem ſuſtulit. Credebant facilè, perituri, factam ſibi à diis, humanitate regis *Nauplii*, ſalutis fidem. Eò cùm naves impuliſſent quò fax vocabat, vel ad ſaxa illiſi plurimi, vel à fluctibus abſorpti, miſerè perierunt. Siqui ad terram natando evaſerant, tanquam inferias *Palamedi Nauplius* cum ſuis jugulavit. Naves non paucæ, ventorum vi abreptæ, in varias regiones per maria ferè omnia ſunt diſſipatæ. (*Pauſ. Meſſen. Hygin.* Fab. 116.) *Græci* deorum iræ cladem ſuam tribuerunt, ob eorum delubra *Græcis* militibus ſpoliata. *Ajacem* ferunt à *Minerva* ictum fulmine, cujus fanum profanaviſſet, atque ad eas illiſum cautes, quæ *Ajacis Petræ* deinceps ſunt dictæ. At *Homerus* ob ſuperbiloquentiam fluctibus ait à *Neptuno* obrutum, (*Odyſſ.* 4.) quòd evaſurum ſe jactaret, atque pericula ſuperaturum, diis etiam invitis, omnia. *Phocenſium* nonnulli primò in *Africam* tempeſtate pulſi, mox in *Siciliam* tranſmisêre. *Arcadas* ab inſtituto in patriam curſu in *Cyprum* tempeſtas averſos rapuit. *Paphum* illic urbem inſtauravit *Agapenor*, ſuóſque ibidem penates poſuit. Non redeunte *Agapenore*, *Hippotheüs* ejus regno potitus eſt. *Demophöon*, in *Græciam* pro virili rediturus, à *Phyllide Sitonis* filia benigniſſimè hoſpitio acceptus eſt; cui perditè amanti nuptias videtur pollicitus. *Athenas* autem profecturus ad regnum capeſſendum, fidem ei dedit, ſe ad certum deinde tempus rediturum in *Thraciam*. Die conſtituto, novies ea dicitur ad littus cucurriſſe, ut *Demophöonti* ſuo occurreret: unde urbi vicinæ nomen Ἐννέα ὁδοὶ, *Novem viæ*; quam tamen poſtea *Amphipolin* vocitârunt. (*Suidas* in *Amphipolis*.) At cùm ille fidem fefelliſſet, nec illa vim deſiderii ſui ferret, dicitur laqueo gulam ſibimet fregiſſe. Ad ejus tumulum aiebant arbores quaſdam fuiſſe natas, quæ certo anni tempore mortem *Phyllidis* lugebant, areſcentibus tunc foliis, iiſdémque defluentibus. Unde folia ſunt φύλλα ex eo *Græcis* appellata. (*Hyg.* Fab. 59. & 223.) At *Servius* (ad *Virg.* Eclog. 5.) in Amygdalum ait converſam *Phyllidem* ſine foliis. Quam *Demophöon* ſimulatque (cùm tandem adveniſſet) amplexus eſt, arbor, acſi ſenſiſſet, emiſit folia. Atque indè φύλλα, quæ priùs πέταλα, dicebantur. *Homerus* narrat, *Diomedem* unà cum *Neſtore* jampridem rediviſſe. *Trœzenii* verò narrabant, *Diomedem* apud ſe (cùm tempeſtatem effugiſſet) delubrum *Apollini Epibaterio* ſtatuiſſe. (*Pauſ. Corinth.*) Ac rediiſſe quidem in patriam conſtat; ſed vel excluſum, vel expulſum, vel uxoris pertæſum impudicæ, in *Apuliam Italiæ* regionem diſceſſiſſe: ubi cùm *Dauni* regis filiam in matrimonium accepiſſet, in regni partem admiſſus eſt. *Veneti* quoque prædicabant, apud ſe fuiſſe *Diomedem*, cui apud eoſdem equus albus immolabatur. (*Strabo* Geog. 5. & 6.) Aves autem *Diomedeas*, colore candidas, ora dentata, oculos igneos habere ferunt, duáſque volandi duces; alteram ducere catervam, alteram cogere. Uno hæ in loco totius orbis viſuntur, in inſula ſcilicet *Diomedis* olim tumulo nobilitata, adverſus oram *Apuliæ*. Advenas barbaros clangore, affirmat *Plinius*, (10. 44.) ſed & unguibus atque roſtris uſque ad necem infeſtare, ipſe tradit *Ariſtoteles*; (lib. de Admirand. nat. c. 68.) *Græcis* tantùm adulari. Ædem *Diomedis* quotidie pleno gutture ac madentibus pennis perluere ferunt has aves & purificare: unde fabulæ origo, ſocios *Diomedis* in earum effigies mutatos eſſe. S. *Auguſtinus* (de Civ. Dei l. 18. c. 16.) fraudem hiſce dæmoniacam ſubeſſe ſuſpicatur. Ego hæc & reliqua, ut prodigè dicta, in fabulis pono. Unum hoc fieri & poſſe & ſolere, autor eſt *Plinius*, ut quædam parcant indigenis animalia, ſæviant in peregrinos. Quantum fidei *Ariſtotelis*, autoris primi, ſit tribuendum, ex eo licet colligere, quòd in tantam has aves intendat magnitudinem, ut hominem poſſent unguibus in altum tollere. Cujus ipſum ſuppuduiſſe

Græcorum tempeſtate diſſipantur naves.

A.M. 2828.

iſſe videtur *Plinium*, aliàs in miraculis naturæ referendis non nimis parcum aut modeſtum. Narrat apud *Homerum Neſtor*, (*Odyſſ.*3.) diſcedentem ad bellum *Trojanum Agamemnonem*, uxori *Clytemneſtræ* citharœdum quendam reliquiſſe cuſtodem, qui cantilenis quibuſdam, in caſtimoniæ laudem compoſitis, officii moneret maritalis, & ab omni morum laſcivia contineret. *Ægiſthum* interea, dum alii principes *Græcorum* obſiderent *Ilium*, domi deſidentem, geſſiſſe bellum muliebre, *Clytemneſtræ*que pudicitiam omnibus machinis oppugnâſſe. Expugnare tamen inprimis, quamdiu aderat citharœdus ille cuſtos, non omnino potuiſſe. *Ægiſthum* igitur, cùm libidini ſuæ obſtare cantorem animadverteret, navigio protinus impoſitum in deſertam eum tuliſſe inſulam, ibíque feris in prædam dereliquiſſe. Ità prædam aſſecutus eſt quam tantopere expetebat, *Clytemneſtram*.

Ulyſſes jactatur per varias terras.

§ 21. *Ulyſſem* venti ad *Marathonem Atticæ* detulerunt: indè verò per maria annos decem jactatus eſt. In *Africam*, *Italiam*, *Hiſpaniam* venit; in *Siciliam* ter. Dum in *Italia Temeſæ* ageret, narrant *Strabo* & *Pauſanias*, unum è ſociis ſuis, *Politen*, violatâ per vim virgine, à civibus irritatis lapidibus obrutum & interemptum. Manes hominis interempti ſpectro nigro & formidabili vindicem ipſi ſuum agere; ſævire in oppidanos perquam crudeliter. Cùm nullus malorum finis eſſet, de patria tandem deſerenda cogitare cives. *Apollo* tamen inprimis de re tanta conſulendus; qui Heroëm placare juſſit, templum ei ſtatuendo, & devovendo quotannis virginem quam haberent formoſiſſimam. Id perpetuò cùm facerent, nihil deinde gravius ab ea larva paſſi ſunt. Contigit autem poſt multa ſecula, ut *Euthymus* quidam, pugil celebris intrepidúſque, *Temeſam* adveniret, eóque temporis articulo quo ſacra erant anniverſaria Heroï dæmoni facienda. Ille templum ingreſſus, & virginem flentem exſpectantémque ferale monſtrum conſpicatus, miſereri primò, mox & amore ſauciari tam egregiæ pulchritudinis, etſi jamjam morituræ. De nuptiis agit cum virgine vix horaria, ſi quâ vi artéve ſervari poſſet, ut ſe haberet pro conjuge. Facilè accepit conditionem peritura, quam optâſſet forſan vel libera. *Euthymus* igitur armis ſe accingit, poſitâque in tuto virgine, venienti occurrit larvæ, gladióque ſtricto adoritur. Feriendo urgendóque tandem expulit è templo, ejecit urbe, & perſecutus ad ipſum mare, in aquas egit præcipitem. Ità malo graviſſimo liberata eſt *Temeſa*, nuptiæque vindicis cum liberata lætiſſimæ omnium celebrabantur. Eundem *Euthymum* tradunt aliqui longiſſimam vitam peregiſſe, neque morte omnino, moréve naturali, ſed alio neſcio quo modo, ex hominum conſortio ſublatum eſſe. (*Plin.* 7. 48.) *Ulyſſem* verò ferunt apud *Circen* diutiùs commoratum, atque ex ea *Telegonum* genuiſſe. Interea juvenes nobiliſſimi (*Ulyſſe* in *Ithacam* nondum redeunte) *Penelopes* nuptias ambiebant. Illa de die in diem diſtulit. Urgebant illi, ut aliquem ex illis, etſi quem vellet, ſibi eligeret. Telam ordita, petiit ut pertexere liceret; operam deinde daturam nuptiis. Quicquid ergò de die texuerat, procis videntibus, noctu clanculùm retexebat; ut in opere inſtituto proficeret nihil. Dolus tandem ubi patuit, interminati ſunt graviter, firmúmque & fixum habuêre, niſi nuptiis peractis non diſcedere. Fortunas interim abſentis quotidianis conviviis atterebant devorabántque.

Euthymus de dæmone triumphum agit;

de *Calchante Mopſus* vates.

Calchantem ferunt & *Amphilochum*, naufragii periculum præſagientes, itinere pedeſtri à *Troja Colophonem* urbem veniſſe; in cujus ditione *Claros* erat, *Apollinis* & templo & oraculo nobilitata. *Mopſus* vates ibi regnabat, ejus nominis ſecundus, *Tireſiæ* nepos ex filia *Manto*. Cùm vates omnium celeberrimi conveniſſent, *Calchanta* & *Mopſum* in certamen memorant deſcendiſſe, uter ſcientiâ præſtaret peritiâque divinandi. *Calchas*, (ex *Mopſi* divinatione de caprifico, atque etiam de ſue gravida,) ſuperatum ſe ſentiens in arte ſua, animi ægritudine confectus interiit. In *Daunia* regione *Italica Drium* erat collis, cujus in vertice *Calchantis* erat delubrum; quem conſulturi nigrum arietem immolabant, ejúſque pelle ſubſtratâ dormientes, in ſomniis reſponſa exſpectabant.

Victoriæ fructus amariſſimi.

§ 22. Ecce jam bellorum, imò & victoriarum, fructus amariſſimos. *Iliada* (quod aiunt) *malorum* ii etiam ipſi experti ſunt, qui ipſum *Ilium* deleverunt. *Trojanorum* opes deprædati, & ſatiati humano ſanguine, quem per annos complures ſitiverant, ipſi mox præda facti ſunt: aut piſcibus marinis præda naufragi; aut crudelitati ferarum gentium, prædâ hoſtium exuti, ſuâque patriâ. Cum iis profectò leniſſimè actum eſt quibus hoſpitale exſilium contigit. Rediit quidem *Neſtor*; ſed ad tumulum capularis ſenex, & magnâ ſuorum parte amiſsâ. Rediit *Agamemnon*; ſed ad cædem. Rediit *Ulyſſes*, poſt vagos per decennium errores; at ſolus rediit: doctior fortaſſe per tot diſcrimina, emptâ cariſſimè prudentiâ; ſed non *Iro* ditior. *Menelaüs*

etiam

etiam rediit; atque utinam ſolus: nam octennium vagatus, patriæ ſuæ *Nemeſin* peſtémque reduxit *Helenam*. *Teucer*, *Diomedes* & *Philoctetes* redierunt; ſed, ut *Cato* venit in theatrum, ut exirent, ut exſularent. *Cretas* fame peſtéque poſt reditum laboraviſſe, & deſolatam fuiſſe inſulam, *Herodotus* ſcribit, (lib. 7.) Denique, *Schedii* quoque oſſa & *Machaonis* redierunt. Miſerum, miſerum mortale genus! Clementiam Naturæ indulgentis vitam reprehendimus; &, quaſi tardiùs repetat jus ſuum, ipſi ad mortem ultro properamus, & morantia fata accerſimus. Iris enim odiíſque, ſeditionibus atque bellis mutuò nos conterimus, & propellimus in exitium; dum alii alios mordemus, (ut habet Apoſtolus *Gal.* 5. 15.) alii ab aliis devoramur atque conſumimur. Homines ad humanitatem, ad clementiam, ad pietatem nati, more vulturum vivimus aut ferarum. A.M. 2828.

§ 23. Interea *Trojani* qui ruinis patriæ incendiíſque ſuperfuerunt, in *Sardiniam* aliqui tempeſtatibus impulſi aſcenderunt, iíſque *Græcis* permiſti conſederunt qui jampridem ea loca tenuerunt. Atque hi quidem poſtea, cùm deleti ſunt ab *Afris Græci*, in montibus inacceſſis tutati ſe, *Ilienſium* noti ſunt nomine, aliàs *Libybus* perſimiles. (*Pauſ. Phoc.*) Alii verò *Trojanorum* Trojani qui patriæ ruinis ſuperfuerunt.

Ilium in Italiam portant victóſque penates.

Duobus enim, *Æneâ Antenoréque*, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque *Helenæ* autores ſemper fuerant, omne jus belli abſtinuiſſe *Achivos* conſtat. (*Liv.* lib. 1.) Atque hos prodidiſſe urbem *Danaïs*, ex Veteribus multi tradiderunt. *Æneam* ejus probri inſimulat *Menecrates Xanthius* apud *Dionyſium Halicarnaſſ.* (l. 1.) ídque feciſſe ait ob inimicitias cum *Alexandro*. *Homerus* etiam ſcribit, (*Iliad.* 13.) *Æneam Priamo* ſuccenſuiſſe, pugnámque detrectâſſe, quòd honore pro meritis non omnino afficeretur. *Sophocles* autem (in Excidio *Ilii*) pellem ait pardi foribus *Antenoris* fuiſſe appoſitam, quâ milites teſſerâ monerentur, nè domum ejus violarent. (*Strab.* 13. *Pauſ.Phoc.*) *Heneti*, *Paphlagonum* gens, quæ, ſeditione pulſa domo, regéque *Pylæmene* ad *Trojam* amiſſo, quærebant ſedes, ducem *Antenorem* ſecuti ſunt. (*Strab.* 12.) In quem primum egreſſi ſunt locum, *Troja* vocabatur. Id pago nomen. Gens univerſa *Veneti* appellati: (*Liv.* 1.) quorum ad hæc uſque tempora iiſdem in locis perilluſtre nomen eſt. *Patavium* hîc ab *Antenore* conſtructum, per multas ætates urbs clariſſima; (*Virg. Æn.* 1. *Solin.* 2. *Strab.* 5.) à *Pado* flumine, cui adjacet, quaſi *Padavium*, mutuata nomen.

Idomeneüm ferè ex *Græcis* unicum cum ſuis incolumem rediiſſe, *Homerus* tradit: (*Odyſſ.* 3.) De quo ità *Servius*: *Cretenſis rex Idomeneus in tempeſtate devovit, diis ſe ſacrificaturum de re quæ primùm occurriſſet. Contigit ut filius ejus primùm occurreret: quem cùm immolâſſet, & peſtilentia pòſt orta eſſet, regno à civibus pulſus eſt.* Indè creditur in *Italiam* trajeciſſe. (De quo *Virg. Æneid.* 3.) Idomeneus immolat filium.

Æneas è *Thracia* primo vere in *Delum* inſulam trajecit, indè mox in *Cytheram Veneri* ſacram; attigit tandem *Peloponneſum*: & renovatâ cum *Arcadibus* cognatione, (*Atlanta* enim, *Dardani* avum, *Arcadem* fuiſſe nonnulli tradunt,) relictíſque ibi ſuorum aliquibus, ad inſulam properat *Zacynthum*. Ibi, propter cognationem, perbenignè cum ſuis acceptus eſt. Paulò diutiùs hîc moratus, indè *Leucadem* delatus eſt, quam *Acarnanes* adhuc tenebant. *Dodonam* indè, oraculum *Jovis* conſulturus, cum ſuorum fortiſſimis itinere pedeſtri profectus eſt. Ibi aliquos *Trojanorum*, unà cum *Heleno Priami* filio, obvios habuit. Dato de ſedibus reſponſo, donatóque muneribus *Jove*, (è quibus multo pòſt tempore crateres ænei extabant,) ad claſſem rediit. Mox (nè minima quæque perſequar) *Ionium* emenſus mare, (*Patrone Thurio* duce,) appulit in *Siciliam*; ſive id ſponte factum, ſive ventis impellentibus. Ad promontorium *Drepanum* illi fortè occurrebant commilitones apud *Ilium*, *Elymus* atque *Egeſtus*; quos *Æneas* peramicè complexus eſt, urbéſque illis (autore *Dionyſio*) *Elymam* conſtituit *Egeſtámque*, ubi & ſuorum nonnullos collocavit. Quos enim marinæ tædebat jactationis, habere voluit ubi tutò deinde conquieſcerent. *Egeſtam* & *Erycem*, non *Elymam*, habitaviſſe, *Thucydides* affirmat, (l. 6.) In montis *Erycis* vertice *Æneïdis* erat conſtructa *Veneris* ara; mox in *Egeſta Æneæ* templum. Gens univerſa *Elymi* vocati, propter viri dignitatem, genere orti regio. Æneas, per varias terrarum plagas, A.M. 2829.

Per mare *Tyrrhenum* è *Sicilia* navigatum eſt in *Italiam*; ubi primam *Trojani* in portu *Palinuro* ſtationem habuerunt. In agrum denique *Laurentinum* ubi perveniſſent, quaſi hunc erroribus ſuis terminum ſtatuerent, quatuor ferè ſtadiis à mari vallo ſe muniverunt, locúmque *Trojam* nominaverunt. Æſtate ab *Ilio* capto ſecundâ *Æneas* huc in *Italiam* tandem appulit, & cum *Latino* fœdus iniit.

A.M. 2829. huc appulit, ſociis non ampliùs ſexcentis. (*Solin.* c. 2.) Primò deerant ſitientibus aquæ, cùm ſuâ ſponte ex terra aquarum ſcaturigines profluxerunt novæ. Prandentibus cruſta panis fuerunt illis pro menſa; cúmque reliqua jam abſumpta eſſent cibaria, contigit eos cruſta illa cibis ſubdita comediſſe. Id unus eorum cùm animadvertiſſet, clamâſſétque menſas jam ſibi comeſas eſſe; omnes vociferari cœperunt protinus, perfecta eſſe oraculorum fata; hîc hærere terminum, non eſſe ultrà navigandum. Illic porrò quadrupedem ſequentes ducem, ubicunque illa deficiens collaberetur, ipſi urbem ſibi erigerent. Magnum hinc *Trojanis* gaudium. Penates dii è navalibus eò allati. Conſtructæ ſunt eregione ad Ortum Occasúmque aræ. Victima ſtabat prægnans & matura ferè ad partum ſus. Stabat *Æneas* coronatus, precibúſque ſacra auſpicabatur. Poſtridie cùm triginta ſus porculos peperiſſet, obſequendum putavêre monentibus diis, oppidúmque ſibi ſummâ alacritate moliuntur. Interea nuncius ad *Latinum*, qui *Laurentibus* imperabat, de novorum, ſive hoſpitum ſive hoſtium, adventu delatus eſt; omniáque, ut in periculis repentinis, graviora fiunt. Quare, omiſſo quod erat ei cum *Rutulis* bello, in *Trojanos* magno cum exercitu proficiſcitur. Quos armatos cùm videret *Græcanico* more, intrepidéque diſcrimen prælii exſpectantes inſtructâ acie, abſtinendum pugnâ putavit, recreandóſque milites eâ nocte, nimiâ feſtinatione fatigatos; primâ luce decertandum. Sed per ſomnium admonitus, (vel per ſuum timorem potiùs,) in partem ditionis *Græcos* eſſe admittendos; ſocios ſcilicet perutiles, magnóque *Aboriginum* bono adveniſſe. *Æneam* quoque ſua numina juſſiſſe feruntur dormientem, nè cum *Aboriginibus* pugnaret, ſed *Latino* perſuaderet, ut habitandi locum concederet, *Græcorúm*que viribus ſociis potiùs uteretur quàm adverſis. Exorto die, cùm inſtructæ ad prælium copiæ in aciem utrinque prodiiſſent, præcones utrinque duces conveniunt idem poſtulantes, nimirum pacem. *Latino* interroganti quinam eſſent, quare quietis inferrent bellum, & rapere mallent, quàm accipere donata; reſpondet illico *Æneas*, excuſata ſe velle quæ facta ſunt neceſſitatis cujuſdam exlegis imperio; veniâ dignum quod inviti quodammodo fecerint: ſe *Trojanos* quidem eſſe, ex urbe magìs infelice quàm obſcura profectos; ſed, patriâ dirutâ ab *Achivis*, errare jam, & novas alicubi ſedes quærere: ab oraculis deorum in hanc miſſos terram, pollicentibus hanc profugis patriam fore: petere igitur & obteſtari per deos, nè gentis ſuæ fatum conentur fruſtrari, ſed terrarum bonorúmque participes ſe faciant, malorum omnium atque diſcriminum participes habituri. Facillimum ei perſuadere, qui jampridem omnia concedere conſtituerat. Ictum fœdus, & conventum his legibus: ut terram *Latinus* *Trojanis* traderet urbi parem ædificandæ, ſtadia 40 quoquoverſum à tumulo; *Æneas* *Latino* & *Aboriginibus* militaret, ubi opus videbatur; ambo ut mutuis ſe conſiliis opibúſque juvarent. Ad firmandam utrinque fidem, ſeriò ac ſine dolo hanc agi rem, obſides dati. Exercitus (ut erant) paratos adverſum *Rutulos* duxerunt. Geminatis viribus facilè hoſtes profligantur; quaſi *Trojani* properâſſent ad opus oppidúmque perficiendum quod inchoârant. Hæc felicitas initiorum ad fœderis nodum arctiùs conſtringendum invitavit per connubia. *Æneæ* filiam (quam unicam habuit) *Laviniam* concedit rex. Alii pariter aliis dant, & accipiunt invicem uxores. Sacra mox & jura permiſcuêre gentes ambæ, quæ in unum denique populum atque nomen coïverunt. Oppidum *Æneas* ab nomine uxoris *Lavinium* vocat.

A.M. 2831. *Latini* *Amata* conjux ægre tulit, *Æneæ* homini peregrino dari filiam ſuam, præteritis tot conſanguineis, regníque proceribus neglectis. Apud *Turnum* conſobrinum ſuum ea de re conqueſta ſæpius, ità hominem ſtimulavit, ut regi *Latino* alieni hominis affinitatem exprobraret. Ejuſdem bella & victoriæ. Contractis deinde copiis, ad *Rutulos* transfugit, eóſque impulit ad defectionem. Exortum eſt hinc novum cum *Rutulis* bellum. Grave prælium commiſſum eſt, in quo cadentibus & *Latino* & *Turno*, aliíſque plurimis deſideratis, *Æneas* tum victoriâ tum ſoceri regno potitus eſt, *Latiniſ*que univerſis ſolus imperavit.

A.M. 2833. Victi quidem ab *Ænea* *Rutuli*, ſed non ſubacti. Ultro enim *Latinos* adoriuntur, *Mezentio* *Hetruſcorum* rege vicino opitulante. Jam verò tanta *Hetruria* erat opibus, ut terram ſimul & mare ab *Alpibus* uſque ad fretum *Siculum* famâ nominis ſui implêſſet. *Æneas* tamen, cùm mœnibus propulſare bellum poſſet, in aciem copias eduxit. *Lavinio* haud procul exercitus concurrebant, ac ſummâ vi pugnatum eſt. Sola nox diremit pugnam. *Livius* quidem ſecundum fuiſſe prælium *Latinis* ait; *Æneæ* profectò ultimum fuit. Nimirum deſideratus nuſquam comparuit.

ruit. In flumine *Numicio* ſubmerſum ſuſpicabantur; eúmque poſtea deum Indigetem appellavêre. Templum ei conſtructum à *Latinis* fuiſſe, *Dionyſius* autor eſt, cum hac inſcriptione: [*Patre ſublato, Euryleon, qui Aſcanius mutato nomine appellatus eſt, Latinorum arripuit imperium; Creüſa matre, Ilio incolumi, natus, comeſque indè paternæ fugæ.*] De quo *Livius* tamen nonnihil ait ambigere ſe: (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) genitum ergò *Laviniâ* mavult: cúmque nondum eſſet maturus imperio poſt obitum *Æneæ*, regnum ei tamen incolume ſtetiſſe ſub tutela muliebri. *Aſcanius* octo & triginta annis dominatus eſt. Pergit *Dionyſius*, eóque *Trojanos* à *Mezentio* adactos narrat, ut quibus vellet conditionibus pacem daret. Vinum ergò fructúſque alios poſcere, quoſcunque terra *Latinis* ferret, quotannis in *Hetruriam* ad ſe deferendos. Acerbum id & ipsâ gravius morte videbatur; tolerari non debere; nihil ſervis imperari durius poſſe. *Aſcanio* igitur autore, vitium fructus *Jovi* ſacros voluerunt, quò numen ejus ſibi propitium facerent. Deinde, mutuò ſe adhortati ad rem ſtrenuè gerendam, invocatíſque ſuis diis, ut periculorum eſſent ſocii, ſuæ malebant fortitudini quàm hoſtium benignitati ſalutem ſuam committere. Quod proximè urbi objiciebatur vallum, altum arduúmque, tum naturâ loci, tum juvenum præſidio, quibus *Lauſus* præerat proles regia, communitum, id viſum *Aſcanio* tentare noctu. Subitò igitur ſummóque ſilentio aggreſſi, feliciter ſuperârunt. In *Hetruſcos* undique ſecuros, nihílque tale exſpectantes, flammâ ferróque *Trojani* deſæviebant. *Lauſus* cum primis occiſus eſt. Ingens oritur tumultus & perturbatio. Adeſſe hoſtes omnes credere; ſed unde malum invaderet, ubi eſſet propulſandum, perſpicere nemo valuit. Quiſque igitur ſibi proſpicere quantum potuit: fugere plerique. Aliqua pars in cautes delata periit & præcipitia. Pars alia in faucibus quibuſdam & anguſtiis viarum capta. Multi procul in campis metati, cùm lumen cernerent intempeſtivum, clamoréſque audirent inconditos, veriti quod res erat, præcipiti fugâ vicinos montes occupârunt. Plurimi ſocios ſuos pro hoſtibus impetebant, mutuíſque ſe cædibus conficiebant. Ea maxima clades erat. Ipſe rex in collem fugiens, cùm de filii morte & exercitûs aut fuga aut cæde didiciſſet, caduceatores *Lavinium* miſit, qui de pace agerent & amicitia. *Latinos* monuit *Aſcanius*, ut *Mezentii* malo modeſtiam diſcerent, & è periculo jam eluctati proſpera in re fortunam reverenter haberent. Pax igitur facta cum *Hetruſcis*, ut *Albula* fluvius utrique ditioni finis eſſet; & percuſſum eſt fœdus, quod à *Mezentio* fuit deinde perquam ſanctiſſimè obſervatum. A.M. 2833.

Hoc tempore tradit *Euſebius* (in Chronicis) *Lydos* imperium maris obtinuiſſe; regnante forſan *Argone*, *Nini* filio, *Beli* nepote, pronepote *Alcæi*, *Hercule* abavo, qui ex *Omphales* ancilla *Alcæum* genuit, teſte *Herodoto*, (l. 1.)

§ 24. *Ibzane* mortuo, & in urbe ſepulto *Bethleëm*, *Elon Zabulonites* principatum geſſit in populo *Iſraëlitico* annis decem. A.M. 2834.

§ 25. *Agamemnonis* jam filius *Oreſtes* apud *Strophium* in *Phocide* adoleverat; & cum *Pylade* conſobrino ſuo, *Strophii* nato, arctiſſimam contraxerat amicitiam. Eo igitur comite, ſociâque conſiliorum omnium *Electrâ* ſorore, (quæ apud matrem degebat,) *Mycenas* rediit. *Ægiſthum* ſocerum obtruncat *Oreſtes* gener, ſuámque filius matrem. Ità indignam patris ſui necem jure quodam ultus videbatur. At verò cæde matris vel patrem ulciſci, dirum adeò viſum eſt ſcelus, ut ad *Arcadas* fugiens autor diris protinus exagitaretur. In *Macedoniam* quoque profugiſſe legimus apud *Strabonem*, (l. 7.) ibíque *Oreſtas* populum, & *Oreſticum Argos* urbem condidiſſe. Quindecim annos *Mycenis* regnaviſſe *Euſebius* tradit, (in Chronicis;) ac *Velleius Paterculus*, nonaginta vixiſſe. Inſaniæ morbo levatus forſan *Oreſtes*; at judicio nondum abſolutus, nondum expiatus à parricidio. Ferunt *Perilaüm*, *Icarii* filium, in *Areopagum* & capitis periculum *Oreſtem* vocaviſſe. (*Pauſ. Arcad.*) Sed tam atrox viſa eſt conjugis cædes ab uxore deſignata, ut filium ulciſcentem à crimine abſolverit. Poſt annos 1200 exſtabat *Athenis Minervæ Areæ* ara, quam *Oreſtes* ei jam abſolutus dedicâſſe fertur. (*Pauſ. Attic.*) *Trœzenii* apud ſe luſtratum fuiſſe *Oreſtem*, electis ad id viris novem, prædicabant. Exſtabat lapis, & ſacer dictus eſt, poſt multa ſecula, ſuper quem id factum ferebatur. Defoſſis verò, haud longè ab ea taberna in qua tanquam in carcere victum ei præbebant qui luſtrationi præerant, piaculis, laurum illic enatam aiebant; quam ſe multis poſtea ætatibus florentem vidiſſe *Pauſanias* refert.

Elon judex *Iſraëliticus.*

2835.

Oreſtes patrem cæde matris ulciſcitur, diríſque exagitatur.

Deci-

A.M. 2837. *Quo tempore Ulyſſes domum rediit.*

Decimo poſt *Ilii* caſum, viceſimo poſtquam eò profectus eſt anno, *Ulyſſes* domum ad ſuos rediit, nave *Phæacum* alienâ, ſolus, amiſſis omnibus & ſociis & bonis. Cúmque procos interemiſſet, ſpurciſſimos heluones, ætatem domi reliquam tranquillè egit placidéque. *Minervæ* autem *Soſpitæ* ac *Neptuno* templum in *Arcadico* monte *Boreo* ædificavit. (*Pauſ. Arcad.*) In *Theſprotide* poëſi tradebatur, eum ex *Penelope* filium genuiſſe poſt reditum, *Ptoliporthum*. At *Mantineënſes Arcadiæ* monſtrabant aggerem terræ qui *Penelopes* tumulus in agro ſuo habebatur. Crimini enim ei datum ab *Ulyſſe* narrabant, quòd ultro procos invitâſſet: domo igitur *Ithacâ*que inſulâ ejectam, primò *Spartam*, deinde *Mantinéam* ſe recepiſſe, ubi contigit mori.

Oreſtes redit ad ſe.

Oreſtes mentem ſanam adeptus jam, paternúmque *Mycenis* ſceptrum, *Delphos* adiit, *Apollini* gratias acturus ob necem patris vindicatam. Illic *Neoptolemum* vel ipſe occîdit ſacrificantem; (ut *Hygin.* Fab. 123.) vel à *Machæreo*, homine *Delpho*, *Apollinis* ſacerdote, interfectum apud aram reperit oraculi juſſu. Templum enim ſpoliaturus advenerat, ut pœnas ab *Apolline* repeteret paternæ cædis. Ab *Apolline* enim *Parideque* interemptum *Achillem* prædicabant. (*Pauſ. Bœot. Strabo* l.9.) Interemptum ab *Oreſte Euſebius* ait, (in Chronic.) ſed *Machærei* ſacerdotis proditione. Atque hæc *Neoptolemi* vindicta in proverbium abiit, ubi quis paria iis patitur quæ patravit. Ut enim à *Pyrrho Priamus* ad aram *Jovis* mactatus; ſic ad *Apollinis* ipſe *Pyrrhus*. *Oreſtes Hermionen* recepit ſuam, quam ab eo *Hyginus* ablatam ſcribit, ut *Neoptolemo* ex pactis ad *Trojam* traderetur. *Electram* ſororem *Pyladi Oreſtes* uxorem dedit, quibus geniti *Medon* & *Strophius* liberi.

Hyperion, *Agamemnonis* quoque filius, qui regnabat *Megaris*, propter avaritiam & inſolentiam à *Sandione* quodam occiſus eſt. *Megarenſes* non eſſe uni cuidam deinde parendum cenſuerunt, ſed annuos magiſtratus inſtituendos, qui ſummæ rerum vicibus præeſſent. Quo tempore *Æſymnus*, magnæ vir autoritatis, *Apollinem* conſuluit, quâ maximè ratione fieret, ut patria ſua floreret. Id reſponſum tulit, proſperas fore *Megarenſium* res, ſi Plurium conſilio uterentur. (*Pauſ. Attic.*)

A.M. 2840. 2842.

Menelao obeunte, regnum *Lacedæmonium Oreſtes* gener obtinuit, qui *Hermionen* duxerat *Helenæ* filiam. (*Pauſ. Lacon.*)

Abdon judex Iſraëliticus.

§ 26. Poſt *Elonem Zabulonitam*, qui in urbe *Ajalone* ſepultus eſt, *Abdon Ephraimita*, *Hillelo* genitus *Pirathonitâ*, annis octo præfuit *Iſraëlitis*. Is nullâ re memorabili, niſi filiorum quadraginta & triginta nepotum progenie, clarus: qui omnes, velut viri primarii ſolebant, equis vehebantur; vel ut patrem, totius gentis principem, præſidio ſuo ſtiparent.

A.M. 2850. *Ulyſſes, à filio cæſus, ſtupri cum Circe ſupplicium dat.*

§ 27. *Ulyſſes* è *Circe*, apud quam diutiùs habitaverat, filium genuit *Telegonum*. Is, cùm adoleviſſet, ad inveſtigandum genitorem ſuum à matre miſſus eſt; in *Ithacam* fortaſſe profecturus, quò non opinantem tempeſtas eum impulit, vel in proximam *Epiri* Continentem, ubi greges etiam *Ulyſſis* armentáque magna paſcebantur. Ibi locorum inſcius, & fame inſuper adactus, prædari cœpit, & obvia quæque pecora ad naves abigere. Aderat fortè *Ulyſſes* eâ ipsâ tempeſtate, qui, audito per agros ſtrepitu, cum turba ſuorum ad injuriam accurrit propulſandam. Ad manus ventum eſt; ubi *Telegonus*, vibrato in hoſtium ducem telo, quod ei mater *Circe* tradiderat venenatum, ignotum inſcius patrem interemit. Ità meritum *Ulyſſes* diutini cum *Circe* ſtupri ſupplicium dedit; ab eodem filio vitâ ſpoliatus, cui vitam ipſe per ſtuprum dederat. (*Euſtath.* in *Odyſſ.* 11. ex *Didymo* & *Oppiano*, & *Hyginus* Fab. 127.)

Hippothoüs Arcas, decedens vitâ, *Æpyto* filio regnum tradidit. (*Pauſ. Arcad.*) Ille annis fortaſſe tenuit 27.

A.M. 2851. *Samſon, cœlitus deſignatus in levamen Hebræorum,*

§ 28. *Abdonem Ephraïmitam*, cui *Pirathone* ſepulchrum eſt conſtitutum, in præfectura *Iſraëlitica*, vindicatóque ab hoſtibus populo Dei, ſequutus eſt *Samſon*, antequam natus, ab ipſo Deo deſignatus. Poſtquam enim ad ingenium ſuum rediiſſent praviſſimum *Iſraëlitæ*, flagitiiſque novis *Jehovam* provocâſſent, hoſtibus *Palæſtinis* traditi ſunt; quorum jugo preſſi graviſſimo, annis quadraginta meritò gemuerunt. Interea Deus populi ſui non eſt oblitus; *Samſonem* enim excitavit, qui ſi non integram ſalutem, at certè leviorem, magíſque multò leviorem, iis redderet ſervitutem. *Danita Samſon*, *Zoræ* genitus, patre *Manoâ*; cujus uxor poſtquam diu ſterilis nullam peperiſſet prolem, Angelus à *Jehova* miſſus eſt, qui filium ei promitteret, à quo prima populo ſalutis atque libertatis lux in tantis miſeriarum tenebris affulgeret. Itaque monebat Angelus mulierem, "*nè vinum biberet ſiceràmve*, *aut* "cibum *comederet immundum*; *edituram* ſcilicet *Nazaræum ab utero*; in utero pro-

"inde

“ inde rebus non niſi licitis nutriendum. In agro hæc geſta ſunt, muliere tantùm conſciâ. Reverſa domum ad maritum, ea detulit uxor proba quæ viderat audivérátque: “ *Prophetam* aiebat ſe vidiſſe *terribili ſpecie*, & planè *Angelicâ: eum ſibi nũn-* “ *ciâſſe de puero* qui naſceretur. Et reliqua narravit quæ ſunt ab Angelo ſibi dicta. “ Sed attonitam ſe, quis aut *undenam eſſet non quæſiſſe. Manoa*, ſive quòd non ſatis intelligeret omnem rem, ſive quòd ſuſpectam haberet uxoris pudicitiam, (ut ſcribit *Joſephus*,) Deum comprecatus eſt, ut rediret ille vir qui allocutus fuerat uxorem ſuam, doceretque ſe quo modo eſſet puer tractandus educandúſque. Exaudivit Deus, & poſt meridiem Angelus iterum in agro conſpectus eſt mulieri. Ea igitur magnâ feſtinatione properans domum accerſit conjugem; qui ſciſcitatur protinus, *iſne vir ſit qui mulierem ſit affatus* herí. Fatente Angelo, “ *Ut eveniat mihi* (ait *Manoa*) *quod* “ *à te prædictum eſt, voveo.* Qualis autem, cedo, futurus *hic puer?* & cui deſtina- “ tus operi? Eadem Angelus reſpondet quæ mulieri dixerat. Obſecravit deinde *Manoa* nuncium Dei, nè diſcederet, antequam hoſpitalem hœdum appararet apponerétque. Subjecit Angelus, *moraturum forſan* aliquantiſper *ſe*; *ciborum verò nihil comeſurum. Quòd ſi holocauſtum faceret, faceret Jehovæ.* Sed nondum noverat *Manoa* quis hic eſſet nuncius Dei, Prophetam hominémque ratus, opinor. Quærit ergò, *quod ei nomen ſit, ut, cùm eveniſſent ea quæ prædixerat, honorem ei debitum exhiberent. Fruſtrà*, inquit Angelus, *quod occultum eſt quæris.* Ea petentem ſcire quæ par fuit, maximè ad vindicandam à falſi probríve ſuſpicione uxorem ejus, docuerat Angelus. Sciſcitanti curioſè de rebus minimè neceſſariis, indulgere noluit. Hœdum igitur pro holocauſto in petra quadam propinqua, vice altaris, immolavit *Manoa*, munúſque panaceum obtulit. Ardente ſuâ ſponte victimâ, & aſcendente ſurſum flammâ, ſimul & Angelus cum flamma in cœlum ſublatus eſt. Id *Manoa* & uxor cùm vidiſſent conſternati, ambo in humum proni ceciderunt: *morituróſ*que repentè dixit *Manoa ſe, eò quòd conſpexiſſent Deum.* Uxor, paulò fortior marito, timidum ità conſolatur; “Bono animo ſis, néve quid mali metuas, mi vir. *Si occiſurus fu-* “ *iſſet Jehova nos, neque holocauſtum munúſque* noſtrum ità *gratum acceptúmque habu-* “ *iſſet*, quippe mandatum à ſe; *neque iſta nobis prænunciâſſet* de puero, quæ, niſi vixe- “ rimus nos, vera eſſe fieríque non poſſunt. Vixêre igitur, natúſque illis puer eſt, quem *Samſonis* nomine appellârunt. Benedixit ei Spiritus *Jehovæ*, ut corpus in magnitudinem ſpecioſam excreſceret, roboréque immenſo confirmaretur.

A.M. 2851.

Cùm ætatem juvenilem attigiſſet *Samſon*, amore correptus eſt puellæ cujuſdam in oppido *Palæſtinorum Thimnatha.* Itaque parentes oravit, ea ſibi ut daretur uxor. Piè quidem à filio factum: tergiverſari tamen parentes primò, & monere filium, ut è ſuis popularibus eligeret ſibi uxorem, non ex peregrinis profaníſque gentibus. Neque verò minùs piè conſultum à parentibus. Ille tamen urget propoſitum, inſtátque, hanc à ſe amari, hanc ſibi dari velle; dictante Deo ſcilicet, quò anſam indè opportunam nanciſceretur ad ulciſcendas *Palæſtinorum* injurias, qui hoc tempore in *Iſraëlitas* dominabantur. Sed ejus parentes latebant hæc, à filio tamen mox fortaſſe prodita. Suam igitur Divinæ voluntatem facilè ſubmiſerunt, & filii precibus obſecuti ſunt. Procante igitur *Samſone*, petentibus etiam præſentibúſque parentibus, nuptiæ tandem pactæ ſunt. Dum ad conciliandam ſibi uxorem unà cum parentibus proficiſcebatur *Samſon*, ad vineas *Thimnathæ* divertit paulùm è via ſolus; ubi occurrit rugiens leo, inhiánſque prædæ. Cum eo congreſſus, augente vires ei Spiritu Dei, nudis manibus atque inermis feram compreſſit laceravítque pari facilitate, quâ hœdum agnúmve alius quis è noſtro genere diſcerperet. Cùm ad conficiendas nuptias rediret, ad leonem quoque rediit ſolus; cujus in ventre apum reperit examen favóſque mellis. Sublatum indè comedit mel, parentibúſque dedit quod comederent; unde tamen ſuſtuliſſet non prodidit. S. *Ambroſius* quidem eò ſcribit apes, loci amœnitate captas, advolâſſe; non autem ex ipſo natas cadavere, quemadmodum ex bobus mortuis atque juvencis; ut ex equis etiam veſpæ, crabrones ex aſinis, autore *Plinio*, *Virgilióque*; ex medulla hominis fluente in terram ſerpentes, quod habet *Plutarchus*, (in *Cleomene.*) At idem *Plinius* (lib. 7.) apes ait non ſolere mella conficere, niſi vel in alveo, vel in arbore, vel in cavernis ſub terra; & inprimis fugere graves odores, quales ex putribus cadaveribus exhalantur. Et crabrones atque fucos veſci cadaveribus, apes ea non attingere. Itaque *Petr. Martyr* aliquid hac in re Divinæ providentiæ ſupra naturam tribuit. *Samſoni* ſponſo convivium erat pro more apparandum ſponſæ propinquis amicíſque per ſeptem dies. Quo tempore ſocios habuit

uxorem tamen petit è *Palæſtinis.*

Leonem conficit.

A.M. 2851. buit ſibi triginta datos à *Palæſtinis:* conviváſne, qui nuptias ornarent, haud facilè ſtatuero ; an cuſtodes, qui operam darent nè quas nuptiarum ſpecie turbas commoveret tantæ molis tantarúmque virium vir. At voluit Deus exſiſtere aliquid in his nuptiis quod *Samſonem* cum *Palæſtinis* committeret, ac vindicandæ patriæ cauſam præberet legitimam atque juſtam. Nam (ut *Lyranus* opinatur) pacta quædam intercedebant, quibus obligabantur *Iſraëlitæ*, novas res minimè ſe molituros. Ænigma igitur *Samſon* ſodalibus ſuis per ludum propoſuit, non ſine præmio, ſi attigiſſent ipſam rem, veſtium triginta & triginta tunicarum ; totidémque multâ, ſi aberrarent, & ſeptenis convivii diebus non diſſolverent. Ænigma verò propoſuit hujuſ-

Ænigma ejus modi, *Ex comedente cibus prodiit, & ex forti dulcedo.* Liberaliſſimum ludi genus, ingenii certamen, ubi caſui & fortunæ permittitur nihil. Nec ingenium niſi metu pœnæ, præmiíque ſpe, ſatìs excitatur & intenditur. Præmium ergò mentis acumini, pœna tarditati & inſcitiæ conſtituitur. Multùm præſtat in conviviis, intentos eſſe animos hominum in explicandis ænigmatibus problematibúſve, quàm in rixis atque jurgiis proſequendis, ut ſolet ferè fieri. Nec defuit huic ænigmati ſacra quædam

quid velit. ſignificatio. Aliqui de *Iſraëlitis* interpretantur, quibus *Palæſtini*, qui devorabant hactenus tyrannidéque miſeros opprimebant, victi aliquando cibus erant ſuaviſſimus futuri. S. *Auguſtinus* de *Chriſto* exponit (in *Pſalmum* 70.) principibúſque terrenis. Hi enim, ubi primùm cœpit Evangelium prædicari, ſæviebant in *Chriſtianos* inſtar leonum, devorabántque & diminuebant indies piorum numerum variis ſuppliciis. Tandem, ex leonibus ac feris, Evangelii prædicatione cicurati, *nutritii patres* facti ſunt, & magno Eccleſiæ præſidio fuerunt. Socii convivales ſponſi, cùm per dies tres fatigâſſent ingenia, ſenſum ænigmatis occultum eruere conati fruſtrà, ſponſam adeunt, ac minitantur, eam ſe paternámque domum ejus deleturos flammis, niſi ex marito ænigmatis exploraret ſecretum, & ſibi proderet. Quid enim? Ideo vocatos ad convivium aiunt ſe, ut prædâ ſpoliíſque ſuis alii per fraudem diteſcerent? Ti-

Proditus ab uxore, mida mulier lacrymis virum aggreditur precibúſque, quæ arma ſunt muliebria ; & "ſimulari *ab eo amorem*, dicit, *odium* potiùs experiri ſe. Alios conjuges conſiliorum "ſuorum participes facere uxores: unam ſe negligi à viro, contemni, & indignam "videri, cujus fidei ſuus maritus credat ludicram leviſſimámque rem. Domino "nuptam ſe, non conjugi ; & ſervitutem, non matrimonium, contraxiſſe. "Imò "verò, inquit *Samſon*, verus amor & conjugalis in ſeria ſpectandus eſt re, non ludi-"cra. Myſterium hoc, etſi leviſſimum, *ipſos adhuc celavi parentes*, quos tamen amo "plurimùm veneróręque. Quid eſt igitur, dilectiſſima conjux, cur tu rem minimè "profuturam tibi tantopere cupias indicari? Satìs amanter ſponſus hæc. Verùm deſideriis mulierum haud facilè ſatisfieri verbis etiam blandiſſimis poteſt. Scire vetitas, quáſque non licebat res, mulier ab initio rerum, ab initio nuptiarum hæc mulier expetivit. Jam verò minis metúque impulſa expetit vehementiùs ; nec deſiit priùs lacrymis & precibus importunis oppugnare ſingulis diebus, quàm ſeptimo tandem expugnâſſet virum fortiſſimum, ejúſque arcana didiciſſet, ac ſuis prodidiſſet popularibus. Sub finem igitur convivii, antequam occidiſſet Sol, ænigmatis ſui *Samſon* ſolutionem poſtulat à ſodalibus. Promptè illi reſpondent, *Quid dulcius melle? quid fortius leone?* "Et mihi addere liceat, inquit *Samſon*, Quid fallacius mu-"liere? *Niſi* enim *arâſſetis meâ vitulâ, neutiquam expoſuiſſetis meum ænigma.* Damnatus ergò *Samſon*, ut iis veſtes quas erat pactus diſſolveret qui ſolverant ænigma, impellente Spiritu Dei, in viros triginta unus irruit *Aſcalonitas* ; quibus interfectis, eorum veſtibus quam debebat ex pacto multam luit. At veſtes mortuorum detrahendo, non potuit non contrectare cadavera ; quod *Nazaræo* minimè licebat per votum. Sunt qui reſpondeant, Angelum ad matrem ejus nihil de hac voti parte prolocutum eſſe. Videri propterea nec *Samſonem* ea ex parte fuiſſe obligatum. Alii, poſt vulnera viventes ſpirantéſque adhuc ſpoliatos ab eo veſtibus, volunt. Potuit verò aliis *Aſcalonitis* qui ſupererant, impunitate propoſitâ, exuenda veſtibus cadavera mortuorum tradere. Denique, agente *Samſonem* Spiritu Dei geſta ſunt hæc, ut nihil eſſet quod ei non liceret. Sed uxoris perfidia *Samſonem* adeò irritaverat, ut iratus indè diſceſſerit, neque duxerit uxorem domum, ſed apud patrem reliquerit. Is, cùm filiam ità derelictam cerneret apud ſe, uni è ſociis convivalibus, nè poſt nuptias celebratas ſponſæ deeſſet vir, eam uxorem tradidit. Legitimè repudiatam à *Samſone* *Joſephus* narrat ; quod vero minùs conſentaneum videtur. Nec enim rediiſſet ad uxorem, ſi repudiâſſet ; nec id erat quod redeunti reſpondit ſocer. Rediit enim poſt-

quam

quam ira deferbuit, renovatíque amoris pignus hœdum attulit. Cùm autem ſponſæ concubitu frui vellet, prohibuit ſocer nè cum uxore aliena rem haberet. "*Putaviſſe* " aiebat *Samſonem ſe*, *inviſam habuiſſe* filiam ſuam, *ac proinde ſodali ejus dediſſe* uxorem, nè in tanto nuptiarum apparatu ludibrio eſſet omnibus ſine marito ſponſa. "Habere tamen alteram filiam ſe, *natu* quidem hâc *minorem*, ſed *majorem præſtantiorémque formâ. Eam Samſoni* libenter ſe *traditurum ſororis vice.* Ità virum fortiſſimum ferociſſimúmque demulcere conatur & placare: ſed fruſtrà. "Alteram " ſororem nolle ſe, reſpondit *Samſon.* Cùm autem fraudatus uxore ſit, quam legitimè duxerat, ſperare ſe, id ſibi vitio daturum *innocenti* neminem, *ſi quod Palæſtinis* " tantâ provocatus injuriâ *damnum det.* Triticea jam fortè meſſis agebatur, & falcem exſpectabat matura ſeges. Hanc igitur vindictæ rationem inivit, non tam de ſocero ejúſque familia, quàm de gente univerſa *Palæſtinorum*, qui nec prohibuerant injuriam, nec illatam protinus vindicârant. Suâ operâ opéque ſuorum trecentæ illi captæ ſunt vulpes, quarum ferax habebatur *Syria. (Cantic. 2. 15.)* His per caudas inter ſe colligatis, in ipſo nodo ſingulis paribus accenſam interpoſuit facem. Ità in agros immiſſæ, tritico jam maturo & arido, ut facilè conciperet flammas, ſegetem, vineas & oliveta ignibus corruperunt, maximóque affecerunt damno *Palæſtinos.* Illi protinus accenſi non minùs & ipſi, magnâ vociferatione ac tumultu tantæ calamitatis autorem tantíque facinoris quærunt. Ubi noverunt omnia, *Thimnæum* primò filiámque flammis ultricibus deleverunt, quorum injuria incendio publico facem præbuiſſet. Timuerat illa quidem ipſas de flammis minas, eóque metu perculſa mariti ſui prodiderat arcana. En id ipſum accidit ei jam (ut ſolet ferè impiis, *Prov.* 10. 24.) quod tantopere metuerat; fugiénſque fumum (ut proverbio dicitur) in ipſum ignem incidit. Deinde *Samſonem* aggrediuntur *Palæſtini*, quibus ille nondum placatus reſpondit ſtomachosè; "Si poſt oblatam ſibi contumeliam illico has " irrogaviſſent autoribus pœnas, nihil horum fuiſſe facturum ſe. Cùm autem ſeriùs " accendiſſent ignem hunc vindicem, incendio magìs excitati ſuo & malorum ſenſu, " quàm æquitatis ſtudio, ſeveriùs adhuc ait *ſe in eos animadverſurum.* Quippe in- " juriam *Thimnæi*, connivendo tolerandóque, ſuam feciſſe. *Qui enim non vetat pec- " care cùm poſſit, jubet.* Irruit ergò in *Palæſtinos* magno impetu, immensámque edidit equitum peditúmque ſtragem. Cúmque his victimis injuriæ vindictæque ſuæ litaviſſet atque feciſſet jam ſatìs, in rupem aſcendit *Etham*, locum (ut credibile eſt) munitiſſimum *Judææ*, quò à *Palæſtinorum* eſſet armis atque inſidiis tutior. Perſecuti ſunt cum exercitu *Palæſtini*; mirantibúſque *Judæis* quorſum ad ſe tantæ advenirent copiæ, qui jugum animis æquiſſimis ferebant, & imperata perficiebant omnia: "Non " vos, inquiunt *Palæſtini*, ſed *Samſonem* apud vos hoſtem petimus, *ut* captus *vinctúſ- " que pares* ſuis ſceleribus injuriiſque *in nos pœnas luat.* Dedatur *Samſon*, diſcedi- " mus. Protinus adeunt *Samſonem* in rupe tria *Judæorum* millia, queruntúrque, " *non eum latère ſubeſſe Palæſtinis Iſraëlitas*, nec poſſe non obſequi ſe dominíſque ſuis " parére. Sed ejus causâ tamen in maximo jam periculo verſari. Haudquaquam " eſſe viri boni, ſuos populares atque innocentes in tanta mala conjicere. *Samſon* contrà pauciſſimis; "*Iis* tantùm *paria reddidiſſe* ait *ſe* juſtiſſimâ talionis lege. Iterum *Judæi*, " perquam acerbum ſibi accidere, inquiunt, quòd libidini mandatíſque " *Palæſtinorum* repugnare non audeant. Itaque ad capiendum *vinciendúm*que *Samſo- " nem* juſſu dominorum *adeſſe* jam *ſe*, nè univerſa gens unius offenſam luat. Fortiſſimus vir Deo nixus unico, quem hactenus præſentem ſibi auxiliantémque ſenſerat, "Minimè, inquit, recuſare ſe quin faciant, (ſuis enim parcere popularibus " ſummo ſtudio conabatur,) unum hoc ſi modò *jurati promittant*, *ſeipſos in eum nul- " lam eſſe facturos vim.* Facilè id ac religiosè juratur. Obligatur *Samſon* duobus, iiſque novis, funibus, quò fortiùs teneatur, deducitúrque vinctus ad *Palæſtinos.* Ubi viderunt è longinquo ſine armis, ſine viribus, ſine manibus hoſtem accedentem ad ſe, magnâ vociferatione lætitiâque gratulati ſunt, & triumphum cecinerunt ante victoriam. Sed in vinctum jacentémque humi cùm inferre manus conarentur, Dei, quo ſolebat, Spiritu agitatus, ruptis funiculis pari facilitate ac ſi lina fuiſſent corrupta igne, ſubitò proſiliit in pedes. Facturo impetum tela deerant. Maxillam fortè recentem nactus aſinini cadaveris, eâ legiones armatorum hominum oppugnavit unus. Pudore magìs quàm fortitudine, aut vincendi ſpe, repugnârunt aliquantiſper *Palæſtini*, nè millia tot ſuperata dicerentur ab hoſte unico. Maximâ repugnantes vi adortus ille cecîdit, impulit, diſſipavit; nec tam pugnando quàm interficiendo

A.M. 2851.

in *Palæſtinos* acriter animadvertit;

idque maxillæ aſininæ miniſterio;

A.M. 2851. terficiendo defatigatus, mille cadaveribus conſtravit humum, victis qui ſupererant fugatíſque. Tantam ſtragem victoriámque miratus ipſe, carmine hoc gratulatus videtur;

Aſinina telis oſſa quid præſtent vide, Agitata forti dexterâ.
Maxilla acervos hoſtium exanimes dedit, Maxilla mille perdidit.

Perfunctus prælio abjecit mandibulam; ſed ex ea nomen loco dedit, *Ramath-Lechi*, hoc eſt, *Collis mandibulæ*. Verùm ex labore ſudoréque plurimo laſſitudinem contraxerat ac ſitim vehementem, quâ languere cœpit ac fatiſcere. In campo immenſo neque domus aderat, neque fons puteúſve, nec alia potûs viníve ſpes. Deum igitur, qui nuſquam abeſt, qui nunquam deeſt precibus ſuorum, precibus adoritur importunis. *Joſephus Ambroſiúſ*que tradunt, hâc eum fuiſſe afflictum ſiti, quòd victoriæ tantæ gloriam ſibi arrogârit ſuíſque viribus, non reddiderit Deo. Ait enim, *ſe aſini maxillâ cecidiſſe mille hoſtes.* Nec tropæum poſuit arámve, nec ſacra fecit. Aliis verò minùs hæc probabilia videntur. Loco enim ex re nomen fecit. Sic enim homines pii ſolebant monere poſteros de beneficiis ac bonitate Dei; nec verbis modò, ſed monumentis etiam erudire, quò augerent eorum ſpem atque fiduciam in rebus anxiis. Præterea, cùm ſitis premeret, ad opem illico Divinam confugit, gratiſſimíſque Deo verbis laudem victoriæ tribuit. Paſſum vero potiùs Deum, aiunt, ut ſiti laboraret, quò cohiberet hominem à peccando, quàm ut peccanti pœnam infligeret; quò ſe mortalem ſciret eſſe, nec tam egregio facinore patrato nimiùm tolleret animos, magnificéve nimis ſentiret de ſe. Et debere ſibi Deus *Iſraëlitas* voluit ſalutem ſui Judicis, non minùs ab intrinſeca ſitis vi, quàm ab hoſtium forís. Sic igitur *Samſon* comprecatus eſt: "*Jehova*, exercituum ô *Jehova* Deus, *tute hanc* de hoſtibus victoriam, " *tute hanc* populo tuo *ſalutem* operâ donaviſti meâ. Ecce *nunc pereuntem ſiti* tuum "militem, niſi tute eidem laboranti ſubvenias quàm celerrimè, qui pugnanti opem "tuleras opportunam. Siccæ hærentéſque fauces, aridum guttur, torridáque æſtu "præcordia!—*Vix hæc in verba reſolvo.* Miſerere, obſecro, benigniſſime Pater, nec "patere tanti facinoris miniſtrum in actu poſtremo deficere, ac imbellem hîc jacére "*prædam profanis* tuíſque hoſtibus.

" *Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitámque fatebor*
" *Accepiſſe ſimul.*———

unde & ſiti per miraculum ſatisfit.

Victus ab eodem ipſe Deus eſt ſupplicante, qui hoſtes Dei pugnando ſuperârat. Itaque vix finierat, cùm è maxillæ aſininæ quàm abjecerat molari dente ſcaturiginem aquæ profluentem videt. Arreptam igitur protinus ori admovet; unde aquam abunde ad ſatietatem haurit, quâ mirificè recreatus eſt. Eodem telo quo exitio dati ſunt hoſtes, victori jamjam pereunti ſalus redditur; ab eodem utrumque Deo. Loco propterea nomen dedit *Invocantis fons*. Poſt tantum victoriæ miraculum, Judex *Iſraëlitis Samſon* per annos viginti præfuit.

A.M. 2852. *Stheneli* filius *Cylarabes Argivis* imperat;

§ 29. *Cyanippo* mortuo, *Ægialeï* filio, *Adraſti* nepote, ſine liberis, & *Amphilocho* jampridem *Amphiaraï* filio aliam in *Ætolia* ſedem adepto, vel in *Aſia*, (A.M. 2828.) *Stheneli Cylarabes* filius, *Capaneï* nepos, *Argivum* ſolus univerſum recepit imperium, quod antea in tres erat partes diſtributum. Neque *Cylarabes* defunctus aliquam genuerat prolem quæ ſuccederet, indignus liberis alienorum thalamorum conſtuprator. *Argos* igitur, *Mycenis* propinquum, & opportunum ſibi, *Oreſtes* occupat, nullo niſi armorum jure. Ità regnum adeptus eſt ampliſſimum, & ex plurimis conflatum. Nam, præter imperium quod reliquerat pater, *Spartâ* potitus eſt, & majorem *Arcadiæ* partem ſibi armis ſubegerat. Parata enim habuit, utcunque res poſtulabat, *Phocenſium* auxilia. (*Pauſ. Corinth.*)

A.M. 2855. *Epeïs Amphimachus*;

Polyxeno Epeorum regi filius erat *Amphimachus*, cui redux ab *Ilio* pater id nominis dedit, ob amicitiam ſummam quæ *Polyxeno* interceſſerat cum *Amphimacho Creati* filio, nepote *Actoris*. Eum interemptum à *Trojanis* cùm amiſiſſet, amici in filio quaſi monumentum ſibi ſtatuit. Mortuo jam patre, *Amphimachus* regnavit annos circiter 21. (*Pauſ. Eliac.* 1.)

A.M. 2860.

Helenus Trojanus, qui hactenus tenuerat *Pyrrhi* principatum in *Epiro*, fatis concedens, *Moloſſo* filiorum *Pyrrhi* maximo natu reliquit imperium; qui conſortem habuiſſe videtur, aut ſucceſſorem, *Pielum* fratrem. Ab eo enim, potiùs quàm à *Moloſſo*, *Æacidæ* ſecutíque deinde reges *Epirotarum* originem traxiſſe ferunt. A *Moloſſo* tamen

gentis

gentis propagatum eſt nomen. *Pergamus* verò, natu minimus, unà cum *Andromache* matre, & commilitonum valida manu, in *Aſiam* trajecit. Ibi *Arium*, in *Teuthrania* dominantem, certamine ſingulari dimicans de imperio, ſuperavit interemítque. Regnum verò nactus, à ſe matréque multa locis nomina, & heroïcum utrique monumentum, reliquit. *Ceſtrinus* denique, filius *Heleni*, collectâ *Epirotarum* manu, eam quæ ſupra *Thyamim* fluvium eſt in *Epiro* regionem tenuit, (*Pauſan. Attic.*) quæ ab eo *Ceſtrine* dicebatur; (*Pauſ. Cor.*) à *Theſprotia Thyami* ſeparata. (*Plin.* 4. 1.) *A.M.* 2860.

Demophöonte defuncto, *Oxyntes* filius regnavit *Athenis* ann. 12. (*Euſeb.*) In *Solone Plutarchus* memorat, urbem *Æpêam* fuiſſe in *Cypro* à *Demophöonte* conditam; deinde à *Philocypro* ejuſdem regulo, *Solonis Athenienſis* gratiâ, *Solos*, mutato nomine, appellatam. *A.M.* 2861. *Oxyntes Athenis*; *Aſcanii mater Lavinio.*

Anno poſt *Lavinium* conditum trigeſimo, abundante *Lavinii* multitudine, florentem jam (ut tum res erant) atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ potiùs, reliquit *Aſcanius*; novam ipſe aliam ſub *Albano* monte condidit: quæ, à ſitu porrectæ in longum urbis, ut ab *Alba* altera diſtingueretur, *Longa Alba* appellata eſt. In planitie ſita, hinc montium altitudine, lacûs indè magni profunditate muniebatur. Terra fertilis, vitium præcipuè ferax; unde vinum *Albanum* ſuavitate *Falerno* proximum. Et hujus quoque urbis conſtitutioni primæ non defuiſſe miraculum narrant. Penates dii, poſtquam *Lavinio Albam* deducti, novo in templo collocati fuiſſent, ſuâ ſponte *Lavinium* in ſedes priſtinas nocte primâ remigrârunt. Idque denuo feciſſe aiunt, poſtquam *Albani* ad ſe multis cum ceremoniis retuliſſent. Dubitantibus quid facto eſſet opus, cùm utrumque turpe videretur, & *Lavinium* redire in locum à ſe relictum, & *Albæ* ſine patriis diis habitare; viſum eſt, ſinere ut ſimulacra in quo mallebant ipſa loco permanerent; è ſuis autem ſexcentos eò traducere, qui ſacra curarent, *Egeſto* quodam duce.

Thebarum Tiſamenus rex, omnium *Oedipodarum* fortunatiſſimus, vitam tranſegit inoffenſam, & à *Laii Oedipique* diris liberam. Nullum ipſe vulnus à fortuna ſenſit, at accepit in liberis. Morienti non procul aberat infortunium. Succeſſurus erat filius *Auteſion*; ſed oraculi mandato vertere ſolum, & ad *Dorienſes* migrare, juſſus eſt. Non auſus eſt Dæmoni etiam graviſſima imperanti non parére. Tantum apud profanas olim cæcáſque gentes valuit dementiſſima idolorum ſuperſtitio. Profectus quò juſſus eſt, *Argiam* filiam *Ariſtodemo*, *Herculis* ex *Hyllo* atnepoti, uxorem tradidit; ex quo conjugio filii *Procles* & *Euryſthenes* geniti ſunt. *Auteſionis* autem loco *Damaſichthona* ſibi regem *Thebani*, ex *Ophelta* filio *Peneleï* nepotem, conſtituerunt. (*Pauſ. Bœot.*) *A.M.* 2867. Documento eſt *Auteſion*, quantum valuerit ſuperſtitio ethnica.

§ 30. Erat *Palæſtinorum Gaza* urbs, è quinque primariis una. Eò fortè *Samſon*, poſt victoriam aſininam aliquot annos, opinor, ſive ut opportunam captaret impugnandi *Palæſtinos* anſam, ſive aliud aliquod negotium peracturus, contulit ſe. In cauponam divertens, cum meretrice illic habere non dedignatus eſt rem magnificus ille Judex *Iſraëlitarum*. *Gazitis* illico nunciatum eſt, *Samſonem* adeſſe, ſuæ gentis hoſtem crudeliſſimum. Quid agant? Apertâ vi hominem adoriri, qui exercitum unus profligaverat, hominéſque mille occiderat aſini mandibulâ, minimè conſultum videbatur. Quare inſidiis opprimere potiùs ſub auroram è portis exeuntem ſtatuunt. Magno ſilentio agitur nox, nè quo fortè indicio *Samſoni* res proderetur. At ille mediâ nocte profecturus, cùm portas clauſas reperiſſet, valvas unà cum poſtibus loco motas, & in humeros ſublatas, abſportavit. In montem verò tulit haud procul ab urbe *Judæorum Hebrone* diſſitum; ut in loco tam conſpicuo, & utrique genti propinquo, *Palæſtinorum Judæorúmque*, utraque gens mirandum opus Dei conſpiceret & prædicaret. Interim qui ex inſidiis prodeuntem *Samſonem* exſpectaverant, attoniti miraculo virium, non oppugnare opponeréve ſe, non ſunt auſi è latibulis ipſi prorepere. *Samſon Gazitis* unus terror univerſis.

§ 31. *Æpyto* apud *Arcadas* regnante, *Oreſtes*, principum *Græcorum* facilè princeps, in exſilium quodammodo actus eſt, imperante *Apolline*: adeò miſerè ſub Dæmonum laborabant graviſſimo jugo, qui Dei Dominíque veri leniſſimum excuſſerant. Oraculo enim juſſus *Mycenas* deſerere, paternum avitúmque regnum, & in *Arcadiam* diſcedere, obſecutus eſt, migravit in *Arcadiam*. (*Pauſ. Arcad.*) *Oreſtaſii* videtur habitâſſe, quod ab eo, paulùm deflexo nomine, *Oreſteüm* dixêre. (*Pauſ. Arcad.*) Et apud *Arcadas* occubuiſſe conſtat, ictum (ut aiunt) à ſerpente: quo loco temporéve, non ſatis conſtat. Sepulchrum ejus monſtrabant *Thyreatæ*, ex quo ejus oſſa *Tegeatæ* ablata fuiſſe ab homine *Spartano* memo- *Oreſtes*, oraculo parens, exſulat.

 rabant.

A.M. 2867. rabant. (*Pauſ.* ib.) Et *Oreſtem* ait *Strabo* (lib. 13.) autorem fuiſſe deducendi *Æolum* colonias in *Troadem*, à ſuo patre ſubactam regionem, ſed à *Penthilo* ejus filio, poſt obitum patris, occupato demum ab *Heraclidis Peloponneſo*, deductas.

2869. *Dalila laqueis tenetur Samſon.* § 32. Amore mulierum inſano ferebatur *Samſon*, obſequendóque nimis, incendit libidinem. Ut,

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops ;

ſic interdictæ alienorum puteorum

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Interim quaſi diſſimulabat connivebátque Deus, ut hominem à peccando clementiâ revocaret. Sed quò ille melior ac mitior, eò deteriores plerumque nos, (quæ humani eſt ingenii pravitas,) eò majore cum impetu, quaſi probante Deo, in vitium ruìmus. Novæ meretricis jam ad aquas *Sorec* laqueis tenebatur *Samſon* ; *Hebrææne* mulieris, ân *Palæſtinæ*, minimè conſtat. *Dalilam* vocabant. Et proſelytam fuiſſe aliqui ex *Judæis* volunt. Quam *Samſon* libidine, eam *Palæſtini*, ejus hoſtes, pecuniâ & muneribus corruperunt ; aureos montes polliciti quinque civitatum principes, argenteis mille ac centenis paciſcuntur ſinguli, modò explorare velit, ac ſibi prodere, qua maximè in re amaſii ſui ſitæ ſint vires, quóque debilitari modo poſſint.. Empta meretricum fides majore pretio facilè expugnatur. Ut ergò pactam ſibi lucretur mercedem, his blanditiarum illecebris adoritur *Samſonem.* " Dilectiſ- " ſime *Samſon*, quàm beatam licet mihi me, fœminarúmque omnium feliciſſimam " prædicare, quæ viri omnium quos vidit unquam Sol fortiſſimi complexu fruor ? " Quis enim gigantum, quis *Anacæorum* tibi par ? Quàm ſpectare juvat me ac in- " tueri ſpecioſiſſimum corpus tanti miraculi capax ? At verò unde ſit hujus corpo- " ris *tanta vis, ubive ſita*, fateor equidem non capere me, non divinare poſſe. Si " me amas, mi ſuaviſſime *Samſon*, *indica mihi* quid hoc arcani ſit. Oſſium compages, " nervorum firmitatem,duros lacertorum toros,& quæ alia ſpectant ad humani corpo- " ris augendum robur, pariter in aliis video. Tantas nihilominus in aliis vires non " video. Quicquámne verò eſt quo tam ingens robur debilitari poſſit ? Curioſam " nimis fortaſſe me dices, quæ hæc à te petam. Muliebris id eſſe ingenii dicas. Quis " autem virorum eſt, qui plura indies diſcere, plura cognoſcere non expetat? Ut- " ut curioſam, tui certè amantiſſimam ſemper fideliſſimámque dices. Non putabat fore *Samſon*, ut experiretur mulier quàm verè ſibi reſponderetur hac in re. Quovis itaque dolo ludificari ſtatuit, quò gratificari videretur vehementi obſecrantis deſiderio. " *Si virgarum*, inquit, *recentium*, *nec adhuc arefactarum*, *vinculis ligaretur* " *ſeptem*, *debilem futurum ſe*, omni amiſſo robore. Credit *Dalila*, traditáque ſunt à *Palæſtinis* ei vincula. Inſidiæ collocantur opportunæ quæ vinctum invadant. *Samſon* denique dormiens ligatur ; exclamátque mulier *adeſſe* hoſtes. Ille protinus rumpit vincula, quaſi è ſtupa filum admoto igne. Territi qui latebant *Palæſtini* haud prodeunt. Neque *Samſonis* igitur *Dalilæ* vires, neque *Samſoni* proditæ ſunt *Palæſtinorum* inſidiæ. Illuſa mulier conqueritur de mendacio. Sed alterâ vice placuit experiri, nè mercedem amitteret. Redeunte igitur ad libidinem *Samſone*, orat vehementer, ut id verè ſibi narret quod tantopere cupiat cognoſcere. Minimè latuit *Samſonem*, quanti eſſet diſcriminis illud arcanum prodere. Ut amore igitur potiretur, alio fœminam eluſit mendacio. " *Si funibus*, inquit, *novis colligaverint me*, " *nunquam ad opus ullum adhibitis*, id unum eſt quod omnes mihi vires auferet. Dormientem igitur, quo priùs modo, funibus *Dalila* devinxit novis, & *adeſſe Palæſtinos* vociferata eſt. Experrectus ille funes etiam facilè diſrupit, ac domum profectus eſt. Cùm denuo rediret ad ſcortandum, inſtat vehementiùs *Dalila*, nec libidini ejus obſecuturam ait ſe ampliùs, niſi & ſui amoris erga ſe aliquod indicium det. Hoc unum ſe petere ; hoc unum ab eo facilè præſtari poſſe. Ut ergò meretriculâ ſuâ hâc etiam vice frueretur *Samſon*, tertium adhibuit commentum : " Eo ſe " debilitatum iri, *ſi ſeptem ſui capitis cincinnos licio attexeret.* Id etiam dormienti factum, & clavo eſt confixum opus. Famâ tamen hoſtium expergefactus diſcedit ille cum licio & texturæ clavo. Quanquam facilè ſuſpicari poſſet, imò perſpicere, exitium ſibi à *Dalila* parari ; abſtinere tamen ejus conſuetudine non potuit. Reverſum oculis non quibus antea ſolebat blandis intuetur amica, ſed mœſtis & minacibus, aversóque vultu, vix tandem alloquio dignata eſt. " *Ego*, inquit, imprudens fœmina, *amaviſſe* te credebam. " *Si*

" *Si fallis quod amas, hoſtes ſapienter amabis.*

A.M. 2869.

" Cùm ego tibi meum tradiderim ——— *corpúsque animúmque pudicum*; tu nè tantillam rem meæ fidei auribúſque tutis credere dignaris. Aut amare te hoc mihi arcanum prodat; aut amari à me inviſa tibi & contempta muliere nè poſtules, nè ſperes. Tantas meretriculæ ſuæ minas, ipſâ morte homini laſcivo graviores, ferre non potuit tantus vir. Prodit omnia: " ex eorum ſe numero eſſe quibus *capilli* " *nunquam raderentur, Nazaræum ab utero. Si pili capitis tollerentur*, unà & *vires* " corporis *fore ſublatas, imbellémque futurum ſe.* Quibus auditis, *Dalila* principes *Palæſtinorum* feſtinanter accerſit; nec dubitare ait ſe, quin ſciat omnia, eóſque votorum ſuorum compotes jam ſit redditura. Adſunt properè, mercedémque proditionis afferunt *Palæſtini*; ponuntur inſidiæ; ſua genua mulier dormienti *Samſoni* pro lecto eſſe vult; & papaver tradidit fortaſſe in cibo perfidum ſcortum, quò dormiret altiùs. Ibi cùm tonſor ei raſiſſet caput, atque receſſiſſent vires, dormientem ſuſcitat, & Hoſtes, hoſtes, mulier exclamat, ipſa priùs debilitatem ejus ſuâ leviter experta manu. Somno protinus excuſſo, diſceſſurus erat quo ſolebat more *Samſon.* Nec enim ſenſit inprimis à Deo eſſe derelictum ſe. Sed prodeuntem è thalamo invadunt *Palæſtini*, faciléque imbecillum capiunt. Capto effodiunt oculos, & compedibus vinctum, ut cum aliis facinoroſis hominibus molat in piſtrino, compingunt in carcerem *Gazæ.*

Crede ratem ventis, animum nè crede puellis:

puellis maximè nullius fidei, meretricibus. Quid eſt enim iis non venale, qui ſuum pretio corpus animúmque proſtituunt?

A.M. 2870.

Occidit una domus. Pœnas jampridem laſciviæ ſuæ *Samſon*, votíque *Nazaræorum* violati, luit. Sic enim ſtatuit facítque Deus plerumque, ut *judicia* pœnæque *à ſua domo* & familia ſanctorum *incipiant.* (1 *Pet.* 4. 17.) ——— *Sed non domus una perire Digna fuit.* De *Palæſtinis* etiam pœna ſuæ crudelitatis in *Samſonem* repetenda eſt. Creverant *Samſoni* crines jam ad eam longitudinem quâ fuerant antequam tonderetur: renovatóque (ut credibile eſt) *Nazaræatûs* voto, creverant & vires, redierátque Spiritus Dei. Interea *Palæſtini*, ut deo ſuo *Dagoni* de hoſte capto gratularentur victoriam, quam iræ potiùs Dei *Jehovæ* peccatíſque laſcivi hominis debebant, feſtum & ſacra epulúmque lautiſſimum inſtituunt. Et bene poti jam *Samſonem* accerſunt è piſtrino, ut ludos epulantibus atque jocos det. Sive id ſaltando turpiter fecit; ſive verbera ferendo cæca & colaphos, quorum autores dum inſequebatur, in parietes impingebat atque columnas; ſive quo alio modo, nuſquam traditur. Crudelitatis erat hoc pluſquam ferinæ, afflictum affligere, malis addere calamitoſi hominis, & ipſam habere ludibrio miſeriam. Ingens aderat multitudo hominum ſpectantium à tecto, & convivantium ſatraparum; omnium verò ludo *Samſonis* oblectantium ſe. Columnis fulciebatur ædes, inter quas dum luderet collocabatur *Samſon.* Orat mox puerum ducémque ſuum ubi deſiit ludere, ut ad ipſas columnas quibus nitebatur templum deduceretur: iis quippe niti velle, quaſi feſſus ludendo, videbatur. Conſcius ſibi jam receptarum virium, ut columnas tetigit, Deum vehementer obteſtatus eſt, ut " ſui *recordaretur* miniſtri, & malorum quibus Dei cauſâ *Palæſtini* eum affligebant. Suum ludibrium ſuo eſſe Deo probroſum. Adeſſet " ergò jam *viréſ*que *ſibi intenderet, quibus ulciſceretur* hoſtium in ſe Deúmque ipſum " contumelias. Propitio & exaudiente Deo precatus, ingentibus columnis ingentem adhibet vim; quibus convulſis, totum repentè corruit ædificium, proceréſque ſimul & populum unâ clade obruit univerſum. *Samſon* & ipſe interfectus eſt, idque volens lubénſque, hominum impiorum in ſe Deúmque ſatìs ultus injurias. Quippe, ingrata cæcutienti jam vita utiliùs videbatur profundi non poſſe, quàm tanta cum clade hoſtium. Plures enim ſuâ morte ad mortem rapuit, quàm vivus unquam trucidârat. Neque tamen, propriè ſi loqui volumus, mortem ſibi conſcivit; ſed, in cauſa Dei non recuſavit. Neci propè certæ maluit exponi ſe, quàm ludibrio quotidiano & amariſſimo crudeliſſimorum hoſtium; quod ipſâ erat morte animo generoſo magìs acerbum, & ipſi Deo, cujus famulum agebat, maximè ignominioſum. Nec privatæ ultionis causâ, ſpiritúque privato geſta videntur hæc; ſed inſtinctu quodam Divino, & Judicis conſtituti à Deo autoritate publicâ. S. *Ambroſius* igitur ità *Samſonem* ait fuiſſe à Deo exauditum, ut vitam cum triumpho clauſerit,

Pœnas luit laſciviæ.

Sed & morte ſuâ mortem profanis infert.

ſerit,

A.M. 2870.

ſerit, nec *Palæſtinos* modò, ſed & ipſum ſe vicerit. Tantâ profectò clade ità conſternati ſunt qui ſupererant *Palæſtini*, principibus extinctis, ut, prohibente nemine, cognati *Samſonis* ejus indè corpus tulerint, honorificéque in tumulo ſepelierint paterno. Summus deinde Pontifex *Eli* judiciis præfuit annis quadraginta; qui ab *Eleazari* ad *Ithamaris*, natu minoris, familiam Sacerdotii principatum tranſtulit.

Quomodo typus *Chriſti* fuerit.

Cùm alii plurimi veterum *Iſraëlitarum*, tum & *Samſon* typum nobis exhibuit *Chriſti*. Ortus utriuſque mirabilis, & prædictus ab Angelis. Uterque natus eſt cùm ab hoſtibus opprimerentur, à *Palæſtinis Iſraëlitæ*, à *Satana* principibúſque tenebrarum mortales ferè univerſi. (*Luc.* 4. 6.) Uterque ſuos devictis hoſtibus in libertatem aſſeruit ſuis viribus, exercitu militante nullo. Leonem *Samſon*, rugientem illum leonem (1 *Pet.* 5. 8.) *Chriſtus* expugnavit. *Samſon* à *Dalila*, *Chriſtus* à *Juda* proditus. *Samſonem* ſui populares vinctum tradidêre *Palæſtinis*; at ille, diſruptis vinculis, non modò eluſit hoſtium ſpem, ſed eoſdem clade affecit graviſſimâ: Ità *Chriſtus*, à *Judæis* traditus *Romanis*, & neci, & ſepulchro, maximam illis fecit victoriæ ſpem; at ſolutis mox vinculis, quibus teneri non potuit, (*Act.* 2. 24.) ipſam in ſepulchro quaſi regno ſuo Mortem debellavit. Cùm intra *Gazæ* mœnia incluſum tenerent *Samſonem Palæſtini*, portis ablatis, eluſíſque hoſtibus, diſceſſit incolumis: Ità *Chriſtus* è ſepulchro. Poſtremò, uterque, Dei Spiritu connivente, captus, vinctus, ludibrióque habitus, quò perdomaret hoſtes ac peſſundaret, mortem ipſe voluntariam obiit.

Vitâ functo *Samſone*, *Eli*, ex tribu *Levitica* oriundus, cœpit populo præeſſe ætatis ſuæ anno quinquageſimo octavo. Neque Judex duntaxat *Iſraëlis*, ſed & Summus ſacerdos erat; idémque primus de ſtirpe *Ithamaris* qui id honoris faſtigium adeptus eſt.

SAMUEL,

SAMUEL,
SIVE
ANNALIUM MUNDI
Primi Tomi
LIBER DECIMUS;
Qui,
A primo anno Judicis *Eli* ad ultimum *Sauli* Regis, annos tradit 80.

§ 1. ASCANIUS *Latinorum* in *Italia* rex, poſtquam octo & triginta regnaviſſet annos, fato ſuo functus eſt. Regnum populus, cùm *Aſcanii* filius peteret, fratri dedit. Sic enim accidiſſe ferunt. Suſcipiente regnum *Aſcanio*, ex *Ænea* prægnans *Lavinia* pertimuit nè periculum ſibi crearet novercale nomen, & ſoboli quam in utero ferebat. Quare *Tyrrheno* cuidam (*Tyrrheüm Servius* appellat *Æneïd.* 1.) tradidit ſe, regii pecoris magiſtro, quem nôverat patri ſuo percharum fuiſſe. Nec fefellit ille juſtam reginæ ſpem de fide ſua. Suſcepit libens; & in ſylva quadam obſcuris ædibus latére voluit, ubi neceſſaria ſuppeditavit omnia. Filius ibi natus eſt, quem ſuſtulit aluítque paſtor. A loco *Sylvium* appellare libuit. Interim à populo deſideratur *Lavinia.* Quam non uſquam inveniunt, eſſe putant nuſquam. Sublatam è medio ſuſpicantur *Aſcanii* privigni malis artibus. Quare paſtor, nè immeritus lueret necem viventis rex, in medium *Laviniam*, quæ ſola in ſylvam advenerat, unà cum filio producit. Moriente igitur *Aſcanio*, paternum avitúmque imperium filius petiit *Iulus.* Sed potior populo viſus eſt *Laviniæ* filius & *Latini* nepos; à quo deinceps *Latinorum Albani* reges *Sylvii* omnes cognominati ſunt. *Iulo* tamen *Aſcanii* filio cura ſacrorum, & pontificia quædam dignitas, à rege proxima, eſt attributa. Imperio *Sylvius* annis undetriginta potitus eſt. *Euſebius* ait *Sylvium Poſthumum* relictum ab *Aſcanio* hæredem fuiſſe regni, quoniam *Iulus Aſcanii* filius nondum per ætatem regendis civibus idoneus eſſet. *Servius* autem, eò quòd *Aſcanio* liberi deeſſent.

A.M. 2871. *Aſcanio* mortuo frater *Sylvius* ſuffectus eſt;

Poſt *Oxyntem*, *Aphidas* filius *Athenienſium* regno præfuit anno unico. Eo regnante, *Pauſanias* refert (in *Achaïcis*) *Dodonæi Jovis* oraculum fuiſſe *Athenienſibus* redditum, ut *Areopagum* & aram *Eumenidum* obſervarent: eò *Lacedæmonios* aliquando ſupplices venturos, bello domitos; caverent ergò nè ferro violarent; ſacros enim puróſque ſupplices habendos. Id *Codri* poſtea temporibus accidiſſe ferunt.

A.M. 2874. *Oxynti Aphidas*;

Sed poſt annum *Aphidas* à *Thymœta*, fratre quidem, ſed notho, ſublatus eſt. Parricida regnum occupavit, annóſque tenuit octo, *Theſidarum* poſtremus *Erechthidarúm*que. (*Pauſ. Corinth.*) Ab eo Demus *Thymœtadæ* in tribu *Hippothöontide* dictus eſt.

2875. *Aphidæ Thymœtes.*

§ 2. *Æpy-*

A.M. 2876.

Æpytus ſacrilegii pœnas luit.

§ 2. *Æpytum* ferunt *Arcadiæ* regem, cùm in ædem *Neptuni Hippii*, ſive *Equeſtris*, penetrâſſet *Mantineæ*, quò fas homini accedere non fuit, captum oculis primò, vitam quoque mox amiſiſſe. Adeò ſeverè (modò credere facto par ſit) etiam Dæmones violatam ſuam religionem vindicabant. Templum autem illud ab *Agamede* conſtructum & *Trophonio* dicitur, quernis inter ſe arctè trabibus compactis. Homines verò templi aditu prohibebantur, non obicibus muniendo fores, ſed laneum duntaxat obtendendo funiculum: ſive quòd, vigente ſuperſtitione, ſacroſanctum fuiſſe deorum putabant metu locum; ſive quòd ei funiculo quædam ineſſet occulta vis ad arcendos homines. Filum hoc *Æpytus* conſcidiſſe fertur, & ſubitâ erumpentis aquæ marinæ vi occæcatus. Conſtat, religionis tantæ fuiſſe apud profanos fanum hoc, ut *Adrianus Romanorum* imperator templo novo ex omni parte incluſerit vetus, adhibitis interea ſpeculatoribus, nè quis vel intra hoc inſpiceret, vel indè ruderis quicquam abſportaret. Patre mortuo, *Cypſelus* filius regnum adeptus eſt, annóſque circiter triginta & duos imperavit. In regno etiam *Elidis*, poſt *Amphimachum* patrem, *Eleüs* regnavit filius vix triennio. (*Pauſ. Eliac.* 1.)

A.M. 2882.

Heraclidarum reditus in *Peloponneſum*.

§ 3. Cùm *Apollinem Carnium* cæde ſui vatis offenſum ritè placaviſſent *Heraclidæ*, iterum explorant voluntatem ſui dei de reditu in *Peloponneſum*. *Pythia* pauciſſimis reſpondit, Trioculum ſequendum eſſe ducem. Abeuntes *Heraclidæ* cùm oraculi mentem non ſatis intelligerent, valde ſolicitis nè iterum aberrarent, occurrit fortè in via vir (Dæmone, credo, impellente, oraculi autore,) qui altero captum oculo mulum agitabat. Unus continuò ex ducibus *Creſphontes* ſagaci conjecturâ monuit, hunc eſſe quem oraculum voluit. Compellant hominem, & comperiunt *Oxylum* eſſe *Ætolum*, *Hæmonis* filium, *Thoantis* nepotem, qui bello *Trojano* interfuit; denique, ſibimet ipſis cognatione affinem. Quippe *Thoantem Andræmon*, & *Hercules Hyllum*, ex germanis ſororibus genuerant. Patriâ verò extorris profugiebat *Oxylus* jam propter fortuitam quam diſco ludens admiſerat cædem. Itaque orant omnes obſecrántque hominem, ut rerum quas erant ſuſcepturi magnarum participem atque ſocium ſe, imò cognatis ducem præberet. Oraculum id monuiſſe; id verò & ſe vehementiùs rogare. *Oxylus*, cui nondum erant fixæ ullibi fortunæ, non recuſavit, modò *Eleüm* ſibi agrum *Heraclidæ*, unde ſui majores erant oriundi, aſſignarent. Compos voti ducem futurum pollicetur ſe: ac inprimis monet, navibus tranſmittendum, non itinere pedeſtri eſſe irrumpendum, quomodo antehac tentaverant, in *Peloponneſum*. Claſſe igitur comparatâ novâ, & quæ alia videbantur ad tantum bellum neceſſaria, *Oxylo* præeunte, à *Naupacto* ad *Molycrium* magnas *Dorienſium* copias trajecerunt. Præcipui erant duces, *Hylli* pronepotes duo *Ariſtomacho* geniti, *Temenus* & *Creſphontes*. Aderat *Aletes* etiam, *Hippotâ* genitus pronepote *Herculis*, qui *Carnum* occiderat vatem. Quoniam patre ſine certis ſedibus aberrante natus eſt, filius *Aletes* vocabatur. Secutus quoque *Temenum* eſt *Hegelaüs*, *Herculis* nepos ex *Tyrrheno*, muliere *Lydâ* genito. Hic tubam primus inveniſſe, aut monſtraviſſe *Græcis*, dicitur. Ejúſque filius *Hegelaüs* tubæ cantum atque uſum docuit *Dorienſes*, templúmque poſuit *Minervæ Tubæ*. (*Pauſ. Corinth.*) Optimas *Peloponneſi* provincias quodam ſibi jure vendicabant *Heraclidæ*. *Argolidem* ſibi potiùs deberi, utpote *Perſeï* poſteris, quàm *Pelopidis*, planè peregrinis, arguebant. Cùm autem *Hercules Hippocöontem* è regno *Spartano* ejeciſſet, ídque apud *Tyndarum* depoſuiſſet, ut *Meſſeniæ* præfecturam apud *Neſtorem* ſubactâ *Pylo*; has quoque proavi jure *Herculis* repetebant. Sed & reliqua *Peloponneſus* trepidabat, cùm tantas audirent bellorum minas; juréque timebant, nè, favente fortunâ, qui jure ſua tantùm repetebant, arriperent omnia. Quare *Cypſelus*, *Arcadum* rex, valde ſolicitus, dum ſtudioſiùs exquirit de *Heraclidis* omnia, unum ex ducibus, *Creſphontem*, adhuc cœlibem eſſe didicit. Suis rebus peropportunum id ratus, ultro per legatos amicitiam ei filiámque *Meropen* obtulit uxorem. Nec minùs *Creſphonti* viſum eſt opportunum, affinitate hâc novâ confirmare ſuas res, & in medio tot hoſtium habere ſocerum. Filiâ deſponſatâ ſibi ſuóque regno à tanta tempeſtate belli prudentiſſimè *Arcas* conſuluit.

In *Argolidem* profecturos jam *Heraclidas* per fines *Arcadum* deduxit *Oxylus*, non per *Elidem*, quam ipſe ambiebat; nè forte agrum & fertiliſſimum & optimè cultum intuentes retinerent ſibi, pactorum promiſſorúmque immemores. (*Pauſ. Eliac.* 1.) In agrum *Argivum* ubi *Temenus* cum exercitu irrupiſſet, vicum quendam occupavit atque munivit, qui poſtea *Temenium* vocatus eſt. Ex eo tanquam arce belli *Tiſamenum* & *Achæos* oppugnavit, donec ex ea regione profligâſſet univerſos. Illic igitur poſitum eſt *Temeno* monumentum, ubi *Dorienſes Argivi* mortuo quotannis parentabant.

bant. (*Pauſ. Cor.*) Potitos *Argis Dorienſes Trœzenii* quoque in ſuam civitatem recepe-
runt, ut qui *Argivis* jam antea diu paruiſſent. *Hermionem* quoque ceperunt *Trœze-* *A.M.*
niis vicinam. (*Pauſ.* in *Cor.*) *Mycenas* denique, & reliquam puto *Argolidem*, quam *2808.*
Temeno ſortem natu maximo tribuerunt. *Strabo* (lib. 8.) ex *Ariſtotele* refert, *Io-*
nas quoſdam ex *Attica Tetrapoli* ſocios *Heraclidis* adfuiſſe, & unà cum iiſdem *Epidau-*
rum & *Hermionem* occupaviſſe, *Caribus* expulſis, qui tenuerant priùs. *A.M.*
Argolide ſubactâ, in *Laconiam* atque *Meſſeniam* traducendus erat jam exercitus, ut *2883.*
Creſphonti & *Ariſtodemi* liberis ſuæ quoque ſortes traderentur. *Meſſeniam Creſphontes*
poſtulavit, terram longè pulchriorem beatiorémque *Laconiâ*; quippe major eſſet
natu *Creſphontes Ariſtodemo*. Sed *Theras* ei *Thebanus* magnopere adverſabatur pupil-
lorum gratiâ. Itaque ſorti commiſſa res; cujus ex aqua in ſitula prior exîſſet, is ut
Meſſeniâ potiretur. At ſubdolè *Temenus*, in *Creſphontem* propenſior, ejus calculum
è coctili laterculo, liberûm *Ariſtodemi* ex argilla Sole ſiccata fecit. Hâc igitur ſolutâ,
illa conſtitit exivitque. (*Pauſ. Meſſen.*) *Spartam* ergò profecturi, ſpeculatum ali-
quos præmittunt. *Crius* erat *Spartæ* vates, *Theoclis* filius, cujus in domo *Carneus*
Domeſticus (*Apollinis* id erat cognomen) coli cœptus eſt. Ejus cùm offendiſſent fi-
liam *Dorienſium* ſpeculatores, dum ad aquam fortè hauriendam prodiret, collocuti
paululùm, ad patrem ejus perducti ſunt. A patre autem capiendæ urbis rationem
didicerunt. *Ariſtodemo Lacedæmonia* ſorte obvenerat. At ille apud *Delphos* è vivis
jampridem exceſſerat; non confixus ab *Apolline*, quòd *Herculem* fortè obvium con-
ſuluiſſet potiùs de reditu quàm *Pythiam*, (ut quidam *Lacedæmonii* prædicabant;) ſed
Oreſtis & *Tiſameni* gratiâ occiſus eſt à *Pyladæ* filiis & *Electræ*. Filios reliquit *Proclem*
(*Patroclem* vocat *Plutarchus*) & *Euryſthenem*, quorum, avunculus cùm eſſet, tutelam
ſuſcepit *Theras Thebanus*. Ejus enim ſororem *Argiam* duxerat *Ariſtodemus*. Gemini
quidem erant; ſed eâ voluntatum & omnium conſiliorum diſſenſione, mutuóque
inter ſe odio laborabant, ut è *Polynice* ortos facilè cognoſceres. At in hoc uno con-
veniebant, quòd *Theræ* libenter obſequebantur, eundémque in colonia deducenda
ſequebantur ducem. Deduxerat verò in inſulam *Calliſtam*, quam à ſe *Theram* nun-
cupavit, *Sunio* promontorio adjacentem. *Membliarum* quendam *Pœcili* filium, ho-
minem plebeium, *Cadmus* ibi reliquerat coloniæ ducem. Ejus itaque poſteri *Theræ*,
qui ab ipſo *Cadmo* erat oriundus, facilè conceſſerunt inſulæ principatum. Nunc au-
tem, unà cum reliquis *Heraclidis*, & hi ex inſula reverſi *Peloponneſum* invadebant.
Sed cùm gemini eſſent, neutro cedente, uter præeſſet regno conſulere *Apollinem* pla-
cuit. Ille, nè alterutrum offenderet, utrumque juſſit imperare. Ità gemini fra-
tres gemini fiunt reges imperii ejuſdem, ſed bicipitis; quod eorum poſteri dignitate
pari per multa ſecula tenuerunt. (*Pauſ. Lac.*) Sed *Lacedæmonii*, *Herodoto* autore,
(lib. 6.) *Ariſtodemum* narrabant ipſum *Lacedæmonem* adveniſſe, paulóque pòſt, ge-
minis ei natis, obiviſſe. Cives majorem natu regem ſibi creaturos, is uter eſſet in-
terrogâſſe matrem. Eâ diſſimulante, quòd ambos regnare cuperet, *Pythiam* conſul-
tam juſſiſſe, ut ambos haberent pro regibus, at primogenitum honorarent magís. At
id illi quæſiverant, uter eſſet primogenitus. Tandem admoniti ut matrem obſerva-
rent; quam illa priorem ſemper lavaret cibarétque, eum eſſe quem quærerent. Id
uni puerorum conſtanter à matre fieri cùm advertiſſent, eum deinde ut primogeni-
tum ejúſque poſteros coluerunt. *Euryſthenem* verò appellârunt, alterum *Proclis* no-
mine. *Euryſthenes* 42, *Procles* 46 imperavit annos. Nec difficilis fuit *Creſphonti*
aditus in *Meſſeniam*; eóque libentiùs paruit ei populus, quòd invidioſa jam eſſet *Ne-*
leidarum potentia. Itaque priſci *Meſſenii* non ſunt ejecti ſuis ſedibus: abacti princi-
pes tantùm vertêre ſolum; *Alcmæon Silli* filius, *Thraſymedis* nepos, & *Piſiſtrati* filius
Piſiſtratus; *Pæonis* quoque liberi, qui *Antilocho* natus eſt; *Melanthus* denique, *Andro-*
pompi filius, *Bori* nepos, *Penthili* pronepos, abnepos *Periclymeni*, quem *Nelei* fortiſ-
ſimum filium, cùm *Pylum* expugnaret, *Hercules* interfecit. *Alcmæon* & *Pæonis* liberi
Athenas migravêre: unde *Pæonidarum* & *Alcmæonidarum* novæ gentes. *Piſiſtratus*
quò ſe contulerit, nuſquam traditur. (*Pauſ. Cor.*) *Melanthus Pythiam* conſuluit,
quemnam ſibi habitandum locum caperet. Reſpondit vates, ubi caput pedéſque in
cœna ſibi appoſitos hoſpitalia munera primùm accepiſſet. Id verò mox *Eleuſine*
factum ferunt, quæ ditionis *Atticæ* urbs erat. Cùm enim fœminæ ſacerdotes feſtum
ibi quoddam patrium celebrarent, jámque carnes univerſas abſumpſiſſent, caput &
pedes, quæ ſola ſupererant, ad *Melanthum* inferunt hoſpitem. *Athenas* ergò *Eleu-*
ſine profectus, civitate donatus eſt. (*Athen.* 3.)

A.M. 2905. *Corinthiis* hoc tempore *Doridas* & *Hyanthidas* præfuerunt, *Propodâ* geniti, qui *Demophontis* filius, *Thoantis* nepos fuerat, ex *Ornythione* proavo, *Siſyphi* nato. *Dorienſes* igitur, duce *Aletâ*, cùm dedi ſibi *Corinthum* peterent, reges facilè in ordinem redegerunt ſe, imperiúmque tradiderunt *Aletæ*. Populus tamen repugnare auſus eſt, & repellere novum jugum. Sed commiſſo prælio victus, ad quærendas ſibi alias ſedes fugatus eſt, relictâ *Dorienſibus Corintho*. Neque verò *Tiſamenus* cum ſuis *Achæis*, quanquam *Argis* & *Spartâ* pulſus, *Peloponneſo* fugatus eſt; ſed in Borealem ejus partem, quæ primò *Ægialus*, tum verò *Ionia* dicebatur, ſe contulit. Apud ſuos enim cognatos *Ionas* fore *Achæis* locum non dubitabat. Quippe *Achæus* & *Ion* è *Xutho* erant patre germani. Miſſo igitur caduceatore, inprimis petierunt ab *Ionibus*, ut in agri ſui partem admitterentur. *Ionum* reges veriti, nè, ſi *Achæi* & *Iones* permiſcerentur, *Tiſamenus*, ob fortitudinem generíſque ſplendorem, unus omnium rex eligeretur, poſtulata minimè concedenda putârunt. Ad arma igitur deducta res eſt. *Tiſamenus* quidem in prælio cecidit: victores tamen *Achæi* ad *Helicen* uſque *Ionas* perſecuti ſunt, quò ex fuga ſe receperant. Ex pacto mox impunitas conceſſa eſt omnibus, & aliò diſcedendi venia. Corpus *Tiſameni* ſepultum *Helice*; tandem ex oraculo *Spartam* tranſlata ſunt oſſa. (*Pauſ. Achaïc.*) Ex *Peloponneſo* in *Atticam Iones* demigrârunt, unde generis eorum autor prodierat. Apud *Athenienſes* poſt aliquot annos jure civitatis donati ſunt à *Melantho* rege, quò firmiore ſe præſidio munirent. Nec enim id ob *Ionis* quondam merita gratitudo effecit; ſed metus nè, ſubactâ *Peloponneſo*, arma in *Atticam Dorienſes* converterent. (*Pauſ. Ach.*) *Achaia* Propria dicta regio eſt, quam *Ioniam* priùs vocârunt; eámque ſorte partiti ſunt, in urbes duodecim diſtributam. Summæ rerum præfuerunt *Tiſameni* minores filii, *Daïmenes*, *Sparto*, *Telles*, & *Leontomenes*, unà cum *Damaſia Penthili*. Maximus enim natu *Tiſameni*, *Cometes*, multò antè tranſmiſerat in *Aſiam*. (*Pauſ. Ach.*) Eò jam & *Penthilus*, *Oreſtis* alter filius, navigavit, *Lesbúm*que cepit inſulam. (*Pauſ. Lac.*)

A.M. 2873. *Oxylus Elidem ſingulari certamine adeptus eſt.* § 4. Jam tandem, poſt *Heraclidas*, *Oxylo Ætolo* adeunda erat ſua ſors in *Elide*. Exſpectabat ille quidem, ut ſibi ſponte ſe ſubjicerent, traderéntque imperium *Eleï*. At *Eleüs* rex obſtitit, & cum exercitu ſe oppoſuit. Ut minimo tamen cum diſpendio ſanguinis humani de ſumma rerum decernerent, ſingulari duorum militum certamine placuit experiri. Uter viciſſet, ea ut pars regno frueretur. *Degmeno* ſagittario ab *Eleïs*, ab *Ætolis Pyræchmæ* funditori commiſſa res eſt. Quid multa? *Pyræchmes* è pugna ſuperior diſceſſit; ità potitus eſt regno *Oxylus*. Neque tamen priſcos *Epeos* priſtinis exegit ſedibus: ſed agros communes partiti cum *Ætolis* æquabili jure, inter ſe facilè coaluerunt.

Cur reditus *Heraclidarum* in hos annos conjiciatur. Expoſito *Heraclidarum* reditu in *Peloponneſum*, temporis quoque ratio mihi reddenda eſt, cur eum in hos maximè annos conjiciam. *Velleius* enim *Paterculus*, *Thucydides*, *Diodorus Siculus*, aliíque, octogeſimo poſt *Ilium* expugnatum anno contigiſſe hunc reditum volunt. Id autem fieri non poteſt. *Melanthus* enim, qui ab *Heraclidis Meſſeniâ* expulſus eſt, multos annos jam præfuerat *Athenienſibus*, ante annum octogeſimum à bello *Trojano*, ut ex *Helvici* Chronologia patet, qui tamen *Paterculi* rationem ſecutus eſt. Cùm autem *Clemens Alexandrinus* ex *Eratoſthene* doceat, migrationem *Ionicam* annis factam 110 fuiſſe poſt captum *Ilium*, 60 poſt reditum *Heraclidarum*, & *Strabo* ſcribat (l. 13.) *Heraclidas* rediiſſe annis poſt excidium *Trojæ* ſexaginta; hanc nos rationem ut veroſimillimam ità ſumus amplexi, ut *Melanthum* tempore opportuno *Athenienſium* imperio præfecerimus. *Herculis* ergò poſteros in *Peloponneſum* rediiſſe annis quinquaginta & quinque exactis poſt *Trojæ* excidium ſtatuimus. *Iones* verò in *Aſiam* migraviſſe, ſexaginta completis poſtquam fratres *Heraclidæ* ſortibus ſuis regníſque potiti ſunt.

A.M. 2878. *Samuel ut cœlitus ſit Hannâ natus.* § 5. In urbe montis *Ephraïmitici Rama* habitabat vir ex gente *Levitarum*, *Elcana*. Uxores unà is duas duxerat, *Hannam* & *Peninnam*. *Hanna* quidem à viro dilecta plurimùm, at ſterilis. *Peninna* verò plurium fœcunda liberorum parens; atque eam fortaſſe ob cauſam aſcita in conjugium, quòd ex altera uxore nullam *Elcana* ſobolem procrearet. Graviſſimè ferebat *Hanna* ſterilitatem ſuam, ſæpius ei probro datam à rivali. Erat enim apud *Hebræos*, tum viris, tum præcipuè fœminis, contumelioſum carere liberis; eò quòd indigni videbantur qui benedictionum Dei participes fierent earum quæ factæ ſunt *Adamo*, (*Gen.* 1. 28.) & *Noacho*, (*Gen.* 9. 1.) quæque *Abrahamo*, (*Gen.* 13. 16.) &c. Præterea, videbantur exoſi Deo, quorum genus & ſtirpem nollet propagari ulteriùs, eorúmve progenie ſuam augeri Eccleſiam.

Quod

Quod aliqui addunt, *Hebræos* præcipuè generandis liberis operam dediſſe, propter *Meſſiæ* ſpem è ſua ſtirpe orituri; non id erat commune omnium, ſed *Judæis* tantùm, uníque familiæ *Davidis* peculiare. *Siluntem Elcana* quotannis ad colendum Numen immolandáque ſacra proficiſcebatur cum familia; ubi, in conviviis ſacrificialibus, cùm *Peninna* ſibi liberíſque ſuis plures carnium portiones acciperet, *Hanna*, unica cùm eſſet, unicam tantùm, at honorificam fortaſſe & delicatam, propter ſummum in eam conjugis amorem, tulit. Ea nihilominus tantò dolore correpta eſt, quaſi admonita ſuæ orbitatis parte unicâ, ut cibo prorſus abſtinuerit, lacrymis tantùm indulſerit & mœrori. *Elcana* quidem ut potuit conſolatus eſt, & "eam ſibi dixit non eſſe "minùs charam, etſi minùs fœcundam; & *illi ſe inſtar plurium liberorum fore.* Ederet ergò biberétque, & hilari animo perageret convivium Dei. Ea verò aliud animo tacitè agitabat, & calumniarum quibus ab adverſaria petebatur ſolatium precibus atque votis petere ſtatuit à Deo. Ut primùm ergò epulis perfuncti ſunt, ad Dei Tabernaculum properavit; ubi offendit ipſum fortè ſedentem in atrio ſolióque ſuo Pontificem. Angore autem ſummo afflicta, lacrymíſque profluentibus uberrimè, obteſtata eſt vehementer *Jehovam*, ut "*ſui miſellæ recordaretur, prolémque ſibi maſculam donaret: donatam ſe Do-* "*mino* Deóque ſuo *reddituram* vovet. Quippe *Nazaræum* ab utero, & *perpetuum* in ſa- "cris miniſtrum dedicaturam. Ità quidem vovit mulier, de conjugis pii & amantiſſimi voluntate ſecura. Ità vovit & precata eſt ex corde intimo, motis quidem labiis, at nullâ editâ quæ exaudiretur voce. Animadvertit *Eli* Pontifex, & paulò plùs potam ratus à prandio, parúmque mentis compotem, increpare cœpit: "Faceſſe, inquit, domum "hinc, & edormi crapulam, neque *vinolentiâ tuâ* ædem ſacram polluito. Ea verò placidè ac demiſsè reſpondit, "minimè temulentam ſe, quippe ſiccam adhuc & jeju- "nam; ſed *ægri* & laborantis *animi* grave onus *apud Jehovam depoſuiſſe.* Quare ini- "quam ejus de ſua ebrietate *ſuſpicionem* humillimè deprecata eſt; néve coram *Jehova* "ſe inſontem traduceret, & quaſi ream fœdiſſimi criminis inſimularet. Cùm audiret hæc, doluit Pontifici dictum, judiciúmque de proba muliere temerarium. Deum igitur ut eam voti ſui compotem faceret obnixè comprecatus eſt. *Hanna* Pontificem, ut pergeret, precibúſque apud Deum adjuvaret ſe, obteſtata ſuppliciter, ad ſuos deinde rediit animo alacriore, quaſi à Deo ſentiret exauditam ſe. Cibo igitur famem depulit, ſitim vino, omnéſque diſpulit ex animo irarum moleſtiarúmque nubes. Nulla contrahitur ex rebus humanis terreníſve mentis perturbatæ ſincera quies. E cœlo quod petitur ſolatium, exhaurit penitùs omnem ægritudinem, animúmque planè tranquillum reddit ac otioſum. Impetravit enim à Deo *Hanna* quem tantopere filium expetivit; cui propterea *Samuel* eſt nomen datum. Cúmque eò uſque adleviſſet puer, ut miniſtrare poſſet in Tabernaculo, (1 *Sam.* 2. 11.) poſt quintum, opinor, ætatis annum, ablactatus eſt, adductus ad Pontificem, & conſecratus Deo. Poſt menſes 24, aiunt *Hebræi*; ætate cunis aptiore quàm miniſteriis. Adducti ſimul juvenci tres, farinæque modius, cum utre vini; partim ad convivium ſacrificiale, partim ut honorario puerum Pontifici commendarent. Ac illum, primò fortaſſe mirantem quid puerum afferrent in Tabernaculum, *Hanna* paucis edocuit. "Dignare me, "obſecro, Præſul, inquit, ſanctiſſime, certo tibi certius narraturam audire. *Ut* "*vivit anima tua, illa ego mulier ſum, quæ* ante annos aliquot, *hoc in loco, Deum præ-* "*ſente oravi te, puerúmque à Deo exoravi hunc.* Precariò datum à Deo, *Deo* jam "*reddimus*, tibíque tradimus miniſtrum in æde ſacra devotum atque perpetuum, Pon- "tifex reverende. Accepit ergò *Samuelem* Antiſtes *Eli* caſtè piéque in Tabernaculo educandum; gratiáſque Deo venerabundus egit, quòd comprecante ſe *Hannæ* preces exaudiviſſet. A.M. 2878.

Nacta puerum tantæ ſpei, ſolutáque jam voto, Prophetis *Hanna* continère gaudium ſuum non potuit, quin cantico gratias ageret, Divinúmque Numen celebraret. Tantæ Deus gratitudini novum addidit præmium: alios enim, præter *Samuelem* & duas filias, filios ei donavit tres. Nam & Pontifex *Eli* conjugibus benedixerat, oraverátque, ut *Samuelis* gratiâ pluribus eos liberis locupletaret Deus. Ac miniſteria quæ potuit in Tabernaculo ſedulò obibat *Samuel*, etiam lineo indutus Ephodo. Et mater ei quotannis, cùm ad anniverſaria ſacra *Siluntem* aſcenderet, talarem quoque tunicam pro ſtatu corporis parvam afferebat. (1 *Sam.* 1. & 2.)

§ 6. *Euryſace* mortuo, *Telamonii Ajacis* filio & inſulæ *Salaminis* rege, ſucceſſit *Philæus* filius; qui mox eandem *Athenienſibus* propinquis tradidit, cùm ab iis eſſet ſuæ civitatis jure donatus. Honores etiam decreti ſunt ab *Athenienſibus Ajaci*, ejúſque filio A.M. 2881.

A.M. 2881.

filio *Euryſaci*; & huic etiam ara poſita: & in ipſa inſula poſt annos 1200, inter fori ruinas, templum *Ajacis* cum ſtatua ex ebeno ſpectabatur. Ab his *Cimon* & *Miltiades* poſtea, ſpectatæ virtutis viri apud *Athenienſes*, orti ſunt. (*Pauſ. Att.*)

A.M. 2882.

Xanthus & Melanthus ſingulari certamine de regno dimicant.

Athenienſibus contra *Thebanos* hoc tempore bellum fuit, de *Oenoë* & *Melænis*, ſive *Celænis*, in confinio. *Thebanis* imperabat *Xanthus*, *Ptolemæi* regis filius, *Damaſichthonis* nepos. Idem & belli dux ſingulari pugnâ regum dirimi litem poſtulavit. Recuſavit *Thymætes Athenienſium* rex, maluítque regno cedere, quàm vitam in periculum vocare. *Melanthus* exſul *Meſſenius*, propoſito regni præmio, certaminis aleam ſubivit; ubi *Xanthus*, ab hoſte circumventus, dolo magìs quàm virtute interfectus eſt. Ut primùm enim cominus ſteterunt, *Melanthus*, *Iniquè*, inquit, *Xanthe*, & *contra pactum facis. Adverſus ſolum enim cum altero proceſſiſti.* Cúmque admiratus ille quiſnam ſe comitaretur reſpexiſſet, averſum uno ictu confecit. (*Frontin.* Strateg. 2.5. & *Polyæn.*1.) Autor *Etymologici* (cum aliis) *Melanthum* ait congreſſurum feciſſe *Baccho* votum, ſi *Xanthum* falleret. *Bacchum* igitur (aut ſpectrum aliquod) apparuiſſe *Xantho* comitem, nigrâ indutum caprinâ pelle. *Melantho* apud *Athenienſes* tantæ gloriæ fuit hæc victoria, ut *Thymæte* rege abdicante regnum, ei delatum ſit. Ab eo *Melanthidarum* familia dicta, & ſacra inſtituta ſunt *Athenis Apaturia.* Dolus enim ἀπάτη *Græcis* dicitur. *Baccho* præcipuè ſacrum id feſtum fuit, diebúſque tribus peragebatur, vel, ut *Harpocration*, quatuor, in menſe *Pyanepſione.* Primus dies *Dorpia* dictus, ſecundus *Anarrhyſis*, tertius *Curiotis*. Primo, ſub veſperam, convivia ſingulæ Tribus, οἱ φράτορες, agitabant. Secundo ſacra faciebant *Baccho Melanægidi*, (*Melanthidem* alii vocant,) *Jovi*que *Apaturio*, ſeu *Apatenori*, id eſt, Deceptori, & *Phratrio*, ac *Minervæ*. Tum pueros adultos & puellas admovebant aræ, quos in civium album, & in ſuam quemque tribum, erant relaturi. Tertio parentes ſuos quiſque liberos curiæ ſuæ offerebant, civitatis atque tribûs jure donandos, at jurati priùs *Athenienſes* eoſdem eſſe, & ex ipſis *Athenienſibus* natos. Comâ etiam pueris detonsâ, ovem *Dianæ* immolabant. Hæc autem puerorum gratiâ cùm fierent, qui *Græcè* κοῦροι dicuntur, ideo & *Curiotis* feſti appellabatur is dies, & ſacrificium puerorum Κούρειον· puellarum verò Γαμήλια, quia ſub nuptiarum tempus referebantur in tribus. Annos regnavit *Melanthus* 37. *Thebis* interea victi regis memoria tantum valuit, ut regiâ poteſtate abrogatâ, pluribus magiſtratibus in poſterum reip. ſummam commiſerint. (*Pauſ. Bœot.*)

A.M. 2883.

Sicyoniis imperant ſacerdotes.

Zeuxippo Sicyoniorum rege mortuo, ſummæ rerum præfuerunt Sacerdotes *Apollinis Carneï*, nuper admodum nati, ſi à *Carno* vate cognominatus eſt. Septem hi erant: quorum priores quinque, *Archelaüs*, *Automedon* ſive *Automedes*, *Metrodotus*, *Euneüs*, atque *Theonomus*, annuum geſſerunt magiſtratum; *Amphictyon* novennio præfuit, *Charidemus* annos octodecim, vel, ut alii, tredecim; cúmque impenſas diutiùs ferre non poſſet, aufugiſſe dicitur. Jam tandem reges huic genti defecerunt, quæ antiquiſſima totius *Græciæ* ſex & viginti regibus per annos 952 paruerat. 962 *Caſtor* numerat. (*Euſeb.* Chron.) Aliter *Pauſanias* de *Sicyoniorum* poſtremis narrat regibus; quod mox videbimus.

A.M. 2886.

Bœotia & Theſſalia unde ità nominarentur.

§ 7. *Bœoti*, ex *Arne* oppido à *Theſſalis* expulſi, eam occupârunt regionem quæ *Cadmeïs* antea dicebatur, & ab illis deinde *Bœotia* denominata eſt, 60 annis poſt excidium *Trojæ*. Aliqui verò jam antea *Bœoti* his in locis conſederant. (*Thuc.* 1.) *Peneleus* enim, *Thebanorum* apud *Ilium* dux, ejúſque nepotes, poſtremi *Thebanorum* reges, ex hac erant gente oriundi. Acer belli juvenis, (ait *Paterculus*,) nomine *Theſſalus*, natione *Theſprotius*, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quæ deinceps ab ejus nomine dicta *Theſſalia* eſt, unde *Bœotos* expulit.

Adolevêre jam *Lacedæmonii* fratres, ut *Theræ* tutelâ non eſſet opus. Cùm in ſe igitur ſuſcepiſſent juvenes imperium, qui hactenus præfuerat, *Theras*, pupillorum ſubeſſe dominatui non tulit. In *Theram* igitur inſulam redire ſtatuit, ubi & ipſi regem agere licebat. Sed comites atque ſubditi deerant. Nè ſuo quidem filio perſuadere potuit ut navigaret unà, ſuúmque ſequeretur patrem. Cùm ergò minaretur quodammodo *Theras*, eum ſe ὄϊν ἐν λύκοισι, tanquam ovem inter lupos relicturum, ex eo dicto Οἰόλυκος, *Oeolycus*, deinde nomen filio adhæſit. Hâc tamen ratione quam dicturus ſum comites fortè conſecutus eſt. *Minyæ*, quorum origo ex inclyto ſociorum *Jaſonis* numero *Lemniorum* in inſula concepta, (A. M. 2738.) per aliquot ſeculorum vices ſtabili in ſede manſerant; à *Pelaſgis* autem expulſi armis, alienæ opis indigi, excelſa *Taygetorum* montium juga ſupplices occupaverant paulò ante hæc tempora. Quos *Spartana*

civitas

civitas recepit reſpectu *Tyndaridarum*, qui in *Argonautarum* numero eminebant; deductóſque indè, legibus commodíſque ſuis immiſcuit. Sed hoc tantum beneficium in injuriam benemeritæ urbis, regnum affectantes, verterunt. Publicæ igitur cuſtodiæ incluſi capitali ſervabantur ſupplicio. Quod cùm vetere inſtituto *Lacedæmoniorum* nocturno tempore paſſuri eſſent, conjuges eorum, illuſtris ibi ſanguinis, velut allocuturæ perituros viros, impetrato à cuſtodibus aditu, carcerem intraverunt, commutatâque veſte, per ſimulationem doloris velatis capitibus, eos abire paſſæ ſunt. *Hoc loco quid aliud adjecerim*, (ait *Valerius Maximus* 4. 7.) *quàm dignas fuiſſe quibus Minyæ nuberent?* (*Herod.* 4. *Plut.* de Clar. mulier.) In *Taygeti* vertice cùm denuo conſediſſent, nihil de rigore tamen pœnâque conſtituta remittentibus *Lacedæmoniis*, *Theras* necem deprecatus eſt, recipiens, in exſilium ſe procul eos indè abducturum. Tribus ergò biremibus ad poſteros *Membliari*, ſeu *Membliaris*, navigavit; ubi *Minyæ*, præter paucos qui diſceſſerant, in ſex diſtributi partes, totidem oppida condiderunt, *Lepreüm*, *Magiſtum*, *Thrixas*, *Pyrgum*, *Epium*, *Nudiumque*. (*Herod.* 4. *Pauſ. Ach. Strab.* 8.)

A.M. 2886.

Minyarum uxores maritorum ſalvatrices.

Liceat verò hîc etiam de *Pelaſgis* exponere, (cùm de tempore nihil conſtet,) qui *Minyas Lemno* expulerunt, ut ipſi ab *Athenienſibus* exacti ſint eâ regione ſub *Hymetto*, quam neglectam antea cultiſſimam reddiderant; ídque pari (ut ferunt) crimine, quod *Spartâ Minyas* expulit. *Pelaſgi* quidem id feciſſe *Athenienſes* ferebant, nullâ impellente præter invidiam causâ & avaritiam, ut ſuorum potirentur laborum beatiſſimæque terræ fructibus. At *Athenienſes* arguebant, jure quidem ſe ingratos ejeciſſe eâ, quam benemeritis donaverant, regione. Nam & liberis ſuis, cùm ad Novem fontes aquatum prodirent, (nulla enim adhuc erant mancipia *Græcis*,) per contumeliam ſæpius *Pelaſgos* attuliſſe vim; & conſilia de *Athenienſibus* opprimendis & invadenda repub. agitâſſe. Se tamen, cùm interimere omnes potuiſſent, in perduelles mitiùs ſtatuiſſe, ac diſcedendi conceſſiſſe facultatem. (*Herod.* 6.) Sub *Acropoli* verò locum quem incoluerant *Pelaſgi*, diris imprecationibus vetuerunt *Athenienſes* nè quis deinde habitaret; (*Thuc.* 2.) quòd eo in loco *Pelaſgi* ſuas inſidias poſuiſſent. Excluſi ergò *Atticâ*, *Lemnum* invaſerunt, *Minyis* (ut monſtratum eſt) in fugam datis. Indè verò, ut exſilii ſui vindicarent injuriam, fœminis *Athenienſium* poſuêre, quas fruſtrà viris paraverant, inſidias. Ferunt enim eos longo tempore maris imperium tenuiſſe. *Braurone*, dum feſtum *Dianæ* diem agerent, permultas earum impetu facto raptas, delatáſque *Lemnum*, pro concubinis habuerunt. Cùm autem filios concubinæ multos peperiſſent, & linguâ eos & moribus *Athenienſium* imbuerunt, voluerúntque nè cum reliquis *Pelaſgorum* filiis conſuetudinem haberent; ſed contra omnem ab aliis pueris vim ſe mutuis viribus defenderent, ac pro dominis gererent. Advertebant hæc omnia *Pelaſgi*, nec ferendum putabant uxorum legitimarum filios ſubeſſe nothis; & magna quædam ſuſpicabantur auſuros cùm adulti eſſent, qui hæc nondum ephebi agerent. Matres ergò unà cum filiis *Atticas* unâ cæde ſuſtulerunt omnes; pari ſcelere quo *Lemniades* fœminæ viros olim trucidârant. Cùm autem, ſtrage perpetratâ, nec fœminæ parerent, nec pecora illis fœtus ederent, terráve fructus; *Pythia* conſulta, juſſit pœnam *Athenienſibus* quam *Athenienſes* ipſi vellent dare. Miſſis ergò *Athenas* legatis, ſtatui ſibi pœnas petunt. *Athenienſes*, toris in curia quàm poterant ſplendidiſſimè ſtratis, appoſitâque menſâ omnibus refertâ bonis, poſtulârunt à *Pelaſgis*, ut talem ſibi regionem traderent. Facturos *Pelaſgi* ſe quod poſcebatur, ſed hâc unâ lege, promiſerunt, ſi modò navis uno die Aquilone vento ex *Athenienſium* ditione in *Lemnum* trajiceret: quod fieri non poſſe credebant, cùm *Lemno* inſulæ longè ad Auſtrum ſubeſſet *Attica*. Ità eluſis (ut putabant) *Athenienſibus*, in *Lemnum Pelaſgi* rediverunt. Poſt multa deinde ſecula, factum aliquo modo id ipſum eſt, quod per ludum, ut futura nunquam res, erat poſtulatum. Cherſoneſò enim *Helleſponti Athenienſium* in ditionem redactâ, *Miltiades* indè ſolvens, in *Lemnum* uno die ventis Eteſiis delatus eſt, inſulâque potitus.

Pelaſgorum ingratitudo, & ſupplicium.

§ 8. Conſenuerat jam ſummus *Iſraëlitarum* Pontifex *Eli*, & caligabat oculis. Omnem igitur ſacrorum adminiſtrationem in filios ſuos tranſtulit, *Hophnin Phineámque*. Illi autem, longè diſſimiles patri, qui prælucere aliis debuerant ſuæ pietatis face, impii atque impuri ganeones nequiſſimè gerebant ſe, ſermonibúſque omnium vapulabant. Nec enim debitâ legitimâque parte victimarum contenti, per vim atque injuriam auferebant quod libuit. Immolantibus enim *Iſraëlitis* aderant illico famuli

A.M. 2894.

Hophni & *Phineas* ut ſacerdotio abutuntur.

A.M. 2894. famuli ſacerdotum, & impactâ in ollas aut lebetes fuſcinulâ, quicquid contigerat dominorum jure abſportabant. Sed & coctas aliquando recuſabant, carnes crudas & aſſandas poſcebant, etiam priùs quàm adipem adoleviſſent Deo. Quòd ſi quis religioſior detrectabat, minabantur protinus, &, ſi opus, inferebant vim. Magno hæc offendiculo fuerunt, ingratámque reddebant ac penè inviſam populo Religionem Dei. Ab iiſdem præterea, quod multò eſt fœdius dictu, mulieres uxoréſque alienæ, quæ ad oſtium Tabernaculi Religionis causâ ventitabant, ſtupro nefario turpiſſimè violabantur. Neque clàm habebant ſua ſcelera. Erant in ore omni populo; auréſque patris tandem perculerunt. Támque frequentes ad eum quotidie deferebantur querelæ, ut, quamvìs plùs nimiò liberis indulgeret, non potuerit tamen non paucis ac leviter eos increpare. "*Quænam* verò, inquit, *hæc infamia eſt quâ laborare vos audio, filii mei?* Nec enim ipſi peccatis *modò*, ſed & *populo Dei autores peccandi* ducéſque *vos exhibetis*. Non hæc bene à vobis, ſi modò vera ſunt, piéve ſatìs pro veſtro ſacerdotum officio fiunt, *liberi mei. Si quis homo hominem offenderit alium*, erit qui interponat ſe, rectéque *ſtatuat rem* inoffenſus *judex. At ſi peccetur in* ipſum judicem, Judicem verò ſupremum, ſi in ipſa peccetur ſacrificia Dei, quibus unicis placandus eſt ſupremus Judex; quid exſpectandum eſt ab offenſo implacabilíque Deo, præter iracundiam atque vindictam ſeveriſſimam? Nolite igitur, nolite, obſecro, dilecti filii, pergere ulteriùs in hac ſemita; ſed revocate vos, viámque terite præceptorum Dei. Hæc ille mitia frigidè ac leniter monuit. Maluit enim à liberis ſuis Deum, quàm à ſe liberos offendi. Nihil igitur increpatione profecit enervi; aculei deerant. Verberibus caſtiganda erant flagitia tanta, non verbis. Morbi graves fruſtrà curantur leniore medicinâ. Ferro & igne ſananda ſunt atrocia vulnera, non manu tractanda leviore brachióque molli. Quare in tanta morum pravitate diſciplinâ opus erat acriore, & autoritate Pontificis, imò Judicis, ubi lenitas patris nihil erat profutura. Poterat quidem Deus Spiritu ſuo molliviſſe corda improborum hominum, ut monitioni paternæ obſequerentur: At verò indignos putavit, quos à morte illis deſtinata conſervaret. Perfricuerant enim ſibi frontem, pudorémque omnem decoxerant. Quid homines de ſe ſentirent diceréntve, quid ipſe minitaretur Deus, nihili pendebant. Ad patrem igitur à Deo Propheta miſſus eſt, (pro tempore, opinor, excitatus,) qui facilitatem ejus & indulgentiam increparet ſeveriús. His igitur aut hujuſmodi verbis Dei compellavit ſenem: "Ideóne *tuis ego majoribus in Ægypto* miniſtris meis ad *Pharaonem* uſus ſum, *& in Aaronem ex omnibus Iſraëlitarum tribubus electum contuli pontificatum* ſummum, qui ampliſſimus dignitatis gradus eſt, in quem tu jam hæreditario jure quodam ab *Aarone* ſublatus es? Ideo *ſacrificiis muneribúſque populi* ſaturavi ego vos, ut tam vos in me immemores ingratóſque præbeatis? ipſáque polluatis ea quibus præfecti eſtis à me ſacra? *Quid* enim *eſt quòd tu tuos filios*, *ſacrificiorum* meorum impios heluones, omnipotenti Patri Dominóque tuo *præferas?* Mea enim violari ſacra mavis, quàm in ſcelera filiorum tuorum animadverti, quò rapinis atque ſacrilegiis *voſmet* impunè *ſaginetis*. Neque tamen feretis impuné. Olim *conſtitueram*, *familiæ veſtræ perpetuum* affigere Pontificatum, ſi modò ritè fuiſſetis perfuncti veſtris officiis, & præceptis obſecuti meis. *Jam verò* alia mihi longè mens eſt. (*Jer.*18. 9, 10.) *Illos enim qui honore* debito *coluerint me*, *honoraturus & ego ſum*; *qui verò contempſerint*, *contemptui habiturus*. Tibi quidem ſeneſcere datum eſt; quo poſteri tui beneficio non fruentur. *Aderit enim tempus illud* mox, *quando in tua familia* neque Pontifex ullibi, *neque ſenex futurus ſit*. Quòd ſi ad virilem ætatem adoleverint, *in virili ætate* uno *omnes* exitio, nec maturâ *morte interibunt*. (1 *Sam.*22.18.) Alium verò *mihi deſignavi Antiſtitem*, *qui Chriſto meo adſit*, *præſitque ſacris perpetuò*; (1 *Reg.*2.35.) *cui è tua familia qui ſupererunt* inopes *humiléſque ſupplicabunt*, *in munere ſacerdotali* & infimo quovis in loco ut miniſtrent, ad ſaturandam operâ quotidianâ quotidianam famem. (1 *Reg.*2.26,27.) Atque hæc ego talionis æquiſſimâ lege vobis retribuam. Vos præripuiſtis ante legitimum tempus victimarum carnes; ego præmaturâ morte auferam vos. Tu mihi tuos anteponis liberos; ego tuum tibi rivalem præferam. Vos mea conculcatis de ritu ſacrificiorum præcepta; ego itidem de Pontificatu perpetuo in veſtra familia decretum abrogabo. Optimis quidem, at non legitimis, ſacrificiorum carnibus lautiſſimè jam voſmet ingurgitatis; tui verò deſiderabunt aliquando, & mendicabunt ſibi victum inopem, famelici. A me verò denunciata eſſe hæc, veréque tandem eventura, *id tibi ſigno erit* certiſſimo, *quod filiis tuis continget* ali-

Propheta *Elin* de filiis monet Anonymus.

"aliquando, ut *ambos eodem eſſe interemptos die* ſuperſtes ipſe audias. (1 *Sam.* 2.)

Atque hæc Deo dictante monuit Propheta *Elin* de filiis; qui tamen parùm illis ad mentem ſaniorem profuit. Quò majorem ergò Deus incuteret ei ruborem, à puero *Samuele*, aut ephebo jam adoleſcente, ſenem admoneri voluit. Vigebat enim ſummâ jampridem *Samuel* apud populum ſimul atque Deum gratiâ. Deerant verò *Iſraëlitis* hâc tempeſtate publici Prophetæ, quos in rebus dubiis anxiiſque populus conſuleret. Judices plerumque, aut Pontifices, aut primarii ſacrorum procuratores, per Urim atque Thummim aliiſque modis Prophetarum fungebantur munere. Judex verò jam ſacrorúmque antiſtites tam ſe impiè gerebant, ut indigni viderentur quibus conſilia ſua Deus crederet. *Samuel* quidem, piè religioſéque in Tabernaculo educatus, in ſacris cultúque Divino caſtè integréque verſabatur. Eum igitur Deus, quanquam vix primas adoleſcentiæ metas ingreſſum, alloquio arcanorúmque fide dignatus eſt. Profundâ jam nocte dormientem in cella inter *Levitas* nomine compellat, *Samuel.* Tabernaculo quidem proximus, neque procul à *Samuele*, aberat Pontifex. Pontificem ergò ſe ratus appellaviſſe, properat quantum poteſt, & vocatum ait adeſſe, & exſpectare ſe quid velit. Cubitum redire monet *Eli*; nec enim ſe vocaviſſe reſpondet. Eâdem voce ter excitatus puer, (nec enim adhuc Dei vocem agnoverat,) totiéſque Pontificis interpellavit requiem. Tandem animadvertit *Eli*, puero adfuiſſe *Jehovam*; id quod animadverti ab eo Deus voluit. Præcepit ergò *Samueli*, ut, ſi quem ſe denuo vocantem audiret, *Loquere, Domine*, reſponderet; *ſervus enim auſcultat tuus.* Cùm vocanti denuo reſpondiſſet quomodo ab *Eli* juſſus eſt *Samuel*, hæc ad eum Deus prolocutus eſt: "Atrox atque dirum quid-"dam parturit mihi animus, cùm in populum univerſum hunc, tum verò maximè "in Pontificis maximi domum; *quo audito tinniant hominibus aures*, & animi ob-"ſtupeſcant. *Cúmque incepero*, non deſinam priùs quàm *quæ denunciata illi ſunt* "*perficiantur omnia.* Sentiet, profectò ſentiet aliquando *me familiam ejus abdicâſſe pror-*"*ſus, propter impietatem cujus ille ſibi malè conſcius eſt*; *propter ignominiam & dimi-*"*nutionem dignitatis quam ſibi* ordiníque ſacerdotali *contraxerunt ejus filii*; *nec* auto-"ritate quâ debuit & acrimoniâ *prohibuit* pater. *Itaque juratus denuncio, nulla un*à "*quam ſacrificia*, quæ turpiſſimè ab illis inquinata ſunt, *impietatem Elianæ do-*"*mûs expiatura.* Tacente his dictis Deo, obdormivit uſque ad auroram *Samuel*; primóque manè ſacras fores aperuit. Sed non auſus eſt ea tam atrocia narrare Pontifici quæ audiverat à Deo. *Eli* autem, veritus de ſe aliquid locutum fuiſſe Deum, (adeò timida & ſuſpicax conſcientia eſt mala,) *Samuelem* accerſit, percontatur, adjuratúmque vehementer adigit confiteri omnia. Neque Deo minitanti pius ſenex, neque recitanti minas puero ſuccenſuit. Cui ad vindicanda filiorum ſcelera juſtitiæ ſeveritas defuit, ad ferendam patientiſſimè vindictam Dei candor æquitatis non defuit. "Quicquid fieret, meruiſſe non negabat ſe. In Dei verò *Domini*que ſum-"mi eſſe poteſtate omnia. *Faceret ergò quod ſibi cunque optimum videretur*, maxi-"méque ad ſuam conduceret gloriam. Certò enim ſcire ſe, nihil ab eo niſi quod "ſit optimum fieri poſſe. Se igitur ſuáque omnia ejus libentiſſimè voluntati per-"mittere. Deinde adolevit *Samuel*, aderátque illi ac benedicebat Deus; nec ejus vaticinia ulla ex parte fallere paſſus eſt. Facilè igitur pervulgatum eſt inter omnes *Iſraëlitas*, *Eli* adhuc ſuperſtite, *Samuelem* conſtitutum fuiſſe Prophetam à Deo; qui ſæpius ei poſt hæc *Silunte* apparuit. (1 *Sam.* 3.)

A. M. 2894. *Samuel* adhuc ephebus *Elin* arguit nimiæ in filios indulgentiæ.

§ 9. Poſt patrem *Sylvium Poſthumum*, quarto loco *Æneas Sylvius Albæ Latinis* unum & triginta imperavit annos; 5. *Latinus* deinde *Sylvius* 51; 6. *Alba Sylvius* 39. 7. *Capetus*, *Albâ* genitus, (*Atys Livio* dicitur, *Sylvius Athis Euſebio*,) 24 annorum rex: 8. *Capys Sylvius*, qui *Capuam* ædificavit, 28: 9. *Calpetus*, *Livio* & *Ovidio Capetus*, 12: 10. *Tiberinus Sylvius* 8; qui in trajectu *Albulæ* amnis, vel in prælio ad fluvium, ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit, ut deinde *Tiberis* ſeu *Tibris* diceretur: 11. *Agrippa Sylvius*, *Ovidio Remulus*, 41; non niſi 33 *Dionyſio*: 12. *Alladius*, *Livio Romulus Sylvius*, *Ovidio Acrota*, *Euſebio Aremulus Sylvius*, 19. Is, cùm tonitrua fulguráque imitaretur ad populi terrorem, ut ipſe deus haberetur, fulmine ictus, & inundatione factâ ſubmerſus eſt unà cum domo; cujus interdum, vivente ſe, appariuiſſe in lacu perlucente ruinas, *Dionyſius Halicarn.* autor eſt, (l. 1.) 13. *Aventinus Sylvius*, à quo monti nomen ubi ſepultum ferunt, 37: 14. *Proca Sylvius*, 23. De his regibus quia nihil ferè traditur præter nuda nomina, ideo ſimul numerandos putavi.

A. M. 2900.

Cypſelo Arcadum rege mortuo, ejus filius in imperio ſucceſſit *Laas*, regnavítque annos fortaſſe 40.

A. M. 2908.

Creſphon-

A.M. 2908.

Creſphontes Meſſeniæ rex, in quinque partes diviſâ regione, regiam in medio *Stenycleri* habuit; quam *Pyli Neſtoridæ*, *Arenæ Aphareüs*, reliqui reges *Andaniæ* collocârant. Cùm autem populariter & ſtudioſè nimis plebem amplecteretur, optimates, conſpiratione factâ, & regem & liberos è medio ſuſtulerunt, præter *Æpytum* natu minimum, qui apud *Cypſelum* avum maternum puer adhuc & avunculum *Læanta* educabatur.

A.M. 29[illegible]9.

Palæſtinorum res proſperæ

§ 10. Vaticinabatur jam Propheta *Samuel*, non uni modò Pontifici, ſed univerſæ *Iſraëlitarum* genti quoque; & ea vaticinatus eſt quæ mox iis non verè minùs quàm infeliciter acciderunt. Excuſſerant nuper *Palæſtinorum Iſraëlitæ* jugum, quod per annos 40 pertulerant. *Palæſtini* ergò tanquam in rebelles arma capiunt, invadunt *Judæam*, caſtráque metantur *Apheci*. Occurrunt *Iſraëlitæ* cum exercitu ad locum qui *Eben-Ezer* poſtea dictus eſt. (1 *Sam.* 7. 12.) Pugnârunt acie inſtructâ: ſed victi ab hoſtibus *Iſraëlitæ* millia è ſuis quatuor amiſerunt. Mirati principes *Iſraëlitarum* quid eſſet quòd tantâ ſe afficeret clade Deus, nec ſuis adeſſet præſidio contra hoſtium vim, novam ineunt bellandi rationem. Ut præſentem habeant Deum in acie vel invitum, accerſunt *Silunte* Arcam fœderis; aſſectabantur *Hophni* & *Phineas*, maximi Pontificis filii. Venientem verò in caſtra clamore maximo proſecuti ſunt *Iſraëlitæ*, ut terra ipſa contremiſcere videretur, & cœlum quati. Audito clamore, *Palæſtini*, cùm de Arca didiciſſent, novâ re propè attoniti, non minùs exhorreſcere inprimis ipſi, quàm triumphare hoſtes *Hebræi*. Quid enim facerent ignorabant, quóve præſidio tuerentur ſe contra Deos (ut ferebant) omnium fortiſſimos. Eos enim tantis cladibus affeciſſe aiebant *Ægyptios*, tantáque miracula edidiſſe in deſerto. Tandem verò collegerunt animos ex hoc timore, & cohortationibus mutuis confirmavêre, anxii maximè ac ſoliciti, nè qui hactenus imperârant, domini à ſervis ſuis ſubigerentur. Ubi ad manus ventum eſt, fortiſſimè rem geſsêre *Palæſtini*, prælióque ingenti fuderunt atque fugaverunt *Iſraëlitas*, cæſis 30 millibus. Arca etiam capta eſt, quíque adduxerant eam Deo non conſulto ſacerdotes, *Hophni* & *Phineas*, perierunt. Ad viam interea ſedebat Pontifex in ſolio, ut occuparet nuncios ex prælio, admodum de Arca Dei ſolicitus. Cúmque ex *Benjaminita* quodam didiciſſet, qui ex acie fugerat, de *Iſraëlitarum* clade, de filiis ſuis, de Arca; ut primùm captam hanc audivit, Religionémque afflictam, defecit protinus, ac de ſede cecidit retrorſum gravis ætate ſenex, fractâque cervice interiit. Nonaginta & octo annos vixerat, 40 populo præfederat Judex. Gravida etiam uxor *Phineæ*, cùm hi graves nuncii vulnerâſſent illi aures, addito & ſoceri leto, puerperii repentè oppreſſa doloribus, filium enixa eſt. Non illa tamen lætiore partu pueróque nato fruitur. Sed nomen infanti cùm dediſſet *Icabod*, quoniam, Arcâ Dei captâ, gloria diſceſſerat ab *Iſraële*, animam mœrens exhalavit. Pontificis deinde munus *Abitubus Phineæ* videtur filius obiviſſe, (1 *Sam.* 14. 3.) quanquam ejus lumini ſuâ claritate Judex & Propheta *Samuel* ità offecit, ut nulla uſpiam de Pontificatu ejus mentio fiat in Sacris Literis. *Samuel* enim non niſi *Levita*, oriundus ab impio *Coracho*, (ut ferunt,) ſacerdotio quodammodo functus eſt, Divino quodam privilegio, quod fruſtrà *Corachus* ambiverat. Ità majorum neque virtutes apud Deum proſunt, neque obſunt vitia poſteris.

Cùm cepiſſent Arcam, triumphare *Palæſtini* videbantur, non de *Iſraëlitis* modò, ſed etiam de ipſo *Iſraëlitarum* Deo. Ac per omnes eam traducere civitates triumphali more. *Azotum* primò delata eſt; ubi prope *Dagonem* idolum ſuum in templo ejus collocaverunt, quaſi opima ſpolia Deum victum victori ſtitiſſent *Jovi*. At ſtipitem ſibi rivalem *Jehova* non tulit. Craſtino igitur manè, proſtratus atque pronus humi Dagon repertus eſt coram Arca Dei. Cùm in locum reſtituiſſent ſuum numen *Azotenſes*, poſtridie iterum quomodo priùs dejectum invenêre, ſed capite diminutum, palmíſque manuum amputatis in limine. Quo factum eſt, ut ejus templi calcare limen nefas deinde habuerint *Azotenſes*, quaſi contactu *Dagonis* ità ſacratum, ut hominum calcibus non eſſet polluendum. Neque *Dagon* ſolummodo pœnas dedit, ſed viri *Azotenſes* finitimíque omnes ſuam luerunt ſeveriùs in Arcam Dei contumeliam. Hæmorrhoïdes enim occultíque morbi, ſed ignominioſi, corpora civium, murium vis ingens agros finitimorum infeſtabant. (1 *Sam.* 6. 5.) Tot ergò pertæſi malorum, obnixè deprecati ſunt Arcæ *Iſraëliticæ* longiorem apud ſe moram. *Gathum* ergò traduci principes *Palæſtinorum* (penes quos fuiſſe videtur ſumma rerum) præceperunt. Nec inprimis *Gathæi* ſuſcipere ingratam hanc & exitialem hoſpitem. Suſceptâ verò, ad unum ferè omnes obſcuris illis pudendíſque morbis corripiebantur. Oravêre igitur & illi tandem ſuos proceres, nè diutiùs maneret apud ſe *Jehovæ*

ſibi cedunt in ſupplicium.

tæ Arca. Indè tranſmiſſa *Ecronem* eſt: non modò ut ſingulas civitates triumphi ſui participes facerent, ſed explorarent quoque, in varia loca traducendo Arcam, an ea eſſet malorum fons, an verò derivandus aliunde. Nec enim facilè dimiſſuri erant proceres eximium hoc ſuæ victoriæ monumentum. Sed *Ecronitæ* venientem ad ſe querulis exclamationibus acceperunt, quaſi actum eſſet de ſe, Arcâ receptâ. Neque vanus hic metus fuit. Quò longiùs enim provecta, diutiúſque morata eſt apud homines profanos Arca Dei, eò graviùs multabantur. Morbis plurimi novis, puto, & inauditis extincti ſunt. Qui evaſerant fortè, mariſcis & illi abditis graviſſimè laborabant. Maximis ergò ejulatibus *Ecronitæ* verberare cœlum, ſatrapáſque ſuæ gentis coactos in concilium vehementer obteſtari, nè diutiùs hæreret in ſuis viſceribus hoc malum; ut Arcam *Iſraëlitici* Dei pernicioſam ad *Iſraëlitas* remitterent, nè *Palæſtini* omnes interirent. Cùm tot funeribus atque morbis aliíſque damnis, Arcæ comitibus perpetuis, conſtaret ſatìs jam de malorum cauſa, ſpolia tam funeſta & exitioſa reddere hoſtibus, conſultum principibus viſum eſt, etſi minùs honorificum ſibi. Poſt menſium ſeptem apud *Palæſtinos* moram id factum eſt. Conſulunt ergò ſacerdotes ariolóſque ſuos, quomodo tranſmittenda ſit ad *Iſraëlitas* Arca. Illi, “*vacua nè remittatur*, monent, *ſi remittenda ſit*; verùm ut aliquod *offeratur donarium*, “*quod reatum expiet* cujuſcunque *delicti* offenſæve in *Iſraëlitarum* admiſſæ Deum. *Ità* enim *fore*, *ut* ab eo fortaſſe placato morbi *ſanentur*, *notâ*ve ſaltem *fiat* vera malorum cauſa. Dona verò eſſe aptiſſima, quæ ipſa repræſentent mala, *Hæmorrhoïdas aureas*, *aureóſque mures*, *pro numero principum* atque civitatum, *quinque*. Et “prudenter aiunt facere principes, quòd ſponte Arcam & maturè dimiſſuri ſint. “Fruſtrà enim *ſe* contra hunc eſſe *obſirmaturos* Deum. Quid enim *Ægyptio Pharaoni* ſua profuit olim *pertinacia?* Poſtquam obſtinatione inflexibili repugnaviſſet “diu, graviſſimis tandem coactus malis cedere, & *abire populum paſſus eſt*. *Vaccas ergò lactantes injuges*, *ablatis vitulis*, *plauſtro*, inquiunt, *alligate novo*. *Imponite Arcam*, *appoſitâque ad latus capſulâ cum aureis donariis*, vaccas *dimittite*. “Propinqua eſt *Judæorum* urbs *Bethſemeſum*. Eò *ſi* vaccæ indomitæ, abſentibúſque pullis, ſuâ ſponte *contenderint*, (quod ſine Divina vi fieri non poteſt,) certò “ſtatuite, Arcam illam indignè à nobis habitam *intuliſſe* omnia *quæ nos pertulimus* “*mala: ſin* aliò vaccæ declinârint, *fortuita* eſſe, neutiquam divinitus irrogata. Plauſtrum ergò ità inſtructum ſecuti ex intervallo ſunt proceres *Palæſtinorum* uſque ad limites agri *Bethſemeſitani*. Cúmque viderent vaccas feſtinantes mugientéſque rectà pergere *Bethſemeſum*, certi jam de malorum præteritorum cauſa, nè quod novum infligeretur perſequentibus redeuntem Arcam, *Ecronem* ſe feſtinatione ſummâ retulerunt. Metebant in valle triticum *Bethſemeſitæ*; cúmque è longinquo venientem ad ſe Arcam agnoſcerent, mirificè lætati ſunt. In agro autem *Joſuæ Bethſemeſitæ*, ad magnum quendam lapidem, vaccæ ſubſtiterunt. Prodierunt ergò ſacerdotes, (erat enim ſacerdotalis urbs, *Joſ.* 21. 16.) tigníſque plauſtri conciſis vaccas immolaverunt holocauſtum *Jehovæ*. In ſaxo interea Dei Arca donariáque *Palæſtinorum* poſita ſunt. Sed & alia quaſi Deo reduci holocauſta *Bethſemeſitæ*, credo, exhibuerunt ſacerdotes. Rumor autem de Arca Dei reddita per omnem regionem percrebuit, excivítque ingentem *Iſraëlitarum* multitudinem ad ſpectaculum. Ad ſpectaculum verò tam ſacræ, tam occultæ abditæque rei, ſub dio jam poſitæ, conſpicuæque omnibus, quam neque majores viderant, nec erant deinde viſuri unquam ſui nepotes, (uni enim Sacerdoti maximo, & id ſemel quotannis, patuit,) maximò numero convolabant. Nec ſatìs videbatur formam exteriorem cernere; ſed (quæ hominum eſt cognoſcendi vetita cupiditas inſana) rimabantur omnia. Continere ſe non potuerunt, quin ſacram tectámque rem, quid reconderetur intus, oculis plùs nimiò curioſis inſpicerent, & ſcrutarentur. Sed ——Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Contemplantes omnia hæc tam curioſè ac ſolicitè, contemplatus eſt, qui omnia intuetur, Deus; & inſpicientes in eam vidit, quam per Legem nè aſpicere nudam licebat. Arcana igitur ſuæ Religionis myſteria prodi ad contemptum vulgaribus profaníſque oculis, non tulit. Nè aut vili penderent ipſi, aut gloriarentur, proderéntque aliis ſuis quæ vidiſſent, omnes ferè qui aderant, ſeptuageni ſupra quinquaginta *Iſraëlitarum* millia, lue neſcio quâ interierunt. Sacra myſteria minùs reverenter à ſe tractata *Iſraëlitæ* quàm *Palæſtini* graviùs luunt. Lege Dei tenebantur *Iſraëlitæ*, nè inſpicerent curioſiùs arcanas res: (*Num.* 4. 20.) non tenebantur *Palæſtini*. Noverant *Iſraëlitæ* voluntatem Dei: pluribus ergò verberibus afficiendi erant, cùm non obſequerentur. Ignorabant

A.M. 2909.

Arca Dei reddita, *Hebræis* curioſis perniciem affert.

A.M. 2909.

bant *Palæſtini.* Jure quidem populus tantâ clade contritus conqueri potuiſſet, quomodo Poëta,

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?

At frui ſpectaculo tantopere expetito, contemptuíve aliorum exponere ſanctas res, ipsâ internecione deleri vix potuit. Qui ſupererant *Bethſemeſitæ* magno in luctu erant, metúque nè & ipſi corriperentur eodem exitio. Querebantur ergò, & quærebant anxiè, quis tandem poſſet impunè ad ſacroſanctum hoc terribiléque Numen accedere, quis recipere Arcam Dei. Nec enim minùs cupidè abeſſe volebant à ſe, quàm læti modò venientem acceperant. Ad *Ciriath-jearæos* ergò, aliam *Judææ* civitatem, nuncios miſerunt, ut acceſſerent Arcam, & ex agro *Bethſemeſitano* ad ſe traducerent. Quod ab illis libentiſſimè factum eſt. In colle ſeorſum habitabat *Abinadabus*, *Levita*, (*Joſepho* teſte,) pietatis opinione celebris. Ejus in domo viſum eſt collocare Arcam, ejúſque filium *Eliezerum* conſecrare, ut eam ſartam tectam cuſtodiret, & ab omnibus hominum profanorum injuriis vindicaret. *Samuel* deinde Vates ad officium Judicis publicum à Deo deſignatus eſt; quo eum publicè defunctum poſt defunctum *Elin* opinantur. (*Torniell.* A. M. 2959.)

Temenus à filiis regnandi causâ conficitur.

§ 11. *Temenus Argivorum* rex *Deïphonte* genero, *Hyrnethonis* filiæ marito, & in bellis duce, & conſiliario domi plurimùm utebatur. Erat etiam is ex *Heraclidarum* gente oriundus. Cùm igitur filiæ *Temenus* plùs nimiò indulgeret, videretúrque regnum genero, præteritis filiis, relicturus; conjuratione initâ, filii parentem impiè trucidârunt, ademerúntque illi vitam, à quo acceperant. —*Proh blanda poteſtas! Et ſceptri malè-ſuadus amor!* — Ità jure ſanguinis, patre occiſo, maximus filiorum *Ciſus* imperium nactus eſt. Reliqui erant tres filii, *Cerynes*, *Phalces*, minimúſque omnium *Agræus*. At *Argivi*, libertatis admodum ſtudioſi æquabilíſque juris, poſt *Ciſum* poteſtatem regiam in ordinem coëgerunt. Ejus enim liberis poſteríſque, præter nudum regni nomen, relictum eſt nihil. *Meltam* denique, *Lacidaï* filium, *Medonis* nepotem, capitis damnatum, populus imperio ſpoliavit. *Deïphontes* autem cum uxore, ſuíque ſtudioſa multitudine *Argivorum*, quia fratris ac parricidæ *Ciſi* tolerare imperium non potuit, terram *Epidauriam* occupavit. *Phalces* & *Cerynes*, *Temeni* filii, ut ſororem ſuam *Hyrnethonem* à marito abducerent, eóque dolore affligerent *Deïphontem*, ad *Epidauri* muros in curru acceſſerunt. Sorore per caduceatorem evocatâ, *Deïphontem* criminantur. Maxima quæque pollicentur ſorori, modò *Argos* redire in patriam velit. Illa verò nec mariti pœnitere ait ſe, de ſe patréque optimè meriti, nec ſequi velle parricidas. Taciti quidem fratres ac ſubitò ſublatam in currum vi nolentem auferunt *Hyrnethonem.* Qua de re nuncio edoctus *Deïphontes*, cum turba *Epidauriorum* facilè conſecutus eſt, & *Cerynen* jaculo tranſverberavit. *Phalcem*, quia ſororem amplectebatur, non auſus jaculari, cominus aggreditur, & abſtrahere mulierem conatur. Illa verò, gravida, complexu arctiore exanimata eſt, & in humum abjecta: cui refocillandæ maritus dum operam dat, incitato curru *Phalces* elabitur. Mortuæ monumentum heroïcum poſuerunt agrum oleis agreſtibus plenum: *Hyrnethium* appellârunt; ſanxerúntque, ut ejus agri arbores omnes, *Hyrnethoni* ſacræ, nullâ unquam ſecuri violarentur. (*Pauſ. Corinth.*)

A.M. 2911.

Æpyto nepoti *Laas* regnum ſuâ ſponte reſtituit.

§ 12. Adulto jam in *Arcadia Æpyto Creſphontis Heraclidæ* filio, *Laas* avunculus, *Arcadum* rex, unà cum *Argivòrum* & *Lacedæmoniorum* auxiliis, paternum in *Meſſenia* regnum reſtituit. Novus rex nihil ſibi priùs curandum faciendúmve putavit, quàm ut in cædis paternæ autores animadverteret. Nec enim, iis ſuperſtitibus, credidit tutam ſibi aut potentiam fore, aut vitam. Deinde, conciliatâ ſibi obſequiis nobilitate, plebe largitionibus delinitâ, eò tandem autoritatis pervenit apud omnes ordines, ut *Æpytidæ* poſteri omnes ejus dicti ſint, qui antea *Heraclidæ* vocabantur. (*Pauſ. Meſſen.*) Ad colligendam hanc authoritatem plurimos credibile eſt, ſexaginta fortaſſe, annos imperâſſe.

A.M. 2912.

Charidemus regno ſe abdicat.

Defecêre, aut profugêre *Sicyone*, *Apollinis Carneï* ſacerdotes, qui annis 30 circiter (aliqui 33 numerant, alii 28,) reipub. clavum tenuerant: ſive quòd *Charidemus*, eorum ultimus, ſuſtinere non potuit; (*Euſebio* in Chronicis autore;) ſive quòd *Heraclidarum* potentiam creſcentem adhuc formidabat potiùs, & declinabat fugâ. At *Pauſanias Laceſtadem* ait, filium *Hippolyti* regis, *Phæſti* pronepotem, *Sicyoniis* hoc tempore imperâſſe. *Phalcem* verò, *Temeni* filium, ut & ipſe regno alicubi frueretur, cum *Dorienſibus* nocturno impetu *Sicyonem* occupâſſe: in ipſum tamen regem, quòd ex

Hercu-

Herculis nepotibus eſſet, nihil acerbiùs conſuluiſſe; ſed regnum cum eo communicâſſe. Duos enim reges in eodem ſimul regno conſiſtere poſſe, *Lacedæmonii* jampridem docuerant. Ità *Sicyonii Dorienſes* ſunt facti, cenſeríque inter *Argivos* cœperunt. *A.M.* 2912.

§ 13. Poſt obſcura duodecim regum tempora in *Ægypto* per annos 125, ſuccedit vigeſima prima Dynaſtia *Tanitarum*: ubi nomina ſuperſunt, nullæ niſi ex conjecturâ ſunt res; & eæ aliis nominibus tribuuntur, & aliorum locorum fortaſſe regibus, & eorundem ferè temporum. Primus *Tanitarum Manethoni Smendes*, aut *Semendes*, appellatur, qui regnavit annos 20. Primus qui poſt ignavos principes à *Diodoro* memoratur, *Chemmis*, vel *Chembes*, dicitur, à patria *Memphites*, *Cheops Herodoto*; & regnaviſſe annos quinquaginta. Eum ferunt trium Pyramidum, quæ inter orbis miracula ſeptem numerantur, conſtruxiſſe maximam. Quod à *Manethone* opus *Suphi* tribuitur, Dynaſtiæ quartæ, longiſſimè ante hanc ætatem, ſecundo regi. Adeò nè ipſis Autoribus ad nominis memoriam proſunt hæc immenſorum ſumptuum laborúmque opera, nulli prorſus rei hominíve utilia, inſaniæ potiùs humanæ quàm gloriæ monumenta. In ſolo arenoſo verſus *Libyam* conſtitutæ, 45 ſtadiis à *Nilo*, 120 à *Memphi*, aberant. Maximæ quadratæ ſingula ſuper baſi latera ſeptem latitudinis plethra, ſive pedes 700, continebant; pluſquam ſexcentos altitudinis. Indè paulatim ad verticem uſque contrahebant ſe latera, donec ſenis cubitis abſolvebantur. Ex lapide ſolido *Arabico*, & itinere longo in *Ægyptum* deportato, confectum eſt hoc opus; tantâ mole tantâque artificum ſolertiâ, ut ſummum contemplantibus vel adhuc afferat ſtuporem. Operarum & opificum 360 millia exercebat annorum viginti ſpatio. Quibus in olera & raphanos pluſquam 1600 talenta expendebantur; eáque ipſi Pyramidi pecuniæ ſumma inſcribebatur. Regem verò ad tantam indigentiam immenſi perpetuíque ſumptus redegerunt, ut filiam ſuam, virginem ſpecioſam, proſtituere coactus ſit, meretricio quæſtu perfecturus inſanum opus. Ea verò & ſibi eâdem operâ Pyramidem, ſed longè minorem, emeruit; cum ſingulis pacta mœchis, ut, præter pecuniæ ſummam patri debitam, ſibi quoque lapidem donarent. In *Cheopem Ægyptii*, ut hominem flagitioſiſſimum, invehebantur, ſummæque impietatis in deos, & ſævitiæ in ſuos. Templis enim obſeratis, ſacra omnia perhibent & venerationem deorum abſtuliſſe. Subditos autem pro ſervis habuit, operibúſque perpetuis crudeliter attrivit.

A.M. 2915.

An *Smendes* fuerit autor Pyramidum *Ægyptiarum*.

§ 14. *Rhegnidas*, *Phalce* genitus, contracto ex *Argis* & *Sicyonia* exercitu, pari modo *Phliuntem* invadit quo pater *Sicyonem*. Ac cæteri quidem non recuſabant ea præſtare quæ poſtulabantur, ut ſuas nimirum ſedes retinerent *Phliaſii*, *Rhegnidæ* imperium, & ſociis agros traderent. At *Hippaſus* quíque ab ea parte ſtabant, non multi quidem, repugnabant; nec libertatem & bona ſua tam multa & præclara, ſine prælio & ſanguine, concedenda peregrinis putabant. Cùm autem populus hanc minùs probaret ſententiam, *Hippaſus* cum ſuis exſulatum profectus eſt in *Samum* inſulam. *Dorienſibus Phliaſii* ſe ſuáque dederunt. Hujus erat *Hippaſi* pronepos *Pythagoras* Philoſophus ex *Mneſarcho*, *Euphronis* filio, *Hippaſi* nepote. (*Pauſ. Cor.*)

A.M. 2919.

Phliuntem invadit *Rhegnides*.

Athenienſe regnum *Codrus*, *Melanthi* filius, patre mortuo, ſuſcepit. Viginti & unum imperavit annos, mirâ in patriam charitate vir.

A.M. 2920.

Codrus imperat *Athenis*.

Cùm *Euryſthenes* obiiſſet, alter è *Spartanis* regibus, *Agidi* filio reliquit imperium. Ad gloriam ille tantò majorem patre aſpiravit apud *Lacedæmonios*, ut non niſi diutino ac florente regno paraviſſe gloriam credibile ſit. Non igitur unius eum anni regem ſtatuo, quod in *Euſebii* Chronicis fit; (id enim ſpei tantùm faciundæ, non gerendæ cujuſquam rei, colligendæve gloriæ, ſpatium eſt;) ſed annos ei ſexaginta imperii tribuo, quot ſufficere videntur ad redigendas *Olympiadum* origines in ea tempora quibus *Pauſanias* (in *Meſſenicis*) collocat, anno ſcilicet *Alcamenis Lacedæmonii* quarto, non ſecundo *Polydori*, ubi ſtatuit *Helvicus*. *Agide* regnante, *Patreüs*, unà cum patre *Preugene*, colonos in *Achaiam* deduxit, admittentibus *Achæis* in commune jus. Erat enim *Preugenes* inter veteres *Lacedæmonios* nobiliſſimus vir, *Agenoris* filius, *Arei* nepos, regio *Amyclæ* ac *Lacedæmonis* ſanguine oriundus.

2925.

Agis quot annis *Spartæ* præfuerit.

Aroën verò, *Antheam* & *Meſſatin* oppida *Patreo* conceſſerunt *Achæi*. *Aroën* is longè ampliorem reddidit, ex *Anthea* & *Meſſati* deductis eò civibus. Urbi deinde nomen à ſuo deductum dedit, *Patras*. Eâdem ætate *Graïs* etiam, *Echelati* filius, *Penthili* nepos, in *Æolidem Aſiæ* Minoris, à *Lacedæmoniis* comitatu inſtructus, tranſmigravit. Regionem verò inſulæ oppoſitam *Lesbo* ubi avus conſederat, occupavit.

Patreüs in *Achaia*, in *Æolide Graïs* regnat.

A.M. 2925. pavit. (*Pauſan. Lac.*) Ut opinor, ille *Graïs* eſt *Archelaï* filius apud *Strabonem*, (lib. 13.) & *Penthili* nepos, qui primo adventu in *Aſiam* uſque ad *Granicum* amnem progreſſus eſt. Mox ubi ſe meliùs inſtruxiſſet, majorem exercitûs partem trajecit in *Lesbum*, eâmque novis poſt avum coloniis habitavit. Ora igitur maritima ab *Hermo* flumine uſque ad *Cyzicenum* littus *Æolis* vocata eſt, unà cum *Lesbo Tenedóque*, & *Centum*, quas vocabant, *inſulis*. Urbes in Continente 12 incolebant, in *Lesbo* quinque, unam in *Tenedo*, alteram in *Centum inſulis*; præter aliquas ad montem *Idam*. Omnes enim ferè 30 numero fuerunt. Solo præſtantior *Æolenſium* regio habebatur, *Ionum* cœlo. (*Herod.* I.)

A.M. 2926. *Soüs* abſtinentiâ & fraude clarus.

§ 15. Hoc, opinor, anno, *Procle* obeunte, *Soüs* filius regnum *Spartanum* aſſecutus, annos ferè 40 imperavit. Cum finitimis *Arcadibus* bella geſſit aſperrima, multâque iis erepta ſuo adjecit imperio. Ferunt eum aliquando, cum *Clitoriis* bellantem, in anguſtias redactum, & in loco arido ſiti vehementer laboràſſe. Itaque *Arcadibus* obtuliſſe, omnia ſe redditurum iis quæ ademerat, poſtquam ipſe cum univerſo exercitu de propinquo fonte (quem nominabat) combibiſſet. Accipiunt conditionem *Arcades*; ad fontem *Spartani* admittuntur. Tum verò ſuis in concionem vocatis, antequam potarent, regnum eſt ei pollicitus ſe traditurum, ſiquis à bibendo vellet abſtinere, nè armis præclarè ac per virtutem parta turpiter per ignaviam amitterent, ſi de fonte omnes bibiſſent. Cùm nullus acciperet vel regnum abſtinentiæ mortiferæ mercedem, vitâmque omnes dignitati præferrent, (ſine potu enim ſibi neceſſariò pereundum putârunt,) cúmque reliqui ſe omnes aquâ jam ſaturâſſent; ultimus atque unicus rex à bibendo cohibuit ſe, ore tantùm delibuto paululùm recreatus. Aderant advertebántque hoſtes. Cùm autem ex pacto reſtitui poſtularent quæ *Spartani* abſtulerant, pernegavit *Soüs*, eò quòd non omnes bibiſſent, abſtinente ſe. Ità ſuos potu refecit, hoſtes eluſit fraude. Cum fraudulentis ergò cautiùs, & obſignatis (quod aiunt) tabulis, agendum eſt. (*Plut. Lyc.*)

A.M. 2928. *Iſraëlitis* reſipiſcentibus ſuccurrit Deus.

§ 16. Sub iniquiſſimo *Palæſtinorum* jugo laboraverant jam diu & ingemuerant *Iſraëlitæ*. Cúmque alia ſupereſſet nulla ſpes, in cœlum tandem ſuſpiciunt, & ſuſpirant in Deum. Etiam populus Dei Dei facilè obliviſcitur, & obdormiſcit, niſi punctionibus calamitatum ſubindè & aculeis expergefiat. Hanc bene gerendæ rei nactus occaſionem Propheta *Samuel*, officio ſuo, ſuorúmque pietati alendæ augendæque, non defuit. Vel per edicta, vel per conciones variis in locis habitas, admonuit, " ſi revera & *ex animo redituri eſſent ad Jehovam*, quem jamdiu deſeruerant; " *deos alienos*, *Baalos & Aſtartas*, *abjicerent*, *animóſque ità compararent*, *ut ei ſervirent* " *uni*. Sic enim *fore ut* ſuos ille *vindicaret* cultores à *Palæſtinis*, & in libertatem aſ" ſereret. Monitis atque conſiliis calamitoſorum patent aures, quas proſperæ ſolent res obſtruere. Diis ergò deabúſque alienis nuncium protinus remittunt *Iſraëlitæ*, *Jehovámque* unicum ſine rivali colunt. Verùm, ut publica peccata publicâ etiam pœnitentiâ expiarentur, conventum totius populi *Mizpæ Benjaminiticæ*, in loco admodum opportuno, tum capaci, tum in regionis totius ferè meditullio, indixit *Samuel*, pro eorum ſalute pollicitus deprecaturum ſe. Ibi cùm ingenuè ſua in Deum confeſſi peccata jejunio maceraviſſent corpora, magnâ lacrymarum profuſâ vi animarum quoque ſordes abluerunt. Atque hoc primò tempore fungi cœpit ſuo Judicis officio *Samuel*, dirimere lites, ſuum cuique diſtribuere, ægras Eccleſiæ reipublicæque partes ſanare, certo rectóque ordine conſtituere omnia; hoſtium denique injurias atque vim propulſare. Etſi enim jam antea, ex quo *Eli* mortuus eſt, conſtitutus à Deo eſt ſui populi Judex, nondum tamen videtur admiſſus atque receptus publicè. Alii verò poſt mortem Pontificis illico eum Judicis obiviſſe munus volunt.

A.M. 2929. *Palæſtini* cœlitus profligantur.

Ubi *Palæſtinis* indicatum eſt, *Mizpæ Iſraëlitas* tantâ frequentiâ conveniſſe, ſuſpicati eos moliri novas res, nè ab imperio ſuo deficerent, occurrendum ſibi maturè putaverunt. Arma igitur protinus expediunt, & invadunt *Judæam*, (*Tyriis* quoque in auxilium vocatis, (*Eccleſiaſtic.* 46. 18.) facilè rati ſe multitudinem inermem oppreſſuros. Magno id metu *Iſraëlitas* perculit. Obnixè igitur *Samuelem* oraverunt, ut Deo ſuo ſuam ſalutem precibus importunis atque vehementibus commendaret. Id cùm ille ſtudioſiſſimè præſtitiſſet, à Deo propitio clementiſſimè exauditus eſt. Propè jam aderant crudeliſſimi hoſtes. Dum autem agni lactentis holocauſtum offerebat *Samuel*, tanto fragore intonuit Deus, tantâque imbrium, turbinum fulminúmque tempeſtate deſæviit in *Palæſtinos*, ut profligati cœlitus & in fugam demum diſſipati ſint.

Joſephus

Joſephus addit, motam fuiſſe terram, apertóſque ſubitò ingentes hiatus, quò cæci præ terrore amentéſque *Palæſtini* præcipites ſe dederunt, abſorptíque perierunt. *Iſraëlitæ* cùm ſentirent afflictos à Deo profligatóſque hoſtes, ipſi quoque, *Samuele* duce, (ait *Joſephus*,) *Mizpâ* egreſſi fugientes perſecuti ſunt magnâ vi uſque ad locum qui ſuberat ſcopulo *Beth-cari*, cladéque affecerunt maximâ. Tantæ victoriæ beneficiíque Divini perpetuum ut exſtaret monumentum, lapidem quaſi tropæum collocavit *Samuel*, inter *Mizpam* & quam dixi rupem; vocaríque voluit *Eben-Ezer*, id eſt, *Lapidem adjutorii*; quoniam eò uſque auxiliatus erat *Jehova*. Fracti jam *Palæſtini*, hoſtes graviſſimi, (cum vicinis quippe *Amoræis* intercedebat pax,) nec auſi deinde ſunt *Iſraëlitarum* fines infeſtare, quamdiu *Samuel* habenas rerum tractabat ipſe: imò victoriam ſuam perſecutus eſt *Samuel*, donec ereptas *Judæis* urbes, ab *Ecrone* ad *Gathum* uſque, recepiſſet omnes. A.M. 2929.

Tandem, ubi peregit Vindicem, Judicem quoque cœpit agere diligentiùs.

Samuel jam totus in Judicis munere obeundo.

> *Res patrias armis tutatus, moribus ornat,*
> *Legibus emendat.* ———

Foris in tuto poſitâ libertate ac ſalute ſuorum, provinciam obibat quotannis, & in tribus locis maximè opportunis, *Bethele*, *Mizpa*, *Gilgaléque*, dicebat populo jus; ut iis itinerum ad ſe levaret moleſtiam. Conventus etiam celebraviſſe publicos credibile eſt, ad conſtituendam domi rempublicam. *Junius Bethelem* (quæ vox *Domum Dei* ſignificat) urbem *Ciriath-jearæorum* eſſe vult, ubi Dei erat Arca depoſita. At id ſi voluiſſet qui ſcripſit hæc, quid erat opus mutare nomen, & *Domum Dei* vocare, unde Tabernaculum aberat? *Fores* enim *domûs Dei* (1 *Sam.* 3. 15.) Tabernaculi fores dicuntur: & loco nondum Sacris conſtituto, *Bethelem* ſua Sacra detuliſſe populus videtur, ubi *Jacobus* fecerat. (1 *Sam.* 10. 3.) *Ramam* poſtremò rediit Propheta, ſuam in domum. Sed & illic poſcentibus dicebat jus, & Altare conſtruxit ad immolanda quibus fortè uſus erat ſacrificia. Id enim quovis in loco fieri jam licebat, cùm & à Tabernaculo abeſſet Arca, neque Templum adhuc eſſet ullibi conſtructum. Et à Propheta id potuit Divino inſtinctu fieri, non obſtante quâ reliqui tenebantur lege. Ob eaſdem cauſas licuit *Samueli* ſuæ domi agere, quem perpetuum Tabernaculo adminiſtrum, ſi adfuiſſet Arca, mater devoverat. Sed & Judicis munus publicum, quod ei demandatum eſt à Deo, videtur ab hoc eum voto abſolviſſe privato.

Anno *Codri Athenienſis* 12. *Euſebius* tradit (in Chron.) incurſiones feciſſe in Minorem *Aſiam Amazonas* ſimul atque *Cimmerios*, gentem *Scythicam* ad *Boſphorum Cimmerium*, quo *Mæotis Ponto* annectitur. A.M. 2931.

§ 17. *Samueli* Prophetæ Judicíque *Iſraëlitarum* ætas jam ingraveſcebat, neque tantas itinerum judiciorúmque moleſtias tolerare potuit, quantas antea ſolebat corpore adhuc vegeto ſolidóque. Suos ergò filios, *Joëlem* & *Abiam*, ut imminueret ſibi laborem, judiciis præfecit *Beerſhebæ*, in extremis *Judææ* finibus. Nec enim credibile eſt, eum in filios omnem rerum publicarum rejeciſſe curam, quem *Saulo* regnante non deſediſſe otioſum domi conſtat. *Junius* quidem filiis omnem *Iſraëlitarum* à *Dane Beerſhebam* uſque tradidiſſe vult; & *Joſephus* unum ex iis *Bethele*, in medio ferè totius regionis, alterum *Beerſhebæ* ſtatuit. Sed uterque ſuâ tantùm conjecturâ nititur. Non Deum hac de re conſultum, cujus erat unius Judices conſtituere, ac nè populum quidem legimus. Videtur bonus vir nimiâ in ſuos indulgentiâ peccaviſſe humanitus, quòd privatâ pravâque ambitione munus ampliſſimum in ſuam familiam derivabat, dum adhuc ipſe in vivis aderat, & jure quodam hæreditario conſtituere volebat. At nec *Moſes* Principatum ſuis liberis arrogavit; oblatúmque à populo magnificè repudiavit *Gideon*. Sed malè ceſſit, quod malè molitus eſt. Ut enim ille, populo atque Deo præterito, ſuos ipſe liberos Judices renunciavit: ità populus, eo Deóque temere neglecto, non alios modò Judices, verùm & aliam regiminis formam poſtulavit. Quod proverbio dicitur, *Heroüm filii noxæ*, id eſt, Ex optimis parentibus aliquando degeneres pravíque naſcuntur filii; id jam accidit *Samueli*. Ipſe pius juſtiſſimúſque vir, liberos habuit avaros, maximéque indignos qui judiciis præeſſent. Quippe juſtitiam venalem habebant, & ex munerum magnitudine, non æquitate rei, cauſas ponderabant. Propter gratiam igitur ſæpius inflectere jus, & inferre legibus vim. Ea cùm populus ferre non poſſet, urgerétque terror à *Nabaſho* rege *Ammonitarum*, (1 *Sam.* 12. 12.) cui propulſando debile videbatur *Joëlis* & *Abiæ* præſidium; *Samuelem* degentem *Ramæ* Principes convenerunt, non ut quererentur,

2938.

Sed, ætate ingraveſcente, in partem officii admittit filios temerariò.

A.M. 2938. rentur, conſultaréntve, ſed ut remedium præſcriberent quod ipſis optimum videbatur. Et, "*eum jam ſenuiſſe* dicebant, imparémque ſeipſum iis fateri, quos antehac "ſubierat, laboribus. Itaque onus magna ex parte judiciorum tranſtuliſſe in filios. "*Filios* autem *veſtigia* ſui patris *non legere*, non implere. Velle igitur ſe ut *Rex* ali-"quis, *more aliarum* florentiſſimarum *gentium*, ſibi quoque præficiatur, qui fortitu-"dine ſuâ prudentiâque domi & foris procuret publicam rem. Hæc *Samuel* cùm audîſſet, filios ſuos, nè delictorum quidem admonitos, & ſpirantem adhuc ſe, propter ſenectutem, muneribus abdicari, & in ordinem cogi; quaſi verò neque reges unquam conſeneſcere, neque filii regum poſſint deſciſcere à virtute patrum: deinde, novum regimen, regémque poſci novum, poſci à ſe, non rogari à Deo; quam verò Deus formam inſtituerat, rejici & contemni; ſuíſque illos ingeniis niti, diffidere præſidio Dei: denique, Regem poſtulari, non ex præſcripto legum Divinarum, (*Deut.* 17. 14, &c.) ſed profanarum gentium more: tot in Deum & in ſe cumulari peccata, ídque à populo quem unicè dilexerat, pertæſo jam ſui rerúmque præſentium, & novarum avido, dolebat ſenem vehementer. In tanta támque nova re, quem, præter Deum, appellaret, non habuit. Deum igitur obnixè comprecatus eſt, ut malo naſcenti occurreret. Subiratus *Jehova* contumaci populo, *Samuelem* ità conſolatus eſt: "Itáne veró? alium præter me meus ſibi populus præfici Regem vult? Habe-"ant quem tantopere flagitant nominis Regii fulgentem, ſed & urentem, ſplendo-"rem, ſui voti mox compotes abunde mihi pœnarum daturi. Non eſt autem cur "tuam tu vicem doleas. *Mihi* contumelia facta eſt, *meum excutiunt imperium*, cujus "ego *te* miniſtrum conſtitui. Sed antiquum obtinent: nihil novum, nihil jam *fa-"ciunt* ab ingenio ſuo alienum. *Ex quo tempore* in libertatem *eos aſſerui ab Ægyp-"tiis*, ità ſemper *mihi refragati ſunt*. Idola mihi, *alienóſ*que *deos* prætulerunt: *Ità* "poſtponunt regibus *te*. Cede igitur pertinaciæ populari,——*Currenti cede fu-"rori:* Ità ut *moneas tamen doceáſque* perduelles, *qualis ille regius mos* aliarum genti-"um futurus ſit, quem illi videntur tam improbè poſtulare. Hæc à Deo *Samuel* cùm accepiſſet, populum Dei verbis admonuit, nè temere ſe in malum inopinantes graviſſimum conjicerent. "Petitis (inquit) à me, imò verò poſcitis, qui more "gentium aliarum præſit vobis præeátque, regem, *Iſraëlitæ*, jugum iniquiſſimum "ultro ſubituri ſuperba principum imperia. Quis autem gentium aliarum ille ſit "*mos*, à me paucis accipite, nè non prædicta vobis dicatis hæc in quæ præcipitatis "mala. Regem enim ſi habueritis, nihil præterea veſtrum, nihil habebitis propri-"um. Domini Regis futura omnia. *Ille filios vobis auferet*, chariſſimas res, *fili-"áſque.* Illos *ſibi equites* peditéſque, *ſibi curruum* agitatores, copiarúmque *duces*, "*ſibi agricolas atque meſſores*, *ſibi fabros* denique habiturus *inſtrumentorum curulium* "*& bellicorum:* has autem, *ſibi pro coquis ut ſint*, *piſtricibus & unguentariis*. *Servos* "*etiam ancilláſque veſtras & jumenta ſuis admovebit operibus*. Neque *pecorum ſe-"minúmque* modò *& vinearum decimas*, verùm ipſos aliquando *agros*, *olivetáque*, *&* "*vinearum optimas*, *vobis ereptas*, *ſuis donabit* eunuchis atque *ſervis*, ex alieno mu-"nificus. Denique, Regem aſſecuti, reliqua omnia, imò & unam omnium pretio-"ſiſſimam rem amiſſuri eſtis, libertatem. *Pro ſervis* enim ſubditos ut plurimùm "reges habent. Hic ille regius eſt aliarum gentium mos. Si à Deo datæ libertatis "vos tædeat, novum hunc dominum accipite, mordete frænum: at hoc unicum à "me moniti priùs, non gravia modò hæc, ſed perpetua vobis futura eſſe mala; ut-"pote à vobis ultro accerſita. Fruſtrà, mihi credite, fruſtrà vexati afflictíque olim "*invocabitis Jehovam*, *non exauditurum* deinde preces hominum monente ſe non "reſipiſcentium. Hæc Propheta quidem veriſſimè, at ſurdis auribus, occinebat: populus enim obfirmaverat ſe, neque ullis poterat minis periculíſve à propoſito dimoveri. *Samueli* ergò populi reſponſa referenti permiſit Deus, ut crearet illis Regem, compotéſque votorum futuros mox dimitteret.

Hebræis regem poſcentibus iraſcitur Deus:

indéque ut votorum ſint compotes conſtituit.

Πρῶτον μὲν, εἶδος ἄξιον τυραννίδος· Primùm, formæ dignitati delatum à Deo eſt imperium. Id enim ab aliis ferè gentibus fieri ſolebat, quas imitari volebant *Iſraëlitæ*. Erat ſpecioſiſſimus vir ex urbe *Gibea*, *Ciſho* patre genitus, locuplete magnæque inter ſuos autoritatis viro *Benjaminitâ*, *Saulus*: reliquâ populi multitudine altior is, ——*collóque tenus ſupereminet omnes*. Armentum fortè aſinarum, quæ plurimi fiebant in *Syria*, deerrantium alicubi deſiderabat *Ciſhus*. Filium ergò *Saulum*, affectante famulo, emiſit, qui aſinas amiſſas inveſtigaret. Ii multa cùm peragrâſſent loca, nullibi tamen aſinas invenirent, in agrum devenêre tandem *Ramanum*. Indè

Saulus

A.M. 2938.

Saulus erat domum rediturus, nè *Ciſhum* patrem filii quàm aſinarum jactura magis haberet ſolicitum. Sed opportunè famulus in urbe proxima *Videntem* eſſe monuit, (ità Prophetas olim appellare ſolebant,) celeberrimi nominis, veriſſimáque reſpondentem omnia. Eum eſſe conſulendum de aſinis. Comprobato ſervuli conſilio, honorarium aliquod munus requirebat *Saulus*, quo Vati gratificaretur. Sive id humano more fecit, nè peteret beneficium ab homine alieno, nullâ operis mercede propoſitâ; ſive quòd munuſculis conciliari poſſe atque conduci Prophetam crediderit, ut gentium profanarum ariolos; (Neutrum verò ex his eum cogitâſſe munere tam exiguo potuiſſe fieri credibile eſt:) ſive poſtremò, quòd vacuis manibus ſiſtere ſe coram Dei miniſtro, à quo Deus erat ipſe conſulendus mox, nefas putaret. (*Exod.* 23. 15. *Deut.* 16.16.) De donis autem in ſacros Dei Vates conferendis iſta paucis tenenda ſunt. Munera leviora, ut gratitudinis & pietatis indicia, donari recipíque poſſe impuné. Sed neque δωροφαγεῖν, petere aut exſpectare munera, Prophetis licuit; (2 *Reg.* 5. 20, &c.) neque ſolicitare muneribus corrumperéve Prophetarum religionem atque fidem. (*Act.* 8. 18, &c.) Imò donum aliquod majus, tanquam operæ pretium juſtámque vaticinii mercedem, non erat hominis pii vel dare, vel accipere. (*Num.* 22.7,17.) At *Sauli* famulus, poſt tantos itineris longi ſumptus, reliquam non niſi quartam ſicli argentei partem habuit. Eo inſtructi munuſculo tendunt ad *Samuelem.* Aſcendentibus clivum urbis occurrebant fortè egredientes ad aquam hauriendam ancillæ. Ex iis didicerunt, "modò adveniſſe, atque "adeſſe Prophetam. Sacra enim ſolennia epulúmque celebrari. Si properarent, ip"ſum habituros obvium, utpote jamjam aſcenſurum ad ſacra conviviáque in Excelſo "peragenda. Nec enim velle populum epulis admovere manum, antequam ſacris "peractis benedixiſſet Propheta. Progreſſis ergò in urbem obvius *Samuel* factus, *Saulúm*que fixis oculis contemplatus eſt. Prædixerat enim illi pridie Deus, "*Ben*"*jaminitam* ſe craſtino die miſſurum, qui regno præeſſet, populúmque à *Palæſtinis* "vindicaret. Nam eorum ſe clamorem exaudiviſſe. Ubi *Saulus* in conſpectum venit, Deus iterum ſubmonuit, eum eſſe quem *Iſraëlitis* regem deſignârat. *Saulus* igitur cùm de Vidente quæreret, reſpondit *Samuel*, "*eum eſſe* quem quærebat ſe. Pe"tere autem, ut *in excelſum præeat*, *eos enim apud ſe convivaturos hodie*; manè *cra*"*ſtino dimiſſurum*, *atque narraturum quæ vellet omnia. De aſinis* enim *non eſſe cur* "*ſit ſolicitus*, *triduo deſideratis*, ſed *inventis* jampridem. At eo ipſo neminem repe"riri digniorem qui ſolicitum populi de Rege *deſiderium* expleat. Tantâ re, tam ſupra opinionem atque ſpem, attonitus penè *Saulus*, "Egóne verò, inquit, ut po"puli deſiderium expleam? *Quid ità narras mihi*, ſancte vir, *qui ex minima tribu*"*um Iſraëliticarum Benjaminita ſum*, *& ex familia inter Benjaminitas minima* ferè "infimáque? Ubi in cœnaculum pervenêre, *Saulum Samuel* in ſede collocavit ſuprema inter convivas ferme triginta; & coquo ſimul imperavit, ut quam heſternâ Dei monitione fretus reponi aſſervaríque juſſerat opimam carnium portionem, *Saulo* jam comedendam proponeret. Opiparè convivati cùm deſcendiſſent in urbem, in tecto domûs ſine arbitris varios conſeruerunt ſermones. Credibile eſt, *Samuelem* tradidiſſe multa privati regiminis publicíque præcepta, conſiliíſque ſanctis ac ſalutaribus inſtituiſſe ſucceſſorem ſuum. Primâ luce iterum in tecto collocuti, egreſsíque foras mox, in urbis extremum deſcenderunt. Non convenit ſervis reip. arcana prodere. Regem inungere cœlitus jubebatur *Samuel*, at nondum renunciare. Præmiſſo igitur ſervo, *Saulus* ipſe conſiſtere jubetur, ut Dei mandatum audiat. Olei deinde lenticulâ in *Sauli* caput effuſâ, oſculatus eum Propheta, *Jehova*, inquit, *ſui* populi atque *hæreditatis te inunxit ducem.* Unctionis ſacramento, quaſi quodam ſigillo, decretum Dei obſignabatur hominibus. In Regibus autem, Prophetis atque Sacerdotibus ſummis inaugurandis adhibebatur typicé. Ii enim *Chriſtum* ſeu *Meſſiam* ſignificabant, qui ungendus erat, non oleo, typicéve, ſed Spiritu Dei, (*Eſai.* 61.1.) ut eſſet omnium ſupremus veriſſimúſque Propheta, Sacerdos, atque Rex: qui cùm adventu ſuo aboleverit omnes ceremonias, haud ſcio an hæc ſatis piè jam retineri poſſit. Oſculum verò non modò ſummæ videtur benevolentiæ ſignum, quaſi hominis fauſta illi apprecantis omnia; ſed & obſervantiæ, reverentiæ, ac fidei quam ſuo jam regi pollicebatur. Quóque magìs crederet *Saulus*, Deo hæc volente jubentéque fieri, prædixit ei *Samuel* quædam eventura mox; ut hæc veriſſimè cùm accidiſſent, dubitare non poſſet, quin & ea quæ de Regno erant à *Samuele* tradita, vera itidem, & à Deo eſſent profecta. "*Ubi hinc abieris*, inquit, *ad ſepulchrum Ra*-

Saulus inungitur à *Samuele*, qui inunctum oſculatur,

eíque ventura vaticinatur.

"*chelis*

A.M. 2938. "*chelis in finibus* tuæ tribûs *incides in viros duos, qui aſinas inventas tibi nunciabunt,* "*eſſéque patrem de te* jam, nè alicubi perieris, *anxiè ſolicitum. Progreſſus indè, in* "*planitie Taboris occurrent tibi viri tres,* ſacrificatum *aſcendentes Bethelem,* ſuáque "*portantes* ſacra *agnos tres,* totidém*que panes, atque utrem vini. Ii te* benignè *ſalu-* "*tabunt,* eſurienti*que duos porrigent panes*; *quos tu* pari benignitate *accipies,* utcun- " que ſacris deſtinatos. Illis alii non deerunt ad ſacra; Deóque miſericordia gratior " eſt quàm ſacrificium. *Bethelem* hîc (liceat monere) ſunt qui exponunt *domum Dei,* vel *Silunte,* vel apud *Ciriath-jearæos,* non ipſam urbem ejus nominis. Verùm Tabernaculo Arcâque Dei nondum ullibi conſtitutâ, quovis in loco, etiam *Bethele Jacobi* gratiâ, licebat Sacra facere. "*Deinde,* inquit *Samuel, in collem Dei pervenies* " ſacrum Prophetis *Gibeæ*; *ubi* & *præſidium* in propinquo à *Palæſtinis* collocatum eſt. "*Urbem ingreſſus, obvium habebis chorum prophetarum ab Excelſo deſcendentium, lyrâ* "*tibiâque, tympano & citharâ præeuntibus.* Dúmque *illi vaticinantur, tu quoque,* "*Spiritu afflatus Divino, unà vaticinaberis,* animúmque novum indues & rege dig- " num. *Hæc* omnia *tibi* quæ à me dicta ſunt *cùm evenerint,* certúſque jam fueris " deſignati à Deo tibi Regni, provinciam quam nactus es orna. Nec enim unquam "*tibi Jehova* præſidio auxilióque ſuo *defuturus eſt.* Erit aliquando tempus, regno " tibi jam confirmato, *quo præibis tu, ego te ſequar Gilgalem, ut holocauſta offeram,* "*ſacráque Deo pacifica. Septem diebus me, donec advenero, exſpectabis.* Ità conſiliis " ejuſmodi atque præceptis inſtruam te, quibus in tua perpetuum familia confirme- " tur imperium. Dimiſſus tandem à *Samuele,* immutatus repentè, ac novâ mente à Deo donatus eſt. Cúmque omnia veriſſimè contigiſſent quæ prædixerat futura *Samuel, Saulum* denique Prophetam inter Prophetas vaticinantem adeò demirati ſunt ſui populares, ut mutuò ſe interrogarent, "*quid filio Ciſhi contigiſſet,* homini an- " tea rudi prorſus rerum Divinarum. Prudentiores quidem facilè reſpondebant, " neque reliquos, Prophetis genitos, à parentibus inſtitutos, ſed afflatos à Deo. " Quid ergò mirum, ſi & *Ciſhi* filius eodem Spiritu concitatus prophetaret? Po- puli tamen admiratio & ſtupor in proverbium traxit, *Numquid & Saulus inter pro- phetas?* Credibile eſt, collegia fuiſſe quibuſdam in locis *Levitarum* aliorúmque, qui ſe ſtudiis & contemplationi rerum Divinarum totos tradidêre; ut *Bethele,* (2 *Reg.* 2.3.) & *Hierichunte,* (2 *Reg.* 2.5.) & *Gibeæ.* (1 *Sam.* 10.10.) Pſalmis verò canen- dis inſtrumentíſque muſicis excitabant ſe. (1 *Sam.* 10.5.) Primarii ac præceptores, qui Scholis præerant, inſtituebántque juventutem, verè dicebantur *Prophetæ*: Multa enim & futura prædicebant, & prodebant arcana. Diſcipuli verò, qui ab his præ- ceptoribus informabantur, *Filii* vocabantur *prophetarum.* (2 *Reg.* 2.3, 5, 7.) Tan- dem è Prophetarum cœtu diſceſſit *Saulus,* & aſcendit in Excelſum, ſive ut precare- tur, ſive quòd illic habitaret potiùs. Occurrit enim protinus patruo ſuo *Neri*: (1 *Sam.* 14. 50.) qui cùm interrogaret quonam abiiſſent; " Iviſſe quidem *investi-* "*gatum aſinas* reſpondit ſe; *cúmque nuſquam* inveniret, *Samuelem conſuluiſſe* Pro- " phetam. Cùm autem de *Samuelis* reſponſo admodum ſolicitè quæreret patruus, reſpondiſſe reſpondit *Saulus, inventas eſſe.* Verùm de regno quæ tacitè accepit, ea prudenter tacuit, donec ipſe publicaret *Samuel.* Non prodidiſſe *Joſephus* ait quæ tradiderat *Samuel* de regno, nè res credita, invidiam; non credita, vanitatis ei opi- nionem pareret.

Saulus quaſi invi- tus Rex publicè re- nunciatur.

Indixit ergò *Samuel* populi conventum, ad capienda *Jehovæ* mandata, *Mizpæ*: ubi primò ingratitudinem eorum perſtrinxit verbis Dei, ſed pauciſſimis. "*Deum* "*eos ab Ægyptiis* aliíſ*que hoſtibus* multoties *vindicâſſe univerſis*: *Eos* tamen *conſerva-* "*torem ſuum ſpreviſſe Deum, &* ejus injuſſu *poſtulaviſſe regem*: Regem igitur ſuo ha- " bituros damno. Deinde ſtare populum coram Deo juſſit, per tribus atque gen- tes. Sortibus permiſſa de Rege res, nè quam *Samuelis* fraudem ſuſpicarentur. Pri- mæ autem in tribum *Benjaminis* ceciderunt: deinde in *Matri* familiam; ubi *Saulus* tandem filius *Ciſhi* captus eſt. *Saulum* verò cùm nuſquam reperirent, Deus, con- ſultus ea de re, *latitare eum inter vaſa* reſpondit. Ejus laudat modeſtiam *Joſephus,* qui non niſi invitus trahi ad regnum voluit. At Deo vocanti non reſpondere, hu- miliúſque ac demiſſiùs ſentire de ſe quàm ſentiat Deus, haud ſcio an dignum lau- de ſit. Ex latebris verò productus in publicum, ubi conſtitit in medio, humero te- nus altior exſtabat populo univerſo. "*Ecce,* inquit *Samuel, quem* vobis Regem " Deus *inſtituerit,* hominem ſpecie ac dignitate corporis ante alios omnes inſignem. Compos ergò votorum, comprobavit quæ geſta ſunt, exclamavítque populus univer-

ſus,

ſus, *Vivat Rex.* Regium deinde jus in libro deſcripſit *Samuel*, ut erga populum ſe Rex, útque ſe gerere populus in Principem deberet, ſecundùm ea quæ *Deut.* 17. tradita ſunt à *Moſe*: deſcriptúmque prælegit coram populo, ac repoſuit coram Deo, ſive ad latus Arcæ fœderis apud *Jearæos*, ſive in ſacello *Mizpæ*, ubi convenire populus & comprecari ſolebat Deum. Habebant illic & populus & Rex, durante Regno, quod utrumque mutui erga ſe invicem officii admoneret. Ità comitia ſoluta ſunt, *Gibeámque* ſe contulit *Saul*, aſſectantibus eum copiis hominum motu concitatorum Divino. Alíique permulti novo Regi munera ſuæ obſervantiæ fideíque pignora obtulerunt. Non deerant aliqui tamen, homines impii & effrænati, qui *Benjaminitarum* ex tribu minima, nec ampliſſima familia, præpoſitum ſibi Regem deſpicatui haberent, nec muneribus dignarentur, ut muneri ſuo, procurandæque populorum ſaluti, longè imparem. Credibile eſt, *Ephraïmitas* fuiſſe, qui ſolebant ſe inſolentiùs efferre, ut *Joſephi* poſteros, principatúmque ſibi deberi ſolis putabant. Sed prudenter admodum diſſimulavit *Saulus*, neque reclamantes tumultuariò audire viſus eſt. Quippe re magìs quàm verbis probare ſe Regem maluit; quod & mox præſtitit. *A.M.* 2938.

§ 18. Interea enim *Nahaſhus Ammonita Jabeſhum Gileadis* urbem obſidebat. Nam à clade quam eis *Jephta* intulerat ante viginti atque centum annos (*Jud.* 11.) jam ſe refecerant, magníſque viribus, odio majore, ferebantur in *Iſraëlitas*. Diſſidii verò publici, & quodammodo interregni, occaſionem, ſuis rebus opportunam, arripuerunt avidè. *Jabeſhenſes*, quaſi deſperatâ re, ipſo adventu hoſtium perterriti, deſpondebant animos. De auxilio Divino precibus implorando minimè cogitabant. Sed imperata ſe facturos pollicebantur, modò pactione fœderéque mutuo ſecuri de ſalute fierent. Dominos admiſſuri ſunt, quos nè cives admittere licebat. (*Deut.* 23. 3, &c.) Multitudine copiarum fretus *Ammonita*, "*percuſſurum ſe* reſpondit *fœdus hâc unâ conditione, ſi dextros effodi ſibi oculos* paterentur. Hanc enim velle ſe "*Iſraëlitis ignominiam inurere*: ignominiam verò quavis morte graviorem. Quippe abjecti eſt ignavíque animi, vitam ipſam tanti facere, ut ejus conſervandæ gratiâ, eripi ſibi oculos patiatur. Sed à crudelitate hoſtium hanc Deus interponi moram voluit, ad ea perficienda quæ propoſuerat. In has igitur anguſtias redacti *Jabeſhenſes*, aliquid ſibi tentandum putavêre, nè oculos amitterent, libertatis prodigi. Nec adhuc illis in mentem venit, præſidium à Deo petere, de humano tantùm auxilio ſoliciti. "*Septem* ergò *induciarum ſibi dies concedi* obſecrant, *quibus ad* populares ſuos *dimittant nuncios. Quòd ſi* hoc ſpatio temporis *auxilio ſibi non ſubveniatur, Nahaſhi* arbitrio ſe permiſſuros. *Ammonita* ſuis viribus, hoſtium imbecillitate ac diſſidiis, fretus, cùm auxiliari eos *Jabeſhenſibus* contra ſe nec poſſe crederet, nec audere, facilè conceſſit occæcationi *Jabeſhenſium* ſeptem dierum moram. Nuncii ergò *Jabeſho* emiſſi peragrantes omnem regionem, *Gibeam* quoque pervenêre. Populus de tantis *Jabeſhenſium* periculis edocti, ſibi pariter ſuíſque oculis metuentes, non poterant eos non abunde lacrymis irrigare. Sed lacrymæ nihil erant contra hoſtium immanitatem profuturæ. Aberat interea in agro *Saulus*. Boves indè cùm in urbem ageret, ubi fletûs luctûſque tanti cauſam didiciſſet, magno confeſtim animi vigore divinitus & fortitudine concitatus eſt, irâque inflammatus fortitudinis cote. In fruſta igitur concîdit illico boüm par, quibus per omnem regionem ſummâ celeritate diſperſis, denunciavit ſimul, ità fruſtatim ejus eſſe concidendos boves, quicunque non adeſſet protinus, ut *Saulum* & *Samuelem* ſequeretur. Quò ſuam augeat, *Samuelis* autoritatem adjungit. Erant enim qui *Saulum* fortaſſe nondum agnoſcerent Regem: *Samuelem* verò qui repudiarent Judicem, nulli. Atque hanc eſſe cauſam voluit Deus, quâ dignum probaret ſe imperio *Saulus*, & communibus omnium ſuffragiis reciperetur. Nec mora. Populus repentè, non tam minis & metu multæ, quàm Divino quodam ſtimulo pavoris, in unum coactus eſt. *Bezece* ad fluvium *Jordanem*, puto, recenſuit exercitum. Millia reliquarum tribuum trecenta, maximæ verò *Judæorum* unà cum *Simeonidis* non niſi triginta numeravit millia. Eò pauciores fortaſſe aderant *Judæi*, nè regni limites *Palæſtinis* hoſtibus nudos relinquerent, ſi omnes prodirent. Tum demum *Jabeſhenſibus* renunciari juſſit rex, adfuturam illis die craſtino, unà cum Sole incaleſcente, ſalutem. Quem illi nuncium perquam lætis auribus acceperunt. Miſſi ergò protinus qui *Ammonitas* certiores facerent, cras in eorum caſtra *Jabeſhenſes* prodituros, ut quicquid illi juſſerint faciant atque ferant. Hoc autem eo conſilio factum, quò hoſtes, rerum proſperarum certâ

Ammonitas profligando, liberat Jabeſhenſes.

A.M. 2938.

ſpe, magis redderent ſecuros, eóque ſuperandos faciliús. Totâ nocte *Saulus* longum emenſus iter, ſub auroram, tertiâ noctis vigiliâ, pervenit quò voluit. In tria partitus agmina exercitum, caſtra media hoſtium ſuaviter & otiosè dormientium adortus eſt, faciléque inermes & inopinantes oppreſſit. Cæſi ergò profligatíque ſunt *Ammonitæ* uſque dum Sol incaleſcebat, itáque diſperſi fugâ, ut nihil prorſus virium ſupereſſet. *Nahaſhum* quoque interemptum fuiſſe narrat *Joſephus*; (Antiq.*6.6.*) ſed contra fidem Sacrarum Literarum: (2 *Sam.*10.1. & 1 *Chron.*19.1.) quod ab eo ſæpius fit, ut ſemper eum refutare tædeat. Populus, hâc potitus victoriâ *Saulo* duce, *Samuelem* convenit, poſtulátque ut quæſtio inſtituatur, capitíſque ſumatur ſupplicium de iis qui regno *Sauli* obnunciârant. Id autem *Saulus* nullo modo fieri paſſus eſt: nè ſanguine ſuorum pollueretur is dies, quem cæde hoſtium támque ſalutari victoriâ inſignîerat Deus.

A.M. 2939.

Secundâ vice *Samuel* inungit *Saulum*. Deinde, habitâ oratione præſtantiſſimâ, Deum vindicat & ſeipſum coram populo pervicace.

§ 19. Opportuna *Samueli* videbatur hæc populi propenſio, ad ſtabiliendum *Saulo* regnum, populóque purgandum ſe. Eo igitur monente, redituri domum *Iſraëlitæ*, ac ſuperato *Jordane*, *Gilgalem* convenerunt. Sacris ibi pacificis actæ ſunt gratiæ Deo, tum victoriæ ac ſalutis, tum novi Principis causâ. Is enim denuo jam fortaſſe unctus publicè, ac renunciatus; certè à populo, nemine obſtrepente, receptus eſt univerſo. Summâ igitur lætitiâ triumphabant omnes exſultabántque. At nec ſibi purgando *Samuel* deeſſe voluit, nè ob malè geſtam à ſe remp. Regem ſibi prælatum agnoſceret. Hanc igitur apud populum concionem habuit. "Nè vobis grave "moleſtúmve ſit, *Iſraëlitæ*, ſi gaudium hoc veſtrum, haud intempeſtivum fortaſſe, "monitis quibuſdam ſalutaribus, tanquam cibos prædulces acrioribus videar condi"mentis temperare. Vehementer à me expetiviſtis *regem*. *Regem obtinetis*. Ma"giſtratu ſupremo abdicavi memet *filióſ*que *meos*, ut veſtræ obſequerer voluntati. "*Senuiſſe me* fateor; at nondum delirare. Adhuc potui fortaſſe. Veſtris tamen "flagitationibus improbis malui cedere, veſtéſque mihi omnes exuere, nondum da"turus me ſomno. Rerum verò quæ fiunt novarum quis autor ſit, cujus vitio, me"óne meíve Dei, an veſtro potiùs acciderint, ut pernoſcatis, liceat mihi paucis ra"tionem, tum de me meóque Deo reddere, tum à vobis, rege vobis jam conſtitu"to, exigere. *Ego à pueritia mea* ſemper *in luce* populi *verſatus ſum*; ac nuper per "hos annos, mandante Deo, Judicem egi. Prodeat ergò, ſi quis omnium eſt qui "poſſit objicere, prodeat, *intuliſſe me vim*, aut vobis veſtríſque commodis avaritiâ "ductum, aut legibus gratiâ *munerum*. Nullam à vobis aut ignominiam deprecor, "aut multam. Populo fatente nihil objici poſſe; "*Deum* ergò *contra vos*, inquit, ap"pello *teſtem*, *Chriſtúm*que Dei regem, innocentem eſſe me à præteritis, innocentem ab "iis quæ futura ſunt malis. Hoc etiam concedente populo, pergit *Samuel*: "Ab"ſolvitis à culpa, populares mei, at afficitis pœnâ innocentem. Quantò verò magis "innocens Deus? imò quàm plùs quàm optimè ſemper meritus de vobis, ut gratiis "referendis nullo unquam tempore modóve ſitis pares futuri? Ille vos, graviſſimâ "oppreſſos ſervitute, *liberavit ex Ægypto*; *& in hanc regionem*, *Aarone Moséque* "ducibus, fertiliſſimam *traduxit*. *Ille* vos *obliviſcentes ſui*, peccantéſque ſæpius, *tra*"*didit* hoſtibus caſtigandos: reſipiſcentibus verò vindices *dedit qui aſſererent*, *Gideo*"*nem*, *Ibzanem*, *Jephtam*, & alios; quibus ſi addidero memet, nihil fortaſſe arro"gantiùs dixero. Ille vos, niſi deſertus à vobis, nunquam deſeruit, ſed laboranti"bus adfuit, & ex omnibus periculis atque malis *vindicavit*. Eum tamen vos re"puliſtis atque repudiâſtis. A *Nahaſho* enim *Ammonita* cùm timeretis, quaſi non "ſatis eſſet præſidio vobis *Jehova*, *regem* efflagitâſtis: cúmque ego *regem vobis im*"*perare Jehovam* dicerem; *Nequaquam*, *reſpondiſtis*; *verùm* alium *regem* velle vos "*more gentium* aliarum.

"*Proſperum ac felix ſcelus Virtus vocatur.*

"Applauditis fortaſſe vobis, conſiliíſque veſtris de petendo Rege, quòd ejus ductu "tantam eſtis conſecuti de hoſtibus victoriam. Id quidem non veſtris meritis De"us, verùm ſuis olim promiſſis, Nominíque ſuo & gloriæ dedit; nè populus à ſe "electus à gentibus profanis impunè contereretur. Quantùm verò hâc rerum nova"tione ſit offenſus iratúſque nè ignoretis, ejus ipſius vocem è cœlo vobis minitantem "audietis. *Meſſis jam agitur triticea*, tempus pluviis atque tempeſtatibus inſolens. "*Precibus* tamen efficiam, ut *pluvias* in vos *atque tonitrua* iracundus *demittat Deus*. Dictum atque factum eſt. Tonante autem cœlo, & in imbres violentos effuſo, populus

pulus vehementer conterritus atque perturbatus eſt. Humillimè igitur ſupplicavit *Samueli*, ut "*deprecaretur Deum*, averterétque à ſe hoc malum, *nè* omnes protinus "atque penitùs *interirent*. Fateri enim, *ſe*, *petendo regem*, *reliqua ſua peccata* ſcele- "re maximo *cumulâſſe*. Pœnitente populo, quod unicum ſpectabat *Samuel*, & ſereniore cœlo, mox reliqua perſequitur, dejectámque metu multitudinem conſolatur. "Etſi *graviſſimum*, inquit, *peccatum admiſeritis*, *non* eſt tamen cur tanto- "pere mitiſſimum Numen *reformidetis*. Vos quidem abjeciſtis, quantum in vobis, "Deum. At *non ille* vos *abjiciet*, *ſui nominis gratiâ*, modò in poſterum *ejus vero vos*, "& unici, & *totos cultui dedicetis*. Idola profligate, inanimas atque *inanes res*, *nullóque modo profuturas*. *Ego verò* ut *pro vobis orem*, non opus eſt orari me. Impi- "um eſt tacere, cùm ipſa officii religio jubet me loqui. *Abſit* verò, *abſit ut Deum* "in me tanto ſilentii *delicto* provocem. Neque precabor modò, *ſed inſtituam erudi-* "*ámque vos*, nè quà erretis deinde à ſancto Divinóque *tramite* pietatis. *Quòd ſi* "ergò (ut paucis omnia concludam) *vos*, & qui vobis præfectus eſt Rex, *parueri-* "*tis Domino*, *&* eum unicè debitâ veneratione *colueritis*, neutiquam obſtabit grande "peccatum hoc veſtræ in poſterum felicitati & benedictioni Divinæ. *Sin peccatis* "*pravitatéque morum* irritaveritis *Jehovam*, nihil obſtabit quin *&* *vos*, *&* qui præ- "ponitur *vobis rex*, peſſimè omnes *pereatis*. A.M. 2939.

§ 20. Sterilitate jam laborabat *Peloponneſus*, adeò ut *Dorienſes* aliam ſibi neceſſariò aſciſcendam regionem, tradendámque ſuis, putarent. *Corinthii* atque *Meſſenii* maximè incitabant, ut bellum *Atticæ* inferrent; illis ob vicinitatem infenſis; his, quòd filius *Melanthi Codrus* regnum *Atticæ* tunc obtineret. (*Strab. 9.*) Erántque inter *Athenienſes* atque *Dorienſes* ſimultatum veteres offenſæ. Sibi enim timebant *Heraclidæ* ab exſulibus *Peloponneſiis* in *Attica* receptis, *Ionibus* atque *Meſſeniis*. *Atticam* ergò invaſuri, de eventu belli oracula priùs conſuluerunt. (*Juſt. 2.*) Id à *Codro* factum narrat *Valerius Max.* diffidentiâ humani auxilii ad *Apollinis Delphici* oraculum confugiente. De reſponſo inter omnes convenit; Superiores fore *Peloponneſios*, ni regem *Athenienſium* occidiſſent. *Cleomantis*, homo *Delphicus*, (*Cleomenem* vocat *Suidas*,) cùm oraculum hoc didiciſſet, *Athenienſibus* clàm prodidit: unde cùm ipſi *Cleomanti*, tum poſteris ejus, perpetuum in *Prytanéo* victum decreverunt. Cùm oraculum reſciviſſent, *Codro* perſuadent *Athenienſes*, ſeptuagenario jam ſeni, ut ſe volens pro patria devoveret. *Alete* verò duce, rege *Corinthiorum*, (vel *Ixione* potiùs, *Aletis* filio, ſi annorum quibus *Corinthi* regnabatur numeros verè tradat *Euſebius*,) cùm ventum eſſet in bellum, à *Dorienſibus*, ante omnia, cuſtodia regis militibus præcipitur, nè quis eum quovis modo violaret. *Codrus* autem, depoſitâ veſte regiâ, paſtoralem famularémve cultum lignatoris aut ruſtici, humilem certè vilémque, induit. Ità pannoſus, ſarmenta collo gerens, caſtra hoſtium ingreditur ſub veſperam, nè facilè agnoſceretur; ubi de induſtria rixam ciens, imprudenter à milite, quem aſtu falce vulneraverat, ad *Iliſſum* fluvium interemptus eſt. (*Pauſan. Attic.*) Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæſierit, quibus ab ignavis vita quæri ſolet? Alacriores multò ad pugnandum *Athenienſes*, cùm oraculo ſatisfeciſſent, ante prælium tradi ſibi corpus regium petivêre, ut ſepelirent. Quo cognito redditóque, *Peloponneſii*, aliâ ferè nullâ geſtâ re, diſceſſerunt; nè illorum quidem paucorum ratione habitâ, qui jampridem intra portas penetrârant. Cùm ergò ſentirent ii ſe à ſuis derelictos, in *Areopagum* protinus ad aram *Eumenidum* trepidi confugerunt. Meminerant *Athenienſes* oraculum ſibi jam antea redditum à *Dodonæo Jove*, ut *Lacedæmoniis* parcerent, ſi quando ſupplices ad *Erinnyum* ſe aras reciperent. Quare, nè diis adverſarentur, dimiſſi ab aris incolumes, ad ſuos redivêre *Spartani*. Sed reliquâ ejecti *Atticâ Dorienſes*, *Megaricam Corintho* proximam tenuerunt, quæ & ipſa *Athenienſium* ſuberat imperio. (*Strab. 9.*) Jam vero coloniâ ex *Corinthiis* aliiſque ſociis eò deductâ, ex *Atticis* in linguam & mores *Dorienſium* tranſierunt. (*Pauſ. Attic.*) Regem, tam præclarè meritum, in Heroüm numero collocaverunt *Athenienſes*. (*Polyæn. 1.*) Imò ſacrificiorum honore coluiſſe pro deo, S. *Auguſtinus* tradit. (De Civ. Dei 18. 19.) Celebratur & proverbiis: *Codro antiquior*, propter vetuſtatem; *Codro generoſior*, propter nobilitatem animi generiſque. Sed & *Codri* aliquando fatui vocantur atque deliri; (*Heſych.*) quoniam, ut aliorum ſalutem redimeret, ſuam prodidit, quod à viris ſibi ſapientibus neutiquam ſolet fieri. (*Euſtath.* in *Od. 1.*) *Codri* apud *Pauſaniam* (in *Achaïc.*) filii numerantur decem; *Medon*, *Nileüs*, (*Straboni* & *Herodoto Neleüs*, veriùs opinor, propter *Nelei* memoriam *Pylii*, unde *Codrus* oriundus,) Codri pietas in patriam.

A.M. 2939. dus,) *Androclus*, *Damaſichthon*, *Promethus*, *Damaſus*, *Andræmon*, *Naoclus*, *Cleopus*, *Cyaretus* : poſtremi etiam tres pro nothis habentur. At poſt *Codrum* nemo ex his regnavit *Athenis* : quod memoriæ ejus tributum eſt ; (ait *Juſtinus* lib. 2.) vel potiùs libertati ſuæ datum à civibus. Ἄρχοντες ſive Principes inſtituti, regum inſtar perpetui ; ſed qui adminiſtratæ reip. populo rationem redderent. Sed & hic principatus capax ambitionis fuit. *Medontis* enim, natu maximi ex liberis *Codri*, verùm altero pede claudicantis, imperium *Neleüs* ætate proximus ferre poſſe negavit ſe. Cognitio rei *Pythiæ* permiſſa vati, quæ *Medonti* regnum detulit. Hinc fratrum litigio, & conſiliis populi de mutando regimine, interregnum videtur unius anni datum. Relictis ergò *Athenis*, *Neleüs*, cum reliquis fratribus atque ſociis, *Ionum* præcipuè qui *Athenas* ex *Peloponneſo* profugerant colonias deduxit in *Aſiam*. *Iſaacus Tzetzes* (in *Lycophr.*) hoc ait oraculum fratribus *Delphis* datum, regno eum præfuturum, qui ſacra feciſſet primus ubi ſaliva ſalivam conterebat. *Medonta* verò oleas conſpicatum duas vento agitatas, mutuóque ſe atterentes, cùm eodem in loco ſacrificâſſet, *Atticæ* principatum accepiſſe. Viginti annos imperavit, habuítque ſucceſſores pari autoritate *Medontidas* duodecim ; qui cùm nihil omnino præclarè geſſerunt memoriâve dignum, nomina quæ ſuperſunt, annorúmque numeros, unà hîc præſtat collocare. *Acaſtus* ergò *Medontis* filius annis præfuit 36 ; eo genitus *Archippus*, vel *Arxippus*, annis 19 ; (*Jo. Tzetzes* ei 35 tribuit ;) *Therſippus* 41 ; *Phorbas* 31 ; *Megacles* 30 ; *Diognetus* 28 ; *Pherecles* 19 ; *Ariphron* 20 ; *Theſpieüs* 27, vel, ut alii, 40 ; *Agameſtor*, 20, vel 40, ut alii tradunt ; *Æſchylus* 23 : *Alcmæon* denique 2 regnavit.

Ejus liberi in partem Minoris *Aſiæ* tranſmigrant, quam deinde *Ioniam* vocant:

§ 21. Ac præcipui quidem maximâque multitudine ſecuti ſunt *Codri* liberos *Iones Peloponneſii*. Admiſcuerunt & *Thebani* ſe, *Philotâ* duce, *Peneleï* nepote ; & ex *Orchomeniis Minyæ*, ob *Codri* liberûm cognationem ; *Phocenſes* præterea & *Abantes* ex *Eubœa*. (*Pauſ. Achaïc.*) Addit *Herodotus* (lib. 1.) *Dryopas*, *Moloſſos*, *Arcadas*, *Pelaſgos*, *Dores*, *Epidaurios*. Hi cùm in Minorem *Aſiam* appuliſſent, alia quidem alii occupârunt loca, donec urbes vel novas condidiſſent, vel cepiſſent armis jampridem conditas duodecim, quot amiſerant in *Peloponneſo*. Omnem igitur maritimam illam oram inter *Æolidem* à Septentrione ſitam, & à Meridie *Cariam*, appellârunt, à maxima novorum colonorum parte, *Ioniam*. Urbium verò hæc ſunt nomina : *Miletus*, *Priene*, *Myus*, in *Caria* ; *Epheſus*, *Colophon*, *Lebedus*, *Teos*, *Clazomenæ*, *Phocæa*, *Lydiæ* civitates, quæ poſtmodum à tribus quas dixi prioribus *Cariæ* diſpari linguâ utebantur, utrinque, puto, à ſociis *Caribus* atque *Lydis* ex parte corruptâ. Decima *Erythræ*, de quibus A. M. 2745. Reliquæ in *Samo Chio*que inſulis urbes duæ. *Chii* cum *Erythræis* communem linguam, *Samii* propriam habebant. *Pherecydes* apud *Strabonem*, (l. 14.) *Epheſum* quoque & montem *Mycalen* tenuiſſe *Caras*, autor eſt, reliqua *Leleges* ; utroſque, ſuis ſedibus ejectos ab *Ionibus*, in *Cariam* demigrâſſe. *Miletum Cariæ* invaſit *Neleüs*, de qua A. M. 2715. ubi mares cùm interfeciſſet omnes, niſi qui fugâ maturè declinârant periculum, fœminas pro uxoribus habuêre. Cœlibes enim advenerunt. Propter hanc cædem conjugum ſuorum, coactúmque ab hoſtibus matrimonium, tradit *Herodotus*, *Caricas* mulieres conjurâſſe in hanc legem, quam & filiabus tradiderunt ſuis, neque cibum ſe cum maritis unquam ſumpturas, neque propriis eos nominibus compellaturas. Ab *Androclo Epheſus* capta, *Codri* etiam filio legitimo, qui *Lelegas* & *Lydos* partem urbis ſuperiorem incolentes expulit. Cum ſupplicibus qui in templi area habitabant (inter quos & *Amazonici* nominis fœminas memorat *Pauſanias*) ictum fœdus. Ab *Epheſo*, fluminis *Cäyſtri* filio, (ut ferebant,) ea nomen ſuum urbs tulit, qui cum *Creſo* quodam indigena templum quoque *Dianæ* (primum, opinor,) condidit ; quod multi *Amazonibus* tribuunt opus, quæ an fuerint nécne, ambiguum videtur. Itaque *Pindarus* eo nomine jure quidem à *Pauſania* reprehenditur. *Pherecydes Androclum* ſtatuit hujus coloniæ ducem. Itaque regiam *Ionum Epheſi* collocatam, & qui ex ea erant progenie, poſt amiſſam poteſtatem, reges tamen appellatos, ac retinuiſſe primum locum in ſpectaculis, & purpuram inſigne regii generis, & ſceptri loco ſcipionem, & ſacra denique *Cereris Eleuſiniæ*. *Neleüs* autem *Pylius* dicitur, non aut *Codri* filius, aut coloniæ dux. Sed ea tamen proſequamur nos quæ *Pauſanias* narrat. Nam & *Plinio* (5. 29.) *Miletus Ioniæ* caput dicitur, non *Epheſus*. *Cyaretus Myuntem* obtinuit ; permiſtíque *Thebanis Iones*, *Philotam* & *Ægyptum* ſecuti *Neleï* filium, (*Æpytum Strabo* vocat,) *Prienen*. Repugnaviſſe *Cares* videntur ; ſed *Ionibus* ferente auxilium *Androclo*, ipſe quidem in prælio cecidit, *Græci* tamen victoriâ potiti ſunt.

Colo-

Colophonem adeuntes, *Prometho* & *Damaſichthone* ducibus, in civitatem *Iones* recepti ſunt æquabili jure. At *Promethus* fratrem cùm *Damaſichthonem* occidiſſet, in *Naxum* inſulam profugiens occubuit. *Andræmonem Pylium* hanc cepiſſe urbem ex *Mimnermo* probat *Strabo*, (l. 14.) *Lebedo Caras* exegit *Codri* filius *Andræmon*, & agro potit us eſt cùm fertiliſſimo, tum aquarum calidarum ubertate ſaluberrimarum nobili. *Teon Orchomenii* tenuerunt *Minyæ*, ſed à *Caribus* admiſſi, *Athamantem* ſecuti ducem, *Athamantis Æolidæ* nepotem, ut habet *Pauſanias*. At hoc minùs credibile videtur, *Athamantem* hunc ab *Æolo* quartum tenuiſſe gradum, quandoquidem geniti ex *Codro* liberi in decimo conſtituuntur, *Apœcus* autem & *Ægyptus* undecimo, *Melanthi* nepotes, omnes à *Cretheo Athamantis* fratre oriundi. Eódem poſtea *Ionas* deduxit nepos ille *Melanthi Apœcus*; ſed in *Caras* & *Orchomenios* gravius nihil ſtatuit. Eódem poſt annos aliquot acceſſerunt *Athenis* & ex *Bœotia* plures coloni: *Damaſus Codri* & *Naoclus* illis, his verò *Geres Bœotius* præfuit. Utroſque *Apœcus* & *Teii* in domicilii ſocietatem acceperunt. *Erythræi* quoque *Ionibus*, quos *Cleopus* adduxit, ſua communicârunt omnia. *Clazomenæ* ac *Phocæa* urbes ab *Ionibus* non incrementum, ſed exordium ceperunt: quorum pars, *Cleonæis* & *Phliaſiis* permiſta ultro exſulantibus, poſt diutinos errores, accepto à *Colophoniis Parphoro* duce, (*Paralus*, opinor, *Straboni* dicitur,) oppidum ad montem *Idam* poſuit. At eo poſtea relicto, in *Ioniam* reverſi, *Scyppium* in *Colophoniorum* finibus condiderunt. Mox & indè migrantes, *Clazomenas* in eadem quâ *Teos* & *Erythræ* peninſula conſtruxêre. *Phocenſes*, *Philogenem* & *Damonem Athenienſes* conſecuti duces, concedentibus *Cumæis* agrum, *Phocæam* ædificârunt. Sed cùm in concilii publici communionem (quod *Panionium* dicebatur) ab *Ionibus* non admitterentur, niſi è *Codri* ſibi genere creâſſent reges, ab *Erythris* & *Teo Oeten*, *Periclum*, & *Abartum* accerſiêrunt. *Samus* etiam & *Chius* inſulæ in *Ionum* ſe remp. inſeruerunt. In *Samum Ionas* & *Epidaurios* duxerat *Procles Epidaurius*, à *Deïphonte* & *Argivis* ejectus. Nam & illi ab *Ione* deductum erat genus. Sed eo mortuo, filius mox *Leogorus* imperavit; cui *Androclo* duce bellum intulerunt *Epheſii*, victúmque prælio inſulâ expulerunt. Crimini datum, quòd conſilia cum hoſtibus contra *Ionas* agitarent. Profugorum è *Samo* pars in oppoſitam *Thraciæ* inſulam trajecêre, quam antea *Dardaniam*, jam verò *Samothracen* nuncupârunt. At qui regem *Leogorum* ſecuti ſunt, in terra ex adverſo Continente ad urbem *Anæam* caſtellum præmuniêrunt; unde *Samum Ionicam* adorti decimo pòſt anno, expulerunt *Epheſios*, & inſulâ potiti ſunt. *Junonem Samii* ex omnibus diis præcipuè colebant, conſecrabántque inſulam ei ut apud ſe natæ, educatæ, nuptæque *Jovi*. Antiquiſſimùm illic ejus templum, & ſimulacrum habitu nubentis: ſacra etiam anniverſaria nuptiarum ritu celebrata. In *Chio* inſula, quæ & ipſa *Ionicæ* rei particeps fuit, poſt *Oenopionem* & filios, *Amphiclum* tradit *Ion* Poëta, advenam ab *Heſtiæa Euboïca*, ex *Apollinis Delphici* oraculo tenuiſſe regnum. Ejus abnepotem *Hectorem* cum *Caribus* & *Abantibus*, ejus inſulæ inquilinis, iniviſſe bellum, juſtóque devictos prælio, ex inſula omnes fugaviſſe. Compoſitis demum rebus, in memoriam revocâſſe, commune ſacrum fieri à ſe oportere cum univerſo *Ionum* conventu. Cauſam *Ion* minimè tradit. Sed ab eo conventu tripodem ferunt ut præmium ei virtutis delatum fuiſſe. Hîc deficere *Pauſanias* videtur. Quare *Chium* ab *Egertio* promiſcuam adducente multitudinem, *Samum* à *Tymbrione*, poſtmodum à *Patrocle*, (*Proclem*, puto, *Epidaurium* vult,) *Ionum* reip. adjunctas narrat alicunde *Strabo*.

A.M. 2939.

Ionum regio aëris fruebatur clementiâ ſaluberrimâ, neque terrâ colonis ingratâ. Templorum præcipuè magnificentiâ gloriabatur. Magnitudine præſtabat & opulentiâ *Dianæ* apud *Epheſios*, jam ante *Ionum* adventum celebre. Proxima erant *Apollinis* duo; alterum apud *Branchidas Didymæi*, *Clari* alterum in *Colophoniorum* finibus *Apollinis Clarii*; utrumque oraculo celebratum. Prædicabantur & *Samiæ Junonis*, & *Minervæ* apud *Phocæos*, aliáque multa. Quod erat in *Branchidis*, ideo *Didyma* vocabatur, quòd eſſet geminis dedicatum diis, *Jovi Apollini*que; nec minùs *Jupiter Didymæus* quàm *Apollo* dictus eſt. (*Cæl. Rhodig.* 4. 23.) At *Macrobius* (*Saturn.* 1. 17.) *Didymæum Apollinem* ideò vocari vult, *quòd geminam ſpeciem ſui luminis præfert, ipſe illuminando, formandóque Lunam. Etenim ex uno fonte lucis, gemino ſidere, ſpatia diei ac noctis illuſtrant. Unde & Romani Solem, ſub nomine & ſpecie Jani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.* Sed viderint Grammatici, ne à monte *Dido*, cujus *Branchidæ* ſive *Didyma* pars apud *Ptolemæum*, nomen, non à gemina

quæ deſcribitur.

ſpecie,

A.M. 2939. ſpecie, *Didymæus Apollo* ſumpſerit. Jam verò *Clari*, *Tacitus* (l. 2. Annal.) & alii docent, non fœminam, ut apud *Delphos*, ſed certis è familiis, & ferme *Mileto* accitum, ſacerdotem vaticinari. Is numerum modò conſultantium & nomina audit; tum in ſpecum digreſſus, hauſtâ fontis aquâ, ignarus plerumque literarum & carminum, edit reſponſa, verſibus compoſitis ſuper rebus quas quis mente conceperit. *Ejus lacunæ potu mira oracula* (inquit alicubi *Plinius*) *reddita ſunt, breviore tamen vitâ bibentium.*

Montes præcipui *Latinus*; nec indè procul in ſpelunca *Endymionis* ſepulchrum fuit. Deinde *Pactyes*, agri *Epheſii*, & *Galleſius*. Poſt *Colophonem Coracius*. *Corycus* etiam ſublimis, ubi *Corycæi* latrones, qui ſubauſcultantes in portubus qui ſuberant quæ merces veherentur, & quò tenderent, navigantibus inſidiari ſolebant. *Mimas* 250 mill. paſſ. excurrens, & ſylvis obſitus, feríſque ſylveſtribus. *Mycale* poſtremò, cujus quaſi pes *Trogylium* promontorium. In *Mycale* regio ſacra, quam *Iones* communiter colebant, *Panionium* dicebatur: tribus à mari ſtadiis remotus erat locus, conventui publico *Ionum* deſtinatus, & *Neptuni* ſacris *Heliconii*, quibus *Prienenſes* præerant. Amnes, *Mæander*, qui plurimis affuſus oppidis, & repletus fluminibus crebris, ità ſinuoſus flexibus, ut ſæpe credatur reverti, poſt longos errores, *Cariam* placidus *Ioniόſque* agros fertiliſſimo rigans limo, ad decimum à *Miletò* ſtadium lenis illabitur mari. *Cäyſter Epheſum* alluit, *Smyrnam Meles*, *Hales Colophonem*, *Hermus Phocæam*. Ejuſdem regionis *Cenchrius*, *Geſſus*, & alii. *Miletus* & *Epheſus* urbium principes. *Miletus Lelegeïs*, ante *Mileti* ſive *Mileſiorum* adventum ex *Creta*, & *Pityuſa*, & *Anactoria* nominata, *ſuper octoginta urbium per cuncta maria genitrix.* (*Plin.* 5. 29.) Aliam à vetere *Sarpedonis* maritimâque *Miletum* condidiſſe *Neleüm Ephorus* tradebat; cujus erant portus quatuor, & ex his unus claſſium capax. Patriam hanc illuſtrabant *Thales*, Phyſicus idem & Mathematicus, non inſignis modò, ſed & primus *Græcorum*; ejúſque diſcipulus *Anaximander*, etiam Geographus; & *Anaximandri Anaximenes*; necnon Hiſtoriographus Geographúſque *Hecatæus*, qui ſolutâ oratione conſcripſit Hiſtoriam primus. *Epheſus* navalia & portum habuit, templúmque *Dianæ*, quod memoravimus, magnificentiſſimum cum aſylo, & emporium *Aſiæ* celeberrimum. *Heracliti* patria *Scotini*, & *Hermodori*, qui propter excellentiam virtutis urbe pulſus eſt, cùm cives dicerent, *Nemo de nobis unus excellat*; *ſed ſiquis exſtiterit*, *alio in loco & apud alios ſit.* Quod ob crimen *Epheſios* omnes *Heraclitus* cruce dignos judicavit. *Parrhaſius* quoque hinc & *Apelles*, egregii pictores, apud *Strabonem*, (l. 14.) At ille celeberrimus *Apelles Coüs* habetur, non *Epheſius*.

Si nunquam Venerem Coüs pinxiſſet Apelles.

Equitatu bellico ità præſtabant reliquis *Colophonii*, ut in Marte ambiguo, quibus illi acceſſerant, hi facilè ſuperarent, finémque bello imponerent. Unde proverbium, *Colophonem addere*, fine rem ſtabili abſolvere. *Anacreon* Poëta *Teïus*, *Sibylla* vates *Erythræa*, *Clazomenius Anaxagoras*, *Prieneüs Bias*. *Myus* videtur in loco minimè ſalubri conſtituta. Nam in *Thymbria*, pago quatuor indè ſtadiis remoto, *Charonium* erat ſpelunca, quæ peſtilentibus exhalationibus ſupervolantes enecabat aves. Ipſa tandem urbs deſolata eſt, fugatis *Miletum* civibus à culicum magna vi, (hoſte imbelli,) quæ ex palude propinqua in limoſo *Mæandri* oſtio cöorta repentè, lue non ferendâ omnem viciniam infeſtabat.

Hâc tempeſtate & *Tyria* claſſis, plurimùm pollens mari, in ultimo *Hiſpaniæ* tractu, inſuláque Oceano circumfuſâ, perexiguo à Continenti diviſâ freto, *Gades* condidit; poſt paucos annos, *Uticam* in *Africa*. (*Paterc.* 1.) *Cumæ* quoque *Italicæ* ab *Hippocle Cumæo* & *Megaſthene Chalcidenſi* conſtructæ ſunt. Hujus claſſis curſum eſſe directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris ſono, qualis *Cerealibus* ſacris cieri ſolet. (*Paterc.* 1.)

§ 22. Pauciſſima ſunt quæ deinceps, per annos ferè trecentos, de profanarum gentium rebus in Scriptis Veterum memorantur, præter nuda regum aliquorum nomina, *Aſſyriorum*, *Ægyptiorum*, *Lacedæmoniorum*, *Corinthiorum*, *Latinorum*, *Athenienſium*, & *Tyriorum* quorundam. De rebus Eccleſiaſticis *Hebraïcæ* gentis, nunquam vel plura ſunt tradita, vel magìs illuſtria. De *Homero* tantùm & *Heſiodo*, de *Lycurgo*, & *Sardanapalo*, (*Aſſyriorum* rege ultimo,) *Medorúmque* ac *Babyloniorum* regno novo, de *Carthagine*, de uno & altero *Latinorum* regulis, & regni *Macedonici* ſub

ipſas

ipſas *Olympiadas* initio, pauca hîc illic ſparſa apud varios Autores repêrientur. De his igitur ſolis aliqua ſuis in locis dicenda, & ſacris profana miſcenda ſunt.

A. M. 2939. 2940.

Saulo impiè holocauſtum offerenti *Samuel* graviter ſuccenſet.

§ 23. Duos jam annos regnaverat *Saulus* (1 *Sam.* 13. 1.) ex quo primùm inunctus eſt, quanquam non niſi unicum ex quo renovatum eſt illi regnum, (1 *Sam.* 11. 14.) paravérâtque ſibi ter mille militum præſidia, quos ex exercitu univerſo *Gilgale* coacto elegerat. Mille tradidit *Jonathani* filio, quibus contra præſidium *Palæſtinorum* in propinquo monte *Gibeam Benjaminiticam* tueretur. Etſi enim urbes à *Palæſtinis* captas receperat *Samuel*; propugnacula tamen aliqua, vel tenebânt hoſtes vetera, vel muniebant ſibi nova. *Michmaſhi* verò *Saulus* & in monte *Bethelico* millia militum duo retinuerat apud ſe. Ac præſidium illud *Palæſtinorum Gibeæ* propinquum *Jonathan*, tempus opportunum nactus, invaſit, expugnavit, cecîdit. Tubâ protinus per omnes regni ſui partes moneri voluit populum rex, ut ſibi caverent ab hoſtibus, útque publica de re conſulturi *Gilgalem* convenirent. *Palæſtini* enim, ut primùm acceperunt præſidium ſibi deletum *Gibeæ*, ad arma conclamârunt, & *Michmaſhi* maximis copiis caſtra metati ſunt. Triginta enim curruum falcatorum millia, equitum coëgerant ſex, peditum verò multitudinem penè infinitam. *Iſraëlitæ* quidem aderant multi *Gilgale*: At maxima pars, cùm vires hoſtium immenſas, majúſque ipſis viribus odium in ſe, ob deletum *Gibeæ* præſidium, cognoſcerent, de fuga magìs cogitabant quàm de pugna. In ſpeluncis aliqui ſe ac in ciſternis atque ſpinetis abſcondere; in turribus alii atque rupibus & locis inacceſſis, quantum poterant, tueri; *Jordanem* tranſire nonnulli, hoſtes eò rati non ſecuturos. Qui *Saulum* ſecuti *Gilgale Samuelem* diebus exſpectaverant ſex, dilabi cœpêre tandem. Septimo igitur ipſe rex, ut conciliaret ſibi Deum, antequam diſpergeretur populus, (populi enim viribus nitebatur magìs quàm Dei,) holocauſtum obtulit; & pacificas fortaſſe victimas immolaturus erat, cùm de adventu *Samuelis* nunciatur. *Samueli* ergò honoris causâ, obviàm prodit ipſe rex. At, honore neglecto, Propheta, “*Quid hoc*, inquit, *eſt quod* “*à te factum* audio? Túne holocauſtum obtuliſti, non moratus tibi à me tempus con-“ſtitutum? ‘Obtuliſſe me quidem fateor, ait *Saulus*, at urgente me neceſſitate ſum-“mâ. *Videbam* hoſtes *adeſſe*, *nondum* verò *te tempore conſtituto*. Summum minita-“batur mora periculum. Fugâ milites clancularià *dilabebantur*. *Invaſuri* hoſtes “videbantur, *ſacris nondum peractis Deo*. *Cohibui* quantum potui *me*. Tandem “verò, ad conſervandam publicam rem, privatæ & properatæ pietatis diſcrimen adii. Ità quidem *Saulus*, cùm peccâſſet graviter violando mandatum Dei, (à Deo enim *Samuel* hebdomadæ moram edixerat,) id tamen agit, excuſationis velum crimini obtendens, ut vir bonus eſſe videatur, imò & pius. At *Samuel* autoritate propheticâ larvam ei detrahit, increpâtque ſeveriùs: “Quid mihi pietatis diſcrimen narras? “Impietatis crimen diceres, atque *vecordiam*. *Obſequi præceptis Dei* pietas & pru-“dentia eſt. Ea tu ſi *obſervâſſes*, utcunque fugiſſent milites, oppugnâſſent hoſtes, “interminata fuiſſet mora periculum, imò exitium, ſalvum tamen te publicámque “tuam rem præſtitiſſet cui obſecutus eras Deus. *Jam verò*, cùm tuis conſiliis fretus “ſis magìs quàm auxiliis Dei, eámque ob cauſam neglectum à te ſit *Jehovæ præcep-*“*tum*, *regnum* quo frueris, quódque in tua *perpetuum* familia *ſtabilivijſet Deus* ob-“ſequenti, à tuis jam poſteris auferetur. tradetúrque *viro*, qui totum ſe *ad ejus nutum* “finget *arbitriúmque*. Ità comminatus *Gibeam Benjaminiticam* contulit Propheta ſe, ut in locum fortaſſe regionis totius munitiſſimum, ubi & patriæ causâ indigno regi conſiliis adeſſet. Eò enim *Saulus* quoque ſecutus eſt, poſtquam recenſuiſſet milites, quos è tanto populo reliquos habebat ferme ſexcentos. *Palæſtini*, cùm nulli prodirent hoſtes quibuſcum acie confligerent, tres militum emisêre turmas, quæ omnem *Judæam* longè latéque depopularentur, prædas agerent, captivos abducerent, devaſtarent omnia. Fruſtrà enim ſexcenti prodiviſſent, iique inermes penè, contra tot militum optimè inſtructorum armis millia. Nam ut ſolent ſubditos tyranni, ſic *Palæſtini* prohibebant armis *Iſraëlitas* ferreis æneíſque. Non enſes illis, non clypei, non haſtæ fuerunt, præterquam *Saulo* ſolis & *Jonathani*. Quippe fabros omnes ferrarios abſtulerant armorum artifices, ut neceſſe fuerit inſtrumenta etiam ruſtica apud *Palæſtinos* acuere; quanquam ipſis ad opus hoc, excluſis jam *Palæſtinâ Iſraëlitis*, limæ non deerant. (1 *Sam.* 13. 19, &c.) Si quando erat uſus in pugna, arcubus, puto, & ſagittis, fuſtibus atque fundis præliabantur. Interea bellicoſus ille filius regis *Jonathan* hoſtium aliud propugnaculum audaciâ incredibili adortus eſt, non populo id ſciente, non patre conſcio conſultóve. Deum enim autorem fautorémque forti-

Palæſtinis Judæam devaſtantibus,

ter

A.M. 2940.

ter & intrepidè ſecutus eſt. In extrema ſe *Gibea Saulus* continebat ſub malo granato cum ſua militum exigua manu. Ibi trepidè ſpectabat incurſiones hoſtium, & ſuorum exſpectabat cædes cladéſque. Aderat illi cum Arca Dei (1 *Sam.* 14. 18.) ſummus eâ tempeſtate ſacerdos *Abia*, ſive *Abimelechus*, (1 *Sam.* 22. 20.) *Abitubi* filius, & ſacerdotis *Heli* pronepos. In tranſitu verò ad præſidium *Palæſtinorum* rupes eminebant duæ; hinc *Bozez*, indè verò *Sene*. Altera *Michmaſhum* ab Aquilone ſpectabat, altera *Gibeam* à Meridie. *Jonathan*, nè ſolus tantum facinus aggrederetur, armigerum ſuum rogavit, efficacibúſque verbis cohortatus eſt, ut comitem daret ſe ad dejiciendos eo propugnaculo *Palæſtinos*, quod caſtra medium dirimebat. " Nec enim dubitare ſe quin daturus victoriam eſſet Deus, *paucis an pluribus* nihil intererat, contra " homines profanos, & à ſuo alienos fœdere. Tanto duce dignus armiger ſumma cum alacritate reſpondit, duceret quócunque vellet, ſecuturum ſe. "*Eamus* ergò, ait "*Jonathan*, *demúſque nos* præſidiariis militibus *conſpiciendos. Quòd ſi manere* ac " opperiri ſe *juſſerint*, *donec ad nos deſcenderint*; *permanebimus*, & exſpectabimus "deſcenſuros. *Sin vocaverint ad ſe ut aſcendamus*; *aſcendamus* intrepidè. *Eo enim* "*ſigno* & omine *victoriam nobis Deus* pollicetur. Atque hæc *Jonathan* (quod eventu patuit) dictante ſibi Spiritu Dei conjiciebat. Cùm ergò veniſſent in conſpectum, obtuliſséntque ſe, præſidiarii primò irridere *Judæos* è latibulis ſuis prorepentes atque propulſos fame. Mox & numero ſuo, & munito naturâ loco ſecuri, altâ voce acclamabant, mandabántque ad ſe ut accederent; habere ſe pollicentes quod indicarent. Lætum id *Jonathani* omen accidit. Itaque certi de victoria, movente Deo, manibus pedibúſque in arduum clivum, ídque alio fortaſſe in loco quàm quo vocaverant præſidiarii, nitebantur. Cúmque multo labore ſuperâſſent, non exſpectati hoſpites magno impetu feruntur in hoſtes. *Jonathan* quaſi demetebat ſternebátque humi; ſtratos jugulabat armiger. Tantâ enim tam paucorum audaciâ & virtute perterriti, aliqui timidè quidem repugnabant, fugiebant reliqui. Dimidio ferè jugeri ceciderunt viginti. Qui evaſerant in caſtra, hoſtiliter à ſuis excepti, pavore omnia & tumultibus impleverunt: quaſi hoſtes adfuiſſent, ſua in ſe ſtringebant arma. Neque caſtra modò ingens pervaſit tremor immiſſus à Deo, ſed propinqua etiam præſidia & prædatorum agmina corripuit; ipſáque terra quaſi metu concuſſa tremere trementibus videbatur. Speculatores tandem, quos *Gibeæ* collocaverat *Saulus*, animadvertere tumultum in caſtris, militéſque cædentes atterentéſque ſe. Quod ubi nunciatum eſt regi, ab aliquo ſuorum militum oppugnari *Palæſtinos* ratus, recenſeri juſſit exercitum. *Jonathanem* armigerúmque tantùm abfuiſſe compertum eſt. *Abiam* ergò Pontificem rex admovere Arcam properè monuit, ut per Urim & Thummim conſulerent Deum. Interim clamores atque tumultus in caſtris *Palæſtinorum* increbreſcere, acerriméque inter ſe confligebant. Propterea ſacerdotis operâ & conſilio Dei ſuperſedendum putavit *Saulus*; ad arma properandum. Prodire jubet exercitum. Cúmque in hoſtes eum duxiſſet, illi cædibus mutuis conficiebant ſe, eóque facilem dederunt *Iſraëlitis* victoriam. *Saulo* igitur cum ſuis irruente, hoſtes in fugam ſe præcipitem conjiciunt. Opem quoque *Saulo* contra fugientes ferunt *Iſraëlitarum* ſive transfugæ, qui hoſtibus militabant, ſive captivi, qui *Palæſtinis* jampridem aderant ex omni parte; vel, ut alii exponunt, qui à *Palæſtinis* coacti portabant ſervabántque impedimenta in circuitu caſtrorum. Aliqui putant hos *Hebræos Palæſtinorum* inquilinos fuiſſe, qui ſuis jam popularibus contra *Palæſtinos* auxiliabantur. Prodibant etiam ex latebris in monte *Ephraïmitico* qui abſconderant ſe, fugatóſque hoſtes perſecuti ſunt. *Saulus* autem ardore tanto profligatis inſtabat, ut diris eum damnaverit, quicunque vel cibum ante veſperam deguſtaret, retardarétque de crudeliſſimis hoſtibus ultionem. Edictum ſanè temerarium, & ipſis *Iſraëlitis* quàm hoſtibus multò magìs damnoſum. Temere factum eſt, quòd inconſulto Deóque populóque factum, eâque ſeveritate, ut nè famelicis quicquam indulſerit. Nec temeritate arrogantia in eo minor crudelitáſque ſe prodidit. Arrogantia, quâ victoriæ laudem non clementiæ Dei tribuere, ſed in ſuorum conſiliorum prudentiam transferre voluit. Quaſi verò Deus qui dederat, non & pranſis perficere quantum libuit potuiſſet. Crudelitas verò patuit, quòd ſanguinem ſitierit præter modum, ſtudióque ultionis eò provectus ſit, ut nè ſuis parceret, modò ſæviret in hoſtes. Imperator bonus mavult unum ſervare civem, quàm mille hoſtes perdere. *Saulus* autem longè prætulit hoſtium cædem ſaluti ſuorum; faméque hos maluit interire, quàm illos evadere. Neque tamen quod voluit conſecutus eſt; ſed temeritate ſui edicti ultionem atque cædem,

quam

Unus *Jonathan* innumeros ſuſtinet, ſternitque.

Saulus cum ſuis ſuperveniens, jam devictos perſequitur.

Edictum *Sauli* temerarium multipliciter damnoſum.

A. M. 2949.

quam tantopere expetebat, impedivit, ſuæque obſtitit libidini. Nam inediâ ſuis ademit vires ad perſequendum, eóque faciliorem hoſtibus elabendi opportunitatem dedit. Quid, quòd longiore jejunio populus ad intemperantiam quandam, & violandum præceptum Dei de abſtinendo à ſanguine, adactus eſt? Unus *Jonathan* videtur ſeriùs adveniſſe in caſtra, nec audiviſſe patris edictum de jejunio. Cùm ergò in ſylva quadam fortè mellis inveniſſet manantes humi favos, abſtinentibus aliis, extremâ virgulâ tactum ſæpius deguſtavit mel, eóque mirificè recreatus eſt. Is enim laſſitudine ac fame reliquis majore laborabat, tantâ jam antea cæde perfunctus in hoſtium propugnaculo. Monentibus autem qui aderant militibus de patris edicto, temeritatem ejus magnopere condemnavit. Sic enim arguit: "Cùm cibo *tantillo* refici "tantopere ſentiret ſe; *quantò erat major* hoſtium *futura cædes*, *ſi populus* univerſus "*iis quæ* in caſtris *inventa ſunt ſpoliis* depuliſſet famem, viréſque debilitatas revocâſſet? A *Michmaſho Palæſtinos* fugientes uſque ad *Ajalonem* perſecuti ſunt *Iſraëlitæ*; quo labore populus jejunus magnopere defatigatus eſt. Tum demum ad prædam divertit, ovéſque & boves cum vitulis tantâ aviditate ac intemperantia devoravit, ut nè ſanguini profundendo moram fecerit. Id cùm audiret *Saulus*, quaſi de Lege Dei valde ſolicitus, magnum ad ſe devolvi ſaxum imperavit, in quo pecora omnia mactarentur, præſentéque ſe profunderetur ſanguis. Eò igitur populus afferre prædam ſuam juſſus eſt. Eodem in loco altare primùm à *Saulo* conſtructum, ex eo fortaſſe quem diximus ingenti lapide, actæque ſunt per victimas gratiæ Deo. At nondum ſatìs vindictæ ſuæ litaverat *Saulus*. Quare per noctem ulteriùs perſequi *Palæſtinos* libuit, ut deleret funditus, ſpoliiſque opimis oneraret ſe. Et populum ſatìs obſequentem habuit, non ità propitium Deum. Conſultus enim ea de re, monente regem Pontifice, ſiluit prorſus: quod certum erat indicium offenſi Numinis; quo, cujúſve offenſi delicto, minimè conſtabat. Peccaverat quidem populus comedendo ſanguinem; voti perquam incommodi temeritate peccaverat ipſe rex, quâ in eam fraudem populum induxerat. At ille de ſui tantùm edicti violatione cogitabat. De ea quæſtionem per ſortes inſtitui vult, de Lege Dei parùm ſolicitus; ac juratus vehementer comminatur, quicunque reus deprehendatur moriturum, imò vel ſuum, hac in re ſi peccaverit, *Jonathanem*. Precatus ergò Deum ut ſortibus dirigendis præeſſet, populum ex una parte, ſe filiúmque ſuum ex altera collocavit. Jactæ ſortes in *Saulum* & filium inciderunt. Inter *Saulum* deinde ac filium ubi jactæ ſunt, captus eſt *Jonathan*. Urgente ut fateretur quid feciſſet patre, "Nil conſcire ſibi ſe, reſpondit *Jonathan*, ni- "ſi fortè *virgulâ extremâ deguſtando mellis* favum peccaverit. Id autem dignúmne "*pœnâ capitali* crimen eſt? *Saulus*, etſi *Jonathanis* causâ non potuit non ipſis viſceribus intimíſque medullis affligi, ac temeritatem edicti ſui tum perſpicere, tum luere, (quod volebat fortaſſe Deus,) tamen pari temeritate plenis buccis iterum exſecratur ſe, niſi capite plectatur *Jonathan*. Populus qui aderat, cùm audiret regem ità furiosè debacchantem in virum de repub. tam egregiè meritum, plenioribus buccis vociferanti reclamat, &, "*An Jonathan morietur*, inquiunt, *qui* à patria perniciem "depulit, qui remp. aſſeruit, quem tantæ nobis victoriæ, *ſalutis*, lætitiæ Deus au- "torem eſſe voluit? *Morietur Jonathan*? Hæc ei reponetur tantorum meritorum "gratia, hæc operæ tam *ſalutaris* merces, *mors?* Morietur ille, cujus unius virtu- "te nos vivimus? Procul abſit hoc ſcelus. *Jehovam* teſtamur, *neminem ei vel unum* "*capitis pilum* invito *detracturum*. Ità meritò fremente indignantéque populo, multitudinis autoritati conceſſit *Jonathanem* rex. Qui populum conſervârat liberaverátque, à populo ipſe liberatur conſervatúrque. Patriæ vindex, à patris vindicatur ſævitia. Verùm Deo non reſpondente, bellum hoc non proſequendum ſibi ulteriùs putaverunt. Et per hanc moram, in propugnacula ſua munitionéſque *Palæſtini* evaſerant. Domum ergò *Saulus* unà cum ſuis reverſus eſt. Hi autem ſucceſſus proſperi magnam ei autoritatem conciliârunt, regnúmque ſtabiliverunt firmius. Populus enim regi proſperè agenti multò libentiùs paret, minùs in malum quàm infelicem contumax. *Abnerem* ergò militiæ ſibi ducem conſtituit, ex *Nere* patruo patruelem ſuum. Omnes autem quos robuſtos atque fortes expertus eſt, in hanc adſcivit atque conſcripſit militiam. Nec à *Palæſtinis* modò, quibuſcum illi perpetuum bellum fuit, ſuos vindicavit; ſed contra omnes undique hoſtes, *Moabitas*, *Ammonitas*, *Idumæos*, *Sobanos*, & *Amalecitas*, propugnavit *Hebræos*, & ubique fortiter gerebat ſe, atterebátque hoſtes populi Dei. Non dedignantur Literæ Sacræ debitis ſuíſque laudibus homines vel malos afficere.

A.M. 2941.

Contra *Amalecitas* bellum geritur internecinum.

§ 24. Alia quidem bella patraverat *Saulus* feliciter, de quibus tamen nihil particulatim traditur. Sed contra *Amalecitas* ut geſta ſit res, eò pleniùs narratur à *Samuele*, quòd in his & *Sauli* prodatur impietas, & abdicatio exponenda ſit. His ergò verbis *Jehovæ* compellare *Saulum Samuel* Propheta juſſus eſt: " Eum à Deo quidem aliis " præfectum eſſe *ut imperaret*; eâ tamen lege, ut ſubeſſet ſibi atque paréret. Mandare autem ſe, ut primus ille ſui populi rex, primos populi ſui hoſtes in deſerto " (*Exod.*17.8, &c. *Deut.*25.17,18.) *Amalecitas* armis invadat, damnatóſque jamdiu " ad internecionem *cædat univerſos*; *nulli parcat* ordini, nulli ſexui vel ætati; non " *pecudi*, non *jumentis*, non *aſinis camelíſve*, ſed & omnes & *omnia deleat funditus* " *ac diſperdat*. Recenti victoriâ de *Palæſtinis*, atque aliis fortaſſe vicinis gentibus, animoſior *Saulus*, facilè his obſecutus eſt mandatis Dei. Conſcripſit exercitum: ad urbem *Telaïm* in tribu *Judæ* (*Joſ.* 15.24.) luſtravit eundem; ubi ducenta millia peditum recenſuit, & ex *Judæis* præterea decem. Reliqui fortaſſe *Judæorum* tribûs ampliſſimæ, contra ſubitos *Palæſtinorum* finitimorum impetus, in cuſtodia remanebant domi. Ubi fines *Amalecitarum* attigit, *Ceneos*, qui in iis fixerant montibus tabernacula, peramicè monuit, ut ſe ad tempus indè ſubducerent, nè fortè communi exitio *Amalecitarum* corriperentur. Eos enim, *Iſraëlitas* olim in deſerto & conſiliis & re, quantum poterant, adjuviſſe; quos invaſerant *Amalecitæ*, nullâ injuriâ laceſſiti, & adhuc odio perſequebantur inextincto. Remotis indè *Ceneïs*, *Saulo* progredienti occurrebant hoſtes in valle; quibus fuſis fugatíſque, urbem quoque primariam, regémque vivum ceperunt. (*Num.*24.7.) In populum verò ſævitum eſt, cæſíque omnes ejus provinciæ, niſi qui fugâ evaſerant; vaſtatáque regio ab *Havila Arabica* uſque ad *Surem*, *Ægypto* vicinam ſolitudinem. At plurimos tamen ex hac gente ſtragi quam *Saulus* edidit ſuperfuiſſe, ex eo conſtat, quòd poſt annos aliquot maximâ multitudine *Ziclagum* diripuerunt. (1 *Sam.* 30. 1.) Regi quidem *Agago* nè moreretur indulſit rex, quòd ab eo fortaſſe magnum vitæ pretium exſpectaret. Et res viliſſimas cùm ferro flammâque ſuſtuliſſet populus, optima quæque ex gregibus & armentis aliíſque rebus perire noluit, prudentior viſus Deo. Nimiæ prodigalitatis putabat, pretioſas utiliſſimáſque ſibi futuras res ſpoliare flammis ac perdere. Sed res exſecratas, ferro & flammis, quibus devotæ ſunt, eripere ac prohibere, ſuis verò aſſervare commodis, *Achanis* hoc ſcelus eſt. (*Joſ.* 7.) At eo hoc gravius, quòd publicum & commune ſit, populi totius atque regis ſcelus. Noctu igitur monuit *Samuelem* Deus, *pœnitere ſe quòd Saulum præfeciſſet Iſraëlitis regem*; *quippe* hominem *pervicacem*, *& qui ſua non ſit exſecutus imperia*. Dictum hoc *Samueli* vehementer doluit, ſéque ſupplicem apud Deum totâ nocte deprecatorem *Sauli* causâ exhibuit. At exoravit nihil. Primo igitur manè prodiit ut occurreret *Saulo*, qui *Carmelum* advenerat *Judææ* urbem, (*Joſ.*15. 55.) deſignaverátque locum ſive ſacris faciendis, ſive reficiendis militibus. At indè mox, conſilio (ut credibile eſt) mutato, *Gilgalem* tranſiit cum exercitu prædâque universâ. Eò perſequentem *Samuelem* obvius rex blandè quidem compellat; " *Dilecte Deo* vir, ſalve. *Perfecta ſunt à me*, quæ tu mihi tradidiſti, *Jehovæ imperia*. " Perfecta verò à te? (inquit *Samuel*,) *Quid ergò ſibi volunt* hi *balatus ovium*, *& bo-* " *um quos audio mugitus?* Ipſum ulcus cùm tetigiſſet Propheta, duriore tamen fronte rex, facinus impium excuſaturus, imò laudaturus quodammodo, reſpondit; " *Oves* quas audiebat *Samuel bovéſque Amalecitarum* eſſe, quibus *pepercit populus ut* " *offerret victimas Jehovæ Samuelis Deo*. Quaſi verò quibuſvis hoſtiis, etiam vetitis, & exſecratis, litari Deo poſſit; aut de ſacrificiis populus unquam princépſve, ac non de præda potiùs commodíſque ſuis, cogitârit. Cùm ergò tantùm abeſſe regem à pœnitentia videret *Samuel*, ut probaret ornarétque verbis peccatum ſuum, Dei ſententiam pluribus, quàm ſuperiùs propoſita eſt, denunciavit. " *Attende*, inquit, ut " cognoſcas *quid* de te *mihi hâc nocte indicârit Deus*. Ait ſe ad altiſſimum digni- " tatis & amplitudinis faſtigium ex infimo te loco ſuſtuliſſe, *cùm tute de te ſentires* " *humillimè*. Ità meritum de te, *imperâſſe tibi*, ut ſuos populíque ſui hoſtes acerbiſſi- " mos teterrimóſque *bello internecino perſequereris*, nulli parceres rei hominíve. *Unde* " *igitur factum eſt ut tu*, *prædæ inhians*, *congerendis ſpoliis* operam dares potiùs, quàm " perficiendis *mandatis Dei?* & exitio devotas res ab exitio vindicâris? Dei verbis hæc denunciârat *Samuel*. At præfractus rex ipſis Dei verbis obnunciat. " *Imò verò* " *Dei ego mandatis*, inquit, *obtemperavi* omnibus. *Amalecitas cecîdi*; *regem* captivum *abduxi*; *pecorum ſpolia*, poſcente *populo*, aſſervavi, *Jehovæ Deo tuo immolanda* " *Gilgale*. At *Samuel*, hominis proterviâ irritatus, " *Quid?* (inquit) *Sacrificiúmne*

Rex *Saulus* regi malè miſericors

tam

"*tam Deo gratum eſt, quàm obſequium?* Imò verò, *parére præſtantius* multò *eſt* quovis *holocauſto*; *& obſecundare* præceptis Domini, *adipe arietum pinguiſſimo. Rebellio enim divinationi, & contumacia* in Deum *idololatriæ* peccatum *eſt par.* Cùm non minùs verè quàm ſeverè Propheta eum argueret, *Saulus* "*peccaviſſe* tandem *ſe* "fatetur, *quòd præceptis Dei* à *Samuele* ſibi traditis *non paruiſſet.* Quippe obſtantem "ſibi *populum timuiſſe, eorúmque ſe* libidini *obtemperâſſe. Obſecrare igitur ſe,* ut, "quantum in illo eſſet, hoc ſibi *peccatum*, pacato Deo, *condonaret, reverteretque ſecum,* ut ſacris ſuis precibúſque intereſſet. Hoc nimirum eſt impietatis fictæque religionis ingenium; ubi tegere ac diſſimulare peccata non licet, in alios transferre conatur, ut in populum *Saulus.* Quaſi verò quiſquam ſanus populi juſſa præceptis Dei præferat. Deinde, Regiæ ſuæ autoritati metuit, nè, ſi offenſo animo diſcederet Propheta, irámque in ſe Dei animadverteret populus, eò ſe deinceps minoris faceret. At Propheta, cauſam Dei vehementer agens, "*reverti nolle* reſpondit ſe. "Quorſum enim redeat, profuturus nihil? Cùm *enim ille Dei abjeciſſet mandata,* "nec vel deploraret, vel agnoſceret, ſed in alios à ſe ſuum tranſmitteret peccatum, "quos eum regere Deus, non ab iis regi voluit; ideo *& ipſum* pariter *à Deo ex regni* "*Iſraëlitici* hæreditate *abjectum eſſe*, nè, quod fieri poterat, ad ejus poſteros tranſmittatur. Diſceſſurus erat Propheta, cùm oram ejus pallii arripuit *Saulus* ut retineret abeuntem, fortiúſque nitendo diſcidit. Converſus repentè *Samuel, Ità regnum,* inquit, *tuum diſcidit Jehova, viróque tradidit meliori te.* Neſcit mentiri conſtantiſſimus *Iſraëlitarum* Deus; conſiliorum quæ rata illi ſunt pœnitere neſcit. Imbecillitatis humanæ ſunt hæc; cadere in Deum non poſſunt. Iterum ergò *Saulus* "*peccaviſſe* fatetur *ſe*, humillíméque *obteſtatur*, ut *revertere* dignetur *Samuel* ad exercitum; "ut *honore ſe coram principibus populó*que *afficiat*, nè à ſe ignominiâ notato alienentur "animi ſubditorum; denique, ut *ipſe Deum Samuelis* eo præſente juvantéque *venere*"*tur*, & peccati ſui veniam exoret. Exoratus tandem Propheta cum *Saulo* reverſus eſt, ut honorem ei coram populo exhiberet; ut adeſſet cultui Divino; denique, ut precibus eum adjuvaret, ad condonationem peccati, non & regni. Eóque libentiùs rediit, ut debitas de *Agago Amalecita* pœnas ſumeret. Sacris peractis, *Agagum* ad ſe *Samuel* adduci jubet. Ille paſſu molli & delicato purpuratus incedit, regio planè faſtu, ac penè ſecurus jam de vita, qui à fortiſſimo Imperatore ad Prophetam emeritúmque ſenem remittebatur. *Samuel* pauca præfatus, "Æquiſſimâ ſe talionis "lege acturum; *quemadmodum Agagus mulieres Iſraëliticas liberis* plurimas *orbaviſſet,* "*ità matrem ejus filio* etiam rege *orbam futuram*; gladio protinus adacto, ut hoſtiam Deo mactavit, & concîdit in fruſta. Quantum ergò fieri potuit, *Samuel* perfecit quod *Saulus* omiſerat, ut placaretur Deus. Et regem à ſe creatum, quòd excidiſſet gratiâ Divinâ, luctu diutino, ſed inefficaci, proſecutus eſt: at viſendum ſibi hominem minimè gratum Deo, quoad vixit, poſtea non putavit. (1 *Sam.* 15.)

A.M. 2941.

regno ſuo abdicatur, ſerámque agit pœnitentiam.

§ 25. Tandem ſilentium indixit ipſe Deus huic inutili querimoniæ, nè fruſtrà ſe affligeret de judicio Dei abdicantis regno *Saulum*, quod revocari non poterat. Ad *Jeſſaium* ergò mittit *Bethleëmitam*, ut ex ejus filiis unum ſacro inungat oleo regem. Hæſitabat Propheta cùm hæc audiret, & aliquid humanum pati viſus eſt. Reſpondit enim Deo, "non videre ſe, *quomodo* id tutò fieri poſſet. Quippe *Saulum fortè* "*auditurum*, atque *interfecturum ſe*, qui ſucceſſorem invito alienum ſubſtituat. Et planè conſtabat, tanto conatu non minus fuiſſe periculum. Sed imperante Deo, piis obſequiis nullus obſtat periculi metus. Nec fortaſſe timuit *Samuel*; ſed exquiſivit ſolicitè modum, quo tanta res commodiſſimè fieri ſine periculo poſſet. Nam temere ſe conjicere in diſcrimen, non magìs Deo gratum, quàm eſt homini tutum. Docuit ergò Deus, quî ſuſpicionem à ſe regis de rege rebúſque novis averteret. Juſſit enim, dum hoc ageret, aliud agere ut videretur, "*ſacra ſibi ut faceret Bethleëmi*; eam "ſui *adventûs* cauſam præ ſe ferret; *ad* epulum *ſacrificiale Jeſſaium vocaret.* Reli"qua *illi ſe Bethleëmi* ex tempore *dictaturum.* Ità monuit Prophetam Omnipotens Pater, nè ſua mandata minùs tutò quàm piè faceret, néve malo aliquo damnóve ſuum lueret obſequium Deo. Ità dignatur celſiſſima infinitáque Majeſtas, ubi cum hominibus agit, ad noſtram deſcendere humilitatem. Itaque *Samuel* vitulâ inſtructus, & olei cornu ſacri, *Bethleëmum* contendit. Primores urbis, *Jeſſaius* inprimis, obviàm prodibant officioſè, nec ſolicitè minùs rogabant, "quid ille *Bethleëmi* tam "inſolens? Peccatúmne civium aliquod expiaturus, an Dei denunciaturus minas ad"veniſſet. "Nihil horum, reſpondit *Samuel*; nè quid metuite. Verùm *ſacra mihi* "apud

A.M. 2942.

Samuel ad Jeſſaium Bethleëmiticum contendit, novum regem quæſiturus.

A.M. 2942. "apud vos *peragenda ſunt* pacifica. Abluite igitur & *luſtrate vos*, nè immundi accedatis ad aram Dei. *Jeſſaius* ergò, cum filiis qui aderant, *Samuele* ab ipſo luſtratus eſt. Immolatâ jam victimâ, priuſquam diſcumberent, *Jeſſaii* filios adduci ad ſe privatim ſingulos voluit. Ii verò octo fuerunt. Natu maximus *Eliabus* ubi acceſſit, ſpecioſus vir, eum *Samuel* eſſe quem quærebat, deſignatum à Deo regem, facilè credidit. Sed vetuit Deus " *nè ſpeciem* corporis *aut proceritatem attenderet.* Eam fe-" felliſſe jampridem in *Saulo:* nec ſuo ſtaret judicio, ſed indicio Divino. *Homines* " *ea* tantùm *ſpectare quæ patebant oculis: Se verò* intimos *animorum* ſenſus *perſpicere.* " Non igitur hunc elegiſſe regem. Rejectus etiam eſt *Abinadabus*, cùm prodiiſſet, ſecundus. *Shamma* etiam, ſive *Shimea* & *Shimma*, & *Nathanaël*, *Raddaius*, *Ozem*, & fratrum ſeptimus, (ut ex 1 *Sam.* 16. 10. neceſſariò colligitur,) cujus nullibi tamen traditur nomen. Plures quærenti filios Prophetæ, unum *Jeſſaius* dixit *adhuc ſupereſſe*, *natu minimum. Eum verò* ruri *oves paſcere. Appellabatur David. Davidem Samuel* properè accerſi jubet. *Nec enim diſcubiturum ſe antequam is veniret.* Cùm adeſſet juvenis, rubei coloris vultu, oculorum nitore, corporiſque decorâ ſpecie conſpicuus, ſubmonuit *Samuelem* Deus, *eum eſſe* quem volebat, *eum ungeret.* Unctus ergò eſt, patre fratribúſque forſan præſentibus, at nemine myſterii conſcio præter *Davidem:* quemadmodum *Sauli* prima unctio ipſum ejus latuit famulum comitémque. Sed ut *Samueli* erant privata cum *Saulo* colloquia, quibus eum de Regno edocuit: ità, puto, intercedebant cum *Davide*, quibus illum de voluntate Dei certiorem fecit. Si enim de Regno res fratribus innotuiſſet, quâ erant in *Davidem* invidiâ, haud ea *Saulum* diu latuiſſet. Nec *Eliabum* credibile eſt *Davidem* in caſtris (1 *Sam.* 17.28.) tam contumelioſè accepturum, ſi quid reſciviſſet de Regno. Unctum à Propheta Spiritus Dei Sanctus variis eum dotibus induit ornavítque rege dignis: non modò ut calleret eximiè artem Muſicam, hymnóſque Deo fingeret canerétque; ſed etiam quaſcunque ſuſcipiebat res, eas ut fortiter ac prudenter, proſperè ac feliciter, piè poſtremò ac religioſè omnes gereret. Atque hoc poſtremo maximè *Saulo* præſtitit. Nam & is virtutibus quibuſdam regiis à Deo præditus memoratur: (1 *Sam.* 10. 9. & 11. 6. & 14. 47.) pietas una defuit.

Davidis proſapia. § 26. De *Davide* Regum *Iſraëliticorum* longè clariſſimo dicturus, haud ineptè fecero, ſi genealogiam ejus paucis attexuero, quæ & *Chriſti* eadem futura eſt. *Jeſſaii* pater, avus *Davidis*, *Obedus* vocabatur; quem *Boaz* ex *Rutha* genuit *Moabitide:* (*Ruth* 4.17.) *Boazum* verò, ex *Rahaba* (*Joſ.* 6.25.) caupona, *Salmon:* (*Matt.* 1.5.) *Salmonem*, ille princeps tribûs *Judæ*, (*Num.* 7.12.) *Naaſhon: Naaſhonem Aminadabus*; qui quidem *Ramo* patre, avo *Hezrone*, *Perezo* proavo natus eſt. *Perez* autem *Judæ* filius, *Jacobi* nepos, pronepos *Iſaaci*, quem unicum *Abrahamus* ille magnus è *Sara* uxore legitima, ſed nonagenaria, promittente id perficientéque Deo, procreavit. Quærunt hîc Theologi, quomodo fieri potuerit, ut *David* A. M. 2920. ex *Salmone* & *Rahaba*, (quos credibile eſt matrimonium iniiſſe A. M. 2553.) poſt annos ferè 370, per tres tantùm progenitorum gradus, *Boazum*, *Obedum*, & *Jeſſaium*, naſceretur. Ut omittam *Abulenſis* opinionem, quæ *Torniello* A. M. 2748. maximè probatur, *Rahabam* anno ætatis 95. peperiſſe *Boazum*, quod in illo ſeculo vix credibile videtur; ponamus nos, anno *Rahabæ* 68. vel paulò citiùs, ex *Rahaba* genitum *Boazum*, *Othoniele* adhuc Judice apud *Iſraëlitas*; deinde *Boazum* annos natum 120 (A. M. 2724.) genuiſſe *Obedum*, eáque geſta quæ in hiſtoria *Ruthæ* narrantur, dum præſidebat *Iſraëlitis Debora.* Nam ſenem fuiſſe *Boazum* quando *Rutham* uxorem duxit, ex libro *Ruthæ* conſtat, (cap. 3. v. 10.) *Obedum* porrò annorum 106 ſenem *Jeſſaium* ſuſtuliſſe, *Ibzane* Judice, annóque mundi 2830. Denique, *Davidem* ex *Jeſſaio* ſene, (1 *Sam.* 17.12.) agente annum nonageſimum, (A. M. 2920.) natum. Pater enim quot annorum ſit ſenex in generatione liberorum, non multùm intereſt, modò capacem habeat uxorem. Non minùs oraculo verum eſt quod *Pythia* reſpondit *Ergino* de liberis quærenti poſtquam conſenuiſſet,

Temoni vetulo validum prætendito roſtrum.

Præter ſeptem, qui ſuprà numerati ſunt à me, fratres, duas etiam ſorores habuit *David*, filiorum ſuorum causâ memorandas; *Zerviam*, *Joabi*, *Abiſhaii* & *Aſahelis* matrem, & *Abigailem Amaſæ*, (2 *Sam.* 17. 25.) quem ex patre *Ithra*, ſive *Jethero*, *Iſmaëlita*, (1 *Chron.* 2.17.) peperit. *Iſmaëlitæ* cognomen inter ſuos populares nactus eſt, propter longam ejus inter *Iſmaëlitas* habitandi moram. Ab illis tamen *Iſraë-*

lita vocabatur. (2 *Sam.* 17. 25.) Minùs probabiliter enim *Junius* genere *Iſmaëlitam* fuiſſe, at *Iſraëlitam* Religione ac inſtituto vitæ, opinatur. Nec enim ullibi hoc nomen alienigenæ Religionis causâ tribuitur. Cúmque *Abigail* in eodem 2 *Sam.* loco filia *Nahaſhi* cujuſdam dicatur, *P. Martyr* & alii patrem *Jeſſaium* ſignificari, & binominem fuiſſe volunt. *Junius* mihi probabiliùs videtur de matre *Nahaſha, Jeſſaii* uxore, interpretari.

A. M. 2942.

Inunctus jam à *Samuele David Iſraëlitarum* eſt rex. At nec *Samuel* vires copiáſque dedit, neque *David* ſuorum tribulium cognatorúmve opes & auxilia imploravit, quibus regnum ſibi vindicaret. Alter profectus *Ramam*; alter, ad paſcendas quas ſolebat oves, rus: uterque Deum exſpectabat, ut perficeret quod inchoârat opus. Neque verò ille cunctatus eſt. Protinus viam ſternit quâ vocetur in aulam *David*, & gradu aliquo promoveatur ad regnum. Quippe *Saulum*, derelictum à Deo, & regni multatum hæreditate, ſua peccatorum conſcientia, & malorum anxia exſpectatio, vehementer diſcruciabat. Nulla homini ſpes, nullum aderat ſolatium. Sed & angorem hunc animi malus, permittente Deo, ſpiritus exaſperabat: unde corripuit hominem & exagitavit per intervalla melancholicus quidam furor. Medici, cùm ſuæ artis quæ poterant adhibuiſſent remedia, tandem ad peritum Muſicæ citharœdum remiſerunt, qui oblectaret mœrentem, triſtitiámque immoderatam cantûs jucunditate reprimeret atque leniret. Quærenti de Muſico regi aliquis è famulatu ſuggeſſit, vidiſſe *Bethleëmi* ſe juvenem ejus artis peritiſſimum, eundémque virum ſtrenuum & bellicoſum, prudentiâ quoque, imò & formâ præſtantem, qui propitium & præſentem ſibi haberet in omnibus Deum. Tanto præconio facilè captus rex, miſit illico ad *Jeſſaium* qui *Davidem* accerſerent. Nec mora: tranſmiſſus eſt *David*, at non ſine dono, quanquam exiguo, ad regem, hœdo, panéque, & utre vini. Tantum verò Muſicâ ſuâ valuit, ut dum ille citharam pulſabat, malus interea recederet iſte ſpiritus, remitteret furor, & recrearetur *Saulus*. Magno igitur amore juvenem amplexus eſt, armigerúmque ſibi conſtituit; at rogato inprimis, ut eum regi famulum concederet, patre.

A. M. 2943. Rex inunctus ad oves redit. Indè in aulam evocatur.

Perexiguo tempore moratus videtur apud *Saulum David*, ut armigeri ac citharœdi regii munere fungeretur. Nec enim poſt annos aliquot eum de facie cognovit rex. —— *Exeat aulâ Qui vult eſſe pius*, impii regis aulâ, veriſſimè quidem dicitur. Exiiſſe verò *Davidem* perſpicuum eſt, (1 *Sam.* 17. 15.) ac paviſſe denuo paternos greges. Quo tempore, quâve de cauſa exierit, id verò minimè conſtat. Evocatus fortaſſe ab hoſtibus rex, *Moabitis*, *Sobanis*, *Idumæis*, aliiſque, & ex melancholiæ ſuæ quaſi ſomno ſuſcitatus, non magnopere indigebat operâ *Davidis*, muſicámve domeſticam adhibere potuit inter tumultus bellicos, ubi nullus ferè auditur niſi claſſici, & —— *lituo tubæ permiſtus ſonitus*. Nec defuiſſe alios regi armigeros credibile eſt ante adventum *Davidis*, qui regiæ forſan rivalem gratiæ non tulerunt. Interea, domi agente apud oves *Davide*, bellum exarſit cum *Palæſtinis* novum; quibus in *Judæam* penetrantibus occurrit cum exercitu *Iſraëlitarum Saulus*. *Palæſtinis* aderat in caſtris, ex genere *Anacæorum Gathi*, (*Joſ.* 11. 22.) gigas quidam, altitudine cubitorum ſex & unius palmi: *Goliathus* vocabatur. Arma verò tantæ corporis moli paria geſtabat: æream in capite galeam; loricam ſquamoſam in pectore, ſiclorum æreorum quinque pendentem millia; ærea tibialia; æreum quoque ſcutum inter humeros; haſtam denique æream; haſtile verò inſtar jugi textorii, cujus cuſpis ſexcentos pendebat ferri ſiclos. Dum in montibus oppoſitis acie inſtructâ utrinque ſtabant exercitus, *Goliathus* prodibat in mediam vallem, armigero præeunte portantéque clypeum. Indè *Stentoreâ* voce inclamavit *Iſraëlitas*; &, "Quid, inquit, opus eſt tantis, ô *Saulitæ*, copiis? Transfigatur duello res; parcatur humano ſanguini. En *ego* ex parte "*Palæſtinorum ſum. Vos* ex acie *Sauli* alium *demittite*, qui *mecum armis congrediatur. Ille ſi me* ſuperet *letóque det*, *veſtrum ſubibimus Palæſtini ſervile jugum. Sin* "*ego illum devicero cecideróque, noſtro vos imperio parebitis.* At *Iſraëlitæ* cùm audirent hæc, cernerēntque monſtrum horrendum, immane, ingens, pavore maximo perculſi ſtupent, neque vel hiſcere audent. Ignavum tremor indixerat omnibus ſilentium. Nullus enim erat omnium qui tanto *Cyclopi* putaret ſe ullo modo parem, aut ejus vim ſuſtinere ingentem poſſe. De viribus interim omnipotentiâque Dei ſui non cogitabant. Superbiùs igitur & contumelioſiùs agere *Goliathus*: "Audite, mulieres *Iſraëliticæ*; capreæ montium fugaces, audite. Vos, timidiſſimæ damæ, pecudes ignaviſſimæ, vos appello, *provoco*, *laceſſo*, ſi quid eſt roboris audaciæve reli-

A. M. 2945. Ex aula iterum ad oves paſcendas redit.

"quum;

A.M. 2945.

"quum; vobis indico hîc prælium. Aut *mihi virum date*, *quôcum* de victoria & dominatu *concertare poſſim*; aut victas date manus in catenas. Cùm nullus vel adhuc ſibi hoſtium reſponderet, ad ſuos tandem triumphali quodam paſſu incedens revertebatur; lætiſſimíque *Palæſtini* clamoribus fauſtis complebant omnia. Pari modo quanquam ſingulis diebus bis, manè veſperíque, inſultaret populo Dei ferale monſtrum, nemo tamen prodire auſus eſt, ut ab hac Deum contumelia vindicaret. *Davidi* voluit hanc deberi victoriam Deus; quâ in aulam denuo revocaret, aditúmque ei faciliorem ad regnum patefaceret. Tres ejus majores natu fratres cum *Saulo* militabant. Ipſe domi curabat paternas oves. Solicitus de filiis in exercitu pater, *Davidi* obſonium tradidit portandum fratribus; toſtorum granorum Epham, & panes decem. Tribuno quoque caſeos decem addidit, quò liberos ſuos æquiùs atque beniginiùs tractaret; juſsítque ut de ſalute fratrum aliquo pignore certiorem ſe faceret. Satìs cupidè ſub auroram ſuſcepit hoc iter *David*, & ad vallum pervenit caſtrorum, ubi jam prodibant in aciem exercitus, clamoribúſque magnis ſalutabant ſe mutuò, quaſi jamjam prælium inituri. Feſtinabat in aciem *David*, depoſitâque apud cuſtodem impedimentorum ſarcinâ, fratres amanter ſalutavit. Interea *Gathæus* ille gigas in medium, quo ſolebat more, quadrageſimo jam die progreditur, parémque ſibi poſtulat opponi, quôcum de ſumma rei dimicet; probríſque omnibus *Iſraëlitas* inſectatur. Illi verò ejus congreſſum, ac penè conſpectum, perhorreſcere omnes, vitare ac fugere; inter ſe verò differere, quanta rex ei præmia edicto publico polliceretur qui belluam iſtam interficeret. Magnam itaque rem agitabat animo *David*, etiam nullo invitatus præmio. Sed tamen quærit ex iis qui adſtabant, quonam eſſet præmio donandus, qui *Palæſtinum* iſtum cæderet, & ab hac *Iſraëlitas* contumelia vindicaret. *Quis enim*, inquit, *profanus iſte Palæſtinus eſt*, *ut probris* impunè *laceſſat exercitum viventis Dei?* *Regem* dicebant *magnis eum divitiis cumulaturum*, *filiam daturum* uxorem, *& paternam ejus domum immunem* oneribus *liberámque facturum.*

Rure mittitur in caſtra, de Goliatho triumphum & Palæſtinis reportaturus.

Subaudivit fortè maximus fratrum *Eliabus Davidem* de præmio interrogantem, invidiâque turgidus indignabatur vehementer. Nec probris abſtinere fœdiſſimis potuit. "*Quorſum* verò, inquit, *aſcendiſti huc*, proterve? Tibíne paſtori ambitio eſt

Quod ægre fert invidus ejus frater Eliabus.

"*Præmia militiæ pulverulenta ſequi?*

"Divitiáſne & nobilitatem & conjugia tu captas regia? *Cui* ſervandas *tradidiſti* "*oves illas pauculas in deſerto?* lupíſne ac feris? *Non me latet animi tui ſuperbia* "*& improbitas.* Ambitio veſana te huc, *ut prælio intereſſes*, adegit. Ignominiosè nimis hæc in fratrem dicta, indigniſſiméque in virum utilitati publicæ tum vel maximè ſummo ſtudio conſulentem. Sed optimis quibuſcunque inceptis nunquam deſunt obſtacula & impedimenta; quæ tamen virorum bonorum impetus neutiquam frangunt. *David* autem convitianti convitia non regerit, ſed fraterna permodeſtè retundit: "Unde verò hæc verborum, inquit, acerbitas & amaritudo? Nihil equidem "*feciſſe me* novi tantâ dignum contumeliâ. Nec enim idoneam ſibi deeſſe *cauſam*, & "cur huc advenerit, & cur iſta interrogârit. Propoſiti ergò tenax, nè aut ipſe fratrem offenderet, aut ſe impediret frater, aliò divertit; ubi ſciſcitatus idem, idem de præmio reſponſum tulit. Cúmque indignaretur tantam populo Dei contumeliam fieri ab homine profano, & patriæ vindicem futurum ſe profiteretur, ſi liceret; tandem ad *Saulum* delata res eſt. Ad *Saulum* accerſitur *David*, (id quod maximè volebat,) cúmque rebus ſuis diffidentem intrepidus ipſe ità erexit in ſpem: "Invicte rex, *nè cui* "*animos dejiciat* debilitétve iſtud hominis portentum ex *Gatho*. Ego meæ vitæ pe-"riculo, venia modò ſit, patriæ ſalutem vindicabo. Juvenem contemplatus rex, "*Túne*, inquit, patriam vindicabis? *Infelix puer*, *atque impar congreſſus*—— *illi* & "robuſtiſſimo & veterano jam *militi*. Illico *David*, "Nè multò, ait, majora viribus ſuſcipere tibi videar; Cùm *paſcerem paternas oves*, inclyte Rex, *leo* mihi *agnum* "*ſuſtulit de grege*; *abeuntem conſecutus*, *ex ore illi* prædam *eripui*; *irruentem verò* ſuſ-"tinui, *apprehendi barbâ*, *&* pugno graviter acceptum *interemi*. *Urſam quoque*, pari "laceſſitus injuriâ, pari vindictâ ſuſtuli. Quid eſt cur non *& iſtam* belluam pari "exitio dem, quæ tot onerat *contumeliis* populum *Dei?* Idem *ille me*, *qui ab urſa* "*& leone*, *ab hoc* profano barbaróque *Palæſtino incolumem conſervabit Jehova.* Cùm hæc audiret eum *Saulus* tam piâ & probabili ratione differentem, pugnandi poteſtatem fecit, propitiúmque illi Deum apprecatus eſt. Armis deinde ſuis *Davidem* induit, loricâ, galeâque æreâ. Gladio etiam præcinctus eſt. Cùm autem iſta & nimis

A.M. 2945.

mis gravia, & minùs apta ſuo corpori experiretur; arma depoſuit, baculum accepit, manu verò alterâ fundam, & in pera læves quinque lapides è torrente. His inſtructus armis deſcendit in prælium cum gigante. Quò debilior viſus eſt *David*, eò clarior victoria, majorem prodidit humanâ vim, majorémque peperit gloriam Deo. *Palæſtinus*, ubi juvenem conſpexit rubicundum formoſúmque, non niſi baculo armatum, accedentem ad ſe, magno cum faſtidio aſpernatus eſt, mox & exſecratus; "*Baal*, inquit, & *Aſtarotha*, *Dagon* & reliqui *Palæſtinorum* dii malè te perdant, *qui* "*cum baculo ad me* veluti ad *canem accedis*. *Adeſto propiùs*, infeliciſſime puer, ut *vo*"*lucribus* depaſcendum te, *agreſtibúſque feris dem*. *David* ſuas in ipſum facilè retorquet minas: &, "*Tu* te, inquit, armis tectum atque tutum putas, galeâ & *clypeo*, "*haſtâ gladióque*. *Mihi verò* præſidium Numen eſt *Jehovæ*, *quem tu* ore blaſphemo "*violâſti*. Ille *exercituum*, *exercituum Iſraëliticorum* ille *Deus* eſt. Ille igitur *te mi*"*hi tradet in manus hodie*; *trucidandum te*, corporíque vaſto *auferendum mihi* tra"det inſulſum *caput*. Neque tuum ſolummodo, ſed *caſtrorum* tuorum *cadavera*, "*cœli volucribus tradam agreſtibúſque feris* devoranda. Ità *cognoſcent univerſæ* terra"rum gentes, adeſſe Deum *Iſraëlitis*; ità vos præcipuè perſpicietis, *Jehovam ſine ha*"*ſta & gladio*, ſine ſcuto galeâve, etiam inermibus *dare ſalutem* atque victoriam poſ"ſe, armatis verò perniciem afferre. *Goliathus* talia minitantem cùm ferre diutiùs non poſſet, impetúmque facturus jam appropinquaret, occurrit ei properè *David*, expeditâque fundâ, uno attonitum ictu in fronte humi proſtravit, proſtratum ſuo ipſum jugulavit, capútque præſcidit gladio. Gladius enim *Davidi* nullus aderat. Cùm viderent *Palæſtini* ſuum propugnatorem, ſuum robur atque ſpem concidiſſe gigantem, protinus in fugam conjecerunt ſe; quamvìs duelli conditione ſervitutem pacti, non fugam. Hoſtibus fugatis, *Hebræi*, cùm ſe magnis acclamationibus excitâſſent, magno impetu abeuntium legerunt veſtigia; & premebant terga jam, poſtremos quoſque ingenti ſtrage demetentes, uſque ad ipſos *Gathi Ecroniſ*que muros. Nec *David* minùs probavit ſtrenuum ſe in perſequendo fugientem hoſtem, quàm in ſubigendo repugnantem præbuerat. Huc ſpectare videtur *Pſalmus* 144. Reverſi tandem à cæde, caſtra *Palæſtinorum* diripuerunt. *Davidem* verò, præ ſe ferentem hoſtile gigantis caput, ſupremus militiæ dux *Abner* deduxit ad regem. (Melancholici obliviosi.) Sui quondam Muſici atque armigeri ità oblitus eſt *Saulus*, ut quo eſſet patre natus non meminerit. Deſcendentem ergò intrepidè ad certamen cùm obſervaret rex, *Abnerem* percontatus eſt cujus eſſet filius. Sed profeſſus *Abner* ignarum quoque ſe, aliunde juſſus eſt hoc diſcere. Militiam, credo, procurabat *Abnerus* foris eo temporis perexiguo ſpatio quo verſatus erat in aula *David*. Et fortaſſe rediit *David Saulo* in memoriam: Sed an is hic eſſet *Jeſſaii* filius dubitabat. Ex ipſo igitur coràm *Davide* quærit, quo eſſet parente genitus. *Jeſſaio* ille cùm *Bethleëmitâ* reſpondiſſet; agnovit, puto, famulum ſuum, & in aula deinde permanere juſſit, nec ad ſuos redeundi ampliùs fecit ei poteſtatem. Captis poſtea *Hieroſolymis*, ibi caput *Goliathi* repoſitum, armáque in Tabernaculo quod ibi conſtituerat *David* novo (2 *Sam.* 6.17.& 1 *Chron.* 15. 1.) aſſervata, quò, ex his tantæ victoriæ monumentis, ſua Deo conſtaret perpetua laus. Fortiſſimus vir, filiúſque regis, *Jonathan*, tantam in *Davide* admiratus virtutem, mirifico amore juvenem complexus eſt, tanquam ſuæ partem animæ. Neque potuit *David*, pro ſuo candore ſummo, non amori tanto reſpondere, ac vices reddere; præſertim cùm tanta eſſet in utroque naturæ morúmque ſimilitudo. *Pares enim cum paribus* (ut proverbio dicitur) *facillimè congregantur*. In quibus eadem ſunt ſtudia eædemque voluntates; in his fit, ut æquè quiſque altero delectetur ac ſeipſo; efficitúrque id quod *Pythagoras* voluit in amicitia, ut *unus fiat ex pluribus*. Ità in *Jonathane* ac *Davide* naturæ candor idem, eadem probitas morum, fortitudo animorum, pietas in Deum, & in patriam charitas fuit. Nec multùm diſpar aut ratio ætatis, aut ſtaturæ videtur. Amoris ergò fœdus quoddam arctiſſimum ineunt: cujus ut ſymbolum atque certum eſſet pignus, *Davidem Jonathan* ſuo pallio, ſuis veſtibus induit, ſuo gladio balteóque, ſuo denique donavit arcu. Hoc neceſſitudinis conjunctiſſimæ argumentum eſſe voluit, eóque demonſtrare, ſua communia fore cum *Davide* (ut oportet amicorum eſſe) omnia. Sed & ipſe rex inprimis maximi *Davidem* fecit propter virtutem, quam utiliſſimam ſperabat ſuo regno futuram. Centurionem ergò militibus eum præfecit: quo munere adeò fortiter ac prudenter, ut res ferebat, perfunctus eſt, ut placeret *Saulo* plurimùm: Tantâque ſe geſſit probitate in omnes, tantâ modeſtiâ & ſuavitate morum, ut non ſolùm

Admirabilis *Davidi* cum *Jonathane* amicitia.

A.M. 2945. lùm à populo & militibus, ſed ab ipſis diligeretur aulicis; qui ut plurimùm invidere ſolent hominibus ex obſcuro loco emergentibus ad dignitatem. *Sauli* tantùm unius amor facilè tepuit, & ſuffuſus invidiæ veneno extinctus eſt. Sed & odium invidia peperit inextinctum.

A.M. 2946. § 27. Redituri jam erant *Iſraëlitæ*, victis profligatíſque *Palæſtinis*, eorúmque forſan agros depopulati. Occurrebant ex oppidis, pro more, mulierum chori cum tympanis, gratulantium victoriam, & carmen canentium triumphale. Alternis autem ſibi reſpondebant, (——*Amant alterna camœnæ*,) repetebántque ſæpius hos verſiculos,

Invidia *Sauli* virtutem *Davidicam* comitatur.

Io triumphe: mille ſunt Saulo hoſtium,
Cæsique decies mille Davidi jacent.

Inclyta enim fama de cæde *Goliathi* & virtute *Davidis* jampridem univerſam regionem pervaſerat: & in uno *Goliatho* millia cecidiſſe decem videbantur. Cantiunculam verò hanc ubi audivit *Saulus*, vehementer indignatus & invidiâ penè diruptus eſt. "Quid, inquit, hoc ſibi vult? *Mihi non niſi mille* cæſorum hoſtium, *mil*-"*lia decem tribuunt Davidi: quid illi amplius niſi regnum* daturi? Ex eo *Davidem Saulus* iniquioribus oculis intueri ſemper, & obſervare ſuſpicaciùs. Apud principes indignos, placere populo, ambire ſceptrum eſt; propiórque periculo magna ſemper fama ſtat, quàm mala; conſcios videlicet, ſi qui ſunt meritis digniores, digniores & imperio eſſe. Quare ab optimis quibuſque viris peſſimè ſibi metuunt peſſimi reges. Imò virium ſuarum & munimentorum ſuſpicax ambitio eſt, virtutémque eminentem vel in propinquis horrent tyranni, quaſi tenebras offundentem ſuæ luci, & minitantem celſitudini ruinam. Quos verò metuunt, eoſdem odiſſe neceſſe eſt. Quos oderunt denique, eos periiſſe expetunt. Ità *Davidem Saulus* propter excellentiam virtutis gloriæque metuit, odit, ſublatum è medio vult. Ejus de cæde cogitat, qui tantâ cæde hoſtium expediverat modò patriæ ſalutem. Primo enim poſt reditum die, perturbatio ſumma & anxietas animi bilem atram accenderat *Saulo*, & malum iſtum revocârat ſpiritum; quo exagitatus, multa longè à vulgari ſenſu aliena proloquebatur, ut vulgo prophetare videretur, cùm revera inſaniret: quemadmodum veri Prophetæ apud vulgus hominum inſaniunt. (2 *Reg.* 9. 11.) Interea *David* citharâ, quantum potuit, retundere ac ſopire melancholiæ vim, & malum arcere ſpiritum conabatur. Ludentem *Saulus*, odii ſui memor tantummodo, aliorum ferè oblitus omnium, jaculo petiit inopinantem, affixurus parieti. At ille modico flexu corporis ictum fefellit bis, alióque ſe recepit. Furori conatum hunc, non odio, tribui volebat *Saulus*. Sed quò magìs *Davidi* propitium atque faventem adeſſe Deum animadvertit, relictúmque ſe, tantò eum ſibi magìs pertimeſcendum putavit, & ex aula procul amovendum, nè quod minimè cogitanti malum compararet. Ex animo enim ſuo metiebatur *Davidem*, & odio proſequi proſequentem ſe facilè credidit. Ut abeſſet ergò, & honoris quadam ſpecie periculis exponeretur, tribunum creavit militum ex centurione. At quò magìs eum depremere conabatur *Saulus*, eò ſuſtulit magìs; ut *Euryſtheus Herculem*. Provinciam enim ſibi demandatam ea cum fide ac integritate, ea cum prudentia & fortitudine exornabat, ut populus eum univerſus non minùs diligeret, quàm *Saulus* oderat. Deo enim ſemper præſente ſibi uſus eſt. Cùm igitur à *Davide* omnia tam prudenter támque feliciter gererentur, magìs id magíſque timorem auxit inimico ſuſpicaci.

Promulgaverat *Saulus*, filiam ei ſe uxorem, aliáque daturum præmia, qui obtruncaret *Goliathum*. At horum nihil adhuc præſtiterat rex. Tandem, ut promiſſorum tantorum perſolvere aliquid videatur, obtentu affinitatis, quam conciliaturus erat cum *Davide*, periculis eum & *Palæſtinis* hoſtibus objicere conatur. *Merabam* ei filiam deſponſaturum pollicetur ſe, *modò Jehovæ bella* fortiter *gerat*, *ſtrenuúmque ſibi* generum *præſtet*. Submiſsè admodum modeſtéque reſpondit *David*, "non *eum ſe*, "non *familiam ſuam*, *aut vitæ* inſtitutum *eſſe*, *ut* dignus ſit affinitate *regiâ*. Neque tamen recuſavit oblatas nuptias, ſi modò *Saulo* dignus videretur. Verùm tempore nuptiis conſtituto, neglectus *David*, & fruſtratus eâ ſpe: *Adrieli* cuidam *Meholathitæ* nupta eſt *Meraba*. Mox nuncius ad *Saulum* delatus eſt, minorem ejus filiam ultro *Davidis* amore captam fuiſſe. *Michal* vocabatur. Nam & ſibi ex pacto edictóque regio eum deberi jam conjugem credebat: & famæ tantæ formæque merito commendatum cupidè juvenem expetebat. Nec ingratum id *Saulo* accidit.

Exco-

A.M. 2946.

Excogitaverat enim rationem expeditam, quâ nuptiarum prætextu *Davidem* ageret in perniciem. Nam & filiæ operâ inſidias ei faciliùs fieri poſſe, & eum objici hoſtium telis, ambitione affinitatis regiæ quidvis auſurum, opinabatur. Revocat ergò id quod priùs erat promiſſum de *Meraba*, & in una filiarum, majore minoréve, generum ſibi *Davidem* futurum certò pollicetur. Nihil hîc reſponſum à *Davide*; propterea fortaſſe quòd, eluſus jampridem, ſimulatè *Saulum*, non ex animo, agere putaret. Id certè ſuſpicatus rex, ſubmiſit ex aulicis ſuis qui clanculùm ſubmonerent, ut, cùm regi eſſet chariſſimus aulicíſque omnibus, affinitatem oblatam nè recuſaret. Sed & his *David* paria ferè reſpondit iis quæ *Saulo* priùs. "*Levéne vobis*, inquit, "*videtur, generum eſſe regis?* generum verò *me*, *hominem tenuem* atque ignobilem; "nullius ſubſtantiæ, unde munera nuptialia pro dignitate uxoris dem; *nullius nu-* "*meri*, adeò ut uxori tantæ par eſſe (quod tamen par eſt in nuptiis) nullo modo "poſſim? Viris opulentis amplitudo hæc & illuſtribus convenit. Iſta *Saulus* cùm accepiſſet, renunciare juſſit aulicos, nulla ſe petere nuptialia dona, præter centum præputia *Palæſtinorum*. Id ſibi fore munus gratiſſimum, ſi de hoſtibus regiis repetatur vindicta. Ille verò cædem ipſius *Davidis* cogitabat optabátque magìs quàm hoſtium: illum ſperabat ſe, horum præputiorum causâ, vel in perniciem certam præcipitaturum, vel in odium inexpiabile *Palæſtinorum*. Non contemnendam ſibi *David* putabat affinitatem regiam, unde ad amorem *Sauli* aditus patére ſibi latior videbatur; eadémque magno tum adjumento erat ſuis rebus, tum ornamento futura. Nec amorem in ſe *Michalis* aſpernabatur, virginis regiæ. Conditionem igitur à *Saulo* ſibi propoſitam accepit; cum ſuis copiis *Palæſtinos* adortus, ducentos cecìdit, totidémque præputia infra præſcriptum ſibi tempus ad regem detulit. Tergiverſari jam diutiùs non potuit rex. In uxorem ergò ducenda *Michal Davidi* traditur. Ea quidem genere (quod fieri ferè ſolet) ſuperba regio; ſed amantior *Davidis* tamen quàm volebat pater. Magnus, at ſterilis, amor nihil ad fœcunditatem profuit. Noluit fortaſſe Deus, è ſtirpe *Sauli* quenquam prodire qui ſceptrum reſumeret *Iſraëliticum*. Nec ea neceſſitudo quicquam *Davidi* profuit ad conciliandam ſibi gratiam regis. Quò magìs enim filiæ ſuæ, quò magìs Deo gratum & dilectum eſſe *Davidem* animadvertit, eò ipſe magìs extimuit, magìs inviſum habuit, odióque implacabili proſecutus eſt. Nihil tamen metu odióve profecit. *Davidis* gloria magìs florebat indies. Cùm enim denuo *Palæſtini* exercitu infeſto irrupiſſent in *Judæam*, à *Davide* forſan provocati colligente præputia, omnibus ille regiarum copiarum ducibus multò prudentiùs ac feliciùs contra hoſtes gerebat ſe, ut nomen ejus laude ſummâ populus longè latéque celebraret. Ægerrimè id ferebat *Saulus*, imò ferre jam diutiùs non potuit. Quare apud aulicos, apud filios ſuos, inprimis *Jonathanem*, quem regno videbatur excluſurus *David*, vehementer contendit, ut è medio ſibi tollerent inimicum ſuum. At *Jonathan*, pro amicitia quæ intercedebat mutua, conſilia prodidit, de patris eum ſævitia tempeſtivè monuit, eâque nocte, dum tepeſceret furentis ira, ut ſe abſconderet alicubi; nuſquam defuturum ſe, verùm patri manè craſtino in agros prodeunti adfuturum, & quid ſtatueret de *Davide* renunciaturum fideliter. Ab his *Sauli* minis cùm fugam ei ſuaderent amici, *Pſalmum David* undecimum compoſuiſſe creditur. Tempore conſtituto, cùm ira jam regis deferbuiſſet paululùm, ſic eum *Jonathan* compellavit, ac

Indè præputia 100 *Palæſtinorum* à *Davide* exiguntur.

Indéque nuptiæ ejus cum *Sauli* filia.

Difficilem tenuit ſub iniquo judice cauſam.

Jonathane intercedente, *Davidi* parcitur,

"Invicte rex, omnibúſque mihi nominibus colendiſſime pater, liceat mihi, obſecro, "apud te de *Davide* pauca dicere, de quo tu interficiendo herì conſilium agitabas. "Coram aliis & publicè id quod tu ſtatueras vel in dubium vocare, intempeſtivum "cenſui. Jam verò, domine, quid illud eſt quod ſervus tuus vel in Legem Dei, "vel *in tuam admiſit* majeſtatem, *David*, quo morte dignus habeatur? Credo enim "tuæ non eſſe, vel pietatis in Deum, vel æquitatis in humanum genus, hominem *in-* "*ſontem neci dare*, & mali promeritum nihil carnifici tradere. *Ille* verò *de te* tuóque regno *meritus optimè* videtur. Quis *eum* ignorat *extremum adiiſſe diſcrimen*, "cùm *Goliathum* adoriretur? quis eum patriæ *ſalutem* procurâſſe, cùm *cecidiſſet* "monſtrum? Quantam indè ipſum ego *te lætitiam* hauſiſſe memini? quantis eum "laudibus extuliſſe? Quid, quòd multa indies ab eo fortiter atque feliciter geſta, "ſuo periculo, ſed tuo noſtrûmque omnium commodo, videmus? Quid, quòd or- "natus à te, militibus à te præfectus, filiâ uxore à te donatus eſt? *Abſit*, mi pater,

A.M. 2946. "*abſit*, ut tantopere vel præceptorum Dei, vel tuorum commodorum oblivifcaris, "*ſanguinem innocentem* profundendo, virum auferendo tuis rebus utiliſſimum, *interficiendo Davidem.* Novi ego te, amantiſſime pater, vice meâ ſolicitum hoc agere, "nè regnum, hæredi tuo debitum, ſuis ille meritis intercipiat, populóque autore, me "atque meos excludat principatu. At novi ego pariter, nullam unquam *Davidem* "aut mihi aut meis injuriam oblaturum. Nihil tanti eſt, quod ejus ego fidei, amori "ac pietati ſecurus non poſſim credere. Utcunque verò, id optimè novi, regnum "*ſanguinis innocentis* pretio redemptum neque proſperum, neque diuturnum fore. "*Quare*,

———————— " *Iſtam*
" ——*quam pro me curam geris, optime, pro me*
" *Deponas.*————————

"Juſſiſti me tu quidem, ut *Davidem* leto darem : at mihi Deus imperat, nè faciam. "Tibíne patri meo, an communi potiùs omnium Parenti obtemperandum ſit Deo, "ipſum te mihi judicem ſtatuo. Ego tamen fidele obſequium tibi me præſtitiſſe ar-"bitror, qui, non obtemperando tuis mandatis, efficio, nè tu mandatum violes Om-"nipotentis Dei. Hæc *Jonathanis* dicta tantum apud *Saulum*, paulò mitiorem jam, valuêre, ut juratus promiſerit, *Davidem* non moriturum. Lætiſſimus audivit *Jonathan*, qui amicum ſuum protinus evocavit è latibulis, & in priſtino apud patrem dignitatis gradu collocavit. Eâdem igitur felici operâ, & à gravi ſcelere patrando patrem, & amicum ab interitu indigno vindicavit.

A.M. 2947. Victus dudum argumentoſâ filii ſui oratione *Saulus*, pepercerat *Davidi*, quem nimiæ virtutis reum condemnârat ad necem. Mox rebus præclarè geſtis novam ſibi *David* conflavit invidiam, *Saul*íque bilem denuo in ſe accendit. Quippe aliud cum *Palæſtinis*, quotidianis penè hoſtibus, gerendum erat bellum, quod egregiâ *Davidis* operâ feliciter profligatum eſt. Victi enim cæſíque hoſtes, & in fugam acti ſunt. *Sauli* nihil tam vulnerabat aures, quàm de virtute ac victoria *Davidis* triſtior fama. Itaque ſolito protinus furore correptus, dæmonióque ſuo exagitatus eſt. Officioſè quidem *David* ab armis ad citharam illico redit, ut *Sauli* muſicâ leniat furorem, quem fortitudine ſuâ in armis excitârat. Non tulit eum præſentem *Saulus*, cujus vel abſentis famâ in rabiem conjectus eſt. Jaculo igitur confodere jam tertiò *Davidem* conatus eſt. At eo declinante, paries tantùm ictu vulneratus eſt. *David* fugâ maturâ periculo eripuit ſe. Neque tamen eripuit fugâ. Miſſi enim à rege qui per noctem ejus domum obſervarent, nè quò elaberetur ; manè occiderent. Innoteſcebant *Michali Davidis* uxori patris inſidiæ : ſive id ſuſpicione ſagaci collegerat, cùm à ſatellitibus regiis videret obſideri domum ; ſive à patre conſiliorum facta eſt particeps. Utcunque reſcivit, marito certè prodidit omnem rem, pro amore in eum conjugali ; conſuluítque, ut fugâ quàm primùm ſuæ ſaluti conſuleret. Ad præſidium ergò Dei precibus confugit in *Pſalmo* 59. At per oſtium tutus haud patebat exitus ad fugam. Demiſſus ergò fune per feneſtram eſt. Ac nè, deſideratum in lecto, citiùs eum perſequerentur quàm in tutum ſe recepiſſet, fraudem excogitavit uxor, quâ moras necteret, elabendíque ſpatium daret. Simulacrum aliquod in lecto, quaſi hominis ægrotantis, collocavit, veſte linteâ obtectum ; & requirentibus *Davidem* percuſſoribus, morbo eum reſpondit laborare, demonſtratâ imagine. Credunt ſatellites, & renunciant *Saulo*, quaſi miſerentes ægroti, quem ſine miſericordia erant interfecturi. Sanguinarius rex deferri ad ſe vel in lecto juſſit, ut à ſe interemptus deſineret ægrotare. At ſatellites reverſi nihil præter imaginem repererunt in lecto. *Ramam* evaſerat ad *Samuelem David*, ut à Propheta, quem regni exſpectandi, tantorúmque facinorum & periculorum quaſi autorem habuit, ſolatio jam conſilióque ſublevaretur. Ambo igitur *Naiothum* quaſi ad aſylum ſe recipiunt, in agro *Ramano*, ubi Prophetarum erat collegium, *Samuele* præſide. *Michalem* filiam *Saulus* increpavit aſperiùs, quòd malo dolo inimicum ſuum dimiſiſſet incolumem. Illa verò, ſibi metuens à furioſo patre, fingebat cauſas, & in *Davidem* transferebat crimen ; eum ſibi mortem fuiſſe minitatum dixit, niſi obſequeretur. Certior tandem factus eſt rex quò *David* profugiſſet, eum *Naiothi* agere inter Prophetas. *Naiothum* igitur miſſi protinus qui apprehenderent. Nec enim locorum quorumvis religionem tyrannorum ſævitia reveretur. At ſatellites, ubi ad cœtum Prophetarum acceſſerunt, ſtante in medio, quaſi præfecto chori, *Samuele*, ipſi etiam, agitante Spiritu Dei, unà cum aliis prophetare cœperunt.

non ignoſcitur à *Saulo*, qui uſque ſanguinem *Davidis* ſitit.

cœperunt. Cúmque alios atque alios à *Saulo* miſſos idem Spiritus Dei corripuiſſet; ipſe tandem rex eò profectus, antequam attigiſſet locum, in ipſa via Spiritu afflatus Divino, Prophetam agere cœpit. Nam & *regum corda in manu Dei ſunt*. (*Prov.* 21.1.) Exuit veſtem regiam, & Prophetam induit; nec eo die noctéve ad *Saulum* rediit. Interea *David* in aulam evaſit regiam, ut amiciſſimum ſibi *Jonathanem* conveniret. Cúmque de iniquitate patris apud filium conquereretur, ſanguinem inſontem ſitientis, vix juratus *Jonathani* fidem fecit. In aliis enim rebus inconſulto filio nihil agebat *Saulus*; & incolumitatem ei *Davidis* juramenti religione obſignârat. Nè igitur vel falſi argueretur, imò perjurii, doloréve affligeret *Jonathanem Davidis* interitu, ſuum ea in re turpe conſilium celare filium maluit. Perſuaſus tandem *Jonathan* de perfidia & crudelitate patris, dicere *Davidem* jubet, quid fieri velit; ejus gratiâ facturum ſe pollicitus omnia. Sic igitur *David* inſtituit, quò exploraret, an Spiritus ille propheticus immutâſſet in ſe animum *Sauli*, poſitóque furore an & odium poſuiſſet. Exſpectabat fortaſſe rex, ut eum jam ſecurum deprehenderet & incautum. Quare, "*Cras*, inquit *David*, *calendæ menſis* aderunt diéſque feſtus, *quo me* (pro more) generum *ſuam ad menſam* ſocer exſpectabit *rex*. *Sed mihi* potiùs *in agro latendum* alicubi *ad diem uſque tertium*. *Quòd ſi me requirat* abſentem *Saulus*, *dicas*, (obſecro) te, abſente rege, *licentiam* mihi permiſiſſe *proficiſcendi Bethleëmum* ad *ſolenne ſacrificium*. *Si probet* cauſam hanc, ſalva res eſt; *ſin verò indignetur*, & evaſiſſe me doleat, nondum reſedit ejus *furor* in me. Alibi eſt mihi quærenda ſalus. Peto igitur oróque te, per amicitiam noſtram, per ejus teſtem *Jehovam*, ut eum *te mihi* præſtes hac in re, quem *fœdere* illo es pollicitus, quo *tibi me* obligatum voluiſti. *Sed*, —*Si placet hoc*, *meruíque*, en pectus patet; tuum de me ferrum pœnas exigat: at nè odio prodas *me* furioſi *patris*. Vix fortaſſe lacrymas tenuit *Jonathan*; & "Túne, inquit, de mea fide tam ſolicitus es? *Abſit procul à me* hoc indignum nefas, ut prodam, ut tradam ego te; imò *ut celem taceámve, ſi de patris* ira *malóve in Davidem animo* quicquam *reſcivero*. Amicus fratre, amicus etiam patre charior. "At unde certior ego ſim, ait *David*, placidéne *pater tuus an iracundè reſpondeat*? Peream ego potiùs, quàm ut tuo id periculo fiat. "Hoc ut ſcias, ait alter, *deambulemus in agrum*. In agrum deambulârunt, locum ſine arbitris, & propoſito maximè opportunum. Ibi fœdus cum *Davide*, progeniéque *Davidis*, *Jonathan* pactus eſt novum. Vovet "ſe, *Jehovâ* teſte, patris voluntatem exploraturum, ac renunciaturum *Davidi* veriſſimè; ſive quid boni ſit, in aulam ut redeat, ſive mali, ut ſalutem alibi quærat: ac diſcedenti (ſi neceſſe id foret) omnia bona, ipſúmque regnum, quomodo *Saulus* tenebat, apprecatur à Deo. *Davidem* quoque ſacramento adegit, "eum ipſum ejúſque poſteros, ubi ad ſummum perveniſſet imperium, omnéſque ſubegiſſet inimicos, non ſibi modò viventi, ſed & ſuis poſteris, propitios atque benignos fore. Icto fœdere amicum docuit, quomodo certior de *Sauli* voluntate fieret. "*Poſt tres*, inquit, *dies*, in vepreto *quo antehac deliteſces ad lapidem Ezel*. *Ego* foras quaſi ad jaculandum prodibo in agros; ubi *tribus ſagittis quaſi ad ſcopum emiſſis*, *puero collecturo voce clarâ denunciabo*, ſi bene ſe habeat res, ut *citra* lapidem *ſagittas quærat*; *ſin verò* malè, ut *ultra*. Fœderis autem *inter nos* percuſſi teſtem *æternum* ſtatuo *Jehovam*. Uti compoſita res eſt, ità geſta. Ipſis calendis tacuit de *Davide* rex, vel caſu aliquo, vel propter immunditiam convivio ſacro abſtinuiſſe ratus. Altero die (nam ſuperfuiſſe videntur ex lautiſſimo regis convivio multa, quibus die altero epularentur; (*Levit.* 7.16.) ii præſertim qui pridie aberant;) percontatur ex *Jonathane* rex, ubinam abeſſet *Jeſſaii* filius *David*. Ille, ut convenerat, abiiſſe *Bethleëmum*, & cætera, verbis molliſſimis reſpondet. Infremuit illico iracundus rex, & convitiis *Jonathanem* fœdiſſimis laceravit. Spurium vocabat, matre adulterâ, non & ſe natum, qui "acerrimum patris inimicum, ſceptríque rivalem, ad ſuum atque ſuorum elegiſſet aleretque interitum. Mitteret ergò properè, qui veniam abeundi dederat, adduceretque hominem ad ſe damnatum ad necem. "*Ad necem* veró? inquit *Jonathan*. Quicquámne *admiſit* nece dignum? "En tibi rationem reddo mei judicii, ait *Saulus*; jaculúmque ſimul in ſuum contorſit filium. *Davidem* à morte vindicaturus, vix evaſit ipſe. Indignatus valde, & incenſus tantâ ignominiâ, periculóque *Davidis* extremo, proripuit cœnaculo ſe. Poſtero manè, indicium *Davidi* ſagittis (ut erat conventum) fecit crudelitatis paternæ; pueróque dimiſſo, cùm nullus in agro arbiter adeſſet, convenire pauliſper, & colloqui paucis, viſum eſt. Evocatus *David*, corpore in humum ter ſuppliciter inclinato, & honorem exhibuit filio regis,

A. M. 2947.

In *Jonathanem* etiam ipſum conjaculum *Davidis* gratiâ.

A.M. 2947. regis, & gratitudinem amico, quem erat amantiſſimum in ſe ac fideliſſimum expertus. *Jonathan* autem, coram Deo fœderis inter ſe ſuóſque poſteros æterni monuit. Ità mutuò amplexi oſculatíque, lacrymis uberrimè profuſis,quaſi ultimum ſibi dixerunt Vale. Indè in aulam *Jonathan*, *Nobum* ſe *David* ad *Abimelechum* Pontificem contulit, qui poſt fratrem *Abiam*, *Abitubi* filium,*Phineæ* nepotem,Pontificis *Eli* pronepotem, eo munere fungebatur. (1 *Sam*.14.3. & 1 *Sam*.22.9,11.) Illic erat fixum hoc tempore Dei Tabernaculum. Illic erat fortaſſe tanquam in loco ſacratiore Deo ſupplicaturus *David*, ut proſperam ſibi fugam faceret. *Nobum* verò non ea *Noba* eſt inter *Manaſſidas*, (*Num*. 32.42.) ut videtur *Torniello*; ſed tribûs *Benjaminiticæ* oppidum,*Anathothis* (*Nehem*. 11.32.) propinquum, quò *Abiathar* ſacerdos (1 *Reg*.2.26.) à *Solomone* remiſſus eſt. Tribuno militum, generóque regis *Davidi*, obviàm occurrit Pontifex honorificè. Sed & ſolum & inermem conſpicatus, nemine affectante comitantéve, quaſi malorum præſagio quodam perculſus contremuit. Et percontari auſus eſt, quid ea ſibi vellet ſolitudo. *David* commento ſubito ſedavit hominis timorem ad tempus: &, mandatam ſibi à rege rem ſummæ feſtinationis atque ſilentii, dixit, quæ aurem tertiam non admitteret; locúmque nominavit ubi comites præſtolabantur ſe. Eò adegerat virum bonum malè-ſuada neceſſitas, &—*duris urgens in rebus egeſtas*, ut remedia parùm honeſta adhibere coactus ſit. Ipſam quippe rem fluxæ lubricæque fidei ſacerdotis minimè ſibi credendam cenſuit. Sed longo fugæ feſtinantis jejunio famem contraxerat. Petit ergò à Pontifice, ut "*panes quinque ſibi* " *det,vel ſi quid* eſculenti *aliud eſſet in promptu*,quod ſuis eſurientibus tradat. "*Nullos* " *adeſſe* jam *ſibi panes*, ait ſacerdos, *præterquam ſacros*, (*Levit*. 24. 5,&c.) nuper à " menſa Dei, calidis ſubſtitutis, ablatos. Eos daturum ſe, *modò* comites *mundi ſint*, " vel *à mulieribus*. " Imò *tres jam dies*, *ex quo ſunt egreſſi*, continenter ſe habent " ac *mundè*, inquit *David*. *Panes verò* ipſi *quodammodo jam profani*, ex quo à ſacra " ſunt remoti menſa. Accepit ergò impunè *David*, comedítque ſacratos panes urgente fame, (*Matt*.12.4.) aliàs non niſi à ſacerdotibus legitimè comedendos. Sed & hoc non niſi conſulto Dei oraculo factum eſt. (1 *Sam*.22.10.) Tum de armis Pontificem rogat, "*haſtáne illi adeſſet*, *vel gladius*. *Regio* enim mandato ità *præcipitatum* ſe, ut " inermis prodierit, *non gladio* accinctus, ullóve paratus *telo*. " Sibi pacis & ſacro- " rum ſtudioſo, ait Pontifex, arma eſſe *nulla præter enſem Goliathi*, qui *pannis invo-* " *lutus poſt Ephodum* aſſervabatur. Eum peropportunum tradi ſibi *David* poſtulat, (quem poſtea credibile eſt reddidiſſe;) conſultóque per Pontificem Deo, *Iſraëlitidem* reliquit, in *Palæſtinam* confugit. Notus illico & captus à *Palæſtinis*, ad regem *Achiſhum Gathi* perductus eſt. Utque prædam viderentur opimam & rege dignam attuliſſe, "*hunc* aiunt magnum illum *eſſe Davidem*, *principem Iſraëlitarum*, *de quo in* " *choreis cantabant* mulieres,

David fugiens in Palæſtinam, ſe ſimulat inſanum.

" ——— *Mille ſunt Saulo hoſtium*,
"*Cæsique decies mille Davidi jacent*.

In maximis ergò periculis verſari cùm ſentiret ſe, extimeſcerétque vehementer, à Deo deprecatur interitum, omnémque ſalutis collocat in Deo ſpem, ut *Pſalmus* indicat 56. Ubi verò prudentia nihil erat profutura,ſimulavit inſaniam, Deo propitio ſalutarem. Ridicula neſcio quæ deſcribit in foribus portæ, barbam inquinat ſalivâ, ſermonem vultúmque, habitum atque geſtum immutat,

———*Dicitque facitque quod ipſe*,
Non ſani eſſe hominis, *non ſanus juret Oreſtes*.

Sed fortunavit Deus hanc dementiam, fecítque ut veram *Achiſhus* crederet.

Stultitiam ſimulare loco, *prudentia ſumma eſt*.

Sapientiâ ſuâ perituro, ficta vecordia ſaluti fuit. Succenſuit enim iis rex, qui furentem ad ſe hominem adduxiſſent. Prudentibus aiebat ſibi opus eſſe, non inſanis. Ità dimiſſus ex hoſtico eſt impunè *David*, & quaſi relegatus *Anticyram*. (1 *Sam*. 21.) Cujus beneficii gratiâ, laudibus Deum celebrat in *Pſalmo* 34. Indè in ſpeluncam properè ſe contulit *Adullam* (*Joſ*.15.35.) in ſua provincia *Judæorum*. Ibi *Pſalmum* condidit 57. contra hoſtium inſidias opem præſidiúmque implorans Divinum. Eò parentes atque fratres concivit ad ſe, cognatóſque alios, quos ejus causâ cœpit aſperiùs tractare ſuſpicax tyrannus, & pro hoſtibus habere. B.*Hieronymus* (in Tradit. *Hebraïc.*)

braïc.) & alii *Davidem* putant ab *Achiſho Gathenſi* ad *Nahaſhum* inprimis *Ammonitam* fugiſſe: ab eo, *Sauli* hoſte acerrimo, vel commeatu, vel pecuniâ, vel quodam alio beneficio donatum, ejus poſtea benignitatem animo gratiſſimo recoluiſſe. (2 *Sam.* 2.) In ſpeluncam verò non ſui modò, ſed homines alieni accedebant ad *Davidem* quàm plurimi; maximè obærati, egentes, afflicti, ac rerum propterea novarum avidi. Tantâ verò multitudine convolabant, ut in hominum quadringentorum excreverint exercitum. Sed à *Sauli* odio nihil ſibi tutum putavit in *Judæa*. In *Mizpen* igitur *Moabiticam* fide publicâ tranſiit cum ſuis. Erat illi cognatio quædam, & indè forſan amicitia, cum ea gente. *Obedus* enim, avus *Davidis*, *Ruthâ Moabitide* natus eſt. Et hoſtem ſe *Moabitis* profitebatur *Saulus*. (1 *Sam.* 14. 47.) Ejus ergò inimicus, *David*, facilè ab iis in amicitiam eſt admiſſus. Atque eò parentum gratiâ præcipuè ſe contulit, provectorum ætate jam, ut eorum quieti conſuleret. Humaniter acceptus à rege *Moabita*, in arce cum præſidio collocatus eſt. At noluit eum Deus regi profano, populíque ſui hoſtibus, debere ſalutem gratiámve. Sed regem à ſe deſtinatum, domi & ſuis contra hoſtes præſidio eſſe voluit, ità paulatim ſibi colligere autoritatem regiam. Quare *Gaddus* eum Propheta monuit à Deo, ut rediret in *Judæam*, *Moabitidem* deſereret. Ut primùm *Saulus* audiit, in *Judæam* rediiſſe jam cum copiis *Davidem*, *Gibeæ* in excelſo nemore, lanceam in manu tenens, ità de ſuis apud ſuos conqueſtus eſt: "Quid eſt, ô *Benjaminitæ*, ſervi atque tribules mei, quòd regi dominóque veſtro, de "vobis merenti optimè, (abſit verbo invidiâ,) tam exiguam támque malam præ-"ſtetis *univerſi* fidem?) *Jeſſaii filius iſte*, qui arma contra me gerit, quas quantáſque "jamdiu *paravit inſidias in me*, meum captando aùcupandóque regnum? *Meus* ipſe "*filius*, (doleo referens,) *meus*, inquam, *filius cum* perduelle *fœdus* & conjurationem "*iniit*, maléque in patrem ſuum machinanti *faces addidit* acriores. *Quiſquámne* "tamen *veſtrûm inſidias prodidit*, aut ſontes detulit, mêve *admonuit* periculorum? "*Quiſquámne* omnium *Sauli*, infortunati *Sauli vicem doluit*?

"*Speravi melius, quia me meruiſſe putavi:*
"*Quæcunque ex merito ſpes venit, æqua venit.*

"Quis enim veſtrûm eſt omnium qui aliquo à me beneficio non ſit ornatus? *Vobis* "*prædia donavi & vineas. Tribunos* militibus *præfeci vos & centuriones.* Optima "quæque præmia maximè omnium in vos contuli. Ampliorâne aut paria his ab "homine *Judæo* exſpectatis vos, ſervi & populares mei? *Saulo* ità conquerente, aderat *Doëgus*, paſtorum regiorum præfectus, ex gente *Idumæorum.* Is verò in Tabernaculo fortè aderat quando à Sacerdotibus gladium atque panes accipiebat *David.* Ut ſuam ergò regi liberaviſſe fidem videretur, *Abimelechum* detulit Pontificem, quòd viatico & armis juviſſet *Davidem*, & ejus gratiâ conſuluiſſet Deum. Ità principem ardentem inflammavit, quomodo ſolent adulatores, & *ex ſtulto* (quod aiunt) prorſus *inſanum* reddidit. Protinus igitur mandato regio accerſitur Pontifex, familiáque Sacerdotum *Nobenſium* univerſa. Criminatur eum rex ut inſidiarum participem quas ei comparabat *David*, & reliqua opponit quæ narraverat ei *Doëgus*. "Abſit verò, "magne rex, (*Abimelechus* reſpondit,) ut inſidias *gener* in ſocerum, in dominum "ſervus, *David* in *Saulum* ſtruat. *Quis enim eo eſt ſervorum tibi omnium fidelior?* "quis in obeundis *mandatis* paratior? quis ab omni ſuſpicione perfidiæ longiùs ab-"eſt? Et *ejus gratiâ*, viri optimè de patria meriti, vel potiùs tui gratiâ, cujus ille "miniſter, & miles, & gener eſt, *Jehovam* ſæpius *à me conſultum* fateor. Quicquid "illi dedimus, tibi dediſſe videbamur. *Nolis*, obſecro, invicte rex, id *nobis vitio* "*vertere*, quod tui demerendi ſtudio fecimus *Davidi.* His pro ſe fruſtrà quidem dictis à Pontifice, "Habemus, inquit *Saulus*, confitentem reum. Tu te ais feciſſe "quod objicitur. Ego *te cum familia tota* facti pœnas daturum ſtatuo. Cum *Davide* "vos conſpiraviſſe conſtat. Proditionis tenemini. Cujus fugam detuliſſe ad me opor-"tuit, veſtrâ vos operâ & ope expediviſtis. Satellitibus ergò mandatum à rege, ut impetum facerent in Sacerdotes, unâque ſtrage tollerent univerſos. At illos reverentia ſacri ordinis, & immaniſſimi facti crudelitas, detinuit nè obſequerentur. Recuſârunt præbere ſe impietatis regiæ miniſtros. Deo ipſi multò magis quàm vicariis Dei parendum eſt, principibus. Mandatarius enim ſi quid extra mandatum faciat, irritum eſſe debet. Sacerdotes, ipſius Dei miniſtros famulóſque domeſticos, ſceleris nullius reos, eodem accuſatore ac judice, in ſua cauſa, leviſſimâ ſuſpicione condemnatos, & unius causâ mactare omnes, cùm Dei mandatis minimè convenire tantam iniqui-

A.M. 2947.

Satellitibus recuſantibus juſſa *Sauli* patrare, *Doëgus* exſequitur crudeliſſimè in ſacerdotes.

A.M. 2947. iniquitatem feritatémque perſpicerent, negleẞti erga regem officii nullo modo tenebantur, qui tantum ſcelus imperanti non obtemperabant. *Doëgus* autem, corycæus ille qui detulerat innocentes, rege imperante, carnificis munere libentiſſimè crudeliſſiméque perfunctus eſt. Ordinis enim ſacerdotalis viros quinque ſimul & octoginta contrucidavit. Gladio jam confecit, quos linguâ jugulârat priùs. Nec in eos modò, ſed in ipſam urbem deſæviit *Nobum*; non ſexui pepercit, non ætati, non jumentis pecudíve. Nulla habita loci ratio eſt, ad cultum Divinum deſignati.. Nihil Tabernaculum Dei, nihil Pontificis propheticum Ephod, nihil Sacra & Religiones totius populi apud homines profanos atque impios valuerunt. Unicus *Abimelechi* filius *Abiathar* cum Ephodo evaſit incolumis ad *Davidem*; cui vehementer dolenti rem utì geſta eſt omnem expoſuit. Et, "timuiſſe *David* aiebat ſe, ubi conſpexit *Doëgum* " in Tabernaculo, *eum Saulo renunciaturum* quæ viderat; tantas excitaturum tra-" gœdias, non timuiſſe. Fateri quidem ſe, ac dolere plurimùm, quòd tantæ imma-" nitati *anſam præbuerit* inſciens, non & cauſam. *Manere* igitur *apud ſe Abiatharem* " jubet. Ejus enim *ſalutem* ſuâ ſibi non minùs charam fore. *Pſalmus* in *Doëgum* 52. à *Davide* conſcriptus eſt, qui *Ceilæ* jam morabatur.

David à ſervitio *Ceilanos* aſſerit ingratiſſimos; Nam copiæ *Davidi* militares aderant; militia deerat, cui operam hæ darent, patriæque prodeſſent, copiæ. Mox peropportunè fama percrebuit, oppidum *Judææ Ceilam* à *Palæſtinis* oppugnari. *Gaddum* igitur (ut credibile eſt) Prophetam, (nondum aderat *Abiathar*,) exquirere jubet voluntatem Dei, auxilióne *Ceilanis* proficiſcatur. Conſuli Deum voluit, tum ut bellum legitimum, autore Deo, tum ut certam haberet victoriæ ſpem. Proficiſci mandat oraculum. Cæſis enim hoſtibus, *Ceilam* ait liberaturum. At milites tamen detrectabant hanc militiam. "Nec enim " ſibi deeſſe ab hoſtibus timorem dicebant procul agentibus: quantò periculoſius " futurum, ſi *Ceilam* pergerent, urbem propinquam arcibus *Palæſtinis*? Ut ſcrupulum hunc meticuloſis quibuſdam eximeret, iterum rogari Deum imperat: iterum jubetur auxiliari *Ceilanis*. Hoſtes ei victos traditurum in manus Deum. Cum exercitu ergò *Ceilam* profectus eſt, cum *Palæſtinis* deſcendit in prælium, victos cecîdit magnâ ſtrage, multo pecore ſpoliavit, denique ab exitio *Ceilanos* aſſeruit. Ad *Saulum* deinde nuncii afferebantur, *Ceilæ Davidem* agere. Locum communitum ſibi opportunum putavit *Saulus*, in quo inimicum ſuum vel proditum vel obſeſſum caperet. Magnum igitur exercitum cogit, quaſi *Ceilanis* opitulaturus fortaſſe; (vulgatâ nondum famâ de victoria *Davidis*,) aut aliâ quadam ſpecie ſimulatâ. Suſpicatus *David*, pro ſua prudentia, & indicio fortaſſe *Jonathanis*, tum regis fraudem, tum *Ceilanorum* fidem, ad Deum confugit pro ſuo more, humilitérque petiit, vel per *Gaddum* Prophetam, vel per *Abiatharem* Pontificem, qui jam aderat, primò, an eſſet

ab iiſdem mox proditus. *Ceilam* oppugnaturus rex. Reſpondit, oppugnaturum, Deus. Rogat deinde, an *Ceilani* ſint eum *Saulo* ſuáſque copias tradituri. Traditurqs, ait Deus, ſi permanerent. Quare *David* apud homines tam ingratos, redditæque ſibi ſalutis tam citò immemores, haud permanendum ſibi diutiùs putavit. Diſcedente verò *Davide*, neutiquam eò *Saulus* acceſſit, elapſam è manibus prædam fruſtrà revocaturus. De fuga ſua & perfidia *Ceilanorum Pſalmus* à *Davide* ſcriptus videtur 55. *Ceilanos* maximo ſalutis beneficio cùm ſibi obligâſſet *David*, urbem nactus munitiſſimam, in tuto ſe collocatum adverſus omnem *Sauli* vim atque impetum ſperabat. Sed perfidia civium exuit eum hâc ſpe. Suo enim præſidio niti volebat Deus, non humano. Cum ſexcentis ferè militibus *Ceilâ* diſceſſit *David*, quò vix quadringentos attulerat. Indè montem *Hachilam*, naturâ munitum, in deſerto *Judææ Ziph* occupavit. Sed & eò *Saulus* eum perſecutus eſt. Neque minùs amoris impetu perveſtigavit eum *Jonathan*, quàm odii *Saulus*. Et acceptis fortaſſe à *Davide* nunciis, in ſylva latitantem convenit, verbíſque amiciſſimis conſolatus eſt. A cogitatione malorum, ad rerum bonarum exſpectationem revocat. "Animo eſſe forti & erecto jubet. Nam præſi-" dio eum majore tutum eſſe, quàm ut regis eum attingant inſidiæ. Scire ſe, imò " *& patrem ſcire*, *regnaturum Davidem*, *à* rege *verò ſe ſecundum fore*. Sibi enim, " quanquam hæredi regio, tamen honeſtum eſſe, itá volente Deo, in ſecundis, in ſe-" cundis poſt *Davidem*, conſiſtere. Atque hâc lege renovato fœdere diſceſſum eſt. Veræ amicitiæ quanta vis? Amorem in parentes, timorem à periculis, ipſam honoris & imperii ambitionem, quâ plerique flagrant ardentiſſimè, ſuperat omnem & reſtinguit. Et amici benevolentiæ patuit deliteſcens in ſylva *David*: nondum inimici diligentiſſimè perquirentis odio patebat. Tandem à *Ziphæis* ſuis tribulibus, è *Zipho*

nepote

nepote *Calebi* poſteris, (1 *Chron.* 2. 42.) prodita ſunt ejus occultantis ſe latibula. *Nobenſium* calamitatem veriti, ultro & maturè captabant hi tyranni gratiam. Pollicebantur ſe, modò *Saulus* eò deſcendere dignaretur, captum ei *Davidem* tradituros. De hac perfidia conqueritur *David Pſal.* 31. 54. 63. 116. & aliis. Tam inopinatam & opportunam perfidiam *Saulus* magnis ornare laudibus, & "*benedictos* "appellare proditores *à Deo*, *qui ſortem ſuam* ſoli ferè *miſerabantur.* Monet ergò "ut ſummam adhibeant diligentiam & ſolicitudinem, ut *explorent ejus & cognoſcant* "omnes *latebras* & diverticula, ut *certi certiorem faciant ſe*, nè perſequenti diutiùs ei va- "gandum ſit cum exercitu per ſolitudinem. Ab aliis *ſe accepiſſe*, *Davidem eſſe aſtutum* "*& ſummâ calliditate.* Sed ubicunque *deliteſceret*, *omnes Judææ* angulos excuſſurum "ſe, & *perſcrutaturum* diligentiſſimé. Haud latebat *Davidem* hoſtes adventare, proditionis impulſos certâ ſpe. In deſertum ergò *Maon*, rupémque montis cujuſdam, ſe cum ſuis contulit. Eo *Ziphæi* præibant, ducebántque regis exercitum. In extremo jam diſcrimine *Davidici* verſabantur. Montis ejuſdem latus alterum occupaverat *Saulus*; in altero feſtinabat cum ſuis *David*, nè multitudine hoſtium circumfuſi concluderentur undique, nullúſque pateret exitus ad fugam. Ope humanâ prohiberi non potuit quin capti omnes internecione delerentur. At qui ad regnum deſtinaverat, ab immatura morte prohibuit *Davidem* Deus. Itaque leoni *Saulo* jam hianti, captantíque prædam, ex ipſis penè faucibus eripuit. Nuncius adeſt præcipiti curſu anhelans, qui magnâ vociferatione regiam implorat opem. Hoſtes narrat *Palæſtinos* magno impetu irrupiſſe in *Judæam*, prædas agere, captivos abducere; niſi quàm primùm ſubveniatur, maximis onuſtos ſpoliis in ſua properè munimenta evaſuros. Nuncio tam intempeſtivo indignatur & fremit vehementer tyrannus. Quid enim faciat? Si *Judæis* contra *Palæſtinos* ſuccurrat, elapſurus erat quaſi è manibus *David.* Sin odio privato indulgeat, negligátque rem communem, veretur nè & ipſe negligatur à ſubditis, militéſque ſibi non obſequantur. Ægre tandem avocatus eſt, tumultuante forſan exercitu; maximóque defunctus periculo *David*, acceptam Deo ſalutem fert. (1 *Sam.* 23.) In hoc diſcrimine precantem *Davidem Pſalmus* exhibet 54.

A. M. 2947.

E faucibus leonis *Sauli* ereptus *David*

Cùm proſpiceret *David*, in deſerto *Maon* minimè tutum futurum ſe, in ſolitudinem *Engeddi* ſe recepit, ubi munitiora quædam loca tenuit. Properavit *Saulus* ab hoſtibus publicis, ut privatis litaret odiis. Contraxit exercitum ad tria millia fortiſſimorum militum, quibus facilè videbatur ſexcentos profligaturus. Habuit, credo, *Ziphæos* alióſve, qui obſervarent *Davidem* quò fugeret. Sequitur ergò in ſolitudinem *Engeddi*, altiſſimas quaſque rupes, & confragoſa montium juga, ſylveſtribus tantùm capreis pervia, perluſtrat. Id facturum, quâ erat prudentiâ, ſuſpicatus *David*, ex montibus deſcenderat, & ad viam in antro quodam ampliſſimo cum ſuis latitabat. Eo minimè omnium in loco quæſitum iri ſe credidit, tam cuivis obvio. Secretas hujus antri tenebras quæſivit *Saulus*, dum eâ fortè præteribat, ubi purgaret alvum. Illi ex intimo receſſu ſpeluncæ facilè obſervabant ſi quis ingrederetur, propter lucis in aditu ſplendorem. At ingreſſi primo aditu nihil proſpiciebant, ſubitâ caligine opprimente viſum. Conſpectus ergò *Saulus*, ipſe conſpexit neminem. Tum verò milites ad *Davidem*, *Ecce*, inquiunt, *illud jam tempus adeſt*, *quo traditurum in manus inimicum tibi pollicitus Jehova eſt*, *tuo tractandum arbitrio.* Tacitè ergò acceſſit *David*, & oram pallii fortaſſe depoſiti à *Saulo* præſcidit, rediítque ad ſuos. Ægre ferebant ſocii non occidiſſe, cùm poſſet, capitalem hoſtem; & peracturi cædem videbantur, niſi *David* ab inſtituto paucis, at efficacibus, verbis avocâſſet. "*Prohi-* "*beat* verò *Deus*, inquit, *nè domino meo* ſervus, regi unquam ſubditus *manus infe-* "*ram*, & *unctus à Deo* violetur à me. Hoc ipſum quod feci pungit mihi animum, "pallii oram abſtuliſſe. Interea diſcedit ex antro *Saulus*, & paulo intervallo ſequitur *David*; editáque voce cùm inclamâſſet, *Mi domine*, *mi rex*; reſpicientem *Saulum* inclinato in terram capite humiliter veneratus eſt. Deinde, "*Quorſum* verò, "inquit, magnifice rex, adulatoribus de me *tuæ patent aures*, quaſi *perniciem tibi ma-* "*chinante?* *In manus te meas hodie Jehova tradidit*, ſi malè tibi voluiſſem, occi- "dendum. Pari enim facilitate *vitam* quâ hanc *pallii fimbriam* (fimbriam oſtendit) "*tibi ſuſtuliſſem.* Abſit verò ut *Chriſto Dei afferam ego vim.* *Ecce*, *mi pater*, *ecce* "*tui oram pallii.* *Tibi peperci*; hanc, ut id ſcires, abſtuli. Temet ergò ipſum in- "nocentiæ meæ teſtem ſtatuo, *judicémque inter nos Deum*, & *mearum* injuriarum "*vindicem.* *Ego enim neutiquam* ulturus ſum. *Impii*, *quod proverbio dicitur*, *impiè*

Saulo vitam condonat,

"*faci-*

A.M. 2947. "*faciant. Nullam verò inferam ego tibi vim.* Etſi autem *in te nihil admiſerim*, *tu* "*me tamen* ut hoſtem *perſequeris*, *vitam ut* inſonti *auferas. Quem* verò *perſequitur* "tanto cum apparatu bellico *Iſraëlitarum rex? Canem*, puto, *mortuum*, *pulicémve* "minimum. Quàm indignus ego ſum, homuncio nihili, expeditione regiâ? quàm "impar tantis armorum viribus, venantium quaſi moloſſis murem? *Quare* iterum "atque iterum imploro atque appello ſupremum totius mundi Judicem, ut pro ſua "æquitate *ſententiam inter nos ferat*, *meámque* innocentis *cauſam ſuſcipiat*, *ac vindi-* "*cet* ab injuſta vi. Ubi hæc audivit *Saulus*, clarâ etiam voce, "Cujus, inquit, "*hanc* ego *vocem* audio? *filiine mei Davidis?* Eóque dicto, in fletum prorupit & ſingultus. Mox autem ſedatis lacrymis pergit; "Fateor equidem, fateor, inficiari "non poſſum, *juſtitiâ* & meritis in me multò *eſſe te ſuperiorem*, mi fili, qui *malè tibi* "*machinantem beneficio affeciſti* maximo. Ego tibi vitam eripere ſum conatus; *tu* "*me*, *tibi traditum in poteſtatem à Deo*, ſalvum eſſe voluiſti. *Quiſquámne* verò in "*hoſtem* capitalem eâ lenitate eſt, ut, cùm occîdere poſſit, *incolumem dimittat? Hoc* "tantum vitæ *beneficium*, cui ſolvendo me longè imparem agnoſco, *Deus tibi* Opt. "Max. pro ſua ſumma bonitate *retribuat. Novi ego jam, & planè perſpicio*, *regnum* "hoc *tuis* tantis deberi meritis. Non repugno jam ampliùs impedióve. *Te* modò "unum hoc polliceri *mihi juratum* expeto, *nolle te* in *liberos meos poſteróſque* ſævire, "*neque* meâ causâ *meam progeniem atque nomen delere.* Id ei cùm, *Jehovâ* teſte, juraviſſet *David*, in ſuas montium munitiones (diſcedente *Saulo*) cum ſuis rediit. Nec enim aulæ regis denuo ſe credere, aut inimico reconciliato, auſus eſt. En quantum valeat apud homines iniquiſſimos veritatis & conſcientiæ vis. Lacrymas nonnunquam exprimit vel invitis, efficítque ut accuſent ipſi & condemnent ſe. *Suum filium* nunc appellat *Saulus*, quem, per contemptum, non niſi *Jeſſaii* modò *filium* vocârat, nec ſuo *Davidis* nomine dignatus eſt. Deprecatur internecionem ſuorum ab eo, quem ipſum ut extingueret cum ſuis omnibus advenerat. (1 *Sam.* 24.) Preces *Davidis* cùm in hoc antro eſſet periculóque leges in *Pſalmis* 142. & 57.

& ad pœnitentiam adigit.

Dum invidiæ ſuæ *Saulus* odiiſque privatis indulgebat, interea *Rubenitæ*, *Gaditæ*, alteráque pars *Manaſſidarum* ultra *Jordanem*, ſuis ipſi armis hoſtes ſummovebant propinquiores, ditioníſque ſuæ fines proferebant victoriis. Conterminos habuerunt ab Oriente *Hagarenos* ſive *Iſmaëlitas*, eos maximè qui à *Jeture* ac *Naphiſho* (*Gen.* 25. 15.) erant oriundi; quibus finitimi erant *Nodabæi: Nubæos* vocat *Junius.* Hos omnes exercitu infeſto fortiſſimorum peritiſſimorúmque militum 44760 invaſerunt. Collatis ſignis, quanquam hoſtes numero longè ſuperabant, Deo tamen propitio, ſunt virtute ſuperati, cæſi, fugatíque. Opem ſcilicet Divinam inter pugnandum precibus importunis exoraverant *Iſraëlitæ.* Hoſtium capta ſunt centum millia, aſinorum duo, camelorum quinquaginta, ducenta verò pecudum & quinquaginta. Hoſtilem regionem ſuis deinde coloniis tenuerunt, donec ipſi tandem aliò in colonias ab *Aſſyriis* traducti ſunt. (1 *Chron.* 5. 18, &c.)

A.M. 2948. § 28. Hoc, opinor, anno, interitum *Sauli* præcedente, diem ſuum obiit Propheta *Samuel.* Poſt hæc enim nihil geſtum aliud videtur ante regnum *Davidis*, niſi quæ de *Nabale* narrantur, & profectione *Sauli* contra *Davidem* ultima, moráque *Ziclagi Davidis* annuo & menſium quatuor ſpatio. Tantum verò integritati atque autoritati Judicis ultimi tributum eſt, ut populus eum univerſus *Ramæ* coactus luxerit, atque ſepelierit honorificè. Et aderat fortaſſe tanto funeri *Saulus* ipſe rex. Semper enim reveritus *Samuelem* eſt, nec in eum auſus machinari quicquam, utcunque ſeveriùs eum increpuerit Propheta, & regni abdicationem denunciârit. (1 *Sam.* 15. 23, 26, 28. & 13. 13, 14.) Theologi plerique *Samuelem* opinantur Librum ſcripſiſſe *Judicum*, & *Ruthæ*, eorúmque priorem qui *Samuelis* dicuntur uſque ad obitum ſuum. Reliquum ejus Libri, & poſteriorem *Samuelis*, à *Nathane Gaddóque* ſcriptum, 1 *Chron.* 29. 29, 30. indicatur. Nec deſunt qui Librum *Joſuæ* vel ſcriptum à *Samuele*, vel interpolatum cenſeant. De Regni quoque jure Librum compoſuit; (1 *Sam.* 10. 25.) quem credibile eſt unà cum Regno intercidiſſe. Funeri verò *Samuelis David*, etſi non interfuit, luctum certè debuit maximum; eóque magis cavendum ſibi à *Saulo* putavit, quòd eſſet ablatus Is, cujus autoritate ſuam cauſam populo maximè commendatam noverat. In deſertum ergò *Paranis* & oras ultimas *Judææ* ſe contulit, ut ab invidia *Sauli* quàm remotiſſimè abeſſet. Habitabat *Maone* (cujus in ſolitudine delituerat *David*) locupletiſſimus vir, ex genere *Calebi*, ſed ingenio pravo, & moribus protervis atque inhumanis. *Nabal* vocabatur, nomine *ſtultitiam* præ ſe ferente.

Nabalis protervià exardeſcens.

Mille

Mille habuit capras *Carmeli*, ovium tria millia. Eò cùm deſcendiſſet ad oves tondendas, magno cum epularum apparatu, decem è ſuis miſit ad eum *David*, qui ejus illi verbis ſalutem dicerent, ſalvóque domino ſalvam domum, ſalváque omnia, exoptarent. Deinde peterent, ut "ſe, incolas eremi, aliquâ ſuorum conviviorum parte "*communicaret*. Si enim *quæreret*, inventurum ſe *paſtoribus ejus* operam haud inu-"tilem præſtitiſſe. Tantum enim abfuiſſe, ut aliquid ab invitis auferrent vi, ut ab "aliis latronibus præſidio fuerint. *Nihil* igitur *deſideratum fuiſſe*, nihil raptum à "ſuis, non ovem, non agnum, caprámve aut hœdum, ex quo *David* cum ſuis ad-"fuiſſet. Illi ſe militaviſſe; imò paſtores potiùs & cuſtodes ovium quàm milites "egiſſe, & acturos in poſterum, quàm diu hæc inſideant loca. Rogarent ergò ut "*filium Davidem*, *ſervóſque ſuos Davidis* commilitones, cùm tam opportunè *in* "*feſto die adveniſſent*, *quantâlibet* epularum *portione dignaretur*. Non ex opibus colligenda eſt Dei gratia. *David*, optimus prudentiſſimúſque vir, egeſtate laborat & inopiâ; *Nabali*que ſupplicat, homini & ſtulto & impio, ſed affluenti divitiis. Cùm nuncii à *Davide* mandata peregiſſent, iracundè *Nabal* & aſpere, imò & contumelioſè, reſpondit; "*Quis* verò *David eſt? Jeſſaii filius quis?* ut *meum ego potum victúm-*"*que*, & victimam, ovium *tonſoribus paratam*, *in* peregrinos erronéſque *planè ignotos* "*prodigam* & profundam? *Multos* ubique ferunt *hoc tempore ſervos* volitare *fugiti-*"*vos*, *dominis relictis*. Videte nè ex iis fortè ſit iſte *David*, ex iiſdem quos habet ſo-"cios & commilitones. Exarſit illico *David*, ubi à nunciis delata exaudivit hæc, & præceps ruit in vindictam: adeò & ſanctiſſimi viri multum in ſe terrenæ fæcis retinent. Carè, ut ferunt emitur, quod precibus impetratur. Multò cariùs, quod non precibus modò, ſed & beneficiis mutuis promeriti exoramus. At neque precibus neque beneficiis impetrare poſſe quod petitur, indignum videtur. Durum eſt, negare cùm rogeris: quantò durius, cùm promereatur qui rogat? At negantem & contumelias addere, benéque merentes cumulare probris, peracerbum hoc & vix ferendum mitiſſimo candori. *David* certè lenitate ſummâ vir; tolerare tamen non potuit. Animi excelſi & generoſi graviùs multò convitia ferunt quàm verbera. Milites ergò ſe gladiis jubet accingere. Accingunt ferè quadringenti. Duceni apud impedimenta cuſtodes remanent. Utque inflammatus ipſe, milites quoque ad cædem incenderet, "O *fruſtrà*, inquit, mea in hominem ingratiſſimum collata beneficia! Ideó-"ne indigentem continui ego me, eſurientéſque milites cohibui à rapinis? Ideóne "ipſos abigeos abegi, ut eſſent incolumes illi ſuæ *omnes res*,

"*Ut fieret meriti merces injuria noſtri?*

"tantæque benignitati *reſponderet* homo nefarius convitio? Malè mihi *faciat Deus*, "niſi domum ejus totam funditus delevero *hâc nocte*, *neque* vel canem vivum *reli-*"*quero*. Hæc verbis minacibus *David*, hæc animo furente agitabat. Interea paſtorum unus *Abigailem* hac de re uxorem *Nabalis* monuit, fœminam prudentiâ non minùs quàm pulchritudine inſignem: Quantum fuiſſet *Davidis* in ſe beneficium docuit; quàm protervè reſpondiſſet *Nabal*; quantum impenderet ejus toti familiæ periculum, niſi domina maturè provideret. Nam dominum, tantâ improbitate ac proterviâ, nè alloqui licebat impunè. Facilè hæc arripuit animo ſagax mulier; & protinus impoſuit aſinis, inſcio marito, panes ducentos, paratáſque oves quinque, totidem granorum toſtorum Ephas; uvarum quoque ſiccarum centum ligaturas, maſſas caricarum ducentas, utres denique vini duos. Dúmque aſino inſidens ſub montis quaſi umbra deſcendebat, *Davidi* ex altero monte deſcendenti occurrit improviſò. Conſpicata quem petebat, in pedes illico deſiliit, corporéque incurvato in humum adoravit. Deinde ad genua ejus cùm ſe in ſupplicis humilitatem ſubmiſiſſet, oratione molli furentis impetum compeſcuit. "*In me*, *mi domine*, *hujus* "*peccati* quod vindicatum properas, *in me reatum* conjice; veniam tantummodo "pauca *loquendi apud te*, excuſandíque noxam, humillimè peto. Non eſt profec-"tò, inclyte dux, *homo iſte perditus* tuâ dignus irâ generoſâ. Quàm *enim* aptè "*ejus* ingenio *nomen*, facienti *ſtultè Nabal* convenit? *Ego* certè de tuo mandato "nihil prorſus audivi, cognovi nihil antequam nuncii abiiſſent. Ut primùm didi-"ci, obtemperavi. *Cùm* autem *Deus te*, ſolus profectò Deus, *à cæde* jam *& vindic-*"*ta cohibuerit*, quam in *Nabalem* deſtinaveras; idem ut eandem *in hoſtes tuos* tranſ-"ferat humillimè obteſtor. Ego quod potui & in promptu fuit feſtinanter *attuli*, "indignum fateor domino donum, militibus *diſtribuendum*. Quare iterum atque

A.M. 2948.

Abigailis prudentiâ placatur David.

A.M. 2948.

"iterum clementiam tuam in me atque manſuetudinem appello. Novi equidem ſo-" lium tibi regium deberi, & in tua perpetuum *familia ſtabilé*que futurum. Deus "enim te ſuorum *bellorum* ducem conſtituit; eúmque tu hactenus inculpatum, omníſ-"que *ſemper immunem criminis* egiſti. Etſi enim habeas qui *perſequatur*, *vitæque inſi-"dietur tuæ*; incolumem tamen præſtabit te *Deus*, *inimicis verò* perniciem afferet. *Poſt-"quam* verò *promiſſa tibi Jehova perſolverit*, & in ſolio regali te collocârit, eò tran-"quillior tibi futura mens eſt, neque ullus *cruciabit conſcientiæ ſtimulus ob cædem à "te temere perpetratam.* Tum verò & *mei*, obſecro, *dominus meminerit*, cujus ope-"râ à tanto ſcelere eſt revocatus. Hæc apud *Davidem Abigail:* qui tantam in fœmina prudentiam admiratus eſt; peccatíque admonitus vel à muliercula, non contempſit, non excanduit infremuítve, quod plerumque fit; ſed candore ſummo & modeſtiâ illico errorem faſſus eſt, reſipuit, revocavit ſe, magnáſque Deo gratias egit, quòd ſibi maturè præcipitanti ſubveniſſet. "*Benedictus*, inquit, *Jehova Iſraëlitarum* "*Deus*, *qui te mihi obviàm dedit. Benedicta*, quâ errantem monuiſti me, *oratio tua.* "*Tu* ipſa *benedicta*, *quæ à cæde* atroci *me privatâque ultione prohibuiſti. Deus enim* "mihi teſtis eſt, *qui ab* hoc me ſcelere *cohibuit*, *niſi feſtinâſſes tu*, & in via *mihi occurriſſes*, "totam vobis familiam *hâc nocte*, *nè* cane quidem *relicto*, peſſundediſſem. En igi-"tur quod attuliſti munus *accipio*, deprecationem *exaudio*, téque *ſalvam* ad tuos & "incolumem dimitto. Non præſtitit ergò *David* quod facturum ſe juratus denunciârat. Juramenta enim votáque ad bene agendum ſtimuli eſſe debent, non vincula ſcelerum. Quod enim temere vovet quis, ut *Jephta* olim de filia, revocatur id ſatiùs quàm perficitur, nè geminetur peccatum. Redeunte domum *Abigaile*, convivium agitabat *Nabal* magnificum & planè regium. Multâ igitur hilaritate animum perfuderat, & prorſus obruerat ſe vino. Tum vel maximè ſecura eſt impietas, cùm maxima impendent pericula, interitúſque inſtat repentinus & inexſpectatus. (*Dan.* 5. 1, &c. *Luc.* 12. 19, 20.) Cùm autem virum videret ità confectum vino, ac nè virum, nè hominem quidem jam, de *Davide* prudenter tacuit, nè fruſtrà apud ſurdum mortuúmve verba facere videretur. Monendo ſi quid proficere velis, captandæ ſunt occaſiones tempeſtivæ; ut ſolent, ſi quid ægrotis porrecturi ſunt, Medici. Exſpectavit ergò donec edormiviſſet crapulam. Tum demum ei narravit quæ accidiſſent omnia, & quæ accidere potuiſſent, niſi à ſe maturè occupata. Cùm audiviſſet *Nabal*, cogitarétque apud ſe quàm propè abfuiſſet ab interitu, adeò perculſus eſt, ut penè in lapidem diriguerit, qualem ſe antea ferè nimiâ tenacitate ac duritiâ præſtiterat. Mira fœminæ facunditas. Quæ *Davidem* ferocientem in ſummam manſuetudinem emolliverat, eadem lingua *Nabalem* ſtupidum planè ſaxeúmque reddit;

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodémque igni.

Vehementibus enim & repentinis affectibus, timore, dolore, gaudio, affligitur graviſſimè cor, commoventúrque ità ſpiritus, ut anima nonnunquam exturbetur. Cùm igitur magno languore decubuiſſet *Nabal*, contabuiſsétque decem dies, (tantum apud hominem pravum, maléque ſibi conſcium, provocati & præpotentis inimici terror valuit,) tum demum Divinâ quadam vi è medio ſublatus eſt. Lætatus quidem eſt *David*, gratulatúſque Deo de juſtitia ſua, qui de *Nabale* pœnam ſuis meritis dignam exegiſſet, ab omni vindicta interim & cæde innocentium innocente ſe. Ad *Abigailem* verò, viduam jam, & viri ſolutam indigniſſimi jugo, *Carmelum David* nuncios miſit, qui ſibi uxorem peterent: commodiſſimam certè uxorem futuram, utpote prudentem atque piam, formoſiſſimam ditiſſimámque. Ipſe huic ambitioni ut intereſſet, minimè ſibi conſultum putavit; nè vel eâ conſentiente, invitam adegiſſe præſens in ſuas leges videretur; vel negante quod petebatur, ipſe aliquo ſuffunderetur pudore. At eo abſente, tum libera metu erat *Abigail* futura, ut quidvis ſtatueret; tum dedecoris expers *David*, ſi repudiaretur conjugium. At conjugium tam opportunum, tantæque ſpei, mulier prudentiſſima repudiandum ſibi non cenſuit. Sed modeſtè humilliméque reſpondit, inclinato priùs in humum, quaſi venerata præſentem, corpore, "Indignam ſe "tanto conjuge; at *ancillam* eſſe paratam, *quæ ſervorum domini ſui lavaret pedes.* Aſino igitur inſidens, & quinque pediſſequis aſſectantibus, nuncios comitata eſt, & conjugio copulata *Davidi.* Sed & alteram uxorem duxit mox, *Abinoamam* de *Jezreële. Michal* autem, filia *Sauli*, *Palti* ſeu *Phaltieli* cuidam, *Laïſhi* filio, (2 *Sam.* 3. 14, 15.) à patre collocata eſt, partim ut dolore ignominiâque afficeret *Davidem*; par-

Illo mortuo, hanc petit in conjugium.

Mox & alteram, nondum mortuâ *Michale.*

partim ut affinitatem exueret cum inimico, nè ſuum generum perſequi bello videretur. (1 *Sam.* 25.) A.M. 2948.

§ 29. Jampridem *Ziphæi* prodiderant *Saulo Davidem* in deſerto ſibi propinquo latitantem. Sed temere facturos putabant ſe ut proderent, niſi & perderent. Si enim ex iis malis emerſiſſet aliquando, verebantur ſe proditionis pœnas graviſſimas daturos. Iterum ergò produnt, in eadem loca ſubindè recurrentem, *Abigailis* fortaſſe gratiâ, cujus ibi erant fortunæ potiſſimùm collocatæ. Languidiorem paulò regem incitant extimulántque *Ziphæi*. Conducta penè cicatrix refricatur; crudeſcit morbus: & quem certò ſcire ſe juraverat regnaturum, vel invito Deo impedire conatur. Cum tribus ergò millibus lectiſſimorum militum ſequitur *Ziphæos* in deſertum. Ubi didiciſſet per exploratores *David Saulum* adveniſſe, noctu egreſſus tacitè, locum ubi dormiebat *Saulus*, militiæque princeps *Abner*, ſolus diligenter contemplatus eſt. Mox ad ſuos reverſus, comitem ſibi *Abiſhaium*, ſororis *Zerviæ* filium, adſcivit, rediítque in caſtra hoſtium. Solus enim ea perficere quæ deſtinabat non potuit. Jacebat ſecurus in vallo rex. *Abner* populúſque circumfundebantur in caſtris. Altùm dormiebant omnes. Cùm penetrâſſet ad vallum *David*, *Abiſhaius* occultè in aurem ei ſuggeſſit, "concluſum *traditúm*que eſſe *inimicum à Deo*; *uno* "*eum ictu ſe*, modò liceat, *perempturum.* Illico *David*, "*Cave facias*, inquit. *Quis* "*enim Chriſto Dei afferat impunè vim?* Teſtor *Jehovam*, *manus ei me neutiquam il-* "*laturum.* Brevi credibile eſt, *aut ſuo fato*, *aut* morbo *divinitus* immiſſo, *aut* ho-"ſtium telis *in bello periturum.* Noſtro non erit ſcelere opus hac in re. *Agè verò* "*jam*, *tolle mihi lanceam quæ ad caput* regis humi defixa *eſt*, *&* illum *aquæ ſcyphum* "tolle. Potuiſſe nos & regem ſuſtuliſſe, manifeſta hæc indicia nobis futura ſunt. Iis ergò ſublatis, ad ſuos rediverunt, hoſtium vidente evigilantéque nemine. Deus enim induxerat iis graviſſimum ſoporem. Nullis autem injuriis adduci potuit ſanctus vir, ut ſuâ unius autoritate, quanquam regis à Deo deſignati, regem legitimum, etſi degenerantem in tyrannum, occideret. At nec populo *Iſraëlitarum* univerſo licebat, non exploratâ Dei voluntate, regem ſibi à Deo commendatum rejicere dejiceréve. Neque *Davidem* credibile eſt in tantum periculum, nullâ cogente cauſâ, privato ſe motu præcipitâſſe. Id enim non minùs impiè quàm imprudenter feciſſet. Quid enim aliud eſt tentare Deum, ſi non manifeſto diſcrimini, nullâ urgente neceſſitate, objicere ſe? Verùm ut *Jonathan*, armigero tantùm comite, hoſtile præſidium adortus eſt; (1 *Sam.* 14.) & *Gideon* in caſtra deſcendit *Midianitarum*: (*Judic.* 7.) ità *David* in hoſtium, Spiritu impellente Dei. Poſtridie montis oppoſiti ſublimem verticem occupavit, profundâ valle interpoſitâ, unde voce altiſſimâ *Saulum* appellavit, *Abnerém*ve, ut exaudirent. Exaudienti *Abneri*, "*Fortiſſime Iſraëlitarum* dux, ait "*David*, *unde factum eſt*, *ut regem*, qui præfecit militiæ ſuæ te, tam negligenter & "malâ fide *cuſtodîeris* hâc nocte? In caſtris, in ipſo regis tentorio hoſtis *aderat*, *do-* "*mino veſtro perniciem allaturus*, neque prohibuiſtis vos otioſè dormientes. *Jehovam* "teſtor, *meruiſſe mortem vos*, *qui cuſtodes* conſtituti, ſomnolentiâ incuriâque veſtrâ ſalu-"tem *regis* prodidiſtis. *Quærite* enim *ubi cyathus aquæ*, *ubi lancea ſit*, *ad caput* regium "defixa. Iſta qui à capite ſuſtulit, eâdem operâ ipſum auferre caput potuiſſet. Facilè agnovit *Saulus*, qui auſcultârat, *Davidis* vocem, nec potuit continere ſe quin compellaret: "*Tuáne vox eſt* quam audio, *mi fili David?* "*Imò* verò *mea vox*, *mi do-* "*mine rex*, ait ille. *Quâ ego* in te *offenſâ* merui novâ, ut meam inſontis vitam pe-"tas? Si quid *à me peccatum eſt*, proponatur, ut diluam, ſcelus. Quæ verò hæc "juſtitia eſt, cauſâ incognitâ damnatum ad pœnam rapere? Sed aliunde forſan *in-* "*citaris in me.* Id *ſi à Deo* fiat, propter occultum aliquod ſcelus meum, expiabo "*ſacris* noxam, offenſúmque placabo Numen. *Sin ab hominibus* invidis malevolíſ-"que, *maledicti* meritò *& exſecrabiles* habendi ſunt. Eò *enim me* adigunt innocen-"tem, ut patria mihi relinquenda ſit, ſacráque patria, *colendi*que à me (ſi quid "illi poſſunt) inter idololatras *alieni dii.* *Sanguinem verò* cave, moneo, magne rex, "nè profundas innocentis meum. Videbit enim qui cernit omnia, nec id feret im-"punè, juſtiſſimus Deus. Quàm indigna verò te, tanto principe, militia hæc? "Magnis militum fortiſſimorum copiis venari *pulicem* in deſerto, *perdicem in mon-* "*tibus aucupari?* quam ut capias, quantillum es operæ tantæ pretium facturus, "ubi nulla vel gloriæ proponitur, vel utilitatis tibi cujuſquam ſpes? Quàm temere bellum ſuſcipitur, quod nec utile nec honorificum tibi futurum ſit? Hæc ubi dixiſſet *David*, *Saulum* pœnitere cœpit ſuæ ingratitudinis. Fatetur "*peccaviſſe*, *ac* "*in*

Iterum proditus à *Ziphæis*, *Saulum* non pugnando vincit.

A.M. 2948.

" *in errore verſatum eſſe maximo ſe. Abire Davidem* jubet incolumem quò velit. Ut " enim *ille ſuæ vitæ* pepercerat, ità *nullum ei ſe malum ampliùs creaturum.* Monet ergò *David*, " ut aliquis *haſtam* à ſe *regiam petat:* precatúrque Deum, ut *ſuam cuique* " quam aliis præſtitit *juſtitiam atque fidem reddat*; *& quemadmodum ipſe magni fe-* " *ciſſet vitam Sauli, ità ſuam faciat Deus, & ex omnibus anguſtiis atque difficultatibus* " *eruat ſe.* Denique *Saulus*, "*Benedicat tibi Jehova*, inquit, *fili mi David.* Novi " enim *magna facturum te, perfecturúmque tandem quæ voles omnia. Gibeam* deinde rediit *Saulus*, non ſine juſta temeritatis nota, qui bellum ſuſcepit, verbíſque tantùm victus ab hoſte ſuccubuit. (1 *Sam.* 26.) Huc *Pſalmi* ſpectare videntur 5. *6.* 11. 12. 13. 17. *26.* *36.* 58. *64.* *69.* 70. *86.* 131. 140. 141.

Malæ fidei regis, quanquam omnia precantis & promittentis bona, perexiguam habuit *David* toties deceptus fidem. Evaſerat quidem ſæpius: at verebatur, nè tandem aliquando hominum perfidorum vel obrueretur viribus, vel interciperetur inſidiis. Alibi cavendum ſibi quàm in *Judæa* putavit: in *Palæſtinam* ergò finitimam confugiendum, extra regis inſanientis jaculum. Atque ſuos commilitones advocâſſe ad hanc rem, narrat *Joſephus*. Conſuluiſſe Deum, quod ſolebat, quódque inprimis factum oportuit, nuſquam legitur. Ex *Judæa* diſcedere, Deo non jubente probantéve, qui ex *Moabitide* in *Judæam* revocârat, hominis erat magìs timidi, ſuæque ſaluti quovis modo conſulentis, quàm pii, præſidióque nitentis Divino. Nec evitavit hâc fugâ, ſed permutavit pericula. Miſſos ergò *Gathum* legatos par eſt credere, qui ab *Achiſho* rege, *Maochi* filio, públicâ fide conſiſtendi locum peterent, promitteréntque ſe *Palæſtinis* contra hoſtes quoſcunque fortiter atque fideliter militaturos. Vocati ab *Achiſho*, & *Gathum* admiſſi, ut illic habitarent cum familiis. Nulla deinde *Saulo* relicta ſpes *Davidis* opprimendi. Eâ igitur ſolicitudine ſuperſedendum ſibi putavit. Sed *Gathum* profugis *Judæis* non arridebat; locus & periculoſus, & incommodus. Periculum aderat *Davidi* ab invidia procerum & inſidiis aulicorum, hominis peregrini gratiam apud principem ſuum non ferentium. Metus etiam ab odio populi non deerat, propter *Goliathi Gathenſis* à *Davide* interempti memoriam. Sed & ſuis timebat, nè conſuetudine civium, conviviis ſacrificialibus, illecebríſque aliis, à vero æternóque Deo ad cultum deſciſcerent idolorum. Nec certè potuit ea non offendere plurimùm quæ perpetuò illorum & oculis & animis obverſabatur idololatria. Accedebat his & illud incommodum, quòd in luce populi & oculis omnium verſanti, non erat liberum *Davidi*, ut volebat, regiones vicinas infeſtare, ac prædas agere. Prædâ enim & ſpoliis tantam alere multitudinem neceſſe erat, non regem onerare immenſis ingratíſque ſumptibus. Exſpectabant verò *Gathenſes*, ut *Judæam* depopularetur, ſuæque patriæ damnis expleret ſuos: quod ille animo obſtinârat ſe non facturum. Suppliciter ergò à rege petiit, ut " alium ſibi ſuíſque *concederet* " *locum* obſcuriorem. Neque enim par fuiſſe, ut *urbem regiam tenerent* exſules. " Illic autem ſe non minùs promptum paratúmque ad mandata capeſſenda, peragen- " dáque regis imperia, futurum. *Achiſhus* tanto hoſpiti, hoſtíque regis *Iſräelitici*, quavis re gratificaturus, *Ziclagum* in *Judææ* confiniis ei tradidit, urbem ſortis *Judaïcæ*, (*Joſ.* 15.31.) at in *Simeonidas* transferendam cum aliis; (*Joſ.* 19.5.) verùm hoc tempore in ditione *Palæſtinorum*. *Dies* ibi *David* (ſic legitur *Hebraïcè*) *quatuórque menſes* eſt commoratus. *Quatuor menſes* (inquit *Joſephus*) *& viginti dies: & aliquot dies*, ut alii legunt. At *dies* præponitur *menſibus Hebraïcè*, ut majorem numerum ſignificare videatur. *Achiſhus* verò ait (1 *Sam.* 29.3.) eum apud ſe jam *annis aliquot*, id eſt, altero jam anno, fuiſſe. Ità ut *dies* hoc in loco *annum* denotet; & ſenſus ſit, quòd annum & 4 menſes *Ziclagi David* eſt peregrinatus. Locum nactus opportunum unde excurreret non-obſervatus, in *Geſhuritas*, *Girzitas* & *Amalecitas* impreſſionem fecit hoſtiliter. *Judæis* ii finitimi *Ægyptum* verſus à Meridie adjacebant. *Geſhuritas* ex urbe *Geſhure*, (*Joſ.* 12.5.) & *Girzitas Gezere*, (*Joſ.* 16.3.) hæc in loca fugiſſe olim, cùm eos primò invaderent *Iſraëlitæ*, malè *Junius* opinatur. Nam hanc eos terram tenuiſſe ab initio, apertè traditur 1 *Sam.* 27.8. *David* certè univerſos illic viros fœmináſque, hoſtes Dei & Religionis, terrámque tum tenentes à Deo datam *Iſraëlitis*, (*Deut.* 20.16.) damnatos ad necem, internecione ſuſtulit; nè quis fortè *Gathi* apud regem ſe deferret, ſuáque proderet mendacia. Nam *Achiſho* quærenti, *Judææ* ſe partem meridionalem infeſtaviſſe armis dictitabat. Eodémque ſunt uſi more, quos invadebant tollendi, fallendíque regem *Achiſhum*, quamdiu *Ziclagi* regis permiſſu habitârunt. Et regem ſanè credulum habuêre. Facilè enim quæ voluit

Dein ad regem *Achiſhum* fugiens, Deo neutiquam conſulto,

mendaciis ſe tueri cogitur.

luit credidit; eóque magìs, quò illi minùs meruerunt. Cùm enim crederet eoſdem rapinis ſuis inviſos ſe popularibus ſuis feciſſe, atque odio capitali *Judæos* proſequi; eò fideliorem ſibi operam navaturos exiſtimavit, eóque illis habuit majorem fidem. En quantas in anguſtias conjecerit ſe *David*, ad profanæ gentis fidem ceu ad aſylum confugiendo, nullâ Dei autoritate omnino fretus. Mendaciis ſe tueri cogitur; armis profectò minimè datis ei probatíſve à Deo. Verùm utcunque genus omne profanorum deleverunt, quouſque deprædati ſunt, *Davidici*; pecorum tamen ſpoliis & ſupellectile pretioſâ locupletati redierunt. (1 *Sam.*27.) Dum *Ziclagi* agebat *David*, operam ei bellicam obtulerunt *Benjaminitæ*, è popularibus agnatíſque ipſius *Sauli*, ferè triginta, iíque arcûs & fundæ utrâque manu peritiſſimi. Eódem undecim *Gaditæ* ſe contulerunt bellicoſiſſimi, ſuo jam defuncti bello contra *Iſmaëlitas*. Gladiis hi & clypeis pariter armati, torvis incedebant vultibus ac planè leoninis, pedibus inſuper perniciſſimis, ſinguli præfecturâ digni, ſupra militum ſortem gregariorum; centurionatu infimi, tribunatu primi. Hi menſe primo *Jordanem* tranſeuntes, tum cùm maximè exundaret, convallium incolas ad Ortum Occaſúmque fugârunt omnes. Sed & mox longè plures *Benjaminitarum Judæorúm*que *Davidi* veniunt auxiliatum. Quibus ille obviàm prodiens,(ſuſpicax fortaſſe à *Sauli* tribulibus inſidiarum,) " *Si animis*, inquit, *candidis atque benevolis* huc *acceditis*, gratiſſimo *vos amplector* " *animo*. *Sin verò* perfidè *me prodituri hoſtibus*, *nullâ* vos eóſve *injuriâ* provocantem, " *patrum noſtrorum Deus* inter vos & me *judicet*. Ad hæc Divino quodam ſpiritu concitus reſpondit *Amaſaius*, ſupremus omnium: " Imò verò *tui* toti *ſumus*, ô *David*, " *tuárumque* futuri *partium* propugnatores longè acerrimi. *Proſpera tibi tuiſque* " omnibus ut ſint omnia comprecamur. *Deum enim propitium habes*; Deum nos " propitium ſequimur. Ità factâ datâque fide, acceptam habuit eorum operam, cohortibúſque ſuis duces præfecit *David*. (1 *Chron*.12.) A.M. 2948.

§ 30. Opportunum hoc tempore *Palæſtinis* videbatur bellum in *Iſraëlitas*. Aberat enim *David*, cujus maximè præſidio ac virtute freti, per hos annos feliciùs repugnaverant. Nec ſuis modò deerat, ſed & auxilio aderat *Palæſtinis*. Quare denunciat illi *Achiſhus*, ut ad bellum ſe comparet. Nam & regii corporis cuſtodiam ejus ſe fidei traditurum. *David* cautè quidem reſpondit, ità ut nec planè quicquam promittere, regi tamen ſpem facere ſatis amplam videretur. " Facilè *perſpecturum* dixit " regem, *quanta ille* ſui domini *facturus eſſet* gratiâ. Credibile eſt, Deo precibus commendâſſe rem totam, nè infeſta patriæ ſigna inferre cogeretur. Interea non deſidebat *Iſraëlita*. Ubi *Palæſtinos* arma capere atque exercitum conflare didicit, ſuas & ipſe conſcripſit copias, & in monte *Gilboa* caſtra metatus eſt. *Palæſtinorum* verò caſtra *Shunemi*, in tribu *Iſſacharis*, (*Joſ*. 19. 18.) maximo & formidabili apparatu inſtructa contemplatus, terrore ſubito & inſolito contremuit. Præſagiebat illi animus magni neſcio quid mali adfuturum. Quamobrem libido eum maxima invaſit, rationem atque ſucceſſum ejus belli cognoſcendi. Et conſulere volebat Deum; (1 *Chron*. 10. 14.) ſed eum fruſtrà, quem jampridem abjecerat. Pontifex abierat cum Ephodo, fugatus à *Saulo*. Obierat *Samuel* Propheta. Nemini vel ſomnia inſpirabat jam Deus, vel futura præmonſtrabat afflatu ſuo, hominis planè abjecti gratiâ. Quid faciat, in ejus rei cupiditate intemperans? Tandem animo conſtitutum deliberatúmque habuit Poëtæ illud, A.M. 2949. *Saulus*, à Deo derelictus, Diabolum conſulit.

Flectere ſi nequeo Superos, *Acheronta movebo*.

Derelictus à Deo, mali Dæmonis opem implorare, adire Magos inſtituit. At nec indè mens Divina explorari poſſe videbatur. Quid enim Dæmonibus cum Deo vero? Quare cenſuit ope Dæmonum artibúſque malis excitandum ſibi *Samuelem*; ab eo diſcendam eſſe Dei veri voluntatem. Pythones Magóſque omnes *Saulus* ipſe coërcuerat, ac pœnarum ſeveritate dudum eos tollere conatus eſt, ut aliquam præ ſe pietatis larvam ad faciendum populum ferret. Verùm inſuper ut conſtaret ſimulatè hoc factum, non ex animo, eorum ipſe jam auxilia —*ſecretáſque advocat artes*, quos damnaverat. Cùm ergò didiciſſet, *Endore* Sagam adhuc fuiſſe reliquam; eò noctu, mutatis veſtibus, nè agnoſceretur, comitibúſque duobus, ſe contulit. At ſocii foris relicti. Ipſe Sagam convenit, & à mortuis ſibi quendam ſuſcitari petit. Ea, quaſi novam admirata rem, " Quid, inquit, in caſſes tu me attrahis? Cùm *ſcias* edicta, " regis in *magos & pythones* quàm gravia ſint, *quorſum* has *meæ vitæ tendiculas ponis*? *Saulus* ergò nè quid metuat mulierem jubet; teſtéque *Jehovâ* pollicetur, hanc ei rem fraudi

A.M. 2949. fraudi nullo modo futuram. Audacior deinde Saga, quem ſibi velit ſuſcitari à mortuis rogat. *Samuelem*, ubi reſpondit rex, ea in conclavi propinquo cùm (advertente nemine) cantiones peregiſſet, prodirétque ſtatim ſpectrum, ſubitò exclamavit, (admonente forſan Dæmone,) " ſe eſſe proditam perditámque ; *eum enim* ipſum *eſſe*, qui " ſuas artes profligaverat, *Saulum*. Iterum, *nè quid timeat*, monet ille ; & narrare tantùm *quæ viderat* jubet. *Viros principes* ait Saga *ex terra aſcendentes ſe videre. Quâ verò formâ?* inquit *Saulus*. *Formâ ſenis*, ait mulier, *amicti pallio*. Pallium verò habitus inſignis erat magiſtratuum, & Prophetarum Sacerdotúmque, ut aliqui volunt. Eo ſolebat indutus *Samuel* incedere, Judex, & princeps Prophetarum ſui temporis. Ex ætate habitúque *Samuelem* adeſſe putabat *Saulus* ; &, inclinatione corporis in terram factâ, veneratus eſt humiliter quem Prophetam rex credidit. Nam ſi ſpectrum exiſtimâſſet, aut dæmoniacum, neutiquam eo cultu dignatus eſſet. Vidiſſe tamen vel ſpectrum vix credibile videtur. Quorſum enim de forma interrogâſſet conſpecturus illico? Sed medio pariete quaſi vocem ejus audivit, quem volebat, *Samuelis*. Quæſivit enim " *quid eſſet cur ſe* loco commoviſſet, atque ad ſuperos evo- " câſſet. Cui reſpondit mox *Saulus* de anguſtiis ſuis urgentibus ; " adeſſe cum exer- " citu *Palæſtinos*, *dereliquiſſe ſe Deum*, *nec aut* voce *prophetarum aut ſomniis (ut* " *olim) reſpondere. Eum igitur advocâſſe*, *ut quid agendum edoceret.* " Ut ego, in- " quit ſpectrum, edoceam te, *cùm te Deus deſeruerit*, inimicóque tuo *faveat*, *pera-* " *gâtque illi* omnia *quæ voce meâ eſt pollicitus ?* Nè tibi fruſtrà blanditor ulteriùs. *Ab-* " *latum à te regnum*, *& Davidi eſt traditum.* Quam *tu*, *neglecto Dei mandato*, *de* " *Amalecitis vindictam non exegiſti*, *hanc de te jam* ſumpturus eſt *Deus*. Tui verò " cauſâ, ipſum *exercitum* & caſtra *Iſraëlitarum traditurus eſt* hoſtibus *Palæſtinis : tú-* " *que mecum* apud inferos, *& tui erunt cras filii.* Divinare Dæmon hæc & prædicere potuit, quæ, permittente Deo, ipſe erat fortaſſis ex parte maxima peracturus ; ut calamitates inſignes *Jobi*. Cùm tanta ſibi audiret *Saulus* à *Samuele* (ut ſaltem credidit) prædicta mala & denunciata, tremore ſubito perculſus, & præcipiti virium lapſu, in terram corruit ; eóque id faciliùs factum, quòd eſſet inediâ debilitatus. Spectro evaneſcente, Saga ad *Saulum* rediit, comitéſque ſimul regis ingreſſi ſunt, ut dominum ſuum labentem tollerent. Mulier autem tanto diſcruciatum pavore cùm regem cerneret, excuſare ſe quantum potuit ; " *Ejus mandatis obſecutam*, *extremum* " ait ſe *vitæ diſcrimen adiiſſe* ; ſed ejus promiſſis & fide fretam. *Nunc igitur obſecrare*, " ut *ille ſibi dignetur etiam obtemperare*, *cibique* aliquid *comedere*, *quò ad iter capeſ-* " *ſendum validior ſit*. Ille renuit inprimis, quaſi ſe fame enecaturus. At famulorum & mulieris conjunctis precibus tandem victus, ſe ex humo in lectum ſuſtulit. Mox vitulo ſaginato & azymo pane ſaturati, ſub auroram in caſtra ſeſe iterum receperunt. (1 *Sam.* 28.)

Cujus facti mox eum ſeriò, ſed ſerò, pœnitet.

David, è caſtris *Achiſhi* rediens,

§ 31. Cùm tranſirent fortè *Palæſtinorum* exercitus (qui tum luſtrabantur) per legiones & centurias, principes *Davidem* cum *Achiſho* militantem in extremo agmine animadverterunt ; miratíque ſunt, *Hebræos*, homines certè peregrinos, imò verò ipſos hoſtes, inter ſuos numerari & amicos & milites. *Achiſhus*, ut minueret ſuſpicionem principum de *Davide*, dicit, " *eum Sauli fuiſſe* quidem *ſervum*, at profligatum " & profugum, & ad injurias vindicandas ultimo ſe diſcrimini objicere promptum " & paratum. Non eſſe cur ejus in dubium fides vocetur, quam ipſe longo jam " tempore habuerit cognitam & ſpectatam. Ægre tulerunt proceres hanc pro *Davide* apologiam, cui nullo modo fidendum putabant illi. Monuerunt ergò, ut " præſidi- " um *remitteretur* ; minùs illic futurum quàm *in prælio* periculoſum. Quippe *hunc* " eum *eſſe decantatum in choreis*, & regis generum. Ultro forſan profugiſſe, quò " faciliùs *Palæſtinis* inſidias ſtrueret. Aut ſi quæ ſint inimicitiæ, nullam eſſe ratio- " nem *redimendi gratiam regis ſui* faciliorem, quàm hoſtium exitio & proditione. *Achiſhus* ſanè perinvitus, ut remitteret *Davidem*, induxit animum. Remiſit tamen, nè principum conſiliis adverſaretur. Et *Jehovam* adhibuit teſtem, " *nihil in Da-* " *vide deprehendiſſe ſe fraudis*, nihil omnino ſuſpicari. *Principibus tamen minùs eum* " *placere*. Monet ergò *Ziclagum* ut bona cum venia *revertatur*, neque operâ ingratâ " *offendat* animos ſuſpicaces. *Davidi* quidem percommoda, & pergrata forſan, hæc accidit, ſive invidia, ſive ſuſpicio, quâ feliciſſimè nè patriæ bellum ſuæ inferret eſt impeditus. Aliquid tamen ſui cauſâ erat *Achiſho* reponendum, nè invitus videretur ad eam militiam acceſſiſſe, unde lubens & lætus receptui canit. Quærit ergò, " *ex* " *quo primùm tempore* gratiam regis ambiviſſet , ecquam de fide ſua juſtam ſuſpicionem

" nem præbuiſſet, quâ jam ſit meritò rejiciendus. Iterum *Achiſhus*, " *Novi equidem*, " aiebat, & inſontem *eſſe te*, & in re militari præſtantem virum; quem propterea " *quaſi Angelum* de cœlo *mihi* delapſum colo. Quid alii ſentiant, nec impedire " meum eſt, neque tuum moleſtè ferre. Ad tempus modo cede huic *procerum* for- " midini, *& manè primo Ziclagum unà cum tuis te confer*; nè fortè principes meticu- " loſi morbo ſuo mederi veſtro malo malè conentur, morantibúſque aut vim aut in- " ſidias parent. (1 *Sam.* 29.) Providentia Dei ſapientiſſima multò meliùs conſuluit *Davidis* rebus, quàm ſuâ ipſe vel prudentiâ vel fortitudine potuiſſet. Ad ſummam ejus utilitatem ſuſpicione principum uſa eſt. Prohibuit nè patriam armis peteret; quo popularium ſuorum animos proculdubio amiſiſſet, &, quantum in illis erat, regni ſpem. Deinde, ſpatium dedit opportunum recuperandi ea omnia quæ *Ziclagi* amiſſa erant, & locupletandi ſe inſuper majori prædâ. Quòd ſi prælio interfuiſſet, actum eſſet de gratia illa quâ apud populum prævalebat, actum eſſet de bonis omnibus quæ congeſſerat *Ziclagi*. Quare ab injuſto contra *Iſraëlitas* bello, ad neceſſarium ſuſcipiendum contra *Amalecitas*, Deus *Davidicos* revocavit. Simulatque enim è caſtris pervenêre *Ziclagum*, urbem vacuam, imò dirutam, flammíſque vaſtatam, invenerunt. Nimirum *Amalecitæ*, captatâ belli *Iſraëlitici* occaſione, ceperant, diripuerant, incenderántque præſidium illud, interim dum *David* cum ſuis aberat. Nullus erat ex *Davidicis* cui non damnum ea clades non leve dederit, aut cui lacrymas non expreſſerit uberrimas. Lacrymis tandem deficientibus, in iram & furorem tranſtulerunt mœrorem ſuum. Nec multùm aberat quin lapidibus *Davidem* peterent, ſuæ in caſtra profectionis, ac tantæ propterea calamitatis, autorem. Idem etiam *Amalecitas* deprædationibus irritaverat. Ille quidem populi acerbiſſimè dolentis temeritatem æquo animo ferebat, altóque ſilentio devorabat. Omnem interea ſpem ſuam atque fiduciam in Deo ſolo collocabat. Tandem à ſe ſuorum divertit in hoſtes impetum. *Abiatharem* jubet Divinum Numen conſulere, an perſequendi ſint *Amalecitæ*; an ſuas res ſit recuperaturus. Perſequi mandat oraculum, & recuperaturum promittit omnia. Idcirco ſummâ feſtinatione veſtigiis hoſtium inhærent; ad *Bezorem* torrentem pervenêre. Hîc ducenti, vel nimiâ feſtinatione, vel inediâ laſſi, cum impedimentis relicti ſubſtiterunt. Expediti perrexerunt quadringenti, hominémque famelicum in agris fortè palantem offenderunt; qui victu paululùm recreatus, *Davidem* docuit, " *Ægyptium ſe eſſe*, *ſervum Amalecitæ* cujuſdam; " *cùm* in via *ægrotaret*, *à domino ſuo derelictum*, *tres* totos *dies* toleraviſſe jejunium. Poſcit ab eo *David*, ad exercitum *Amalecitarum* ut ſe deducat. " Facturum *Ægyptius* " pollicetur, modò & ille promittat *ſibi juratus*, *neque ſe interfecturum*, *neque* jam li- " berum *domino ſuo traditurum*. Factâ fide, *Amalecitas* indicio ſervi ſub crepuſculo veſpertino conſecutus eſt *David*. Illi per herbam fuſi, longéque ac latè diffuſi, convivabantur genialiter & tripudiabant, quaſi in portu navigantes jam, extra omnem fortunæ aleam poſiti. Longè aberat *Judæa*, longiùs *David*. *Palæſtinis* & *Iſraëlitis* non vacabat, mutuis cladibus ſe invicem atterentibus. Securos igitur & incompoſitos adortus *David* ſummâ vi ingruentibus jam tenebris, pedites ferè cecîdit omnes. Nam ad proximæ lucis veſperam perſecutus eſt. Ex tanta hominum multitudine, quadringenti ſolùm camelis incitatis evaſerunt. Reliqui aut cæſi, aut capti. Omnis etiam præda recepta eſt, non modò *Ziclagenſium*, ſed aliorum quoque *Palæſtinorum Judæorúm*que non pauca. Omnem enim Auſtralem tractum utriuſque regionis depopulati fuerant *Amalecitæ*. At *Ziclagi*, nemine repugnante, interfectus eſt nemo. Spolia incruenta eam ob cauſam ſuſtulerunt. Hominum avaritia ad clementiam plùs profuit, quàm crudelitas ad vindictæ talionem nocuit. Reliqua ergò armenta maxima, gregéſque ferè innumeri aliunde capti quàm à *Ziclagenſibus*, perinde atque in triumpho ordine præcedebant; parvâ *Ziclagenſibus* ereptâ prædâ ſubſequente. Ac de primis armentarii reſpondebant obviis & prædicabant, *ea eſſe Davidis ſpolia*. In hac videlicet expeditione ſummâ *David* prudentiâ & fortitudine & induſtriâ uſus eſt. Ecce vulgi ingenium —— *varium & mutabile ſemper*. Quem ad lapides modò irritati popoſcerant, jam ſibi decorandum nullo non honore cenſent. Ecce fructus uberes non fucatæ pœnitentiæ, precationis admodum piæ, ſpei denique & fiduciæ in unico Deo collocatæ. Multa *David* patraverat neglecto Deo & inconſulto. Ad *Palæſtinos* confugerat ex *Judæa*: *Amalecitas* deprædatus fuerat: aderat *Palæſtinis* contra patriam ſuam auxilio. At horum omnium pœnas dedit. Ex caſtris enim *Palæſtinorum*, ubi hæſerat aliquandiu cum periculo, dimiſſus tandem eſt cum probro. Ab *Amalecitis* quam incolebat urbs capta, direpta, deleta flammis. Omnium odia in ſe

A.M. 2949.

Ziclagi amiſſa omnia

à prædatoribus recuperat *Amalecitis*;

& profundo quaſi immerſus, emergit clarior.

A.M. 2949. ſe unum excitârat. *Saulum* habuit inimiciſſimum. Gravi apud *Palæſtinos* ſuſpicione laborabat. *Amalecitæ* eum ex facili bonis omnibus ſpoliârunt. Et, nè quid domi ſupereſſet tantis in malis ſolatiorum, commilitonibus uſque adeò ſe inviſum ſuis reddiderat, utì de lapidatione (ſupplicio ſummo) cogitârint. Ubi verò tandem ſincerâ pietate ad Deum rediit, ejúſque reſponſa & opem petiit,

Concidunt venti, fugiúntque nubes;

& ipſe quaſi merſus profundo clarior evenit. Spoliis omnibus exuti, & penè deleti *Amalecitæ*. *Saulus* extinctus viam facilem *Davidi* ad regnum patefecit. Sui milites, qui afflictum depreſſerant modò & exſecrabantur, lætioribus jam rebus, eundem laudibus ad cœlum efferunt. Supererant quidem *Palæſtini*, & jam ultimò ſuperabant, ad gloriam ſcilicet *Davidis* & triumphos in poſterum aſſervati. Itaque domum properat *David*, victor ſimul & triumphator. Ad torrentem *Bezorem* occurrunt læti, qui feſſi de via cum impedimentis erant relicti; comitérque à *Davide* accepti ſunt. Sed milites quidam ſeditioſi improbíque admodum prodiêre, clamantes, "nullam "eſſe habendam ignaviæ rationem; nullâ eos mercede dignos, *nullâ parte ſpoliorum* "*donandos eſſe*, qui militiam detrectârant, laſsíque in via ſubſtiterant. Satis futu-"rum, ſi *uxores* à ſe acciperent *liberóſque*. Eorum reliqua eſſe debere, qui ſudore "ſuo & ſanguine ab hoſtibus ea vindicâſſent. Qui fugit molam, fugit & farinam.

Spoliorum diviſionem ex æquo fieri decernit.

At hujuſmodi inclementiam & avaritiam *David* minimè probandam cenſuit. "Imò "verò, (inquit) *mei fratres*, nolite *vos* in fratres tam rigidos, nè dicam iniquos, vos "præbere. Spolia vobis arrogare videmini, & quaſi veſtrum jus arripere, cùm *Dei* "hæc, non veſtra, ſit victoria. Oraculo hanc ſuo indixit nobis militiam Deus; "promiſit victoriam, qui ſolus præſtitit. *Ægyptium* nobis in via ducem Deus obtu-"lit. Deus hoſtes ſecuros, ebrios, inermes *nobis in manus tradidit*. Cùm hæc om-"nia ſolius *Dei* beneficio contigerint, quid noſtris ea viribus conſiliiſve tribuimus, "victoriæque Divinæ fructibus fratres noſtros excludimus? Gratìs danda, quæ "accepta ſunt gratìs. At nec forſan minora eorum merita, ſi meritis tantùm agen-"da res. Dum nos hoſtes adoriebamur, noſtrorum impedimentorum cuſtodia illis "eſt demandata. Si qui prædones involâſſent, noſtras direpturi ſarcinas, illis non "minùs propugnanda eſſent impedimenta, quàm hoſtium ſpolia nobis erant vindi-"canda. Quid, quòd nobis quoque voluntate ſuâ ſaltem & ſtudiis aderant, etſi "viribus adeſſe fatigati non poterant? Quæ verò hæc iniquitas, quanta crudeli-"tas, malle noſtros commilitones itinere confici nil proficientes, quàm, in via quie-"ſcentes, non minùs utilem cuſtodiendo, quàm pugnando, nobis navare operam? "Ego igitur ità ſtatuo, prædam æquo jure inter vos omnes dividendam, tam *cuſto-*"*dibus impedimentorum partes ſuas* diſtribuendas, quàm *iis qui prælio perfuncti ſunt*. In hac *Davidis* ſententia reliqui omnes acquieverunt, ità ut legis deinde vim apud hanc gentem ſemper habuerit. Ingenti prædâ potitus *David*, ſuos divitiis explevit omnes. Plurima tamen ſupererant, quæ amicis per *Judæam* viríſque principibus donata ſunt; iis maximè in locis, ubi ipſe cum exercitu diutiſſimè verſatus oneríque fuerat. Eâ benignitate ac munificentiâ popularium ſuorum ſtudia ſibi mirificè conciliabat. Spoliis enim hoſtium *Judaici* nominis acerrimorum eos eſt remuneratus, qui ſui causâ vel à *Saulo*, vel ab *Amalecitis*, damna aliqua pertuliſſent. (1 *Sam.* 30.) *Manaſſidarum* complures, viri ſanè fortiſſimi, (ex iis, puto, qui deleverant *Iſmaëlitas*,) à *Saulo* ad *Davidem* cum *Achiſho* in prælium profecturum defecerant. Alii mox militum tribuni ſeptem, *Ziclagum* redeunti, contra prædones *Amalecitas* auxiliati ſunt, viri omnes robuſtiſſimi. Tum verò indies maximo milites ad eum numero confluebant, donec ingentem exercitum confeciſſet.

In monte *Gilboa* profligatus, mortem ſibi accerſit *Saulus*.

§ 32. Interea *Iſraëlitæ* cum *Palæſtinis* in monte *Gilboa* congreſſi ſunt; ſed victi fugatíque. Tres regis filii, *Jonathan*, *Abinadabus*, (qui *Iſhui* vocatur 1 *Sam.* 14.49.) & *Malchiſhua*, cæſi. *Saulus* ipſe ſaucius in magno diſcrimine verſabatur, à ſagittariis concluſus undique. Rebus ergò deſperatis, nè vivus caperetur, armigerum (qui ſolus jam illi aderat) ità paucis compellat. "O unica jam ſuperſtes mihi meorum fides, niſi tua mihi ſubveniat manus, in manus hoſtium infidelium & per-"fidorum jam incido, & *Samſonis* repeto piſtrinum. Cingimur telis, & quaſi ſco-"pus in medio, hoſtium jaculis patemus omnium. Nec facultas elabendi, nec pug-"nandi copia fit. Si confligere liceret, etſi vix mihi ſufficiant vires, malim hoſti-"um *gladio* interimi, quàm *tuo*; tuo malim, quàm meo; quovis cujuſcunque occîdi

"ma-

"malim, quàm vivus ab hoſtibus ad cruciatum ſimul duci, & ad *ludibrium.* Quam "ego ſæpius *Palæſtinis* inflixi pœnam, ea jam munus mihi erit, undecunque mors "data. Hoc ultimum à te munus peto, ultime meorum fidiſſiméque. Rem tam atrocem, armigeri horrentis ac trepidantis vix aut nè vix quidem ferebant vires; animus profectò non tulit. Dum ille ob majeſtatis reverentiam detrectat, inſtant hoſtes; properato eſt opus. Aut cæditur jam *Saulus*, aut capitur. "Quod amicus "negat, ab inimicis (inquit) non exſpectabo. Habeant ſibi cadaver hoc; *Saulum* "certè non habebunt. Ego memet à piſtrinis atque ludibriis vindicabo. Hæc locutus, ſuo ſe protinus trajecit gladio & interemit. Tradiderat quidem ei Deus gladii jus, at in hoſtes perditóſque cives; non in ſe gladii injuriam tradidit. Sed *Agagi* vicem ſubit ipſe, ac pœnam luit. Damnato pepercerat, indemnatum ſe peremit. Armiger regi ſuo mortuo ſupereſſe non ſuſtinuit. Quam *Saulo* necem inferre horruit, non horret ſibi. Viri fortis eſſe, *Catoniani* contendunt *Stoïci*, ſibi necem aſciſcere, mala ubi premunt non toleranda. Imò verò mollis & ignavi potiùs eſt animi, graviora morte mala moriendo ſubterfugere. Ea enim ſi ferre poſſet, mortem ſibi non inferret. Poëta ille quàm *Stoïcus* hac in re meliùs philoſophatur;

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt. (*Mart.* Epig. 11. 57.)

Palæſtini, victoriâ partâ, ad ſpolia colligenda poſtridie adfuerunt. Cadavera *Sauli* filiorúmque inventa ſunt. Caput regis præciſum, & detracta ſunt ei arma. Per omnes urbes ditionis ſuæ nuncii de victoria miſſi; per omnia idolorum templa ſupplicationes decretæ. Arma regis in *Aſhtarothæ* templo, caput in *Dagonis* affixum eſt. In muris denique *Bethſanæ* patris cadavera filiorúmque ſuſpenſa ſunt, quaſi præclara victoriæ monumenta. *Gabeſhenſes-Gileaditæ*, nondum obliti ſe per *Saulum* à *Nahaſhi Ammonitæ* crudelitate vindicatos, tantam ei ejúſque liberis ignominiam factam à *Palæſtinis* non tulerunt. Fortiſſimus quiſque armis accingit ſe; itinere nocturno *Bethſanam* petunt; ablata muris cadavera in urbem ſuam deferunt; &, nè quo deinde probro afficiantur, ignibus committunt, & ſub arbore conſpicua ſepeliunt oſſa. Denique, jejuniis dierum ſeptem, atque luctibus ſolennioribus, principum funeribus eſt parentatum. Tot diebus videlicet à *Nahaſho* conceſſis, opem urbi & ſalutem attulerat *Saulus.*

Ejus cadaveri vindicato à Jabeſhenſibus parentatur.

Quàm bene apud memores veteris ſtat gratia facti?

Poſt cladem hanc, *Hebræi* omnes qui ad *Gilboæ* radices citra vallem *Jordanémque* habitabant, ſedibus relictis, ſalutari nunc fugâ in tutiora ſe receperunt. Urbes illico *Palæſtini* præſidiis ſuis primò, mox & coloniis, occupârunt. Hunc habuit exitum *Iſraëlitarum* rex primus, qui pertinaciâ populari à Deo quodammodo invito extortus eſt, ab invito etiam populo acceptus quodammodo, ambitiosè injuſtéque, imò crudeliter regnavit, ſuóque denique judicio ſe damnatum interemit. Ad pœnas æternas damnatúſne ſit à Deo, noſtrum non eſt profectò aut definire, aut diſquirere. Cùm Sacræ Literæ conticeſcant, nè temere ſimus ſoliciti in rebus alienis, verùm noſtrarum ſatagamus. *Pellicanus* quidem eum ab æterna abſolvit morte; *Oſiander* in perpetuos inferorum cruciatus eundem abjicit. Nobis videtur ambigendum; quanquam, poſt tot ſcelera, nulla pateant in Verbo Dei veræ indicia pœnitentiæ. Nec de annis quot *Saulus* regnaverit, magis conſtat. *Octodecim*, ait *Joſephus*, *ante obitum Samuelis*, *viginti poſt.* (Antiqu. *6.* 15.) At ejus autoritati minimum tribuo, ab ipſis Prophetarum ſcriptis ſæpenumero diſcrepantis. Doctiſſimus *Uſſerius* annos ejus regni 40 numerat, ſcilicet ex *Actorum* 13. 21. Quos tamen alii, & (puto) rectiùs, *Samueli* ſimul & *Saulo* conjunctim tribuunt; ídque propter communem publicæ rei adminiſtrationem, poſtquam rex *Saulus* creatus eſt. (1 *Sam.* 11. 7. & 13. 15. & cap. 16.) Tertio enim ex quo regnare cœpit anno, filius *Jonathan* præfecturam militiæ geſſit, virúmque ſe præſtitit, expugnatis *Palæſtinorum* præſidiis, præſtantiſſimum. Quod tamen ante vigeſimum ætatis annum vix fieri poſſe credendum eſt. Itaque patrem *Jonathanis* credibile eſt ferè quadrageſimum attigiſſe. Quòd ſi poſt hæc annos vixiſſet alios ferè quadraginta, grandævus ſenex occubuiſſet, & jam diu rude dignus. Et *Samuel* ante imperium *Sauli* jam planè conſenuerat; (1 *Sam.* 8. 1.) non niſi uno anno aut altero ante *Saulum* defunctus. (1 *Sam.* 25. 1.) Si ergò *Saulus* quadraginta regnavit annos, *Samuelem* neceſſe eſt centena-

Quot annis regnaverit, res eſt ardua definire.

A.M. 2949. rio majorem obiiſſe. *Eli* Pontificis memoratur ſenectus, (1 *Sam*.4.15.) qui annos nonaginta & octo vixerat. Senectus etiam *Davidis*, utpote ſeptuagenarii, pari modo commemoratur. (1 *Reg*. 1. 1. 2 *Sam*. 5. 4.) Quòd ſi *Samuel* Propheta centum annos ſuperaviſſet, & *Saulus* ferè attigiſſet octoginta, quidni ſenectus utriuſque fuiſſet etiam commemorata? Quàm ridiculum verò ſit quod ſcribit *Joſephus*, *Saulum* viginti poſt obitum *Samuelis* regnâſſe annis, ex eo patet, quòd neceſſariò hinc conſequitur, *Davidem* ante annum ætatis decimum ſuperaviſſe *Goliathum*. Annos enim triginta natus regnum iniit *Judaïcum*, *Saulo* mortuo. *Samuel* autem aliquot, opinor, annos victo giganti ſuperſtes erat. Quippe ad eum *Ramam* poſt nuptias *Michalis* confugit *David*. *Cedrenus*, autor non contemnendus, ait *Saulum* ante *Davidem* annis regnaviſſe decem; quæ longè probabilior eſt conjectura. Nam quæ à *Saulo* geſta ſunt omnia, decem annis duodecímve facilè poſſunt definiri.

DAVID,

DAVID,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Tomi Primi

LIBER UNDECIMUS;

Qui,

Ab anno primo *Davidis Judææ* regis ad ultimum *Abiami*, annos deſcribit 100.

§ 1. QUO tempore victor à cæde *Amalecitarum* reverſus eſt *David*, eo victus à *Palæſtinis* interiit *Saulus*. Tertio pòſt die nuncius aderat ex prælio, magnum præ ſe luctum ferens, laceratis veſtibus, capitéque cineribus conſperſo. Hic enim erat lugentium ritus apud *Iſraëlitas*; ut apud *Romanos* pullati ſordidatíque incedebant. Ac inprimis, humi ferè proſtratus, reverentiam *Davidi*, ut futuro jam regi, ſummam exhibuit. Interrogatus deinde quem afferret nuncium; E caſtris *Hebræorum* evaſiſſe aiebat ſe. Tum verò ſolicitè *David* quærere, ut *Iſraëlitarum* haberent ſe res. " Peſſimè, inquit ille. Exercitus enim *in fugam actus eſt*; *interfecti quàm* " *plurimi*; *Saulus* ipſe *filiúſque Jonathan ceciderunt*. Perculſus vehementer *David*, ut certior adhuc tanta de re fieret, unde nuncio conſtaret de *Sauli* & *Jonathanis* nece percontatus eſt. Reſpondit ille, " in *Gilboam fortè ſe montem aſcendiſſe* dum prælium " committeretur. *Saulum* vidiſſe *innitentem lanceæ ſuæ*, *curribus equitibúſque* hoſti- " um *impetu ſummo perſequentibus*. *Conſpectum ab eo ſe*, &, ubi *Amalecitam* eſſe, " non hoſtem, didicit, impensè *oratum*, ut *vitam ei*, tantis *in anguſtiis* hærenti mi- " nimè gratam, *adimeret*. Gratificatum ei ſe tantillo beneficio, & uſuram vitæ ho- " rariam tam obnixè rogatum ſuſtuliſſe. *Diadema* verò *ejus capiti*, *& brachio abſ-* " *tuliſſe armillam*, *ut ad dominum* ea *afferret Davidem*. Illico *David* quíque aderant ei commilitones, magno correpti dolore, luctui & lacrymis die toto dederunt ſe, ad veſperam uſque jejuni. Tum verò ad ſuos ait *David*, " Nuncium hunc *Amalecitam*, " qui regi ſuo, *Jehovæ Chriſto*, auſus eſt *inferre* nefarias *manus*, ad ultimum rapitote " ſupplicium. Nè quid de iniquitate judicii conqueratur, ſuo ſe indicio prodidit, ac " *teſtimonio* damnavit, veróne an falſo, ipſe viderit. Ità verè trucidatus eſt, qui trucidâſſe regem ſe finxerat. *Romano* quidem jure, falſum in re capitali teſtimonium erat luendum capite. Credibile eſt fuiſſe hunc hominem ruſticanum ex ea vicinia, qui ad prædam auferendam cùm in montem *Gilboam* aſcendiſſet veſperì, regium fortè offendit cadaver: indè diadematis & armillæ ſpolium abſtuliſſe, quibus regi qui exſpectabatur novo gratificaretur. Veram ille *Davidi* lætitiam ſe ſuo luctu ſimulato allaturum ſperabat. At acerbum illi dolorem intulit. Et magnum ſui men-

A.M. 2950.

Davidem Saulo parentatum

A. M. 2950. dacii fructum dum exſpectabat, mortis præmio donatus eſt. Quanta nonnunquam de ſpe homines avari decidunt! Dum lucrum artibus malis maximum captant, in exitium non opinantes ruunt. Nec fletu & dolore tantùm ſuæ patriæ cladem, ſui amici *Jonathanis* jacturam, ſui regis, quanquam inimiciſſimi, interitum proſecutus eſt *David*; ſed & Epicedium quoque cecinit, carminéque elegiaco ſummorum virorum obitus concelebravit. *Judæorum* verò pueris funebre canticum tradidit ediſcendum, in *Jaſheri* Libro conſcriptum; cui nomen cantilenæ *Arcus*, vel à prima voce datum eſt, vel ab argumento, inſtrumentóve muſico. (2 *Sam.* 1.)

Judæorum principes populúſque regem ſibi præfecerunt. Magnas hactenus devoraverat moleſtias *David*, exſulando à patria & populo Dei, commorandóque in profana *Palæſtinorum* gente, quò *Sauli* hoſtis eum adegerat odium implacabile. Meminerátque ſe ad regnum habere datum à Deo jus. *Saulo* igitur ſublato, jam nihil prohibebat quin & rediret & regnaret, quin & patriâ & imperio frueretur. Sed inauſpicatò nihil in tanta re moliendum fuit, inconſultóque Deo. Dei ergò voluntatem per aliquem Prophetam Pontificémve (nec enim liquet) explorandam cenſuit, quærendúmque utrùm *in Judæam proficiſceretur. Proficiſci* à Deo juſſus eſt. Deinde, quam in urbem *aſcenderet. Hebronem* aſſignavit oraculum. *Hebronem* ergò *David* ſociíque omnes cum familiis commigravêre, oppidáque ejus ditionis tenuerunt. Eò mox principes populúſque *Judæus* convenêre *Davidem*, oleóque ſacro inunctum denuo, Regem ſibi præfecerunt, peracto illi jam anno ætatis triceſimo.

§ 2. In ore erat omni populo factum memorabile *Jabeſhenſium.* Cujus ubi famam *David* accepiſſet, non potuit non ſuam illis in regem & benemeritum gratulari gratitudinem. Per legatos ergò laudavit, & "bona iis omnia comprecatus eſt, " qui *dominum ſuum* ab hoſtium injuria & ludibrio vindicâſſent. Pergerent porrò " monuit, & *macti* eſſent *virtute fortitudinéque ſuâ*: ſuam & *ipſe illis* omnem opem " operámque pollicitus, ſi quid opus foret, quem, *Saulo mortuo*, *regem ſibi Judæi* " omnes renunciâſſent. Non deerant fortaſſe qui factum illud præclarum malè narrando depravabant, onerabántque invidiâ, ut *Davidis* inimico nimis honorificum; & deferebant *Jabeſhenſes*, ut adverſariorum & familiæ *Saulinæ* nimiùm ſtudioſos. *David* autem, ingenio mitiſſimo vir, qui omnes quocunque modo ad ſtudium virtutis provocandos putabat, ipſos adverſarios benignitate ſuâ victos conciliare maluit, quàm aſperiùs tractando magìs infenſos reddere. Confinia *Judææ* hoſtes varii premebant: *Iſraëlitæ* à Borea; *Amalecitæ* ad Meridiem; ab Occidente *Palæſtini*: Bella undique exſpectanda erant. Nihil erat tutum ſine armis futurum. Quare, ab ipſo ferè ſui Principatûs initio, *David* turmas videtur militum ordinarias per omnem ſuam ditionem inſtituiſſe duodecim, cum ducibus, tribunis, centurionibus, aliíſque præfectis, quæ regno regíque ſingulis menſibus adeſſent præſidio. Ab initio fuiſſe inſtitutas, indicio eſt, quòd unus ducum, ordine quartus, *Aſahel* numeratur, *Joabi* frater, qui tertio *Davidis Hebrone* regnantis anno interemptus eſt. Turmæ verò ſingulæ conſtabant millibus militum viginti quatuor. Sed nondum mihi planè conſtat, an *Judæa* unica tot millia ſuppeditârit; an potiùs in hunc excreverint numerum poſtea quàm omnes *Iſraëlitæ* uni *Davidi* paruerunt. (1 *Chronic.* 27. 1, 2, &c.)

A. M. 2951. *Abnerus* interea, militiæ *Saulinæ* præfectus, colligebat palantes milites, etſi regem in acie reliquerat, non relicturus & regnum. Hoc enim, armorum præſidio munitus, cuicunque vellet traditurus videbatur, modò minimam præ ſe ferenti ſpeciem juris. Apud *Davidem* non erat cur aliquam exſpectaret gratiam, quem ut caperet cæderétve, ſæpius militaverat *Saulo*. Alius erat illi quærendus quem populo præficeret, eóque ſibi ſubjiceret beneficio. Supererat adhuc unus è *Sauli* quatuor filiis, *Isboſethus*: (qui & *Eſhbaal* appellatur 1 *Chron.* 8. 33.) ſive is ex prælio effugerat, ſequutus *Abnerum*; ſive bello non interfuit, rebus domeſticis præpoſitus abſente in armis rege. Et ſpecioſiſſimus hæreditàriæ ſucceſſionis titulus plurimùm apud vulgus valet. Et plurimùm certè valere debet, niſi aliter conſtituat Deus. Eum igitur *Abnerus*, conſanguineum ſuum, quadragenarium jam, ſed hominem, puto, debilem & ignavum, quò magìs obligaretur indignus, ſceptro donavit regio. Ac inprimis, *Jordane* tranſmiſſo, ad urbem tranſtulit *Mahanaim.* Illic enim, flumine interjecto, tutior futurus videbatur à *Palæſtinorum* conatibus *Davidicorúm*que. Illic eum regem conſtituit *Iſraëlitarum*, præter unos *Judæos*, omnium. Haud ignorabant fortaſſe tribus reliquæ Dei voluntatem, meritáque *Davidis* præclara. At non

Iſraëlitis verò præfecit *Isboſethum Abnerus.*

ſunt

ſunt auſi repugnare præfecto militum, copiis inſtructo veteranis. Tantum arma valent, militúmque parata vis, ad ipſa regna conſtituenda transferendáque, in populo præſertim ad pacem compoſito & quietem. *Isboſethi* ergò *Abneri*que ſubmiſêre cervices jugo, exſpectantes, opinor, idoneum tempus, quo ſine damno ſuo periculóve poſſent imperium *Saulinum Davidico* permutare. A.M. 2950.

Duos jam annos *Isboſethus* in *Iſraëlitas* dominatus eſt, interpellante nemine. Nec enim *David*, etſi Deus ei hoc promiſerat imperium, quicquam molitus eſt, quo *Isboſetho* adimeret quod nullo jure detinebat. Dei donum exſpectare maluit quàm rapere: ſua tamen tueri, quæ à Deo jampridem acceperat, magnâ conabatur vi. Et ei vires accreſcebant indies, attenuabantur *Isboſetho*. Suis ergò rebus declinantibus quotidie ut proſpiceret *Abnerus*, nec vel unam *Davidi* concederet tribum impunè, in *Judæam* cum exercitu irrupit, niſi parêrent *Isboſetho*, flammis & ferro ſe vaſtaturum omnia minitatus. Miſſus à *Davide Joabus* qui populantem reprimeret, vímque repelleret vi. Is verò *Zerviæ* ſuæ ſororis filius natu maximus, & magnæ videbatur ſpei juvenis. At expertus eum eſt rex ferocem potiùs quàm fortem, fortem verò magìs quàm pium. *Abiſhaium* & *Aſahelem* fratres habuit; illum robore, hunc pedum agilitate inſignem. Cùm ad lacum *Gibeonis* conveniſſent exercitus, *Abnerus* natu major, & peritior, copiarúmque majorum dux, ad pugnam provocabat. Tergiverſabatur aliquandiu *Joabus*, ſive quòd ità præcepiſſet *David*, ſive quòd minoribus copiis diffideret. Tandem oſtentatione militari *Abnerus*, juvenes duodecim ex *Benjaminitis*, qui armorum peritiſſimi habebantur, in medium prodire juſſit, ut ex hoſtibus totidem elicerent, pugnæque præludium exhiberent. *Joabus*, nè hoſtium jactantiâ ſuorum animi debilitarentur nimis, pari numero *Judæis* congrediendi poteſtatem fecit. Ubi ad manus ventum eſt, quaſi ad carnificinam commiſſi, non ad pugnam, adverſariorum ſuorum ſinguli capita prehendunt, latera confodiunt, vitam eripiunt, univerſi pereunt. Quæ barbara hæc & inhumana feritas, animabus hominum illudere, paſceréque oculos cæde & ſanguine, proficientes nihil ad victoriam? Locus tamen ex eo *Helcath-Haſſurim*, hoc eſt, *Ager fortium*, appellatus eſt. Quaſi verò ea fortitudo habenda ſit, fruſtrà vitam prodigere, ac non furor potiùs & rabies quædam ferina. Hâc ſuorum laniênâ irritatis utrinque animis, concurrunt exercitus. Commiſſo prælio, fuſi *Abnerani* in fugam ſe præcipitem conjecerunt. Deinde cædes & perſecutio. Alii aliis fugientibus inhærebant; *Aſahel*, qui pedibus plurimùm valebat, *Abneri* colligebat veſtigia. Socios fortaſſe putabat mox ſubſidio ſibi adfuturos. *Abnerus*, vir bellicoſiſſimus, facilè potuiſſet adoleſcentem, ac penè inermem, conficere. Sed fratris *Joabi* gratiâ leniùs agere viſum eſt. Monuit ergò juvenem iterum atque iterum, ut aliò declinaret, in alium quemvis agilitatem ſuam diverteret, nec invitum ſe ad vim ei faciendam adigeret. Cùm non parêret *Aſahel*, ſed pararet ipſe vim, haſtâ tranſverberatum *Abnerus* in via mortuum reliquit. Paulò nimis inſolenter uſus victoriâ juvenis, etiam aliis impedimento fuit moderatè cautéque uſuris. Nam & ſocios qui perſequebantur ſui ſpectaculo jacentis in via remorabatur. Sole jam occidente, *Joabus* & *Abiſhaius Abnerum* penè conſecuti ſunt. At ille (*Benjaminitis* quibuſdam iterum coactis in unum) collem quendam occupârat; ubi, ex loco edito munitóque per ſe, clarâ voce ità compellavit *Joabum*: "Quouſque tandem vindictæ indulgebis iracundiæque tuæ? Quo-"uſque ſanguinem ſitiet *devorabit*que humanum tuus iſte *gladius*? Nullúmne cæ-"dibus modum ſtatues? Reminiſcere viciſſitudinis rerum humanarum; nec invi-"tos adige ad pertinaciam. A.M. 2952. Hic à Joabo profligatur.

"*Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.*

"Parce *fratrum* ſanguini; nec ulteriùs terga cæde *Iſraëlitarum*. Exaudivit *Joabus*, &, militari more, jurejurando præmuniens orationem, "*niſi Abnerus interpellâſſet*, "non ante *auroram* aiebat ſe à *perſequenda* fuiſſe victoria milites revocaturum. Tuba deinde receptui cecinit. *Abnerus* cum ſuis totâ nocte *Mahanaïm* contendit: *Hebronem Joabus* ſub crepuſculum matutinum attigit; novemdecim amiſſis in hoc prælio, præter *Aſahelem*; cæſis verò hoſtium trecentis & ſexaginta. *Aſahel* denique in tumulo paterno *Bethleëmi* honorificè ſepultus eſt. Neque tamen hæc victoria tam incruenta & modica contentionem de regno ſuſtulit. Ea non niſi morte *Isboſethi* definita eſt. (2 *Sam.* cap. 2.)

§ 3. *Isbo-*

A.M. 2957.

Abnerus, à rege increpatus ſuo, deficit ad *Davidem*.

§ 3. *Isboſethi* regnum *Iſraëliticum* unius *Abneri* potentiâ induſtriâque militari fulciebatur. Domi enim deſidebat ipſe rex, neque toto ſui regni ſeptennio quicquam geſſit memorabile. Difficiliora quæque munera domi foríſque unus obibat *Abnerus*. Eos alienari à ſe invicem ſimultatibus quibuſdam voluit Deus, quò faciliorem *Davidi* ad regnum univerſum viam ſterneret. Cum *Riſpa* quadam, *Sauli* concubina, conſueverat *Abnerus*. Quid enim ſibi non licere putabat, qui regem à ſe creatum ſibi ſubditum, & in ſua poteſtate habuit? At *Isboſethus* factum ſe regem meminerat, cujus operâ factum non ſatis prudenter æſtimabat. Itaque ſtuprum *Abneri*, ut patri ſuo probroſum, indignè admodum ferre viſus eſt; & libere magìs quàm opportunè reprehendit. Vehementer ſuccenſuit *Abnerus*, ab imbelli rege corripi ſe; minacibúſque verbis non ſedavit, ſed obruit ejus & extinxit iracundiam. "Hæccine, inquit, meorum erga te *familiâm*que *Sauli* meritorum eſt merces, *qui* meas unius *Davidi* atque *Judæis* vires oppoſui veſtrî causâ? Qui, *tradendo* inimicis *te*, mihi gratiam conciliare quantamvis potui; regnum in te conferre immerentem ingratúmque malui. Itáne jam tibi vilis videor, *ut mulierculæ gratiâ me increpandum cenſeas*? Næ tu intelliges brevi, quantum *Abneri* ope operâque tibi opus ſit. Magno tibi conſtabit hæc in me contumelia tua. *Ità Deus mihi* ſit propitius *Jehova*, ut *ego id* ratum habiturus ſum, *quod juratus promiſit Davidi Deus*; ut ego *Iſraëliticum* quácunque patet *imperium*, *à familia Sauli* raptum, *in Davidem transferam*. Tantis perculſus minis *Isboſethus*, obmutuit illico, & demiſit auriculas—*ut iniquæ mentis aſellus*. Unde principes diſcant ignavi, quàm precariò regnent, qui fortitudine nituntur alienâ; quámque inermes ipſi ſint, omnibúſque fortunæ ictibus pateant, qui nullum habent clypeum gladiúmve quem opponant hoſtibus, niſi ducum præfectorúmque ſuorum virtutem bellicam. Neſcit regnare imperiúmque gerere, qui pugnare neſcit gereréque bellum. Nulla magìs regia eſt virtus quàm bellica & imperatoria. Arma ſunt pacis juſtitiæque munimenta & propugnacula: ſine quibus, omnia ſuis ſubditis rex proſpera bonáque, fauſta & felicia, optare poteſt, præſtare non poteſt. At nec armis poteſt in aliena manu. Verum etiam ridens dixit puer ille *Dionyſio*, cùm ei luſurus gladium tenendum traderet tyrannus, *Sic quidem tuam*, inquit, *hìc mihi vitam tradis*. Vitam certè regnúmque tradunt aliis principes, qui exercitum alienæ fidei credunt, imbelles ipſi, rerúmque militarium imperiti. Qui rectè igitur felicitérque regnaturi ſunt, manu alterâ ſceptrum juſtitiæ, alterâ fortitudinis gladium, gerant; ut *Agamemnon* ille *Homericus*,

> 'Αμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
> *Juſtitiâ dubium, validiſne potentior armis.*

Alterutra ſi deſit regi, mancus eſt; indigniſſimúſque prorſus ſceptro, qui gladium vibrare non poteſt. Quippe hoſtibus ſeditioſíſque civibus anſam dat, imò & ſuis nonnunquam ducibus, ignaviâ atque imperitiâ ſuâ, perturbandi res, evertendíque omnia.

Abnerus, ut revera præſtaret quod interpoſito juramento & ipſe minatus erat *Isboſetho*, & pollicitus *Davidi* Deus, nunciis primò rem agit: &, "*Davidi* fatetur univerſum regnum, ut datum cœlitus, deberi; operámque daturum pollicetur ſe, ut omnes ei tribus regi pareant, modò ſecum certis quibuſdam legibus paciſci non dedignetur. Annuit *David*, ſed & unam ipſe conditionem addidit, "nè accederet *Abnerus* ad ſe, *niſi* uxorem ſuam, *filiam Sauli Michalem*, *adduceret*, quanquam jam alteri marito traditam à patre. Idem ab *Isboſetho* per legatos petiit. Quam in adverſis fuerat expertus amantiſſimam ſui, proſperarum quoque rerum participem eſſe voluit. Sed & hanc fortaſſe occaſionem *Abnero* dandam putavit conveniendi ſe, *Isboſetho* rem ipſam non ſuſpicante. Ablatam ergò *Phaltieli*, *Abnero Isboſethus* tradidit ſororem ſuam, ut *Hebronem* deduceret ad *Davidem*. Et comitatus eſt *Phaltiel* maritus, quouſque per *Abnerum* licebat, ſpecioſiſſimam fœminam, ſed alterius jam uxorem. Dolens tandem lacrymánſque ubertim ſolus domum reverſus eſt. *Abnerus* autem *Davidi* tum ſuâ tum *Michalis* causâ gratiſſimus acceſſit, convivióque unà cum viginti ſociis acceptus eſt lautiſſimo. Egerat enim *Davidis* cauſam apud *Iſraëlitas* acerrimè; *Benjaminitas* verò maximè, qui maximè averſi videbantur. Monuit enim, "hunc *ab iis regem expetitum* ſæpius, *hunc à Deo* conſtitutum, promiſſúmque cœlitus, hunc *à Palæſtinis hoſtibúſque* ſibi *omnibus vindicem futurum*. Adeſſe tempus *jam*, quo eum adipiſcantur *principem*, quem tantopere, "quem

“ quem toties *popoſcerant.* His & hujuſmodi verbis hominum voluntates ſtudiáque omnium in *Davidem* excitabat. Quid poſtulaverit *Abnerus* à *Davide*, nuſquam traditur. Militum credibile eſt præfecturam, & locum à rege ſecundum, quem apud *Saulum* obtinuerat, ambiviſſe. Quicquid erat, certum eſt, ambos votorum ſuorum compotes diſceſſiſſe. Atque hæc prudentiſſimè geſta ſunt, quantum humana ferunt conſilia. At *Davidem* Deus ſibi regnum debere uni volebat, non proditionibus conſiliíſve humanis. Fruſtrà igitur hæc omnia & conſtituta ab iis, & ſuſcepta ſunt. Properabat *Abnerus* jam ad concitandos *Iſraëlitas*, *Hebronem*que deducendos, ut novum ſibi regem præficerent. Interim *Joabus* rediit cum exercitu, debellatis hoſtibus, & maximâ onuſtus prædâ. Cùm didiciſſet *Abnerum* adfuiſſe, dimiſsúmque à rege incolumem, non tam admiratus eſt, ut qui mitiſſimum *Davidis* ingenium noverat, quàm indignatus infremuit. Nam & *Aſabelis* necem occaſione hâc ulciſcendam ſibi putabat; neque ferendum ullo modo, (quæ maximè hominem ſtimulabat invidia,) ut *Abnerus* gratiâ valeret apud *Davidem*, ſuâque ipſum præfecturâ militum exueret. *Davidem* igitur inprimis increpare auſus eſt, quòd “ hoſtem capitalem *Judaïci* nomi-“ nis è manibus elabi ſit paſſus; qui non alio conſilio *adveniſſet*, quàm ut ſpecularetur “ omnia, *inſidiáſ*que *Davidi* opportunas collocaret. Hæc apud regem præfatus, & egreſſus illico, nuncios miſit clàm, inſcio rege, qui *Abnerum* quaſi ad rem à rege omiſſam revocarent. Monuiſſe *Davidem* ſatìs *Joabo* viſum eſt, nè, ſi id fortè accidiſſet quod animo parturiebat, accidítque mox, mirum temeréve regi factum videretur. Non exſpectabat dum reſponderetur, & excuſaretur *Abnerus*. Et ſumma fortaſſe feſtinatio *Joabi* (nè interim *Abnerus* evaderet) reſpondendi moram non tulit. Nec ipſe *David* fortaſſe occulta ſua cum *Abnero* conſilia *Joabo* adhuc eſſe prodenda cenſuit, reſponsóve ſibi opus. Ipſam quippe mox reſponſuram eſſe rem cogitabat, advenientibus deferentibúſque ſibi regnum *Iſraëlitis*. *Abnerus* autem, nihil ſceleris indè metuens ubi modò tantam erat expertus humanitatem, tantámque ipſe fecerat rerum proſperarum ſpem, intrepidè rediit. Opperiebatur *Joabus*, & in portam unà cum *Abiſhaio* fratre deduxit. In loco publico de ſeriis quibuſdam rebus amicè collocaturus videbatur; cùm nihil opinanti gladio perfodit latus, animámque eripuit. In vulgus data eſt *Aſabelis* vindicta, quem tantus (aiebant) vir adoleſcentem, longéque imparem, confecerat. At id conſtabat ab invito factum, & juvenis pertinaciâ penè coacto, ſui defendendi causâ. Ambitioſa magìs æmulatio ad hoc facinus atrox & cruentum impulit. Ubi ad *Davidem* delata eſt tam nefariæ cædis fama, incredibili dolore perculſus, diris omnibus *Joabum* exſecratus eſt, qui (ut *Sulpitius* ait *Severus*) *fidem ejus cruentaverat.* Sublatis in cœlum manibus, “ *Deum* teſtatur, “ eſſe *innocentem ſe*, deprecatúrque nè aut ſibi aut *regno ſuo* fraudi ſit hoc immane “ ſcelus. Autor, inquit, *Joabus luat*, tota luat *Joabi familia*; morbis omnibus labo-“ rent, *fluxu impuro* polluantur & *lepra*, paralyſi claudicent podagrâque; mendicatò “ vivant, immaturíve *pereant gladio*; immuni me, regnóque meo incolumi. Eò graviùs dolet imprecatúrque *Joabo David*, quò magìs à ſe facinoris tam diri ſuſpicionem amoliatur. Si enim tantus vir, fide publicâ evocatus, conſcio fuiſſet rege interemptus, omnes à ſe *Iſraëlitas* alienâſſet, apud quos gratioſiſſimus erat *Abnerus*, omnémque de ſua fide ac Religione in poſterum opinionem populi amiſiſſet. Exſequias deinde quàm honorificè *Abnero* celebrari voluit, quò longiùs abeſſet à ſuſpicione cædis. *Joabum* ducem omnéſque juſſit milites, in viri militaris, tantíque ducis, funere veſtes lacerare, ſaccum induere, pompâque longiſſimâ lamentari. Ipſe *David*, neglectâ majeſtate regiâ, & pheretrum ſecutus eſt, & ad ſepulchrum deflevit indignam maximi ducis necem, unà cum populo univerſo. Nec affectando lamentandóque tantùm, ſed & carmine funebri cohoneſtavit exſequias.

A.M. 2957.

perfidéque transfoſſus à *Joabo* ex invidia,

à *Davide* lugetur, & ſplendido funere honeſtatur.

Heu! Abnere, jaces; ſed non quo more ſceleſti:
Nulla manus religant vincula, nulla pedes.
Candida credulitas nocuit tibi; perfidioſâ
Inſidiatorum proditione jaces.

Hæc videtur ad ſepulchrum ceciniſſe rex; quæ cœtus univerſus lugubri ploratu comprobavit. A ſepulchro ad convivium funebre ſecutus regem eſt populus. Tempore id ſolebat eſſe meridiano prandium. At *David*, quò magìs conſtaret omnibus, eum revera & ex animo dolere lugeréque, omni cibo abſtinuit, & ſuis urgentibus juravit, ſe ad veſperam jejunaturum. Animadvertit populus & comprobavit hoc; ut

& re-

A.M. 2957. & reliqua omnia quæ in hac celebratione funeris à *Davide* geſta ſunt mirificè populus approbavit. Sic enim, non *Judæi* modò, ſed *Iſraëlitæ* univerſi exploratum habuêre, cædis *Abneranæ* regem nullo modo participem aut conſcium fuiſſe. At fortaſſe homicidarum pœnâ, & ultione cædis legitimâ, faciliùs purgare ſe apud populum potuiſſet, quàm lacrymis & jejunio, pompâque omni funeris. Neque regem id latebat. Itaque de iſta etiam re purgandum ſe apud aulicos putavit proceréſque ſuos hâc oratione. "*Occidit* nobis *hodie*, nobiliſſimi proceres, clariſſimum ſidus; "lumen columénque ſuæ patriæ, inclytus ille dux *Abnerus occidit.* Quémque ſceleratæ manus exitio dederunt, piæ jam condiderunt tumulo, & funere magnifico "extulerunt. Si quis fortè miratur quid ſit, quòd, qui operam peramicam dedimus "corpori tumulando heroïs perempti, nullam de percuſſoribus quæſtionem inſtituamus, exigamúſve pœnam : Id erat quòd convenire vos hoc tempore volui, ut "paucis à me acciperetis; nè, impunitate homicidarum, aliquam ipſe maculam aut "ſuſpicionem conſçientiæ contraham. Novi equidem faciliùs indè me expediri poſſe ultione ſeverâ perpetrati ſceleris, quàm honorificentiſſimâ exſequiarum celebratione. Sed ——— *Non omnia poſſumus omnes*; imò nè reges quidem ipſi. Unus "ille regum rex, qui fecit omnia, facere omnia poteſt unus. Noſtræ omnium definitæ ſunt vires, maximè omnium ſunt meæ, cujus adhuc *meſſis in herba eſt*, & "omnis in flore fructus; nondum maturuit. *Zerviæ* verò *filii* ad opes nimias excreverunt. Illos nemo laceſſat impunè tot ſtipatos gladiis. Ab iis repetere pœnas, "quid aliud eſt niſi crabrones irritare, & omnium in me unum gladios provocare "militum? quod quanto futurum ſit cum totius regni periculo, quis non videt? "Ad tempus igitur connivendum cenſeo hac in re, nè ultio imprudens unius funeris "mille pariat. Ipſa juſtitia intempeſtiva crudelitatis plerumque rea eſt. Liceat ergò mihi cauſam hanc impræſentiarum commendare precibus *Deo*, ille ut in homines "*conſceleratos* debitis ſuppliciis *animadvertat*. Non me latet, ipſum præcipere Deum, ut *qui ſanguinem humanum profuderit*, *ejus* itidem *ſanguis operâ humanâ*, magiſtratuum atque regum, *profundatur*. Sed & bona tempore facienda bono & opportuno ſunt. *Temporibus medicina juvat*. Tolerandi ſunt morbi, donec ferant "remedia. Meæ fidei credite hanc rem. Ego tempus commodum aucupabor, quo "merita luat ſupplicia; nec cædis tam inhumanæ tetræque reus (propitio mihi Deo) "ſine cæde & ſanguine deſcendet in ſepulchrum. Hæc apud ſuos *David*, ad impunitatem *Joabi* excuſandam; in qua tamen humanitus aliquid paſſus videtur, & indulſiſſe nimiùm vel timori, vel gratiæ. Nec enim condonavit modò, ſed nè in judicium vocavit unquam, nè homicidii atrociſſimi reo conatus eſt pœnarum quicquam infligere. *Veterem ferendo injuriam*, *invitas novam*: ità ſcelera, ferendo ſcelus. Si vindicaviſſet *Abneri* necem *David*, *Amaſam* pari proditione trucidatum vindicâſſet à nece. Illecebra peccandi maxima eſt impunitatis ſpes, quæ ex impunitate præcedente oritur. (2 *Sam.* 3.)

Isboſethum qui perimunt multantur morte.

§ 4. *Abneri* cædes *Isboſetho* ſuccîdit nervos, debilitavit animos; eóque mortuo, timor auctus eſt, quo vivente periculum erat majus futurum. Nec *Isboſethus* modò, ſed *Iſraëlitæ* omnes magnopere conturbati ſunt. *Davidem* itaque jam quaſi orientem Solem ſpectabant omnes adorabántque. Ejus gratiam ut conciliarent ſibi duo tribuni militum, *Rechabus* & *Baana Benjaminitæ*, *Rimmonis Beërothitæ* filii, audax facinus deſignavêre. Exſulaverant illi nuper apud *Gittæos*, *Idumæos* alicubi *Arabáſve*, *Abneri* (ut credibile eſt) offenſi metu. Eo enim mortuo redeunt, & frumentariorum habitu in *Isboſethi* mediam domum penetrant, advertente nemine. In thalamo jacebat æſtu meridiano ſolutus rex; ubi dormientem occupant & obtruncant. Caput ad *Davidem*, totâ nocte facientes longum, at ingratum iter, *Hebronem* deferunt. Et exſultantes quaſi bene geſtâ re, "*Ecce*, inquiunt ad regem, *Isboſethi caput adverſarii tui*, cujus pater *Saulus tuæ vitæ inſidiatus eſt*. Tuas *Dominus* Deus "injurias *hoc die de Saulo Saulique progenie vindicat*. Cùm hæc dixiſſent, tantum eos fruſtrata eſt præmii quod exſpectabant ſpes, ut mortem iis *David* teſte Deo interminatus ſit. "Si enim eâ mercede dignus videbatur qui *mortem Sauli nunciaverat*; *quantò magìs*, inquit, morte multandi *vos*, qui *virum bonum*, *ſua* quietum "*in domo*, cubantem *in lecto*, *trucidâſtis*? Meritò igitur luere debetis innocentem "quem fudiſtis *ſanguinem*, *& ex terra tolli* quam polluiſtis cruore. Juſſi ergò ſatellites impetu facto cecîderunt ambos, manúſque præciſas atque pedes ad piſcinam *Hebrone* ſuſpenderunt. Mali exempli res regia cædes, nec regi ferenda videbatur; utcunque

cunque rebus præſentibus commoda, in poſterum damnoſa tum ſibi tum ſuis futura. *Isboſethi* verò caput in *Abneri* ſui ducis conditum ſepulchro eſt. (2 *Sam.* 4.) A.M. 2957.

Davidi jam regnum patebat *Iſraëliticum*: impedimenta obſtabant nulla. *Saulus*, *Abnerúſque* & *Isboſethus*, qui hactenus aditum præcluſerant, è medio ſublati ſunt: non tamen id agente aut procurante *Davide*, imò nè volente quidem probantéve. Unus Deus, qui promiſerat, perfecerat omnia, inclinarâtque voluntates populi totius ad *Davidem*. *Mephiboſethus* tantùm ſuperfuit, *Jonathanis* filius, ex familia *Sauli* legitima; ſed & puer, & claudus, nec proinde ad ſceptrum idoneus. Nutrix enim, nuncio de *Sauli* & *Jonathanis* interitu perterrita, dum præcipiti fugâ ſe ex ædibus cum pucro quinquenni proripiebat, ille caſu perfregit ſibi crus, unde poſtea claudicavit. *Hebrone* igitur ultro convenerunt omnium tribuum principes, populíque magna pars armata, ut in eum conferrent imperium univerſum. Ex *Judæis* millia tantùm ſex & octingenti; *Simeonidarum*, centum ſupra ſeptem millia viri fortiſſimi; *Levitarum*, millia quatuor & ſexcenti; quibus aderant ſacerdotum tria millia ſeptingentíque duce *Jehoiadâ*, cum *Zadoco*, juvene, ſed fortiſſimo, cum duobus & viginti ſuæ familiæ ducibus: *Benjaminitarum*, tria millia; *Ephraïmitarum*, viginti millia & ſexcenti. *Manaſſidarum* altera pars millia præbuit octodecim. *Iſſacharitæ*, ducentos duces, temporum & opportunitatum ſcientiſſimos; *Zebulonitæ*, militum periſſimorum fidiſſimorúmque millia quinquaginta; *Naphtalidæ* duces mille, militum verò triginta & ſeptem millia; *Danitæ*, octo & viginti millia & ſexcentos; *Aſheritæ*, quadraginta millia; *Gaditæ*, *Rubenitæ Manaſſidæque* ultra *Jordanem*, centum & viginti millia emiſerunt. Hæ tantæ ducum atque militum copiæ *Davidi* "adeſſe aiebant ſe, ut illi ſummam ſuarum rerum traderent. *Cognatos* enim illi ſe "non minùs quàm eſſent *Judæi*, ex eodem *Iſraële* oriundos; & expertos jampridem, *Saulo regnante*, prudentiam ejus in rebus gerendis, fortitudinem atque fidem. "Ei *Deum* denique provinciam hanc (id quod caput erat omnium) demandâſſe. "Veniſſe igitur ſe, ut cùm eo ſacrum inirent fœdus; eum æquo jure imperaturum "ſubditis, fideliter obſecuturos ejus imperio ſe. Sancito fœdere, tertiò *David* unctus eſt; triduóque morati *Hebrone*, ſumma cum hilaritate convivati ſunt *Iſraëlitæ*, tum præparatis epulis *Judæorum* ſumptibus, tum comportatis aliunde aſinorum & camelorum jumentorúmque operâ ex vicinis tribubus. Septennio jam regnaverat *David* & menſes *Hebrone* ſex. At ea urbs regia imperio ampliori jam, & ad Septentrionem longiſſimè porrecto, non ſatis opportuna videbatur, in extremis ferè ſita finibus *Judææ* ad Meridiem. *Hieroſolymæ* urbs erat in ipſis *Judaïcæ Benjaminiticæque* tribûs confiniis poſita. (*Joſ.* 15. 63. & 18. 28.) Ea commodum datura videbatur corpori tanto imperii *Davidici* caput, & digna rege ſedes futura. *Salem* hanc fuiſſe aliqui volunt, *Melchizedechi* regnum; occupatam deinde à *Jebuſæis*, *Jebus* appellatam. (*Jud.* 19. 10, 11.) Ex utroque nomine, *Jebus* & *Salem*, mutatâ literâ, conflatum fuiſſe *Jeruſalem*. Alii malunt à *Jehova Jire*, *Deus providebit*, *Gen.* 22. 14. (quod huic loco nomen *Abrahamus* dederat,) *Jeruſalem*, quaſi *Jire-ſalem*, fuiſſe dictam. Qui à *Solymis* montibus deductum opinantur hoc nomen, ex *Piſidia* longiſſimè remota petunt. Cúmque *Hieroſolyma Græcanico* more fiat ex *Hebraïco Jeruſalem*, aliqui tamen ex Ἱερὸν Σολομῶνος, propter Templum illic à *Solomone* conſtructum, coaluiſſe putant. Hi verò longiùs peregrinantur quàm in *Piſidiam*, ex fontibus *Græcis* vocem derivantes *Hebraïcam*. Ex hac urbe *Jebuſæos* nec *Judæi* adhuc, (*Joſ.* 15. 63.) neque *Benjaminitæ* (*Jud.* 1. 21.) expulerant. Omnes ergò quæ aderant copias ad *Hieroſolymas* obſidendas traducere, opportunum *Davidi* viſum eſt. Miſſi feciales inprimis, qui deditionem poſtularent. At *Jebuſæi*, propugnaculo *Sionis* munitiſſimo freti, dicaciter illudunt feciali, reſponderíque volunt *Davidi*, "*Niſi* "*cæcos & claudos tolleret*, (ſic enim *David* illudere ſolebat idolorum ſtatuis, *habere quidem oculos*, *at nihil cernere*; *pedes præ ſe ferre*, *nuſquam tamen incedere*; eos, inquam, niſi tolleret, monebant,) "fruſtrà nè captaret civitatem hanc, quam *cæcorum* "*claudorúmque* deorum præſidia per tot ſecula præſtitiſſent incolumem. Quod annis non eſt quadringentis factum, fieri cenſebant non poſſe. Et magnæ profectò difficultatis erat diſcriminíſque res, propter mœnium & munimentorum ſummam firmitudinem. Præmiis ergò *David* excitandos putabat qui ſuſciperent. Duxerat quidem hactenus militiam *Davidicam Joabus*. Tantâ imperio acceſſione jam factâ, reliquos *David Iſraëlitas* ab hoc ſummæ dignitatis gradu excludi noluit. Digniſſimo cenſuit concedendum. Publicè igitur denunciari jubet, eum exercitûs præfectum fore

David tertiò unctus eſt, rex totius populi Hebraïci.

Captis à Davide Hieroſolymis,

A.M. 2957. fore qui primus in arcem *Jebuſæorum* penetraret, cæcóſque & claudos inviſiſſimos *Davidi* deos tolleret. *Joabus* contentione ambitionéque ſummâ actus, nè amitteret præfecturam militum, nihil non tentandum agendúmque ſibi putavit. In arcem igitur primus aditum patefecit, primúmque deinde tenuit militiæ locum. *Sionis* arcem incoluit ipſe rex, plurimíſque ædificiis auxit undiquaque & ornavit. Appellata eſt propterea *Davidis civitas*. *Joabus* reliquam exædificavit. Cæſi (opinor) *Jebuſæorum* ſunt plurimi, expulsíve. Relictus eſt *Arauna*, (de quo 2 *Sam.* 24.18, &c.) aliíque forſan nonnulli, qui amicitiam cum *Judæis* coluerant priùs, Religionémque ſunt amplexi. *David* ab hoc initio novis auctus eſt indies incrementis; quippe cui ſemper aderat propitius exercituum Deus.

ejus amicitiam *Hiramus* ambit. *Hiramus Tyriorum Zidoniorúmque* rex, cùm de proſpero ſucceſſu *Davidis* famâ ex propinquo facilè accepiſſet, amicitiam ejus maturè conciliandam ſibi putavit. Per legatos ergò gratulatus ei regni felicitatem, & de hoſtibus victoriam, ligna cedrina & fabros tum lignarios obtulit tum lapidarios, qui regiam in urbe nova novam illi conſtruerent. Hactenus enim à *Palæſtinis* impeditus eſt, nè *Sionis* urbis palatiíque regii quam moliebatur conſtructionem perficeret. Omnibus jam feliciſſimè ſuccedentibus, *David* animo gratiſſimo conſtabilitum ſibi regnum agnovit eſſe à ſolo Deo, *Iſraëlitarum* ſui populi gratiâ. Nec enim ſibi populum à Deo datum tondendum cenſuit deglubendúmque; (ut aulici regibus adulatores plerumque ſuggerunt;) ſed populo ſe dari, ut paſceret regerétque ſubditos, quaſi totidem filios, patriæ ſuæ communis pater. (2 *Sam.* 5. 12.)

A.M. 2958. *Palæſtinos* aggreſſores profligat *David.* § 5. Hactenus à cæde *Sauli* quieverant *Palæſtini*, civiléſque diſſentiones inter ipſos *Iſraëlitas*, aliis *Isboſethum* conſectantibus, *Davidem* aliis, magno cum gaudio ſpectabant tuti. Neque opus, neque conſultum putabant ipſi, eos hoſtiliter invadere, qui ſuis mutuò ſe viribus atterebant. Verendúmque videbatur, nè, ſi hoſtis accederet forinſecus, diſſidentes inter ſe partes convenirent ad commune periculum propulſandum. At cùm regni totius vires in unum *Davidem* collatas audiviſſent, ſummis eum viribus impugnandum ſibi putabant. Militiæ comites aderant dii ſculptiles, & in valle *Rephaïorum*, id eſt, gigantum, copias omnes explicabant. In turrem aliquam *David* recepit ſe, donec ex Deo quæſiviſſet, utrùm *Palæſtinis* repugnaret, felicitérque rem geſturus eſſet. Pugnare juſſus à Deo, promiſsâ victoriâ, hoſtes fortiter aggreſſus fudit fugavítque. Sculptiles tantùm dii pedes quidem habebant, ſed fugere moveréve ſe loco non valebant. Capti ſunt ergò, & flammis dati. Loco nomen *Baal-Perazim David* eſſe voluit, eò quòd Deus ibi hoſtes diſſipaviſſet, quomodo aquæ diſſipantur effuſæ: vel potiùs, quòd in eos irrupiſſet Deus, velut aquarum magna vis. Hanc ſibi cladem *Palæſtini* ultro accerſebant, laceſſendo quietum, & quaſi dormientem ſuſcitando leonem. Tantum quippe *David* gratitudini dabat, memoriæque beneficiorum quæ acceperat, ut noluerit inferre bellum, beneque de ſe meritos provocare. Provocatus autem ipſe, ſibi ac ſuis deeſſe non potuit. Nec enim fortitudinis erat minùs, laceſſentibus armis reſpondere, quàm gratitudinis, cum benemerentibus beneficiis contendere.

Palæſtini, victoriâ de *Saulo* partâ, in ſummam elati arrogantiam, fuſos ſe à *Davide* indigniſſimè ferebant. Belli reliquias inſtaurant, copias addunt novas, novi certaminis aleam ſubituri. Maximâ iterum multitudine in vallem *Rephaïorum* ſe effundunt. Iterum Deus à *Davide* conſulitur; qui vetuit "*nè* ultro occurreret hoſtibus, "opponerétve ſe palàm: *verùm ductio circuitu*, ubi ad *mororum nemus* perveniſſet, "*terga invaderet Palæſtinorum* nihil indè metuentium. Neque verò id priùs, quàm "*ſtrepitum* quaſi hominum *in arborum cacuminibus incedentium audiviſſet:* Eo quaſi

A.M. 2959. "claſſico *excitati erumperent*; eo *Deum* ſignificaturum, ſe *ut hoſtes profligaret Davidi* "ſuo *præiviſſe*. Monitis Dei obſecutus, claram *David* de hoſtibus facilémque victoriam nactus eſt. A *Geba*, ſeu *Gibeone*, (1 *Chron.* 14.16.) *Gazerem* uſque, fugientium terga cecìdit, magnámque illis cladem intulit. Ità effecit Deus, celeberrimum ut eſſet apud gentes undique vicinas & formidoloſum *Davidis* nomen. (2 *Sam.* cap. 5.)

Deinde ſe accingit ad cultum Dei redintegrandum, & Arcam *Hieroſolymas* deducendam. *Iſraëlitarum* rex *David*, quaſi natus fuiſſet ſublatúſque in regnum ad inſtaurandam ſolummodo Religionem, *Sauli* temporibus neglectam turpitérque jacentem, quicquid otii dabatur à muneribus bellicis, maxima ex parte in cultu Dei reficiendo exornandóque impendebat. *Hieroſolymis* jam locum præparaverat Sacris à Deo deſtinatum. Atque inprimis eò Arcam fœderis in locum publicum, & in conditum

à ſe

à ſe Tabernaculum, ex ædibus privatis traducendam cenſuit. Nam ad eam ſe præſentem ſolebat Deus, & à Pontifice conſulendum, exhibere. Per annos autem ferè quinquagenos ſine Tabernaculo apud *Ciriath-Jearæos* delituerat. *Moſaïcum* & vetus Tabernaculum, quod *Shilunte* ſua in tribu collocaverat *Joſua*, poſt Arcam à *Palæſtinis* captam, ſacerdotes *Ithamaritæ*, Pontificis *Eli* progenies, in urbem ſuam tranſtulerunt *Nobum*. Cæſis deinde ſacerdotibus *Nobi*, *Saulus Gibeone* apud tribules ſuos, in urbe etiam ſacerdotali, (*Joſ.* 21.17.) Arámque ſimul depoſuit æneam. At nè tantam rem populo inconſulto aggrederetur, triginta ſibi virorum lectiſſimorum millia ex omnibus regni partibus accivit *David*. His ubi conſilium de Arca reducenda ſuum propoſuiſſet non magìs quàm probaviſſet, ex eorùm ſententia, populum, unà cum Sacerdotibus atque *Levitis*, à *Sichore* amne, meridionali terminò *Iſraëlitidis*, uſque ad fines *Hemathanæ* regionis ad Boream, (quà longiſſimè patet *Iſraëlitarum* terra,) concivit omnem, ut à *Jearæis* Arcam Dei *Hieroſolymas* comitarentur. Ea quidem *Levitarum* humeris portari debuit, præcipiente quidem Deo. (*Num.* 4.15.) At verò nemini illorum in mentem venit, non regi pio, non *Levitis* ipſis ſacerdotibúſve, hæc Dei lex. Eodem quo *Palæſtini* modo, jumentis Arcam trahebant plauſtro novo impoſitam. *Abio* filius *Abinadabi* præibat, monſtrabátque viam; plauſtrum agebat ejus frater *Uzza*. Summa cum lætitia exſultabat populus, ipséque rex tripudiabat. Gloriam verò Dei gaudiúmque publicum muſicis inſtrumentis omnium generum concelebrabant. Sed voluptas hæc brevis luctu corrumpitur inopinato. Nam ad aream *Nachonis*, ſive *Chidonis*, cùm perveniſſent, titubantibus jumentis, (ità Deum voluiſſe credibile eſt, ut animantia illa bruta monerent homines, arguerέntque erroris ſui,) Arca ſubitò vacillabat: quam ad ſublevandam, nè inclinata caderet, manum protinus admovebat *Uzza*. Sed morte ſubitâ multatus à Deo, eò quòd Arcam tetigiſſet, certum dedit argumentum offenſi Numinis. Caſu tam lugubri atque inexſpectato cœtus obſtupuit exhorruítque univerſus. Ipſe dux pompæ *David* variis animi perturbationibus, irâ, dolore, pudore, metu, graviter admodum affectus eſt. Animadvertit, irato Deo, hanc non ritè geſtam rem eſſe, nec ex Divino inſtituto. Vehementer ergò ſuccenſuit, non tantùm Sacerdotibus; qui non monuerant, verùm ſibi etiam ipſi, qui non proſpexerat nè quid peccaretur in re tam gravi. Regiæ verò negligentiæ dediſſe pœnas tam graves *Uzzam*, dolebat maximé. Pudebat verò non minùs, ad rem irritam eſſe coactum tantâ populum multitudine, & irato Deo ſuſceptam. Magnam ſperabat ex hac re pietatis laudem. Jam verò ejus exiſtimatio atque autoritas apud populum in magno diſcrimine verſabatur. Tantum enim cùm viderant in medio curſu apparatum concidiſſe, non potuit non plurimis videri *David*, & rem hanc temere cœpiſſe, quam perfici noluit Deus; & indignus fuiſſe tanto hoſpite, quem in ſuam erat civitatem deducturus. Quare ſummo & ipſe metu correptus eſt, nè quid, tantæ támque illicitæ celebritatis autor & primus dux, ab infeſto Deo pœnæ pateretur. Recordabatur nimirum religionis hujus violationem millibus hominum quinquaginta interitum attuliſſe. Reveritus ergò Dei iram, non eſt auſus *Sionem* vas ſacrum advehere, donec divinitus inſtitutum ducendi morem didiciſſet. Ipſi etiam viri boni ipsâ pietate nonnunquam peccant, niſi in Sacris tractandis adhibeant ſibi Deum ducem. Quare ad tempus apud *Levitam* virúmque pium, *Obed-Edomum*, deponendam eſſe Arcam cenſebat rex. *Gathæus* ille vocabatur, vel quòd *Gathi Palæſtinorum* (exſulante tum patre) fuiſſet natus; vel quòd ipſe illic eſſet diutiſſimè verſatus.

A.M. 2959.

Temeritatis ſuæ dat pœnas *Uzza*.

§ 6. *Obed-Edomus* in ſuis ædibus Arcam Dei tres menſes honorificè habuerat, hoſpitem haud ingratum. *Obedis* enim felices & proſperæ res omnes, ex quo ſacrum hoc pignus receperat, in omnium tam oculis quàm ore erant. Domi foríſque omnia illi ex voto ſuccedebant. Felicitatem hanc *David* ad ſeipſum derivaturus, Tabernaculum novum magnificúmque *Sione* conſtituebat, quo Arca ſacra teneretur. Vetus enim jacuerat per annos 50 neglectum, ac poſt annos ferè quingentos corruptum forſan & diſſolutum. Ex Lege *Moſis* rex didicit, quomodo ritè & ſine periculo ex Dei ipſius inſtituto Arca eſſet deportanda. Populum igitur jam denuo *Hieroſolymas* cogit univerſum, Sacerdotes præcipuè & *Levitas*, ut accerſerent Arcam & aſſectarentur: *Levitas* etiam ut portarent, quemadmodum à Deo præceptum eſt, (*Exod.* 25.14. *Num.* 4.15.) útque cantu inſtrumentíſque muſicis (quo modo tubis ſacerdotes) quaſi Deum ad ſuos reducem ſummo cum gaudio concelebrarent. *Zadocum* ergò & *Abiatharem*, principes Sacerdotum, adeſſe voluit: & ex *Levitis*, *Uriclem*

A.M. 2960.

Arca tandem deducitur ex ædibus *Obedis* in *Davidis* civitatem.

A.M. 2960.

lem Cohathitarum coryphæum, unà cum centum aliis atque viginti, ejuſdem omnibus familiæ; *Meraritarum* principem *Aſaiam*, cum ducentis viceníſque; *Gerſhomitarum Joëlem* principem, fratrúmque centum & triginta; ex familia *Elizaphanis*, *Shemaiam* principem, cognatóſque ducentos; ex familia *Hebronis*, *Elielem* principem, cum octoginta cognatis; ex familia *Uzzielis* denique, principem *Amminadabum*, cognatorúmque centum ac duodecim. His tradidit ſua mandata rex, ut ſe ſuóſque ritè purgarent, nè immundi accederent ad Arcam Dei. Tandem paratis omnibus, ad *Obed-Edomum* pervenêre; in humeros Arca ſublata eſt; clangebant tubæ; cantúque vocum, nervorum, tibiarum cymbalórumque, tota vicinitas perſonabat. Indè verò paſſus progreſſi ſex, conſiſtere jubentur. *David* animadvertit, ritè inſtituto portandi more, pacatum eſſe adjutorémque *Levitis* Deum, nullum adeſſe periculum, tuta lætáque omnia. Victimæ igitur immolatæ ſunt boves arietéſque ſeptem in ara tumultuariò è ceſpitibus facta, tum ut gratias Deo propitio agerent; tum ut implorarent illius opem, quâ iter inſtitutum fauſtiſſimè perficeretur. Ubi litatum eſt, iterum ſe Arca in viam dat, tubis iterum clangentibus, muſicíſque inſtrumentis omnium generum aëra mulcentibus, auréſque multitudinis. *David* autem, & qui portabant Arcam *Levitæ*, & qui cantabant, unà cum *Chenania* rectore chori, lineis induti veſtibus incedebant; Ephodo etiam lineo accinctus rex cantabat ludebátque, & conatu maximo tripudiabat. Nihil indignum exiſtimabat majeſtate ſuâ regiâ quod ad cultum honorémque majeſtatis Divinæ faceret; cui ſervum non minùs agnovit ſe, quàm de plebe quemvis infima homuncionem. Cùm pompa in *Davidis* civitatem ingrederetur, è feneſtra ſpectabat regina *Michal*, & in media tripudiantium turba *Davidem* quoque ſaltantem ſtrenuè coram Deo conſpicabatur. Aulico faſtu intumeſcens mulier protinus indignatur, & quaſi rege indigna facientem deſpicatur animo pium conjugem. At ille Arcam cùm in medio Tabernaculi novi ſtatuiſſet, holocauſta & pacifica *Jehovæ* ſacra obtulit, populo epulum exhibuit, benedixit, dimiſit. Singulis enim placentam panis, fruſtúmque carnis, & vini lagenam, etiam fœminis, dedit. Domum ut ſuæ quoque familiæ benediceret redeunti uxor obviàm occurrit *Michal*. Se non potuit continere, quin exprobraret ei quàm primùm, aſperéque publicam ſaltationem, depoſitâ majeſtate regiâ, perſtringeret. "*O quàm glorioſè*, inquit, magnificéque geſticulatus eſt *hodie Iſraëlitarum monarcha*, "*& exuto* rege morionem egit ipſis *ſervorum ſuorum ancillis* deridendum! *David*, his aculeis aliquantùm exacerbatus, haud multò mitiùs reſpondit quàm faſtuoſa mulier eſt calumniata. "Itáne veró? inquit; das mihi vitio ſaltaviſſe? ipſámque objicis " pietatem? Non ego tibi ancilliſve tuis, non hominum ulli, ſed regi regum *Jehovæ* " ſaltavi rex: *qui tuo me patri prætulit*, *Saulóque* abdicato *cum familia*, *Davidi* tra" didit hoc ſceptrum, *ei* ego ſaltavi *Jehovæ*. Eò quòd me minorem gero, impero. " Minorem *verò adhuc viliorémque* (ſi quid opus) coram Divina Majeſtate *ego me ge*" *ram & abjiciam*. Quantò *Jehovam* majoris facio, tantò *illæ ipſæ quas tu narras an*" *cillæ* (ſi quid ſapiunt cœlitus) *majoris me facturæ ſunt*. Hæc *David*, ut retunderet *Michalis* convitium. Ea verò pœnas hujus calumniæ ſatìs (ut eâ tempeſtate videbatur) acerbas dedit. Mulier ſpecioſa ſterilitatis probro multata eſt. *Levitas* deinde conſtituit rex, qui coram Arca Dei quotidie miniſtrarent, *Aſaphum* inprimis & ejus cognatos; ut in acta referrent res, gratiíſque & laudibus Deum celebrarent; *Aſaphus* quidem cymbalis, inſtrumentis alii nabliorum & citharis. Eodémque Pſalmum die cantandum iis tradidit, qui in Libro *Pſalmorum* 105. legitur. *Obed-Edomum Jeduthunis* filium & *Hoſam* janitores; ſacerdotes verò *Benaiam* & *Jahazielem* inſtituit tubicines. Nec neglectum eſt Tabernaculum in Excelſo *Gibeonis*, & Ara vetus. Sed *Zadocus* ſacerdos unà cum cognatis ſuis à rege conſtitutus eſt, ut manè & veſperì ſacra quotidiana & reliqua perageret ex *Moſaïcæ* Legis præſcripto; *Heman* verò & *Jeduthun*, unà cum *Levitis* aliis, ut muſicâ Deum celebrarent; filii *Jeduthunis*, ut januam cuſtodirent. (1 *Chron.* 16.4, &c. & 37, &c.)

Michal Davidem ſuo damno irridet.

A.M. 2961.

§ 7. Pacem agebant *Iſraëlitæ* jam, domíque ſuæ *David* otioſè deſidebat. Animo igitur pio gratóque in Deum cogitare cœpit, "*ædes* magnificas & *cedrinas habitare* "*ſe*, donante Deo; *Arcam* verò *Dei* huc & illuc peregrinantem *in tabernaculis agere*, " nullàm habere fixam ſtabilémve ſedem ubi conquieſcat. *Nathanem* ergò Prophetam conſuluit, (nè quid aggrederetur temere in tanti momenti re,) " utrùm Deo " id gratum eſſet futurum, ſi Ædem ſacram, ubi collocaret Arcam Dei, conſtrueret. " Ipſi enim Deo domum totius mundi ambitum nimis anguſtam fore. Conſilium regis

Promiſſa Dei *Davidi* facta in præmium Templi deſignati, ſed non accepti.

A.M. 2961.

regis *Nathan*, primâ ſpecie ſplendidum & perquam religioſum, mirificè comprobavit collaudavítque. At per quietem eâ nocte admonuit *Nathanem* Deus nè fieret, útque ſervum ſuum *Davidem* ſuis ità verbis commonefaceret: "*Túne mihi domum* "*ædificaturus es*, *qui*, *ex quo Iſraëlitas ab Ægyptiis vindicavi*, ſemper *in pellibus* habitavi *hactenus*, *ambulavi*que *in tentoriis? Cui* verò unquam *ex Judicibus*, *quos po-* "*pulo meo* præfeci, *mihi ut* Templum *conderent imperavi?* Meum enim hac in re "mandatum erat, etiam tibi, exſpectandum, neque compingendus *in domum* invi- "tus ſum. Neque tamen aſpernari me putes voluntatem tuam, aut pium cultûs mei "ſtudium rejicere. Quomodo me hactenus expertus es, ità in poſterum tibi exſpec- "tabis fautorem adjutorémque benigniſſimum. *Ex paſtore te in regem ſuſtuli*; in- "ceptis tuis quibuſcunque *adfui* propitius; *inimicos tibi hoſtéſque omnes debellavi*, "*delevi*; *magnum* denique celeberrimúmque *tibi nomen* apud gentes etiam remotiſſi- "mas *dedi*. Sed & *populus meus*, tibi à me ſubditus, tuæ particeps felicitatis, altas "in hac terra beatiſſima *radices aget*, *nec movebunt eum ampliùs vexabúntve*, *ut ſoliti* "*ſunt*, ex *profanis* gentibus hoſtes importuni. *Ego* enim *hoſtes miſſurus omnes ſub* "*jugum tibi ſum.* Nec tibi tantùm uni, ſed & *poſteris tuis* hæreditariò *regnum* hoc "proprium atque *perpetuum do*. Qui autem *proximè tibi tuum obeunti fatum* ſuccedet *hæres*, *is* quod eras tu facturus perficiet, *templúm*que *meo* ſacrum *nomini* "*exædificabit*. *Ei* viciſſim *ego ſtabile ſolium æternúmque futurum conſtituam*. *Quòd* "*ſi peccare illum contigerit in me*, ut *filium*, more amoréque *paterno*, *corrigam*, non "ut ſervum, *ut Saulum*, *abjiciam*. De poſteris denique tuis ſecurus ut ſis faciente "me fidem,

" *His ego nec metas rerum*, *nec tempora pono*;
" *Imperium ſine fine dedi.* ———

Hæc à Deo dicta cùm à *Nathane* accepiſſet *David*, in Tabernaculum protinus contulit ſe, ubi ſedens coram Arca Dei, magno ardore animi, quaſi Deo præſenti primò gratias egit, quòd "tanta in ſe beneficia contuliſſet, tanta promiſiſſet ſuis poſteris, ut "nihil eſſet amplius optandum expetendúmve. Deinde non minùs impensè precatus eſt, ut "pergeret porrò, & præſtare quæ promiſerat dignaretur, pro ſua ſumma "*benignitate* ac *fide*; néve ſuis ſuorúmve peccatis bonitas Divina vinceretur, quin "*perpetuâ benedictione ſuis adeſſet poſteris*, ut in ſceptrum paternum hæreditariò ſuc- "cederent.

A.M. 2965.

§ 8. Vetuerat quidem Deus *Davidem* nè Templum ædificaret, ſed ampliſſimis tamen beneficiis cumulârat atque promiſſis. Non propterea tamen domi otiandum ſibi putavit rex, quaſi dormienti exſpectaret daturum omnia Deum; ſed aliquod potiùs animi ſui grati pignus benefico Numini referendum. Quid autem rege dignius videbatur, aut magis gratum Deo futurum, quàm hoſtes Dei ſubigere, qui per multos jam annos ejus afflixerant Eccleſiam? Primùm igitur *Palæſtinos*, hoſtes inveteratos *Iſraëlitici* nominis, profligavit, atque penitùs contrivit, captâ *Gatho*, urbe primariâ, propinquâ, & maximè infeſtâ *Judæis*. Oppida etiam & villas ejus ditionis in ſuam redegit. Hæc, opinor, ea *Metheg-ammah* eſt (2 *Sam.* 8. 1.) quam eripuiſſe dicitur *Palæſtinis*. *Moabitarum* optimos quoſque ſuſtulit; tertiam tantùm (plebis, credo, infimæ) partem reliquit, terram ut coleret, annuúmque penderet tributum. Suam quippe regionem cognatis auferre *Moabitis*, nefas *Hebræis* fuit. *Hadarezer*, ſive *Hadadezer*, *Rehobi* filius, *Zobæ*, ſive *Sophenæ Meſopotamicæ*, opulentiſſimus rex, ut regni ſui terminos ſive conſtitueret extenderétque, ſive occupatos ab *Iſraëlitis* vindicaret, cum exercitu paratiſſimo deſcendit ad *Euphratem*. Injuriam facturus videbatur. Prohibiturus *David* cum ſuis copiis occurrit. Prælium conſeritur; *Meſopotamii* ſuperantur. Viginti peditum capiuntur millia, equitum ſeptem; quorum ſeptingenti clariores tantùm 2 *Sam.* 8. 4. numerantur; denique, currus mille, quorum equis nongentorum incîdit nervos, ut bello inutiles redderentur, ad opera tantùm ruſtica idonei. Prohibiti enim reges nè ſibi equos accumularent. Quadrigæ igitur non niſi centum relictæ ſunt. *Damaſci* rex, primariæ urbis in *Cœle-ſyria*, (*Adadum Joſephus* vocat,) ſuam agi rem putabat, vicino *Hadadezere* periclitante. Quantâ igitur potuit celeritate cum ſubſidiis adfuit. Sed & ipſe fuſus à *Davide* viginti ac duo millia ſuorum deſideravit. Capta urbs, regióque omnis *Damaſcena* tributo multata eſt, & præfectis ſubdita *Iſraëliticis*; quomodo & *Zoba Hadadezeris* in provinciæ formam redacta. Clypei verò *Zobanorum* aurei, & ex

In grati animi teſtimonium, hoſtes Dei evertit *David*, *Palæſtinos*, *Moabitas*, *Meſopotamios*, *Damaſcenos*, *Sobanos*.

Beta

A.M. 2965.

*Beta Berothai*âque urbibus *Zobæ* plurimum æris *Hieroſolymas* delatum eſt. Cùm de victo *Hadadezere* nuncios accepiſſet *Hamathi* urbis vicinæ *Toius*, ſive *Toüs*, rex, per legatum filium ſuum *Joramum*, ſive *Hadoramum*, victoriam *Davidi* amiciſſimè gratulatus eſt. Quippe hoſtem ſibi *Hadadezerem* maximè infeſtum habuerat. Nec verbis modò blandiſſimis, ſed & muneribus commendavit ornavítque legationem ſuam, vaſis æreis, aureis, argenteíſque. Hæc, & ſpolia de gentibus à ſe victis omnia, de *Palæſtinis*, *Moabitis Ammonitiſ*que, *Syris*, *Meſopotamiis* & *Amalecitis*, Deo *David* ad Templum ædificandum à filio ſuo nondum nato conſecravit; ut uni Deo, qui ex periculis eum vindicârat omnibus, dederátque victorias, viciſſe videretur, non ſibi.

A.M. 2966.

Eurypon Soï ſuccedit apud Spartanos.

§ 9. *Eurypon Soï* filius, defuncto genitore, paternum apud *Lacedæmonios* adit imperium: qui, licèt meritis longè inferior, tamen obtinuit apud populum, ut ea regum proſapia *Eurypontidæ* dicerentur à ſe. Remittendo enim plurimùm de autoritate regia, magnam apud vulgus inivit gratiam; ſed & magnam contumaciæ ſimul contemptuíque omnium legum januam aperuit. (*Plutarch.Lycurg.*)

David, poſt *Syros Idumæóſque* ſubactos, gratabundum ſe exhibet *Jonathanis* poſteris;

§ 10. Hâc tempeſtate bellum videtur geſtum à *Davide* contra *Sýros Idumæóſ*que ſimul in campo quem *Vallem* appellabant *ſalis*. Cæſa hoſtium millia ſunt octodecim. (2 *Sam*.8.13.) A *Joabo* duodecim, ut ex titulo *Pſalmi* conſtat ſexageſimi: & reliqua fortaſſe ab ejus fratre *Abiſhaio*; cui cædes univerſa tribuitur 1 *Chron*. 18. 12. *Idumæi* vocantur in *Pſalmo* 60. & in *Chronicis*; at *Syri* 2 *Sam*. Quò gravius hoc bellum diſcriminíſque majoris, (ut è *Pſalmo* quem dixi facilè colligitur,) eò & gloriæ *Davidi* fuit. (2 *Sam*.8.13.) Eo prælio expugnati planè ſubactíque ſunt *Idumæi*, & præfectis regum *Iſraëliticorum* deinde paruerunt. Quo completum eſt quod erat à Domino prædictum ante annos ferè octingentos, (*Gen*. 25. 23.) *Major ſerviet minori*. Cùm enim rediret *Joabus* ad ſepeliendos eos qui occubuerant in prælio, mares ferè cecîdit omnes, præter tenuiores quoſdam ad terram colendam relictos, ſex moratus menſes in *Idumæa*. (1 *Reg*.11.15,16.) Hæc & alia multa foris à *Davide* geſta fortiſſimè memorantur. Nec domi minùs, per otium, judiciorum religionem ſanctè coluit, fidémque Judicis liberavit. Jura enim dabat populo univerſo, ſummis infimíſque, & ad legum trutinam æquâ lance librabat omnia. (2 *Sam*.8.15.) In parte verò juſtitiæ ſuæ gratitudinem habuit. Perfunctus enim & expeditus bellis aliquantiſper domi foríſque, recordari cœpit amicitiæ veteris quam cum *Jonathane* coluerat, & fidei quam obligaverat amico. (1 *Sam*.20.) Ut principem ſe bonum præſtiterat, ità & bonum virum hac maximè in re probare voluit. Ultro igitur & anxiè optavit, aliquem ſibi dari ſuperſtitem è *Sauli* familia, cui benignè faceret ſui amici *Jonathanis* gratiâ. *Siba Sauli* ſervus ad regem inprimis, *Sibæ* autem indicio mox *Mephiboſithus* allatus eſt, ſive *Merib-baal*, (1 *Chron*.8. 34.) *Jonathanis* filius; qui conſcius fortaſſe adverſarum ſe partium fuiſſe, ac *Sauli* nepotem, latitabat. Eum, cùm adveniſſet, ſubmiſſiùs adorantem ſe *David*, ſuíſque diffidentem rebus, erexit humaniſſimè & confirmavit. Quin & bonis donavit paternis avitíſque & agris *Gibeæ*: *Sibam*, ordinarium *Sauli* ſervum, ſervum nepoti & villicum conſtituit; qui, cum filiis ſuis quindecim, atque ſervis quos ſervus ipſe aluit viginti, agros *Mephiboſetho* coleret, alerétque familiam. Juvenis ipſe tanquam ſecundus à rege (quod *Jonathani* promiſerat *David*) inter principes menſæ regiæ admotus eſt, aſſiduus conviva. Munera verò publica non obibat, eò quòd pedibus claudicaret. (2 *Sam*.9.) *Micha* interim, *Mephiboſethi* filius, *Gibeæ* apud *Sobam* ex prædiis paternis alebatur.

A.M. 2967.

ut & regi *Ammonitarum*, qui jura omnigena ſimul violant,

Gratitudinis fidem apud ſuos in *Mephiboſetho* abſolvit *David*. Debere aliquid videbatur & foris. *Nahaſhus Ammonitarum* rex aliquo eum beneficio ſibi devinxerat. Hoſpitaliter exceperat fortaſſe à *Saulo* fugatum hoſte communi. Cùm ergò de obitu *Nahaſhi* nunciaretur, miſſi ab eo *Rabbam* legati ſunt, ad luctum *Hanoni* filio de patre mortuo leniendum, & renovandam confirmandámve cum filio amicitiam quam cum patre contraxerat. Sed *Ammonitis* haud ſatis erat perſpectus *Davidis* candor. Neque recordati ſunt fortaſſe beneficiorum quæ inter *Nahaſhum* atque *Davidem* interceſſerant. Ex ſuo ingenio *Davidis* facta æſtimabant. *Mala mens*, *malus animus*. Sibi malè conſcii de odiis in *Iſraëlitas*, ab illis metuebant malè, ſuſpicabantur omnia. Legationem ergò hanc ad contumeliam arripuerunt, alioſum longè interpretati ac res erat. Suggerebant novo regi, " *miſiſſe Davidem ad ſpeculandum*, " non *ad conſolandum*: *exploratores* veniſſe, qui regni novi, nec ſatis confirmati, de-

"bilitatem ſcrutarentur ; non legatos. Sub amoris ficta ſpecie, verborúmque blan-
"dimentis, inſidias latére. Monuerunt ergò, ut jure ſuo ageret, tractarétque hos
"nuncios ut hoſtium ſpeculatores, qui verbis amicis; animis aderant fraudulentis ho-
"ſtilibúſque. Viſum igitur eſt, amorem ſimulatum (ut illis videbatur) tectámque legationis fraudem ignominiâ publicâ notare. Barbarum dimidia pars legatis raſa, & veſtes ad nates uſque præciſæ. Ità dimiſſi, ludibrióque omnium expoſiti ſunt. Nunciata *Davidi* res animum ei meritò exulceravit. Tot ſibi ſimul violata jura, humanitatis, amicitiæ, legationis, gentium, indigniſſimè tulit. *Vel unum legati* A.M. 2967.

——ſanctum populis per ſecula nomen,

etiam ab hoſte miſſi, munitúmque jus, cùm hominum præſidio, tum divino eſt jure, ait *Cicero.* (De Aruſp. reſponſ.) Legatis itaque mandatum *Hierichunte* in via ut ſubſiſterent, donec barbæ in juſtam longitudinem excreviſſent ; nè, ſi deformes *Hieroſolymas* redirent, ridiculi & ſuis occurrerent, regíſque ſui apud populum autoritatem nonnihil diminuerent. Ipſe interim de ultione ſolicitus erat rex, *——pœnæque in imagine totus.* Conſcii *Ammonitæ* tam fœdi barbaríque facinoris, nec à viris cordatis ullo modo ferendi, belli vicem & vindictam exſpectabant à *Davide:* ad bellum ergò comparabant ſe ; ſuas inſtruebant copias, condùcebant alienas, ex *Beth-rehoba* & *Soba Syros. Iſtobus* (vicinus, puto, rex) millia militum duodecim ſuppeditavit, *Maacha* verò mille. De hoc apparatu hoſtium certior factus *David*, nec bellum exſpectandum ratus in ſua ditione, *Joabum* unà cum robore militum fortiſſimorum occupare jubet maturè hoſtium conatus. Adventante *Joabo*, *Ammonitæ* ipſi pro ſuis portis atque mœnibus explicabant copias; at *Syri* procul in agro diſſiti, ut *Iſraëlitas* in medio poſitos circumvenirent & oppugnarent utrinque. Id nè fieret, *Joabus* & ſuum diviſit exercitum. Ipſe maximam partem contra *Syros* duxit; *Abiſhaio* fratri reliquos tradidit, quos *Ammonitis* opponeret, opitulaturus ipſe periclitanti ſi opus foret, & ab eo ſubſidia exſpectaturus ſi prævalerent *Syri.* Cohortatus etiam eſt, ut viriliter ageret, ac ſtrenuè populum urbéſque ſui Dei propugnaret ; reliqua ſecurus commendaret Deo, qui nunquam erat ſuis defuturus. Ubi ad manus ventum eſt, *Syri* vix primum impetum *Iſraëlitarum* ſuſtinuerunt, ſed in fugam effuſi, & magnâ ſunt ſtrage cæſi. Id conſpicati *Ammonitæ*, fugam & ipſi capeſſunt, & in mœnium ſuorum propugnacula ſe recipiunt. *Joabus* ergò hâc defunctus victoriâ, nondum inſtructus ad obſidionem, rediit *Hieroſolymas* cum exercitu. (& indè funditus profligantur.)

Hadadezer haud lætus audivit lætas *Iſraëlitarum* res. Novum ergò protinus exercitum cogit, & conducit copias ex *Meſopotamia* ; ſuum militiæ præfectum *Sobachum* univerſis ducem conſtituit. Haud latebat *Davidem* novus hic apparatus hoſtium. Omnes ergò ſui regni copias traduxit *Helamum*, ubi hoſtes caſtra fuiſſe metatos didicerat. Equis curribúſque *Syri* longè ſuperiores. Sed aſſueti vincere ſemper pedites *Iſraëlitici*, hoſtibus profligatis, ſeptingentos currus è 7000 gregariis præcipuos ceperunt, equitúmque (*peditum* verò exponit *Junius*) cecíderunt quadraginta millia. Cecidit etiam *Sobachus* ipſe belli dux. Hâc perculſi clade *Syrorum* principes qui *Hadadezeri* paruerant, æquo deinde animo jugum pertulerunt *Davidicum*, quod excutere conabantur, nec auſi ampliùs fuêre *Ammonitarum* cauſam profligatam ſuſcipere, fortunámque labantem experiri. A.M. 2968.

§ 11. Ineunte vere *Joabus*, ut primùm adfuit militandi opportunum tempus, in agrum irrumpit *Ammoniticum*, ferróque & flammâ depopulatur omnia. Mox ipſam ejus ditionis metropolin, multis firmíſque munitam præſidiis, obſidet *Rabbam*, & oppugnat. Arca etiam ſacra in caſtris aderat, tum ut imperator haberet unde oraculum peteret, ſi quid opus foret ; tum ut milites, quaſi præſente in caſtris Deo, ad fortitudinem & certam victoriæ ſpem erigerentur. Nudi jam ab amicis *Ammonitæ*, imparéſque *Iſraëlitarum* viribus, urbis ſe mœnibus continebant. Minus hoc videbatur negotium, fractis jampridem hoſtium viribus, quàm ut regis operam deſideraret. Otioſus ergò *David* & ſecurus domi, in utramque aurem (ut aiunt) etiam die medio dormiebat. Sub veſperam experrectus, in tecto regiæ domûs deambulabat ; unde nudam fortè lavantémque ſe mulierem conſpexit formoſiſſimam. Homo ſanctus, at homo tamen, & hoc tempore deſidioſus, captus eſt ſpecie tam illecebroſâ. A.M. 2969. (*David* præ nimia felicitate infelix, alienam conſtuprat uxorem.)

Otia ſunt, blandâ tum ſubit arte Satan.

Animi,

A.M. 2969. Animi, ut agri, otioſi ſpinas herbáſque inutiles & noxias ferunt. Libidinis omniúmque nequitiarum fœcunda mater deſidia eſt. Non animadvertit *Satanæ* inſidias bonus vir: illecebris non reluctatur: opem non implorat præſidiúmque Divinum. Suo indulget malo, ——*obtutúque hæret defixus in uno*, donec incenderit animum libido veſana. Inceſſit igitur cupido potiundæ tam venuſtæ placentíſque ſibi formæ. Ex uno è famulis quærit, ea fœmina cuja ſit. Fortaſſe virginem ſperabat ſe inter ſuas uxores aut concubinas habiturum. *Davidi* certè ſpecies digna ſceptro videbatur. Cùm didiciſſet maritam eſſe, *Uriæ* centurionis uxorem *Bathſebam*, (*Eliami* filiam, ſive *Ammielis*, (1 *Chron.*3. 5. & 2 *Sam.* 11. 3.) *Achitophelis* neptem, ut ferunt,) continere tamen ſe non potuit, quin alienam uxorem in aulam accerſeret & conſtupraret.

Serum eſt cavendi tempus in mediis malis. Adeò præcipitaverat ſe ab hac rupe, ut ſuſtinere cadentem cùm vellet, impetúmque ſiſtere, non poſſet. In mentem ei venit, eſſe regem ſe, quidvis poſſe. Regem eſſe regum ſuperiorem ſe, nec regi ſibi quidlibet licere, id in mentem ei non venit. Legi quidem paruit, ſed peccati, concupiſcentiæ ſuæ ; oblitus interim Legis Dei, *Non adulteraberis.* Non ratio, non Religio, non fœditas iniquitáſve rei, non ſatietas Veneris domeſticæ reſtinguere potuit ardorem libidinis, quin adulterii turpiſſimâ labe pollueret ſe religioſus vir hactenus. Etiam Prophetæ nonnunquam, etiam viri à Deo electi ad ſalutem ex fide præviſa & pœnitentia, pietate conſpicui & ſanctimoniâ, in ſcelera delabuntur graviſſima, remittente paululùm ſuſtinentem nos manum Deo. Semper igitur & ſedulò precandum, ut vel in tentationem præcipitia non cadamus, vel ſuſtineat ruentes Deus. Cavendæ ſunt occaſiones ipſæ peccatorum ; obſcœna ſpectacula fugienda, illecebræque omnes. Obſervandæ cogitationes impuræ, animorúmque mali motus, vel nè naſcantur, vel ut moriantur quàm celerrimè. Ipſa inprimis

——*vitanda eſt improba Siren*
Deſidia.

Quæritur Ægiſthus, —— nec *Ægiſthus* modò, ſed

Quæritur & David quare ſit factus adulter :
In promptu cauſa eſt, *deſidioſus erat.*

Nimium erat hoc viro tam religioſo, negligere & quaſi conculcare præcepta ſui Dei. Verùm, *Hactenus non ſtat nefas.* Dum tegitur, cumulatur, & ex uno geminum fit. Celari ab hominibus factum ſuum vult, quod probè noverat latêre Deum non poſſe : infamiámque apud ſuos ſubditos horret magìs quàm iracundiam atque vindictam ſui regis, Dei. Fœtum ex eo ſe concepiſſe, *Bathſeba* nunciat *Davidi.* Illico ex caſtris vocandus *Uria* eſt, ut ſoboli *Davidicæ* patrem ſe præſtet, verus quidem conjux *Bathſebæ*, at ſuppoſititius parens futurus. De obſidione *David* militaríque re, de ſalute *Joabi* populíque ſui, ſalváne omnia & proſpera, ſciſcitatur anxiè, quaſi valde ſolicitus de cauſa publica. Suam ille interim privatámque rem agebat, ut ſine omni ſuſpicione conſueſceret cum adultera. Aliud linguâ promptum, aliud mente clauſum habuit. Dimiſſus tandem *Uria*, ſuam ut peteret domum, feſsúmque de via corpus curaret ac reficeret. Non dubitabat rex, pro magno eum beneficio habiturum vel noctem unam domeſticæ voluptatis. Itaque ferculum à rege lautius, quaſi donum hoſpitale, abeuntem *Uriam* conſecutum eſt. At *Uria* ſuam neque domum neque uxorem attigit, ſed cum prætoria cohorte ante veſtibulum in aula dormitavit. Malè id habuit regem : cúmque mirari videretur, quòd in ſuam ſe domum, tanto fatigatus itinere militiâque longâ, non contuliſſet ; reſpondit *Uria*, "*Arcam* Dei "populúmque *& Joabum ducem in tabernaculis agere.* Magnâ igitur aſſeveratione "negavit ſe genio domi ſuo, aut in lectulo molli indulgere Veneri velle. Cùm non ſuccederet dolus, *Uria Hieroſolymis* eo die permanere juſſus eſt, craſtino diſceſſurus cum literis. Permanentem convivio excipit lautiſſimo rex, vinóque tingit plurimo ; ut vel indè contracta libido uxoris incenderet deſiderium. *Vina parant animos Veneri.* At nec vino quicquam proficitur. Domo *Uria* uxoréque ſuâ etiam ebrius abſtinuit ; cum ſatellitibus regiis iterum pernoctavit. Cùm neque hâc ſuccederet, aliâ *David* rem aggreditur viâ, ſed eâ quidem turpiſſimâ. Ad *Joabum* literas dat *Bellerophonteas*, *Uriâ* portante. Jubet *Uriam*, quaſi capitalis noxæ reum, ut "*in fronte agminis* "iniquiſſimo in loco fortiſſimis hoſtium objiciat, ubi *deſertus* à ſuis *Ammonitarum oc-*

"*cum-*

"*cumbat* armis. *Joabus*, regii ſceleris promptus miniſter, facilè hæc mandata exſecutus eſt. Virum fortiſſimum atque interritum, nihil ſuſpicantem doli, ſummo expoſuit periculo, ubi hoſtium telis ex muro confoſſus interiit. Animo lætiore quàm vultu accepit nuncium de *Uriæ* interitu rex; & poſt breve ſpatium temporis luctui pro more datum, *Bathſebam* quoque accepit, habuítque pro uxore. Quàm ſunt amari fructus voluptatis atque Veneris illicitæ? quàm tragici exitus? Cædes pariunt, proditiones, venena, bella nonnunquam internecina, & excidia magnarum gentium. Rariſſimè profectò ſolum agit, ubi maximè occultum, ſed gravioribus plerumque ſceleribus, & magìs flagitiosè tegitur quàm admittitur, pudibundum hoc ſcelus. *A.M.* 2969. Stuprum tegit homicidio.

§ 12. Puerum *Davidi* jam pepererat *Bathſeba*, & adulter peccato ſuo rex frui hactenus videbatur. *A.M.* 2970.

Tutum ſcelus quis, (ait Poëta) *nemo ſecurum tulit.*

At verò ſecurum habuit *David*, tutum non habuit. Quaſi non ſciente, aut ſaltem connivente Deo, ità ſomnum quendam *Endymionis*, annum ferè integrum dormivit in peccatis. Experrectus tandem quaſi è ſomno Deus, expergefecit & regem. Qui redire ultro noluit, Prophetâ nuncio accerſitur. Adeò nihil in rebus Dei ſine Deo poſſumus vel optimi. Qui moneri peccatorum, caſtigari, & reſipiſcere vult, perire non vult ſuos. Quare ſcelera *Davidis* produntur omnia, & graviſſimis plectuntur ſuppliciis. Ipſe, ubi pœnituit ſatìs maleficiorum, in gratiam receptus eſt. Propheta *Nathan* ad Prophetam *Davidem* mittitur, (Nam & *ſpiritus prophetarum ſubditus eſt prophetis*,) verbo inſtructus Dei; ſed in parabola, quaſi vagina, recondito; quo regem ità perculit inopinantem, ut ipſe inſcius condemnârit ſe, accuſante nemine. Sic igitur *Davidi Nathan*, gravis quidem vir, ſed & ſuavis idem, & qui ——*ſciret regibus uti*: "Iniquiſſimam, ait, ad te rem defero, æquiſſime rex. *Eandem* incolebat "*urbem* diſſimile *hominum par*; quorum *alter locupletiſſimus abundabat gregibus ar*"*mentiſque*; *pauperculus alter*, *cui* ſumma divitiarum *agna erat unica*, *quam emerat*, "ſolicitèque *alebat*. *Unà cum* domino *filiiſque accreverat*, *unà paſcebatur*, *dormi*"*ebat unâ*: denique, *pro filia* chariſſimam *habuit*. Accidit fortè ut *ad virum divi*"*tem* hoſpites *diverterint*; quos ut lautiùs acciperet, *agnam pauperis abſtulit appara*"*vitque*, *ſuis pepercit gregibus*. His à *Nathane* dictis, adeò indigna regi viſa eſt res, ut irâ protinus excanduerit, juratúſque pronunciârit ſententiam, *morte* dignum eſſe *qui hoc feciſſet*, *agnam verò quadruplò redditurum*. Habuit quod volebat *Nathan*, quaſi confitentem reum. Itaque ſubdit illico, "*Tute is es* quem condemnâſti.—*Mu*"*tato nomine de te Fabula narratur*. Audi oraculum *Jehovæ Iſraëlitarum Dei*. *Ego* "paſtorem *te inunxi regem*; *ego te à Saulì* odio atque minis *tutum præſtiti*; *ego tui* "*domini tibi domum & uxores dedi*; *ego* regnum *tibi Judaïcum Iſraëliticúmque tra*"*didi*. *Et ſi hæc parva & pauca* tibi videbantur, plura petenti *addidiſſem* & majora. "*Unde* tua hæc tanta in Deum tam benignum beneficúmque ingratitudo, ut *mea* "*nihili præcepta facias*, ſed quæ mihi ingratiſſima ſunt, *ea perpetres?* Nec enim la"tent me, utcunque diſſimulaverim, flagitia tua. *Uriam interficiendum Ammonitis* "tradidiſti, ut *ejus* potirere adulterâ *uxore*. Potitus es: at non fruêris impunè. "*Gladius* ille quo *Uria* ſublatus eſt *tuam perpetuò familiam* infeſtabit devorabítque. "Sed & brevi *ex tua ipſius domo* emerget *malum in te* graviſſimum. *Tuas uxores*, *te* "*vidente*, oculis omnium teſtibus, alii *conſtuprandas dabo*. *Tu clanculùm* adulteratus "es, conſcio nemine. *Ego* tibi publicè rependam tuum ſcelus, *Sole conſcio*, popu"lóque hoc *univerſo*. Cùm hæc audiret *David*, magnopere conſternatus, non tamen infremuit, non exarſit vel indignatus eſt, non Prophetæ vim aut minas intulit, quod homines pravi faciunt & contumaces; ſed candidè ac dolenter, *in Deum peccâſſe* fatetur ſe; ut exclamare videatur cum Poëta, Fabulâ *Nathanis* explicatâ, reſipiſcit.

Pœnitet, *ô ſi quid miſerorum ignoſcitur ulli*,
Pœnitet, *& factis torqueor uſque meis*.

Ubi afflictum Dei minis & ſatis contritum perſpexit *Nathan*, conſolandum putavit; & confitenti pœnitentíque "*remiſſum* pronunciat *peccatum*, nec *morte* pœnas tanto "ſceleri debitas ſoluturum. *Nihilominus*, *quoniam* peccatis ſuis *anſam præbuiſſet* ho"minibus profanis, *hoſtibus Dei* pietatíſque omnis, calumniandi Religionem quam "colebat, & *blaſphemandi* quem venerabatur *Jehovam*; ideo *infantem quem* ex hac "illicita Venere *genuiſſet moriturum*. Pueri mortem ei pœnam fore, nec tanti de-

A.M. 2970. "decoris monumentum in hominum oculis diutiùs verſaturum. Morbo repentè puer inſanabili correptus eſt, ſeptimóque die mortuus ex quo natus eſt. Interea *David* humi ſe projecit, veſtes permutavit, omni cibo abſtinuit, lacrymis & luctui ſe dedit, & vehementer Deum comprecatus eſt. Seſe cauſam hujus mali noverat, ſeſe affligebat, ut, ſi fieri poſſet, flecteret iratum Deum placarétque. Nec adducere potuerunt aulici proceres, (qui lugentem conſolaturi aderant,) ut vel ſomno vacaret vel cibo. Tandem, ubi, ex domeſticorum ſuſurris rem ſuſpicatus, planè didicit obiiſſe infantem, (quod illi pertimidè percontanti nunciârunt, nè tantò magìs affligeret ſe,) tum verò ſurrexit à terra, lavit corpus unxítque, veſtes ſordidas depoſuit, ornavítque ſe, Tabernaculum ingreſſus adoravit Deum, denique, domum reverſus, cibo explevit famem, refecítque debilitatum corpus. Mirati qui aderant, ſciſcitatíque ſunt, *quid hoc eſſet*, quòd *puero vivente jejunârit fleverítque*; *mortuo*, *ſurrexerit ceperítque cibum*. Reſpondit rex, "*Dum vita, & ſpes*. Multa minitatur Deus, quæ "reſipiſcentibus atque precantibus condonat. *Quis* ergò *noverat*, *an* & hunc *puerum* "meis eſſet precibus donaturus? *At mortuus jam* ut ſuſcitetur, fruſtrà luctus & *je*-"*junia* & preces adhibebuntur. *Ego ad illum iturus*, *nunquam ille rediturus ad me*. Reſipiſcentiæ ſuæ teſtem *David Pſalmum* edidit 51. Ægritudine levatus rex, *Bathſebæ* dolorem quoque verborum ſuavitate delinivit, filiúmque alterum genuit poſt annum, qui *Solomon* dictus eſt à Deo, (1 *Chronic*. 22. 9.) quaſi *Pacificus*, dilectus Deo puer; unde etiam *Jedidia* infanti nomen à Deo *Nathan* impoſuit. (2 *Sam*. 12. 25.) Ei verò ſe regnum ſucceſſori eſſe traditurum, juratus *Bathſebæ* promiſit. (1 *Reg*. 1. 17.)

Filiis etiam ſuis deficientibus à ſe per peccata, omnia dura proponit Deus & adverſa, quò eos faciliùs in obſequii gyrum revocet. *Davidi*, quamdiu in offenſa fuit apud iratum alienatúmque *Jehovam*, nihil ex voto ſuccedebat; hæſit obſidio *Rabbæ*, profecit *Joabus* nihil. Conciliato jam per veram reſipiſcentiam Deo, feliciter eveniunt res. *Rabbæ* partem alteram, quæ *Urbs aquarum* dicebatur, & *regia*, expugnavit *Joabus*. Hanc *Ammonitæ* vice arcis habebant, munitiſſimam. Altera, etſi major pars, faciliùs adigi poſſe ad deditionem videbatur. *Joabus* ergò monet per nuncios regem, ut "exercitum *colligat* quam poſſit maximam, ad *Rabbam capiendam* "properet, nè tantæ victoriæ *ſuo nomini* gloria tribuatur. Hac in re *Joabus* ut ſtrenui ducis, ità ſubditi fidelis munere perfunctus eſt: illud, hoſtium frangendo vim; hoc, cedendo regi laudem victoriæ. Profectus ergò *David* cum ingentibus copiis, urbem utramque cepit; regium diadema induit, auri talento grave, gemmíſque ornatum pretioſiſſimis. Prædam abſtulit ingentem, quâ ſuas *Hieroſolymas* locupletavit. Denique, populum totius ditionis excruciavit ſuppliciis inuſitatis: eos præcipuè quos, habitâ quæſtione, aut ignominiæ in legatos, aut pertinaciæ reos deprehendit in ſe. Aliquos ſerrâ diſſecuit, alios ſecuribus atque aſciis conſcidit; in fornaces conjecit lateritias nonnullos, trahas quibuſdam ferreas admovit. Pauci, puto, colendis agris, ut in *Moabitide*, relicti; quibus *Sobis* præfectus eſt, alter *Nahaſhi* filius. (2 *Sam*. 17. 27.) Ecce quantas calamitates pariat impetus animorum & conſiliorum præcipitantia. *Ammonitarum* propè ad internecionem deleta gens eſt inconſideratâ principum iracundiâ, & *Iſraëlitarum* provocatione minùs neceſſariâ. Minimè conſultum eſt irritare vel crabrones; leonem verò ſuſcitare dormientem, ſummè periculoſum. Vel hoſtem quietum laceſſere, multò magìs amicum injuriis provocare ad arma, ultimi eſt plerumque diſcriminis temeritas. Juris autem gentium fœdiſſima violatio, concitatióque regum aliorum contra *Iſraëlitas*, & belli tam diuturni moleſtia, pœnam vel atrociſſimam à crudelitatis nota vindicabat.

Rabba Ammonitarum expugnatur.

A.M. 2971. § 13. *Æpyto* defuncto apud *Meſſenios*, *Glaucus* filius ſuſcepit regnum, atque artibus paternis, æquitate, comitatéque in omnes ordines, annis 50 fortaſſe geſſit. Et cætera quidem patri par, deorum ſuorum cultu ſuperior fuit. *Jovis* enim delubrum in *Ithomes* vertice, à *Polycaone* poſitum & *Meſſene*, *Glaucus* effecit ut ipſis quoque *Dorienſibus* venerationi eſſet, neglectum antea. Idem in *Gerenia* primus *Machaoni* divinam rem fecit, & heroïcos *Meſſenæ* honores dedicavit. (*Pauſanias* in *Meſſen*.)

Glaucus Æpyto ſuccedit.

A.M. 2973. § 14. *Davidi* puer è ſtupro genitus, ut primùm ferè ortus, mortuus eſt. Hanc feſtinam fatìs pœnam adulterii ſui luit. At nec ille adulterio ſcelus ſuum terminavit, nec pœnam pueri morte Deus. Stupra, inceſtus & cædes in ſua ipſius familia, talionem quandam reddunt adulterii homicidiíque in familia aliena. Ex plurimis

Davidis liberi cum uxoribus enumerantur.

rimis uxoribus & concubinis complures progenuerat *David: Hebrone Amnonem* ex *Abinoama Jezreelitide*; *Chileabum*, ſive *Danielem*, (1 *Chron.* 3. 1.) ex *Abigaile*; *Abſalomum* tertium, & ſororem ejus *Thamaram*, ex *Maacha*, *Thalmaii* filia regis *Geſſuri*; *Adoniam* quartum, ex *Haggitha*; *Sephatiam* quintum, ex *Abitale*; ſextum ex *Egla Ithreamum*. (2 *Sam.* 3. 2, &c.) *Hieroſolymis* uxores cumulavit alias & concubinas, alióſque indè liberos ſuſcepit; *Sammuam*, ſive *Shimeam*, *Sobabum*, *Nathanem*, *Solomonem*, *Ibharum*, *Eliſuam*, ex *Bathſeba* ſibi genitos: priores quidem poſt *Solomonem* tres, non autem ex *Vria* natos, & *Davidi* adoptivos. Nam *Prov.* 4. 3. ubi *Solomon* dicitur *unicus matris ſuæ filius*, unicè *dilectum* id ſignificat, non unicè *genitum*. *Nephegum*, *Japhiam*, *Eliſamam*, *Eliadam*, & *Elipheletem*. (2 *Sam.* 5. 13, &c.) *Noga* & *Elipheletes* alter 1 *Chron.* 3. 6, 7. nominantur. Maximus natu filiorum *Davidis Amnon Thamaram* deperibat ſororem ſuam, virginem ſanè pulcherrimam, utpote *Abſalomi* formoſiſſimi hominum ſororem. Eo ex morbo langueſcebat miſerè, tantò magìs, quòd nulla eſſet ſanandi ſpes, ſororíſve potiundæ. Summum id nefas habebatur. Interim nec precibus opéque Divinâ oppugnanti ſe *Satanæ* repugnabat; nec veſanæ morbo libidinis medicinam conjugii adhibuit à natura inſtitutam. Amicus erat ſummus *Amnoni Jonadabus*, & ex fratre *Davidis Shimea* patruelis. Is homo verſutus, cùm amicum videret anxium atque mœſtum, cauſámque didiciſſet ægritudinis, conſilio callido magìs quàm pio conatus eſt opitulari. Monuit morbum ut verum fingeret; patrem ægrotanti mox adfuturum; ab eo peteret, ut *Thamara* ſoror præſenti præſens pararet ei pulmentum & porrigeret; ab ejus fortaſſe manu gratiorem ſibi cibum fore. Miſſa eſt à patre ſuſpicante nihil *Thamara*; quæ cùm pulmentum apparaviſſet, juſſi omnes qui aderant alii diſcedere. Sola ſoli vocata attulit, obtulítque ut comederet cibum. Habuit ille quam eſcam expetebat, ſororem ſolam. Profeſſus amorem, aut eâ potiundum dixit, aut ſibi moriendum. Paranti vim ea quantum potuit reluctata, "Túne verò, inquit, *mihi vim* paras, ſo-"rori *frater*, cui natura pudicitiæ meæ cuſtodiam ab aliena tradidit injuria? Túne "Dei leges tam inhumano *ſcelere* perrumpes? O quanto ipſe futurus es ludibrio ſum-"mis è populo infimíſque? *mihi* verò *infamiæ* publicæ maculam aſperges indelebilem. "Quin *à rege* me potiùs impetres uxorem, quàm ſcortum tibi per vim rapias. Sic illa obnixè deprecans vociferabatur, & exclamabat fortaſſe, ſed auxiliante audientéve (puto) nemine. Ille interim, nihil querelam virginis moratus, obtulit vim, abſtulítque pudicitiam. Ubi deferbuit libido flagrans, haud minore odio ſororem ſtupratam proſecutus eſt *Amnon*, quàm amore in virginem exarſerat. Nimiâ forſan obſtinatione contumeliâque verborum (libidine deflagrante) incenderat iracundiam. Sed in vulgus prodi rem fœdiſſimam Deus voluit, ad regis impudici familiæque infamiam. Et conſcientia jam libera, imò & loquax, *Amnoni* ſui ſceleris turpitudinem demonſtrabat. E conſpectu ſuo jam diſcedere jubet, cujus ipſe modò conſpectum tam vehementer concupîerat. Id verò illa, violatam ſe ejici, ipſo penè ſtupro graviùs tulit. Exſpectabat aliquod, in tanto malo, ab autore ſaltem ſolatium; quod *Shechemus* olim, homo profanus, *Dinæ* præſtitiſſe benignè dicitur. Exſpectabat ut inirent commune aliquod conſilium ad rem turpiſſimam celandam; ad amoliendam patris iram ſimúlque publicam infamiam. At ille nihil horum cogitabat: accerſit famulum, imperátque, foras eam ut emittat, oſtium claudat obſerétque. *Thamara* ſic ſtuprata, atque foribus expulſa, graviſſimo dolore cruciata eſt. Veſtem quam gerebat virgo regia polymitam lacerat, caput cineribus aſpergit, capitíque manu impoſitâ perquam flebiliter lamentatur, donec ad domum *Abſalomi* uterini fratris perveniſſet. Ille, doloris cauſam facilè ſuſpicatus, mœrorem ſolatio mitigavit, admonuítque "nè nimiùm luctui ſuo indulgeret, & in vulgus rem proderet ſuis omni-"bus ignominiæ futuram. *Fratrem* eſſe facinoris autorem. In eo paternæ domûs "decus agi & dignitatem. Nec ipſe *Abſalomus* in publicum incertúmque judicium ſub indulgente nimiùm patre vocavit fratrem inceſtuoſum. Id enim ſine ſororis maximo probro fieri non potuit. Et ipſe damnatam à ſe injuriam ulciſci maluit faſtuoſus, quàm ab aliorum judiciis pendere. Nullum igitur unquam hac de re cum fratre verbum contulit. Quamvìs odio illum acerbiſſimo proſequeretur, tamen diſſimulavit omnia,

Diſtulerátque graves in idonea tempora pœnas.

David ipſe rex tantam familiæ ſuæ labem inuſtam graviſſimè quidem tulit. Satìs tamen

A.M. 2973.

Amnon Thamaram deperit, oditque.

A.M. 2973. 2975. men ſeverè *Amnonem* filium accepiſſe pro meritis non legimus. Verùm à Deo factum eſt mox, quod erat à patre neglectum.

§ 15. Duos jam annos animo parricidium egerat filius *Davidis Abſalomus*; jam tandem reipſa peragit, *Thamaræ* ſuæ ſororis gratiâ. *Amnonem*, ex quo vitiaverat virginem, deſignaverat ad cædem, quanquam hoſtili odio fraterni amoris velum obtenderet; quia

Unde occiſus ab *Abſalomo*;

Profeſſa produnt odia vindictæ locum.

Thamara in ædibus fraternis neglecta contabeſcebat, quotidianum fratri & patrati ſceleris, & ultionis patrandæ, monumentum. Tempus interim ſtupri vindicandi opportunum obſervabat *Abſalomus*, quod tandem aliquando incidit. Erat enim tonſurus greges, lautámque apparaturus pro more cœnam. Regem ipſum unà cum liberis & familia non dubitabat vocare ad convivium ſuum magnificus vir. Gratias retulit, benéque precatus eſt *David.* Sed " minimè dixit convenire, ut ipſe cum " tot umbris filii menſam *oneraret.* Ut fratres autem, regis filii, adeſſent, *Amnon* inprimis maximus natu, ægre quidem, at importuniùs rogando impetravit. Nec veritus eſt fratris convivio intereſſe *Amnon*, omnibus communi fratribus. Cúmque *Abſalomus* nullum offenſionis indicium daret, injuriam *Thamaræ* longo ſitu oblivioni traditam ſperabat. Aderant convivæ jam, & *Amnonem Abſalomus* quaſi clauſam in cavea prædam tenuit. Mandata igitur famulis dat, ut " *Amnonem*, tum *cùm* " maximè *vino incaleſceret*, *jubente ſe*, *interficiant.* Se facti periculum in ſeſe recep- " turum. Quicquid autore faciant ſe, *nihil metuant*, modò *ſtrenuè præſtent* quod " *jubeatur.* Ità dictum, ità factum eſt. Inter epulas vino gravatus, *Abſalomo* imperante, *Amnon* occiditur. Qui voluptates carpere illicitas voluit, nullis fruitur. Inter vina Veneris nefandæ ſupplicium dat. Amor ipſe libidinoſus odio eſt definitus, hilare convivium cæde. *Dulcia ſe in bilem vertunt*—— amariſſimam. Reliqua ſoboles regia mulis conſcenſis illico proripiunt ſe in fugam, nè & ipſi corripiantur eâdem ſtrage. Properabant illi quidem *Hieroſolymas* quantum poterant. At fama

(——— Malum quo non velocius ullum;
Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo,)

præverterat feſtinantes mulos, nunciâratque *Davidi*, omnes regis ad unum filios à fratre contrucidatos *Abſalomo.* Diſcidit ergò veſtes rex, humi procubuit, luctui ſe totum tradidit. Aderant aulici veſtibus etiam laceratis participes luctûs regii. Inter cæteros *Jonadabus*, malorum autor omnium, aderat etiam regi cum ſolatio. Sagaciter enim conjectabat id quod res erat, monuítque *Davidem*, " nè incertis ru- " moribus fidem adhiberet; *unum occidiſſe Amnonem. Id minitatum fuiſſe* jamdiu " *Abſalomum, ex quo Thamara conſtuprata eſt.*' Reliquos verò incolumes adfuturos " mox filios regis. Dum hæc ille jactabat, monuit ex alto ſpeculator, videre turbam ſe à latere montis eò feſtinantem. Iterum ergò *Jonadabus*, " *Ecce*, inquit, ô " rex, tui *adſunt filii*, *quod augurabar.* Unus, credo, deſideratur *Amnon.* Et cum dicto penetrantes in aulam fletu querulo compleverunt omnia. Ipſe rex aulicíque lamentabili voce deplorabant. Atque in hoc luctu tres ferè annos *David* verſatus eſt, filii jacturam iniquiſſimè ferens. *Abſalomus* interim parricida ſuæ ſaluti fugâ præcipiti conſuluit ad avum maternum *Geſſuri*; ubi annos exſulavit tres. Primum ſcilicet impetum paterni doloris evadere ſi poſſet, non dubitabat ſe, deflagrante patris irâ, in gratiam facilè rediturum.

A.M. 2978. Trium ferè annorum luctu defleverat *Amnonis* interitum *David.* Ille tandem aut extinctus dolor eſt, aut ſopitus. De *Abſalomi* exſilio novus oritur. Actum eſt de *Amnone:* revocari nullo modo poteſt. De *Abſalomi* reditu, id quod potuit fieri, cogitare tandem cœpit. Uno enim ſcelere duos amittere filios, grave admodum videbatur. Indulgentiâ plùs nimiâ liberos ſuos amplectebatur *David*, *Abſalomum* præcipuè; qui tamen obſequio ſuo minimè omnium reſpondit amori paterno. Exſulis deſiderium ægerrimè ferebat; minimè tamen auſus revocare. Quippe Dei lex de homicidis obſtabat voluntariis, & infamia publica quâ laboraturus erat, ſi tanto ſceleri gratiam faceret. Solicitum patris animum facilè animadvertit *Joabus.* Quare ut regi gratificaretur, aulico more, iniit rationem quâ id quaſi flagitante populo impetratum, & quodammodo expreſſum, videretur, quod ipſe omnium expetebat maximè

qui, poſt exſilium triennale,

imè rex. Solertem ex *Tecoa* ſubornavit mulierem, & inſtruxit, ut parabolâ regem adoriretur. Ea vultu habitúque lugubri, & voce flebili, cùm proſtrata principem adoraviſſet, ejus clementiam & æquitatem vehementer implorabat. Juſſa cauſam dicere; "*Viduam* aiebat *ſe*, *duorúm*que nuper *filiorum* matrem. Accidiſſe verò, ut, "cùm *ſoli rixarentur in agro*, injuriâ provocatus *alter alterum* filium *interfecerit. Se* "jam *à cognatis urgeri*, ut filium ſuperſtitem, unicum *hæredem*, *tradat ad ſupplici*-"*um capitale*, quò ipſi adeant hæreditatem, *ſui* verò *mariti extinguantur* poſteri, *&* "*ipſum* deleatur *nomen*. Haud iniqua regi viſa eſt viduæ cauſa. Jubet ergò "ſoli-"cita nè ſit; *domum* ſecura *ut redeat*; *ſe mandata traditurum* ejus filii gratiâ. Ea tamen pergit, & precata ut "miſereri dignaretur viduæ rex, ſi quid in cauſa *peccati* "eſſet periculíve, id omne recepturam *in ſe familiámque ſui patris* pollicebatur, *prin*-"*cipem verò innocentem fore*. Urgente muliere, juſſit rex "accuſatorem vindicém-"que, ſi quis moleſtus ei foret, *adduci ad ſe*; omnem prohibiturum ultionem atque "vim. Nondum aſſecuta quod voluit vidua, "plurimos ait eſſe *vindices* atque "magnos, qui ſuâ multitudine autoritatéque facilè oppreſſuri ſint viduam, apud "ipſum fortaſſe regem. Petere igitur humillimè ancillam ejus, ut promiſſo decretó-"que ſuo, nè quid mutari poſſit, *Deum* rex adhibere *teſtem* velit. Ut fiat ergò viduæ importunæ ſatis, "*Jehovam* adhibet ſibi teſtem *David*, *nè pilum* capitis *ejus filio* "per injuriam atque vim ablatum iri. Tum demum vidua tempus adeſſe opportunum rata, quo perſonam exueret eam quam ſuſtinuerat hactenus, exoratâ proloquendi veniâ, parabolam ità explicat aperítque. "Cùm filio, inquit, meo tam æ-"quum te, mi domine rex, & benignum præbueris, *quid eſt*, obſecro, *quòd in popu*-"*lum Dei* tam iniquus ſis? Tuo enim ore te condemnas ipſum, qui tuum exigenti "populo *exſulantem* filium *non reſtituis*. Nè tu illum, (abſit) duriùs tractando, "ad mortem adigas intempeſtivam, unde nullo modo revocari poſſit. Non eum "morte multavit *Deus*; fugam dedit quâ evaderet, & *rationem expedivit* hanc *quâ* "*reduceretur*. *Populi* enim *terror* minæque me impulerunt huc, ut filii te profugi, & "in ſordibus luctúque peregre jacentis alicubi, *admonerem*. Cúmque *meo*, etiamſi "fratrem interemiſſet, vitam paternámque *hæreditatem* juratus promiſeris; ſpero equi-"dem filio tuo te multò magìs æquum & propitium fore pari noxâ laboranti: tuum "ſpero te ſuæ patriæ redditurum, & *Jehovæ* ſacris, & populi deſideriis univerſi. "Quàm verò æquum hoc bonúmque ſit quod poſtulo, neutiquam te latet, mi domi-"ne rex, qui *penetras intellectu & perſpicis* omnia *ſicut angelus Dei*. Miſerere igitur "filii pater: ità communis, oro, pater omnium *Deus tibi* ſemper *propitius Jehova ſit*. Cùm peroráſſet mulier, interrogavit rex, (ſummoperéque petiit nè quid abſconderet,) "utrùm *Joabus* hanc non eſſet fabricatus technam. Præfata mulier, "*ſapienti*-"*am* regis planè *angelicam* latére nihil poſſe, *Joabum* profeſſa eſt autorem, & *eum ſibi* "*dictaviſſe* quæ dixiſſet *omnia*. Quare *Joabo* erat jam, non mulieri, reſpondendum: cui vocato, "annuere ſe dixit rex, *Abſalomum ut reduceret Hieroſolymas*, quod tan-"topere expetebat; ſed *in ſuam* ut reduceret *domum*, nè accederet in aulam, *nè in* "*conſpectum* regis *ſe daret*. Juramento illo quo viduæ filio incolumitatem promiſerat, videri fortaſſe volebat obligatus *David*, ut ſuum quoque filium à pœna eximeret. *Joabus* magna cum adoratione gratias egit, quaſi accepiſſet beneficium, qui dederat. In ſuam ergò domum *Hieroſolymis*, *Geſſure Abſalomus* à *Joabo* reductus eſt. Neque tamen filii conſpectum declinando, *David* declinavit & culpam, qui vitam ei dedit, quem ad necem condemnabat Divina lex.

A.M. 2978. mediante parabolâ *Joabi*, revocatus *Hieroſolymas*,

§ 16. Poſt duos annos tædebat *Abſalomum Hieroſolymis* tanquam in carcere verſari, aulâ excluſum regiâ: non quòd gratiam patris magni æſtimaret; ſed animo agitabat conſilia pernicioſa, nováſque parturiebat res, quas parere, niſi admiſſus in aulam, commodè non valebat. Miſit ergò qui *Joabum* ad ſe accerſeret, eundem habiturus autorem ad patrem revocandi ſe, quem in patriam habuerat. Ille, ſive quòd crederet animum *Davidis* averſum à filio, ſive quòd hominis arrogantis faſtum faſtidiúmque non ferret, etſi bis accerſitus, non adfuit. Opinatus contemptum ſe *Abſalomus*, quod homines ſuperbi ferunt indigniſſimè, incenſus ipſe, *Joabi* ſegetem hordeaceam ſuo propinquam agro incendi juſſit. Prona & præceps in vindictam eſt opinione contemptûs irritata ſuperbia. Nè quod gravius damnum pateretur ab homine inſolente *Joabus*, convenit *Abſalomum*, conqueritur de injuria. Ille "con-"tumeliam ſe reſpondit vindicâſſe, quòd vocatus iterum nollet *accedere*. Deinde "queritur, *Hieroſolymas* ab eo *reductum ſe*; *relictum* verò *malle Geſſuri*, quàm exſulare

A.M. 2980. poſt biennium in aulam redit,

"domi,

A.M. 2980.

“ domi, & à *conſpectu* ſui chariſſimi patris prohiberi. Nullam ſe deprecari *mortem*, “ ſi merita ferant, modò patris liceat jucundiſſimo *conſpectu* frui. Dicta *Joabus* hæc, ut merum amorem ſpirantia, detulit ad *Davidem*. Ille facilè paſſus eſt eò ſe duci quò erat ultro iturus ipſe. In aulam vocatur *Abſalomus*, recipitur à rege in gratiam, &, quod certum habebatur amoris conciliati pignus, oſculo ſalutatur. Poſt annos quinque, patratæ in *Amnonem* cædis memoria, imò ipſius ferè *Amnonis*, deleta eſt. De pœna parricidii non quæritur; at nec de pœnitentia: quaſi regis fuerit unius omnia, non Legis modò, ſed ipſius quoque Dei, debita remittere. At verò mox, quæ regi excidit, pœnam exegit de parricida Deus, nimiámque ſimul patris facilitatem ſatis acriter caſtigavit.

A.M. 2981.

& imperium paternum talis artibus aucupatur.

Redierat nuper in aulam regiam *Davidis* filius *Abſalomus*, cujus aditum ſe ambiviſſe patris maximè deſiderio ſimulabat. At receptus, facilè mox prodidit amare ſe, non regem, ſed regnum, quanquam ipſe plùs æquo adamatus à rege. Superbi ſemper ingrati, ut qui ſuis deberi omnia meritis opinantur. Juvenes autem formâ genereque inſignes regio facillimè ſuperbiâ corripiuntur. Illi enim, cùm plurimi ſe à plurimis fieri ſentiant ſpeciei amabilis gratiâ, ità blandiuntur ſibi, ut aliquid eximium atque præclarum habere ſe præter cæteros credant, unde faſtum contrahunt.

Faſtus ineſt pulchris, ſequitúrque ſuperbia formam.

Hâc autem dote unus omnium ſuâ ætate maximè præſtabat *Abſalomus*,

Candidus, & talos à vertice pulcher ad imos,

purúſque ab omni labe. Maximum verò capillitio decus inerat, quod illi tandem exitio fuit. Cùm enim tonderetur ſub anni cujuſque finem, quia prolixitate ſuâ ſpiſſitudinéque oneri erat coma, gravabátque caput, quinque pependiſſe libras ferunt. Tantum *Joſephus* ait ſiclos ducentos valuiſſe. (2 *Sam.* 14. 25, 26.) Credibile eſt, non ſpecie tantùm corporis elatum fuiſſe, verùm & genere, paterno regis hæredem, materno nepotem; quod alteri fratrum nulli contigit. Formæ dignitas, etiamſi bonum fragile ac muliebre ſit, plurimùm tamen apud vulgus valet, ut eo judice digniſſimus imperio ſit ſpecioſus vir. Sed & generis claritas non minoris apud multitudinem pretii eſt, aliquâ præſertim ſi comitate morum condiatur. Utriſque *Abſalomus* commendatur ad regnum. Sed & aliis artibus uſus eſt ad gratiam ſibi & autoritatem apud populum colligendam. Quò ſe vulgo venerabiliorem redderet, mulis fraternis minimè contentus, currus adornavit ſibi & quadrigas, regio planè ambitu & faſtu peregrino, ſatellitéſque inſtituit qui præcederent quinquaginta. Novâ & magnificâ re omnium in ſe oculos atque animos convertit. Amore interim cæcus pater, nihil in his reprehendendum vidit, metuendum nihil. Sed hæc generatim & publicè. Singulorum quoque conciliabat ſibi voluntates *Abſalomus*; at clanculùm & fraudulenter. Conſeneſcebat *David*, & in judiciis publicis fortaſſe aliquantò remiſſiùs agebat. Eam ſibi anſam arripiebat ambitionis ſuæ filius nequam. Manè primo ſingulis ferè diebus juxta viam proſtabat quæ ad forum ducebat judiciale. Cúmque præteriret aliquis ad portam juſtitiæ causâ, compellabat *Abſalomus*, comitérque ſciſcitabatur de tribu, de civitate unde venerat, de cauſa quam agitabat. Deinde, ubi cauſæ, qualis ea cunque demum eſſet, probitatem collaudâſſet, nè quem offenderet, ſubjiciebat quaſi ſuſpirans, “ *neminem eſſe conſtitutum à rege qui cogno-* “ *ſceret.* Eum ſenuiſſe jam, nec præſtare ſe poſſe, quem ſolebat, in judiciis regem; “ neque tamen alium quenquam ſubſtituere, qui valeat auxilio ſeni ſubvenire. Ità “ neglectum populum Dei, & protelationibus vexatum; moratóſque diu, nonnullos “ diſcedere domum infectâ re. Dolere quidem ſe populi vicem ac regis debilita- “ tem, malóque remedium, ſi liceret, facilè adhibiturum; expediturum cauſas po- “ pularium ſuorum quàm celerrimè, (ſi modò ſuæ fidei traderentur publicæ res,) “ & ſuum cuique, ſummis infimíſque, ſine ſtudio partium, ex præſcripto legum, æ- “ quiſſimâ lance diſtributurum. Neque dictis modò, ſed & geſtibus adulabatur. Si quis eum in tranſitu venerabatur, ut ſolent ferè filios principum, eum *Abſalomus* injectâ manu complexus humaniſſimè dignabatur oſculo. His artibus fraudibúſque, depravando patrem, prædicando pollicendóque de ſe, blandiendo ſingulis, & maximum natu filium regis comitate geſtuum parem infimis faciendo, ſenſim in ſenſus hominum influebat, inſidiabatur affectibus, & quaſi furtim capiebat multitudinem, minimè ſuſpicacem dolorum, capacémve. Jure miretur quis hujus immanitatem

hybridæ,

hybridæ, qui patre ſuo maluit vivente rapere imperium, quàm exſpectare mortuo. Sed non deerant fortaſſe alia irritamenta præter inexplebilem ambitionis famem. Exaſperaverat hominem impunitum ſororis *Thamaræ* ſtuprum. Exaſperaverat exſilium triennale, & biennis relegatio ab aula regia. Et incitabant fortaſſe alienigena mater, & avus idololatra, ſubverentes, nè genitos ex fœminis *Iſraëliticis* filios præferret *Abſalomo David*. Maximè ſibi timebant à *Solomone*, quem credibile eſt eos accepiſſe deſignatum fuiſſe à Deo regem. Niſi ergò impubere adhuc *Solomone* *Abſalomus* regnum occuparet, aditus ad imperium eo maturo difficillimus futurus videbatur. *A.M. 2981.*

Novas jam res *Abſalomus* ſtudioſiſſimè apud *Iſraëlitas* moliebatur. Senſit enim ſuas ad populum phaleras & fallacias profeciſſe plurimùm. In eum intenti erant omnium oculi; & tanquam Solem orientem vulgus hominum adorabat. Neque tamen ſuo tantùm ingenio nitebatur in tanta re. Adſcivit ſibi, ut eſſet à conſiliis intimis, *Achitophelem*, hominem vaferrimum, cujus dicta populus eâ tempeſtate oraculorum fide dignabatur. Eodem & *David* erat uſus conſiliario. Verùm ſive offenſus *Davidis* candore, nimiam hominis verſutiam minimè probantis & ingenium aſtutius; ſive majorem inire gratiam ſperabat, juveni tradendo regnum novum & diuturnum, quàm breve quod ſupererat conſervando ſeni; cauſa certè non patet; tranſiiſſe verò patet à patre ad filium verſatilis ingenii hominem. Et erant fortaſſe plures majore apud *Davidem* gratiâ. Locùm ſibi ſupremum apud regem creatum à ſe pollicebatur. Eum, puto, ſecutus autorem *Abſalomus* Religionem ſimulavit, quâ facilè caperet religioſum patrem. Veniam impetravit "*proficiſcendi Hebronem*, ut "in urbe natali ſacra *perſolveret ex voto. Quippe Geſſuri obligârat ſe* homo religioſus, "victimas *Hebrone* immolaturum *Jehovæ*, *ubi* à commercio idololatrarum *reditus* in "patriam patuiſſet. Patre inconſulto clanculùm diſcedere, minimè conſultum videbatur; quia ſuſpicioni præbuiſſet locum, & bene gerendæ rei occaſionem fortaſſe corrupiſſet. Pietate filii lætiſſimus pater facilè dimiſit, benéque diſcedenti precatus eſt. Nihil interim de perduellione ſubolebat, nihil ſuſpicatus eſt earum rerum quas contra ſe machinabatur filius. Heu! quantis malis velum obtenditur Religionis! Qui jura omnia Divina humanáque perturbant atque perfringunt, id tamen agunt plerumque, ut viri boni eſſe, imò pii & religioſi, videantur. Dum contra principem atque patrem nefaria molitur parturítque *Abſalomus*, prætendit ſacra impietati ac vota. Viros principes *Hieroſolymitanæ* urbis ducentos ſibi comites voluit eſſe, participéſque ſacrorum. Non ii quidem ſcelerum fuêre conſcii quæ conceperat *Abſalomus*. Ille tamen quaſi conſcios adeſſe volebat, & ſocios conjurationis videri, quò majorem ſuis inceptis autoritatem conciliaret. Nec enim illis repugnandi erat locus, ubi ſe conjuratorum multitudine obrutos videbant. Utque idem incendium in ſingulis regni partibus conflagraret ſimul, per omnes tribus diſperſi exploratores, qui tubis clangentibus monerent populum, *Hebrone* creatum eſſe *Abſalomum* regem. Eò acceſſitus & *Achitophel* ex urbe quam incolebat *Gilone*; ubi victimas immolantem offendêre nuncii, quò Deum, puto, huic ſceleri propitium redderet. Magna fœderatorum turba, & populi concurrebat undique infinita multitudo ad *Abſalomum*, homines ambitioſi, facinoroſíque, decoctores, obærati, aliíque rerum præſentium pertæſi, novarum meliorúmque ſpe. Tandem triſtis ad *Davidem* nuncius defertur, populi omnis voluntates conciliâſſe ſibi *Abſalomum*, & omnium habere ordinum ſtudia ſumma, denique, Regis titulum ſibi arrogâſſe. Nuncio tam inopinato conſternatus primò rex *David*, ubi collegit ſe, nullum eſſe deliberandi ſpatium, ſed illico fugiendum cenſuit *Hieroſolymis*; edixítque ſuis, ut "*ad fugam expeditiſſimam* ſe com- "pararent, *nè* morantes diutiùs *interciperet Abſalomus*, *civitatémque* omnem diripe- "ret ac deleret ſui causâ. Promptè aulici "*paratos* aiebant ad unum *ſe imperata* "ſui regis *omnia facere*, & quò is cunque duceret ſequi. Fideliores amantioréſque ſui ſervos reperit quàm filios *David*. Tota igitur aula (præter concubinas decem ædibus cuſtodiendis relictas) & urbs univerſa poſt *Davidem* effunditur. *Cedronem* fluvium ſpectante rege pertranſierunt, præter multitudinem promiſcuam, *Cherethæi* & *Pelethæi* cohortes prætoriæ, & ſexcenti ex ditione *Gathenſi* advenæ. Hi aut proſelyti ex *Palæſtinis Hieroſolymas* contulerunt ſe cum familiis Religionis causâ; aut *Judæi* fuerunt, *Saulinis* temporibus profugi, *Ziclagi* aliíſque in locis *Gatho* ſubditis collocati à *Davide*, vel poſt expugnatam eam regionem in colonias eò deducti: jam verò, de hoc regis diſcrimine certiores facti, auxiliatum quantâ poterant vi & feſtinatione

A.M. 2982.

Conſiliis utitur *Achitophelis.*

David fugit *Hieroſolymis* cum ſuis.

A.M. 2982. natione advenerunt. Eos quidem nolebat *David* ſuis involvere periculis, " *redire* " juſſit *Hieroſolymas*. Nec enim par eſſe, ut qui *modò veniſſent*, aliò protinus diſtrahe- " rentur, & *deerrantem huc illuc ſequerentur ſe*, alieníſque implicarentur malis. At eorum *Ittaius* dux (præſidiariorum dux, ait *Junius*, *Gathi* urbis,) teſtatus *Jehovam* eſt, " nuſquam diſceſſurum ab eo ſe, omnes verò cum *Davide* utramvis fortunam " experiri velle, & ei ſalvâ perditâve re *adfuturos*. Tantam in peregrinis fidem conſtantiámque admiratus *David*, quam in ſubditis filiíſque tantopere deſiderabat, tranſire cum reliquis paſſus eſt. In ſolitudinem verò *Hierichuntinam* proficiſcebantur; populúſque omnis qui ſpectabat fugam, iniquiſſimam regis optimi ſortem flebili voce lamentabatur. Adduxerant & ſacerdotes *Levitarum* humeris Arcam Dei *Zadocus* & *Abiathar*. Uter ſuperior, haud facilè dictu videtur. 2 *Sam.* 15. 29, 35. & alibi memorantur ſimul, at *Zadocus* prior. Ideo fortaſſe, quòd poſtea prælatus à *Solomone* ſit, ſolúſque Pontificatum geſſerit, excluſo *Abiathare* cum familia. *Davide* autem regnante, uterque videtur eodem functus munere. *Zadocus Gibeone* in Tabernaculo *Moſaïco*, ad altare publicum; ſed *Abiathar Hieroſolymis*, loco digniore, apud Arcam Dei; (1 *Chron.* 16. 39.) & Ephodo pontificio ſolus uſus eſt: unde priorem dignitate ſaltem fuiſſe *Abiatharem* conſtat, ſi non autoritate. Quid, quòd aliqui *Zadocum* putant à *Saulo* conſtitutum Pontificem poſt *Abimelechi* necem? Ideo nec à *Davide* forſan loco motus eſt, fortiſſimus juvenis, qui cum 22 ſuæ familiæ ducibus *Hebrone* aderat *Davidi*; (1 *Chron.* 12. 28.) neque tamen pari loco habitus quo *Abiathar*, qui tam gravia paſſus eſt *Davidis* causâ, prioris Pontificis filius, & indutus Ephodo. Hîc (2 *Sam.* 15. 25.) *Zadocum*, abſente, puto, *Abiathare*, compellat rex, & Arcam reducere jubet in Tabernaculum. Nec enim putabat fortaſſe *Levitas* oneratos Arcâ paſſibus æquis comitari poſſe fugientem ſe; & ſacerdotes utiliorem ei operam navaturos in urbe nunciis clandeſtinis. " *Zadocum* aiebat *Videntem*, ſive " Prophetam, *eſſe*, nec *in urbe* minùs conſulere Deum poſſe quàm in caſtris; ſed & " hoſtium ſimul arcana explorare ac prodere. Quòd ſi quid opus eſſet, vel de vo- " luntate Dei, vel de hoſtium rebus fieri certiorem ſe, *moraturum in deſerto*, *filios iis* " *adfuturos* in urbe, *Zadoco Abimaaſum*, *Abiathari* verò *Jonathanem*, impigros juvenes, " quibus uterentur nunciis. *Sibi* quidem & regnum, & *urbem*, & Arcam ſuam *Deum* " aliquando *ſi propitius foret redditurum*. *Sin* abdicare ſe regno ſtatuiſſet, humilli- " mè libentiſſiméque ſe ſua permittere voluntati Divinæ omnia. Profecturi deinde, in montem *Olivarum* aſcenderunt urbi propinquum; ipſe rex lugubri more, nudis pedibus, capitéque velato, lacrymis occultis irrigabat ſeniles genas. Non potuit enim non ægerrimè ferre tantam in ſe tum filii ſui, tum populi, quem filiorum inſtar dilexerat, ingratitudinem. Et populus qui regem affectabatur univerſus, eundem lugendi morem imitatus, capita operiebat, vicémque indignam deflebat pii principis. Interea nuncius afferebatur, *Achitophelem* quoque conjurationis participem fuiſſe: quod regem vehementer perculit. Non tam arma & vim totius multitudinis, quàm unius calllidiſſimi hominis aſtutiam, pertimeſcebat. Itaque Deum obnixè comprecatus eſt, ut ejus vaferrima conſilia vana redderet irritáque. Ut exauditum à Deo ſe cognoſceret, obvius eveſtigio *Huſaius* ei oblatus eſt, nobiliſſimus conſultiſſimúſque vir ex urbe *Archa*, ſeu *Erce*, *Joſephidarum*; (*Joſ.* 16. 2.) qui unus præſtare potuit id quod erat precatus *David*, unus opponi & repugnare calliditati *Achitophelis*. In ſumma erat apud regem gratia, unus omnium conſiliorum particeps. Itaque regis amicus dicebatur. Sed & is lugentis habitu occurrit, laceratis veſtibus, capitéque cineribus conſperſo. Nam ut primùm de trepidatione *Davidis* acceperat, ſummâ celeritate ad eum properavit, conſiliis quantum potuit laboranti opitulaturus amiciſſimo regi. At eum *David* ablegat *Hieroſolymas*, ut " omnem *Abſalomo* polliceretur opem operámque ſuam. *Sibi* enim *oneri futurum* " fugienti, profuturum *in urbe* plurimùm; & *adverſando Achitopheli*, & regiorum *con-* " *ſiliorum* prodendo ſibi arcana, per nuncios expeditos *ſacerdotum filios*. Paruit *Huſaius*; perrexit *David* ad montis verticem, unde proſpicere civitatem poſſet. Illic vultu verſus Arcam fœderis ut potuit converſo, ſuppliciter Deum veneratus eſt, eáque rogavit quæ in tantis erant periculis expetenda. (2 *Sam.* 15.) His in malis conſtitutus, ea precatus eſt quæ in *Pſalmis* cecinit 3. & 55.

Ziba fraus. § 17. Progreſſo paululùm *Davidi Mephiboſethi* ſervus occurrit *Ziba* cum aſinorum pari ſtratorum, eduliíſque variis oneratorum & utre vini. Cúmque interrogaret quid ea ſibi vellent rex; " *Aſinos* ait *Ziba* ſtratos eſſe *quibus equitent*, edulia, *qui-*

" *bus*

"*bus veſcantur in deſerto* ſervi *regis*, denique *vinum*, *quo laſſi* de via reficiant ſe. De "*Mephiboſetho* deinde quæſivit rex animo (quod credi par eſt) benevolo, ejus fortaſſe ratus fuiſſe dona hæc. Non eodem reſpondit animo ſervus nequam: ſed ex domini ruina ſuam fabricaturus fortunam, "*Mephiboſethum Hieroſolymis morari* ca- "lumniatus eſt, ſperantem fore, ut, in his regiæ domûs turbis, *avitum ſibi ſolium re-* "*ſtituant Iſraëlitæ.* Credulus nimiùm calumniatori *David*, "Háſne, inquit, mihi "gratias rependit *Sauli* nepos? Occaſu meo exſpectat oriri emergeréque ſe? Tu "probi gratíque ſervi munere perfunctus es. *Quæcunque* igitur *Mephiboſetho* do- "naveram *tibi* do, quæque ejus *fuerant*, *tua ſunto.* Improbitate ſuâ tantam lucratus hæreditatem *Ziba*, magnas haud immeritò gratias venerabundus egit. At videant judices, quàm injuſta damnosáque ſit, ſine teſtibus idoneis, non exploratâ re, ex credulitate nimia & probabilitate ſola, ſententiæ temeraria præcipitatio. Innocens vir, inauditus, accuſatore teſtéque ſervo, cui bono futura erat credulitas temeritáſque judicis, condemnatur, omnibúſque multatur bonis. Sed hujus temeritatis pœnam non diſtulit Deus. Apud quem calumnia valuit ad innocentiæ pœnam, ipſe protinus calumniis petitur, & maledictis impunè laceratur. *Shimeius* enim, *Geræ* filius, *Benjaminita*, ex cognatione *Sauli*, ex urbe *Bahurim*, obvius prodiit: útque in medio comitum atque militum ſuorum incedebat rex, ille in latere montis eregione incedens, lapidibus eum comitéſque impetebat ac ceſpitibus, quaſi canes totidem, viliſſimáve quædam animalia, & jactabat pulverem, probríſque petulantiſſimis inceſſere auſus eſt. "*Apage*, *apage*, inquit, *homo cruente*, *homo impie nefariéque.* Jam "tandem *reddidit tibi* vices *Deus*, *reddidit cædes* quas tu in *domo Saulina* perpetrâ- "ſti; reddidit arma & vim, quibus *tu Sauli regnum* invaſiſti, *filius* verò *Abſalomus* "occupavit *tuum.* *Tua in te* jam redeunt *ſcelera.* *Sanguine* ſatiaberis quem ſitiiſti: "tuo ſatiaberis jam, qui ſitiiſti tantopere alienum. Cùm hæc audiret *Abiſhaius* militaris atque fortiſſimus vir, "*Quid*, inquit, *iſte dominum regem mortuus* oblatrat *ca-* "*nis?* *Liceat mihi*, *obſecro*, *amputare* iſtud fœtidi oris impurum *caput.* At prohibuit *David* vehementer, "*eò quòd* Deum fortaſſe autorem haberet, *Deúſ*que *juſ-* "*ſiſſet* ut *maledictis* peccata *Davidis* caſtigaret. *Deo* autem *jubente*, *quis* prohibeat? "quis criminetur? Deinde ad comites converſus, "Nè cui mirum, inquit, videa- "tur, quòd *Benjaminita* iſte, tribulis cognatúſque *Sauli*, mihi tantopere convitietur, "cùm *filius meus*, *qui ex* his *prodiit viſceribus*, cui *vitam* dedi, *meam eripere conetur*, "exitiúmque moliatur ſuo patri. *Illum* verò *ſinite ut maledicat*; *juſſit enim Deus.* "Æquo animo ferenda ſunt quæ divinitus contingunt mala. Quis autem novit, an "*miſeratione Deus meas calamitates* lacrymáſque *dignaturus ſit*, *benéque mihi facturus*, "*hujus maledictionis vice?* Pia hæc *Davidis* tolerantia *Shimeio* profuit hoc tempore ad impunitatem. *Davidici* mox cum rege ſuo in urbem *Bahurim* laſſi pervenerunt; ubi pauliſper morati ſunt ut curarent reficeréntque ſe. Mox in deſertum profecti, ex urbe nuncios exſpectabant. Interim *Abſalomus*, —— *magnâ comitante catervâ*, *Hieroſolymas* ingreſſus eſt. Aderat *Huſaius* quoque, (ut præceperat *David*,) & in media ſalutantium adulantiúmque turba humillimè veneratus, *Vivat rex*, *Vivat rex*, alacri voce acclamavit. Miratus inprimis *Abſalomus*, & fraudis aliquid ſuſpicatus fortaſſe, "*Quid?* inquit, *hæccine tua in amicum eſt* fides? in adverſis deſerere? Reſpondet *Huſaius*, "Præſtitiſſe amicum ſe uſque ad aras. Jam verò *eum* pro rege "habiturum, *quem elegerit Jehova*, *populúſque Iſraëliticus* conſtituerit *univerſus.* Nec "videri ſe patrem deſerere, qui filium ſequatur. *Ut* ergò *patri*, quamdiu Deo viſum "eſt, *operam* fidelem *præſtitit*, *ità filio* ſe *daturum*; ejúſque rebus, modò gratum id "regi futurum ſit, optimâ fide conſulturum. Noverat *Abſalomus* viri prudentiam atque probitatem. Itaque fidem, fidem tantopere pollicenti, habuit, & in ſuorum cenſu ſenatorum numeravit.

§ 18. Jam in fugam *David* actus eſt: urbem regiam, & domum, & populum, & regnum occupârat *Abſalomus.* Hæc ut retineret aliqua ratio incunda; conſulendus erat *Achitophel*, antequam advenerat *Huſaius.* *Achitophel*, ut ſolent homines politici, conſilium ſcelere quidem plenum dat, ſibi ſuíſque tantùm ſalutare. "Scrupulus, inquit, unus eſt, glorioſiſſime rex, qui populum tuum malè habet, eximí- "que vult, antequam de hoſte perſequendo conſulatur. Plurimi ſunt qui cauſam "regiam probant maximè, lentiùs tamen amplectuntur, & timidiùs agunt frigidiúſ- "que. Suſpicantur enim, fieri poſſe ut hæc omnia ex compoſito gerantur, populí- "que damno colludant reges. Aut ſeriò ſi res agatur, noverunt placabiles eſſe pa-

A.M. 2982.

Shimeii furor.

Huſaii fides *Davidem* verſus.

Achitophelis conſilio pernicioſo

A.M. 2982.

“ rentum iras & filiorum. Suſpicantur ergò conciliari poſſe diſſidia hæc, & filium “ cum patre in gratiam redire: ità omnes qui à filii ſteterunt partibus eum pœnæ “ relicturum, aut victimas iræ ſaucii principis immolandas, aut prædam Harpyiis de-“ vorandam aulicis. Aliquid ergò fieri oportet, quo conſtet populo tanta eſſe hæc “ odiorum vulnera, ut in cicatricem coire non poſſint. *Concubinæ Davidis* in aula “ *relictæ* ſunt decem. Eas à *te*, princeps maxime, in propatulo *violandas*, populo “ ſpectante, cenſeo. Hâc in *Davidem* contumeliâ, inimicitiæ fient implacabiles, om-“ némque paci occludent aditum: ità certum de tua in ſe immobili voluntate popu-“ lum vinculis tibi obſtringes adamantinis. Ità conſuluit *Achitophel.* Præcepta Dei non moratur ambitio. Fixa igitur in tectis aulæ regiæ tentoria ſunt; ubi, Sole conſcio populóque omni, (quod erat interminatus *Davidi* per *Nathanem* Deus,) concubinas paternas inceſtu polluit *Abſalomus.* (2 *Sam.* 16.)

Tum demum de hoſtibus perſequendis conſulitur. Atque hanc in ſe provinciam recipit ultroneus *Achitophel*; ut non modò conſiliis ſuis difficilia proponeret aliis peragenda, ſed & ipſe quæ propoſuerat ſuſciperet perficerétque, tam manu ſtrenuus, quàm ingenio ſagax. Pollicebatur “ ſe, quot erant tribus, tot militum *millia de-“ lecturum:* cum his *profecturum nocte*, facturúmque impetum in *Davidem.* Didi-“ ciſſe jampridem per exploratores, in eremo illum proxima latitare. *Terrore* ſu-“ bito & nocturno (inquit) *perculſum*, itineréque *fatigatum*, ducem facilè capiam, “ vel ætate vel mœrore penè jam confectum; *& copias quas habet* exiguas eodem ter-“ rore *fugatas* diſſipabo. Denique, *ſublato Davide unico*, reliquam *populi* multitu-“ dinem regi *conciliaturus*, facilémque terminum huic daturus bello ſum, & regno “ *Abſalomi* ſtabile firmamentum. Mirificè probatum eſt *Abſalomo*, & ſenatoribus qui aderant, pernicioſum *Achitophelis* conſilium. *Huſaius* aberat. Libuit ex eo etiam quærere, hac de re quid illi videretur. Cùm audiviſſet quæ propoſuerat *Achitophel*, facilè animadvertit prudens vir, quantas in anguſtias conjectura eſſet *Davidem* hominis vafri callida machinatio, niſi operâ ſuâ malum averteretur. Facillimè imparatum opprimi poſſe; at eundem, ſi mora daretur ad colligendas vires, fortiſſimè repugnaturum. Id ſpectabat *Achitophel:* id *Huſaius* perſpexit. Itaque totis ingenii viribus adverſari conſtituit iis quæ ab *Achitophele* dicta ſunt. “ Non dubia eſt, in-“ quit, rex invicte, *Achitophelis* prudentia, qui noſtri habetur optimo jure, non regni “ modò, ſed & ſeculi oraculum. Ego igitur hac una in re ſi ab ejus ratione diſ-“ ſentio, niſi firmiſſima ſint quæ proferam, nullam mihi fidem à vobis aut gratiam “ peto. *Davidem* opprimi putat imbellem & incautum poſſe millibus militum du-“ odecim. Quanta *patris tui fortitudo* ſit, quanta *militum*, optimè nôſti, ſapientiſſi-“ me rex. Quis enim ignorat, unum ex his nonnunquam ſuſtinuiſſe, imò ſuperâſ-“ ſe, hoſtium agmina? Quantò magis *exaſperati* jam deſævient, *ut urſæ catulis ab-“ latis* rabioſæ? Nec adverſæ res dejiciunt diminuúntve animos *Davidi*; ſed exci-“ tant, ſed augent. At noctu dormientem fortaſſe, aut nihil opinantem, occupabit. “ Invadat vel noctu; non ille tyronem, ſed *militem* exercitatum longo uſu & ve-“ teranum, ſed artium bellicarum invadet peritiſſimum ducem. Nonne ſpeculato-“ res emiſſos longè latéque, nonne conſtitutas in locis commodis excubias creditis, “ quæ tempeſtivè præmoneant, nè opprimantur de improviſo? Neque ſibi tam “ vilis eſt, ut vitam ſit crediturus regiam *inter gregarios milites. Speluncam* nactus, “ *aliúmve locum* ab inſidiis tutum, ſecurus alicubi *deliteſcit*; ut luſurus operam ſit, “ qui ejus veſtigia perſequatur. Senex vulpes non capitur laqueis. Quòd ſi nos *in* “ his *rerum initiis* vel minimùm *offendamus*, *percrebeſcet fama*, quæ noſtrorum *ani-“ mos* plurimùm *debilitabit*, numerúmque diminuet. Sic *igitur ego* cenſeo *ſuadeó-“* que; per *omnem Iſraëlitidem*, quà longiſſimè patet, *colligendum eſſe* exercitum quàm “ fieri poteſt maximum, ab *ipſo* ducendum rege; nè tantæ victoriæ legato gloria “ debeatur. *Ità* comparati, violento impetu, cui non ſit ferendo par, *irruemus in* “ *Davidem*, *ubicunque ſe exhibuerit*, & circumfuſum undique multitudine noſtro-“ rum infinitâ, concluſúmque in medio, è medio unà cum *ſuis* tollemus *univerſis.* “ *Quòd ſi in* propugnaculum aliquod *urbémve confugiat* munitam, *funibus* noſtri *la-“ pides* ſinguli *ſingulos* arripient auferéntque, donec urbs tota, quantacunque ſit, *in* “ *torrentem* proximum obruenda projiciatur. Quid enim tot manibus arduum ſit, “ expugnarîve tot armis non poſſit? *Huſaius* ubi dixiſſet hæc, *Achitophelis* laudatum tantopere conſilium à rege proceribúſque repudiatur, *Huſaii* præponitur, id agente Deo. Conſtituerat enim irritum facere *Achitophelis* conſilium, (quod erat pre-

Huſaius optimè adverſatur,

catus

catus *David*,) quanquam aſtutum, *Abſalomi*que rebus commodiſſimum; quoniam *Abſalomi* ſcelera graviſſima graviſſimâ coërcere pœnâ conſtituerat. Miſſi protinus qui milites cogerent numero infinito, quibus erat filius dux adverſus patrem hoſtem præiturus. Interea *David*, *Huſaii* prudentiâ facundiâque, periculo magno defunctus eſt, quod *Achitophel* ei creaverat; idoneúmque tempus ad præparationem belli, quod unum deſiderabat, aſſecutus. Sed monendus erat de regis inſtituto & *Achitophelis* conſilio *David*, ut quàm primùm in tuta ſe reciperet, copiáſque ad prælium compararet. Sacerdotibus igitur ab *Huſaio* tradita res, à ſacerdotibus ad filios tranſmiſſa per ancillam, ut averteretur ſuſpicio. Juvenes enim extra urbem, ad fontem qui *Fullonum* dicebatur, mandata parentum exſpectabant. In urbe ſi permanſiſſent, exire cùm volebant per excubias non licuiſſet. Sed & illic obſervatos ab adverſario quodam ſentiebant ſe, qui *Davidicos* eſſe noverat, & exploratores ſuſpicabatur. Ad *Abſalomum* ergò detulit. Miſſi protinus qui apprehenderent. Elapſos à fonte ad urbem *Bahurim* perſecuti ſunt, ipſámque domum quò illos didicerant, puto, divertiſſe. Sed ſcrutati fruſtrà, cùm rediiſſent *Hieroſolymas*, nuncii ad regem *Davidem* detulerunt quæ à parentibus acceperant. Celari enim ſe cùm petiiſſent à caupona, mulier in puteum demiſit; panno puteum, granis verò contuſis pannum cooperuit. Regiis autem ſatellitibus de *Jonathane* quærentibus & *Ahimaaſo*, fluvium tranſmiſiſſe reſpondit. Ità mulieris ſolertiâ ſervati evaſerunt. *David*, nè, variante rurſus *Abſalomo*, *Achitophelis* reſumeretur conſilium, ipſéque unà cum ſuis noctu opprimeretur, confeſtim trajecit ipsâ nocte *Jordanem*. Nec unum è ſuis, vel fugâ elapſum, vel fatigatione confectum, vel ſubmerſum flumine, deſideravit, quanquam fugâ præcipiti acceleráſſet nocturnum iter. *Mahanaïm* verò ſe recepit, in urbem, credo, amplam & munitam, *Isboſethi* regiam. Sed tantâ feſtinatione fugienti deerant omnia, non modò ad victum neceſſaria tantæ multitudini, ſed etiam regi ad uſum domeſticum & ſupellectilem. Quare *Sobis Ammonita*, *Machir* de *Lo-debare*, qui *Mephiboſethum* educârat, & *Barzillaius Gileadites* de *Rogelim*, omnia *Davidi* ſuppeditârunt, ut eorum quæ deerant nihil requireret. Digniſſima profectò gratiis laudibúſque munificentia, tam & ſpontanea, & opportuna, & magnifica. Non rogati, non vocati aderant, tum cùm erat maximè opus amicorum opibus, in ſumma rerum omnium indigentia; nec eorum quæ opus erant quicquam omiſerunt, ſed cumulatiſſimè præſtiterunt omnia. *Achitophel* interea, conſilii ſui repudiati cùm ferre ignominiam non poſſet, aulam cauſámque regiam deſeruit, domum ſuam ſe contulit, rem compoſuit familiarem, iræ ac pudori denique ſemet victimam immolavit. Etenim laqueo ſibi fregit gulam. Digna profectò merces proditore, ſuſpendium. Præferri alium ſibi ea in re, quâ unâ unum præſtare ſe omnibus putabat, verebatur nè de opinione apud vulgus prudentiæ ſuæ imminueret plurimùm. Cúmque *Abſalomi* gratiâ excidiſſe videretur præferentis alium, apud *Davidem* verò ſperare nullam poſſet, quem, dilatâ re donec vires collegiſſet, facilè recuperaturum omnia proſpiciebat, ad reſtim denique rediit deſperata res.

A. M. 2982.

*Davidi*que prodit omnia.

§ 19. *Abſalomus* tandem, infinitâ multitudine hominum coactâ, exiguâ militum, *Jordanem* tranſgreſſus, in *Gileadem* tranſmeavit. *Amaſam* ſui exercitûs ducem conſtituit, *Ithræ* filium, & ſobrinum ſuum ex *Abigaile Davidis* altera ſorore. Exercitum quoque *David*, etſi numero longè imparem, virtute præſtantiorem, collegerat; millium quatuor, ait *Joſephus*: quem in tria partitus agmina, (poſtquam tribunos & centuriones præfeciſſet,) tribus ea ducibus, *Joabo*, *Abiſhaio*, *Ittaió*que *Gathenſi* tradidit; ſupremum profeſſus ipſe futurum ſe. In alas fortaſſe duas, quàm longiſſimè patentes, nè circumveniret hoſtis, & medium agmen, diſtribuit exercitum, more militari. At vehementer deprecati ſunt milites, "*nè* in aciem *prodiret* "ipſe rex. Eum aiebant unum peti; in eum, ſi adeſſet, hoſtes inclinaturos omnem "impetum, tela conjecturos omnia. Sin abeſſet, lentiùs multò languidiúſque pugnaturos. Quòd ſi è militibus multa *cædantur fugentúrve* millia, *non* ità magnam "fore aut ſibi jacturam, aut hoſtibus victoriam. Reparari exercitum poſſe, ac in- "ſtaurari bellum, incolumi rege. At eo amiſſo, amitti omnia, nec ullam ſibi ſuper- "eſſe ſpem. Quid, quòd, ſi moretur in *urbe* rex, *auxilio* poſſit opportuno ſuis la- "borantibus *ſubvenire?* Benevolentiæ ſuorum tam commoda ſuadentium non eſt obſequi dedignatus rex. In porta igitur conſedit, ut militum exeuntium ordines & diſciplinam obſervaret; monerétque omnes, duces inprimis, "nè, ſi vincerent, gra- "vius quid in *Abſalomum* ſtatuerent, ſed *leniter juvenem tractarent ſui* ſenis *gratiâ*,

Abſalomus cum ſuis fugatus perit.

 "par-

A.M. 2982.

"parcerentque in filio patri. Nihil fortaſſe aliud volebat, niſi ut filius, tot ſcelerum reus, haberet ſpatium reſipiſcendi, nè unà cum corpore anima quoque interiret. Non exſpectabant *Davidici* dum obſiderentur ab hoſtibus. Ultro prodeunt, quærunt, laceſſunt ad prælium. In ſaltu commiſſa eſt pugna, qui *Ephraïmiticus* dicebatur, ex eo fortaſſe, quòd illic, *Jephtâ* Judice, quadraginta *Ephraïmitarum* cæſa ſunt millia. In eodem certè *Iſraëlitarum* victorum fugatorúmque jam millia viginti ceciderunt; quorum plures in ſylva quàm in prælio, aut in foveis atque præcipitiis deleti, aut laniati à feris. Perſequebantur fugientes *Davidici* magnâ vi; quorum aliquibus occurrit *Abſalomus* ipſe à ſuis derelictus; cúmque fugâ ſe proriperet, ſub denſa quercu adhæſit arbori caput: ſive nodo crinium ramis implicato, ſive alio modo retinebatur, diſcedente quo vehebatur mulo, in aëre pendebat ſublimis. Milites incolumem dimittunt, reverentiâ mandati regii. Ab arbore detinetur donec ſuas pœnas det; comæque ſuæ, quâ tantopere ſuperbiebat, laqueo ſuſpenditur, donec ſcelera immania capite luat. *Joabo* quid accidiſſet à milite nunciatur; quem increpat dux, quòd "pendentem *non occidiſſet*, præmiúmque meruiſſet *à ſe argenteorum decem & baltei.* Reſpondit miles, "*non* id facturum *ſe mille argenteorum præmio*, qui *regem* ipſum *au*-"*diviſſet imperantem* ducibus, *nè qua fieret Abſalomo vis.* *Joabus*, nè diutiùs differendo ſpatium *Abſalomo* elabendi concederet, duce milite properavit ad arborem, tribúſque jaculis ipſum penetravit penduli cor; & ſi quid erat vitæ reliquum, ab armigeris *Joabi* decem multis id vulneribus confectum eſt. Corpus in foveam grandem projectum ingenti lapidum acervo cumulaverunt, quaſi à mortuo pœnas inceſtûs & contumaciæ in patrem repetentes. Hic tantæ ambitionis & ſuperbiæ, tantæ quam uſurpaverat potentiæ gloriæque, properatus quidem & infeliciſſimus exitus fuit. Non forma faſtúſve profuit, non dignitas regia, non militum infinita vis; imò nec paterna deprecatio valuit quicquam. Hoſtium telis confoſſus atque confectus, in ſcrobem abjectus, funere aſinino, lapidum mole obrutus, infamiâque notatus æternâ, periit. Poſuerat ille quidem ſibi vivus adhuc ſepulchrum, columnam, puto, lapideam, ſive obeliſcum, ſtatuam alii volunt, in valle regia loco celeberrimo, (duobus tantùm ab urbe ſtadiis, ait *Joſephus*,) eâ mente, ut, cùm filiis careret, (obierant fortaſſe tres qui memorantur 2 *Sam.* 14.27.) in eo ſui nominis memoriam ad poſteros propagaret. At nec in eo ſepultus eſt, quod deſtinârat; ſed exſtabat diuturnum ejus infamiæ monumentum, non gloriæ. *Joabus* tamen paulò nimis crudeliter egit, nè dicam contumaciter, qui, cùm facillimè poſſet, filium ſui patris ſive precibus ſive mandatis ad pœnitentiam condonare noluit. Sublato jam armorum civilium duce, multitudini parcendum cenſuit *Joabus*. Receptui cecinit, revocavítque ſuos à perſequendis *Iſraëlitis*. Ità diſſipati per omnem regionem, in ſuam quiſque mox domum rediit.

Cuſhi & *Abimaaſus* victoriæ nuncii.

Sed nuncianda erat hæc regi victoria: cui muneri ſuam ultro *Abimaaſus* operam obtulit. At noluit *Joabus* optimum juvenem de morte *Abſalomi*, admodum ingrata regi re, nuncium adhibere. Aliàs ubi quid opus, miſſurum pollicebatur ſe; alium hoc tempore. *Cuſhi* ergò miſſus eſt, *Æthiops*, ut ex nominis ratione licet colligere: cujus ipſe vultus erat lugubri atque triſti nuncio conſentaneus. Ardebat animus *Abimaaſo*, ut qui de periculis nuncium attulerat, portaret etiam de victoria. Iterum ergò iterúmque veniam rogat, ſequi ut liceat. Importunitati hominis tandem, ubi nuncium alterum ſatìs provectum credidit, ceſſit *Joabus*. *Cuſhi* quidem profectus eſt breviore viâ, ſed per montana difficili. *Abimaaſus* poſterior longiore, ſed planâ & expeditâ, prævertit *Æthiopem*. In conſpectu erat *Mahanaïm*. Vigil è ſpecula monuit, "*properantem* videre ſe *hominem* unum *ſolúm*que. "Hominem "*ſolum* augurabatur eſſe *nuncium* rex. Si enim fugerent è prælio, plures unà con-"curſuros. Mox "*alterum* videre ſe vigil docuit, eúmque *ſolum. Priorem verò ſimi*-"*lem Abimaaſo* videri. "*Bonus vir*, inquit rex, *bonum apportat nuncium.* Ubi portam eſt ingreſſus, acclamat regi *Abimaaſus*, *læta eſſe fauſtáque omnia.* Propiùs accedens, humilliméque veneratus regem, narrat felicem ei de hoſtibus victoriam eſſe datam à *Deo. David* non tam de victoria, quàm de filio ſolicitus, quid eo factum eſſet anxiè perquiſivit. "Ea de re *Abimaaſus* quicquam *ſcire ſe* diſſimulavit. "*Vidiſſe* quidem *tumultum*, dicebat; *quid* ageretur *non vidiſſe.* Ubi divertere paululùm juſſus eſt, *Cuſhi* aderat, qui regi eadem de victoria retulit: de *Abſalomo* interrogatus, *juveniſne ſalvus eſſet*; "Imò verò, inquit *Cuſhi*, *ità omnes*, oro, ſalvi *ſint hoſtes do*-"*mini regis*, *ut iſte* ſalvus *eſt juvenis.* Interemptum ubi ſenſit rex, maximo dolore

per-

percitus, lugubri voce deflere cœpit interitum *Abſalomi.* At nè quid de majeſtate regia diminueret lugendo palàm, in cœnaculum aſcendit ex porta, quò liberiùs lamentaretur. Dúmque aſcendebat, ità lugubriter querebatur, *Mi fili Abſalome, fili mi, fili mi Abſalome, utinam ego tuâ vice obiiſſem, ô Abſalome fili mi, fili mi.* (2 *Sam.* 18.) Ubi locum nactus eſt magìs privatum, eò magìs indulgebat dolori, lacrymis & querelis, capite velato, & altâ ingeminans voce, *O mi fili Abſalome, Abſalome fili mi, fili mi.* Neque verò potuit populus ſui regis vicem tam flebiliter dolentis non dolere. Mœſtum erat per urbem ſilentium: nulla gaudii ſignificatio, nulla victoriæ. Milites ipſi victores, quaſi fugiſſent ex prælio, pudore cæſi à duce *Abſalomi*, quod prohibuerat rex, furtim & clanculùm in urbem ſubrepebant. Noverat *Joabus*, invidiam hujus luctûs ſuſtinere cædis autorem ſe. Ad regem ergò penetravit homo inſolens naturâ, inſolentior victoriâ, ut increpationibus atque minis luctum ei excuteret intempeſtivum. " Magne, inquit, *Iſraëlitarum* noſtrâ ope " operâque jam tandem rex, qui non niſi fugâ modò tuam vitam à tui filii conſceleratiſſimi parricidio eripuiſti, quid eſt quòd tantopere doleas viciſſe tuos, *conſervatúm*que te tantis modò in periculis laborantem? Sperabam equidem te maximas " acturum fuiſſe gratias Deo autori tantæ victoriæ; nobis quoque gratias, Dei mi- " niſtris. Tantùm verò abes tu ab agendis gratiis, ut *pudore ſuffundas* exercitum " *tuum*, quaſi tuam prodiderint *ſalutem* publicámque rem, *qui* ſuis utramque peri- " culis *ab interitu vindicârint.* Niſi enim hoſtium furori oppoſuiſſemus nos, actum " de te fuiſſet, actum de tuis omnibus. *Filii tui filiæque, uxores & concubinæ, ſervi* " omnes *amicique* periiſſent. Unicúmne tu filium, eúmque flagitioſiſſimum, in- " ceſtum, rebellem, parricidam, qui hæc tibi creaverat pericula, unde à nobis *con-* " *ſervatus* es, tuis omnibus præpones? Eóſne *tibi diligendos* putas, *qui te odio habent*, " eos verò *proſequendos odio qui diligunt te*, ſummâque fide colunt? Quæ hæc pra- " va planéque ſtulta indulgentia eſt in liberos ingratiſſimos, omníque ſupplicio & " cruciatu, non amore, dignos? *Perſpicio equidem, futurum tibi gratiſſimum fuiſſe*, " tui omnes fideliſſimi milites atque ſervi *ſi periiſſent*, modò *incolumis eſſet* unicus " perduellis *Abſalomus.* Apage verò hanc in hoſtes lenitatem, crudelitatem in " tuos. Mitte tandem has nænias fletúſque muliebres. *In publicum prodi*, vultu alacri, " læto & triumphali. Aut *ſi* pergis, *Jehovam teſtor* Omnipotentem Deum, nos *te* " *omnes hâc nocte* ſolum nudúmque *relicturos*; *idque omnibus malis quæ tibi hactenus* " *per omnem vitam acciderunt* longè *gravius futurum eſt.* Cùm enim hoc tempore " vacet regnum principe, principem deligemus eum nos, qui ducibus militibúſque " ſuis parem gratiam relaturus ſit, & bene meritis juſtâ donaturus præmia. Has intonuit minas *Joabus.* *David* non eſſe tempus opportunum ratus, ità luxatis perturbatíſque rebus publicis, refellendi contumelias, petulantiámque & ferociam præpotentis jam ducis retundendi, præſertim cùm aliqua eorum vera eſſe agnoſceret quæ objiciebantur, ſubdito ſuo paruit rex; triſtitiam depoſuit, dolorem irámque ſimul diſſimulavit, deſcendit in portam, populóque ſe conſpiciendum præbuit exporrectâ placidâque fronte; ſed æquiore, opinor, vultu quàm animo. Probabiléque videtur, milites eum benignè omnes appellâſſe, & donaviſſe gratiis; aliquos etiam præmiis, ut meriti ſunt. Ità obſtructum *Joabo* eſt importunum os.

A. M. 2982.

Davidem afflictiſſimum

Joabus recreat minitabundus.

§ 20. Interim *Iſraëlitæ*, amiſſo quem nuper iniunxerant rege, agere inter ſe de alio cœperunt. Occurrebant illis jam *Davidis* merita, & maxima in publicam ſuam rem beneficia: " *hoſtes* eum ſuæ gentis univerſos debellâſſe, præſertim verò *Palæſtinos*, qui oppreſſerant *Iſraëlitas* diuturno graviſſimóque jugo. Eum itaque *revocandum* cenſebant, & in priſtina dignitate reponendum. Non deerant qui de his *Davidem* certiorem facerent. At dum hæc agitabant *Iſraëlitæ* reliqui, ſoli omnium *Judæi* obmuteſcebant. Credibile eſt, illos maximè omnium *Abſalomo* ſtuduiſſe, graviſſiméque in *Davidem* peccâſſe; veritos propterea implacabilem regis iracundiam, hæſiſſe incertos quid agerent. Malè id habebat *Davidem*, ſuos tribules in hoc officio tergiverſari. Ultro igitur cenſuit provocandos monendóſque per Pontifices *Zadocum* & *Abiatharem*, " nè *ultimi* accederent *ſui conſanguinei.* Reliquas tribus reditum " ſibi decreviſſe jampridem. *Judæos* creâſſe regem ſe primos; primos ergò pro- " fugum *reducere* domum debere. Nihil à ſe metuerent. Satìs jampridem pœ- " narum ſupérque datum eſſe. Amputata ſeditionis capita, *Abſalomum* & *Achitophelem*; & reliquorum viginti millia interiiſſe. Reliquæ parcendum multitudini. Hâc regis lenitate victi magìs quàm prælio *Judæi*, unâ omnes mente ac voce reditum ei

Amneſtiâ intercedente, *David* redit *Hieroſolymas.*

A.M. 2982. ei decernunt, nuncios ea de re mittunt, promittúntque ſe mox obviàm ei prodituros. *Amaſæ* quoque, copiarum *Abſalomicarum* duci, ſuis verbis denunciari voluit *David*, eorundem ſacerdotum operâ, " nè quam à ſe vindictam formidaret, quanquam par- " tium adverſarum dux. Pro *ſuo cognato eum* ſe, filióque ſororis agnoſcere; *fu-* " *turúm*que mox, *Jehovâ* teſte, ſui quoque *exercitûs Joabi loco ducem.* Id autem prudenter apud ſe conſtituit *David*, non modò ut *Joabi* reprimeret inſolentiam, ſed ut *Amaſæ* operâ, apud omnes ordines gratioſi, populũm incompoſitum faciliùs revocaret ad officium. Rediturus ergò *Hieroſolymas* rex, *Jordanem* uſque fluvium pervenerat. Et *Judæi Gilgale* aderant, ad alteram penè ripam fluvii, ut traducerent & comitarentur principem. Aderat cum *Judæis* & *Shimeius* ille maledicus, milléque attulerat *Benjaminitas* comites, & apud regem fortaſſe deprecatores. Aderat cum primis & *Ziba Mephiboſethi* ſervus nequam, unà cum filiis ſuis quindecim & ſervis viginti, ut hâc officii fideíque ſpecie retineret quæ antea per fraudem acquiſiverat calumniámque. Et *Mephiboſethum* obſervabat magis quàm *Davidem*, nè integritate ſuæ in regem fidei demonſtratâ, *Zibam* in ſe dominum ſuum perfidiæ argueret, ſpoliíſque mendacio partis veritate patefactâ exueret. Pontem ait *Joſephus* fluvio conſtratum eſſe, quò trajiceret rex. Scapham certè adhibitam fuiſſe, quâ regis familia tranſmitteret, quæque alia volebat rex tranſportarentur, id verò conſtat. Regi tranſituro *Shimeius* ſuppliciter devolutus ad pedes, petulantiam ſuam quâ diſcedentem *Hieroſolymis* regem laceſſiverat humillimè deprecatus eſt. " Regium eſſe " injuriarum oblíviſci, & condonare pœnitentibus offenſas. Agnoſcere quidem ſe " graviſſimè in regem *peccâſſe*; *itaque primum adeſſe omnium* qui ſub *Joſephi* vex- " illo militant, & monſtrare aliis viam ad officium redeundi obſequiúmque. Sed " & oculos in primum ſe plurimorum eſſe conjectos, ut ex clementia regis in ſua *ma-* " *ledicta*, de ſuis malefactis quid ſperandum ſit colligant. *Abiſhaius* torvo vultu contemplatus hominem dum hæc diceret, vix continere manus, linguam certè non potuit. " Tibíne par videtur, inquit, ô rex, ut iſte incolumis & impunis evadat, " qui tam contumelioſè tibi *convitiatus eſt.* " Apage verò, ait *David. Quid vobiſ-* " *cum eſt mihi*, *Zerviæ vos* feroces *filii*, *qui* juvandi ſpecie *meis* hodie rebus *adverſami-* " *ni?* Æquúmne tibi videtur, *ut hoc die quiſquam occidat Iſraëlitarum? Hoc me* de- " mum *die* verum *eſſe regem ſentio.* Novúmne regnum à cæde auſpicabor & ſan- " guine? Pepercit ergò & ignovit *Shimeio*, promiſitque juratus non moriturum. Salutaris enim hoc tempore clementia plurimùm conducebat ad ſedandos adverſariorum conciliandóſque animos, quos ad deſperationem ſeveritas adegiſſet, deſperatio ad ſeditionem concitaviſſet novam. Appropinquanti jam *Hieroſolymas* regi *Mephiboſethus* obviàm egreſſus eſt. Ille quidem non erat profectus cum rege: deerat equus claudo quo veheretur: at ejus abſentiam veriſſimo luctu proſecutus. Ex quo enim abierat *David*, uſque ad hunc ejus felicem reditum, non laverat pedes, non raſerat barbam, non veſtimenta mutârat; ſed mœſto vultu ſquallidus inceſſerat & ſordidatus. Ut primùm conſpexit eum rex, interrogavit, cur ei comitem ſe diſcedenti *Hieroſolymis* non dediſſet. Permodeſtè reſpondit ingenuus vir; " id quidem " ſe conſtituiſſe, verùm fraude ſui ſervi deceptum, hæſiſſe domi invitum, & ab " amico unico derelictum. Cùm *enim aſinam* ſibi *ſterni* poſtulâſſet, *quâ veheretur* " *claudus*, neglecto *Ziba* quod erat imperatum officio, *falſi apud regem criminis inſi-* " *mulavit* dominum inſcientem ſciens immerentémque: cujus cognitionem ſe liben- " tiſſimè humillimèque ſui principis *arbitrio* permittere, æquiſſimum id, quicquid ille " ſtatueret, habiturum. Fateri quidem ſe, injuriam ſibi à rege fieri nullam poſſe. " *Sauli enim* crudelitate, *omnem* ejus *familiam fuiſſe morti* meritò addictam. Se " igitur quòd vivat, quòd habeat unde vivat, ídque *ad menſam regiam*, utrumque " regis beneficentiæ debere gratuitæ: utrumque ſi auferatur, *nihil habiturum quod* " *conqueratur ſe*, nihil quod diſceptet ampliùs. Tacente verò *Mephiboſetho*, *David*, " *Quid* mihi *pluribus*, inquit, opus eſt, nec tibi fortaſſe profuturis?

Shimeio ignoſcit.

" *Cauſa patrocinio non bona pejor erit.*

Mephiboſetho injuriam facit iteratam. " *Dimidium plus toto:* plus merenti nihil; (ut ais tu;) vel, (ut alii,) merenti malè, " dimidium plus quàm totum bene merito fuiſſet. Hæc mea rata ſtabilíſque ſententia ſit, *Dividatur* æqualiter; altera *Mephiboſethi*, altera *Zibæ* ſit pars. Hoc *Zibæ* " meritis de me, illud *Jonathanis* tribuo. Ecce bis ad eundem cæſpitat pius rex. Temeritate judicii eâdem, eâdem iterum peccat in re. Præjudicio laborat vel adhuc apud principem *Mephiboſethus.*

—*Malè*

A.M. 2982.

——Malè verum examinat omnis
Corruptus judex.

Zibæ muneribus & ſedulitate officioſâ corruptus *David*, qui *Shimeio* nece digniſſimo pepercerat, *Mephiboſethum* pœnâ multat inſontem. Ille tamen animo æquiſſimo diſcedit. "*Imò verò*, inquit, *habeat omnia*, ſi videbitur. *Quandoquidem dominus meus rex* (id quod unicè optabam ego precabárque) *incolumis domum rediit*, ſubactíſque "jam victor hoſtibus, licet per me *habeat* unus *omnia*. Opulentiſſimus quoque *Barzillaius*, regem affectatus ultra *Jordanem*, redeundi veniam exoravit. In aulam invitabat eum *David*, ut eſſet fortaſſe à conſiliis, potens atque prudens longiſſimâ ætate vir; & occaſionem captabat, quâ munificentiam *Barzillaii*, planè regalem, paribus compenſaret beneficiis gratiſſimus rex. At ille benignitatem regis magnopere deprecatus eſt. "Quippe *ſenem ſe*, *annorum octoginta*, hebetioribus jam per ætatem "ſenſibus, minimè capacem eſſe voluptatum aulicarum; non *guſtu* deliciarum, non "*auditu cantionum* muſicarum, quibus aula *Davidis* perſonabat. Aulam ergò honori maximo ſibi, at aulæ *ſe oneri futurum*. Tempeſtivum eſſe, ut ad ſomnum ſe "ultimum componat, *& in* lecto *tumulóque parentum* requieſcat. Nullâ ſibi re gratificari magìs regem poſſe, quàm ſi *reditum* concedat, quò ſuo more domi reliquum ætatis vivat, comparétque ſe ad *ſepulchrum*. Nè tamen aſpernari videatur "tantam regis gratiam, *Chimhamum* ei ſe filium dare; & pro ſuo habiturum eſſe, "*quicquid in eum eſſet* beneficii collocatum. Officioſus *David* & benignus volebat eſſe. At in eo moleſtus atque importunus videri noluit, gratiáſque ſuas ingratas fieri. *Barzillaium* ergò peramanter oſculatus, feliciáque precatus omnia, cum bona venia dimiſit ad ſepulchrum paternum. *Chimhamum* accepit, ſuis ornandum in aula cumulandúmque beneficiis; quæcunque optaret *Barzillaius* pater, nihil non ejus gratiâ facturum ſe pollicitus.

Barzillaii filium ſummâ gratiâ proſequitur.

§ 21. Traduxerant regem, deduxerántque *Gilgalem Judæi*. *Iſraëlitarum* non niſi pars, ea, credo, quæ ultra *Jordanem* eſt, aderat. Reliqui mox advenêre, ſed irati, omnéſque ſimul unâ voce gravem querelam de *Judæis* detulerunt ad regem, quòd præter æquum fecerint, qui eum ſoli ferè traducere ſint auſi, non exſpectatis *Iſraëlitis*. "Tanta, inquiunt, res communi omnium conſilio atque conſenſu fieri debuit. Ità verò clanculùm & fraudulenter agere, non eſt regem *reducere*, ſed *furari*. *Judæi* reſpondent, "*Quid his querelis*, inquiunt, opus eſt? Ad nos maximè ſpectabat, *noſtrum* tribulem atque *cognatum* reducere. *Numquid* capti *conviviis aut præmiis & largitionibus* conducti ſumus? "Imò verò, aiunt *Iſraëlitæ*, utcunque ſitis tribules cognatíque vos, privata ſunt hæc nomina; publicum eſt regis munus, *decém*que tribus magìs attinet quàm duas. Quò plures nos, eò *nobis* "*plus in rege*, in rege conſtituendo, reſtituendo, reducendóque, *juris*. *Unde igitur* "*factum eſt*, *ut nos* tantopere *contemptui haberetis*, *Judæi*, *nobíſque inconſultis*, tantam "ſoli ſuſciperetis *de rege* rem? Nullo modo cedere *Judæi*, ſed contendere, "primos "*Davidem* ſe creaviſſe regem, primos ergò reſtituere in regnum debere: multíſque verbis acriter & mordicus tenebant quod tuendum ſuſceperant. *David* interea, omnium animis vehementi contentione exulceratis utrinque, nè quam partem offenderet, nihil interponere auſus eſt: eo ipſo propenſior in ſuos tribules viſus *Iſraëlitis*, quòd ſuæ cauſæ non palàm faveret, quam ipſi optimam judicabant. Stomachabantur plerique & indigniſſimè ferebant, in contumaciam & tumultus proni, remiſſis jam atque laxatis imperii frænis. Hanc ſeditionis anſam nactus, *Sheba*, *Bichri* filius, *Benjaminita*, homo turbulentus, & rerum novarum ſtudioſiſſimus, tubâ clanxit, *Iſraëlitas* in concionem coëgit, ſatíſque pro imperio edixit, ut domum ſe omnes reciperent de novo rege conſulturi. "*Ad tabernacula*, inquit, ô *Iſraëlitæ*, *ad tabernacula* diſceditote. *Nihil* enim *nobis cum Davide*; *nulla nobis pars in Jeſſaii filio*, quibus in rege ſunt decem. Diſcedentem itaque *Shebam Iſraëlitæ* omnes proſecuti ſunt. *Judæi* verò, & *Benjaminitarum* pars maxima, *Davidem Hieroſolymas* deduxerunt. Hic inprimis concubinas decem ſtupratas à filio in cuſtodiam dedit, aluítque ut viduas; in thalamum ſuum neutiquam admiſit. *Amaſæ* poſtea mandavit, prætarito *Joabo*, ut per *Judæam* colligeret exercitum, intráque triduum ſibi ſiſteret *Hieroſolymis*. Sed tam brevi ſpatio temporis tanta res confici non potuit. *Amaſâ* non redeunte, cùm ſummâ eſſet opus feſtinatione, nè in urbem aliquam munitam ſe reciperet *Sheba*, *Abiſhaio* tradidit quæ *Hieroſolymis* aderant copias, ut quàm celerrimè

Sheba conſpirationi medelam adhibet prudentia muliebris.

A.M. 2982. rimè perſequeretur perduellem, nè alicubi propugnaculum arcémque belli firmam aſſecutus, gravius negotium ſibi faceſſeret quàm *Abſalomus*. Unà cum fratre *Joabus* ſuâ ſponte profectus eſt. Conſtituerat enim apud ſe, priſtinam eam dignitatem, quam tot annos ſuſtinuerat, rege vel invito, ſi fieri poſſet, retinere. Ubi ad ſaxum *Gibeone* perventum eſt, occurrit illis cum exercitu *Amaſa*, ducémque ſe copiis omnibus præbuit ſupremum. Salutaturus *Amaſam* accedebat *Joabus*, pendulúmque lateri gladium ſic aptaverat, ut cùm libuit caderet è vagina. Decidit jam; lævâque tollens *Joabus*, *Salve*, inquit, *mi frater*, ad *Amaſam*; barbâmque ſimul dextrâ apprehendit ut oſcularetur. Lævam ejus gladiúmque non obſervabat *Amaſa*, ut qui nihil inſidiarum in publico, & à conſobrino, ſuſpicaretur. Nec ipſe militum præfecturam ambiverat, ſed à rege acceperat ſibi oblatam, alii traditurò ſi recuſâſſet *Amaſa*. Nihil ergò metuenti, utpote nullius injuriæ ſibi conſcio, enſe *Joabus* perfodit latus, aperuítque ità ut ilia prorumperent, unóque ictu conficeret. Arripuit protinus principatum quem geſſerat, præivítque militibus ad bellum. *Amaſæ* verò unum è ſuis ſatellitem appoſuit, qui moneret populum, ut *qui Joabo faveret ſtuderétque Davidi*, *Joabum ſequeretur* ad perſequendum *Shebam*. Cùm tamen viderent *Amaſam* in via jacentem publica, & in ſuo volutantem ſanguine, ſubſtiterunt plurimi, nec ſecuti ſunt ducem. *Joabi* ergò ſatelles cadaver ex via in agrum tranſtulit, & panno cöoperuit, nè qui deinde cernerent aut morarentur. Tot militum dux neminem habuit ſuæ necis ultorem; ſive quòd *Joabi* ferociam & vim verebantur, ſive quòd veterem cui diu aſſueverant ducem reverebantur & diligebant *Judæi*. Fortaſſe proditionis reum, aut rebellionis *Abſalomicæ*, mandato regis interfectum ſuſpicabantur. *Joabus* quod voluit aſſecutus, *Shebam* inveſtigat. Ille omnem ferè *Iſraëlitidem* peragrârat, & *Beëræi* ſigna ejus ſecuti ſunt: *Beërotharum* cives fortaſſe, urbis *Benjaminiticæ* in ſua tribu. (*Joſ.* 18. 25. & 2 *Sam.* 4. 2.) Pervenerátque ad *Abelam Beth-maachæ*; ubi vel populum concitabat, vel nihil proficiens ſe occultabat. Urbem hanc *Junius Manaſſidarum* eſſe putat, *Naphtalidis* propinquam, *Abel-maiim*, 2 *Chronic.* 16. 4. Alii *Abelam* urbis nomen in tribu *Ephraïmitide*, *Beth-maacham* regionis eſſe, aut urbis vicinæ. (*P. Martyr.*) Hîc *Shebam Joabus* aliquo fortaſſe indicio proditum invenit; qui tantum apud cives profecerat, ut adverſus regium ducem portas occluderent. Non tulit *Joabus* hanc repulſam. Urbem protinus obſidione cingit, nullâ pacis oblatâ conditione, quod fieri oportuerat. (*Deut.* 20. 10.) Cùm vallum terrâ oppleviſſent, ut ad muros oppugnandos diruendóſque accederent, matrona quædam prudens de mœnibus inclamavit *Joabum*, oravítque ut ducem liceret paucis compellare, atque in publicum conſulere. Ubi copiam ſui *Joabus* fecit, ità mulier: "*Vetus erat hoc verbum*, *Quærant in Abela con-*" *ſilium*, cóque capto, ſuam quiſque *rem tranſigat*. Nè tu igitur, magnifice dux, " averſeris id quod *ab ancilla tua proponitur Abelenſi* muliebre conſilium.

Joabus Amaſæ perfodit latus impunè.

" *Forſan in hoc aliquid quod juvet eſſe poteſt.*

(Verſiculus hic, 2 *Sam.* 20. 18. longè aliter à quibuſdam explicatur, hoc modo; [" *Dicebant Abelani* quidem, *inprimis expoſiturum* te per legatos *quid peteres*, pri-" uſquam arma inferres: *ità* facilè hanc *rem tranſegiſſes*, dux magnifice.]) Quam " *tu* obſides *urbem Iſraëlitica* eſt, & populus quem oppugnas, cuíque perniciem " paras, Dei. *Ego* matrona *fidelis*, & alii mecum plurimi, *pacis* publicæ ſtudio-" ſiſſimi, periclitamur in communi hoc urbis diſcrimine. *Tibí*ne propoſitum eſt *hæ-*" *reditatem Dei peſſundare* ac diſſipare, nullâ nobis vel adventûs tui expoſitâ causâ, " vel pacis propoſitâ conditione? " *Abſit* verò, inquit *Joabus*, *abſit hoc ut à me fiat.* " *Sheba* quidam apud vos eſt, patriæ ſuæ fax & ſignifer ſeditionis. Is noſtris armis " petitur; is veſtris propugnatur mœnibus, & eximitur à pœna. *Is* modò *dedatur* " *unus* ad ſupplicium, *diſcedimus.* " Fiet quod vis, reſpondit mulier; ceſſent arma " interim: hominis mox præciſum *projectúm*que *de muris caput* accipies. Primores ergò urbis appellavit mulier ſagax, prudentiâque ſuâ & facundiâ effecit, ut *Shebæ* amputârint caput, projeceríntque de muris ad *Joabum*. Qui ut verum agnovit ſeditioſorum capitis caput, receptui cecinit, copias dimiſit, rediit ipſe *Hieroſolymas* ad regem, victoriam facilem ac penè incruentam reportans. *Amaſam Joabus* ſatìs eſſe compenſatum *Shebâ* credidit. Certè regem ea de re nullam inſtituiſſe quæſtionem, ac nè ullum feciſſe verbum legimus.

§ 22. Tres

§ 22. Tres jam annos deſævierat fames in *Iſraëlitide:* pertinaciáque mali Divinam arguebat vim, & naturâ majorem. Oraculum ergò Dei à *Davide* conſultum eſt, de cauſa, de remedio: reſponsúmque, "*Sauli causâ* id accidiſſe, *familiæque Sauli* "*ſanguinariæ*; ejus crudelitatem in *Gibeonitas* expiandam eſſe. *Gibeonitæ* gentium reliquiæ veterum in *Canaanæa*, quibus *Joſua* pepercerat; (*Joſ.*9.) ſed ut *Levitis* ſervirent atque ſacerdotibus, peragerêntque viliora quæque in Tabernaculo miniſteria, condemnaverat. Poſt annos ferè quadringentos, religioſus ille *Saulus* rex, *Joſuæ* pietatem ſuperaturus, zelo fertur neſcio quo; certè non Dei, ſed (ut 2 *Sam.* 21. 2. ſcribitur) *ſuo*, id eſt, fucato, ad fallendum faciendúmque populum. Eo *Gibeonitas*, participes eorundem ſacrorum jam atque miniſtros, funditus exſtirpare conatus eſt: cæſi aut fugati omnes, connivente ad tempus Deo. Homines verò innocentes, atque ſibi quodammodo ſacros, primitias gentium proſelytarum, tam crudeliter vexari, ferendum ulteriùs non cenſuit. Qui enim ſupererant, adhuc in exſilio agebant, abſcondebántve ſe, nondum ſuis reſtituti ſedibus. Hoc autem tempore potiſſimùm quæſtionem hanc inſtitui Deus volebat, quoniam hoc tempore confirmandum putavit ſtabiliendúmque *Davidi* regnum, quod perpetuum fore promiſerat; diminuendam ergò *Sauli* familiam, nè quis deinde ex ea progenie tantus exſiſteret, qui *Davidicos* regnantes interrumperet vel interpellaret. Cœlum igitur à Deo clauditur; terra ſiccitate ſterileſcit, debitáſque fruges negat; populus annonæ ſummâ difficultate graviter affligitur. Nam & ille faviſſe videtur *Saulo*, ejúſque facinus vel operâ ſuâ juviſſe, vel approbâſſe gaudio. Quare ſceleris ejuſdem conſcii, ejuſdem pœnæ participes fiunt. *Gibeonitæ* ſoli his mederi malis valent. *Gibeonitæ* igitur profugi abditíve quæruntur, rogantur *Gibeonitæ*, obſecrantúrque hominum deſpicatiſſimi, "ut propitii eſſe velint, ut *deprecari pro Iſraëlitis* flagrantem iram Dei, ut *Saulinæ* "crudelitatis quantamvis pœnam ſtatuere. Illi "cædem ſuorum *non auro argentóve* "redimendam ducunt, *nec Iſraëlitæ cujuſquam ſanguine.* Sed tamen, quia —*mors* "*morte pianda eſt*, regi ſolicitè petenti hanc pronunciavêre ſententiam, *Septem nobis* "*dedantur è Sauli* ſanguine, *quos in Gibea ſuſpendamus coram Deo.* Ità demum in-"dicetur noſtri ſanguinis clamori ſilentium. Septem itaque traditi ſunt à rege; filii duo *Sauli* è *Rizpa* concubina, & ex filia *Meraba*, ſorore *Michalis*, uxore *Adrielis*, nepotes quinque. *Jonathanis* gratiâ evaſit *Mephiboſethus*. Initio meſſis in monte ſuſpenſi, ad finem uſque pependerunt, donec eo pœnæ ſpectaculo placatus Deus, pluvias de cœlo demiſiſſet. Adeò gratæ Deo ſunt victimæ, ſcelerum, præcipuè cædium, pœnæ. At fixis adhuc patibulo corporibus, *Rizpa* materni amoris memorabile ſpecimen edidiſſe fertur. Saccum ſibi lugubre ſubſtravit in rupe ubi jaceret; perpetuóque adfuit pendentibus cuſtos, nequa aut volucris interdiu, aut noctu fera, roſtris corpora dentibúſve laniaret. Tandem *Sauli* reliquias & *Jonathanis* à *Jabeſhenſibus* repetiit rex, eáſque *Zelæ* in *Ciſhi* patris condidit ſepulchro; ubi ſuſpenſorum quoque corporum collecta ſunt humatáque oſſa. Ità conciliato Deo, unà cum pluviis priſtina terræ fœcunditas rediit, populo ex terra fruges, & uberiore omnium rerum copiâ levata eſt fames.

A.M. 2986.

Vindicta de *Sauli* liberis Deum ſimul placat & *Gibeonitas*.

Palæſtinorum in *Iſraëlitas* nondum defecerunt odia; & vires gigantum ſuppetebant adhuc, odiorum adminiſtræ. His maximè freti novum inferunt *Davidi* bellum, quem ſuorum ſeditionibus penè fractum ſibi ſpondebant. Acre commiſſum eſt prælium, & langueſcere cœpit debilior multò jam ingraveſcente ætate rex. Animadvertit *Iſbibenobus*, è gigantum natione, novóque accinctus gladio deficientem, & ſolum fortaſſe avulsúmque à ſuis, adortus, facilè confecturum ſe non dubitabat. Sed intervenit *Abiſhaius*, & gigantem occupavit parantem vim, atque interemit. Tantum cùm evaſiſſet periculum *David*, jurati ſanciverunt duces populúſque, nè deinceps prodiret in aciem. "Eo enim extincto, ſuæ gentis *lumen extinctum* iri. Alia deinde *Gobi* (loco *Gezeri* propinquo, 1 *Chron.* 20. 4.) cum *Palæſtinis* inita eſt pugna; ubi *Sibbechaius Huſhathæus Saphum*, ſive *Sippaium*, (1 *Chron.* 20. 4.) gigantem quoque, interfecit. Iterum *Gobi* præliatum eſt, ubi ab *Elhanane Bethleemita Goliathi* frater *Lahmi* (1 *Chron.* 20. 5.) eſt occiſus. Denique, *Gathi* cum iiſdem hoſtibus collata ſigna ſunt; ubi ſtaturâ immani gigas probris fœdiſſimis laceravit *Iſraëlitas*. In ſingulis ei manibus pedibúſque digiti excreverant ſex. Eum verò confecit *Jonathan*, *Davidis* ex fratre *Shimea*, ſive *Shamma*, nepos. Sic à minoribus longè victa cæsáque ſunt hominum illa monſtra. Tantum ingenti corporis moli eximia præſtat virtus, & peritia militaris rei.

Palæſtini à Davidicis ſæpius victi eodem tempore.

A.M. 2986.

Tres duces *Davidici* fortitudinis ſtupendæ.

Multi enim erant *Davidi*, bellicoſo regi, bellicoſi præſtantéſque virtute milites: adeò ſolent ſubditi plerumque, ad captandam gratiam, ſui ſtudia principis æmulari. Primæ fortitudinis habebantur tres; *Adino Hachmonis* filius *Eznita*, *Eleazer Dodonis* filius *Ahohita*, (1 *Chron.* 8, 4.) & *Shamma Ararites Agæ* filius. Secundi ordinis celebrabantur etiam tres; *Abiſhaius Joabi* frater, & *Benaia Jehoiadæ* viri bellicoſiſſimi filius, de *Chabzeële*. Tertii heroïs nomen in hoc ordine deſideratur. Minùs autem celebres, nec tam perſpectæ ſtrenuitatis viri, 2 *Sam.* 23. recenſentur 37; at 1 *Chron.* 11. multò plures, quorum ii fortaſſe inſigniores habebantur. *Adino* in cathedra ſedens, hoc eſt, unus è ſupremo regni concilio, fortiſſimus juxta & conſultiſſimus vir, omniúmque ducum ſupremus. *Junius Joſheb-baſſebet (Sedens in cathedra)* quaſi cognomen eſſe, primariúmque tribunorum, ſive primi agminis eum tribunum fuiſſe vult; alii, trium fortiſſimorum fortiſſimum atque primum. Is octingentos hoſtium uno cecîdit prælio. At 1 *Chron.* 11. trecenti modò memorantur, quos aliâ fortaſſe pugnâ interfecit; vel ſolos in hac vulneribus confecit, invaſit omnes atque ſubegit. *Eleazer*, cùm in agro quodam *Iſraëlitarum Palæſtini* eſſent ignem hordeo illaturi, fugientibus ſuis, agmen hoſtium ſolus ſuſtinuit, tantámque cædem edidit, ut nervorum ſtupore gladio adhæreſceret manus, clariſſimámque victoriam propitio Deo reportârit. Hoſtes autem victos à ſe fugatóſque, cùm deficerent fatigatæ manus, perſequendos ſuis ſpoliandóſque tradidit. Pari fortitudine ac felicitate *Shamma* ſolum ſe *Palæſtinorum* copiis objecit, & ab agro lentium pleno incendium hoſtile prohibuit. Egregiam is quoque victoriam Deo juvante, ſed fugientibus ſuis, aſſecutus eſt. Utrumque in eodem agro patratum facinus & eodem tempore videtur à *Shamma Eleazeré*que. (1 *Chron.* 11. 14.) Hi tres heroüm principes aderant *Davidi* ab initio, dum adhuc in ſpelunca latitabat *Adullam*. Contigit fortè cùm *Palæſtini* tenderent in campis *Rephaæis*, ut in propugnaculum *David* ſe reciperet, ubi aquam non ſatìs commodam gratámque reperit. Quare obiter inter ſuos optavit, "habere ſe *aquam Bethleëmiticam ex puteo ad portam*, cui ab ætate ineunte aſſue-"verat. Subaudierant optantem heroës quos memoravi tres. Conſpiratione igitur factâ, *Bethleëmum* proficiſcuntur, ubi ſtatio *Palæſtinorum* vias undique obſidebat. Illi tamen per caſtra hoſtium penetrârunt ad puteum, hauſerunt aquam, retulerúntque ad *Davidem*. Audax profectò facinus & temerarium, tanto ſe diſcrimini objicere ſuavioris tantùm aquæ gratiâ. Inſigne tamen ſpecimen fortitudinis. *David* hominum audaciam & fortitudinem admiratus, de aqua tamen tanto empta pretio recuſavit bibere. Sed in humum profudit quaſi Deo ſacram, ut gratias ageret, quòd viros ſibi tales dediſſet, eoſdémque tanto ex periculo vindicâſſet. Addidit ſimul verba hæc; *Abſit, mi Deus, procul abſit, ut ego hominum iſtorum ſanguinem bibam.* Sanguinem appellat aquam, tanto cum ſanguinis vitæque periculo comparatam. Jam verò ſecundi ordinis heroës, *Abiſhaius* trecentos hoſtium adortus, debellavit unus; *Benaia*, præter duos *Moabitas* homines ferociſſimos eodem certamine devictos, leonem quoque nivali tempore, quo maximè deſæviunt famelicæ feræ, colluctatus in puteo perdomuit. *Ægyptio* præterea quinque procero cubitos, baculo tantùm armatus, lanceam ingentem eripuit, ſuóque ipſum telo interemit. Ingenti fortitudinis laude, armatum inermis aggreſſus, ante pugnam vicit, ante necem ſpoliavit. Dignus ergò *Davidi* viſus eſt, quem cohortibus regiis præficeret.

Echeſtratus Spartanis imperat.

§ 23. Cùm *Agis* obiiſſet *Lacedæmonius*, *Echeſtratus* imperavit filius ann. 35. Quo regnante, *Cymirenſes* omnes qui militari eſſent ætate ſedibus ſuis expulerunt *Spartani*. Crimini datum eſt, quòd prædones ex agro *Cymiriaco*, ipſíque apertè *Cymirenſes*, populationibus *Argivorum* fines conſanguineorum ſuorum infeſtos redderent. Adeò proni *Spartani* erant ipſi ad deprædandos atque ſubigendos finitimos, ut id prædationum causâ, & aliorum gratiâ, verùm ſuo commodo, non rogati facerent. *Cymirenſes Argivis* atque *Lacedæmoniis* finitimi *Arcades*, *Cymiri* colonia, *Perſeo* geniti, habebantur. (*Pauſ. Lacon.*)

A.M. 2987.

David, rebus proſperis elatus nimiùm,

§ 24. Regem *Iſraëlitis* jam dederat Deus, qui ab omnibus hoſtium injuriis præſtabat incolumes. Et relevatâ nuper, quâ triennio laboraverant, fame, rerum omnium abundabant copiâ. Luxu ergò diffluere cœperunt, & ſecuri jam peccabant in Deum, quaſi penè inermem, conſumptâ ferè ſagittarum pœnalium pharetrâ. At præter bella & famem, aliæ Deo ſunt maleficia coërcendi rationes. Sed anſam libuit caſtigandi populum à peccato Principis arripere. Tantum intereſt ſubditorum, habere magiſtratus, atque reges inprimis, (imò & precibus id agere apud Deum, omnibúſque

nibúſque modis contendere ut habeant,) religioſos obſequentéſque præceptis Dei; non impios, ſceleribúſve provocantes in ſe populúmque ſuum Numinis vindictam. Neque enim *David* ipſe, optimus alioquin rex, ſatìs temperanter moderatéque tulit ſummam indulgentiam Dei, rerúmque proſperarum felicitatem. *A.M. 2987.*

Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores;

& in ſummo rerum faſtigio animum gerere ſubmiſſum. Cœpit ergò faſtu intumeſcere: cúmque in ſubditorum multitudine gloria ſit regis, quantum ſibi gloriari liceret in hac multitudine, ardebat ei animus cognoſcere. In mandatis igitur *Joabo* aliíſque ducibus dat, inſtigante Satanâ, (1 *Chron.* 21.1.) populum ut recenſeant univerſum. Facilè animadvertit *Joabus*, vanâ virium ſuarum oſtentatione regem ſuperbiùs elatum eſſe; omiſsámque pecuniam quæ in omni cenſu viritim erat conferenda in Sanctuarium, nè quâ plagâ populus afficeretur à Deo. (*Exod.* 30.12.) Itaque regem monere paucis, & ab inſtituto temerario revocare conatus eſt. "Illuſtriſſime, inquit, rex,

"*Sæpe etiam ſtulti ſatìs opportuna loquuntur.*

"Liceat mihi, obſecro, homini militari, non tam officii monere te, (nam, *Conſilii ſatìs eſt in te tibi,*——) quàm ſtupiditatem prodere ac profiteri meam, qui conſilii tui rationem non capio. *Quotcunque* demum ii *ſunt* quos numerari vis, *utinam centuplò tibi* viventi *videntí*que *augeat hunc numerum Deus. Quotcunque* verò illi *ſunt*, tui profectò *ſubditi ſunt* fideliſſimi. Nullum in iis nomen eſt, quod tibi non obſequatur libentiſſimé. Quid ergò cenſu eſt opus? Nam qui tui ſubditi, populus iidem ſunt Dei, tuæ cœlitus fidei tantùm commendatus. Deo igitur inconſulto, nullâque flagitante graviore causâ, cenſum agere, cúmque populum redigere in numerum, quem innumerabilem fore prædixit promiſítque Deus, (1 *Chron.* 27.23.) vereor ut probaturus id ſit ſupremus populi Dominus. Prudentiæ tuæ non eſt, pacatum propitiúmque Numen provocare ad pœnam, nè ab eodem offenſo, clade aliquâ immiſsâ popularíve morbo, diminuatur is numerus, quem tantopere tu expetis cognoſcere. Hæc *Joabo* ——— *aut his non inferiora locuto*, indignum *Davidi* viſum eſt, temeritatis cujuſdam reprehendi ſe ab homine nec optimo, nec prudentiſſimo; & ſuum conſilium corrigi, negligi mandatum. Quò ergò magìs ille cum ſuis obſtrepuit, eò pertinacior in propoſito rex, ——— *& ab obice ſævior ibat.* Et, "Quid hoc monſtri eſt? inquit. An & *Joabus* inter Prophetas? Quis te mihi Videntem conſtituit? Non eſt meæ, inquis, prudentiæ Deum irritare: nec tuæ, inquam ego, eſt obſervantiæ fideíque, regem. Satìs tibi ſit, imperâſſe me: "———*Stet pro ratione voluntas.* Tuum eſt, mandata exſequi; eadem præſtare ut juſta piáque ſint, (nè tu ſis ſolicitus,) meum. Cùm ergò tenacem duces perſpicerent ſui propoſiti regem, obloquente fruſtrà *Joabo*, ad iter accingebant ſe. Cúmque omnem regionem deſcripſiſſent ultra *Jordanem*; alteram citra fluvium, à *Dane* limite Boreali ad *Beerſhebam* uſque meridionalem terminum, peragrârunt. Poſt menſes novem & viginti dies, ſummam detulerunt ad regem. Ex *Iſraëlitis* centena undecies millia, 1 *Chron.* 21. 5. quadringenta verò & ſeptuaginta millia *Judæorum* recenſentur. At 2 *Sam.* 24. 9. non niſi octingenties mille *Iſraëlitarum* numerantur, quingenties verò *Judæorum*, numero completo, ac fortaſſe additis *Hieroſolymarum* civibus. Trecenta millia *Iſraëlitarum* quæ in *Chronicis* adduntur octingentis 2 *Samuelis*, *Hebræi* nonnulli *Juniúſ*que volunt ex legionibus ordinariis confici (1 *Chron.* 27.1,&c.) ac ducibus earundem, quæ deſcriptæ jampridem & in numerato habebantur, ut cenſu non egerent novo. *P. Martyr* & alii, ut centena fiant undecies millia, cohortes addi regias volunt, civéſque *Hieroſolymarum*, & *Benjaminiticam Leviticám*que tribum. At in *Chronicis* perſpicuè traditur, in ea ſumma quam *Joabus* ad regem detulit, *Levitas* atque *Benjaminitas* non fuiſſe numeratos. Eos de induſtria omiſerat, quaſi in propinquo ſitos, faciléque numerandos; ſed revera, quia minimè probabat rem. Neque in his tot millibus pueri aut adoleſcentes, fœminæ decrepitíve ſenes numerati ſunt; ſed viri tantùm militares, armíſque gerendis idonei. Ità *David* à ſua libidine incitatus eſt, quam accenderat ei Diabolus; libido autem ubi concepit, grande peccatum peperit, quo Deus graviter offenſus eſt. Animadvertit ipſe *David* ſuum, ubi peractum eſt, ſcelus, doluítque vehementer.

jubet ſubditos numerari:

Hic ſolet eventus facta nefanda ſequi.

A.M. 2987. Et iram Dei quantum potuit deprecatus eſt; avertere tamen non valuit, quin populum corriperet, & in populo ſuo puniret principem. Nam & populus Deo pœnas debuit, tum propter alia peccata, tum hac ipſa in re, quòd ſit paſſus numerari ſe, non contributâ in uſum Tabernaculi pecuniâ. Miſſus ergò ad regem Propheta *Gaddus*, (*Davidis* appellabant *Videntem*,) qui verbis Dei optionem ei faceret, ut "*è tribus* malis quod mallet *eligeret*; *aut annorum trium famem*, (præter famem præteritam, annúmque præſentem, quo illud ſeptennium ſit 2 *Sam.* 24. 13.) "*aut fugam* "*trium menſium hoſte perſequente*, *aut trium* denique *dierum peſtem*. *David* "*in maximas* reſpondit *anguſtias* conjectum ſe, cui mala tantùm undique obverſarentur. "Cùm autem unum ex iis neceſſariò ſibi eligendum atque perferendum eſſet, optare "ſe, ut *in Dei manus incidat*, *cujus clementiam* eſſet *ſummam* expertus; *ad hominum* "*verò* inhumanitatem *nè adigatur*. Deo igitur autore, ſed Angelo miniſtro, peſtis per omnem regionem graſſata eſt, milliáque hominum ſeptuaginta ſuſtulit. *Hieroſolymas* uſque perventum erat, cùm populi miſertus, & ſatis pœnarum dediſſe jampridem ratus, Angelum à cæde revocavit mitiſſimus Deus. Angelum verò impendentem *Hieroſolymis* ſtricto armatum gladio conſpexit ipſe rex, maximóque terrore perculſus atque debilitatus eſt. Conſpexerunt & primores populi, qui *Davidi* aderant ſacco induti, luctûs & pœnitentiæ habitu, exanimatíque cœleſti ſpectaculo, proni omnes in terram unà cum rege conciderunt. Conſpexit *Arauna* quoque, ſive *Ornan*, *Jebuſæus*, cum filiis quatuor, ſuæ imminentem areæ, dum purgabant triticum, territíque abdiderunt ſe. *David*, ubi ex timore collegit animos, deprecari cœpit populi cædem, &, "Miſerere, inquit, miſerere, *mi Deus*, & populo meo, "vel *tuo* potiùs *populo* parce. Quòd *numeratus ſit*, *meo mandato*, meo eſt peccato "factum.

indéque in populo pœnas luit.

Reſipiſcenti ignoſcit Deus.

"*Me*, *me*; *adſum qui feci*; *in me convertito ferrum*;

"*& in mei patris familiam*, ſi ego non ſufficio unus in pœnam. *Ego* paſtor *admiſi* "*culpam*, noxam paſtor commeritus ſum. Vos *verò* meæ

"*Quid meruiſtis oves*, *placidum pecus?* ——

Ità conquerentem precantémque exaudivit Deus. Itaque miſſus ab Angelo eſt Propheta *Gaddus* ad regem cum mandatis, ut in *Araunæ* area conſtrueret aram, ſacráque faceret Deo. Prophetæ paruit rex. Advenienti occurrit *Arauna*, & humillimâ veneratione accepit. Cúmque adventûs cauſam didiciſſet, regiâ planè munificentiâ, & aream ubi altare conderet, & boves quas immolaret, & plauſtra inſtrumentáque ruſtica pro ligno, frumentum denique ad libamen, magnificè dono ſe regi daturum pollicebatur. Sed minimè accepturum ſe, reſpondit *David*, *neque gratìs* alieníſque ſumptibus *facturum ſacra Deo*. Aream ergò & boves argenti ſiclis emit quinquaginta; reliqua, opinor, loca, ad Templum ædificandum idonea, ſiclis auri ſexcentis. (1 *Chron.* 21. 25.) Holocauſta deinde oblata ſunt, & ſacra Euchariſtica. Holocauſta verò quæ abſumeret, dum precabatur *David*, de cœlo flamma delapſa eſt. Ità demum ſedata eſt exitialis & ira Numinis, & morbi vis.

A.M. 2988. § 25. Mandato Angeli de ſacris in *Araunæ* area faciendis, non in Tabernaculo veteri aut novo, & deſcendente in holocauſta igne de cœlo, facilè animadvertit *David*, eum eſſe locum ſtato cultui deſtinatum à Deo, (*Deut.* 12. 5, &c.) illic Templum eſſe conſtruendum. Per omnem ergò *Iſraëlitidem* conduxit peregrinos, & inſtituit qui lapides huic operi cæderent ac polirent. Ipſe ferrum & æs, lignúmque cedrinum, quod *Sidonii* atque *Tyrii* afferebant, abunde cumulavit. Ædificium quippe Templi *Jehovæ* conſecrandi magnificentiſſimum oportebat eſſe, omniúmque gentium famâ nobilitandum: cui perficiendo nondum videbatur *Solomonis* adoleſcentia par. Omnia ergò ſibi *David* viventi adhuc præparanda cenſuit, quò graviſſimum *Solomoni* minueret onus. Eidem præcepta mox ea de re tradidit, monuítque, "id *in animo* "*habuiſſe* quidem *ſe*, *ut* Templum *conderet*: vetuiſſe verò Deum nè ſuſciperet, præ"cipuè propter tot ab eo cædes editas, tantúmque in *bellis fuſum ſanguinis* humani. "Sed *futurum illi Solomonem filium*, *quietum & pacificum*, ipſo id *nomine* promittente; "*eum* ſacram *ſuo nomini ædem* dedicaturum; *eum* pro *filio* habiturum *ſe*, *paternó*que "amore complexurum; *ei ſolium ſe* daturum ejúſque poſteris *æternum*, pollicitus.

In teſtimonium gratitudinis, Templo ædificando parat neceſſaria;

"*Tu*

"*Tu* ergò, *fili mi*, inquit *David*, *propitio Numine*, fac ratum id ſit *quod de te prædixit* "*Deus*. Idem *tibi*, oro, *prudentiam det*, *mandata* ejus *à Moſe tradita ut obſerves* om- "nia. *Itá* demum *proſperè acturus es* feliciſſiméque. Vide igitur *forti animo erectó-* "*que* ut *ſis*, rerum humanarum *pertimeſcas nihil*. Ecce autem, *in meis ego* tot bel- "lorum atque moleſtiarum *difficultatibus*, ad hanc tamen ſtructuram, *auri talenta* "*centies paravi mille*, *decies* verò *centies argenti* ; immenſum *æris ferrique pondus*, "præter *lignum & lapides*. *Quibus additamento* erit opus fortaſſe *tuo*. *Adſunt tibi* "*& opifices abunde*, *fabri lapidarii lignariique* ; *omnium quoque generum artifices peri-* "*tiſſimi*. *Agedum ergò*, fili mi, *Jehovâ propitio* maximum *hoc opus aggredere*. Principibus deinde *Iſraëlitarum* præcepit rex, ut "omni ope operâque ſuâ *juvarent Solo-* "*monem* in hoc opere. Cùm enim *illis Jehova* hoſtes *undique* omnes *ſubegiſſet*, *pa-* "*cémque dediſſet* & pingue otium ; par eſſe aiebat, ut illi gratis *animis* obſequeren- "tur Dei mandatis, *domúm*que *ſacram ædificarent*, ubi *Arca Divini fœderis* poſt multas peregrinationes conquieſceret.

A.M. 2988.

Iſraëlitarum David rex, præparatis à ſe, quantum fieri potuit, omnibus quæ ad Templi molitionem videbantur conducere, de cultu Dei ſolicitus jam, cujus præcipuè gratiâ Templum erat conſtituendum, coram principibus numerari *Levitas* jubet, ab anno ætatis triceſimo, ex Lege *Moſis*. (*Num*. 4.3, 23, 30.) In hoc cenſu reperta ſunt triginta octo millia. E quibus vicies quater mille conſtituti ſunt ut operi præeſſent domûs Dei ; &, eo perfecto, ſacerdotibus in Templo cultúque Divino miniſtrarent: moderatorum & judicum ſex millia, quatuor cantorum, janitorum quatuor inſtituit. Miniſtri ſacerdotum *Levitæ*, cantores, janitoréſque, per vices, viginti quatuor hebdomadatim ſuis muneribus fungebantur ; nè diutiùs in Templo morari, & à ſuis ædibus familiiſque abeſſe, cogerentur. Cantorum erat, voce inſtrumentiſque muſicis, omnium præter tubas generum, magnificas Dei laudes concelebrare in ſacris quotidianis atque Sabbatis, aliiſque feſtivitatibus. *Aſaphus*, *Heman* & *Jeduthun*, qui & *Ethan* dicitur 1 *Chronic*. 6. 44. reliquis præerant, ex tribus *Levitarum* primis familiis oriundi ; ex *Cohatho Heman*, ex *Gerſono Aſaphus*, ex *Merare Jeduthun*. Horum verò filii, quatuor *Aſaphi*, *Jeduthunis* verò ſex, & quatuordecim *Hemanis*, claſſium erant viginti quatuor principes. Sed & ſingulis cantorum claſſibus ſorte diſtributis doctores aderant duodecim. Tubis autem ſolis ſolorum erat ſacerdotum clangere, non *Levitarum*. Janitorum quotidie ad portam Orientalem ſeni excubabant, ad Septentrionalem quaterni, quaterni ad Meridiem ; ad ærarium, qui portam veſtibuli exteriorem atque interiorem obſervarent, bini ; in Occidente ad aggerem quaterni, ad partem exteriorem bini. Ipſi etiam ſacerdotes à *Davide*, quò faciliùs perfungerentur ſuis muneribus, in vices erant viginti quatuor ſorte diſtributi: quarum ſexdecim tenuerunt poſteri *Eleazaris*, filii *Aaronis* natu majoris ; poſteri autem *Ithamaris*, filii minoris, octo. Duplò enim plures ab *Eleazare* quàm ab *Ithamare* ſupererant familiæ. Poſtea *David*, ſecundis cogitationibus, cùm perpenderet affixum loco certo jam eſſe cultum Dei, neque Tabernaculum ſacráſve res *Levitarum* eſſe humeris ampliùs deportandas atque circumferendas, quod virium erat opus majorum, ad reliqua verò munia etiam juvenes ſufficere, numerari deinceps & miniſtrare *Levitas* voluit ab anno ætatis vigeſimo. Denique, *Levitarum* dixi ſexies mille judiciis præfectos à *Davide* ; alios quidem ultra *Jordanem*, alios verò citra ; & hos partim in tractu Orientali, fluvio propiores, partim in Occidentali verſus Mediterraneum mare. His non erat opus diſtributione in claſſes, cùm ad miniſteria Templi non accederent, ſed, per omnem diſperſi regionem, in controverſiis ceremonialibus præcipuè ac minoribus jus dicerent. Hæc autem à *Davide* conſtituta ſunt, monentibus à Deo Prophetis *Gaddo Nathanéque*. (2 *Chron*. 23. &c.)

& cultum Dei ſtato modo celebrandum curat.

A.M. 2990.

§ 26. Annus ætatis *Davidi* jam ſeptuageſimus agebatur, cùm ſenectus gravior corpori attrito laboribus non modò viriditatem, ſed omnem penè calorem abſtulerat. Nullæ veſtium accumulatarum lanæ, lectorúmve molles plumæ, arcebant importunum frigus. Medicis monentibus, *Abiſhaga Shunammitis* adducta eſt, adoleſcentula ſucci plena & admodum pulchra, quâ refocillaret ſe, calefieretque exſuccus ſenex. Eâ igitur miniſtrâ uſus eſt & concubinâ, caloris tantùm gratiâ, non & Veneris. *Adonias*, filiorum *Davidis* jam natu maximus, patris debilitate admonente admoventéque ſtimulos, de regno protinus occupando, & præripiendo *Solomoni*, ut naturâ ſibi debito, cogitabat. Spectabili ſanè formâ vir, & *Abſalomo* ſpecie penè par, nec ambitione diſpar. Currum ſibi & equites, & qui aſſectarentur currum

Davide adhuc in vivis, *Adonias* regnum ambit ;

pedites

A.M. 2990. pedites quinquaginta, regium planè ſatellitium, *Abſalomico* more inſtituit. Neque facilis pater, quanquam hæc palàm & apertè fierent, vel reprehenſione molli ægre faciendum filio putavit: quam lenitatem graviter jampridem in *Abſalomo* luerat. Creſcente indies regnandi libidine, impatiens moræ *Adonias*, cum *Joabo* exercituum duce & *Abiathare* Pontifice conſilia contulit, conſpirationémque iniit. Sacra deinde conviviúmque inſtituit magnificum: liberos eò regios, præter unum *Solomonem* rivalem ſuum, vocavit omnes, *Judæorúm*que primariorum plurimos, cum præfecto militum Pontificéque; ut his quaſi autoribus titulum autoritatémque regiam publicâ præconis voce arrogaret. Ad lapidem *Zoheletbum* prope fontem *Rogelis* extra urbem agebantur hæc; de quibus fama mox ad *Nathanem* delata eſt Prophetam. Is *Bathſebam* convenit, amicéque monet, maturè ut ſibi filióque ſuo *Solomoni* in extremo diſcrimine verſantibus proſpiciat. Docet quæ ab *Adonia* fiant, quid illi faciendum ſit, quibúſque verbis compellandus ab ea ſit *David*: pollicitus mox adfuturum & ſe, ut regem ea de re certum faciat. Ingreſſa thalamum *Bathſeba*, & venerata humillimè regem, veniâ quod voluit dicendi datâ, ità ob quod venerat elocuta eſt. " Liceat mihi, ſereniſſime rex, in memoriam tibi revocare id quod *an-* "*cillæ tuæ* promiſiſti *juratus*, *tibi* fatis concedenti *ſucceſſurum in regno Solomonem. At* "*verò jam Adonias* arripuit *ſceptrum*, *inſcio te.* Inſtitutis enim quibus inauguretur "ſacris, convivio lautiſſimo reliquos fratres *accipit*, *& Joabum militiæ præfectum*, "*pontificémque Abiatharem.* Unum præterit *Solomonem*. *In te*, *mi Domine*, *Iſraë-* "*litarum oculi* conjiciuntur *omnium* ſuſpenſi, ut futurum ſibi principem deſignes. " *Alioquin*, *moriente aliquando te*, in certum nos vitæ periculum *ego filiúſque meus*, " quaſi *perduellionis rei*, præcipitabimur. Nondum *Bathſeba* deſierat, *Nathan* adeſt, eadémque narrat de *Adonia*; " inaugurationis ab eo convivium celebrari, *vocatiſ-* "que plurimis, *Zadocum & ſe* negligi, præfectúmque ſatellitum *Benaiam*, & unum "ex regiis liberis *Solomonem*. *Hæccine* verò, inquit, tuâ *regis autoritate fiunt*, an "conſpiratione clancularîâ? *Neque* enim *ſervo tuo*, mi domine, mihi vel hac de "re quicquam, vel de alio tibi deſignato ſucceſſore, *indicâſti.* Revocatâ *Bathſebâ*, *David* iterum *Jehovâ* teſte jurat, " ratum *hodie facturum ſe quod* antehac *de ſuc-* "*ceſſione Solomonis juraverat.* Vocatis ergò ad ſe *Nathani*, *Zadoco* ſacerdoti & præfecto cohortis prætoriæ *Benaiæ* imperavit, ut " *Solomonem* regiæ *mulæ inſidentem ad* " fontem *Gihonem deducerent*, inter *Sionem Hieroſolymáſ*que medium; ut aſſectarentur ſatellites regii, *Zadocus & Nathan inungerent*, univerſi *clangentibus tubis* ore " uno regem conſalutarent; denique, ut reducerent, & *in ſuo* collocarent *ſolio.* Non erat neceſſarius hic ungendi mos, quo regii hæredes uterentur, niſi propter adverſam rivalémque factionem. Ità *Solomon Adoniæ* causâ, & *Athaliæ Joaſus* (2 *Reg.* 11. 12.) unctus eſt: primus *Jehu* ſuæ familiæ, quemadmodum *Saulus* & *David*. *Davidi*, cùm hæc imperâſſet, unus omnium vice reſpondit *Benaia*, " *Amen: ità fax-* "*it domini Davidis Deus.* Quandoquidem ità patri viſum eſt, precabimur & " nos, Vivat vigeátque *Solomon* rex, *propitio illi non minùs quàm Davidi Jehovâ:* " illuſtriſſimóque *ſolio* patris, *illuſtrius* filio *ſolium det.* Hæc ergò dum fierent quæ mandaverat ad *Gihonem David*, confluebat undique populus, clangentibúſque tubis acclamabat, *Vivat*, *vivat Solomon rex:* maximo indè triumpho, tibiis etiam conſonantibus, ad ſolium aſcendentem proſecuti ſunt. Longè latéque ſtrepitus & clamor exauditus, convivarum *Adoniæ*, peractis jam epulis, pulſabat aures. Mirantibus quid eſſet novæ rei, *Joabo* inprimis tubarum clangorem non ſuarum admirante exhorrentéque, *Abiatharis* filius *Jonathan* intervenit. A viro bono bonum exſpectabat nuncium *Adonias*. Ille ut res erat narrabat omnia: " ut ex *Davidis* mandato "*Solomon eſſet inauguratus rex*; ut populus fauſtis acclamationibus *intonuerit*, de- " duxerítque omnis *in ſolium*; ut aulici *nomen ei auguſtius quàm erat* auguſtiſſimum " patris, *ſoliúmque magnificentius* apprecati ſint, quod *incurvando ſe* adorandóque ap- " probare ſit viſus pater; ut ipſe *David* gratias *Deo* egerit, *qui ſibi* viventi *videnti-* " que *ſedentem in ſolio ſuo* ſucceſſorem filium dediſſet. Hoc *Jonathanis* nuncio, vero magìs quàm grato, perculſi omnes ac territi convivæ, ſuam quiſque domum tacitè dilapſus eſt. *Adonias* ipſe, depoſitâ quam modò imbiberat regni ſpe, de vita jam ſolicitus, ſupplex ad altaris confugit aſylum, & mortem à *Solomone* deprecatus eſt, obſequium pollicitus. Reſpondit *Solomon*, " vitam ſe præteritáſque offenſas " condonaturum; (reverentiæ patris, opinor, gratiâ, nè, nati funere, parentis plùs nimiò indulgentis fatum præcipitaret.) Sed monuit ſimul, ut " ſibi caveret in po- " ſterum.

Solomon adipiſcitur.

" ſterum. Nullam ſe ampliùs huic ſceleri gratiam factūrum. Ab aſylo igitur perductus ad *Solomonem*, à *Solomone*, poſtquam adoraviſſet regem, in ſuam eſt remiſſus domum. (1 *Reg.* 1.) *A. M.* 2990.

Morti jam proximus *David*, filium primò regémque novum præceptis *Solomonem* 2991.
inſtruit: &, " Ego, mi fili, poſtremum, inquit, *jam* humano more *ſum profecturus* " *iter. Tu ergò*, derelictus à me, vide ut *fortem &*, in quem adoleſcis, *virum te præ-* " *beas.* Vide ut ea præſtes omnia quæ per *Moſen* à *Deo mandata* ſunt, *ut proſperè* " *tibi* ac feliciter *ſuccedant omnia*; útque *ſua mihi præſtet promiſſa Deus*, *nunquam de-* " *futuros è meis* poſteris *qui ſceptrum teneant Iſraëliticum*, & populo Dei præſint, " *modò ipſi* Deo *integrâ fide obſequantur. Præterea*, *non te latet*, *quantum in me* ſuâ " contumaciâ, *quantum* ſcelus *in Abnerum Amasámque* ſuâ perfidiâ *Joabus*, & nefa- " rio admiſerit parricidio. *Tu igitur pro tua prudentia vide quid agendum ſit*, *nè* ho- " minis cruenti *ſenectus* incruenta *deſcendat in ſepulchrum. Barzillaii verò liberis* " eam *benignitatem* ſolve quam de me optimè ſunt meriti; *tuam ad menſam* ut *con-* " *viventur*, qui menſam meam temporibus *Abſalomi* cibis lautitiiſque onerârunt. Nec " *Shimeii* obliviſcere *maledici*, *qui* fugientem *Hieroſolymis* tot *me convitiis* petulantiſſi- " mè laceravit. *Ego* quidem incolumitatis ei fidem dedi, ac teſte promiſi *Deo*, cùm " redeunti *mihi* ferè primus *occurriſſet*, ac ſuppliciter deprecatus fuiſſet vindictam, " *non eum à me interfectum iri. Tu* verò *ut tibi videbitur fac*, ut *capite cano* luat " calumniatricis linguæ ſcelus, ipſo exemplo damnoſum tibi poſteríſque futu- " rum, ſi modò evadat impune. Hæc ad *Solomonem David.* Deinde ad præfectos omnes tribuum, legionúmque ordinariarum, & ſubſtantiæ regiæ pecuariæque rei, cum tribunis atque centurionibus, ad liberos etiam regios aulicóſque, & valentiſſimos quoſque virorum fortium, levatus paululùm è cubito, & in pedes erectus, ut potuit, hanc habuit orationem. " *Fratres* dilecti *populéque mi*, pauca *mihi* apud " vos dicenti *aurium* pauliſper *operam* hanc fortaſſe poſtremam *date. Erat mihi* qui- " dem *in animo* jamdiu Templum *conſtituere*, quod eſſet *fixum Arcæ Divinæ domicili-* " *um*, *atque ſcabellum pedibus Dei noſtri*; omnémque materiam tanto idoneam *ædificio* " jam antè *comparabam. Sed* prohibuit *Deus me*, *utpote hominem* plurimo *bellorum* " *ſanguine* reſperſum, etſi non pollutum, *ſuæ domui* manum admoliri. Regis pa- " cifici opus id & quieti futurum dixit. Cùm autem *Deus ad ſceptrum* hoc *Iſraëli-* " *tici* populi *gerendum*, reliquis omnibus tribum *Judæ prætulerit*, *ex* omnibus *Judæ-* " *orum familiis patris Jeſſaii meam*, *ex* omnibus *Jeſſaii filiis me*, *ex meis denique om-* " *nibus* (*plurimi* cùm ſint) *Solomonem*; *Solomonem* conſtituit qui *ſibi* templum *con-* " *ſtrueret*, pollicitus *eum ſibi filium*, *ei ſe patrem fore*, *ſoliúmque illi*, *præceptis Dei* per- " petuò & *conſtanter obſequenti*, *perpetuum* & conſtans *daturum. Quare* inprimis " obteſtor vos, dilectiſſimi fratres, *coram* Omnipotente, qui videt *audit*que nos, *Deo*, " populi*que Dei cœtu* hoc *univerſo*, ut *præcepta Domini Dei*que *veſtri exquiratis obſer-* " *vetíſque*, *ut beatiſſimam terram hanc*, eâ lege datam, *teneatis*, *veſtrique* teneant *hæ-* " *reditario jure nepotes in æternum.* Eadémque *te* iterum atque iterum moneo, *fili* " *mi Solomon*, *Deum* ut diſcas, ut *noſcas*, ut *colas* meum, ſummâ fide, *animó*que *volenti* " *ac ſincero*; *quippe* unicum *ſcrutatorem* intimorum *ſenſuum & cogitationum*; *qui tibi* " *quærenti ſe* ſemper adfuturus eſt, *deſerentem verò derelicturus in æternum.* Cúmque " *te ædificando* ſibi Templo *præfecerit*, *vide ut hoc agas pro viribus*, huic operi ſedulò & " ſtrenuè incumbas. Iſta præfatus *David*, deſcriptionem totius ſtructuræ, omniúmque domiciliorum, à Deo ſibi traditam ejus dictante Spiritu, tradidit *Solomoni*; ordines quoque tradidit ac vices *Levitarum* atque ſacerdotum, & miniſteria cujuſque ordinis; vaſáque ad miniſtrationem & inſtrumenta ſacra, ut fieri deberent, docuit omnium generum. Denique, aurum & argentum tradidit juſto pondere, quo inſtrumenta ſacra vaſáque ſingula conficerentur aurea argenteáque. Tum verò *Solomonem* verbis iterum confirmavit incitavítque, " *magno* ut *animo* & invicto aggrede- " retur hoc magnum opus. *Nè* quid rei difficultas & magnitudo aliúſve *metus per-* " *terreret. Dominum quippe Deum*, *Deum ſuum*, *ei* perpetuò *adfuturum*, *neque de-* " *ſerturum* unquam, *donec* Divinum hoc *abſolviſſet opus.* Ad minuendam verò difficultatis illi opinionem, terrorémque immenſi operis, " *Levitas* omnes *ſacerdotéſque* " monuit auxilio *adfuturos*, *peritiſſimóſque artifices* ſpontaneam operam navaturos, " *populum* denique *univerſum principéſque dicto illi audientes fore.* (1 *Chron.* 28.) Ad populum deinde converſus à rege, " Videtis, inquit, quàm *juvenili ætate Solomon ſit*, " *imparíque tantæ operis moli*; *quem unicum* tamen *Deus* huic & operi & regno *præ-* " *fecit.*

Hunc, & proceres populúmque, *David* moriturus præceptis imbuit.

A.M. 2991.

"*fecit. Palatium nempe* conſtituendum *eſt non mortalium cuiquam, ſed* rerum omnium *Domino* glorioſiſſimo *Deo. Ac præparata ſunt à me, pro meo virili, aurum, argentum & æs, ferrum lignúmque; lapides quoque verſicolores & ſplendidi ad ornatum, pretioſíque omnium generum, & marmorei copioſè. Cúmque ardore* quodam ſacro *ad* exſtruendam *Dei mei domum concitarer, præter ea quæ* ex hoſtium collecta ſunt manubiis, *ex meo peculio privatâque re, auri talenta Ophirani ter mille contuli, ad obducendos* ſacræ *domûs parietes, & argenti purgatiſſimi ſepties mille.* Quòd ſi quis veſtrûm eodem ſtudio fertur gloriæ Divinæ propagandæ, ſpontaneâ contributione fidem populo faciat ſuæ pietatis, & gratiam ineat apud Omnipotentem, plura majoráque mox redonaturum, Deum." Ubi hæc *David* locutus eſt, principes præfectíque omnes, tribuni, centuriones aulicíque, rationes inter ſe contulerunt, ultróque obtulerunt ad hoc ſacrum opus quinquies mille auri talenta, drachmarúmque myriadem, argenti verò decies mille, octodecies æris, ferri centies. Sed & lapides pretioſi, quibuſcunque aderant, eòdem collati ſunt. Populi munificentia hæc incredibilem *Davidi* lætitiam atque voluptatem attulit; ipſéque populus gaudio exſultabat mirifico, ex facti Deo gratiſſimi conſcientia. Maximas ergò *David* magnificentiſſimo Numini, rerúmque omnium præpotenti, gratias egit, quòd "tantas populo ſuo dediſſet opes *ut poſſent*, taléſque animos ut vellent ei *de ſuis* gratificari, & illa tam libenter & alacriter offerre Deo, quæ *à Deo accepiſſent omnia.* Eandem populo ſuo gratitudinem & pietatem perpetuam ut faceret comprecatus eſt; útque *Solomonem* ſuo Spiritu ageret, *ad obtemperandum legibus* Divinis omnibus, *ædificandámque* ritè *domum* hanc, *cujus erat à ſe materia præparata.*" Deinde populus, præcipiente *Davide*, benedixit *Jehovæ* majorum ſuorum Deo, corporibúſque flexis Deum & regem veneratus eſt. Poſtridie holocauſta immolata ſunt juvenci mille, totidem arietes & agni cum libaminibus; aliáque ſacrificia obtulerunt abunde pro populo univerſo. Et convivati ſunt ſumma cum hilaritate coram *Jehova*, poſtquam unxiſſent denuo *Solomonem* Regem, Pontificémque *Zadocum*, abdicato *Abiathare*, qui cum *Adonia* conſpiraverat. Principes deinde, viríque fortitudine inſignes, filiíque cæteri *Davidis*, ſolio *Jehovæ* inſidenti *Solomoni* fidem & obſequium porrectis manibus pacti ſunt.

Mors ejuſdem & ſepultura.

§ 27. Moriturus jam *David*, poſtquam regem Deo *Solomonem* precibus commendaviſſet *Pſalmo* 72. verba hæc poſtrema fertur ediſiſſe, (*Jacobum Gen.* 49. & *Moſen Deut.* 32. & 33. imitatus:) *Dixit Jeſſaii filius David, dixit qui in altum ſublatus eſt Chriſtus Dei Jacobi, ſuavisque Pſaltes Iſraëlis: Per me ſpiritus Domini effatus eſt, ejúſque mihi verbum eſt in ore. Deus Iſraëlis* ità *locutus eſt,* ità *mihi elocuta eſt Iſraëlis rupes: Qui dominatur in homines, æquus eſto, Deúmque timens imperet. Ità futurus ut matutina Sole oriente lux,* claro *ſine nubibus manè; ut tenera è terra in ſudo poſt nubila effloreſcit herba. Talis utcunque mea non ſit erga Deum domus; tamen fœdus mecum pepigit æternum,* ità *omni modo conſtitutum,* ut *ſtabile certúmque* ſit. *Hæc ſalus mea, deſiderium* eſt hoc, *etſi non faciat ut germinet* Deus. *Verùm ut ſpinæ reprobi ſuccidentur, quia non capiuntur manu: ſed qui attrectabit, ferro & haſtili muniendus eſt.* Succiſæ igitur *igne prorſus in eodem ſuccendentur loco.* Hæc prolocutus, & ſenio jam planè confectus, placidè quaſi ſomno quodam ſolutus exſpiravit religioſiſſimus atque bellicoſiſſimus omnium apud *Iſraëlitas* rex, vitæ ſatur gloriæque. Ejus geſta conſcripſerunt *Samuel* Propheta quoad ipſe vixit, *Gaddus* & *Nathan* poſt obitum *Samuelis*; in iis, opinor, duobus Libris qui *Samuelis* nomini tribuuntur. (1 *Chron.* 29. 29.) Septennio *Hebrone* menséſque regnavit ſex, triginta & tres annos *Hieroſolymis.* (2 *Sam.* 5. 5. & 1 *Chron.* 3. 4.) Etſi 1 *Reg.* 2. 11. & 1 *Chron.* 29. 27. anni tantùm quadraginta numerentur; ſex menſibus vel primo *Solomonis* regno datis, vel præteritis fortaſſe ut minoris momenti numero. De *Davidis* ſepultura, etſi mihi admodum ſuſpecta ſint quæ *Joſephus* narrare ſolet præter Sacram Scripturam, audiamus tamen quæ tradit, (Antiquit. l. 7. in calce.) *Solomon ejus filius magnificè Hieroſolymis Davidem ſepelivit; præter ſolennia in regum funeribus uſitata, illatis etiam in monumentum divitiis maximis, quarum magnitudinem conjiciat quis facilè ex his quæ jam dicturi ſumus. Nam, poſt annos mille trecentos, Hircanus Pontifex ab Antiocho oppugnatus, pecuniam daturus ut obſidionem ſolveret, apertâ cellâ monumenti Davidis, & prolatis indè tribus talentorum millibus, eorúmque parte Antiocho numeratâ, periculo liberatus eſt. Iterum rex Herodes poſt annos complures cùm aliam cellam aperuiſſet, multum indè pecuniæ ſuſtulit. Ad loculos tamen qui regum cineres continebant,*

neuter

neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ità erant ſub terra conditi, ut ab iis qui monumentum ingrediebantur inveniri non poſſent. *A.M.* 2991.

§ 28. Poſtquam funeri *Davidis* honorificè parentatum eſt, ſuo regnabat more jam plenóque jure *Solomon*, obſtrepente hiſcentéve nemine. Principes adverſariorum, nequa latitaret ac reviviſceret *Adonianæ* conſpirationis ſcintilla, vel ſuſtulit, vel enervavit; ipſum inprimis, facilè captâ occaſione, *Adoniam*. Is *Abiſhagam Davidis* concubinam ſibi uxorem petebat à rege. *Bathſebam* exoraverat, id ſibi ut impetraret à filio. *Bathſebam Solomon*, accedentem ad ſe, ſurgens è ſolio excepit obvius honorificè, ſibíque à dextris collocavit. Pollicitus verò quavis in re gratificaturum ſe matri, poſtquam didiciſſet quid ab ea peteretur, cujúſque gratiâ, paulò aſperiùs pollicitatione ſuâ reſpondit: "Patris verò concubinam, inquit, rivali ut dem, *majori*que "*natu fratri? Quin ipſum quoque regnum pete* ut tradam *illi*, *Joabóque & Abiathari*, qui ſunt illi à conſiliis hac in re. Nè vivam ego *niſi Adonias*, dum regnum ambit meum, *ſuam vitam* prodiderit. *Teſte igitur Jehovâ* denuncio, *qui quæ promiſit* "cumulatè præſtitit, *ſtabilémque me ac firmum in paterno ſolio collocavit*, *Adoniam hodie ſuo luiturum capite* affectati hanc regni ambitionem. *Benaia* ſatellitum præfectus illico juſſus eſt inferre perduelli vim. Intulit, interemit. Concubinam regis attingere, non niſi regi fas erat. Qua in re nè *Abnero* quidem *Isboſethus* abſtinuit. Conſilia *Davidis* de regno in rem ſuam abire, hâc autore vel fingere audebat. Mox ad regem accitus *Abiathar*, in agrum ſuum *Hanathothis* remiſſus & relegatus eſt, Sacerdotio ſummo exutus, ut erat prædictum *Eli.* (1 *Sam.*2.33. & 36.) In tribu erant *Benjaminitica* ſacerdotalis urbs *Hanathothæ*. Vitam verò *Abiatharis* condonavit *Solomon* meritis de *Davide*; periculis quæ ſubierat, & ſacris miniſteriis quæ præſtiterat *Davidis* gratiâ, tum conſulendo ad Arcam Dei, tum deducendo Arcam *Hieroſolymas*. Cùm ad *Joabum* hæc nuncii detuliſſent, hominem tot ſcelerum malè ſibi conſcium facilè perterruerunt. Aræ Deíque patrocinium quærit moriturus, quos per omnem vitam minimi fecerat. Ad eum quoque interficiendum *Benaia* miſſus, cùm ab Ara nollet abduci, ad Aram, jubente rege, quaſi victimam gratam Deo, immolavit, domíque ſuæ in deſerto ſepeliendum ſuis tradidit. Eo volebat rex quaſi piaculo ſanguinis inſontis quem effuderat *Joabus* noxam à ſe, paternâque *Davidis* familia, in ipſum autorem avertere. Militum deinde præfecturam *Benaiæ Solomon*, Pontificatum *Zadoco* tradidit; quo Sacerdotalis ordinis faſtigium ab *Ithamari* poſteris, in *Eleazari*, grandioris natu filii *Aaronis*, *Phineæ*que familiam rediit, ac perpetuò deinde (quod promiſerat Deus *Num.* 25. 13.) permanſit in eadem. At nec paterni de *Shimeio* mandati oblitus rex, hominem accivit, imperavítque jurato, ut *Hieroſolymis* habitandi ſibi ſedem figeret; denuncians ei, fore ut, ſi egrederetur uſquam, torrentémve *Cedronem* tranſiret, capite plecteretur. Qui graviorem timuerat, facilem hanc gratanter pœnam ſubiit. Accidit poſt annos tres, ut, neglecto regis mandato, ſervos fugitivos perſequeretur *Gathum*. Ac ſervos quidem reperit, reduxit. At nunciatâ *Solomoni* re, vitam perdidit, exprobratâ illi à rege contumaciâ in ſe, contumeliâ in *Davidem*, & in ipſum Deum perjurii noxâ. Ità ſublatis ferè omnibus rerum novarum autoribus, regnum ſibi *Solomon* ſecurum atque pacatum reddidit. Sed & regum vicinorum affinitate ut magìs confirmaret, regis *Ægyptii* filiam uxorem duxit; neque juvenem impedivit ætas, quò minùs rempubl. legitimè, prudenter ac piè, altâ florentem pace, adminiſtraret.

Solomon Adoniam ejúſque congerrones è medio tollit.

§ 29. Cùm Hiramo regi *Tyriorum* nuncii certi retuliſſent, obiiſſe *Davidem*, regnare *Solomonem* in *Iſraëlitide*, quæque geſſiſſet ad ſtabiliendum ſibi imperium novus rex; pro amicitia veteri fœderéque legatos miſit, qui conſolarentur de patre, gratularentur de regno. Sed & fœdus quod cum patre pepigerat, cum filio renovatum eſt. Renovatâ igitur uſus amicitiâ *Solomon*, ad *Tyrium* literas dedit in hanc ſententiam: "*Non eum latére*, *Davidem* aſſiduis *bellorum* fuiſſe moleſtiis impeditum, *quò* "*minùs* Templum, quod volebat, *ſuo Deo conſtrueret*: ſed & has tandem ſuperatas, "hoſtéſque omnes ſubactos undique: *ſibi tranquilla & ſerena eſſe omnia*; nullas turbarum domeſticarum nubes, mináſve *hoſtium* terrere. Hoc igitur otium à Deo da- "tum, Deo à ſe conſecrandum eſſé. Id enim *prædixiſſe Numen Davidi fore ut*, quam "ille ſacram *ædem* propoſuerat paraverátque, *ab ejus filio perficeretur. Hirami ergò* "ſe in hoc opere opem implorare, ut *unà cum operis ſuis*, *Zidoniorum* quoque nonnulli, utpote *peritiorum* in hac arte, mitterentur in *Libanum ad cædendam materiam. Ejus* arbitrii *fore*, quamlibet *ſuis operæ mercedem ſtatuere.* Maximâ verò "eſſe

Cum Hiramo Tyriorum rege amicitiam paternam renovat:

A.M. 2991.

"eſſe copiâ *lignorum* opus, ædificio *ſcilicet magnificentiſſimo Magnificentiſſimi omnium* "*Dei domo* futuro; neque tamen ipſius Dei *domo*, (*cui* anguſtus eſt nimis omnium "*cœlorum* ambitus,) ſed *ſacris* potiùs deſtinatæ, cultuíque peragendo immenſi atque "incomprehenſibilis Dei. (2 *Chron.* 2. 4, 5, 6.) Nec materiâ tantùm copioſiſſimâ, "ſed & *ingenioſiſſimo peritiſſimóque* ſibi *artifice* opus eſſe, *qui nôrit ſculpere*, & *ex au-* "*ro fabricari argentóque*, *ferro* & *ære*; quíque *operari ſciat ex purpureo*, *coccineo*, *at-* "*que hyacinthino*; *ut cum* aliis *artificibus à Davide jam paratis* in opere hoc ſacro *ſo-* "*ciam navet operam.* Lætiſſimè hanc perlegit epiſtolam *Zidoniorum* rex, animóque amiciſſimo reſpondens, "gratias egit inprimis *Jehovæ*, rerum omnium *Opifici Deo*, "*qui Davidi filium dediſſet* tanto *ingenio ſcientiâque* rerum & *prudentiâ inſtructum*, ut "peramplum iſtud *imperium* ritè gubernaret. Magnum id eſſe indicium Divini "amoris in *Iſraëlitas*, quòd eum præfeciſſet illis regem. *Se* verò *facturum* ſcripſit *quod* "*petebatur*; operámque præterea daturum ſuis ſumptibus, ut à *Libano lignum dedu-* "*ceretur ad mare*, *per mare ratibus traductum in loco exponeretur deſignato*, unde *Hie-* "*roſolymas tranſportaretur* à *Solomone*. *Miſiſſe* quoque *Hiramum* ſe *artificem ingenio* "*ſummo peritiâque præditum*, *patre* quidem *Tyrio*, ſed *matre natum Iſraëlitide.* (Ex tribu *Danis*, 2 *Chronic.* 2. 14. ſed 1 *Reg.* 7. 14. ex tribu *Nephtali*: altero ſcilicet ejus parente hinc, altero indè procreato.) "Sibi verò hanc à *Solomone* reponi gra- "tiam velle, ut *ſuæ operariorum familiæ* quæ *ad victum* erant neceſſaria, ex *Iſraëlitide*, "ubi ſuppetebant abunde, *ſuppeditarentur.* Accepit ergò *Solomon* à *Tyriis* ligna cedrina & abiegna copioſè, expoſita *Joppæ*, transferenda *Hieroſolymas* à *Judæis*: reddidit quotannis coros tritici hordeíque vicies mille, totidémque metretas vini, & olei ſata. (2 *Chron.* 2. 10.) Delectus deinde factus eſt millium triginta ex *Iſraëlitis*, quorum ſingulis menſibus per vices millia decem operabantur in *Libano*. His *Adoniramus* præerat. Numerabantur & inquilinorum per omnem *Iſraëlitidem* 153600: quorum ſeptuagies mille bajuli, ut ligna, lapides cæterámque materiam conveherent; octogies mille in montibus conſtituit cæmentarios; ter mille ſexcenti operi operíſque præficiebantur.

cujus res geſtæ recenſentur.

Eupolemus apud *Euſebium* (Præpar. Evang. 9. 4.) *Solomonem* ait ad regem *Ægypti* quoque literas dediſſe, & ab eo petiiſſe artifices. Miſiſſe verò utrumque operariorum 80000, numero planè incredibili. De *Hiramo Joſephus* (Contra *Appionem* l. 1.) multa ſcribit ex Annalibus *Tyriorum*, & ex *Dio* Hiſtorico in rebus *Phœnicum* integerrimo, *Epheſió*que *Menandro*, qui geſta *Græcorum Barbarorúm*que omnium conſcripſit, ex ipſis quantum potuit archivis gentium ſingularum. Iſtud tamen à vero alienum eſt quod ibi ſcribit *Joſephus*, anno *Hirami* duodecimo Templum *Solomonis* fuiſſe conditum. Ex eo enim conſequeretur, primum *Hirami* annum in triceſimum tertium *Davidis* incidiſſe. Eum verò conſtat octavo nonóve *Davidis* imperâſſe *Tyriis*, quo amicitiam iniit cum *Davide*, & lignum obtulit fabróſque ad regiam *Hieroſolymis* conſtruendam. (2 *Sam.* 5. 11. & 1 *Chron.* 14. 1.) Nec dicendum eſt, *Hiramum* ab eo fuiſſe alium. Nam 2 *Chron.* 2. 3. ſic eum compellat *Solomon*; *Quemadmodum patri meo cedros miſiſti*, &c. *ſic* & *mihi jam.* Regis *Abibali* filius dicitur fuiſſe, & *Suron* ab *Eupolemo* apud *Euſebium* (Præpar. 9. 33.) appellari; regnaviſſe autem ann. 34. Cum eo *Solomon* proponendis atque ſolvendis ænigmatibus contendit, eâ lege, ut pecuniâ multaretur qui ſolvendo non eſſet. Cùm à *Solomone* propoſita *Hiramus* parùm intelligeret, ejus vice *Abdemonus* quidam, vir ſolertiſſimus, & quæſita explicuit, & ænigmata *Solomoni* propoſuit alia. *Hirami* geſta memorantur hæc. Urbes ſuæ ditionis auxit, præcipuè metropolin *Sidonem* adornavit. Templum *Jovis*, quod in inſula erat ſitum, jactis aggeribus adjunxit urbi, doníſque variis decoravit, columnâ inprimis aureâ. *Herculi* & *Aſtartæ* templa nova ædificavit, demolitus antiqua. Cùm *Tyrii* aliquando defeciſſent, neque redderent tributa, exercitu adortus, ſubactos armis ad obſequium revocavit. *Hiramo* ſucceſſit *Baleaſtartus* filius; ſuúſque patri *Baleaſtarto* filius *Abdaſtartus.* Poſt annos regni ſeptem, eum, novennio dominatum, ſuæ nutricis filii quatuor oppreſſerunt inſidiis: quorum natu maximus ann. 12 regnavit. At *Theophilus Antiochenus*, qui de his *Tyriorum* regibus eadem ex *Menandro Epheſio* ſcribere ſe profitetur, *Hirami* (quem *Hieromum* & *Hieronymum* appellat) patrem *Abemalum* vocat, filium verò *Bazorum*, non *Baleaſtartum*; ejúſque filium *Abdaſtartum* annos ait 12 imperaviſſe, vixiſſe 54. *Aſtartus* deinde *Baleaſtarti* filius 12 annos regnavit; ejúſque frater tertius, *Aſtarimus*, (*Atharimus Theophilo*,) ann. 9: quo cæſo, quartus *Baleaſtarti* filius, *Phelles*, menſes 8. Eum interemit, regnavítque ann. 32, *Ithobalus*, (*Juthobalus Theophilo*,) *Aſtarimi* filius, & *Aſtartæ*

ſacer-

ſacerdos ; qui honos, poſt regem, ſummus habebatur. Hic *Ethbaal* vocatur 1 *Reg.*16. 31. *Jezebelis* pater. *Badezorus*, ſive *Bazorus*, deinde, filius *Ithobali*, ann.6 ; *Mettimus* ann.9, *Pygmalionis* & *Barcæ* pater, filiarúmque *Eliſæ*, quæ *Dido* vocata eſt, & *Annæ:* de quibus alibi dicendum.

A.M. 2991.

Solomon prudentiam à Deo impetrat ſingularem:

§ 30. Interea *Solomon*, regno jam potitus & maximo & quieto, ſine hoſte, ſine rivali, gratias ut redderet debitas Divino Numini, omnes populi principes atque præfectos, duces judicéſque, *Hieroſolymas* accivit,ut unà proficiſcerentur *Gibeonem*, ad ſacra in Altari *Moſaïco* peragenda. Hìc à rege mille victimarum holocauſta immolata ſunt. Quæ ut grata ſibi Deus agnoſceret, ſtudiúmque regis in Templo ædificando comprobaret accenderétque, nocte dormientem in ſomnis affari dignatus eſt, peteréque juſſit à ſe quodcunque vellet. *Solomon* “ benignitatem ſummam Dei erga *Davidem* profeſſus, qui regnum ei dediſſet, & in regno ſucceſſorem filium, precatúſque ut firma ratáque faceret quæ *Davidi* promiſiſſet de poſteris, *Se* quidem, reſpondit, *regem eſſe conſtitutum* à Deo, *in populum omni numero majorem*, cui principe *ſapientiſſimo* ſit opus. Nihil ergò peti à ſe opportuniùs poſſe, quàm ut *prudentiâ* cœlitus imbuatur, *quâ tantò populo regendo moderandóque* ſit par. Deus petitione hâc mirificè oblectatus, “ *Quoniam*, inquit, *non tu*, more aliorum hominum, *aut divitiarum* affluentiam, *aut gloriæ* ſplendorem, *aut vitæ diuturnitatem*, *aut*, quæ vitâ ipsâ quibuſdam jucundior eſt, *de inimicis vindictam exoptâſti*, *ſed prudentiam* ad munus illud ſuſtinendum quod à me tibi commendatum eſt ; *ecce*, tum *quod petis do*, *tum quæ non petis* polliceor, *& amplitudinem*, *& copiam rerum affluentem*, *ſupra omnes qui fuerunt reges*, *quique futuri ſunt*. *Quòd ſi paterna legeris veſtigia*, *præceptáque mea obſervâris*, *vitam* quoque *diuturnam dabo*. Ità Deus *Solomoni* currenti quidem jam ſtimulos addidit pietatis. *Hieroſolymas* deinde *Solomon* cùm rediiſſet, iterum holocauſta obtulit ſacráque euchariſtica coram Arca Dei. Poſtremò, ſacrorum comites convivio excepit lautiſſimo.

A.M. 2992.

cujus primum edidit ſpecimen in vera matre inveſtiganda.

§ 31. Sapientiâ plurimùm ſcientiâque rerum omnium *Solomon* proficiebat indies, augente ingenii vim & perſpicaciam Deo, donec omnes & *Chaldæós* tandem ſuperâſſet *Ægyptióſ*que, nec eſſet mortalium quiſquam eo conſilio, ſagacitate, intelligentiâque rerum, ut cum *Solomone* poſſet contendere. Opportunè accidit in ipſis judiciis, ut clarum populo ſuæ ſapientiæ ſpecimen daret. Cauſam detulerunt ad eum duæ cauponæ, quæ in ædibus ambæ habitabant iiſdem, ambæ filios eodem ferè tempore pepererant. Altera, cùm ſuum fortè infantem per ſomnum oppreſſiſſet ac ſuffocâſſet, alterius mulierculæ puerum viventem è gremio matris dormientis ſuſtulit, ſuúmque mortuum ſuppoſuit. Vera mater, ubi primâ luce patebat fraus, ſuum repetit natum. Pernegat altera daturam ſe. Rex appellatur, & pleno foro diſceptant mulieres. Cùm utraque vivum ſibi puerum vendicaret, mortuum rejiceret, neque ullo perplexa res vel teſte vel indicio expediri poſſet, ſuſpensâ multitudine, exſpectantéque in re incertiſſima certum aliquod judicium regis, ille vivum ut erat in medio infantem gladio ſtricto medium diſſecari jubet, utrique partem dari, quandoquidem cujus revera eſſet dignoſci non poſſet. Id verò mirabantur omnes ; nec deerant fortaſſe qui ſubridebant, quòd neutri adjudicaret, ſed auferret puerum utrique nullo ſuo merito interficiendum. Expediebatur gladius, apprehenditur diſſecandus puer ; cùm vera parens magnâ protinus vociferatione deprecatur infantis necem ; modò vivat, alteri totum concedit jus. Mendax verò mater “ ſtare aiebat ſe judicio regis, ut *nec ſuus eſſet* puer, *nec illius*, *ſed divideretur* ſua utrique pars. Ex affectu in filium facilè matrem agnovit rex. Mulieri deprecanti nè partirent puerum, & ſuâ parte cedenti nè moreretur, tradi totum vivúmque jubet, amore timoréque teſtibus parenti veræ. Alterius verò ut plagiariæ malitiam deteſtatus, quæ, cùm ſuum filium perdidiſſet, alienum aut perdere, aut ſibi per mendacium aſſerere conabatur. Tum verò & qui aderant, & quicunque audierant de hoc judicio, ſolertiam regis admirari & ſagacitatem, ſummæque hoc certum prudentiæ argumentum habuerunt. Multò igitur magis deinde ſuum regem ſuſpiciebat populus & reverebatur. Ampliſſimo in regno dominabatur *Solomon*, à *Gaza Palæſtinorum* ad *Euphratem* uſque ac terminos *Ægypti* ; eóque regnante, pace perpetuâ fruebantur *Iſraelitæ*, felicitatéque ſummâ, quaſi victoriarum *Davidicarum* fructibus. Abundante igitur hominum multitudine copiâque rerum, quotidianis ferè conviviis indulgebant. Regi verò ipſi duodecim erant Sitarchi, quibus *Azaria* filius *Nathanis* præerat. Horum erat munus ſingulorum, per ſingulos menſes regiam familiam ſuſtentare ; equos etiam

A.M. 2992.

etiam bellicos & veredarios ſive dromedarios hordeo alere ſtraminéque. Erant enim regi quatuor millia præſepiorum equilium. Ea ſingula tenebant equos decem, curribus paratos 1400, equitibúſque 12000. (2 *Chron.* 9. 25. & 1 *Reg.* 4. 26.) Ex *Ægypto* enim equi ſiclorum 150 pretio, currus verò equorum quatuor ſexcentis emebantur. Regi familiæque apparabantur quotidie triceni cori ſimilæ, ſexageni farinæ; decem boves domeſtici pingues, & viceni paſcuales; pecudes verò centenæ, præter cervos & capreas atque damas, & lectiſſima quæque altilia.

A.M. 2993.

Templum & porticus *Solomonis* cum utenſilibus deſcribuntur.

§ 32. Paratis omnibus à *Solomone*, quarto ejus regni anno, *Zivo*, ſeu *Jare*, (qui ſecundus erat,) menſe, die ſecundo, & anno quadringenteſimo octuageſimo ab egreſſu *Iſraëlitarum* ex *Ægypto*, novi Templi jacta ſunt fundamenta, in monte *Moria Sioni* propinquo. Septennio perfectum eſt, duplò & longius & latius Tabernaculo *Moſaïco*, triplò altius ex parte maxima: ſexaginta ſcilicet cubitorum longitudine, præter porticum; latitudine viginti; Templúmque ipſum altitudine triginta. Viſum enim eſt ſapientiſſimo Deo, longitudinem Tabernaculo triginta ſolummodo cubitorum, latitudinem aſſignare cubitorum decem altitudinémque, quò faciliùs à *Levitis* portari poſſet, gravius multò futurum ſi majus. Templum verò fixum & ſtabile futurum grandius & magnificentius voluit eſſe; at mole minus tamen quàm aut multa fuerant profanarum gentium, aut *Chriſtianorum* ſunt: quoniam hæc populo patent univerſo, ut patebant illa; *Judaïcum* verò ſacerdotibus tantùm paucis, non niſi bis quotidie ingredientibus, Sabbatíſque ter; uni Pontifici, & ſemel quotannis, adytum interius. Quod magnitudini deerat, compenſavit ornatus pretioſiſſimus. Ex longitudine Templi *Adytum*, quod & *Sanctum Sanctorum* dicebatur, cubitos viginti auferebat, totidémque latum atque altum fuit. Templum ipſum, ſive *Sanctum*, quadraginta cubitos longum, viginti latum, altitudinis habuit triginta. Quod *Ribera*, (de Templi fabric. 1. 50.) *Joſephus* aliíque multi ſtatuunt, alia duo cœnacula Templo fuiſſe impoſita *Solomonis*, (ut *Herodiano* poſtea,) quo totum ædificium 120 explevit cubitos altitudinis; id quidem nullâ Sacrarum Literarum autoritate nititur. A fronte Orientali porticus Templo aderat cubitos lata decem, viginti longa, (quot latitudinis Templum habuit.) Ea dicitur alta fuiſſe centum ac viginti cubitos; (2 *Chron.* 3. 4.) nuſquam id de Templo dicitur. Et ſupra porticum domicilia memorantur; (1 *Chron.* 28. 11.) ſupra Templum nullibi memorantur. Itaque nec fuiſſe par eſt. Quod enim 1 *Reg.* 6. 8. de cochleis dicitur in latere domûs dextro, & de porta, quibus in mediana domicilia, indè in tertiana aſcendebatur, de iis intelligendum videtur cellis, quæ triplici ordine muris Templi Adytíque aſtruebantur circumquaque. Infimæ quidem non niſi quinque cubitos latæ, mediæ ſex, ſeptem ſupremæ; quinis altitudini ſingularum datis. (1 *Reg.* 6. 5, 6, 10.) Aliqui deambulacra fuiſſe aperta, non cellas, volunt. Nec muris ipſis inhærebant, ſed alis ſive projecturis murorum trabibus cedrinis imponebantur. Muri enim ipſi ad quintum altitudinis cubitum cubito uno contrahebantur, ad decimum altero; quæ contracturæ tabulata hæc ſuſtinebant. Cochleam verò, quâ in hæc aſcendebant cubicula, in ipſo muro factam *Joſephus* tradit; cui viginti cubitorum craſſities tribuitur à nonnullis. Etiam feneſtræ illuſtrabant opportunæ hanc domum, clauſæ vitro, ſi Rab. *Jehudæ* apud *Junium* fides. Fores quoque Templo addidêre binas quartâ muri parte, hoc eſt, cubitis quinque altas latáſque, ex abiete; ex olea erant poſtes. Oraculi verò fores cum poſtibus ex ligno oleagino, quintâ parietis parte, ſive cubitis quatuor, patebant. Nam à Templo Adytum paries inauratus dirimebat, cum aureis catenulis & velo, quod opere polymitario ex hyacinthino, purpureo, coccineo & byſſino contextum, imaginibus Cherubinorum adornabatur. Hoc enim velo arcana intimæ ſacratiſſimæque domûs, etiam apertis (ut erant plerumque) foribus, occultabantur. Nec, dum ædificabatur hoc Templum, inſtrumenti cujuſquam ferrei, ſerræ, ſecuris malleíve, ſonus illic auditus eſt: ſed ligno lapidéque dolato, expolito præparatóque alibi compactum, cantheriis & coaxationibus denique obtegebant cedrinis. Atria deinde conſtituta ſunt: alterum interius, & Templo propinquius, *Levitarum* ſacerdotúmque; exterius alterum & majus, utpote totius populi. Illud ordine uno cedrorum, triplici cæſorum lapidum, muniebatur; quod ſeptum tribus erat altum cubitis. De altero 2 *Chron.* 4. 9. & 6. 13. agitur, & *Joſephus* hæc, (Lib. Antiqu. 8. 2.) ſi quid illi credendum: *Porticibus*, inquit, *magnis latíſque fuit cinctum, & portis altis patens, quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectabant, & foribus auratis claudebantur.* (Quas tamen ex 2 *Chron.* 4. 9. ære tantùm obductas fuiſſe conſtat.) *Dici*

non

non poteſt, ac vix etiam credi oculis, quàm id mirandum fuerit. Vallibus enim expletis tam profundis, ut ad proſpectum oculi caligarent, & aggeſtâ ad quadringentos cubitos terrâ, eam aream vertici montis, ubi conſtructum erat Templum, coæquavit. Porticibus eam cinxit duplicibus, quas è ſolido ſaxo columnæ ſuſtinebant, & laquearia tegebant expolita cedro. Fores verò argenteas habebant. Horum oblitus (puto) *Joſephus*, idem (Libro de Bell. *Judaïc. 6.*) ait, *Initio quidem vix Templo atque areæ* (ſacerdotali) *ſufficiebat jacens in ſummo planities, quæ undique præceps erat atque declivis. Cùm autem Solomon rex muro ejus partem ab Oriente cinxiſſet, una porticus aggeri eſt impoſita, & manebat ex aliis partibus nuda; quoad ſeculis poſterioribus, ſemper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus collis latior effectus eſt.* Ità *Joſephus*. Credibile eſt, ab hac *Solomonis* una porticu, eam quæ poſtea hoc in loco ab *Herode* conſtructa eſt *Solomonis* fuiſſe *porticum* vocatam. (*Act.* 3. 11.) A.M. 2993.

Solomon ſui Templi jam partem maximam perfecerat, integrúmque ſtatuerat ædificium, unà cum atriis, porticibus, cellis cœnaculíſque. Deus, ut animos & alacritatem adderet reliqua peracturo, miſit Prophetam qui hæc ei verbis *Jehovæ* renunciaret: "Macte verò pietate hâc, & mei cultûs gloriæque ſtudio. *Hæc ea domus* "eſt, agnoſco, quam patri tuo *ædificaturum* prædixi atque promiſi *te*. Perge, per- "fice. Quòd *ſi meis præceptis* ritè *parueris mandatáque obſervâris, perficiam* & *ego* "*quæ* de te poſteríſque tuis *Davidi ſum pollicitus. Neque populum meum* deinceps *de-* "*ſeram aut derelinquam*; ſed, eâdem lege, modò legibus atque inſtitutis meis ob- "quantur, in hac æde perpetuò *inter Iſraëlitas ſum habitaturus*. Poſtquam hæc *Solomon* accepiſſet, operi abſolvendo ſtrenuè incubuit. Ornamenta jam adhibenda erant, & ſacra domui ſupellex. Templi muros intrinſecùs contabulavit cedro, porticûs ſolum tabulis abiegnis, adyti verò cedrinis; quæ omnia, ut & fores, poſtes trabéſque domûs, & cœnacula, laminis obtexit aureis, quas ligno affabre aureis affixit clavis. Sed muros variis quoque ornavit imaginibus cedro inciſis, ità ut prominerent, muros oraculi præcipuè, intus ac foris, palmarum, Cherubinorum apertorúmque florum ſimulacris, imò & lapidibus pretioſis. (2 *Chron.* 3. 6.) Sic omnia renidebant auro puriſſimo, ut intrantium oculos fulgor undique occurrens perſtringeret. Ante porticum duæ ſtatuebantur æneæ columnæ, cubitorum octodecim altitudine, duodenorum in circuitu, cum coronamentis cubitorum quinque. Ea verò encarpis ornata & catenulis, ut in adyto, à quibus malogranata quadringenta duplici ordine, hinc centena bis, indè totidem, appendebantur. Dextra *Jacin* vocabatur, ſiniſtra *Boaz*. Lib. 2 *Chron.* 3. 15. ſingulis columnis cubiti 35 tribuuntur, qui, ſi baſis addatur unius cubiti, duplicem reddunt numerum qui 1 *Reg.* 7. 15. deſcribitur: quo probabile videtur, in *Chronicis* agi de cubitis communibus, in *Regum* hiſtoria de ſacris, qui duplò majores habebantur. Nec obſtat, quòd utrobique coronamenta quinque cubitorum eſſe tradantur, quæ vel decem in *Chronicis*, vel nè trium quidem in Libro *Regum* eſſe debebant. Nam 2 *Reg.* 25. 17. corona ærea trium cubitorum dicitur, (majorum, puto,) quæ 1 *Reg.* 7. quinque fuiſſe communium dicebatur. In *Sancto Sanctorum* duo ſtabant ingentes Cherubini decem cubitorum altitudine, aversâ introrſum facie, ſed expanſis ab altero pariete ad alterum oppoſitum alis cubitorum viginti ſpatio, ità ut ſeſe contingerent in medio, Arcâmque fœderis obumbrarent. Ex ligno quidem oleagino facti ſunt, ſed auri laminis obducto. A.M. 2996.

Sacra domus condita exornatáque, ſacrâ etiam ſupellectile fuit inſtruenda. Ara thuricrema, ſive ſuffitûs, è cedro, ſed, ut reliqua omnia in Templo, inaurata, præ foribus adyti collocabatur. Aurea decem candelabra, totidémque menſæ pani ſacro dedicatæ ad latera Templi, quinæ hinc, quinæ illinc, ſunt conſtitutæ. Flores etiam candelabrorum, lucernæ, ac forcipes, pelves centum, & inſtrumenta muſica, acerræ, trullæ crateréſque ex auro conflati ſunt. Ex ære puriſſimo alia, quibus extra Templum ad ſacra facienda erat uſus, in planitie ſunt *Jordanis* fuſa: inprimis Altare majus, cubitos viginti longum latúmque, denos altum, in atrii ſacerdotalis medio conſtitutum. Cúmque per gradus in Aram aſcendere non liceret, (*Exod.* 20. 26.) per clivum quendam à Meridie molliter aſſurgentem ſurſum eò ferebantur ſacerdotes, (ut credibile eſt.) Quod in Ara poſtmodum *Herodiana Joſephus* (de Bello *Jud.* 6. 6.) ideo factum eſſe tradit, ut operantes Deo ſacerdotes in Ara ex atrio altero populus conſpiceret. Ingens deinde vas factum, (*Mare* appellabant,) craſſitudine palmari, cubitos quinque profundum, cujus diameter cubitorum decem, circumferentia tricenorum circiter. Idque pro baſi boves ærei ſuſtinebant trini quater.

Priores

A.M. 2996.

Priores boüm partes quatuor mundi cardines proſpiciebant, ſub onere poſteriora latebant. Labra quoque decem æneæ facta ſunt, quæ baſes totidem æneæ ferebant cubitos quatuor longæ latæque, altæ verò tres, actæque rotis. Hinc victimarum abluebantur carnes; ex æneo mari aquâ profuſâ manus pedéſque lavabant ſacerdotes. Labra ſingula bathos continebant quadraginta; mare autem bis mille uſu quotidiano: (1 *Reg.* 7. 26.) ſed trium millium capax. (2 *Chron.* 4. 5.) Hoc in dextro latere ſacerdotalis atrii ab Oriente poſitum; illa partim à dextra, partim à ſiniſtra. Ollæ præterea, & hami, fuſcinæque factæ ſunt, & alia quæcunque inſtrumenta Dei Sacra poſtulabant. Æs enim quantumcunque volebant ſine pondere ſuppeditabat rex. Et in his omnibus aureis operibus æreíſque, ut & velo Sanctuarii, operâ & arte *Hirami Tyrii* maximè uſus eſt.

A.M. 2999.

Solomon Templi encænia celebrat,

§ 33. Templo jam perfecto, ſeptimo ſeptimi anni poſtquam inceperat menſe, (quanquam aliqua minoris momenti non ante menſem octavum, qui *Bul* vocabatur, abſoluta ſunt, 1 *Reg.* 6. 38.) reliqua omnia quæ conſecraverat *David*, aurum præcipuè & argentum vaſáque, in theſauris *Solomon* recondidit domûs Dei. Populi deinde primores, tribuum familiarúmque principes coëgit *Hieroſolymas*, ut Arcam fœderis antiquam in Sanctuarium novum deducerent, Templúmque dedicarent & Aram. Arca enim ſola ex omnibus operibus *Moſaïcis* renovata non eſt. Populus etiam adfuit mox univerſus, ad feſtum tabernaculorum ſolenni more celebrandum. Id enim ſeptimo (qui *Tizri*, ſive *Ethanim*, dicebatur) menſe, decimo quinto die alíſque ſeptem, peragebatur. Hunc populi conventum Encæniis Templi opportunum ratus *Solomon*, octavo ejus menſis die Arcam ſacram ſacerdotum humeris in Sanctum ſanctorum traduxit, ubi ſub alis Cherubinorum collocata eſt. Præcedebat ipſe rex, optimatéſque omnes, uſque ad atrium ſacerdotale; pecudéſque & boves penè innumeras obtulerunt. Deduxerunt etiam *Levitæ* Tabernaculum vetus ex *Gibeone*, ſacráque vaſa omnia, ſi quibus erat opus ad uſum Templi, reliqua, ut in locis idoneis (ſupra porticum, opinor,) reponerentur. Arca verò nihil niſi lapideas Legis fœderíſque Divini Tabulas continebat. Ut primùm è Sancto ſanctorum, Arcâ ritè collocatâ, exîerunt ſacerdotes, *Levitæ*que Muſici byſſo induti cymbalis atque nablis cantabant citharíſque, ſacerdotes verò centum & viginti (omnes enim aderant) unâ voce concinebant, *Celebrate Jehovam, quoniam bonus eſt, quia benignitas ejus permanet in æternum*; nubes protinus gloriáque Dei domum occupavit, implevítque adeò, ut ſacerdotes conſiſtere ad miniſtrandum in Templo nubis denſitas prohiberet. Ità nubis ejuſdem indicio, non minùs gratum ſibi eſſe Templum hoc novum quàm Tabernaculum vetus, (*Exod.* 40. 34.) populo ſignificavit Deus. Ipſe jam rex æreum ſuggeſtum, quinque cubitos longum latúmque, altum verò tres, aſcenderat, in atrii exterioris medio conſtitutum. Indè ubi nubem conſpexit, Deum ità paucis affatus eſt. "*Dixit quidem Jehova, in caligine habitaturum ſe.* Ecce igitur, *do-* "*mum ego tibi certam condidi, ô Jehova*, cujus *in* caligine *reſideas in æternum.* Deinde populo cùm benedixiſſet, "*Benedictus*, inquit, *Jehova Iſraëlis Deus*, *qui patri* "*meo prædixit Davidi* ea fore quæ jam facta ſunt. *Nullam ſe urbem elegiſſe ex omnibus* "*tribubus Iſraëlitarum*, *ubi* Templum *ſibi conderetur*, *nullum à quo populus regeretur* "perpetuò *principem*. Jam *verò Hieroſolymas* urbem *conſtituiſſe* ſuæ ſedis ſedem futu- "ram, *& qui populo ſuo* regnóque *præeſſet elegiſſe Davidem. Et ſtatuerat* quidem *a-* "*pud ſe David*, *Jehovæ* ſuo *Deo* Templum *conſtruere:* cujus propoſitum ea in re pro- "bavit quidem, at prohibuit *Deus*, prænunciavítque id *ejus filii* opus futurum. "Ecce jam, *quæ verbis præmonſtravit*, reipſa *præſtitit Jehova*. *Ego* filius *Davidis*, *Da-* "*vidíſque ſolio* potitus, volente auſpicantéque *Jehovâ*, *Jehovæ* Templum hoc quod "videtis *conſtitui*, *& Arcæ locum Divini fœderis cum noſtris pacti majoribus*, eorúmque "poſteris in æternum. Deum igitur Opt. Max. ut Templum hoc, ejus nomini "conſtructum, ejus Numini gratum acceptúmque ſit, votis publicis comprecemur.

orationibus ad Deum & ad populum habitis ſolennioribus.

Ad Aram ergò Dei converſus, flexis genibus, & expanſis ſublatíſque manibus in cœlum, ità precatus eſt: "*O Jehova Iſraëlis Deus*, quid *eſt* ullibi *ex* omnibus gentium "*diis in cœlo terrâve tibi* ullo modo *ſimile* aut ſecundum; *qui fœderis pacta præſtas* fide "integrâ, *benignitatémque* ſummam *ſervis tuis*, *qui tua* pariter *fide integrâ* peragunt "mandata; *qui patri meo quod elocutus es*, id nobis hodie *perfectum das?* Dignare, "obſecro, maxime *Deorum Jehova*, & illud *ſervo tuo Davidi*, *quod* olim de poſteris "*pollicitus es*, *ratum facere*, *nunquam* ex iis *defuturum qui* populo *præſit Iſraëlitico*, "*modò tuis illi ſubſint imperiis*, *atque præceptis* libenter *obſequantur*. Quid autem?

"*Reve-*

“ *Reverâne Deus in terris habitaturus eſt?* At *nè cœli* quidem ipſi, *nè cœli cœlorum* lon-
“ gè ampliſſimi *capiunt te*; *quantò minùs* anguſta *hæc quæ à me conſtructa eſt domus?* A. M.
“ *Veruntatem dignare*, quæſumus, *Jehova mi Deus*, *aures* meis *precibus faciles præ-* 2999.
“ *bere*, populíque tui *clamorem exaudire*; *ut oculi tui noctu diéque aperti ſint verſus hanc*
“ *domum*, *verſus locum* illum *quem nominis tui* locum *futurum elocutus es*; *itque au-*
“ *res tuæ* ſemper *pateant precibus quæ verſus hanc fient* domum; nec meis modò, ſed
“ *Iſraëlitici tui populi ſupplicationibus*, *quandocunque oraverint verſus domum hanc: tu*
“ *è tuo cœlorum habitaculo exaudi* nos; *& cùm exaudieris*, *condonato*. *Si quis offendet*
“ *vicinum*, *& juramento* contendent *apud aram hanc*; *Tu è cœlo cognoſce cauſam*, *ut*
“ pro merito *ſuam injuriam luat improbus*, fructum *verò ſuæ probitatis innocens* metat
“ *bonus vir*. *Si quando populus in te peccaverit*, adeò ut *hoſtibus* dedatur *cædendus*,
“ rapiendúſque in ſervitutem, *reſipuerit verò* mox, *tuámque imploraverit* clementiam
“ *verſus domum hanc*; *Tu ex alto* ſupplicantibus *aures admove*, *remitte ſcelera*, *& in pa-*
“ *triam ſibi datam à te revoca* pœnitentes. Quòd *ſi quando ſibi cœlum clauſerint ſuis*
“ *peccatis*, terráque ſterileſcat ſiti, *ſcelerum verò pertæſi* mox, *tuum nomen invocave-*
“ *rint* ſervi tui *verſus* domum *hanc*; *Tu è cœlo exaudi*, *& remitte noxam tui populi*,
“ *datámque illis hæreditatem à te pluviis irriga* tempeſtivis. *Si* qua calamitas alia, *famis*
“ *peſtiſve*, *uredinis rubiginiſve*, *ſi locuſtæ aut bruchi terram* invaſerint; *ſi hoſtis tenue-*
“ *rit obſeſſos*; *quæcunque lues aut plaga* infeſtaverit; *ubi* privatus *quis aut* cœtus pu-
“ blicus *animi ſui pravitatem* deplorans *agnoverit*, *manúſque tetenderit* ad te *verſus do-*
“ *mum hanc*; *Tu è tuo*, quæſumus, *domicilio cœlorum exaudito*, *condonatóque ſingulis*
“ pro *animorum* ſuorum integritate, *quò* magis *per omnem te vitam revereantur*. *Tu*
“ *enim ſolus* intimos *animorum omnium ſenſus* perſcrutaris *intelligíſque*. Quòd *ſi* pro-
“ ſelytus *è terra* huc *advenerit longinqua*, (omnes *enim* gentes *de te potentiâque tua*
“ *& geſtis maximis cognoſcent*,) *oraverítque verſus domum hanc*; *Tu è cœlo precibus*
“ etiam *peregrini annuito*, compotémque facito ſui voti: *quò populi omnes experiantur*
“ *revereantúrque tui nominis* glorioſi quod *in hoc templo* religioſè colitur vim. *Pro-*
“ *fecturus in hoſtes populus tuus te jubente* ducentéque, *ſi* tuam advocabit opem verſis
“ *ad urbem hanc domúmque* vultibus; *Tu* tuorum *partes tueberis & propugnabis*. De-
“ nique, *ſi* populus univerſus provocaverit aliquando *peccatis te*, (quis *enim non pec-*
“ *cat* ſæpius?) *tradítúſque ſit hoſtium* libidini *in terram deportandus* alienam; *ſi tu-*
“ *am* vel iſthìc iram *deprecetur*, ſuámque faſſus *pravitatem* ſeriò *reſipuerit redierítque*
“ *ad te*, protenſis *verſus urbem* hanc *domúmque* manibus; *Exaudi tu*, miſericors Pa-
“ ter, *& remitte ſupplicantium peccata*, *&* dominorum *erga captivos miſerationem &*
“ *clementiam conciliato*. Iterum ergò atque iterum obteſtamur, pro ſumma tua mi-
“ ſericordia, clementiſſime *Deus*, *ut* has & meas *& populi tui preces*, & *quandocun-*
“ *que implorabimus te*, benigniſſimè nos digneris *exaudire*. *Tui enim* ſumus, Omni-
“ potens Pater, *ex omnibus terrarum gentibus electi*, æternóque tibi fœdere obligati.
Peractis precibus, *Jehovæ* ſtans clarâ voce unà cum populo benedixit univerſo.
“ *Benedictus*, inquit, *Jehova*, *qui populo ſuo quam pollicitus eſt* pacem *quietém*que *do-*
“ *navit* ab omni parte. *Nullum fruſtrà verbum excidit ex omnibus quæ per Moſen pro-*
“ *miſſa fecit*. *Adſit* ergò *nobis propitius*, *quemadmodum noſtris adfuit majoribus*, *neu*
“ *deſerat nos aut derelinquat*: ſed *animos inclinet ad ſe*, averſos nimiùm ſuâ natu-
“ râ, *ut præcepta ejus obſervemus omnia*, *pareamúſque mandatis*. *Quæ autem preca-*
“ *tus ego ſum*, memori *apud ſe* mente *habeat* miſericors *Deus*, *ut cauſam peragat* no-
“ ſtram, utcunque erit opus; *ut omnes terrarum populi cognoſcant*, *unicum eſſe* terra-
“ rum cœlorúmque *Deum Jehovam*. *Surge igitur*, *ô Jehova Deus*, & ingredere hunc
“ æternæ quem elegiſti *quietis locum*, *tu & Arca roboris tui*. *Tuâ ſalute ſacerdotes*
“ *tui* quaſi veſtibus *induantur* communiantúrque, *viri verò ſancti*, quos pro tuis ele-
“ giſti, tuo perfruantur *gaudio*. *A Chriſto tuo nè averte vultum*, *ô Jehova*, ſed *benig-*
“ *nitatis erga ſervum Davidem* perpetuò *memineris*, *ô Deus* mi. Cùm peroráſſet, ſacra
deinde rex populúſque ad Templum ritè conſecrandum obtulerunt, vicies & bis mille
boves, ovium centena & viginti millia. Cúmque Ara major tot victimis non ſuffice-
ret, atrii ſacerdotalis partem in medio iiſdem immolandis dedicari voluit. Holocau-
ſta verò lapſus de cœlo ignis, hominum nullo admovente flammam, ſubitò devoravit;
quem cadentem populus cùm videret, flexis in terram corporibus adoraverunt, unâ-
que voce concinuerunt omnes, *Celebrate Jehovam*, *quia bonus eſt*, *quoniam benignitas*
ejus permanet in æternum. Dúmque ſacra peragebantur, tubis clangentibus, concinenti-
búſque omnium generum inſtrumentis muſicis, perſonabant atria, ſuaviſſiméque aures
populi

A.M. 2999.

populi mulcebantur. In hoc populi conventu, feſtum quoque Tabernaculorum, quod vocabant, maximâ frequentiâ & alacritate omnium diebus octo celebratum eſt; quorum poſtremo populo à rege dimiſſo, domum quiſque poſtridie lætiſſimus rediit. Ex eo tempore cultus Dei quotidianus in Templo menſtrualis & anniverſarius ità conſtitutus eſt à *Solomone*, ut à *Moſe* præſcriptus atque *Davide*.

Mycerinus Ægypti rex clementiæ nimiæ pœnas luit.

§ 34. *Nephelcherres*, ſive *Nepherchenes*, & *Nephercheres*, *Ægypti* rex poſt *Pſuſennem* apud *Euſebium* & *Manethonem*, imperavit annis quatuor. At *Herodotus* & *Diodorus* poſt *Cephrenem Mycerinum* ſtatuunt, *Cheopis* filium, ſed patri & patruo diſſimillimum; utpote mitem juſtúmque, & in ſuos deos religioſum, templis eorum populo reſeratis, quæ pater clauſerat. Homini de ſententia ſua in judicio conquerenti, de ſuo donavit quod litis jacturam compenſaret. Id pluribus feciſſe *Diodorus* refert, judicum aliorum iniquitate oppreſſis. Quantum igitur pater & patruus odii contraxerant & convitii apud vulgus, tantum ille amoris & honorificæ prædicationis de ſe conciliavit. Amiſſam filiam cùm doleret graviſſimè, novo more in bove lignea inaurata ſepelivit, cui odores omnifarii interdiu adolebantur, noctu accendebantur lucernæ. Ex urbe *Buti* oraculum illi datum eſt, anno regni ſeptimo moriturum. Id cùm ægre ferret, & contumelioſè de idolorum iniquitate quereretur, qui patri patruóque, impiis crudelibúſque, tam longa dediſſent vitæ ſpatia, ſibi, clementi ac pio, tam exiguum; reſponſum eſt, id ei propterea clementiæ causâ & pietatis accidiſſe. Quippe centum & quinquaginta annis *Ægyptios* affligi oportebat. Illum igitur brevitate vitæ ſuam luere intempeſtivam lenitatem, qui quod in fatis erat non feciſſet, quomodo pater fecerat patruúſque. Damnatus ad mortem poſt ſexennium, ut mendacii argueret oraculum, & è ſenis duodenos ſibi annos vitæ produceret, ſomno minimùm indulſit, ſed ea temporum ſpatia quibus alii dormiebant, ille voluptatibus tribuit, variis luminibus tenebras illuſtravit, neque minùs noctu genialiter vixit quàm interdiu. Pyramidem & hic, ſed paternâ longè minorem, condidit, utpote tria tantùm plethra, ſive ſtadii dimidium, in ſingulis lateribus continentem. Magnitudine cedens, arte præſtantiâque lapidum *Æthiopicorum* ſuperavit priores. At *Mycerinus* antequam perfeciſſet defunctus eſt; lateri tamen Boreali nomen ſuum inſcripſit, *Mycerinus*.

A.M. 3000.

Poſt *Nephelcherrem*, *Amenophis* apud *Euſebium*, ſive *Amenophthis*, regnavit annis novem. *Herodotus Aſychin Mycerino* ſubjicit, *Bocchorin Diodorus*, virum corpore puſillum, ſed prudentiâ & ingenio præſtantem. *Aſychin* ferunt, cùm magna eſſet difficultas communicandi pecuniam, & lege cautum eſſet jampridem, ut mutuò accepturus, patris pignori deponeret cadaver, addidiſſe, ut penes creditorem eſſet poteſtas omnis ſepulchri debitoris. Pyramidi *Aſychis* lateritiæ ſui nominis memoriam tradidit.

A.M. 3012.

Deus monet *Solomonem*.

§ 35. Poſt annos tredecim ex quo Templum à *Solomone* perfectum eſt, regiam quoque domum exædificavit: quod eò erat opus fortaſſe difficilius atque diuturnius quàm domus Dei fuiſſet, quòd nec materiam reperit paratam, neque tot operas operámve tantam ac diligentiam adhibuit in ſuis ædibus, quot quantámque in æde ſacra Numinis Divini adhibuerat. *Ægyptiæ* uxori quoque regiam condidit, quò è civitate *Davidis* deducta eſt: quoniam regis palatium, etſi magnificum, utriuſque nimis erat anguſtum familiæ; & ſancta cùm eſſent loca domûs *Davidicæ*, propter Arcam ſacram ibi commoratam diu, profanari ab *Ægyptiis* minùs conſentaneum videbatur. (2 *Chron.* 8.11.) Jam verò iterum Deus per ſomnum (ut *Gibeone* priùs) monuit *Solomonem*:
"*Ejus* quidem *ſe preces exaudiviſſe*; *domum ab eo conſtructam*, *ſuo nomini* propriam ac
"*perpetuam dedicâſſe*; *auréſque & animum precibus* eorum *attentè* adhibiturum, qui
"*verſus eam* ſe domum *invocarent*. *Tu* verò, inquit, *ſi veſtigiis paternis* perpetuò *in-*
"*hæſeris*, animóque integro & ſincero colueris me, *meáque peregeris mandata*; *ſtabi-*
"*le* ac *perpetuum (quod eram Davidi pollicitus) tibi* tuíſque *ſolium confirmaturus ſum*.
"*Sin verò* neglexeritis *me* cultúmque meum, prælatis mihi *alienis diis*; & *domum*
"*hanc* præclaram atque magnificam funditus diruam, ipſámque gentem *Iſraëlitarum*
"penitùs *exſcindam*, & ludibrio exponam publico; adeò ut *omnes* vicini, *obſtupeſcen-*
"*tes* miraculo rei, quærentéſque de cauſa, cognoſcant, *derelictum eos* dereliquiſſe me,
"*&* novis vaníſque *ſtudentes diis*, *tantis* meritò *affeciſſe malis*.

A.M. 3013.

Reliqua ejus ædificia,

Hamatham urbem in *Syriæ Zoba* cùm cepiſſet *Solomon*, *Libano* monti propinquam, in ſaltu *Libani* domum ſibi magnificam conſtruxit. Aliqui domum hanc *Hieroſolymis* conſtitutam in luco volunt, qui propter ſimilitudinem quandam *Saltus Libani* dicebatur.

tur. Id autem ex eo arguunt, quoniam aurea ſcuta quæ ſatellites gerebant deducentes ad Templum reducentéſque regem, (1 *Reg.* 14. 28.) in domo ſaltûs *Libani* deponebantur. (1 *Reg.* 10. 17.) *Hiramo Tyrio* plurimum debebat *Solomon*, qui non modò ligni eum cedrini & abiegni copiâ, ſed & auri centum & viginti donaverat talentis: quam munificentiam civitatibus viginti, quas in confiniis utriuſque regni expugnaverat, compenſandam *Solomon* putavit. At eæ, quoniam *Hiramo* non placebant, repudiatæ redditæque ſunt, ac vulgò proinde *Cabul* dictæ, id eſt, *Diſplicentes*, ut *Joſephus* ait *Phœnicum* id linguâ ſignificare. (Antiqu. 3. 2.) *Lutoſum*, ſive *Arenoſum*, exponunt alii. Receptas inſtauravit *Solomon*, & ſuis tradidit colonis habitandas. Munitionem quoque *Sionis* & muros *Hieroſolymarum* perfecit undique. Ædificavit *Gezerum* quoque, à rege captam & combuſtam *Ægyptio*, cæſis qui incolebant *Cananæis*, filiæque ſuæ donatam, uxori *Solomonis*. *Hazorem* præterea, & *Megidduntem*, & *Bethoronem* utramque, ſuperiorem inferiorémque, nec non *Baalatham*, & *Thadmorem* (*Palmyram* fuiſſe *Joſephus* opinatur) in deſerto *Syriæ*, inſtauravit, cum civitatibus armamentariorum, & curruum equitúmque. *Canaanæorum* reliquias ad tributum adegit & ſervitutem. *Iſraëlitas* non niſi ad militiam & præfecturas operum deſignavit. Nec in terra modò ædificavit opera magnifica; ſed in ſinu *Arabico*, & in urbe *Ezion-gebere Idumæorum*, *Ælanæ* propinqua, claſſem quoque navium inſtituit; claſſem aliam quæ comitaretur, & naucleros peritiſſimos, *Hiramo* ſuppeditante. *Ophirum* ea claſſis profecta, 450 auri talenta ad regem detulit *Solomonem*: (2 *Chron.* 8. 17, 18.) quorum 30 fortaſſe, in ipſam claſſem inſumpta, non memorantur 1 *Reg.* 9. 28. Hæc navigatio ſingulis annis peragebatur. (1 *Reg.* 10. 14.) Attulerunt lapides etiam pretioſos, & lignorum thyinorum copiam. Lignis pretioſis, quippe rariſſimis, aſcenſum ornavit rex, & repagulis etiam munivit, à regia uſque ad domum Dei. Ex iiſdem facta ſunt inſtrumenta etiam muſica. Ex ebore ſolium ſibi magnificum, & obductum auro, ſex altum gradibus, conſtituit; cum faſtigio rotundo à parte poſteriore, & fulcris manuariis utrinque; leonibus verò ex eadem materia ad fulcra & gradus utrinque collocatis. Ex auro malleato clypei ducenti, trecenta verò facta ſunt ſcuta, quæ geſtabant ſatellites curſorii, dum præibant, regémque ad Templum honorificè deducebant. In domo deinde *Libani* depoſita aſſervabantur. Pocula etiam regis aurea, vaſáque omnia, in domo *Libani*. Nam ex annuis reditibus (claſſium, opinor,) *666* auri talenta obveniebant; præter vectigalia quæ ex mercibus & aromatibus contrahebantur, *Arabúm*que principum tributa. Argentum verò ipsâ copiâ viliſſimum, ut & lignum reddidit cedrinum. Alteram verò claſſem inſtruxiſſe videtur *Solomon*, atque adjunxiſſe *Tyriis* in mari Mediterraneo, quæ *Africam* obibat occidentalem; unde aurum argentúmque, ſimias & pavones, eboríſque copiam retulerunt; præter vulgaria (puto) *Europæorum* commoda. Hæc navigatio vocatur *Tarſhis*. (1 *Reg.* 10. 22. & 2 *Chron.* 9. 21.) Quippe *Tarſus*, primaria *Cilicum* urbs, eo tempore celeberrima habebatur; adeò ut indè nomen *Hebræi* Mediterraneo mari dederint, & majori cuivis, quò à ſuis minoribus, mari Mortuo & mari *Galilææ*, diſtinguerentur. Urbem *Tarſum* ſignificare *Tarſhis*, ex Hiſtoria *Jonæ* conſtat. Majus verò quodvis mare, ex 1 *Reg.* 22. 48. ubi *naves Tarſhis* dicuntur *factæ, ut ex Ophiro aurum peterent*; & 2 *Chron.* 20. 36. *factæ naves ut irent Tarſhis*, id eſt, in mare magnum, quale *Syriacum* & Mediterraneum quà urbem *Tarſum* petebant. Rectè ergò videtur mihi *Cornelius à Lapide* (in 1 *Reg.* 10. 22.) aliíque duas tribuere *Solomoni* claſſes: unam, quæ ex *Ophiro* aurum pretioſóſque lapides & ligna petebat thyina quotannis per ſinum *Arabicum*, ex portu *Ezion-gebere* ſolvens; alteram, quæ per mare Mediterraneum (utrumque mare *Tarſhis*) ex *Tyro* vel *Joppa* (unde *Jonas Jon.* 1. 3.) ſolvens, alias merces tertio quoque anno reportabat. Auri enim plus quotannis recipiebat *Solomon* quàm *Ophirana* claſſis afferebat. (1 *Reg.* 10. 14. & 9. 28.) Et de claſſe *Ophirum* petente (1 *Reg.* 9. 26, &c. & 10. 11.) priore loco memoratur; poſtea de claſſe proficiſcente *Tarſhis*, (in eodem cap. 10. v. 22.) Nec eædem in utriſque fuerunt merces. *Ophirum* alii *Peruviam* eſſe volunt. *Crakenthorpus Anglus*, vir ſanè doctus, (in Defenſ. *Conſtantini* l. 1. 11.) huic favet paradoxo; & viam in *Peruviam* expeditam fuiſſe contendit per littora *Novæ Guineæ*, & Auſtralis terræ incognitæ, ab *India* & *Moluccis*. At hæc plurimorum erat annorum navigatio, vix jam tribus peragenda. De nominis autem errore; *Fieri*, ait, *potuiſſe, ut ii erraverint qui nominis errorem reprehenderunt, atque Peru vocabulum non modò fluvium, ſed & regionem denotârit*. Leviſſima ratio, *fieri potuiſſe*. At nec potuit fieri. Omnes enim primò crediderunt

Marginal notes: *A. M.* 3013. — & claſſis duplex. — De vocabulo *Peru*.

A.M. 3013. diderunt verum fuiſſe nomen; ídque in *Europam* ad *Carolum* Imperatorem tranſmiſſum eſt. Quæro igitur, niſi errorem ſuum poſtea comperiſſent, Cur ea retractabant quæ priùs crediderant? Cur fidem planè novam amplexi ſunt, niſi didiciſſent veriora? Deinde, Cur alii, manifeſtâ jam re, non falſi arguunt reprehenſores hujus nominis? ídque vetus & verum aſſerunt? Taciturnitate concedunt poſteris, juſtam fuiſſe hanc nominis *Peru* reprehenſionem. Non igitur *Ophir Peru*; fruſtráque obſtrepunt de auro *Peruaiim*, ſive *duplicis Peru*: (*2 Chron.* 3.6.) multò minùs *Hiſpaniola*. Quantò verò minùs *Tarſhis Tarteſſus* erat in *Hiſpania*, (ut vult *Pineda*,) ubi vix quicquam reperitur eorum commodorum quæ naves reportabant *Solomonicæ*? Denique, nomen regionis verum non eſt *Peru*; ſed *Hiſpanis* de nomine per ſigna quærentibus, & ad flumen aliquod intendentibus manum, reſponſum eſt, *Peru*; quod *Aquam* vel *Fluvium* ſignificat. *Hiſpani* verò id regionis nomen opinati, ad *Carolum* Quintum literis tradiderunt.

De *Ophiro* regione, ubi ſita, diſputatur. *Ophirum* regio ubi ſit ſita, variè diſputatur. Aliqui certæ regionis nomen eſſe negant, ſed cujuſvis remotæ, quemadmodum *Indiæ* apud Veteres. *Joſ. Acoſta*, (1. 14.) *Poſtellus*, *Arias Montanus*, aliíque, *Peruviam Americæ* regionem fuiſſe colligunt indicio nominis. Nam in *Peru* & *Ophir* eædem ſunt radicales. *Vatablus Hiſpaniolam* vult. At ſine pyxide nautica, *Solomonis* ætate nondum inventa, oceanus tam immenſus non erat tranſmittendus. Nec ebur indè attuliſſent, ubi deſunt elephanti: neque ſimias, pavones, thyináve ligna, quibus caret *America*. Ex *Ophiro* enim hæc plerique petunt. Et brevior in *Americam* via per mare Mediterraneum videtur extitiſſe; *Hiramo* certè commodior quàm per ſinum *Arabicum* navigatio. *Dom. Niger*, *Junius*, aliíque, in *Auream Cherſoneſum Indiæ* rejiciunt *Ophirum*. At vereor ut tantum itineris triennio confici potuerit, nedum quotannis, legendo littora. Nec ejus aurum regionis admodum celebratur. Sed ut propinqua ſatis commodáque ſit cui veteris *Ophiri* nomen tribuatur, longè alia eſt in *Africa* propinquior & commodior, quam *Sophalam* vocant, auri eboríſque feraciſſimam, cum vicinis regionibus. (*Ortelius*, & *Purchaſius* noſtrâs in *Afric.* c. 7.) Exſtant enim hîc ædificia perantiqua ex maximis quadratíſque lapidibus conſtructa, *Solomonianis* perſimilia, eadémque inſcripta literis antiquis. Dæmoniorum opera vocantur ab indigenis: regis cujuſdam peregrini fuiſſe conſtat. Cujus autem probabiliùs quàm *Solomonis*, qui tanto ædificandi ſtudio tenebatur? Aut quæ fuerunt literæ credibiliùs quàm veteres *Hebræorum*? *Thomas* quoque *Lopez* (in ſua Peregrinatione) ſcribit, ex *Mauris* ſe quibuſdam didiciſſe, ſcripta quædam teſtari vetera, has fuiſſe fodinas *Solomonis*. Neque nomina *Ophiri*, (apud *Joſephum* & LXXII Interpretes) *Suphir*, & *Sophira*, prorſus aliena videntur à *Sophala*. Hæc ea videtur *Eupolemi* eſſe *Urphe* inſula in Rubro mari apud *Euſebium*. (Præp. 9.3.)

De regina *Sabæ*. § 36. Omnibus gentium regibus vicinis ſapientiâ *Solomon* præſtabat & opulentiâ; de quibus fama celeberrima regiones ferè omnes pervaſit. Plurimi ergò ex locis etiam longinquis *Hieroſolymas* confluebant, ut ea ipſi viderent audiréntque, quæ tantis ubique præconiis celebrabantur. Munera verò plerique varia præ ſe agebant, vaſa aurea argenteáque, veſtes pretioſas, arma & aromata, equos mulóſque generoſiſſimos. Aderat inprimis regina *Sabæ*, ex *Arabiæ* Felicis regione thurifera, & *Mariaba*, ſeu *Meriaba*, ejus metropoli apud *Strabonem*, (l. 16.) quæ *Arabibus Marab* dicitur; ubi vel adhuc palatii rudera oſtentari ferunt. *Nicannam Cedrenus*, *Bulcin Arabes* eam vocant, (inquit *Golius*.) Tam longinquum verò iter ſuſcepit *Jehovæ* Numinis excita *Solomoniſ*que fama, ut exploraret famigeratam illam ſapientiam regis, & periculum faceret ænigmatibus. Tantam hoſpitam quâ par fuit magnificentiâ excepit *Solomon*. Cúmque omnes quos implicuerit mulier ſolertiſſima nodos expediviſſet, ſapientiæque illi theſauros reconditos explicuiſſet rex, prudentiam ejus deinde in rebus agendis obſervabat. Ædium quas condiderat majeſtatem ornatúmque, regiæ domûs diſciplinam ordinatiſſimam, militúmque & præfectorum contemplata; menſæ præterea regalis familiæque immenſæ apparatum ſplendidiſſimum; ſacrorum præcipuè quotidianorum aliorúmque miniſteria, tum à rege inſtituta per vices prudentiſſimè, tum diligentiſſimè peracta à ſacerdotibus; admiratione rei penè obſtupuit, regémque his tandem verbis compellavit: "Jam tandem experta novi *veriſſima eſſe* omnia *quæ de te fama* diſſipavit. *Ego verò nullam famæ fidem habui*, *donec* "ipsâ re *meis experta ſum oculis* auribúſque veritatem. Sed & parcè nimiùm *fama* & "malignè de *tua ſapientia & felicitate nunciavit.* Longè plura *video* majoráque

"quàm

"quàm *audiveram.* Vix *dimidiam* earum rerum *partem auribus accepi*, quas jam "*oculis haurio.* Quàm *beati miniſtri* quotidiani *ſervíque ſunt tui*, *qui* hâc *tuâ ſapientiâ* "*indies* perfruuntur ? *Benedictus ſit Deus tuus Jehova*, *qui* tanti *æſtimavit te* pretii, "*ut* huic *regno præficiendum* duxerit. Quanto ille populum hunc *amore complectitur*, "qui *te illis* tam Divinâ ſapientiâ præditum *regem conſtituit ?* Hæc elocuta, muneribus eum donavit rege dignis: talentis auri centum viginti, lapidibúſque pretioſis; aromatum verò tantâ optimorum copiâ, quanta nunquam aliàs in *Iſraëlitidem* advecta eſt. Illi verò *Solomon* quæcunque optavit gratificatus eſt, muneribúſque munera paria paribus majoribúſve compenſavit. A.M. 3013.

Reginam hanc *Æthiopes Abaſſini* ſuam fuiſſe volunt, nomine *Maquedam*, ex provincia *Sabaïm* dicta; ſiqua fides habenda ſit epiſtolæ regis *Æthiopici* ad *Emanuelem Luſitanum* ſcriptæ. *Zaga Zabo*, Epiſcopus ex ea gente, (in Hiſtoria *Æthiopica*, quam *Latinitate* donavit *Damianus à Goës*,) ità narrat: "Eam, famâ excitam *Solo*"*monis*, profectam *Hieroſolymas* dum adhuc idolorum cultui ſtudebat, ab eo *Moſaï*"*cam* Legem didiciſſe; & in reditu ex eo peperiſſe filium, qui *Meilech* vocatus eſt. "Eum annos viginti natum à *Maqueda* miſſum ad patrem *Solomonem*, ut ab eo ſapi"entiæ præceptis inſtitueretur, & auſpicatò conſecraretur *Æthiopum* rex ante Ar"cam fœderis. At verò ante annum vigeſimum poſtquam abierat *Sabæa*, *Solomon* obierat. Nec enim ante viceſimum quartum ejus regni annum, perfectis jam ædibus regiis, acceſſit regina *Hieroſolymas*. Pergit Epiſcopus, "conſtituiſſe reginam lege "latâ, nequa deinde fœmina ejus regni ſolium conſcenderet. Quàm verò & hoc ſit alienum à vero, docet *Candace.* (*Act.* 8. 27.) *Quod nomen* (ait *Plinius* Nat. hiſt. *6. 29.*) *multis jam annis ad reginas tranſiit.* Deinde *Solomonem* ſcribit *Æthiops* ille, "filium ſuum appellâſſe *Davidem*, optiméque inſtitutum remiſiſſe ad matrem, ſed "magno *Judæorum* nobilium comitatu inſtructum. *Azarias* inprimis aderat, *Za*"*doci* Pontificis filius; de quo fabulatur, eum, ubi Tabulas fieri curâſſet iis perſimi"les quæ in Arca fœderis aſſervabantur, falſas per fraudem ſubdidiſſe, tranſtuliſſe "veras in *Æthiopiam :* quâ re ſibi proditâ in finibus *Æthiopiæ*, *Davidem* gaudio maxi"mo exſultaviſſe ac tripudiâſſe. Porrò, matrem, filio redeunte, abdicâſſe imperio "ſe, tradidiſſe *Davidi*; ídque ad hæc uſque tempora in eadem gente proléque ma"ſcula perdurare. Ex eo tempore circumciſos *Æthiopas* ritus obſervâſſe *Moſaïcos*; "& *Judæos* in poſterum ſolos iis perfunctos muneribus apud *Æthiopum* reges, qui"bus apud *Davidem* præfecti ſunt à *Solomone.* Sed & hoc poſtremum de *Judæis*, & alterum illud de Tabulis *Moſaïcis* furto ablatis ab *Azaria*, planè pernegat *Luys de Vreta*, in iis rerum *Æthiopicarum* tribus libris quos ex *Juan de Baltaſar*, majoris fidei & autoritatis *Æthiope*, conſcripſit *Hiſpanicè.* De *Maqueda* tamen & hic eadem ferè prodit, filióque *Solomonis*, & eorum poſteris ad ſuam uſque ætatem imperatoribus *Æthiopiæ*. Et datum ait reginæ à *Solomone* primarum Tabularum fragmentum, quas *Moſes* perfregerat; ídque in *Amara* monte, inter reliquias maximi pretii, maximâ religione conſervatum. *Solomonis* verò poſteros *Æthiopum* eſſe reges, ex Iconibus conſtare vult, regum inſignibus, qui & *Judæorum* fuerunt. Quid ergò putemus hac in re ſtatuamúſve, ut Sacræ Hiſtoriæ veritati conſulatur, & aliquid fidei detur *Æthiopicæ ?* Sacris profectò Literis maximè conſentaneum eſt, è *Saba* reginam hanc *Arabiæ* Thuriferæ, propter aromatum copiam, & regione Auſtrali, (*Matt.* 12. 42.) prodiiſſe, in extremis terrarum ſita finibus. An eadem *Æthiopiæ* quoque imperium tenuerit, non niſi anguſtiis freti ſeparatæ, ſuíſque tradiderit poſteris; an ex ea *Solomon* filium ſuſceperit, homo certè mulieroſus, unde reliqui deinceps *Æthiopum* reges uſque ad hanc ætatem procreati ſint; id certè lectorum arbitrio, quantum libet cuique ut credat, integrum à me relinquetur.

De Solomonis ex ea filio, aliíſque, mira tradunt Æthiopici Scriptores.

§ 37. *Obſochon* (qui & *Oſochor Euſebio*) *Ægyptiis* imperavit ſexennio; novennio deinde *Pſinaches :* (*Spinaches Euſebio :*) *Suſennes* poſtea, ſive *Pſuſennes*, annis regnavit quatuordecim. A.M. 3014.

Obſochon Ægyptiis. 3020.

Poſt *Echeſtratum Lacedæmonium*, ex familia *Agidarum*, *Labotas* filius annos 37 imperavit. Eo primùm regnante, *Spartani Argivis* cognati cognatis bellum denunciârunt. Cauſam belli afferebant, quòd agrum *Cynurenſem* à ſe captum invaſiſſent *Argivi*; quódque finitimos, eoſdémque ſocios ſuos, ad defectionem ſolicitâſſent. Sed nihil in eo bello geſtum memorabile perhibetur. (*Pauſ.* in *Lacon.*) Ambitioſis atque avaris nunquam deſunt bellorum utilium cauſæ. Ceperant quidem *Spartani* agrum *Cynurenſem*, ſed *Argivorum* gratiâ non rogati. Dum aliquid eo nomine lucrabantur, con-

Labotas Spartanis,

A.M. 3020. conſanguineos vocabant. At ſi contra rem ſuam veniant, imò ſi repetant illud ipſum quod eorum jure causâque *Spartani* ceperant, jam pro hoſtibus habentur. Quaſi amicis gratificaturi gerebant bellum: at ſibi vincebant, non amicis. Hunc *Labotam Pauſanias* (in *Laconic.*) eum eſſe *Leobotam* putat, quem *Herodotus* (l.1.) in *Lycurgi* ſui patrui tutela fuiſſe ſcribit. At certè multùm hallucinatus eſt, hunc ſi voluit *Herodotus*. Ex altera enim familia regum *Lycurgus*, multò poſt hæc tempora, *Charilao* fratris filio tutorem ſe geſſit.

A.M. 3021. *Aſtartus Tyrius imperat.* *Aſtartus Beleaſtarti*, ſeu *Deleaſtarti*, filius regnum *Tyri* tenuit annos duodecim.

His temporibus, ac per multos deinde annos, claſſe *Thraces* plurimùm potuiſſe, ac maris imperium tenuiſſe, iterum atque iterum *Euſebius* (ex *Caſtore*) tradit. Tum credibile eſt trajeciſſe *Thraces* in *Aſiam*, à *Teucris Myſiſ*que pulſos, ait *Herodotus*, (l.7.) *Bebryciam* occupavêre oppoſitam *Thraciæ*, cùm *Cimmerios* indè *Aſiam* invadentes expuliſſent. *Bithyniam* verò vocârunt. Ipſi enim *Thyni Bithyni*que in *Thracia* vocati ſunt. (*Strabo* l. 12. *Arrian.* in *Bithyn.*)

A.M. 3025. *Seſonchis* apud *Ægyptios* (Dynaſt. 22.) regnavit annos 21.

3026. *Eurypontidarum* ſceptro apud *Spartanos* potitus eſt *Prytanis*, poſt obitum patris *Eurypontis*, tenuítque annos 42, nullâ geſtâ re celebris.

A.M. 3028. *Solomoni depravato minatur Deus tremenda.* § 38. *Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus*;

præcipuè in Venerea immodicis re. Senectutem non attigerat *Solomon:* at ſenectus eum immatura & præpropera invaſit, Venereis nimiùm voluptatibus indulgentem. Septingentas enim uxores accumulârat, concubinas etiam trecentas; earum verò plurimas è profanis gentibus, (quod prohibuerat Deus *Deut.* 7. 3.) ex *Moabitis*, *Ammonitis*, *Idumæis*, *Sidoniis*, atque *Hithæis*. Nondum ergò ſexagenarius, delirare cœpit ſapientiſſimus vir, & uxorum gratiâ idolis cultum exhibere, & fana in Excelſis ponere: *Cemoſo Moabitico*, *Milcomo*, ſive *Moloco*, *Ammonitarum* deo, in ipſo monte *Olivarum*, *Hieroſolymis* proximo; & *Sidoniorum Aſtartæ*, aliiſque fœminarum ſuarum diis. Cùm toties monitus declinaret tamen à paternis veſtigiis *Solomon*, neque animo integro coleret *Jehovam*, deficienti à ſe non minùs mala comminatur Deus, quàm erat bona pollicitus patrizanti. "*Quandoquidem*, ait, *neque fœderi* quod "tecum pepigi, *neque mandatis quæ tibi præcepi obſecutus es*; haud impunè ſperes te "laturum. Tu te dividis; & *ego regnum* tuum *diſſecaturus ſum*. Tu fœminis ido"líſque animi tui partem das: *Ego* tui *regni* decem tribus *tuo ſervo ſum traditurus*. "Reliquum tui obtinebunt; neque tamen tui, ſed *Davidis gratiâ*. Non tu mihi te in"tegrum, non ego tuis hoc imperium do. Hæc ad *Solomonem* Deus. Ipſe quidem integrum vivus regnum tenuit; quod ſui patris gratiæ apud Deum debuit. At regnanti Deus adverſarios plures oppoſuit, qui hactenus quietum pacatúmque infeſtarent; *Hadadum Idumæum*, *Rezonem Syrum*, & *Jeroboamum Nebati* filium *Ephraïmitam*. *Hadadus*, è ſtirpe regia puer, cùm ſæviret *Joabus* in *Idumæos*, à ſervis ſui patris & *Midianitis* quibuſdam honorificè deductus in *Ægyptum*, à rege non minùs honorificè acceptus eſt. Domo enim donatus & prædiis unde viveret, uxorem quoque maturus duxit reginæ ſororem *Tachpeneſæ*. Filium ex ea ſuſtulit *Genubathum*, qui inter liberos regios educatus eſt. Poſt *Davidis* obitum & *Joabi*, impetratâ in patriam redeundi veniâ, quantas potuit in *Idumæa* turbas dedit, maximè ſub exitum *Solomonis*. *Rezon* ſub *Hadarezere* militaverat, eóque à *Davide* profligato, collectâ militum turmâ provinciam *Damaſcenam* latrociniis infeſtabat primò. Tandem occupatâ *Damaſco*, regem conſtituit ſe, ac deinde *Solomoni* perpetuò adverſatus eſt. *Jeroboamus* ut à *Solomone* deficeret hâc ratione impulſus dicitur. Propugnaculum *Sionis* communiturus rex, *Jeroboamo* uſus eſt miniſtro, homine impigro fortiſſimóque. Cúmque diligentiam & ſtrenuitatem ejus animadverteret, reliquis eum operariis ex tribubus *Joſephi* præfecit omnibus. Ille verò hâc ingratus dignitate ad regis contumeliam uſus eſt. Vociferationibus enim & querimoniis de populi oneribus gravaminibúſque non tolerandis, rerum novarum incendia excitabat, & ipſe regnum ſpectare jam haud obſcurè videbatur. Interim accidit fortè, ut in *Jeroboamum Hieroſolymis* egreſſum *Abia Shilonites* Propheta ſolum ſolus incideret, & veſtimentum quo indutus erat novum apprehendens, in fragmenta duodecim laceravit. Subjecit illico, "*Accipe tibi* ex his *fragmenta decem. Sic enim ait Jeho*"*va Deus Iſraëlis*, *Ecce*, *ego laceraturus ſum Solomonis imperium*, *tribúſque tibi traditurus* "*decem. Tribum unam* alterámve *Davidis gratiâ*, *& urbis Hieroſolymæ quam delegi*, "*ejus* relinquam poſteris. *Ipſi* enim *dereliquerunt me*, *veneratique ſunt* alienos gen-

"tium

" tium vicinarum *deos*, *Aſtarten*, *Cemoſum*, *Milcomúm*que ; *nec eâ quâ David* inte-
" gritate animi *imperata perfecerunt mea. Ipſi* quidem *Solomoni*, *nè* qua *regni* pars *auferatur*, néve poſteris ejus *adimatur totum*, *Davidis* memoria pietáſque in me " hominis optimi atque integerrimi facit. *Sed à filio Solomonis in regem te tribus ego " denas traducam. Quòd ſi mihi* ritè *parueris*, *mandatáque omnia peregeris*, *quemadmo- " dum peregit David*, imperium *tibi ſtabile* ac perpetuum ſpondeo futurum. *Davidis* " verò familiam delinquentem *corrigere mihi* propoſitum eſt, *non abdicare.* Hæc *Jeroboamo* dicta, ejúſque machinationes clancularias ubi reſcivit *Solomon*, hominem è medio tollere conſtituit, humanâ prudentiâ prohibiturus fruſtrà quæ deſignârat Deus. At ille in *Ægyptum* fugâ elapſus eſt ad *Seſacum* regem, aut in alia *Ægypti* ditione imperantem quàm ubi *Solomonis* ſocer; aut, eo cum ſuis defuncto, ex alia prognatum familia. Quicunque is fuerit, hoſpitio ſatìs liberali *Jeroboamum* videtur accepiſſe, quamdiu *Solomon* ſuperfuit ; ut; quod ſolent æmuli reges, vicino præpotenti domeſticos aleret adverſarios. A.M. 3028.

Quadrageſimum jam annum regnabat *Solomon*, cùm ſexagenario minor effœtum laſciviâ corpus exuit. Animáne ſalva in cœlum evaſerit, an idolorum cultoribus debitam pœnam ſubierit, equidem fateor me haud libenter de rebus tam invidioſis diſquirere, nedum pronunciare. Ego tamen ad partem accedo mitiorem, eorum qui ſub exitum vitæ conſcriptum ab eo *Eccleſiaſten* opinantur reſipiſcentiæ indicem; amoribúſque mulierum & cultui idolorum, aliiſque (ut ipſe appellat) vanitatibus, remiſiſſe nuncium. Nam 2 *Chron.* 11.17. *viæ*, hoc eſt, vitæ inſtituta, ut *Davidis*, ità & *Solomonis* collaudantur. Multa commentatus dicitur, *ter mille ſententias*, *cantica* verò *quinque ſupra mille* ; de rebus quoque naturalibus, arboribus, herbíſque & plantis ferè omnibus, de jumentis pariter & volucribus, de piſcibus reptilibúſque. Horum aliqua ſcriptis tradita ſunt in Libris *Proverbiorum*, *Canticorum*, & *Eccleſiaſtis.* Reliqua injuriâ temporum interciderunt. A.M. 3029. Ejus anima an ſalva fuerit.

§ 39. In civitate *Davidis* ſepulto *Solomone*, *Rehoboamus* filius ex *Naama Ammonitide* regnum ſibi vendicavit, annos unum & quadraginta natus. (1 *Reg.* 14.21.) Indicta ſunt regni comitia *Sichemi* tribûs *Ephraïmiticæ*, in loco admodum opportuno ad conventum totius populi celebrandum. Aderat *Jeroboamus*, ex *Ægypto* vocatus à ſuis poſt obitum *Solomonis*, à quo nimiæ ſpei damnatus fuerat. Antequam eſt renunciatus rex, *Jeroboamus* omnium *Iſraëlitarum* verbis ità *Rehoboamum* compellavit : " Convenimus huc ad novum regem, *Solomone* mortuo, inaugurandum. Cúmque tu " *Solomonis* atque *Davidis* hæres, *Rehoboame*, ſis, ad inaugurandum regem te, modò " te regem præbere, non dominum, velis, & ſubditis præeſſe memineris te, non ſer- " vis. *Jugum nobis graviſſimum tuus pater impoſuit*, oneráque pertulimus non feren- " da. *Tu nobis leviora* hæc, illud paulò *mitius effice*, ità *ſubditos tibi nos* fideliſſimos " habe. Imperium tibi firmius futurum eſt, ſi amari malis quàm metui. Cùm hæc audiſſet, nihil in tanta re inconſultò ac temere pronunciandum cenſuit *Rehoboamus.* Deliberandi ſpatium petit. Tertio pòſt die illi ſi redirent, reſponſurum reſpondit ſe. Interea ſenes advocat, qui *Solomoni* fuerant à conſiliis, ut dicerent hac in re quid ſentirent. Illi uno animo & ore cenſuerunt, " multitudini gratificandum & cedendum " eſſe ad tempus, *populúm*que *verbis molliſſimis compellandum.* Quòd ſi eorum hac in " re voluntati *obſequeretur*, *eos deinde perpetuò ſubditos* habiturum ſuis imperiis obſe- " quentes. Sed ignavum hoc (ut videbatur) de gratificando conſilium & obſequendo ſuis ſubditis, homini regiâ ſtirpe dignitatéque jampridem ferocienti non arridebat. Alios ergò natu minores, quibuſcum erat à puero educatus ipſe, dicere jubet quid illis videatur. Illi flammæ oleum addunt ; per ſe tumeſcentis animi augent ferociam. " Aſpere tractandam aiunt multitudinem, cedendo & obſequendo futuram " multò aſperiorem. Contundi & conterreri minis inſolentiam populi oportere. *Rehoboamus* ab his edoctus, redeuntes ad ſe *Iſraëlitas* ità increpuit, quaſi ex alto intonans: " Nudiuſtertius conqueſtos dicámne vos de *gravi patris mei jugo*, an regi optimè de " vobis merito petulanter convitiatos ? Regi, qui Templum vobis magnificentiſſi- " mum minimis veſtrûm ſumptibus ſtatuit ; qui tantam vobis auri copiam argen- " tíque ſuppeditavit operâ ſuâ induſtriâque, quantam vix lapidum in plateis habue- " ratis priùs ; qui peregrinos quidem & ſervos ad onera damnavit, vos autem mili- " tes atque duces, operarúmque præfectos gentiúmque ſubditarum, eſſe voluit ? A " me verò *levari* vobis onera minaciter flagitatis, detrectaturi, niſi fiat, obſequium. " Veſtrâ igitur mihi lege regnandum eſt, non Divinâ. At excutiam ego vobis hanc " petu- A.M. 3030. Mortuo *Solomone*, dividitur regnum,

A.M. 3030. "petulantiam, efficiámque ut ſentiatis *minimum è meis digitum paternis lumbis gra-* "*viorem. Solomonis grave* ſi *jugum* fuerit, *ego* ejus gravitati pondus *addam. Scu-* "*ticis meus pater vos, ego ſcorpionibus flagellabo. Iſraëlitæ* his aculeis irritati, ſua ſibi protinus habere *Davidem* jubent, *Davidicorúm*que à ſe imperium excutiunt, novum ſibi regem deſignaturi. Ecce quantum habeat momenti ad populum, aut alienandum, importunitas verborum acerbitáſque, aut conciliandum, orationis tempeſtiva comitas & indulgentia. Quod *Rehoboamus* regnum conſtabilire ſibi poterat verbis mollibus & moderatis, ferociâ intempeſtivâ & aſperitate amiſit. Nam ad ſummum ſuæ felicitatis res *Iſraëlitica* jam pervenerat, nec erat ultrà quò aſſurgeret. Reſtabat ergò, incrementis ceſſantibus, ut fati lege decreſceret, ac in pejus iret. Tutæ tranquillæque res foris; nati ſunt hoſtes domi, ut in fructibus maturis ſuaviſſimíſque vermes. Ità ſe planè ἀχρεῖον *Rehoboamus* præſtitit; qui neque optima conſilia ipſe per ſe invenire potuit, neque optima conſulentibus voluit auſcultare. Cùm igitur *Adoramum* ad colligenda tributa (quibus præerat) emiſiſſet per tribus rex, eum ſaxis obrutum populus interemit. Curru protinus conſcenſo, *Rehoboamus Hieroſolymas* ſe trepidè proripuit; ubi *Judæis* univerſis, & *Simeonidis*, puto, quorum erat cum *Judæis* permixta ſors, & *Benjaminitis* maxima ex parte, 17 annis imperavit. De *Simeonidis Torniellus* (A. M. 3060.) conjecturam facit haud ſanè incredibilem, eos, cùm reliquis novem tribubus adhærere vellent, & *Jeroboamo* addere tribum decimam, nec id (ut erant *Judæis* permiſti) facilè præſtare poſſent, ſenſim à ſuis dilapſos ſedibus, per tribus reliquas novem diſperſos habitaviſſe; quod futurum prædixerat *Jacobus. (Gen.* 49. 7.) *Iſraëlitæ* reliqui *Jeroboamum* ſibi præfecerunt, qui 22 regnavit annos: ità ut regna jam duo fierent; alterum *Iſraëliticum Jeroboami*, alterum *Rehoboami Judaïcum.* Non tulit *Rehoboamus* rupturam hanc, ſed exercitum conſcripſit centum octoginta millium, quibus ad officium *Iſraëlitas* reduceret. Verùm *Shemaia* à Deo miſſus Propheta, hanc in fratres militiam prohibuit. Quod enim factum erat ab *Iſraëlitis*, autore ſe factum aiebat Deus; itáque non poſſe deberéve infectum fieri. Miſſo armorum ſtudio, *Rehoboamus*, populo Dei mandatis obſequente, ad muniendas in ſua ditione urbes ſe contulit, inſtauravítque plurimas & communivit; ubi & præfectos collocavit filios ſuos, & annonæ copiam armorúmque, ad obſidionem, ſi foret opus, tolerandam, congeſſit. *Ægyptios*, credo, magis quàm *Iſraëlitas* metuit. *Jeroboamus* quoque *Sichemum* communivit, urbémque ſibi regiam conſtituit. Quam à *Levi* olim & *Simeone* exciſam, deinde inſtauratam, *Abimelechus* denuo evertit rex. (*Jud.* 9. 45.) Poſt natum *Chriſtum Sychar* dicta eſt, (*Joan.* 4. 5.) poſtea *Neapolis*, ad latus montis *Gerizim* ſita, qui montis *Ephraïmitici* pars erat. (*Joſ.* 20. 7.) Ædificavit mox & *Penuelem* in tribu *Gadis.* Nè autem ſubditi ſui, ad ſacra peragenda ſi proficiſcerentur *Hieroſolymas*, ad *Rehoboamum* fortè regem *Hieroſolymitanum* deficerent, desererent verò ſe interficeréntque, inito cum ſuis conſilio, novas religionum formulas, aſtutè quidem, ſed impiè, commentus eſt. Duos enim conflavit Vitulos aureos, quales *Aaron* olim in deſerto; è quibus alterum *Dane* conſecravit ad terminum ſui regni Borealem, alterum ad Meridionalem *Bethele Benjaminiticæ* tribûs. *Ægyptiacæ* religionis æmulatione, (unde nuper redierat,) *Ægyptiorum* volebat ſibi amicitiam & (ſi opus) opem conciliare. Excelſa etiam poſuit ubi ſacra fierent; & ſacerdotes qui facerent, non è tribu *Levitica*, ſed ex plebe infima quoſvis inſtituit. Veros autem ſacerdotes *Levitáſ*que omnes è regno ſuo exturbavit. Publico tandem edicto cavit, nè quis *Hieroſolymas* Religionis causâ adiret. Quippe id facturos pertimuit. Hos enim eſſe deos qui *Iſraëlitas* ex *Ægypto* eduxiſſent: hos ergò colendos, & ſacris publicis venerandos. Ità populum Dei, ut regnum ſibi novum confirmaret, novis implicuit religionibus, cultúque idolorum inexpiabili. Sic enim ſolent homines profani, quos *Politicos* vocant, ad res ſuas & utilitates detortam Religionem quaſi *Lesbiam* regulam accommodare. Et nè feſta deſiderarentur conventúſque publici, octavo menſe, die decimo quinto, ſolenne feſtum quoque indixit, *Moſaïcis* Tabernaculis non diſſimile. Utque feſtum ſuum novúmque altare conſecraret, primus ipſe victimas *Bethele* immolavit, & exemplo regio præivit multitudini. Dum intentus agebat hoc, adolebátque thus, ecce, miſſus à Deo aderat Propheta quidem *Judæus*, (cujus nomen nuſquam editur,) qui exclamavit, & his ipſis altare minis corripuit: "*O altare, altare, ità elocutus eſt Jehova* de te; *Ecce, naſcetur* aliquando *ex* "*ſtirpe Davidis puer, Joſias nomine, qui Excelſorum ſuper te* ipſos *immolabit ſacerdotes,* "*& humana comburet oſſa.* Illico autem *diſrumperis* tu, *effundetúrque* de te *cinis: quo* "*ſigno*

in Judaïcum, & Iſraëliticum.

“*ſigno* prodigiali conſtet impiis incredulíſque omnibus, *elocutum eſſe Jehovam* hæc.
Cùm hæc audiviſſet ſceleratus verborum fulmina, protenſâ manu, comprehendi juſſit A.M. 3030.
Prophetam, mox ad pœnas damnaturus. Sed exaruit repentè manus, ut protenſam retrahere ad ſe non poſſet. Ara ſimul diffiſſa eſt, & effuſus indè cinis diſſipatúſque. Tam inopinatis perculſus monſtris, Prophetam *Jeroboamus* impensè precatus eſt, (cùm ſuas & ſuorum vires malo impares cognoſceret,) ut hanc à Deo ſuo vindictam deprecaretur. Leniſſimi ut ſunt bonorum hominum affectus, ità facilè offenſas diluunt. In ſe crudeliter animadverſuro gratificatur ſtatim Propheta; ejúſque precibus impii regis manum condonat Deus. Quantò minùs meruit indignus rex, eò magìs agnovit beneficium. Perbenignè rogat peregrinum, ut “hoſpitio utatur ſuo, operæ ſimul *pretium* “ſanatæque manûs manu gratâ & liberali *redditurus*. At Propheta reſpondit, “nullo “id modo ſe facere poſſe; *quippe Deum vetuiſſe, nè* quid hoc in loco *ederet biberétve*, “*néve eâdem quâ venerat reverteretur* in *Judæam viâ*. Aliâ igitur rediturus domum, ex urbe paululùm progreſſus eſt. Quidam Propheta ſenex *Bethele* habitabat, cui filii nunciârunt quæ à *Judæo* apud aram dicta eſſent geſtáque. Propheta Prophetam conveniendi miro accenſus deſiderio, aſino inſtrato ſecutus, & ſub quercu ſedentem eſt conſecutus. Cùm hoſpitium humaniter obtuliſſet, ille verò quibus antea verbis repudiaret, ſenex, ut ei mendacio gratificaretur, “*& ſe prophetam eſſe* dixit, *monitúm*“*que ab angelo verbis Dei* finxit, ut *eum* ad cœnam hoſpitalem *revocaret*. *Judæus* verè locutum ratus, (quis enim Prophetam ſuſpicaretur mendacem?) & prohibitum ſibi nullum niſi regis hoſpitium, paruit roganti, hoſpitióque liberali acceptus eſt. Sed inter cœnandum, afflatus numine *Bethelicus* Propheta, alteri ex *Judæa* ſortem hanc à Deo denunciavit; “*Quoniam Dei mandato non eſſet obſecutus, ſed in loco vetito* genio “ſuo indulſiſſet, fore ut *cadaver ejus in majorum ſuorum tumulo non* omnino *recondere*“*tur*. Id & brevi & peregre moriturum ſignificabat. Ille ſe quidem Divinæ voluntati quàm humillimè permiſit; pranſus tamen comparavit ad iter. Aſino inſidens, haud procul diſceſſerat, cùm leo properanti obvius invadit interficítque. Omnibus verò ut pateret, eum id non fame ſtimulante, ſed inſtinctu feciſſe Divino quodam, non corpus mortuum, at nec aſinum viventem ad prædam rapuit. Sed leo aſinúſque ſimul quaſi cuſtodes aderant cadaveri ſacro, donec homines ad tumulum abſtuliſſent. Ubi in urbem detuliſſent rem mirabilem, & ad Prophetam ſeniorem, nuncii, vindictam ille Dei agnovit facilè, & *Judæo* id jam accidiſſe quod Deus erat interminatus. Ad locum ergò profectus, cadaver aſino impoſitum in urbem illico deportavit. Cúmque pro more ſatìs luctui datum eſſet, in ſuo ſepulchro tumulavit. Filiis quoque præcepit, ut “*mortuum in eodem ſe deponerent*, *oſſáque ſua oſſibus* Prophetæ *proxima* “*collocarent*. Nec enim dubitare ſe, quin *revera* tandem perfecturus eſſet *Jehova quæ* “Propheta *prædixerat*. *Jeroboamus* tamen iis Prophetæ minis nihilo ſanior, de ſe ſuóque tantùm regno ſolicitus, Religionem turpiſſimè conſtupravit; adeóque incendit iram Dei, ut regnum ejus mox familiámque omnem funditus deleret.

Aſorimus Tyriis dominatur annos novem, *Deleaſtarti* vel *Aſtarti* frater; *Aſtarimus*
Joſepho dictus. A.M. 3033.
§ 40. Quinto jam anno regnabat *Hieroſolymis Rehoboamus*; cúmque ſatìs ſe muni- 3034.
tum exiſtimaret adverſus vim omnem, nec Dei ope ſibi opus eſſe crederet, ejus Religionem & Sacra nihili habuit: ſecutúſque regem populus eódem impietatis prolapſus eſt. Triennio quidem inſtituta *Moſaïca* obſervârunt, quemadmodum regnantibus *Davide Solomonéque*. Nec *Judæi* modò, ſed ex *Iſraëlitis* qui aliquo Religionis veræ ſtudio tenebantur, *Levitas* exſulantes & ſacerdotes *Jehovæ* ſecuti, feſta celebrabant *Hieroſolymis*, muneráque ſua & victimas offerebant: ídque autoritatem *Rehoboami* regis confirmabat plurimùm. Poſtquam verò prohibuiſſet *Jeroboamus*, nè ſuorum quis migraret Religionis causâ *Hieroſolymas*, *Daneque* & *Bethele* Vitulis ſuis Dæmonibúſque ſacerdotes & ſacra inſtituiſſet, utrobique deferbuit ſtudium pietatis. Etiam *Judæi*, quibus Templum tam magnificum erat, Excelſa tamen ſibi poſuerunt, ſtatuáſque idolorum, & in omni colle lucos, & ſub quavis arbore frondoſa ſacra ſua celebrabant. Et pueri apud eoſdem *Sodomitici* mercebantur, aliáque vigebant ſcelera quorum causâ Deus profanas indè gentes jam olim exegerat. Ità gravibus flagitiis irritatus, gravia Deus ſupplicia tum de rege tum de gente ſumpſit univerſa. Etſi enim induſtriâ ſummâ ſuas opes confirmârant, & communiverant urbes; ut ſcirent tamen nihil ſatìs munitum eſſe ſine Deo, multò minùs contra Deum, *Seſacus Ægyptius* cum ingenti exercitu irrupit hoſtiliter in *Judæam*. *Jeroboamum* evocâſſe credibile eſt, qui ad eum confugerat

Propter ſcelera *Rehoboami*, *Seſacus Ægyptius Judæos* ſuperat diripitque.

A.M. 3034. fugerat cùm ſibi timeret à *Solomone*, & regni opes forſan prodiderat: evocâſſe verò propterea, ut adverſarii ſui perpetui aut frangeret vires, aut debilitaret. Etſi enim totis viribus de ſumma rei Deus vetuerat *Rehoboamum* experiri; perpetuò tamen armis reges ſe mutuò infeſtabant inimici. (1 *Reg.* 14.30.) *Ægyptio* aderant mille ducenti currus, ſexaginta millia equitum, peditum verò multitudo infinita; prætérque *Ægyptios*, *Lubæi*, (ex *Libya* forſan propinqua,) *Succæi*, (*Troglodytas* fuiſſe volunt aliqui,) *Cuſhæi*que, (*Arabes* an *Æthiopes* non conſtat.) Urbes quas *Rehoboamus* adeò muniverat propugnaculis atque præſidiis ſunt omnes captæ. Ipſas erant *Hieroſolymas* jam oppugnaturi, cùm Propheta *Shemaia* regem principéſque *Hieroſolymis* coactos hoſtium formidine à Deo ità commonuit: “ *Eos* jampridem *Jehovam dereliquiſſe*, & ſceleribus ne- “ fandis provocâſſe ad iracundiam; *à Jehova igitur derelictos* jam, in *Seſaci poteſtatem* “ *eſſe* traditos. Hæc cùm audiviſſent, magno protinus dolore perciti, non poterant non agnoſcere juſtiſſimam erga ſe iram Dei, ſuis peccatis ea promeritos quæ ferebant jam mala. Ea propter abjicientes coram *Jehova* ſe humillimè, iracundiam ejus & pœnam ſuppliciter deprecabantur. Animadvertit Deus, iterúmque admonuit Prophetam, “ *ſe propterea* in *Judæos non* animadverſurum eſſe pro meritis, *deleturúm*ve “ *Hieroſolymas*; *ſed* rationem aliquam expediturum quâ ab interitu vindicarentur, ut “ *Seſaco* dediti magno libertatem pretio redimant. Ex eo enim facilè *percepturos*, “ quantum Dei dominium, quod excuſſerant, humano levius ſuaviúſque ſit. Accepit ergò *Seſacus* theſauros regis Templíque omnes, aureáque ſcuta quæ pompæ gratiâ conflârat *Solomon*. *Rehoboamus* eorum vice (*Glauco* haud abſimilis) ærea repoſuit: quæ ſatellites curſorii ad portam regiam excubantes tantiſper gerebant, dum ad Templum regem affectabantur, & in ſuo procœtone reverſi deponebant. Copia luxum, luxus impietatem pepererat; luxum copiámque aut ſuſtulit omnino, aut plurimùm certè diminuit impietas.

De *Seſaco* controvertitur, quis fuerit, & quando. § 41. De *Seſaco*, an *Suſennes* ille ſit, qui hoc tempore regnaviſſe videtur nobis in *Ægypto*, an *Seſochoſis* vel *Seſonchis*, qui in proxima Dynaſtia ſecutus eſt primus, varia conjectura eſt. Illud convenientia ſuadet temporis; hoc, nominis. Nec prohibet, *Seſonchin* fuiſſe ipſum, paucorum annorum tarditas in tot rerum ætatibus antiquarum. Quis enim certi aliquid in *Ægyptiorum* Chronologia præſtare poteſt? *Joſephus Scaliger* *Seſonchin* opinatur ante patris *Suſennis* obitum hanc feciſſe in *Judæam* excurſionem. At *Seſonchi* pater non potuit eſſe *Suſennes*, cùm diverſarum Dynaſtiarum reges eſſent. Et ſuperſtite adhuc *Solomone Seſonchin* regnaviſſe, ex *Jeroboami* ad eum fuga conſtat. Nec eos audio qui *Seſoſtrin* fuiſſe opinantur, *Joſephum* ſecuti. In duodecima Dynaſtia longè ante hanc ætatem *Seſoſtris* ponitur à *Manethone*, multáſque ſubegiſſe provincias dicitur. At *Seſaci* victoria non ultra *Judæam* progreſſa eſt. Probabiliùs conjiciunt, qui *Seſacum* ſive *Seſonchin* in alia *Ægypti* parte, eodem quo *Suſennes* tempore, regnum volunt obtinuiſſe. Annos autem dominatus eſt 21 Dynaſtiæ 22. quæ prima fuit *Bubaſtitarum*.

A.M. 3039. *Iſthmius Glauci* filius *Meſſeniorum* fit rex; eúmque imitatus auxit deorum numerum *Gorgaſo* & *Nicomacho*, quibus templum *Pheris* poſuit. (*Pauſ. Meſſen.*) Videtur imperâſſe annos 50.

A.M. 3042. *Pheles*, ſive *Phelletes*, interempto fratre *Aſorimo*, regnum *Tyri* occupavit, menſéſque tenuit octo.

3043. *Ithobaal*, ſive *Ithobalus*, *Aſtartæ* ſacerdos, *Phelletem* ſuſtulit, & *Tyri* dominatus eſt annos 32.

3046. § 42. Peſſimi patris filius probus, *Jeroboami Abia*, ancipiti jam laborabat morbo, ad Medicorum deſperationem. Auxilium à Deo, cujus Sacra profanârat, nullum rex

Ob *Jeroboami* nequitiam ſummam, *Abia* moritur non iniquus. impius exſpectare poterat. A Dei tamen Propheta de morbi eventu certus fieri geſtiebat; eo præcipuè qui ſe regnaturum prædixerat, *Abia*. Eum ſcilicet perquam veracem expertus noverat. At nec eâ erat fronte, ut à Dei Propheta quicquam ſuimet gratiâ peteret. Uxorem igitur ſuam, quam communis filii morbus non minùs patre ſolicitam habuit, ſimulato vultu habitúque *Shilunte* Prophetam adire jubet, ac de filio quid eſſet futurum diſcere. Sed & munus (pro more) afferre jubet, panes decem & buccellata, lagenámque mellis. *Abiæ* jam caligabant oculi præ ſenio, utì nec ſine larva dignoſcere eam potuiſſet. At præmonuerat eum Deus, quænam pro foribus adeſſet mulier, quídque ab eo petitura: quid etiam ille reſponderet, docuit. Ergò ſtrepitum cùm audiret pedum ingredientium paratis auribus Propheta, compellavit ultro mulierem; “ *Ingredere*, *uxor Jeroboami*; *quid te ſimulas peregrinam? Ego verò miſſus* à Deo *ſum*, *ut triſtia* “ *tibi denunciem* & acerba, quæ tuo conjugi à te narrari jubet Deus. *Eum à ſe* unum è

“ multis,

“multis, ait, *ad* faſtigium *regale ſublatum*; *laceratóque* viri optimi *Davidis regno*,
“maximam partem illi eſſe traditam, *qui Davidis tamen* veſtigia nullo modo eſt per- A.M. 3046.
“ſecutus; *ſed*, homo ingratiſſimus, *majorum ſuorum impietatem* longè *ſuperavit om-*
“*nium. Alienis fuſilibúſque diis* zelotypum Numen *provocare*, *& contemptui habere*
“*Jehovam* ipſum. Brevi *igitur* interiturum funditus cum *familia* univerſa & ſecta-
“toribus ſuis, Vitulorum causâ *Dane Betheléque* collocatorum. *Ex iis* autem, *qui-*
“*cunque in urbe perirent*, *devoraturos canes*; *qui in agro*, *volucres.* Ità *enim ſtatuit*
“qui neſcit mentiri *Deus.* Tuum verò dicit *filium*, *ingrediente* mox tuam *te* do-
“mum, *exſpiraturum* : ſed *omnes eum Iſraëlitas luctu proſecuturos*, *& unicum ex Je-*
“*roboami* familia *ſepulchro donaturos. In eo enim aliquid* ſe *boni reperiſſe. Exoritu-*
“*rum* ergò novum *regem*, imò jampridem excitatum eſſe, *qui ſtirpem Jeroboami* ra-
“dicitus *exſcindet.* Fore ait poſtremò, ut omnes *Iſraëlitæ*, quos in cultum idolo-
“rum pellexit *Jeroboamus*, perpetuis calamitatibus civilium motuum divexati, in ex-
“ſilium tandem *ex hac terra beatiſſima* perpetuum *ultra fluvium exturbentur.* Hæc
Dei verbis Propheta ad uxorem *Jeroboami.* Ea *Tirzam* reverſa in urbem regiam, ut primùm ſuæ domûs limen attigit, æger filius animam exhalavit; quem populus luctu honoréque funebri proſecutus eſt.

§ 43. Obeunte *Rehoboamo*, regnavit apud *Judæos* tribus ferè annis filius ejus *Abiamus*, quem ex *Maacha*, ſive *Michaia*, genuerat, filia *Urielis* de *Gibeone*, qui & *Abſalomus* dicebatur. Filios enim 28, filias verò 60, ex 18 uxoribus, & 60 concubinis, procreâſſet. Ac primò quidem *Mahalatham* duxit, patrui natam *Jerimothi.* Deinde *Abihailam Eliabi*, quæ liberos ei tres peperit. At *Maacham* dilexit plurimùm; ejus propterea filio *Abiamo* ſceptrum ſucceſſori tradidit.

A.M. 3047. Mortuo *Rehoboamo* ſuccedit *Abiamus*;

Hoc, opinor, tempore inter *Judæos* & *Iſraëlitas* ſummis viribus belligeratum eſt; contractis hinc octingenties mille militum, indè quadringenties. Antequam ad manus ventum eſt, verbis experiri placuit *Abiamo*, an permovere ad deditionem *Iſraëlitas* poſſet, & ſine armis ſubigere. Videtur enim dicendo valuiſſe plurimùm; cujus & verba tradita memorantur ab *Iddone.* (2 *Chron.* 13. 22.) Ex vertice igitur *Semaraïmi*, montis in *Ephraïmitarum* & *Benjaminitarum* confiniis, exercitum hoſtilem his adortus eſt verbis: “ *Jeroboame* rex, vóſque fratres *Iſraëlitæ*, *attendite* (ob-

A.M. 3048 qui, oratione priùs habitâ, *Jeroboamo* frangit vires, ſtrage editâ eouſque inauditâ.

“ſecro) parumper iis quæ *ego* apud vos pauciſſimis de ſumma rei dicturus ſum.
“*Recognoſcendum vobis eſt*, quid de *regno* hoc univerſo *Jehova Iſraëlis*, hoc eſt, om-
“nium veſtrûm, *Deus* ſtatuerit; *ut* obtinendum illud *Davidi ejúſque poſteris æterno*
“*fœdere* hæreditario jure *tradiderit. Jeroboamus tamen*, dominandi libidine effræna-
“tus, à *Solomone* inprimis *Davidis filio deſcivit* : mox gladiatorum quorundam *ho-*
“*minum* quos ſibi adſciverat *conſceleratorum* manu *animos faciente*, *Davidis* nepoti
“*Rehoboamo*, viro *leniſſimo*, *repugnavit* palàm, & imperii maximam partem invaſit
“abſtulítque. Idem & vos, mei fratres, molimini, *Jehovæ dominatum* in vos, *fa-*
“*miliæ Davidis* conſtanter & perpetuò affixum, *repellere*, *magnâ* freti *hominum multi-*
“*tudine*, *vituliſque diis*, *quos* hominibus colendos, vix, opinor, ſanis, inſanus ob-
“trudit rex. *Jehovæ* autem *ſacerdotes* atque miniſtri *nonne à vobis profligati ſunt?*
“aliíque *more gentium* profanarum ex plebe infima viliſſimi quique ſubſtituti? *Cui*
“*enim cunque* libet, *licet* apud vos *juvenco arietibúſque ſeptem conſecrare ſacerdotem*
“*ſe* inanimis *diis. Nos autem Jehovam* colimus *Deum*, Deum unicum æternúmque,
“majorum noſtrorum Deum, iis quos ipſe inſtituit *ſacerdotibus atque miniſtris*, quæ-
“que ipſe conſtituit *ſacris. Ejus præcepta* religiosè *obſervamus nos*, *cui vos* omnem
“cultum *renunciaviſtis. Ecce* igitur, *Jehova nobiſcum ducit ipſe* bellatorum agmi-
“na; *ejúſque ſacerdotes claſſicum tubis contra vos canunt.* Quamobrem ſapite, ô *Iſ-*
“*raëlitæ* fratres, arma deponite; *nolite cum Jehova majorum* noſtrorum *Deo bellige-*
“*rari. Infeliciter enim ſuccedent* omnia quæ adverſo Deo molimini. Hæc *Abiamus* apud *Iſraëlitas.* Quæ hoſtis eum paſſus eſt eò faciliùs perorare, ut interea illi à tergo inſidias poneret, copiíſque abundantibus *Judæos* multò pauciores circundaret. Quod ubi *Judæi* perſpexerunt, vehementer Deum invocârunt; ſacerdotes unà clanxêre tubis bellicum, mox unâ omnes voce altiſſimâ exclamârunt: quo hoſtes ità perterruit Deus, ut in fugam omnes ſe conjecerint, ſtragéque maximâ cæſi ſint. Feruntur cecidiſſe quingenta militum delectorum millia; quot uno in prælio interfectos, vix aut nè vix quidem alibi uſquam legas. En quantò plùs in bellis præliíſque Divinum valeat auxilium, quàm aut militum copiæ, aut opportunitas locorum, aut ingenioſiſſima quævis hominum ſtrategemata. Multitudine longè ſuperabant

A.M. 3048. rabant *Iſraëlitæ*. Quod unicum erat optandum, ut copias tantò majores explicare poſſent, id etiam contigit ut volebant. Circumventos & circumcluſos undique à tergo ſimul & à fronte oppugnabant *Judæos*. Deo tamen hoſtibus opitulante, ſuperati ſunt, & cæde incredibili inauditâque trucidati. Perſecutus victoriam *Abiamus*, *Bethelem*, ubi alter Vitulorum colebatur, *Jeſhanam* & *Ephraïnam* urbes, unà cum villis earum, in ſuam redegit ditionem. Hâc victoriâ fractæ ſunt vires *Jeroboamo*, ut & *Abiamo* auctæ plurimùm.

A.M. 3049. *Abiamus Judæus* patri cùm eſſet Religione ſimilior quàm proavo *Davidi*, vix triennium paſſus eſt regnare Deus. Mortui verò & ſepulti cum majoribus in civitate *Davidis*, geſta ejus verbâque conſcripſit *Iddo* Propheta. Ex quatuordecim uxoribus, viginti duos mares, fœminas ſexdecim procreavit.

JEHO-

JEHOSAPHATUS,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER DUODECIMUS;

Qui,

A primo anno regis *Judæorum Aſæ* ad ultimum *Amaziæ*, annos continet 146.

§ 1. POST *Abiamum*, *Judæis* imperavit filius *Aſa*, melior patre, annis 41. A.M. 3050.
[a] *Jeroboami* defuncti regnum *Iſraëliticum* ſuſcepit filius *Nadabus*, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, nec tenuit biennio. [a] 3052.
[b] *Gibbethonem* fortè obſidebat *Nadabus Iſraëlita*, ut fines imperii ſui extenderet. Erat enim ea *Palæſtinorum* urbs, etſi Divino jure tribûs *Danicæ*. (*Joſ.* 19.44.) Aderat in caſtris *Baaſha* tribunus militum, vir ſtrenuus, ex tribu *Iſſacharis*. Quod *Jeroboamus* fecerat, is & ſibi licere idem arbitratus eſt, opprimere ſceptrum gladio, & regnum ad ſe traducere. *Nadabum* igitur, conjuratione initâ, nihil ſuſpicantem interemit, regnum arripuit, *Tirzæ* imperavit; quaſi ſceptro inſcriptum eſſet, (ut olim Diſcordiæ pomo,) *Detur fortiori.* Nec ipſum regem ſolummodo, ſed omnes *Jeroboami* liberos ac nepotes ad unum ſuſtulit, (quod interminatus erat Deus,) familiámque totam penitùs delevit. Sub finem prioris anni, qui erat *Aſæ* regis tertius, geſta ſunt hæc. (1 *Reg.* 15.28.) Verùm *Baaſha*, utcunque regnum invaſit alienum, *Jeroboamicæ* impietatis hæredem ſe præſtitit, eandem ipſe amplexus, quam, Deo volente, ultus eſt. Regnavit annis 24. Spontaneis inter *Iſraëlitas Judæóſ*que induciis, decem annorum *Aſæ* quies potiùs à Deo quàm pax data. Quod ille tempus omne, à Deo datum, ad inſtaurandam Religionem Dei, repurgandámque ab idololatriæ ſordibus, impendit, quas poſt *Davidis* tempora contraxerat. Quare ſuſtulit Excelſa, lucos ſuccîdit, ipſa comminuit idolorum ſimulacra; ſimul edixit pro imperio, ut, ſublatis inanibus diis, Deum populus verum, majorúmque ſuorum, unicum, & majorum more, coleret, ejúſque leges ac præcepta obſervaret. Cúmque finitimos haberet ſibi omni ex parte infeſtos, civitates propugnaculis atque præſidiis muniendas putavit contra impetus atque incurſus hoſtium. [b] 3053. *Baaſha Jeroboamum ulciſcitur, & imitatur.*

Uſorthôn, *Euſebio Oſorthon*, in *Ægypto* regnat poſt *Seſonchin* ann. 15. 3055.

Obeunte *Labotâ*, *Doryſſus*, *Agidarum* quintus, regno apud *Spartanos* potitus eſt ann. 29. 3057.

§ 2. Poſtquam annos decem quieviſſent *Judæi*, regnúmque ſuum propugnaculis communiviſſet *Aſa*, credibile eſt eum in montana *Ephraïmi* feciſſe impetum, urbéſque aliquas ſuæ ditioni adjeciſſe, præter eas à patre captas *Abiamo*. (2 *Chron.* 15.8. & 17.2.) 3063. *Aſa Arabes cædit fugátque.*

A.M. 3063. & 17.2.) Cùm autem annos ferè quatuordecim regnaviſſet, nuncii certi detulerunt, *Zeram Cuſhitam* ex *Arabia* cum ingentibus copiis adventare ad ſubigendam ſibi *Judæam.* Centena decies *Arabum* fuiſſe millia memorantur, & *Lubæorum,* (2 *Chron.*16.8.) præter trecentos currus. Impares longè his *Judæorum* vires. Nam quæ maximæ conſcribi potuerunt, 300000 è tribu *Juda,* ex *Benjamine* aliiſque (puto) ſociis 280000 non ſuperabant. Exſpectandum *Aſa* non cenſuit donec hoſtis in regni ſui viſcera penetraret, tantâ multitudine populaturus omnia. In finibus *Judææ* ad urbem *Mareſham* (*Joſ.*15.44.) occurrit. In valle *Zephata* concurrunt acies atque decernunt. At inprimis Divinam obnixè imploravit opem rex, his aut hujuſmodi verbis: "Omnipotens *Jehova Deus, perinde tibi eſt* parvis copiis atque ma-"gnis tuorum hoſtium vires profligare. En, pauci nos *contra* immenſam *hanc A-*"*rabum* conſpirationem *prodimus,* non robore noſtro, ſed tuo unius freti Numine. "*Tu,* benigniſſime *Deus, auxiliare nobis,* quæſumus, *opémque* tuis *fer*; *neque pa-*"*tere ut tuam,* ut Divinam *mortalis* ulla humanâque *ſuperet* vis. Ità precante rege, exoratus facilè Deus terrorem incuſſit *Arabibus,* ut adorientium *Judæorum* ſuſtinere impetum non poſſent. In fugam igitur præcipitem effuſi, maxima cum ſtrage diſſipati ſunt. Summis enim viribus perſequebantur *Judæi, Gerarémque* & alias urbes, vel *Zeræ* ſubditas, vel fœderatas, diripuerunt. Tentoria quoque *Nomadum* gregibus armentíſque pecorum & camelorum ſpoliârunt. Ità facilem nacti victoriam, ingentémque prædam, *Hieroſolymas* lætiſſimi reverterunt. Occurrit redeuntibus *Azarias Odedi* filius, Numine afflatus Propheta, qui verbis Dei regem populúmque affatus eſt: "*Attendite,* inquit, quæ meo vobis ore Deus renunciari vult. Maxima "hæc de hoſtibus victoria, non veſtris accepta viribus, (quorum pauciores multò "copiæ ac debiliores fuerunt,) ſed gratiæ Divinæ referenda eſt. Suam *Jehova* ex-"periri voluit vos opitulantis fortitudinem, qui expertus nuper eſt veſtram in ſe pi-"etatem. Pro certo deinceps habetote, ritè colentibus Numen *ſuum, vobis* itidem "propitium ſemper *adfuturum Deum*; *deſertum verò* pariter *derelicturum.* Illuſtri "vobis argumento ſit *Iſraëlitarum* calamitas, qui *multos jam annos* in tenebris pere-"gerunt, *ſine* luce *legis, ſine* luce *Dei, ſine ſacerdotum* luce *qui* Legem *docerent,* qui "ad Deum ducerent. *Tamen* & *his reſipiſcentibus* verè, ſi ex profundo *ærumnarum* "*ſuarum imploraviſſent Deum,* opportunâ laborantibus ope adfuiſſet. Jam verò *nulla* "*Iſraëlitis* quies, nulla *pax*; *ſed maximis* aſſiduíſque *difficultatibus* confligantur. Se-"ditionibus enim cædibúſque mutuis atterunt & *conficiunt* ſe. *Quippe Deus* idem, "qui obſequentibus erat opitulaturus, *in* has rebelles *anguſtias cogit. Vos igitur* quo "cœpiſtis pede felici pergite; fixis firmíſque animis Dei Religionem colite, atque "à ſordibus perpurgate. Magna *enim* huic *operæ veſtræ* certáque *merces* promittitur, "*perſolvetur.* Cùm hæc audiviſſet, quâ erat pietate, rex, præceptis Dei alacriter eſt obſecutus; & quæ adhuc reliqua erant idola privata, per omnem ſuam ditionem, ſuſtulit ac delevit; Altare verò æneum & ſacerdotale atrium ſacris peragendis inſtauravit. (2 *Chron.* 15.8. & 20.5.) *Cuſhitas* hos ab *Aſa* debellatos *Arabes* fuiſſe, non *Æthiopes,* mihi dubium non eſt. Ex *Africa* enim tantum exercitum traducere in *Judæam,* operæ pretium non fuiſſet. *Arabes* autem *Cuſhitæ* inter populos *Judæis* finitimos numerantur *Pſal.*87.4. *Ecce Palæſtini, Tyrii, & Cuſhitæ.*

De qua victoria concionatur *Azarias.*

A. M. 3064. § 3. Annum regni decimum quintum agebat *Aſa,* cùm populus univerſus *Judæorum* & *Benjaminitarum,* ad agendas gratias vindici & propugnatori ſuo Deo, *Hieroſolymas* coactus eſt. Tertio ejus anni menſe convenerunt, quo *Pentecoſtes* feſtum celebrabatur. Aderant ex *Ephraïmitis* atque *Manaſſidis* quoque multi, qui Religionis causâ exſulabant apud *Judæos* & *Benjaminitas.* Plurimi enim ex *Iſraëlitis* defecerant ad *Aſam,* ubi tantam ejus apud Deum gratiam, proſperéque illi omnia ſuccedere, perſpexerunt. Eóque libentiùs *Ephraïmitæ,* puto, ac *Manaſſidæ,* quòd homini obſcuro ex tribu *Iſſacharis,* qui populari ſuo extorſerat imperium, ſubeſſe ac parére dedignarentur. Aderant *Simeonidarum* quoque plurimi. Ex præda immolaverunt Deo 700 boves, pecudum verò 7000. Novo etiam fœdere obligârunt ſe, Deo patrum ſuorum *Jehovæ* in poſterum ſe animis puris integríſque obſecuturos: ſtatuerúntque capitis pœnam in eos, quicunque fœdus hoc cujuſcunque ordinis vel ſexûs violarent. Ingenti clamore populorum, tubarum clangore buccinarúmque, & ſummo omnium gaudio jurati ſunt, eò quòd ſe invocantes exaudiviſſet, tantámque de *Arabibus* victoriam Deus & pacem undiquaque ſtabilem dediſſet. Tanto verò Divinæ gloriæ zelo exarſit pius rex, ut nè ſuorum maximis chariſſimíſque idololatriæ

Aſa, cum ſuis omnibus, inſignem Deo exhibet gratitudinem.

triæ gratiam fecerit. Quippe *Maacham*, aviam ſuam, de ſuo dignitatis gradu dejectam in ordinem redegit, eò quòd exſecrabilem in luco ſtatuam ſibi colendam poſuiſſet. Statuam verò ipſam in fruſta comminutam flammis tradidit ad fluentum *Cidron*, cineréſque fluento in mare Mortuum deferendas. Et nè quâ parte claudicaret ejus pietas, ex hoſtium ſpoliis conſecratas res, ſive à patre ſuo, ſive à ſe, in ærarium Templi retulit. *A.M.* 3064.

Animadvertit *Baaſha Iſraëlitarum* rex, ſuorum aliquos deſciviſſe ad *Judæos*, ac plurimos migrare annuatim ad Sacra ſolennia Feſtáque *Hieroſolymis* celebranda. Itaque ſubvereri cœpit, nè mox, niſi cautè proſpiceret, ſui omnes ſubditi ad domum *Davidicam* deficerent. Conſultum ergò viſum eſt, aditum occupare qui plurimis patebat in *Judæam*. Per *Ramam* urbem *Benjaminiticam* erat pleriſque tranſeundum. Hanc ſibi capiendam, amplificandam, operibúſque maximis muniendam putavit, nè cui, niſi arbitrio ſuo, vel egredi ſuo regno, vel ingredi liceret. Capta urbs eſt, materiéſque lapidum atque lignorum ædificandæ ac muniendæ comportata. Minimè ferendum id *Aſæ* videbatur, quod impedire tamen non valebat: ídque nè fieret, aderat, opinor, *Baaſha* cum exercitu. Aliunde igitur implorandum erat *Aſæ* auxilium. De ope Divina, cui à magnis *Cuſhitarum* minis debebat ſalutem, non cogitabat. Humano more, humanam captat muneribus gratiam. Aurum argentúmque ex ærario tum ſacro tum regio corraſit omne, legatíſque tradidit, ut eo *Benhadadum Syriæ Damaſcenæ* regem, *Tabrimonis* filium, *Hezionis*, ſive *Rezonis*, nepotem, ſibi conciliarent. Monere juſſit mutui fœderis inter ſe patréſque ſuos inſtituti, ac petere tandem contra *Baaſham* inpugnantem ſe hoſtem auxilium. Regium atque magnificum *Benhadado* viſum eſt, laboranti ſupplicantíque regi ſuccurrere. Miſſi duces cum exercitu. Captæ direptæque civitates, *Ijon Aſheritarum*, & *Danitarum Dan*, *Abel-bethmaaca* quoque *Manaſſidarum*; omnes denique urbes armamentariorum *Naphtali* cum tractu *Cinneroth* depopulati ſunt. Ubi de hoſtium incurſu nuncios accepit *Baaſha*, miſſa protinus *Rama*, & ad ſuas tuendas res traductus exercitus. Pari celeritate *Aſa* ſuis ut adeſſent omnibus edixit; lapidéſque omnes & ligna, quibus munienda erat *Rama*, ad *Gebam* & *Mizpam* ædificandam deportavit. Interim Deus, peregrini profaníque regis opem implorari, negligi ſuam, indigniſſimè tulit. *Hanani* ergò Propheta miſſus eſt, qui regem eo nomine corriperet, ac denunciaret, " *quoniam Benhadadi* auxilio *fretus fuiſſet potiùs quàm Dei, Syros ideo* mox " eum hoſtibus infeſtandum relicturos; nec opitulaturum in anguſtiis, vel rogatum, " antea neglectum Deum. *Nonne immenſas Arabum Lubæorúmque copias*, (inquit " Vates) *equites & currus*, cùm ejus præſidio *innitereris*, profligavit ac peſſunde- " dit? Qui contemplatur & videt omnia *Deus*, *firmo* eſt omnibus *præſidio* futurus, " *quos animo integro* venerantes videt *ſe*. *Tibi* verò qui *temeritate* ſummâ auxilium " Divino humanum prætuliſti, *bella deinceps*, horrida bella exſpectanda ſunt. Quod & accidit veriſſimé. Nullum enim ejus temporis quo regnavit *Baaſha* vacabat bello, mutuíſque aut inſidiis aut prœliis. Cùm hæc eſſet libere prolocutus Propheta, ut nuncius Dei, vehementer ſuccenſuit rex, minacémque Vatem in vincula conjecit; aliíſque plurimis eâdem tempeſtate magnas creavit moleſtias. Adeò periculoſum eſt aliquando, vel piorum hominum *A.M.* 3065. Mox tamen, mirè oblitus Dei, ethnici *Benhadadi* implorat opem.

Auriculas teneras mordaci radere vero.

Nam & ipſa *veritas odium parit.* Neque tamen ſeveriſſima quorumcunque regum ſupercilia, tonitruáve minarum, Prophetis debent audaciam infringere, quò minùs voce liberrimâ denuncient mandata Dei.

Baaſha Iſraëlita cùm in rebus ſacris ad cultum ſpectantibus Dei *Jeroboami* facta imitaretur, cujus ipſe impietatem ultus fuerat, ut ejuſdem exitum quoque perhorreſceret, delegatus ad eum *Jehu* eſt Propheta, *Hananis* filius; qui pari audaciâ *Baaſham* increpuit, quâ ejus pater *Aſam* increpuerat, his aut hujuſmodi verbis Dei: " *Ego* " *te*, ait *Jehova*, *ex pulvere* ſordibúſque plebeiis *ad* ſummum *regni* hujus *faſtigium excitavi.* *Tu* hanc mihi gratiam rependis, ut *Jeroboami* peccata imiteris, *populóque* " *meo impietatis* & idololatriæ *autor ſis*. Erit ergò mox ut adimam tibi tuíſve quæ " donavi omnia; ut *familiam* tuam ſectatoréſque omnes funditus *tollam*; *quique in* " *urbe perierint*, *canes*, *qui in agro*, *volucres ſint devoraturæ.* *A.M.* 3067. *Jehu* ad *Baaſham* ex parte Dei delegatus Propheta.

Prytane obeunte, filius *Eunomus*, *Eurypontidarum* quintus, imperavit *Lacedæmoniis* annos 30. (*Pauſ. Lacon.*) 3069.

Ano-

A. M. [a] 3070. [b] 3075. [c] 3079. [d] 3090.

[a] Anonymi tres *Ægypti* regno potiti ſunt ann. 25, *Vſorthone* defunđo.

[b] *Badezorus* poſt *Ithobalum* filius regno *Tyrio* potitus eſt ann. 6: cujus ſororem *Jezebelem*, *Ithobali* filiam, (1 *Reg.* 16.31.) dedit filio uxorem rex *Omri.*

[c] *Margenus*, ſeu *Mettinus*, *Badezori* filius, regnum *Tyri* obtinuit ann. 9.

[d] *Margeno Tyri* ſucceſſit *Pygmalion*, regnavítque ann. 40, vel 47.

In regno *Meſſeniorum Iſthmio* patri ſucceſſit *Dotadas*, & imperavit ann. 60. Is navale, præter vetera, aperuit atque munivit *Methonæ* novum. (*Pauſ. Meſſen.*)

A. M. 3076.

§ 4. *Baaſha Tirzæ* defunđus, atque ſepultus, filio *Elæ* reliquit regnum anno *Aſæ Judæi* 26. *Elæ* autem, potationibus dum indulgebat ad ebrietatem uſque apud *Arzam* regiæ domûs præfećtum, unus ducum, *Zimri*, qui parti curruum dimidiæ præerat, homini temulento ignavóque ſubeſſe dedignatus, vim intulit, obrutum vino regem interemit, ſolium ipſe regium occupavit, diebúſque ſeptem tenuit; magni facinoris præmium breve. Eo tamen perbrevi ſpatio omnem *Elæ Baaſæ*que familiam, qui ſuis *Jehovam* peccatis provocaverant, delevit funditus, quod fuerat minitatus Propheta *Jehu*. Exercitus interea *Gibbethonem Palæſtinorum* obſidebat; acceptóque nuncio de cæde regis, *Omrin* ei protinus, militiæ principem, ſufficiunt. Raptis indè admotíſque *Tirzæ* obſidendæ copiis, deſperatâ ſalute, *Zimri* ſe regiámque flammis unà tradidit, ſuúmque in ſe vindicavit ſcelus. Neque tamen (rivali cæſo) pacato regno potitus eſt *Omri*, quod tantopere ambiebat. Populi pars altera *Thibnin* ei oppoſuit, *Ginathi* filium; duóque ſimul reges aliquot annos imperârunt.

Climax impietatis in regibus *Iſraëliticis* admiranda.

A. M. 3081.

Thibni mortuo, rivali altero, ſolus apud *Iſraëlitas* regnavit *Omri*, cujus erat major & firmior fađio. Sexto jam anno regnabat *Omri*, cùm à *Samaro* quodam montem duobus talentis emit in tribu *Ephraïmitica*, ubi urbem condidit magnificam, quam à *Samaro Samariam* appellavit, *Tirzâ*que relićtâ, ſedem regni conſtituit. At poſt tot reges cum familiis ſuis deletos idololatriæ causâ, quaſi æmulatione quadam impietatis concertarent, ità poſterior ſemper nequior; omniúmque ſceleratiſſimus *Omri*, legibus perquam ſeveris *Jehovæ* cultum prohibuit, idolorum confirmavit; (*Mich.* 6. 16.) eò populum volentem nolentémque impulit.

A. M. 3086.

Poſt patrem *Doryſſum*, *Ageſilaus Lacedæmone* adeptus eſt regnum, ac tenuit ann. 44, *Agidarum* ſextus. (*Euſeb.* Chron.) *Ageſilaüm Doryſſúm*que patrem *Pauſanias* (in *Laconicis*) morte tradit præmaturâ interiiſſe; *Ageſilao* tamen regnante, *Lycurgum Lacedæmoniis* tuliſſe leges.

A. M. 3088.

Omri moritur, & *Samariæ* ſepelitur; *Achabo* filio regnum ſuſcipiente, imperantéque ferè annis 22. Ille verò non patrizabat tantùm, ſed ipſum *Omrin* ſuperioréſque omnes impietate ſuperavit. Regis enim *Sidoniorum Ethbaalis* filiam *Jezebelem* cùm accepiſſet uxorem, non Vitulos modò *Jeroboami*, ſed *Baalem* quoque *Sidonium* coluit, temploque & arâ dignatus eſt in *Samaria*; quibus etiam & lucum addidit.

A. M. 3091.

§ 5. *Judæorum* rex *Aſa* duos jam annos ex pedibus graviter laboraverat, quibus curandis Medicos ſedulò advocavit; at neque hîc advocavit Deum. Deo igitur minùs propitio, nihil ei ars Medicorum profuit. Morbo ingraveſcente confećtus eſt, & in cubili jampridem à ſe effoſſo, repletóque aromatibus, ſatis magnificè ſepultus eſt. *Jehoſaphatus*, probi patris multò præſtantior filius, *Judaïcum* regnum adeptus, annos 25 regnavit *Hieroſolymis*. Atque inprimis regnum ſibi confirmandum exiſtimavit, præſidiáque urbibus munitis imponenda, etiam urbibus *Ephraïmiticis* quas pater *Aſa* ceperat. Plures mox communivit ipſe, & propugnacula conſtruxit. Milites etiam ſtationarios conſtituit 1160000, ſub chiliarchis quinque. *Hadnæ* præfećtorum principi 300000 tradidit *Judæorum*; *Jochanani* 280000; *Amaſiæ* 200000, qui ſponte ſeſe obtulit militiæ Dei; *Eliadæ* 200000 *Benjaminitarum* arcubus & ſcutis armatorum; *Jehozabado* eorundem 180000. Zelo planè *Davidico* cùm promoveret cultum Dei, Deus illi propitius adfuit, maximíſque opibus auxit, & ad ſummum felicitatis humanæ faſtigium ſuſtulit. Nec ſui modò *Judæi* muneribus fidem ei ſuam obligârunt plurimis maximíſque; ſed & *Palæſtini* većtigal ſolvere quotannis, *Arabéſ*que arietum ſepties mille, totidémque hircorum. Regibus etiam vicinis metum incuſſit *Jehova*, nè quis auderet bello *Jehoſaphatum* laceſſere.

Jehoſaphatus, *Davidis* inſtar,

A. M. 3093.

Regno conſtabilito *Jehoſaphatus*, auđíſque divitiis abunde, potentiâque & gloriâ, inſtaurandæ Religioni ſtrenuè incubuit: útque perficeret id in quo pater *Aſa* deſudârat, reliquias idolorum atque lucorum Excelſorúmque abolere conatus eſt. Quò id faciliùs fieret, populum inſtitui & erudiri voluit in principiis Religionis veræ, qui

pius & proſperus rex.

qui cæcitate hactenus ignorantiâque in tenebris oberrârat. Miſit ergò principum quinque, *Levitas* unà cum principibus novem, duóſque ſacerdotes, viros eruditiſſimos, qui omnes *Judæorum* civitates obirent, docerentque populum, & omnes Divinæ Legis nodos explicarent. *Achabus* interea *Baalis* cultum, uxoris gratiâ, non minore ſtudio procurabat propugnabátque. Tantæ impietati Prophetam Deus oppoſuit non vulgarem, ſed igneo quodam & ardente zelo inflammatum, qui tepeſcentibus *Iſraëlitis* quaſi lucentem flagrantémque facem pietatis admoveret. *Elias* vocabatur, *Thisbites* ex tribu *Gadis.* (1 *Reg.* 17. 1.) Ille precibus importunis à Deo impetravit, nè trium annorum ſpatio menſiúmque ſex pluviæ caderent in *Iſraëlitide*, ſed ut ſiccitate omnia ſterileſcerent; indè anſam opportunam arrepturus, *Baalis* prophetas atque cultum ulciſcendi. *Achabo* igitur Dei verbis ità denunciavit: "*Achabe rex*, tu *Jehovam* majorum noſtrorum Deum abjeciſti, prætuliſti *Baalem*; eúmque populo *Jehovæ* venerandum objicis pro Deo. Ut certò ſcias, unicum noſtrum eſſe in cœlo terrâque Deum, *nulla per hos annos* in terram tuam *pluvia* è cœlo *niſi arbitrio* deſcendet *meo.* Ubi hoc veriſſimè contigerit, quâ tu temeritate verum viventémque ab æterno Deum idolo muto mutaveris mortuóque, ipſe videris. Hæc effatus Propheta, foras proripuit ſe. Nihili tamen has fecit *Achabus* Prophetæ minas, ut qui nihil crederet ex his futurum quæ minabatur. At verò Deus, qui & futura hæc omnia noverat, & *Achabum* propterea perveſtigaturum *Eliam* ad pœnas & necem, latitare ad tempus Prophetam voluit, apud rivum *Cerethi*, ab Orientali ripa *Jordanis*; loco ſanè obſcuro, & quò nullus erat hominum acceſſus; ibi pollicitus operâ corvorum ſe carnem panémque manè ac veſperì miniſtraturum. Sed poſt annuam ſiccitatem, torrens *Cerethi* unde biberat *Elias* exaruit. Aliò igitur ei migrandum fuit, ubi ſuppeteret aqua. *Sareptam* petere juſſit Deus: (ea *Sidoniorum* urbs fuit:) viduam illic mulierem hoſpitium ei daturam. Eò profectus, ad portam urbis mulierem vidit colligentem ligna. Eam eſſe auguratus quam promiſerat Deus, primò, aquæ pauxillum ut ſibi præberet obſecravit. Æſtu enim itineréque longo ſitim contraxerat. Aquam ubi mulier præbuiſſet, panis quoque fruſtum ut porrigeret petiit Propheta. At mulier "*Jehovam ejus Deum* teſtata eſt, (*Iſraëlitam* eſſe ex vultu habitúve, aut dialecto, noverat,) *nullum ſibi eſſe* vel *fruſtum* panis; *ſed volam ſolummodo farinæ in cado, oleique paululum in ampulla: lignum ſe* jam *colligere, ut ſibi filióque ſuo hunc* ultimum panem *apparet, quo abſumpto, fame conficiantur ipſi.* At *Elias*, "De fame, inquit, mulier, iſthac quam dicis, *ſolicita nè ſis.* Quem eras factura panem, *perge, perfice. At inprimis mihi placentam facias afferáſque* huc; *tum verò tibi filióque appara* quantum voles. *Sic enim ait Jehova Iſraëlitarum Deus, Cadi farina non deficiet, neque ampullæ oleum abſumetur, donec pluviam* & fœcunditatem *reddiderit Deus.* Eò igitur divertit Propheta, hoſpitióque non tam lauto quàm benigno acceptus eſt.

A. M. 3093.

Acriter *Elias Achabum* arguit.

A corvis nutritur,

& viduâ *Sareptanâ.*

§ 6. Poſt annuam in his ædibus *Eliæ* moram, contigit filium hoſpitæ graviter ægrotare; imò in ulnis ipſis anxiæ matris exſpirare. Id verò quaſi Prophetâ vel procurante factum eſſet, vel connivente ſaltem cùm prohibere potuiſſet, ità querelis *Eliam* vidua invadit: "*Quid mihi tecum eſt, ô ſancte vir?* Siccine rependis mihi hoſpitii gratiam? Ideóne *divertiſti ad me, ut peccata mea* Deo *proderes, & auferres mihi filium?* Vitam nobis pollicitus, ſiccine ſolvis fidem? A fame ſalvum morbo interimi vis? Viduæ querelam, tantámque invidiam, utcunque immeritò collatam in ſe, ſuſtinere tamen Propheta non potuit. Puerum arripuit, in ſuum detulit cubile, impoſuit lecto, Deúmque ſtrenuè inclamavit, iiſdem penè querelis Deum adortus quibus erat vidua ſe. "Quid hoc eſt, *mi* ſanctiſſime *Deus*, quod *in viduam* hanc ſeveriùs, *à te mihi hoſpitam* deſignatam, ſtatuis? quòd *filium, ejus* unicum ſolatium & oblectamentum, *eripis?* Parce, obſecro, clementiſſime Deus, téque in hanc benignum, tuâ benignam gratiâ in me, exhibeto. Tum in pueri corpus ſuo corpore procubuit;

A. M. 3095.

Viduæ filium reſuſcitat mortuum.

Cum pede pes junctus, totóque ità corpore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebat:

ſimul Deum, alternis incubans & orans, vehementer obteſtatus eſt, ut "*puero* quam ademerat *animam*, pro ſumma ſua indulgentia & miſeratione, *redderet*, vitâque filium matrémque ſimul redonaret. Valuit Prophetæ ardor & importunitas; vitam puero reſtituit Deus, matri puerum *Elias.* Ea verò, exſultans gaudio, "ſatis *ex-*

A.M. 3095. *pertam ſe* dixit jam, *Eliam* & verum *eſſe prophetam Dei, & veracem* futurum, quæcunque prædiceret aut denunciaret.

In *Ægypto* poſt anonymos tres *Tacellotis* regnavit ann. 13.

A.M. 3097. Convincit *Iſraëlitas, Jehovam* unicum eſſe Deum.

Propter ſiccitatem ſterilitatémque ſoli, magnâ jam rerum omnium penuriâ laborabatur *Samariæ*; jumenta præcipuè confecta fame pleraque interibant. Ut huic malo remedium quæreret *Achabus* rex, indagandos putavit ſibi omnes aquarum fontes per univerſam regionem, loca humiliora & humidiora ubique perſcrutanda. Omni terrâ in duas partes diſtributâ, alteram obibat ipſe; alteram *Obadiæ*, aulæ regiæ præfecto, ſed optimo ac religioſiſſimo viro, perambulandam aſſignavit. Interim *Eliæ* præcipitur à Deo, ut *Achabum* adeat, ſatis hâc vice caſtigatum fame, nunciétque de pluvia. Et reliqua veriſimile eſt in mandatis accepiſſe, quæ ab eo deinde geſta ſunt. *Obadiæ* igitur proficiſcenti ad pabulum fœnúmque inveſtigandum occurrit *Elias*. Agnovit Prophetam pius vir, ſive alibi conſpectum à ſe, ſive peculiari quodam habitu inſignem, & corpore ad humum demiſſo veneratus eſt:

Tanta fuit quondam capitis reverentia ſacri:

ſimul addidit; "*Túne* verò ſanctus *ille* Propheta *Jehovæ, dominus meus Elias es?* Reſpondit Propheta, "*Elias ego ſum. Tu tuo domino* regíque *Achabo nuncies* vo-"lo, eum præſtolari me; habere quod illi nunciem à *Jehova* de pluviis. "Itáne "verò, ait *Obadia*, præſtolari te ut *nunciem* vis? *Quonam meo* merito tibi dignus "videor, quem iræ *objicias* vindictæque regiæ? *Cùm enim ego renunciavero adeſſe* "te, ſi *te ſpiritus Dei* aliò *abripuerit* interea, quas ego mendacii ludibriíque pœnas "daturus ſum? Teſtor enim *Jehovam deum tuum*, in omnibus *te* vicinis *gentibus* "urbibúſque regem *perquiſiviſſe* & *perſcrutatum eſſe*; nec niſi *juratis* crediſiſſe abne-"gantibus te. *Méne* igitur in hanc fraudem conjicies, qui eundem *Jehovam* unicum "& animitus *colo? Nullâne fama detulit ad* te, *cùm Jezebel prophetas Dei ad* pœnas "& *perniciem raperet, ut ego centum ex* iis *in ſpeluncis* duabus *abdiderim, aluerim,* "conſervârim? Noli, obſecro, me in exitium ſciens præcipitare. "Noli verò tu, "inquit *Elias*, de me metuere. Teſte *Jehovâ exercituum Deo, cujus in conſpectu ſto,* "regi *hodie in conſpectum ego me* tibi *daturum* ſpondeo. Ad regem ergò perrexit *Obadias*, *Eliam* convenit rex; útque primùm adiit, *Túne*, inquit, *ille es qui perturbat Iſraëlem?* Intrepidè Propheta, "Imò *tute, tuique patris familia, Iſraëlem* pertur-"batis, qui *relicto Jehovâ*, majorum noſtrorum Deo, *Baalem colitis*, *Baalem* populo "Dei colendum objicitis. *Jam verò*, ut experiaris uter eorum Deus revera ſit, po-"pulus *mihi univerſus in montem convocetur Carmelum*; eò *& Baalis* accedant 450 "*ſacerdotes, & lucorum* 400, *quos paſcit Jezebel.* Factum eſt quod imperavit Propheta, qui populum ità paucis affatus eſt: "*Quouſque* tandem, *Iſraëlitæ, claudicabi-*"*tis inter duas* de diis ac Religione *ſententias? Si Jehova Deus* ille verus unicúſque "*ſit, eum colitote* unicum. *Sin eſt* deus *Baal, Baalem* ſolum *veneramini.* Cùm nihil haberet populus quod reſponderet, pudore obſtante vel metu, pergit *Elias:* "Ut ve-"rum pernoſcatis Numen, experimentum hoc facillimum facite. *Baalis ſacerdotes,* "qui *plurimi ſunt*, victimam *ſibi eligant*, aræ *imponant, nullo igne adhibito. Ego pa-*"*riter*, qui *ſolus Jehovæ propheta ſum*, aræ victimam *admovebo.* Cujus victima *igne* "cœlitus delapſo conflagraverit, verum *is* unicúmque *Numen habeatur.* Æquiſſimum hoc Prophetæ dictum populus ingenti acclamatione comprobavit. *Baalis* ergò ſacerdotes, cùm juvencum in ligno ſuper aram compoſuiſſent, magnâ omnes vociferatione ſuos deos inclamârunt, ut ignem è cœlo elicerent. Cúmque nulla vox redderetur à manè clamantibus uſque ad meridiem, quaſi furore lymphatico agitati, ſauciabant ſe cultris, & ſpiculis fodicabant, adeò ut ſanguinem elicerent, non & ignem. Hâc lancinatione, deorum ſuorum provocare miſericordiam volebant gratiámque. Et in aram inſultabant: donec *Elias* tandem ludificatus eſt vanam ludentes operam, jubebátque, ut "*altiore voce Baalem invocarent. Eum fortaſſe* aliis "diſtrictum negotiis, utpote *deum, aut colloquiis* precibúſve aliis attentum, *aut in* "*itinere aliquo* proficiſcentem, *aut perſequentem* hoſtes, *dormientémve*, non exaudire "ſubmiſſiùs vociferantes. At cùm nihil omnibus artibus clamoribúſque proficerent, poſt meridiem *Elias* accedere ad ſe populum jubet. Cúmque vetus Altare duodecim lapidibus, pro numero tribuum, inſtauràſſet, foſsâque circumdediſſet, lignum in altari, victam cæſam ſectámque in ligno compoſuit. Aquæ deinde in victimam atque lignum quatuor ſimul imperavit effundi cados ter, adeò ut redundaret undis

foſſa,

foſſa. Aderat hora jam ſacrorum veſpertinorum in Templo *Hieroſolymis*, cùm *Elias* *Jehovam* precibus aggreditur: "*O Jehova*, inquit, *Abrahami*, *Iſaaci atque Iſraëlis* "*Deus*, *innoteſcat*, obſecro, innoteſcat omnibus *hoc die*, *te inter Iſraëlitas Deum eſſe*, "*tuum verò ſervum eſſe me*, *omniáque à me* quæ fiunt, *imperante fieri te*. *Exaudi*, "*exaudi me*, *ô Jehova*, *ut populus hic Deum eſſe* unicum verúmque *agnoſcat*, *ô Jeho-* "*va*, *te*. Cùm hæc eſſet vehementer precatus Propheta, ignis repentè demiſſus à Deo holocauſtum devoravit, & ligna & lapides, pulverémque ipſum, & aquam omnem delinxit in foſſa. Quod monſtrum populus cùm vidiſſet, in humum ſe projiciens, penè exanimis terrore, quantâ potuit voce totus exclamavit, *Jehova Deus eſt*, *Deus* unicus *eſt Jehova*. Hoc populi ardore uſurus Propheta ad gloriam Dei, juſſit omnes *Baalis* ſacerdotes illico prehendi, neminem præteriri, & ad *Ciſhonis* indè torrentem deductos jugulari. Quâ hoſtiâ ubi placaviſſet ad tempus iram Dei, monuit regem ut ad epulas aſcenderet, genialitérque pararet ſe ad amplectendum beneficium Dei: pluviarum ſcilicet magnarum audire ſtrepitum ſe. Ad convivium aſcendente *Achabo*, in *Carmeli* verticem aſcendit *Elias*; pronúſque in terra, capite inter genua poſito, precatus eſt. Famulum interea juſſit proſpicere verſus mare, ſibíque renunciare quid vidiſſet. Proſpexit famulus, videréque ſe retulit nihil. Septies eódem redire juſſus, tandem renunciavit, *nubeculam ſe inſtar volæ manûs perexiguam è pelago aſcendentem* conſpexiſſe. Surrexit illico Propheta, ſervulóque imperavit regem ut moneret, quàm primùm ſibi ut pararet currum, ac properaret *Jezreëlem*, nè pluviarum vis iter intercluderet moranti. Cæcis interea nubibus ventíſque turbatum obſcuratúmque cœlum eſt.

A.M. 3097.

Ignem & aquas à Deo impetrat.

Fit fragor, *& denſi funduntur ab æthere nimbi.*

Elias autem, ſuccinctus & expeditus, regem curſu præcipiti equitantem, ſuppeditante vires Deo, ad portas uſque *Jezreëlis* pedes comitatus eſt. Cùm rediviſſet *Achabus*, *Jezebeli*que narraviſſet de cæde prophetarum *Baalis*, vehementer indignata, pronáque in vindictam faſtuoſa mulier, continere ſe non potuit, quin tonaret nondum maturo fulmine. Miſit ergò qui denunciaret *Eliæ*, "ſuos teſtari ſe *deos*, "*craſtino die*, manibus cæſorum prophetarum inferias cum ſuo ſanguine redditu- "rum. Sed

Profeſſa produnt odia vindictæ locum.

Præmonitus ille, fugâ celeri ſuæ ſaluti conſuluit. Itinere per omnem *Judæam* facto, *Beerſhebæ* famulum reliquit. Ipſe ulteriùs in deſertum itinere unius diei profectus eſt, & ſub junipero conſedit; ubi vitæ pertæſus & ærumnarum, mortem quaſi portum exoptavit, ità comprecatus Deum: "*Satìs*, ohe *jam ſatìs eſt*, mi *Deus*. Quan- "tum potui, gloriam tuam à profano *Baale* aſſerui. *Tu meam* ad te *animam cape*, "nè *Jezebeli* & idololatris præda ſit. Moriendum mihi eſt, & perſequendi *majo-* "*res* neceſſarió. Hoc tempore gratiſſima mihi futura mors eſt. Dum hæc triſtis animo verſabat, in ſomnum incidit. Dormientem Angelus tactu ſuſcitavit, ſurgeréque juſſit, & comedere. Capiti enim ſuo appoſitam vidit placentam in carbonibus, & ampullam aquæ. Satur his iterum recubuit atque obdormivit. Iterum excitavit Angelus, comedereque juſſit: longum enim illi eſſe iter conficiendum. Cùm ſaturaviſſet denuo ſe, hoc cibo confirmatus, 40 ſimul dies invio avio itinere (nè inſidiis fortè *Jezebelis* interciperetur) profectus eſt ad montem *Horebum*, ubi abdidit in ſpeluncam ſe. Sed & illic pernoctantem allocutus eſt Deus, rogavítque, "Dei Propheta *quid ageret* tacitus in ſpelunca. Ille "*ſe* reſpondit gloriæ *Divinæ* "*zelo* flagraviſſe, *eò quòd fœdus ſuum violâſſent Iſraëlitæ*, *ejus evertiſſent aras*, *cecîdiſ-* "*ſent prophetas*; *unicum eſſe relictum ſe*; ſed *& ſe* inſidiis *ad necem peti*, ideo in hanc "profugiſſe ſpeluncam. Deus, ut Prophetam tanto ardentem ſtudio ſui nominis certiorem faceret ipſum adeſſe illic ſe, animóſque ut redderet eò majores deficienti, prodire juſſit in apertum cœlum coram ſe. Prodiit *Elias*, & in oſtio proſtitit ſpeluncæ. Impetuoſa illico venti procella præteriit, quæ occurrebant ſubvertens omnia, ſaxa perfringens, ipsáſque montium rupes. Neque tamen in hoc vento præteriit Deus. Deinde ſecutus eſt violentus admodum terræmotus, quo concuſſus eſt contremuítque totus mons. Nec in eo tremore adfuit Deus. Poſtremò, ignis edax ardore maximo afflabat obvia quæque adurebátque. Nec in igne tamen Deus. Mitiſſimi, at ejuſdem potentiſſimi, Numinis ſatellites atque anteambulones perquam terri-

A.M. 3097. terribiles eſſe par fuit. Tandem exilis admodum ac tenuis audita eſt vox, ei diſſimillima quæ Legem in hoc monte promulgârat. Hanc Dei eſſe, verùm propitii, ratus *Elias*, togâ protinus obvolvit oculos, nè videret Deum. Cúmque idem denuo & ex eo quæſitum fuiſſet, & ab eo reſponſum, quòd priùs, ut anſa daretur indè ad reliqua progrediendi; " Ego, inquit Deus, (nè ſolicitus tu ſis,) cauſam tuam vindicabo, & liberabo animam ex his (quod petebas) ærumnis anguſtiiſque. Hoc " inprimis tibi peragendum eſt. Operam da, ut *Hazaël* denuncietur *Syriæ rex*, *Iſraëlitidis inungatur Jehu*, *tibi* verò *qui ſuccedat propheta Shaphati filius Abel-meholanus Eliſha*; qui tibi mandata hæc de *Jehu* & *Hazaële* perficiat. Hi tuas meâſque ulciſcentur injurias. *Qui ab Hazaëlis gladio evaſerit*, *eum interimet Jehu*. " *Qui &* eum *effugerint*, *ab Eliſha morte multabuntur*. Quòd autem relictum ais te " mihi cultorem unicum, multa *mihi* piorum hominum *inter* ipſos *Iſraëlitas* aſſervata " & *relicta* ſunt *millia*, ignota quidem tibi, *qui Baalem* iſtum *venerati nunquam oſculative ſunt*. Prolocuto hæc diſcedentéque Deo, in *Iſraëlitidem Elias* rediit: ubi *Eliſham Ephraïmiticæ* tribûs in agro arantem reperit duodecim jugis boüm. In agrum itaque divertens, ſuam illi Propheta injecit togam. Facilè animadvertit *Eliſha* quid ille ſibi habitus vellet, cöoptatúmque ſe in numerum Prophetarum. Credibile eſt, unà cum toga, & ſpiritum accepiſſe. Ad *Eliam* igitur, " Da exiguam, " *obſecro*, mihi moram, inquit, *ad ſalutandos parentes* atque propinquos, *mox te conſecuturo*. Veniâ datâ, boüm ſuorum mactavit par, inſtrumentíſque ruſticis coxit, ac ſuos omnes convivio excepit; *Eliam* deinde ſectatus, miniſtrum ei præbuit ſe. Novo jam aratro manum admoturus, ut reſpiciendum ſibi non eſſe demonſtraret, aratri veteris inſtrumenta mactavit, combuſſit, ſuſtulit.

A.M. 3099. *Polydectes*, *Eurypontidarum* ſextus, poſt *Eunomum* patrem, regnavit *Spartæ* annos circiter 36. Pater enim, dum audaciùs pro imperio civibus quibuſdam concertantibus interponeret ſe, accepto vulnere interiit. Tantum pepererat etiam regum à populo contemptum nimia familiaritas & indulgentia.

A.M. 3105. § 7. Annum regni jam 18. *Achabus*, decimum verò quintum *Jehoſaphatus* agebat. Maximâ vigebat hâc tempeſtate potentiâ autoritatéque *Syrorum Damaſcenus* rex *Benhadadus*. Regulos & regiones 32 ſubegerat, & in clientela vectigales habuit; quibus voluit ut proxima ſuccederet *Iſraëlitis*. Eam ut ſuo adjiceret imperio, cladémque à *Davide* olim acceptam redimeret, cum exercitu ingenti, equis curribúſque, ac ſubditis regibus 32, *Samariam* adiit regni metropolin, expugnaturus vi, niſi dederetur. Primò igitur per nuncios egit, quaſi jampridem certus de victoria, qui *Benhadadi* verbis *Achabo* denunciabant, " *in ſua* jam *eſſe poteſtate* quæ *Achabi* erant omnia, " *aurum argentúmque*, juvenum *optimos* quoſque & formoſiſſimas virginum, arbitratui " ſuo permittenda. Inopinata videtur fuiſſe hæc in imparatum irruptio. Qui octingenta militum millia conſcribere poterat, (tot enim *Jeroboamus* collegerat,) non ei decem aderant. Cùm ergò viribus longè imparem videret ſe, verbis molliſſimis reſpondit, " *Se* quidem *ſuáque Benhadadi* ſui *regis* ac *domini eſſe omnia*. In ejus ergò " clientelam dedere. Non ſatìs ad rem mentémque *Benhadadi Achabus* reſpondiſſe viſus eſt. . Nè luderet verbis *Iſraëlita*, perſpicuè quid ſibi vellet altero nuncio explicavit rex; " Sua ſi eſſent omnia, *craſtino die miſſurum* duces copiáſque *ſe*, qui regiam urbémque totam *perſcrutarentur*, optima quæque rerum perſonarúmque *auferrent* ac traducerent ad ſe. Nullus hic erat *Achabo* calliditati reliquus aut ſubterfugio locus. Principes ergò qui aderant in urbe in concilium cogit, mox & populum ad concionem: docet quid *Benhadadus* primò denunciâſſet, quid reſponſum à ſe, quid jam petatur. " Credere ſe anſam *quæri* ab iniquiſſimo rege, ſe ac ſuos ad " prædam rapiendi & exitium. In anguſtiis hærere ſe, conſilium petere. Conſulunt principes unâ voce, nè concedat quod poſtulatum eſt à *Benhadado*. Eandem ſententiam & populus comprobavit. Quam ut accepit *Benhadadus*, intumuit ſummâ indignatione, tertióque remiſit nuncium, intonánſque minas, " per *deos* juravit omnia ſe peſſundaturum. Nec enim *terram Samaritanam ſufficere* ſuæ multitudini, " ſingulis *ad pugillum*. Sed monuit modeſtè *Achabus*, nè caneret triumpharétque ante victoriam. Quo reſponſo magìs adhuc exaſperatus, inter pocula & comeſſationes oppugnari urbem imperavit *Syrus*, & machinas admoveri muris. Interim acceſſit ad *Achabum* miſſus à Deo Propheta, promiſítque verbis Dei, " Ut *cognoſceret* " rex *Jehovam Deum eſſe* unicum in cœlo terrâque, *omnem illam* hoſtium, quanta " quanta erat, *multitudinem ſe in manus ei* victam *traditurum*. Regem Deus popu-

Achabus de Benhadado duplicem obtinet victoriam;

lúmque

lúmque impium beneficiis demereri volebat, ſi fieri poſſet, ac revocare ad ſe. In tantis anguſtiis *Achabus* libenter amplexus eſt aliquam victoriæ ſpem, undecunque allatam. Interrogavit ergò, *cujus ope* operâve hoc fieret. Reſpondit Propheta, "*per famulos principum* id fieri debere, qui *provinciis* præerant. Iterum quærente rege, *quis aciem inſtrueret*, ducerétque in hoſtem: Ipſum id facere *Achabum* Propheta juſſit. Recenſentur principum famuli, numeratur & populus. Ex illis reperti ſunt 232; ex omnibus qui aderant *Iſraëlitis* 7000. Præfectorum famuli meridie portis egreſſi ſunt. Mox & reliquæ ſecutæ ſunt copiæ. Ut *Benhadado* renunciatum eſt, ad ebrietatem perpotanti cum ſuis regulis, urbe quoſdam exiiſſe; ille, ut erat obrutus vino, *prehendi vivos* jubet, *ſive ad pacem veniant*, *ſive ad pugnam*, *prehendi* omnes, perducíque ad ſe. Exſpectabant *Syri*, ut dederet ſe tam deſpicabilis paucitas, non pugnaret. Itaque facilè in caſtra ſunt admiſſi, pleriſque ludentibus, dormientibus aliis, quibuſdam bibentibus; omnibus ſecuris, conſciiſque parvarum in urbe virium; nemine verò expediente arma contra tam paucos, vetante præſertim rege nè cæderentur. Illi igitur ſinguli primò ſingulos adorti contrucidârunt: mox & reliquæ aderant ex urbe copiæ; eóque faciliùs aderant, quòd caſtra proxima, in præſentes jam hoſtes intenta, venientes non attenderent: qui capientes jam arma, *Syros* tanto impetu invaſerunt, ut repugnaturi fruſtrà viderentur. In fugam ergò præcipites, impulêre proximos, ii remotiores, donec omnem exercitum pervaſit profligavítque terror Panicus. *Iſraëlitæ* ſtrenuè perſecuti ſunt fugientes, & magnâ ſtrage cecîderunt. *Benhadadus* ipſe, cui & caput deerat ad inſtruendam aciem, & manus ad pugnam, nec ſui ſufficiebant ad fugam pedes, in equum ſublatus, cum paucis ſuorum proripuit ſe. *Achabus* & reliquas quotquot in urbe ſupererant copias eduxit, equitéſque cecîdit & currus, victoriâque de *Syris* maximâ potitus eſt. Revertenti exſultantíque idem occurrit Propheta qui promiſerat victoriam, monuítque, ut "quibus poſſet viribus *confirmaret ſe*; *Syros* enim, victos jam, poſt *annum redituros*, novámque belli ſubituros aleam. *A.M. 3105.*

Damaſceni proceres ægrum ignominiâ fugæ regem novâ ſpe conſilióque ſolati ſunt: monent, ut "belli reliquias colligeret ac inſtauraret, è ſuis tantùm ſubditis *quantum amiſerat exercitum conflaret* novum, auxiliis nè fideret alienis, *reguliſ*que tot ad numerum ſpeciémque fallacem comparatis, ad robur virium profuturis nihil. Suis armis *in plano præliaretur*, *montes* fugeret. *Iſraëliticum* illum *eſſe montium Deum*, *in vallibus* non valere. Suos in tanta clade non deſperâſſe, pro triumpho habuit rex. Facilè igitur monitis paruit. Exercitum recenſuit, in hoſticum profectus eſt; *Aphecum*, in planitie ſitam *Aſheranæ* fortis urbem, oppugnavit, cepit. Objiciebant hoſti ſe duæ acies *Iſraëlitarum*, quaſi parvi caprarum greges, *Syris* nullo modo pares. Deus tamen per eundem Prophetam de victoria certiorem fecit *Achabum*; "ut ſcirent profani homines, *vallium* ſe non minùs quàm *montium* eſſe *Numen*, denuóque *intelligeret Achabus*, *Jehovam ſe* unicum *eſſe* in cœlo terrâque Deum. Septem diebus quîetæ mutuò ſpectabant ſe adverſæ acies. Ultimò concurſum, atque ſummis utrinque viribus pugnatum eſt. Sed, favente *Iſraëlitis* Deo, victi fugatíque *Syri* centum millia peditum amiſerunt. Reliqua erant viginti ſeptem millia, quæ in urbis præſidium receperunt ſe; quam tamen planè hoſtilem experti ſunt & exitialem. Quippe murorum (quos ipſi, credo, tormentis bellicis labefactârant) ſubitò corruentium immenſa moles maximam partem obruit, obtrivit. Ipſe rex in conclave quoddam interius abdidit ſe: quas cùm ſibi latebras non poſſe diuturnas fore cognoſceret, ſuadentibus ſuis, clementiam *Iſraëlitici* regis experiri maluit. Nuncios miſit ciliciis indutos, capita verò vinctos funibus, more ſontium, fatentiúmque ſe ultima promeritos ſupplicia, ut ſibi mortem deprecarentur, miſericordiámque regis implorarent. Cùm igitur ad *Achabum* perveniſſent, humillimèque *Benhadadi* vice intercederent; illico rex, *Meúſne frater Benhadadus vivit?* Nomen fratris avidè arripuerunt nuncii. Exſpectabant enim ſolicitè quid eſſet reſponſurus rex, verbúmque gratum aliquod anxiè aucupabantur. Imò, inquiunt, *tuus frater Benhadadus* vivit. Cúmque ad ſe adduci juſſiſſet rex, adductum protinus in ſuum *Achabus* currum recepit honorificé. Illic de pace collocuti, in has leges, concedente *Achabo*, convenerunt: ut *quæ à Syris ereptæ fuiſſent urbes*, *redderentur Iſraëlitis*; útque *liceret Achabo limitanea conſtituere in Damaſco*, *quemadmodum Benhadadi pater in Samaria conſtituerat.* Hoc inter eos pacto fœdere, *Benhadadus* liberè domum dimiſſus eſt. Minimè id probatum eſt Deo, qui *Syrum*, hoſtem atrocem *Iſraëlitici* nominis, ad necem damnaverat;

A.M. 3106.

regíque *Syriæ* parcit in ſuam ipſius perniciem.

A.M. 3106.

naverat; ideóque Prophetam legavit, qui pœnam regi denunciaret neglectæ voluntatis Divinæ. Ille, ut prælio interfuiſſe videretur, ídque vulnere demonſtraturus, (ſic enim agenda erat parabola,) vicinum fortè obvium rogat ut ſibi vulnus infligat. Recuſante illo inferre vulnus innocenti, nullâque ſe provocanti injuriâ, denunciavit Propheta, "*quòd voluntati Jehovæ non paruiſſet*, ideo *ipſum*, *paulò digreſſum* "*à ſe*, vulneratum *à leone* atque *peremptum iri.* Quod & mox in via progredienti accidit. Alium igitur Propheta obvium compellat, jubétque ſe percutere. Paruit ille, & percuſſit: cùm vulnus cupienti, parcere, non minùs inhumanum videretur, quàm nolenti plagam inferre; ut, *Invitum qui ſervat*, *idem facit occidenti.* Ità ſanguine perfuſus, ſed & cinere conſperſus, nè agnoſceret vultum rex, obviàm *Achabo* pergit, veniеntémque voce querentis appellat ſibi judicem. Sic enim ait contigiſſe: " Dum *in prælio* dimicaret, *aliquem ad ſe* captivum *attuliſſe*, pactúmque ut *ſerva*-"*ret* hâc lege, fugâ elapſum ut *ille* aut *vitâ ſuâ* redimeret, *aut nummi talento.* De-"inde *aliàs occupato ſe*, captivum *evaſiſſe fugâ.* Jam verò aut vitam ſuam, aut ar-" genti à ſe talentum poſtulari. " Tuo *te* ore *condemnaviſti*, ait rex: Alio non opus " eſt indicio, *judicióve*. His dictis, remoto cinere ubi vultum aperuit, facilè agnovit eſſe Prophetam rex; qui Dei verbis ità denunciavit *Achabo:* "*Quoniam vi*-"*rum* exſecratum *deſtinatúmque neci* à Deo, & tibi traditum in *manus*, incolumem " *dimiſiſti*, quod *ejus vitæ populóque* impiè condonâſti, *tuâ vitâ populóque tuo compen*-"*ſabis.* Indignatus vehementer *Achabus*, poſt tantam victoriam exſultanti ſuum turbari minis triumphum, & gaudium corrumpi, fremens domum frendénſque reverſus eſt.

A.M. 3107.

In eandem ruinam ſui, *Nabotho* non parcit.

Samariæ jam *Achabus Iſraëlitarum* agebat rex; ubi novæ regiæ horti nimis anguſti videbantur. *Nabothus* quidam, ex urbe *Jezreële* civis honeſtus, vineam habuit palatio propinquam regio, & opportunam quæ horti regii anguſtias dilataret. A *Nabotho* igitur petiit *Achabus*, ut "*eam ſibi* aut *pecuniâ* venderet, *aut* aliâ permutaret "*vineâ meliore*; opportunitatem loci magno ſe pretio redempturum pollicitus. *Nabothus* humillimè reſpondit, "quavis in licita honeſtâque re gratificaturum ſe regi " libentiſſimé. Alienari verò *hæreditatem à majoribus* relictam, neque licita cùm ſit " neque honeſta res, *abſit*, *Nabothus* inquit, *ut* vel à rege id poſtuletur, vel *conceda*-" *tur à ſe.* Repulſam hanc admodum indignè tulit faſtuoſus rex, mœroríque ſe totum dedit. Non cibus illi gratus, non ludus; morbo quodam doloris æger decubuit. Regina *Jezebel*, ubi mœſtitiæ cauſam didicit, increpuit viri ſui rege indignam conſiliíque inopem puſillanimitatem. Quare ut animum ei erigeret voti potiundi certâ ſpe, alacrem eſſe juſſit, atque ſpoſpondit, quam *Nabothus* vineam negaverat, ei eſſe daturam ſe. Protinus literas ad primores *Jezreëlis* dat, ſigillo ac nomine munitas regio, quibus imperavit, ut " ſacrum *jejunium indicerent*, quaſi ad ex-" piandas & averruncandas à populo facinoris cujuſdam nefarii pœnas. (Sic enim ſolent plerumque homines profani perditíque, ſacra pietatis officia ſuis fraudibus, avaritiæ, ambitioni, ſacrilegiis prætendere, ad faciendum fallendúmque vulgus.) Deinde "*Nabothum ſiſti coram* judicibus juſſit, *& ſubornari teſtes profligatæ fidei homi*-"*nes*, *qui poſtularent eum læſæ majeſtatis regiæ Divinæque: (Lev.* 24. 15, 16. *Exod.* " 22.28.) damnatum *ejici* ex urbe cum ſuis omnibus, *& lapidibus obrui.* Cives *Jezreëlitæ* repugnare non auſi, colligendæque gratiæ ambitioſi, literis regiis obſecuti ſunt, mandatáque peregerunt omnia. Magna lapidatio facta eſt. *Nabothus* unà cum ſuis omnibus interiit. Certior ea de re facta *Jezebel*, *Achabum* ſuſcitavit ſumma cum alacritate, ut "*Nabothi* jam unà cum ſuis omnibus *extincti (2 Reg.* 9. 26.) hæreditatem " adiret vacuam, & addictam fiſco regio. Deus interea, qui hæc omnia contemplatus eſt, *Eliæ* præcepit, ut *Achabum* conveniret, quæque illi dicenda eſſent edocuit. In vinea *Nabothi* jam novus hæres exſultabat rex, ubi *Elias* ità Dei verbis, paucis quidem, at peracerbis, eum increpat: " Itáne veró? *Occidiſti*, hæreditarióque jure *poſſi*-"*des? Sic* igitur *ait Jehova*; Ut *ſanguinem Nabothi linxerunt canes*, ità & *lingent* "*tuum.* Ubi *Eliam* conſpexit, horrore quodam perculſus rex, "Quid? inquit, *Tú*-"*ne*, *mi hoſtis* teterrime, *inveniſti me?* "*Imò* hoſtis, fateor, *inveni te*, reſpondit *Eli*-"*as*, *quoniam tu te* hoſtem profiteris *Deo*, totúmque *ſceleribus perpetrandis dedidiſti*, " & *provocando* nefariis facinoribus Numini Divino. Quare denuncio tibi, vindica-" turum hæc omnia graviſſimè *Jehovam*, *poſteróſque tibi* omnes radicitus *exſtirpatu*-"*rum*, quomodo *Jeroboami & Baaſæ familiam* funditus eradicavit. *Quicunque* tuo-" rum *in urbe interierint*, *canes*, *quicunque in agro*, *cœli alites voraturæ ſunt.* Nec erit

"immunis

"immunis *Jezebel. Sub* ipſis *mœnibus Jezreëlis*, ubi *Nabothus* periit, *Jezebelis* car-"nem voraces *comedent canes.* Hæc *Elias* meritiſſimè regi reginæque minitatus eſt. Eâ enim inſtigante impellentéque, inexpiabiles religiones induxerat *Achabus* in populum *Iſraëliticum*; cultúſque idolorum veterum exſecrandos quaſi poſtliminiò revocârat, quorum causâ *Canaanæi* olim funditus indè ſublati fuerant. His tamen comminationibus increpantis per Prophetam Dei adeò turbari atque affligi viſus eſt *Achabus*, accedente præſertim latrocinii ſui publici parricidiíque proditi jam à Deo infamiâ, ut ſpeciem pœnitentis lugentíſque ſua peccata præ ſe tulerit. Veſtes lacerabat, induebat cilicium interdiu noctúque, paſſu lento humilíque mœrens incedebat. Facilè perſpexit Deus ſimulatam fuiſſe hanc Religionis umbrám, & *pœnitere* hominem, non *reſipiſcere.* Ille tamen, pro ſumma clementia, nè larvam hanc pœnitentiæ averſatus eſt: ſed *Eliæ* demonſtravit, &c, "*Vidéſne*, inquit, monitioni meæ quantum *A*-"*chabus* deferat? Habitum pœnitentis induit, etſi non & animum; veſtes laceravit "mutavítque, utinam & mores; in præteritum pius, non & in futurum. Huic tamen "ſpeciei pulchræ pietatis aliquid & ego retribuam. Proderit illi vel umbra viri boni. "Quod interminatus ſum de familia ejus penitùs exſcindenda, condonabo ad tempus "& differam, ut ille ſua ſcelera, quò mox rediturus eſt. Fiet id quidem ut dixi. At "*ejus ætate non* fiet, *filii* fiet.

A.M. 3107.

Alii anonymi tenuerunt *Ægyptum* ann. 42.

§ 8. Interea temporis *Jehoſaphatus*, *Judæorum* pius rex, proſperè agebat. Pax illi & quies, gloria copiáque rerum aderat. Ad voluntatem voluptatémque affluebant omnia. Nullum, nè cum *Iſraëlitis*, bellum. Renunciare ſuo juri maluit, quod ejus majores admodum ſtrenuè aſſeruerant. Neque pacem coluit modò cum regibus *Iſraëlitarum*, ipsóque *Achabo*, qui erat —*ſcelere ante alios immanior omnes*, ſed & fœdus iniit amicitiæ arctiſſimæ; affinitatis etiam, mutuíque inter liberos conjugii. Quippe *Joramus Jehoſaphati Athaliam* duxit *Achabi* filiam. (2 *Reg.* 10. 18.) Pro hujus jure fœderis magno inſtructus comitatu *Samariam Jehoſaphatus* adiit, ut amicum & affinem inviſeret *Achabum*; qui apparatu non minùs regio tantum hoſpitem excepit, magnificéque tractavit. Nondum præſtiterat omnia *Benhadadus* quæ captivus promiſerat *Achabo:* nondum *Ramothas Gileadis* urbem reddiderat. Armis igitur *Iſraëlita* ſtatuit repetere, tertiam ſibi victoriam facilè pollicitus, qui bis profligârat hoſtem. *Judæum* opportunè accedentem ad belli ſocietatem invitavit. Ille profeſſus "ſe ſuáque, tum fœderis tum affinitatis jure, *Achabi* eſſe omnia, monuit inpri-"mis, antequam tanta res ſuſciperetur, ut exercituum *conſuleret Deum.* Erant *Achabo* ſui vates aulici ferè 400, egregii adulatores; qui, voluntati regiæ obſequentes, ad gratiam captandam prophetabant. Ut primùm igitur de obſidione *Ramotharum* à rege quæſitum eſt, unâ omnes voce "*proficiſci* jubent; urbem ſcilicet *Deum in manus* "illi *traditurum* pollicentur. *Jehoſaphatus*, ſive quòd promptitudinem gratificandi adulatoriam ſuſpicaretur, ſive omnium Prophetarum ea in re conſenſum habiturus, ſive quòd unum denique, quem verum & veracem noverat, in eo numero deſideraret, "utrùm hi eſſent Prophetæ omnes interrogavit; *nullúſne ſupereſſet* abeſsétque *prophe*-"*ta Jehovæ, à quo reſponſa peterent.* Reſpondit *Achabus*, "*unicum adhuc ſupereſſe* qui-"dem, *unde* mentem *Jehovæ* cognoſcerent; *at inviſum ſibi hominem*, *ut qui* ſemper "*infauſta* ſoleat *ominari, proſperum nihil*; *Michaiam* vocari. "Abſit verò, inquit pius "rex *Judæorum*, ut inviſus tibi ſit Propheta *Jehovæ*, nedum Prophetæ causâ verbum "Dei. Audiamus, obſecro, quid dicturus ſit. Tui erit arbitrii de veritate judicare. Miſſus ergò à rege aulicus qui *Michaiam* vocaret. Monuit is Prophetam in via, ut "*bene* ominaretur ſuo *regi*, victoriámque prænunciando, aliorum *prophetarum* ſenten-"tiam *ſuo* calculo approbaret. "Fruſtrà id à me petis, ait *Michaia.* Quid mihi dicen-"dum ſit, non eſt in mea poteſtate ſitum arbitrióve. *Jehovam* teſtor, *ea me* ſolum-"modo *prolocuturum*, *quæ Jehovæ mihi* ſpiritus *dictaverit.* Interim confidebant in ſoliis reges prope portam urbis, ſuis inſignibus ornati; omniáque fauſta coram iis prophetæ alii prædicabant. *Zidcia* verò, reliquorum facilè princeps, cornua quædam ferrea fabricatus eſt, quaſi prophetica ſymbola, dicens, *His*, *ait Jehova*, *Syros oppugnabis uſque dum conſumpſeris.* Ubi adfuit *Michaia*, rogatus pariter de voluntate Divina, quo alii modo reſpondit inprimis, aliorum aſſentationem deridens. *Perge felici gradu. Ramothæ Gileadis* tuæ ſunt, *traditæ in manus à Deo.* Ludere hominem ſuſpicatus rex, adjurat imperátque vehementiùs, *nè quid proloquatur niſi quod veriſſimum acceperit à Deo.* Tum verò, "Ecce, inquit Propheta, *video diſperſos* & palantes *in montibus Iſraë*-"*litas*

A.M. 31c8. 3109.

Jehoſaphatus Achabum viſit;

&, *Michaia* minis non obſtantibus,

A.M. 3109.

"*litas omnes, tanquam oves ſine paſtore.* Ità enim *dicit Jehova, His jam nullus eſt domi-*
"*nus. Suam quiſque in domum redeat pacificè.* Tum converſus ad *Jehoſaphatum Achabus, Prædixin' ego tibi, fore ut iſte mihi mala denunciaret?* "Itáne, inquit *Mi-*
"*chaia,* tu de me prædixiſti? *Tu igitur* ex me *audi* reliqua. *Vidi ego inſidentem ſo-*
"*lio Jehovam, adſtantémque Jehovæ ab* utraque *manu exercitum cœli.* Cúmque requi-
"reret aliquem *Jehova* qui *Achabum pelliceret ut Ramothas Gileadis aſcenderet,* ibidém-
"*que interiret*; *ſpiritus* tandem *prodiit* qui recepit id eſſe facturum ſe. Rogatus *quo*
"id *modo* fieret; *Omnes, reſpondit, Achabi ſe prophetas mendacio* inſpiraturum. Ap-
"probavit conſilium hoc Deus, ratúmque fecit. Cave *igitur,* moneo te, cave. *Per-*
"*niciem tibi* machinatur *Jehova.* *Zidcia* cùm audiret hæc, mendacémque ſe prophetam argui, continere manus non potuit, quin colaphum infringeret *Michaiæ,* illuderétque ſimul, dicens, *Quânam* verò *tranſivit à me ſpiritus Jehovæ, ut te alloqueretur?*
"Imò verò, inquit *Michaia,* etiam de te locutus eſt *Jehova.* Erit enim *cùm tu,* in
"ſummas anguſtias redactus, exitii metu *in conclave intimum penetrabis ut abſcondas*
"*te.* *Achabus* autem *Michaiæ* ſeu monitiones ſeu minas nihili pendens, ut ratum faceret conſilium atque propoſitum Dei, prehendi hominem juſſit, vinctúmque duci ad *Amonem* urbis præfectum, *Joasúmque* regis filium, ut "*in carcere* fame ac ſiti caſti-
"garetur, *donec rediret cum triumpho* rex. "Imò verò, ait *Michaia,* caſtigate ut libet
"me. At *ſi unquam redierit cum triumpho* rex, *audite* me, *populi* quotquot adeſtis, *ſi*
"*unquam rediverit cum triumpho* rex, falſus ego propheta ſim, & carcere hoc dignus,
"ſuppliciόque ultimo.

ei contra Syros auxiliatur.

Achabus igitur, non morantibus Prophetæ minis, ad *Ramothas* oppugnandas profectus eſt, auxiliante *Jehoſaphato.* Cúmque prælio decernenda eſſet res, (opponebant enim *Syri* ſe,) ut irritum faceret *Michaiæ* de interitu ſuo vaticinium, veſtes regias depoſuit, induit vulgares, nè agnoſceretur; veritus nè unum *Syri* peterent ſe: quod accidit. *Jehoſaphatum* verò monuit, habitum nè diſſimularet, cui nihil eſſet ex habitu periculi. *Benhadadus* enim curribus 32 id unum negotii dedit, ut "*Acha-*
"*bum* perquirerent, *impugnarent,* perſequerentur *unicum,* nec niſi mortuum dimit-
"terent. Eo enim confecto, confectum & bellum fore. Illi ergò *Jehoſaphatum* conſpicati ſplendidè regiéque ornatum, eum ipſum eſſe quem quærebant regem facilè exiſtimabant: in eum invecti ſunt, ſummíſque viribus perſecuti. *Jehoſaphatus* declinare quantum potuit ac effugere. Nec enim tantam hoſtium ſuſtinere vim potuit. Cùm autem fruſtrà & ad fugam exitum quæreret, multis curribus omni ex parte inundantibus & invadentibus acerrimè, invocare Deum cœpit in extremo poſitus diſcrimine, eíque ſe ac ſalutem ſuam commendare. Fecit illico Deus, ut hoſtes cognoſcerent, non regem *Iſraëlitam* impetere ſe tantâ vi, ſed *Judæum.* Illi ergò protinus averſi, dimiſſo *Jehoſaphato, Achabum* ſedulò indagaverunt. Interim ille habitu ignoto latitabat. At nè ſic quidem latêre Deum potuit. Eo procurante dirigentéque arcum, aliquis hoſtium ſagittâ, inſcius quem feriret, *Achabum* inter commiſſuras armorum graviſſimè vulneravit. Doloris impatiens rex, ut ex acie diſcederet aurigæ imperavit. Ad veſperam tamen cùm perſtitiſſet, ut ſuos in fugam intentos cohiberet, occidente Sole occubuit & rex, *Samariæ* ſepultus. Populus item, publicâ præconis voce dimiſſus, ſuam quiſque in domum rediit. Cùm autem currus cruore fœdatus armáque regia ad piſcinam *Samariæ* lavarentur, ſanguinem *Achabi,* eodem quo *Nabothi* modo, avidi linxerunt canes. Ejus vice filius regnavit *Achazia* reliquâ parte hujus anni, alteróque inchoato.

Cujus labis monitus per Prophetam, reſipiſcit;

Jehoſaphato interim *Hieroſolymas* redeunti occurrit Propheta *Jehu Hanani* filius,
"*iratúm*que denunciavit *Jehovam,* quòd *hoſtem Dei* ſacrorúmque omnium auxiliis *ju-*
"*viſſet Achabum.* Debere dixit amicos Dei, eoſdem habere & amicos; non autem
"*inviſos Deo* idololatras *diligere,* opibúſque à Deo ſibi datis *ſublevare.* Ità *Davidem*
"odio perfecto & capitali proſecutum eos qui oderant Deum; ſanctos autem charóſ-
"que Numini, chariſſimos & in deliciis habuiſſe. (*Pſal.* 139. 21, 22.) *Veruntamen*
"labem hanc, etſi fœdiſſimam, *rebus* quas *in eo* perſpexerat *bonis* condonaturum hâc
"vice Deum, magnóque ejus propagandæ gloriæ *Divinæ, idoláque* penitùs *delendi,*
"ſtudio. Reſipuit ergò bonus vir, eóque ſtudioſiùs totum obivit regnum, populúmque revocavit ad cultum Dei. In ſingulis verò civitatibus munitis Judices conſtituit, verbíſque graviſſimis ad juſtitiam & integritatem cohortatus eſt: Quippe "*judicia il-*
"*los exercere* dixit, *non* ſuâ *hominíſ*ve cujuſquam, *ſed* unius *Dei vice.* Ità *ergò in ju-*
"*diciis* gererent ſe ut miniſtros Dei: *eum* ſpectarent ac *timerent* unicum. *Nihil eum*

Deique res omnes procurat ſtudioſiús.

"*favori*

" *favori gratiæve, nihil* amicitiæ, ſanguini aut *muneribus dare* : Nec eos igitur partium " ſtudio duci oportere, aut conduci pretio; ſed religioſè ſanctéque judicum fidem libe- " rare. Alios etiam ſupremi ordinis Judices *Hieroſolymis* conſtituit; Sacerdotes quidem & *Levitas* qui cauſis Eccleſiaſticis & ſacris præeſſent, primores autem familiarum qui civilibus. Horum *Zebadia* princeps, vicarius regis; illorum *Amaria.* Difficiliora quæque obſcurioráque ad hos erant ex aliis urbibus remittenda; hi à diſſidentibus inter ſe partibus appellandi, ſi videbatur.

A. M. 3109.

§ 9. Dum hæc fiunt, nuncii afferuntur hoſtes adeſſe, *Moabitas Ammonitáſ*que, *Syros* & *Idumæos*, alióſque ultra lacum *Aſphaltiten*, multitudine infinitâ: ad *Hazezon-tamarem* ſive *Engedi* perveniſſe, penetraturos in *Judæam.* *Jehoſaphatus*, pro ſua pietate, ad opem Divinam protinus confugiendum ſibi putavit. Jejunium indixit publicum, quo *Hieroſolymas Judæi* omnes convenirent, contritíſque animis renunciantes omnibus peccatis, eò vehementiùs implorarent auxilium cœlitus. Apud quos in atrio magno prope Templum Dei congregatos hanc habuit orationem rex, vel precationem potiùs: " *O* maxime *majorum noſtrorum Jehova Deus*, exaudi nos, exaudi po- " pulum tuum precibus invocantem te. *Tu in cœlis* unus & in terra *Dominus* domino- " rum *es.* *Tuum reges in* ipſos *imperium eſt omnium gentium*; *potentiâque* tantum " *polles, ut repugnari obſiſtive nullâ tibi poſſit vi.* *Tu* veteres *hujus terræ incolas expu-* " *liſti*, ut *eam* noſtris majoribus, *Abrahami poſteris*, *traderes habitandam*, diligentibus " honorantibúſque te: *ubi tuo nos nomini ſanctuarium conſecravimus*; obteſtatíque " ſumus, ut, *ſi quo malo premeremur*, *peſte*, *faméve*, hoſtiúmve *armis*, *ex hoc templo* " *invocantes* ſacrum illud *nomen tuum*, *exaudires* è cœlo *tu*, *& ſalutem dares.* *Ecce* " *igitur* in ſummis jam poſiti anguſtiis tuam opem fidémque imploramus. *Ammonitæ* " *Moabitæque & Idumæi*, *quibus*, *te volente*, pepercimus nos, *cùm ex Ægypto aſcende-* " *remus* huc, *illi nos ex tua hæreditate hac* nullâ provocantes injuriâ *expulſuri* jam *adve-* " *niunt.* Tu noſtram cauſam, ô *noſter Deus*, clementer ſuſcipe, injuriámque hanc " vindica tuorum. *Nobis vires tam ingentibus repugnandi copiis deſunt.* Tui ſumus, " in tuum ſinum confugimus; *in te* uno ſita omnis noſtra vis, noſtra ſalus, noſtra ſpes. " Si deſeris tu, perimus. Perorante *Jehoſaphato*, *Jachazielem*, unum è poſteris *Aſaphi*, ſpiritus inceſſit *Jehovæ*, qui in media populi turba ità prolocutus eſt. *Attendite*, *omnes Judæi*, *vóſque Hieroſolymitani*, *& Jehoſaphate rex. Sic ait vobis Jehova: Nè quid extimeſcite*, *neque conturbet vos tanta* hoſtium *multitudo.* *Neque enim veſtrûm*, *ſed ipſius Dei futurum eſt* hoc *prælium.* *Cras* modò *vos obviàm iis proficiſcimini*, *aſcenſuris per clivum Zizi*, perventuríſque *in frontem deſerti Jeruelis.* *Conſiſtite vos*, *& Jehovæ ſalutem exſpectate.* Cùm audiviſſent hæc, inclinato vertice rex, facieque in terram demiſsâ, populúſque omnis pariter Deum veneratus eſt; & *Levitæ* protinus Deum hymnis celebrârunt. Manè proximo populum ad hoſtes profecturum ità paucis adhortatus eſt rex: " *Attendite*, *Judæi* fratres, *vóſque cives Hieroſolymitani.* Nihil nobis in " hac re niſi fides opus eſt. *Jehovæ* tantùm *credite*, victoriam certam reportabitis: " *Credite prophetis* Dei, *proſperè vobis* omnia *ſuccedent.* Conſilio deinde habito, muſicos conſtituit in fronte copiarum, qui cantibus ac inſtrumentis celebrarent *Jehovam.* Quod dum fieret, incitavit Deus *Ammonitas Moabitáſ*que in *Idumæos*, quos ad internecionem deleverunt; mox eoſdem inter ſe commiſit, donec mutuis ſe telis confeciſſent. Cùm ergò ad ſpeculam in ſummo monte *Zizi* perveniſſent *Judæi*, exercitúmque hoſtium in valle proſpicerent, cadavera tantùm humi proſtrata viſi videre ſunt, ſuperſtitem nullum. Certi ſecuríque tandem ad colligenda ſpolia deſcenderunt, quæ plurima & pretioſiſſima in caſtris reperta ſunt. Tridui erat id opus. Die quarto *Hieroſolymas* maximo cum gaudio atque triumpho, præcinentibus tubis nabliíſque unà cum citharis, reverterunt. Cúmque rumor hujus victoriæ pugnæque Dei pro *Judæis* vicinas gentes, unà terror omnes pervaſit, nè quid moleſtiæ poſtmodum *Jehoſaphato Judæiſ*que faceſſerent.

Jejunio, oratione concionéque præmiſſis, hoſtes innumeros peſſundat vel non pugnando.

A. M. 3110.

Claſſem adornabat *Jehoſaphatus* navium decem, quæ *Ophirum* proficiſceretur ad petendum aurum. Auri magnâ ſpe, *Achazia Iſraëlitidis* rex ambitione magnâ petiit, ut ipſe in ſocietatem hujus expeditionis reciperetur. At increpationis Divinæ per Prophetam *Jehu* memor *Jehoſaphatus*, inprimis adduci non potuit ut hanc iniret ſocietatem cum homine impio & *Baalita*, ipſo *Achabo* (ſi fieri potuit) nequiore. (1 *Reg.* 22. 52, 53.) Tandem importunitati ceſſit, ſociúmque admiſit. At non tulit Deus contemptam à *Jehoſaphato* monitionem ſuam de ſocietate cum improbis non ineunda. *Eliezerem* igitur miſit *Mareſchanum*, *Dodavæ* filium, qui denunciaret, " futuram *illi ſoci-* " *etatem*

Claſſem fruſtrà adornat & infauſtè, ob admiſſum in ſocietatem hoſtem Dei.

A.M. 3110.

" *ætatem* hanc inutilem atque damnoſam: jacturam ſcilicet *operæ* omnis oleíque factu-"rum in claſſem nihil ei profuturam. Sic enim accidit mox, regis contumaciam ulciſcente Deo, ut in ipſo portu *Ezion-geberis* naufragium claſſis faceret inſolitâ ventorum atque tempeſtatum vi. (2 *Chron.* 20. 37.) Et *Achazia* domi rerum ſuarum ſatagebat. *Moabitæ* ſcilicet, qui, à *Davide* ſubacti, jugum *Iſraëliticum* hactenus æquo animo pertulerant, *Achabo* cæſo excuſſerunt. Eos ut ad obſequium reduceret, apparatum bellicum inſtruebat *Achazia.* Interea contigit ut per clathrum quendam caderet in cœnaculo ſuo; quò graviter contuſus ægrotabat. Solicitus admodum de ſalute, ad *Baalzebubum*, *Ecronitarum* numen, nuncios miſit, qui de ſanitate ſua ſciſcitarentur. Indignatus *Jehova*, à *Baalzebubo* ſalutem peti, negligi ſe, *Eliam* excitavit Prophetam, ut nunciis regiis occurreret diceretque, " *Ideóne ad conſulendum Baalzebubum* "*proficiſcimini*, *quòd nullum apud Iſraëlitas Numen ſit? Sic igitur ait Jehova*, regem " veſtrum *è lecto ubi decubuit non eſſe aſſurrecturum*, *ſed* ex eo *interiturum* morbo quo " laborat. Obvius ergò aulicis nunciis *Elias*, & locutus hæc, in montem propinquum ſe proripuit. Reverſi protinus ad regem nuncii ſunt, quídque audiviſſent ab homine ignoto retulerunt. Hominem igitur ut cognoſceret *Achazia*, de habitu ejus interrogavit. Hominem illi piloſum, & cingulo accinctum pelliceo, cùm deſcriberent; *Eliam* facilè agnovit rex. Miſit illico militum quinquaginta ducem unà cum ſua manu, qui *Eliam* ad ſe adduceret vel invitum. Cùm in vertice montis deſidentem Prophetam conveniſſet dux, *Vir*, inquit, *Dei*, *deſcendere te jubet rex.* Reſpondit *Elias*, *Vir ego ſi Dei ſum*, *à* Deo *deſcendat ignis*, *qui te tuóſque* milites *conſumat.* Protinus deſcendit ignis è cœlo, quo conflagrârunt omnes combuſtíque ſunt. Moræ impatiens rex (morbus enim ingraveſcebat) alium præfectum quinquagenarium ſubmiſit cum ſuis militibus: qui, cùm videret quid alteri accidiſſet, non auſus appropinquare, clamavit è longinquo iiſdem ferè verbis quibus prior dux, iiſdémque reſpondit Propheta; idémque accidit quod priùs. Cœleſtis eum ignis militéſque omnes devoravit. Tertium ergò miſit rex, ipſum conſumpturus ignem, puto, militum multitudine. Ille, reliquis paulò ſanior, quos periiſſe animadvertit, in genua procidit coram Propheta, humillíméque deprecatus eſt vindictam Dei; útque ſibi ac ſuis parceret *Elias*, enixè ſupplicabat. Quare ut parceret, Angelus *Eliam* ſubmonuit, nec pertimeſceret deſcendere ad regem. Deſcendit ergò, eadémque prolocutus apud regem quæ nunciis prædixerat, abiit *Elias*, obiit rex; cujus ſceptro, quia carebat liberis, *Jehoramus* frater potitus eſt annis 12. Non ille peſſimus planè. Statuam *Baalis* quam pater poſuerat ſuſtulit; non ſuſtulit Vitulos *Jeroboami.*

Elias in regem *Achaziam* ejúſque milites graviſſimè animadvertit.

Eliſha ei ſuccedit propheticæ hæres,

§ 10. *Achabo*, extremæ impietatis regi, *Eliam*, ardente quodam ſpiritu incitatum Prophetam, oppoſuerat Deus. Nunc igitur ubi ad inferos deſcendit rex, unà cum patrizante filio *Achazia*, opportunum Deo viſum eſt, *Eliam* quoque, ſuo perfunctum munere, ad ſuperos tollere. Neque id more naturali & ordinario; ſed eum qui zelo quodam igneo Divinæ gloriæ tantopere flagraverat, igneo curru in cœlum ex humanis, non tamen ex vivis, rapere. Non hæc *Eliſham* latebant Prophetáſve alios qui in Scholis inſtruebantur. Ut ſolus autem totúſque jam rebus Divinis atque cœleſtibus vacaret *Elias*, miniſtrum ſuum *Eliſham Gilgale* voluit ſubſiſtere, ipſe *Bethelem* à Deo miſſus. Deinde, cùm non paréret *Eliſha*, petiit *Bethele* ut maneret, profecturus ipſe *Hierichuntem* ex mandatis Dei. *Hierichunte* etiam ut permaneret rogavit, dum ad fluvium ipſe *Jordanem* proficiſceretur. At *Eliſha*, ut in extremo jam actu è ſcena diſcedenti adeſſet, Deum teſtatus eſt, nullibi permanſurum ſe, *Eliámve* hoc tempore derelicturum. Filii quoque Prophetarum, qui *Bethele* agebant & *Hierichunte*, monuerunt *Eliſham* de raptu ſui domini, non tamen illi novâ re. Profeſſus jampridem id & ſe præſcire, ſilentium illis indixit. Ut ad fluvium pervenerunt, *Elias* togâ convolutâ percuſſit aquas, itáque diſpertiit, ut in ſicco ipſi ambulantes tranſierint. Quo tempore è filiis Prophetarum 50 prodeuntes, tanquam in ſpecula conſtiterunt procul, ut inobſervati obſervarent *Eliâ* quid fieret. Adhærentem ſibi tam pertinaciter miniſtrum diſceſſurus jam jam Propheta petere juſſit à ſe, ſi quid volebat, antequam diſcederet; ut ſanctam ejus pertinaciam ſibi pergratam fuiſſe demonſtraret. Ille animo parato " petere aiebat ſe, ut *de ſpi-* "*ritu Eliæ dupla ſibi portio donetur*, quò ſuccedat ei tanquam hæres Propheta, ritè-" que ſacrum hoc tueatur munus. Ad hæc *Elias*, " *Rem*, inquit, *tu* quidem exi-" miam *petis*, at *perdifficilem. Nihilominus me diſcedentem ſi videris*, *obtinebis.* Hoc " enim ab eo ſolo donatur qui me ſibi aſſumpturus eſt Deo. In Deo igitur ſolo &

" te

" te figere oportet oculos, ut ſpiritualium compos donorum fias. Dum hos illi ſermones conſerunt, equi repentè intercedunt & currus ignei, *Eliám*que turbine ſublatum abripiunt in cœlum. Fixis *Eliſha* oculis proſequitur, exclamátque, " *O mi pater, mi* " *pater, currus & equites*, vis omnis & robur *Iſraëlitici* nominis, quò fugis, deſeríſque " nos ? Oculorum miniſterio (quod unicum ſuperfuit jam) quamdiu potuit *Eliſha* perfunctus eſt. Cùm evectum altiùs in cœlum nè oculorum acies aſſequi ulteriùs poſſet, tum verò luctui paululùm indulſit, veſtéſque ſibi ut in re triſti & calamitoſa laceravit. Mox tamen, ſui memor muneris, togam *Eliæ* ſuſtulit quæ ceciderat, quâque venerat ad flumen reverſus eſt. Ubi ad ripam conſtitit, *Jehovam* invocat *Eliæ* Deum; *Eliæ* togâ fluvialibus aquis facit vim; quâ in partes illico diſceſſerunt, aperuerúntque perambulanti viam. Filii Prophetarum *Hierichuntini*, qui ad obſervandum *Eliam* prodierant, *Eliſham* obſervabant; & aquarum conſpicati miraculum, facilè crediderunt, propheticum *Eliæ* ſpiritum in *Eliſham* tranſiviſſe. Obviàm ergò cùm occurriſſent, eum ut principem ſui ordinis venerati ſunt. Rogaverunt deinde ut " liceret ſibi *homines* quos paratos habebant *quinquaginta ad perquirendum Eliam* " mittere; *nè fortè ſpiritus Dei ſublatum* à terra *in montem aliquem vallémve conjeciſſet.* " Fruſtrà id facturos, *Eliſha* reſpondit. Quippe in cœlos ſublatum, in terris non poſſe " reperiri, fruſtrà quæri. Importuniùs tamen flagitantibus annuit tandem, ut viri 50 trium dierum operam perveſtigantes *Eliam* perderent.

A.M. 3110.

& Thaumaturgus per omnia ſimilis.

Hierichunte jam agebat novus præſes Prophetarum *Eliſha*: quam urbem, dirutam à *Joſua* exſecratámque, *Hiel* quidam *Bethelita*, nihil veritus diras à *Joſua* denunciatas, (*Joſ.* 6.26.) inſtaurare nuper *Achabo* regnante auſus eſt. At magno ei pretio conſtitit hæc audacia; filii *Abirami* pretio natu maximi, cùm fundamentum jaceretur urbis novæ, & *Segubi* natu minimi, qui ſublatus eſt cùm opere jam perfecto ſtatuerentur portæ. At nec in loco ſita eſt ſatis commodo aquæ penuriâ. Unicus enim erat fons, & is aquæ minimè ſalubris, quippe quæ abortum pareret. Itaque cives convenerunt *Eliſham*, opémque implorârunt hac in re, ut ſanarentur aquæ. *Eliſha* gratificari civibus vel Prophetarum gratiâ non recuſavit. Quare novum ſibi ſalem in ſalino allatum novo in aquæ ſcaturiginem injecit, verbáque ſimul hæc addidit, *Sic ait Jehova, Aquam ego hanc ſanatam volo, nè ſit indè deinceps abortus aut mors.* Ex eo tempore ſaluberrimam noxius fons *Hierichuntinis* aquam reddidit. Indè mox *Bethelem* aſcendit Propheta, ubi alterum fuit Prophetarum collegium. In via egreſſi ex urbe pueri, *Iſraëliticæ* religionis urbe, hominum (ut credibile eſt) profanorum & idololatrarum filii, Dei Prophetæ illudebant, vociferantes, *Aſcende, calve, aſcende, calve.* Impietatem tam præcocem in pueris non tulit pius vir, graviſſimam futuram ſi adoleſceret. Exſecratus ergò in nomine *Jehovæ*, urſis tradidit caſtigandos. E ſylva enim propinqua prodeuntes duæ, quadraginta duos è pueris diſcerptos devorârunt. *Bethele* Propheta montem *Carmeli* petiit; *Samariam* indè reverſus eſt. (2 *Reg.* 2.)

§ 11. Defeciſſe ab *Iſraëlitis Moabitam* diximus. *Meſcha* enim rex pecudùm ditiſſimus, qui agnorum 100000 arietúmque totidem hactenus perſolverat annuatim, conſuetum detinet tributum, & obſequium negat. *Jehoramus* ergò populum ſuum recenſet, milites conſcribit, & auxilium à *Judæo* petit. Annuit is, & reges unà tres, *Joramus, Jehoſaphatus*, & *Idumææ* prorex, qui *Judæo* ſuberat, cum ingentibus copiis in *Moabitidem* proficiſcuntur. Sed ut fallerent, ac inopinantes adorirentur, non eò rectà, ſed per *Idumææ* ſolitudinem circuitu dierum 7 perrexerunt. Per deſerta facientibus iter aqua tandem defecit, magnâque laborabatur ſiti. Calamitatem hanc *Jehovæ* acceptam retulit, non ſuis Vitulis, *Jehoramus*; eum conqueritur reges tres in has anguſtias conjeciſſe. De remedio certè *Jehoſaphatus Jehovam* eſſe implorandum putat. Adsítne igitur aliquis *Jehovæ* Propheta rogat. Ex *Iſraëlitis* didicit, *Eliſham* adeſſe. Pergratus adfuit de *Eliſha* nuncius. Ejus operâ conſuli *Jehovam* poſſe non dubitabat. Eum ergò reges convenêre tres. Primus obtulit ſe *Jehoramus*, quem Propheta verbis acrioribus corripuit. " *Quid mihi tecum eſt, Jehorame*, inquit, ut " tu ex me quæras conſilium Dei? *Ad patris matríſque tuæ prophetas*, prophetas *Ba-* " *alis te conferas.* " Faveto linguâ, reſpondit rex. Nec enim ego ſolus, verùm & " alii duo mecum *reges* periclitantur. In has nos ſiticuloſas arenas tuus *Jehova* per- " tulit, *ut Moabitis* prædam trucidandos *traderet.* " *Jehovam* & ego teſtor, ait Pro- " pheta, *exercituum Deum, cujus in conſpectu oculíſque ſum, niſi Jehoſaphatum revere-* " *rer, nè conſpectu oculíſve meis dignarer te. Nunc autem, Judæi* regis gratiâ, *huc ad*

Moabitis rebellibus bellum inferunt *Joramus, Jehoſaphatus*, & *Idumææ* prorex;

A.M. 3110.

"*me fidicinem vocate.* Vocatus eſt, eóque citharam pulſante, ſedatum hymnis quibuſdam ſpiritualibus animum (quem perturbaverat importunus rex) ſpiritus invaſit propheticus; quo agitante, ſic effatus eſt. "*Foſſas effoditote in valle hac, ait Jehova. Nullum* audietis *ventum*, *pluviam nullam videbitis.* Foſſæ *tamen aquis* occultis *impletæ* ſuppeditabunt *potum* abunde, *quo & vos pecoráque veſtra* ſaturemini. Sed "*leve* beneficium *hoc* & exiguum *videtur* benigniſſimo *Deo.* Multò vobis majora "deſtinat. Ipſos *Moabitas* vincendos vinciendóſque *tradet in manus*; qui etiam "ipſi Deo rebelles, à Religione vera deſciverunt non minùs quàm ab *Iſraëlitarum* "imperio. Quare *vos civitates* eorum *omnes munitas diruetis*, *omnes* fructiferas *ex*"*ſcindetis arbores*, *obthurabitis fontes*, *agróſque fertiliores obruetis lapidibus.* Manè proximo, ubi matutinum adfuit ſacrorum tempus *Hieroſolymis*, per viam *Idumææ* manaverunt aquæ, & vallem omnem impleverunt. Haud ignorabant *Moabitæ*, tanto exercitu, etſi per viam alienam, peti ſe. Quare ſuas & ipſi copias in procinctu habebant, quantaſcunque poterant per univerſam ditionem colligere; hoſtéſque in limitibus ſuis exſpectabant. Manè autem, ubi aquam in valle Solis orientis rubeſcentem radiis conſpexerunt, nihil de aqua ſuſpicantes in ſolo aridiſſimo, ſanguinem credidêre, hoſtium ſanguinem ſuis mutuò cæſorum telis. Ad prædam igitur colligendam ſemet adhortati, ad caſtra *Iſraëlitarum* tumultuosè deſcenderunt: ubi prælio excepti, qui de præda ſolummodo cogitabant, facilè in fugam abacti, magnâque ſtrage per omnem longè latéque regionem trucidati ſunt. Urbes diruuntur, ſucciduntur arbores, obſtruuntur fontes, agri fertiliſſimi quique lapidibus obruuntur; quod imperaverat Deus. Regem ipſum ditione ferè totâ exutum in *Cir-haraſethæ* muros compingunt; quos & ipſos graviter oppugnant funditores. Veritus *Moabita* nè & ipſe captâ urbe caperetur, cum ſeptingentis ſuorum validiſſimis *Idumæorum* caſtra perrumpere conatus eſt. At hoſtium repugnantium ſuſtinere vim non potuit. Capto igitur *Idumæi* regis filio & regni hærede, in urbem reverſus eſt. Cúmque obſidione gravi premeretur, eum in muris holocauſtum obtulit: unde inter *Idumæum* & *Iſraëlitam* acerrimæ contentiones ortæ ſunt. Maluit enim *Jehoramus* urgere obſidionem, & urbe captâ conſummare victoriam, quàm, ut redimeret *Idumæi* filium, infectâ re diſcedere. Vehementer igitur indignatus ille caſtra deſeruit & cauſam *Iſraëlitarum*, domúmque ſe recepit cum ſuis. Eo diſcedente, adeò debilitatæ ſunt *Jehorami* vires, ut de urbe potiunda deſperans, obſidionem ſolverit, *Samariam* denique redierit cum exercitu. Aliqui ſuum à *Moabita* immolatum fuiſſe filium volunt, ſacrum piaculare immanibus ſuis diis. At verò parricidium *Moabitæ* cur *Iſraëlitam* arceret ab obſidione, victoriâque propè jam parta, non capio.

Eliſhâque prædicente, victoriam obtinent, non completam.

§ 12. Eò & *Eliſha* retulit ſe. Sed occurrit ei vidua quædam in via, Prophetæ alicujus defuncti conjux, quæ de anguſtiis rei ſuæ familiaris flebiliter conquerebatur. "Eheu! inquit, Divine vir, *ſervus* ille *tuus* & *maritus interiit meus*, *teſte vel te ho*"*mo religioſus*; at pauper idem æréque oppreſſus alieno. Mihi verò miſellæ nihil "eſt relictum quo diſſolvam. *Adſunt* ergò ſeveriſſimi *creditores*, *meos rapturi filios* "*in ſervitutem*, cùm alia nulla ſit debiti expediendi ratio. "Equidem doleo tuam "vicem, ait Propheta. *A me* verò *quid fieri vis?* Nec enim vel mihi pecuniæ re"dundant. Ope forſan Divinâ viri pii viduam ſublevabo. *Quid habes* reliquum "*domi?* "Quid habeam quæris domi? reſpondit mulier. Vis uno verbo dicam om"nia? *Una mihi lecythus olei eſt*, *præterea nihil.* "Satis id, inquit *Eliſha. I* nunc, "*accipe* de tuo *mutuóve vaſa quàm* potes *plurima*, eadem *vacua*, & quæ capere oleum "poſſint. *Occluſis deinde foribus*, *& filiis* tibi opitulantibus, de tua lecytho *in* alia "*infunde vaſa*, donec *impleantur* omnia. Paruit Prophetæ mulier proba, etſi rem imperanti vix credibilem. Cúmque perfeciſſet, nec jam ampliùs redundaret oleum in lecytho, vaſis omnibus completis, renunciavit *Eliſhæ* rem. Is "*vendere* juſſit *oleum*, "donec *ſolveretur debitum*; *reliquum ſibi filiiſque ad alimentum haberet.*

Eliſha viduam ſine pecuniis locupletat.

Per *Shunamum*, in tribu *Iſſacharis* oppidum, ultro citróque ſæpius commeabat *Eliſha.* Opulenta id & perhoſpitalis mulier quædam animadvertit, peregrinúmque in ſuam invitavit domum, ubi liberaliſſimè acceptus eſt. Cùm ſæpius eâdem præteriret, conſuetudine frequenti perſpexit mulier virum ſacrum & Prophetam fuiſſe, (nondum ſcilicet miraculis vulgò inclaruerat,) viróque ſuo perſuaſit ut cœnaculum ei proprium ædificaret; idem ut lecto & menſâ rebúſque aliis neceſſariis inſtrueret, quò, cùm eâ faceret iter, ſemper diverteret *Eliſha.* Gratiſſimum id habuit Propheta, adeò ut ex *Gehazi* ſervulo ſuo quæreret ſolicitè, quo benignitatem hanc munere com-

A Shunamitide hoſpitio accipitur:

compenſaret. Et rogare juſſit mulierem, "*qua in re* tam benigno hoſpiti grati- "ficaretur: *an à rege* aliquid *militiæve præfecto* ejus eſſet gratiâ *petendum.* Reſpondit mulier, "ſibi non eſſe opus aut regis gratiâ, aut præfecti militum. *Po-* "*pularium ſuorum* benevolentiâ niti ſe, ſatis tutam ab injuriis. Nihil deſiderare "præter *filium*, qui in patris bona ſuccedat hæres. Sterilem verò ſe *virúmque ſenem* "abjeciſſe omnem ſobolis ſpem. Vocata igitur ad Prophetam, cùm ad oſtium exſpectaret pudicè quid eſſet dicturus, "Filii deſiderio anxiam video te, ait *Eliſha. Hâc* "ergò poſt annum *tempeſtate filium editura es*, & compos voti fies. Mulier dubia nuncióne felici nimis fidem haberet, "Obſecro te, inquit, *domine mi*, *Divine vir*, *nè* "*illudas mihi* vanâ ſpe, ſed quod locutus es ratum faciat Deus. Fecit ergò ratum Deus, eâque poſt annum tempeſtate, filium viro ſuo mulier, gaudium utrique maximum filius peperit. Qui Prophetam Dei eo ipſo nomine gratiâ Dei tam liberaliter habuiſſent, à ſe Deus præmio, Prophetâ miniſtro, non à rege præfectóve militum, donari voluit.

A.M. 3110.

cui ſterili à Deo procurat filium,

Contigit hoc tempore ut *Shunamitidis* filius, de quo ei prædixerat *Eliſha*, moreretur. Quanto cum gaudio acceperat mater, tanto amiſit cum luctu & dolore. Tamen aliquam fovebat ſpem, poſſe Prophetam, qui dederat, etiam reſtituere ademptam vitam. Tantâ illum valere apud Deum gratiâ credidit. Quare puerum defunctum in ejus lecto depoſuit: ipſa, pueri celatâ morte, nè virum dolore affligeret, qui jam aberat domo, ab eo redeunte rogat, uni ex famulis veniam ut det ſecum proficiſcendi ad Prophetam; non moraturam ſe pollicita. Miratus conjux quid ſibi vellet, quæ tempore minùs opportuno moleſtiam faceſſeret Prophetæ, cùm nec Sabbatum eſſet nec Novilunium, importuniùs roganti conceſſit. Servum igitur paſſu incitato properare mulier juſſit, nec morantem ſui causâ retardare curſum. In monte *Carmeli* jam agebat *Eliſha*; qui, ut è longinquo *Shunamitidem* conſpexit, aliquid adverſi contigiſſe metuens, miniſtrum ſuum juſſit occurrere, & rogare, *num ſalva* omnia: *num ſalvus ei vir*, *ſalvus puer.* Ea paucis famulum abſolvit, ad dominum properabat; procidénſque in humum, ejus arctiſſimè pedes amplexa eſt. Abſtrahere *Gehazi* volebat, ſed *Eliſha* prohibuit. Magno enim aliquo dolore afflictum ei animum perſpiciebat; quam ſibi rem non indicâſſe *Jehovam* mirabatur. Ubi verbis dolor indulſit veniam; "*An* non *ego filium*, inquit, *à* te, *mi domine*, vehementer "*expetii?* Promittente verò *te*, *an non* obnixè *rogavi nè me luderes*, & lactares vanâ "ſpe? Facilè intellexit his interrogatiunculis Propheta quid accidiſſet, quid ea jam fieri flagitaret. Juſſit illico ſervulum *Gehazi* "cum *ſuo baculo* feſtinare, *neminem* "*ſalutare*, *nemini reſpondere*, quo moretur in via: *ſuum* verò *ſuper faciem pueri* de- "functi *ſcipionem ponere*, quo ad vitam revocetur. Abiit *Gehazi*, non & mulier. Ea ſanctè profitetur, "*Ut vivit Jehova*, inquit, *ut vivit anima tua*, *non derelinquam* "*te*, donec ipſe mecum proficiſcaris. Cùm aliâ conditione diſceſſura non videretur mœſtiſſima mater, comitatus eam eſt *Eliſha*, obviámque habuit redeuntem *Gehazim*, qui ſe baculo Prophetæ profeciſſe nihil renunciavit. Ubi ad puerum Propheta ingreſſus eſt, primò Deum precibus aggreditur importunis. Deinde puero nudus nudo incubuit, quomodo *Elias* jam antea viduæ *Sareptanæ* filio. Suo corpore pueri volebat carnem incaleſcere. Cùm nondum imprimeretur vivida vis, ſecedit pauliſper in domum; mox redit, & quo priùs modo recumbit in puero. Tandem exaudivit Deus, incaluit puer, ſternutavítque ſepties, & oculos aperuit reviviſcens. Advocata mater viventem valentémque filium recepit munus gratiſſimum, devolutáque ad pedes humillima reverentiâ Prophetam dignata eſt. Monuit eandem *Eliſha* de fame ſeptennio graſſatura in *Iſraëlitide*, conſuluítque ut, vertendo ſolum, ſuæ familiæque ſaluti quàm primùm conſuleret. Mulier igitur cum ſuis omnibus apud *Palæſtinos* per ſeptennium commorata eſt. Aliis præterea miraculis *Eliſhæ* fama cœpit indies propagari. Reverſus enim *Gilgalem* ad filios Prophetarum, magnam in iis locis penuriam annonæ reperit. Famulum ergò ſuum juſſit in olla quæ aderat magna pultem coquere, quâ Prophetarum collegio levaret famem. Is in agrum egreſſus ut olera colligeret, magnam colocynthidis agreſtis vim inſciens decerpſit, conſciſſámque permiſcuit in polento. Alii comeſturi jam facilè adverterunt pernicioſum *Gehazis* inſcii errorem, *Eliſhám*que inclamaverunt, venenum & *mortem eſſe in olla* vociferantes. Ille igitur, farinâ tantùm injectâ, ſuſtulit veneni vim, ſanam reddidit comedentibus pultem; nè quis noxium & peſtiferum experiretur beneficium ſuum. Interea pius quidam vir, è planitie feraciore, hordei ſui primitias attulit ad Prophe-

A.M. 3115.

eundémque mortuum ad vitam revocat.

Eidem prænunciat famem ſeptennem.

Aliáque atque alia miracula edit.

A.M. 3115. Prophetam, opportuno famis tempore, panes viginti, & ſpicas recentes cum gluma. Propheta igitur miniſtro ſuo imperavit, ut "menſam inſtrueret, *apponerétque multitudini* quæ aderat cibum *quo veſcerentur.* Miratus *Gehazi* quid ſibi vellet, "nihil habere ſe reſpondit, nihil videre quod apponatur, quóque *centum viri* ſaturentur. Iterum edixit *Eliſha* "*cibos* ut *apponeret. Quippe Jehovam* ità *ſtatuiſſe*, populo huic, utut magno, ſatis ſupérque futurum quod apponeretur. Cùm ægre tandem appoſuiſſet, comederunt omnes, & ſaturati ſunt; reliquúmque fecêre multum pauperibus etiam profuturum. Aucti erant tanto numero jam filii Prophetarum *Gilgale*, ut anguſtiæ loci tantæ multitudini non ſufficerent. Ab *Eliſha* ergò præſide ſuo petivêre, ut liceret ſibi ſylvam in ripa *Jordanis* fluvii cædere, quò nova ſibi conſtruerent ædificia, & habitarent laxiùs. Permiſit *Eliſha.* Sed ut unà proficiſceretur ipſe obſecraverunt. Profectus eſt. Accidit fortè dum eorum unus lignum dejiceret, ſecuris etiam ut caderet in flumen. Queri protinus apud Prophetam qui amiſerat, eóque ferre graviùs jacturam, quòd commodata ſecuris eſſet, non ſua. In loco demonſtrato Propheta lignum injicit, quo factum eſt ut ferrum protinus enataret, eíque redderetur qui amiſerat. Præterea, cùm *Syri* & *Iſraëlitæ* bello inter ſe contenderent, omnia *Benhadadi* conſilia prodita *Joramo* ſunt ab *Eliſha.* Cúmque de inſidiis ei poſitis monuiſſet regem ſæpius, miſſis exploratoribus veriſſima comperit quæ indicaverat Propheta. Tandem animadvertit *Benhadadus* ſua prodi arcana, & eludi ſtrategemata. Suos ergò familiares & omnium conſiliorum participes conſciósque ſuſpicari cœpit quaſi proditionis reos. Illi verò, ut amolirentur à ſe tantum nefas, ex aliquo *Iſraëlitarum* indagârunt didicerúntque ipſam rem; "conſilia *Syrorum Eliſham* prodere, qui *Joramo* ipſa *renunciare verba* ſoleret *quæ in thalamo loqueretur* intimo *Benhadadus.* Quæſitum ergò eſt de *Eliſha*, ubi degeret; miſſi qui caperent, adducerentque ad regem. *Dothane* tum agebat *Eliſha*; quam ut obſiderent, Prophetámque abducerent, equitum turmæ curruúmque iter eò nocturnum confecerunt, quas urbi circumfuſas *Gehazi* manè conſpicatus eſt. Magnâ igitur vociferatione ſervus pro metûs magnitudine quo perculſus eſt dominum ſuum inclamavit; obſideri ſe ab hoſtibus, elabi non poſſe. Hâc eum formidine ut levaret *Eliſha*, "multò *plures* dixit *à ſuis ſtare partibus*, quàm contra ſe venirent. Oravítque Deum, ut famulo ſuo aperiret oculos. Illico aperti ſunt, conſpexítque *Gehazi* undequaque montana equis & curribus igneis coöperta. Iterum oravit Propheta, ut "hoſtium oculis tenebræ quædam offunderentur, nè cognoſcerent quem eſſent in locum delati. Cùm ergò ad capiendum *Eliſham* ingreſſi urbem, penè in manibus eum tenerent jam; ille obvius ultro monuit eos errare. "*Non hunc eſſe* locum, *non urbem hanc* quam peterent. *Se*, modò *ſequerentur*, rectà *eos ad Eliſham perducturum.* Voluit Deus ut crederent, ut ſequerentur, donec in ipſam perduxiſſet *Samariam*; ubi hoſtium copiis circundati facilè potuiſſent deleri: quod & *Joramus* rex erat libentiſſimè facturus, niſi prohibuiſſet Propheta. "Nec enim ità ſævire *in* hoſtes *bello captos* licere dixit; multò minùs in hos non niſi ſuo captos beneficio, qui nihil dediſſent damni malíve. Sed *proponi* juſſit quod jejuni *ederent biberéntque*; ità incolumes dimitterentur. Nam orante Prophetâ ut illis patefierent oculi, facilè perſpexerunt quanto fuiſſent in periculo; adeóque territi ſunt, ut turmatim deinde nunquam auſi

Benhadadus præ metu panico *Samariam* deſinit obſidere.

ſint *Iſraëlitidem* invadere. Sed juſto exercitu *Benhadadus* ipſam *Samariam*, regni caput, obſidione arctiſſimâ cingendam cenſuit, omnéſque aditus ità præcluſit, ut fame quàm armis oppugnarentur magís. Quippe aſini caput octogenos ſiclos, columbarum ingluvies quinos valebat. Cúmque rex mœnia circumiret, inclamavit mulier quædam querulâ voce, ut *ſervaret ſe.* "Imò *ſervet*, ſi poteſt, *te Deus*, ait rex. Nec enim in mea eſt poteſtate, vel *ex area* frumento, vel *ex torculari te* vino *reficere. Quid* autem *rei eſt*, quòd regem inclamas? Ea narrat cauſam ſanè luctuoſam. "*Mihi* cum vicina, inquit, *muliere* ità convenerat, ut *meum filium herì comederemus*: ea *ſuum* pollicita eſt *hodie.* Jam verò *illa ſuum abſcondit* poſtquam *depaſta eſt meum.* Cùm hæc audiret, ægerrimè tulit rex tam indignam inhumanámque rem. Cúmque maximi doloris indicio laceraviſſet pro more ſibi veſtes, cilicium animadvertit populus regio corpori admotum, perſpicuo luctûs argumento. Exſecratus itaque ſe, niſi *Eliſhæ* caput eo die amputaret, qui lactâſſet eum vanâ ſpe, donec omnia jam devorâſſet fames; unum illico è proceribus ſubmiſit, qui facinus in Prophetam deſignatum perpetraret. Domi ſedebat *Eliſha*, aſſidentibus ei primoribus populi. Cúmque prævideret animo quid eſſet facturus rex, "*Perſpicitiſne*, "inquit,

"inquit, *ut iſte filius homicidæ* patrizet, ſicariúmque huc *ut meum auferat caput emi-* "*ſerit? Fores claudite*, nè admittatur, *& in* ipſis *eum foribus comprimite*, donec Dei "mandata expoſuero. *Nonne* & *dominus* ipſe famuli *veſtigia* perſequitur? Cùm intraviſſet nuncius regis, & à primoribus qui aderant cohiberetur nè in Prophetam irrueret; "*Quid*, inquit, *ampliùs* fruſtrà *nos Jehovâ nitamur* Deo? ejúſve opem "imploremus? Nonne *ab eo* nata immiſſáque *ſunt hæc* in nos *mala?* Tum *Eliſha*, "Attendite, inquit, *accipitéque verbum Jehovæ* Dei. *Hâc diei craſtini horâ, ſatum* "*ſimilæ ſiclo, ſiclo bina venient hordei ſata in* ipſa *porta Samariæ.* Aderat ipſe jam rex, tribunúſque ille cujus manu nitebatur ludibrio habuit Prophetæ verba, ut majora fide. "Quid hoc, ait, prodigii eſt quod tu narras ut eludas nos? *Si cataractas ape-* "*riret in cœlis Jehova* quibus demitteret frumentum, *fieríne hoc poſſet* quod tu pollice- "ris? "Et poteſt, & fiet, reſpondit *Eliſha*; *túque ipſe videbis* frumentum, *at non* "*comedes*; oculis tantùm, non & ore ſenties. Dum hæc agebantur, ad portam urbis fortè jacebant homines leproſi quatuor, quibus vitæ nulla erat conſervandæ ſpes, niſi hoſtium ſe clementiæ traderent. Humanum eſſe reputabant, hominum affectis corporibus morbóque ſuo pereuntium miſereri. Quòd ſi ab hoſte cæderentur, non niſi moriendum ſibi, morituris mox, eò ſi non confugerent, inexpugnabili fame. In hoſtium ergò ſe caſtra ſub auroram contulerunt mendicaturi cibum. Ubi ad extremos caſtrorum limites pervenerunt, altum erat ubique ſilentium. Nullus aderat uſquam. Panico enim terrore cœlitus immiſſo conſternati omnes per noctem aufugerant. Quippe magnum ſibi videbantur audire ſtrepitum equorum, armorúmque & curruum; faciléque animos induxerunt ut crederent, *Ægyptios Hithæóſque* à *Joramo* conductos ingenti cum exercitu auxiliatum veniſſe *Iſraëlitis.* Quare ſummâ feſtinatione proripuerunt ſe, de ſua quiſque ſalute ſolicitus, equis aſiníſque relictis, commeatúque & divitiis omnibus. Leproſi, cùm neminem audirent, neminem viderent in caſtris, ingreſſi tentorium rebus omnibus refertum, operam primam levandæ fami dederunt comedendo bibendóque; inopiæ proximam, colligendo auferendóque aurum argentúmque & veſtes: quæ cùm in locis occultis abſcondiſſent, rediverunt ad prædam in alio tentorio novam. Tandem ſubveriti, nè, ſi claro mox die pateret civibus hoſtium fuga, ipſi malè multarentur, qui non prodidiſſent, ad urbem properârunt, appellatóque janitore, quæ vidiſſent renunciârunt. Rex ipſe, ubi audivit rem opinione majorem, illico ſurrexit, non & illico habuit fidem hoſtes aufugiſſe. "Simulare dixit fugam, & *latère* alicubi, ut *egredientem* ſe cum ſuis "*intercipiant.* Conſultum igitur viſum eſt, antequam populus invaderet hoſtium caſtra, equites duos emittere ſpeculatum. (Perexiguus enim reliquus erat in urbe numerus equorum.) Illi ad *Jordanem* uſque fluvium hoſtium veſtigia collegerunt. Viam reperêre omnem ſtratam veſtibus atque vaſis, quæ abjecerant hoſtes ut impedimenta fugæ. At nulli in caſtris, nulli uſquam in inſidiis erant *Syri.* Quo relato ad regem nuncio, emiſſi protinus qui caſtra ſpoliarent; unde frumentum in portam allatum eſt venale populo. Similæ ſatum ſiclo, ſiclo bina hordei ſata vendebantur; quod prædixerat futurum *Eliſha.* Sed ut ritè diſtribueretur frumentum ſine rapina & vi, huic portæ auctioníque præfectus eſt tribunus ille incredulus, qui Prophetæ dicta eluſerat hanc pollicentis annonæ vilitatem: qui cùm populo, fame urgente nimis importuno, pro autoritate ſua obſiſteret atque obniteretur, multitudine ingruente, nec ferente moram, obrutus tandem & conculcatus interiit. Vidit frumentum eo quo promiſerat pretio Propheta; ſed indignus à Deo habitus eſt qui guſtaret.

A.M. 3115.

§ 13. *Jehoſaphato* defuncto, regnum *Judæ* maximus natu filiorum *Jehoramus* tenuit, quem jam antea, quinto anno *Jehorami Iſraëlitici*, (2 *Reg.* 8. 16.) in regni conſortium admiſerat, quò præciderentur anſæ omnes innovandi res concertandíque de regno. Animadvertit enim, *Iſraëlitas* novarum rerum regúmque admodum ſtudioſos fuiſſe, ac ſæpius ante annos perpaucos immutaviſſe. Morbus idem nè & *Judæos* vicinitate corriperet, quâ fieri potuit induſtriâ prudentiâque ſibi proſpiciendum putavit. Ad bellum igitur *Gileadicum* profecturus cum *Achabo*, videtur filium ſibi proregem conſtituiſſe, nè, ſi quid ſibi humanitus accidiſſet belligeranti foris, aliqua eſſet contentio de ſucceſſione domi. Nam 2 *Reg.* 1. 17. dicitur *Jehoramus Achabi* filius iniviſſe regnum anno ſecundo *Jehorami* hujus *Judæi.* Artificium hoc ſubrogandi reges ab *Achabo* didiciſſe videtur *Jehoſaphatus*; qui filium ſuum regno præfecit *Achaziam*, ad bellum profecturus contra *Syros*, nè quis, obeunte ſe, præverteret regnum

A.M. 3116.

Jehoramus ſex fratres è medio tollit *Judæorum* rex impius;

A.M. 3116. regnum à ſuis. Nam *Achazia* cœpiſſe dicitur regnare anno 17. *Jehoſaphati.* (1 *Reg.* 22. 51.) Alios habuit ſex filios *Jehoſaphatus*, quibus dona plurima & pretioſa, munitáſque urbes in *Judæa*, donavit; hæredi regnum tradidit. Animadverterat quippe ſenex in *Jehoramo* animi ſigna quædam malevoli erga fratres, certáque ſimultatum indicia. Magnam ergò pecuniarum vim, atque urbium munimenta, non tam dignitati filiorum quàm ſaluti conſulens, iſtis filiis erogavit. At viventibus cavere fruſtrà mortuus conatus eſt: paucæque urbes contra ſummam regis potentiam haud magno erant præſidio futuræ. Patre igitur moriente, ut primùm ſuo jure moréque regnavit *Jehoramus*, ingenium odiúmque prodidit, fratréſque unâ cæde omnes è medio ſuſtulit. Nec eos duntaxat, ſed etiam procerum nonnullos, qui fratrum ſtudere partibus videbantur. Facinus horridum & immane! Quis ab homine tam in fratres inhumano & impio pietatem in Deum exſpectet aliquam? Quaſi *Achabi* hæres eſſet, non *Jehoſaphati*, ità vitulinam coluit religionem, *Jehovam* Deum abjecit. In Excelſis enim quæ conſtituerat in montibus *Judææ*, populum ipſóſque *Hieroſolymarum* cives eò minis & vi adegit, ut idolis ſacra facerent. Quippe *Athaliam*, *Achabi* filiam & *Jezebelis*, uxorem duxerat, neptem *Omri*. Quare à *Jehova* abjectus ipſe, maliſque graviſſimis contritus eſt. Rebellârunt inprimis *Idumæi*, qui à *Davide* perdomiti hactenus paruerant imperio *Judæorum*. Jam verò è ſuis novum ſibi præpoſuerunt regem. Magno quidem curruum & principum apparatu conatus eſt *Jehoramus* ad obſequium perduelles revocare, noctúque obſidentem ſe multitudinem hoſtium magnâ clade affecit; in ſuam ditionem redigere non valebat. Victoriam de rebellibus reportavit, reliquit libertatem: ex eo nunquam ſubditi ſunt *Judæis*. (*Gen.* 27.40.) *Libna* quoque, *Judææ* munitiſſima ſacerdotalis urbs, & quondam regia, (*Joſ.* 10. 29, 30. & 21. 13.) defecit à *Jehoramo*, cùm ille à Deo defeciſſet. Scriptæ quoque ab *Elia*, jam antequam in cœlum aſſumeretur, literæ *Jehoramo* traditæ ſunt. Præviderat prædixerátque impietatem hanc futuram religioſiſſimus Propheta; ut de regno *Cyri Eſaias*, (44. & 45.) & alius de *Joſia*. (1 *Reg.* 13. 2.) Idque ut à Propheta fieret abſente voluit Deus, nè in præſentem fortè ſæviret impius impoténſque rex. Sic autem in *Jehoramum* declamavit *Elias*. " *Sic ait Jehova Davidis*, familiæ tuæ " principis, *Deus*: *Quoniam à tui patris Jehoſaphati* pietate avíque *Aſæ deſciviſti*, nec " majorum tuorum, *ſed regum Iſraëliticorum veſtigiis inhæres*; nec ipſe modò impius " & impurus es, ſed *&* populum *Judaïcum & Hieroſolymitanum adigis ad* ſacra cum " idolis *adulteria*, *ut Iſraëliticum* adegit *Achabus*; quoniam *& fratres tuos*, multò *meliores* vitâque digniores *te*, immani parricidio *contrucidâſti*; *ecce*, *magnis* te *conteret* " *malis* ſcelerum juſtiſſimus vindex *Deus*, in *populo* tuæ impietatis participe, in *liberis* " *uxoribúſque tuis*, in *bonis facultatibúſque*, in ipſis denique *viſceribus tuis*, quæ alie- " nis fortaſſe malis non movebuntur. Et cum hoc morbo biennio conflictatus, *exeuntibus* tandem ac putreſcentibus *inteſtinis* miſerrimè excruciatus interibis. Quæ omnia mox ei reipſâ contigerunt ut præmonſtraverat Propheta. *Palæſtini* & *Arabes* irruentes in *Judæam*, & reliqua depopulati, ipſam diripuerunt regiam, abſtulerúntque omnia, opes, uxores liberóſque *Jehorami*, liberis indigniſſimi, qui ſui patris filios indigniſſimè trucidârat. Unicus tantùm evaſit fortè minimúſque, *Davidici* regni ſemen; qui *Jehoachas*, idémque *Ahazia* & *Azaria*, vocabatur. Cúmque nihil hæc omnia proficerent ei ad ſanitatem mentis, corporis quoque ſanitas adempta eſt. Inteſtinorum graviſſimo laboravit morbo per biennium; quibus tempore conſtituto à Propheta ex alvo erumpentibus, ſummo cum dolore & cruciatu animam tot ſcelerum conſciam exhalavit. In civitate quidem *Davidis* ſepultus eſt; at nec in ſepulchris majorum, nec eâ funeris pompâ quâ reges alii. Ità enim vixerat regnaverátque annos octo, ut & ipſum ſuæ vitæ, regníque ejus populum maximè tæderet. Neque tamen ut *Jeroboamus* & *Baaſha*, *Achabúſque* mox, funditus cum familia deletus eſt, *Davidis* gratiâ. Nam ex ejus filiis minimum, & unicum qui ſupererat, *Ahaziam*, ſive *Azariam*, qui & proregis munere perfunctus eſt anno patris ultimo, (2 *Reg.* 9. 29.) in ſolio paterno repoſuerunt *Hieroſolymitani* cives. Sed

A.M. 3120. & hic anno quo regnavit unico, avo *Achabo* ſimilior quàm *Jehoſaphato*, pravis perditíſque *Athaliæ* conſiliis, & aliorum ex *Achabi* familia, quibus gubernandum ſe tradidit, in idololatriam omnéque vitium & exitium præcipitatus eſt. Tanti eſt diſcriminis, propinquitate nimiâ homines improbos attingere.

deinde malis omnimodis excruciatus, qua Elias ei epiſtolicè prædixerat.

§ 14. Redierat jam *Shunamitis* ab exſilio ſeptenni, quò *Eliſhæ* monitu fames eam exegerat. At, abſente domino, alius interim fundum ejus atque larem occupârat. Regem

Shunamitis ab exſilio ſeptenni redit.

Regem igitur appellat mulier, ſuppliciſſiméque rogat, ut ſua ſibi jam reduci redderentur. Vix attendit *Jehoramus*, qui tum fortè *Gehazim* ipſe de miraculis *Eliſhæ* diſſerentem attentiùs audiebat. Inter alia narrabat *Gehazi* de puero defuncto, quem à mortuis ſuſcitaverat *Eliſha*. Cúmque mulierem ſupplicantem attentiùs obſervaret, ipſam pueri matrem agnovit; &, "*Hæc*, inquit, *ea eſt*, *cujus revocatus eſt in vitam* "*filius*, & ille ipſe *hic eſt puer*. Cùm ergò & mulier interroganti regi eadem confirmaret quæ dixerat *Gehazi*, quadam miraculi reverentiâ impulſus rex, protinus imperavit, ſuus mulieri fundus domúſque ut redderentur, annuíque reditus agrorum ex quo diſceſſerat. *A. M. 3120.*

Erat apud *Syros* militiæ præfectus *Naamanus*, fortiſſimus vir, ideóque regi ſuo chariſſimus. Ab hoſtibus enim *Syros* vindicârat ſæpius. At idem leprâ miſerè laborabat. Captivam fortè habuit domi puellam *Iſraëliticam*, ſuæ famulam uxoris. Ea monuit dominam de Propheta qui fuit *Samariæ* reddituro facilè ſanitatem hero, ſi eum conveniret. *Eliſham* volebat. Uxor eadem de re monuit *Naamanum*, *Naamanus* regem; qui, pro amore ſummo in præfectum ſuæ militiæ quidlibet facturus, ad regem *Iſraëliticum* literas tradidit, quibus *Naamanum* ſe miſiſſe indicavit ſervum ſuum, ut eum leprâ levaret ſanúmque redderet. Cùm legiſſet *Joramus*, vehementer perculſus atque indignatus eſt; laceratíſque veſtibus ad proceres qui aderant, "Quid? inquit. *Méne pro Numine Syrus* habet, qui valeam cui libet *adimere vi-* "*tam*, *redderéque? Ecce ut diſcordiarum* atque belli *contra nos anſam quærat*. *Samariæ* tum aderat *Eliſha*; qui cùm audiret hæc, regi per nuncium ſignificavit, "non "opus eſſe ut tantopere turbaretur *Syri* literis. Mitti voluit *Naamanum ad ſe*. Nam "fore dixit ut *Syrus cognoſceret eſſe Iſraëlitis prophetam*. Eò igitur miſſus illico *Naamanus* unà cum ſatellitio, ante oſtium Prophetæ in curru ſedens exſpectabat. Deſcendere non dignatus eſt faſtuoſus miles. Nec ad eum deſcendit Vates Dei. Tandem ab *Eliſha* nuncium accepit, ut "*in* fluvio *Jordane ſepties lavaret ſe*; ità *reditu-* "*rum carnem*, diſceſſurámque lepræ immunditiem. Militaris homo, faſtu aulico turgeſcens, tam parvi ſe à Propheta fieri tulit indigniſſimé. Et, "Quid hoc, in- "quit, ſibi vult? Contemptuíne me habet, quem nè oculis ſuis dignum putat? *Ex-* "*ſpectabam ego ut deſcenderet ad me*, *invocatóque Jehovæ ſui Numinis nomine*, *ma-* "*num admoveret* carni affectæ, contrectandó*que ſanaret lepram*. Egóne ut in *Jor-* "*dane* me lavem? Quaſi verò *Abana & Parphar*, *Damaſcenorum flumina*, *non ſint* "*omnibus Iſraëlitarum aquis* longè *præſtantiora*. Si aquis debenda ſit ſalus, meis de- "bebo. Hâc exæſtuans irâ diſceſſurus erat *Damaſcum*. Sed è ſervis prudentiores ſubmonuerunt, "nè tam vehementer exardeſceret, contemnerétve mandatum *Pro-* "*phetæ*. Quid enim *ſi magnam* gravémque *rem præcepiſſet? Recuſarétne id* ſalutis "gratiâ *facere? Quantò minùs* tam levem facilémque, *lavari*, & *mundum fieri?* Diſcuſsâ tandem irarum nebulâ, planè perſpexit prudens vir, veriſſima eſſe quæ ſervi dicerent. Si nihil proficeret his aquis, nihil obfuturas noverat. *Jordanem* ergò petit; ſepties lavat ſe. Quo facto, redit illi protinus nova & tenera quaſi puerilis caro, & leprâ levatus eſt. Cum univerſo igitur comitatu ad *Eliſham* redit; ac profeſſus, "*noviſſe* jam *ſe nullum in orbe terrarum eſſe præter Jehovam in Iſraëlitide De-* "*um*, orabat Prophetam, ut *munuſculum à ſe* gratitudinis argumentum *accipere* dig- "naretur. (Attulerat enim ſecum argenti 10 talenta, aureorúmque millia ſex, & veſtium novarum decem paria.) At Propheta iterum atque iterum, etiam juratus, accepturum ſe pernegavit. Petiit deinde *Naamanus*, ut "auferre ſibi liceret de ſan- "cta hac ſacrâque Deo *Jehovæ terra quantum duo muli portare poſſent*, ut in ea ſacra "faceret *Jehovæ*, *nullum alium deinceps ſacrificio veneraturus deum*. Una tantùm *in* "*re condonare ſibi Jehòvam* obſecrabat, ſi rege *curvante ſe in æde Rimmonis*, & *ipſe* "*pariter unà cum innitente ſibi* rege *corpus inflecteret*. Eam corporis *adorationem*, regi "datam, non *Rimmoni*, *à Jehova ſibi condonari* quàm humillimè rogavit. Propheta paucis ubi monuiſſet, nè iis de rebus eſſet ſolicitus, diſceſſum eſt. Famulus *Eliſhæ Gehazi*, homo avarus, munera tam pretioſa quæ obtulerat *Syrus*, repudiaverat Propheta, auferri prorſus omnia, non tulit. Quare imprudentiâ repudiantis heri damnatâ, *Naamanum* haud longè progreſſum magnâ feſtinatione clam domino conſecutus eſt. Facilè agnovit *Syrus* Prophetæ famulum. Deſcendit ex curru, obviámque ſe obtulit honorificè, ac rogavit "*proſperáne omnia*, quòd tam feſtinanter inſe- "queretur. "*Proſpera*, inquit *Gehazi*, *omnia*. Hoc autem eſt quod *à me tibi domi-* "*nus nunciari vult*, *duos ad ſe juvenes è filiis prophetarum adveniſſe*. Petere igitur "à te

Naamani morbus, & curatio,

converſióque ad Deum.

Gehazi avaritiæ pœnas luit.

A.M. 3120.

"à te *unum iis talentum argenti* ut *des*, *veſtimentáque duo*. Lætiſſimus *Naamanus*, quaſi accepiſſet beneficium, quòd donare ſibi liceret, gratámque haberet *Eliſha* ſuam gratitudinem, juſſit famulum auferre quantum petierat duplicatum, ſervóſque miſit è ſuis qui portarent. Cùm ad imminentem urbi clivum perveniſſent, *Gehazi* ſervulos *Naamani* dimiſit, munus accepit, ac in domo apud amicum clàm aſſervandum depoſuit. Deinde coram domino ſtitit ſe. Haud ignorabat Propheta quò ſe recepiſſet, quídque feciſſet famulus. Rogavit ergò undenam veniret. Ille, qui ſatìs caviſſe putabat ſe nè ſui proderentur doli, negavit ullibi ſe fuiſſe ultra limites ædium. "Nullibi verò te? ait *Eliſha*. *Nonne ſpiritus tibi meus aderat*, *cùm ex curru* "*tibi obvius vir* deſcendit? *Hoccine* tibi *tempus* opportunum videtur *accipiendi* mu-"nera, *argentum atque veſtes*, agros *vineáſque*, *armenta & greges*, *ſervos & ancillas* "denique? Qui munera *Naamani* accepiſti, accipe & *lepram* ſimul, *tibi tuiſque poſte-*"*ris* hæreditariam. Abiit ergò *Gehazi* leprâ tanquam nive totus albicans.

Eliſha prænunciat *Benhadadi* mortem, *Hazaëliſque* ſævitiam.

§ 15. Decumbente *Syrorum Benhadado* rege, *Damaſcum Eliſha* (monitu, opinor, Dei) profectus eſt. Quem adeſſe cùm æger accepiſſet rex, *Naamani* ſanatione multíſque aliis miraculis jam clariſſimum, *Hazaëlem* juſſit, aulicum præpotentem, ut munere aliquo ſalutaret Prophetam, interrogarétque de ſua ſanitate. Ex optimis quibuſque rebus 40 camelorum onus pro munere *Hazaël* agitabat ad *Eliſham*, ac de rege ſciſcitatus eſt. Reſpondit Propheta, "minimè letalem fuiſſe morbum, & fi-"eri *proculdubio poſſe* ut *convaleſceret*. Atque ità regi dixit reſponderi velle ſe. Nihilominus *Hazaëli* renunciavit clàm, "ſibi è cœlo *ſignificatum* eſſe, quanquam "poſſet fieri per morbum, non tamen futurum ut convaleſceret; *certò* ſtatuiſſe De-"um ut *moreretur*. Tum fixis in *Hazaëlem* oculis ad pudorem uſque hominis rem admirantis, lacrymas quoque tandem profudit *Eliſha*. Cúmque *Hazaël* cauſam rogaret, "Tute, inquit Propheta, mihi cauſa lacrymarum es, ubi *recolo* quanta meis "popularibus *impendeant à te mala*. *Flammis eorum propugnacula corrumpes*, *ferro* "*juvenes*, humi *alliſos contrucidabis infantes*; imò ex *diſſectis* matrum *uteris* ad exi-"tium erues immaturos. "Abſit verò, procul abſit hoc à me nefas, ait *Hazaël*. "Adeóne me inhumanum *eſſe*, & *caninis* planè moribus, *ut iſta faciam?* "Imò facies, "dixit Propheta. Quippe *regem Syriæ futurum te mihi Dominus præmonſtravit*. Ex eo igitur *Hazaël* regni protinus concepit aluítque ſpem; domino tamen ſuo renunciavit, certam illi ab *Eliſha* ſanitatis factam ſpem. Ipſe verò poſtridie ſtragulâ in aquam tinctâ eam præcîdit ſpem, regem ſuffocavit, regníque ſceptrum arripuit.

Inungit *Jehu* regem *Iſraëlitidis*;

Ut primùm accepit de morte *Benhadadi* nuncium *Jehoramus Iſraëlita*, antequam confirmaretur *Hazaëli* nova regni quam rapuerat præda, *Ramothas* in *Gileade* iterum ſibi obſidendas putavit, quas fruſtrà pater ejus attentârat. Socius armorum acceſſit *Ahazia Judæus*. At *Hazaël*, impiger & ſtrenuus dux, ſuis opem allaturus properè adfuit cum exercitu, *Jehoramúmque* multis in prælio vulneribus affecit. Videtur tamen cepiſſe urbem *Iſraëlita*; ubi relicto *Jehu* qui præſideret, (bellicoſiſſimo viro, & equitum præfecto, ait *Joſephus*,) ipſe ad vulnera curanda *Jezreëlem*, *Hieroſolymas Judæus* ſe contulit. Sed & *Jezreëlem Ahazia* mox ad avunculum inviſendum adit. Interim ab *Eliſha* unus è filiis Prophetarum *Ramothas* miſſus eſt, qui *Jehu* regem inungeret, Deíque verbis imperaret, ut *Achabi* ac *Jezebelis* impietatem ulciſceretur, eámque funditus tolleret familiam; quomodo *Jeroboami* & *Baaſhæ* omnes poſteros deleviſſet Deus. Cum olei lenticula *Ramothas* feſtinavit Propheta; ubi *Jehu* fortè in conſeſſu tribunorum & principum (urbe, opinor, jam captâ) bellicas agitabat res. Nuncium ei pollicitus Propheta (nam ex habitu, puto, geſtúque Prophetam cognoverant,) ſeducto paululùm à reliquis capiti oleum infudit, ſimul hæc effatus, "*Sic* "*ait Jehova*, *Inungo regem te*, qui *populo* meo præſis *Iſraëlitico*. Et reliqua pluribus, de *Achabi* familia funditus exſcindenda, & *Jezebele*, quæ præceperat *Eliſha*, exſecutus, januam aperuit, foras proripuit ſe. Redeunte in concilium *Jehu*, cùm reliqui duces rogarent, "quid ille ſibi voluerit *homo demens*; (ſic enim profanis hominibus Prophetæ inſani, ſuæque mentis parùm compotes, videntur;) ille, modeſtiâ quadam impeditus, declinare tergiverſaríque primò; "Quid, inquit, ex me quæri-"tis? *Hominem ipſi noviſtis* qui ſit, *quæque dixerit* noviſtis. Illi cùm noviſſe pernegarent ſe, efflagitaréntque importuniùs ut narraret, narravit omnia. Nam ex Prophetæ nuncio quod præ ſe ferebat, nihil à Deo ludicrum pollicente, & ex olei fortaſſe fragrantia quam erant odorati, magnum aliquid ſubeſſe conjiciebant. Ubi acceperunt

ceperunt quod res erat, hominis inſani omnes nuncio protinus obſecuti ſunt. Subſtratis ei ſuis veſtibus, & in regii ſuggeſti faſtigium evecto, maximis clamoribus clangoribúſque buccinarum, *Vivat rex*, *Vivat Jehu rex*, apprecati ſunt. Ille acclamantes venerantéſque ſe duces ità paucis compellavit: "*Si vobis ità videatur*, magnanimi duces, obtemperare mandatis Dei, & in hujus regni ſolio collocare me, liceat "hoc mihi primùm admonere vos, *nè quis exeat* his portis *qui Jehoramo nunciet* novam rem; ſed ipſi primum *Jezreëlem* nuncium ingratum afferamus, nè quis contra nos apparatus fiat. Armis igitur quàm primùm expeditis, *Ramothis* proruit exercitus ducente *Jehu*. Cúmque appropinquarent *Jezreëlem*, monuit regem è ſpecula vigil, *agmen videre ſe*. Turbatus nonnihil eo nuncio rex, equitem protinus agmini obvium emiſit, qui cognoſceret "*pacatíne* accederent, an hoſtili more. Interrogantem *Jehu* paucis corripuit; "*Quid tu* mihi de *pace* narras? In agmen penetra, *ſequere me*. Obſervabat ſpeculator, monuítque "*perveniſſe ad* agmen equitem, *ſed non redire*. Alius ergò à rege miſſus eſt, qui, verbis iiſdem utrinque factis, divertit etiam, & abdidit in exercitu ſe. Speculator iterum, "*equitem neque* "hunc *redire*, denunciat; *ductum* verò agminis *quaſi Jehu Nimſidæ ductum videri*. "*Impetuosè enim ac præcipitanter* agmen *rapi*. Demiratus novam rem, currum ſibi poſcit rex; *Ahazia Judæus* alterum. Ambo prodeunt obviàm, quærítque *Jehoramus* à *Jehu*, "*pacatúſne* accederet. "*Quid* mihi *pacem* narras, inquit *Jehu*, *dum* "*ſcortationes Jezebelis tuæ matris veneficæque præſtigiæ vigent?* Perculſus eo dicto & fugam parans rex, *Ahaziam* inclamat, *Prodimur*, ô *Ahazia*, *prodimur*. Sed *Jehu*, ſummis viribus adducto arcu, avertentem ſe *Jehoramum* percuſſit adeò ut ipſum penetraret ſagitta cor, illéque pronus in currum corrueret. Quare *Bidcari* tribuno comitanti ſe mandavit *Jehu*, corpus regium ut projiceret in agrum *Nabothi Jezreëlitæ*. "*Memini enim*, inquit, *cùm nos patri ejus Achabo* militaremus, *Deum ei* per "*Eliam iſta comminatum fuiſſe*, *Nabothi filiorúmque cædem in ipſo Nabothi* agro *compenſaturum ſe*. Aufugerat interea *Judæus* rex quantum potuit per viam domûs hortenſis. Sed & eum perſecutus *Jehu* interfici juſſit, utpote ex eadem *Achabi* familia oriundum, & plùs nimiò matrizantem filium. In aſcenſu *Guris* montis prope *Ibleamum* in tribu *Manaſſis* accepto vulnere, *Megiddunte* moritur. Tranſlatum indè corpus *Hieroſolymis* in civitate *Davidis* regiâ ſepulturâ donatum eſt, avi gratiâ *Jehoſaphati*. *Jezreëlem* ubi pervenit *Jehu*, *Jezebel* compta pictáque fuco proſpiciebat è feneſtra, & ingredientem aſperiùs perſtringens, *Zimríne*, inquit, *impunè tulit*, *qui ſuum dominum cecidit?* Moratus pauliſper & ſuſpiciens *Jehu*, aulicos invocavit, imperavítque, ut "ſi qui *ſuarum eſſent partium*, *Jezebelem deturbarent præcipitem* è "feneſtra. A miniſtris qui aderant, gratiam inituris apud novum regem, illico deturbata eſt, & ſanguine laceri corporis erumpente parietem & prætereuntes in portam equos inquinavit. Conculcatam deinde atque protritam ab equis, prædam canes opimam devoraverunt. Hæ rerum humanarum vel maximarum ſunt vices. Hæc impietatis violatæque Majeſtatis Divinæ merces de præſenti. Cujus nutu tot herì millia hominum contremuerunt, de ſublimi præcipitata jam, & equorum inſultantium conculcata ungulis, viſceribus canum ſepelitur. Nam poſtquam cœnatus eſt *Jehu*, miſit qui *Jezebelis* cadaver tollerent, utpote regis filiæ, ac ſepulturæ traderent, quam nè hoſtibus hoſtes invident. At nihil à canibus relictum præter calvariam & pedes manuúmque volas repererunt. Prædicavit ergò *Jehu* "juſtitiam Dei, "fidémque inviolatam, qui perfeciſſet jam *quod Elias* Propheta *erat vaticinatus* de "*Jezebele*, ubi ſub mœnibus *dixit Jezreëlis carnem Jezebelis devoraturos canes*.

A.M. 3120.

qui *Achabi* familiam funditus exſcindit;

Reliqui erant *Achabo* 70 filii, quos viri principes educabant, & graviores ætate cives *Jezreëlis* & *Samariæ*. *Samariæ* omnes jam belli *Syriaci* quod gerebatur periculis munitiſſimæ urbis propugnacula opponebant. Ad eos principes *Jehu* literas dat; "*Quandoquidem in ſua poteſtate liberos haberent* regios, *&* regni *propugnaculum*, "*& arma*, *& currus*, & quæ alia opus ad bellum ſint, monet unum *ex Achabi filiis* ut "*præficiant* ſibi regem, arma ſumant, in aciem prodeant, ſecum *decertent* pro imperio. Provocatio hæc viros prudentes magis quàm fortes terruit potiùs quàm irritavit. Sic enim reputabant animis, longè impares ei ſe futuros arma ſi caperent, qui duos jampridem reges profligâſſet. "Humillimè igitur ſua omnes deferunt *ob*"*ſequia*, *imperata ſe facturos*, *regem ſibi* alium *præfecturos neminem*, reſpondent. Iterum ergò *Jehu* per literas mandat, "*ſui ſi eſſent*, imperata facturi, omnes *Achabi* ut "*filios* è medio tollant, *die craſtino ad ſe capita* tranſmittant. Urbis domûſque regiæ

A.M. 3120. præfecti, aliíque principes viri, capitibus alienis, etiam ſanguinis regii, ſua redimunt libenter. Amputata tranſmittuntur *Jezreëlem*; ubi ſub noctem in cumulis duobus ad portam civitatis collocari jubet rex. Egreſſus manè, quaſi novam ignotámque ſibi contemplatus rem, "Quid hoc, inquit, ſibi vult, *Jezreëlitæ* cives? Equidem fa-"teor ipſum regem *dominúm*que *meum ſuſtuliſſe me*, vobis minimè conſciis participi-"búſve. *Hos autem* tot regum liberos *quis interemit?* At verò neque hoc neque "illud vobis mirum videatur. Utrumque Dei eſt unius opus. Utrumque *faciendum* "conſtituit *Deus*, utrumque futurum *per Eliam præmonſtravit. Neque* fieri poteſt ullo "modo, ut fruſtrà *quicquam* & temere vel *Deus edicat*, vel *Dei prædicat* vates. Indè igitur in *Samariam Jehu*, ſuam jam, properabat. Obvios autem cognatos habuit *Ahaziæ Judæi* quadraginta, harum prorſus ignaros rerum quæ contigerant *Jezreële*. Regem illi veterem ſalutaturi prodierant. Inopinatò jam atque infeliciter inciderunt in novum. Ut ejuſdem ergò ſanguinis & impietatis, ità ejuſdem ſortis ac pœnæ participes eſſe voluit *Jehu*. Vivos cepit, mortuos reliquit. Progreſſo paululùm obvius illi occurrit *Jonadabus Rechabi* filius, ſingularis cujuſdam ſanctitatis & magnæ autoritatis vir, qui ſuis liberis, quò meliùs vacarent Deo, primus autor fuit abſtinendi à vino: vetuítque nè ſibi domos exſtruerent, ſed in tentoriis habitarent; néve agros ſererent, vineáſve plantarent; (*Jer.* 35.6, &c.) quo animos nimiùm rebus terrenis immergerent. Cùm ejus animum tentâſſet, ac in ſe propenſum atque benevolum didiciſſet *Jehu*, in ſuum currum ſuſtulit, comitémque adſcivit, ut ſuum gloriæ Divinæ ſtudium atteſtaretur pius vir. *Samariæ* ſi qui reliqui erant ex *Achabi* progenie, ad ſuorum plures dimiſit, donec ejus univerſam radicitus familiam exſtirpaviſſet. Unà cum his omnes etiam cognatos, proceréſque diverſarum partium ſtudioſos, è medio ſuſtulit. Utque *Baalis* quoque ſacerdotes deleret, quorum hæc omnia fieri Deus causâ voluit, hanc technam fabricatus eſt quo incautos opprimeret. (Perſpexit enim facilè prudens atque pius vir, niſi maturè occurreret dominanti palàm idololatriæ, adeò altas eam brevi radices acturam in populo, ut exſtirpari difficillimè poſſit.) *Baalem* ſimulavit ſe ipſo *Achabo* ſtudioſiùs culturum. Quare publicum indicit conventum prophetis omnibus ſacerdotibúſque *Baalis*. Sacra enim ſe magnifica ejus numini facturum promulgavit. Nè quis ergò abeſſet, ſeveriùs edixit, capitis pœnâ non parentibus denunciatâ. Maximâ frequentiâ *Baalitæ* aderant jam, ſuíque dei conſtipârant ædem. Cúmque regis mandato veſtes etiam ſacras induiſſent, ipſe templum ingreſſus eſt unà cum *Jonadabo* rex, mandavítque ut viderent nè quis illic adeſſet *Jehovæ* ſervus; ipſi verò ſoli ſacra ſuo numini peragerent. Interea milites 80 ſtrenuos templo cuſtodes adhibuit, unà cum mandatis, nè quem è templo egredi paterentur & elabi. Suâ enim vitâ redempturos quam iis cumque vitam condonâſſent, minitatus eſt. Sacris mox peractis, immiſſi milites, contrucidati ſacerdotes prophetæque *Baalis* ad unum omnes perierunt. Statuæ *Baalis* ligneæ concrematæ, ſimulacrum lapideum in fruſta comminutum, diruta funditus in latrinam ædes tranſiit. Ità *Baalis* religionem ex omni ditione *Iſraëlitarum* profligavit *Jehu*: quod ità Deo gratum fuit, ut ejus poſteris regnum *Iſraëlitidis* ad quartam uſque generationem ſit pollicitus. At qui *Baalem* ſuſtulit, *Jeroboami* Vitulos non ſuſtulit, ſed populo ſuo adorandos commendavit, ſui regni ſtabiliendi causâ. Incitavit ergò *Hazaëlem* Deus regem *Damaſcenum*, ut regionem *Trans-jordanam* invaderet, ac rapinis exhauriret devaſtarétque. Nam, ut capitis dolore ventríſve totum cruciatur corpus; ità in *Gileade Baſanéque* tota *Iſraëlitis* idololatriæ pœnas luit. Annos 28 imperavit *Iſraëlitis Jehu*.

itáque Baalem è medio tollit,

ut Vitulos populo colendos retineat.

A.M. 3121.

Athalia regnum Judaïcum arripit.

§ 16. Interim extincto *Ahaziâ* filio, nepotibúſque ſuis, *Athalia Jehorami Judæi* vidua, ſed *Achabo* genita, militum præſidio communita regnum arripuit *Judaïcum*, & ſex annis dominata eſt. Omnes enim *Davidis* poſteros regiæque ſtirpis perquiſivit diligenter atque delevit. Verùm *Jehoſheba*, ſive *Jehoſhabeatha*, ſoror *Ahaziæ* regis, *Jehorami* & *Athaliæ* filia, *Jehoiadæ* nupſerat Summo ſacerdoti. Ea *Joaſhum* infantem, filiúmque *Ahaziæ* fratris minimum, intercepit, & in Templo educavit clanculùm annis ferè ſex, donec, viribus præparatis, opportunum videbatur ab injuriis *Athaliæ* ſuo regnum hæredi vindicare.

[a] 3126. [b] 3127.

Joaſhus infans, rex verus, mirè in regnum conſervatus.

[a] His ferè temporibus poſt *Thraces* quarto loco *Rhodii* maris imperium obtinuerunt annos circiter 23.

[b] Annum jam ſeptimum attigerat *Joaſhus Ahaziæ* filius *Judæi*, maturúſque Pontifici *Jehoiadæ* viſus eſt ad imperium ſuſcipiendum, alienísque gerendum conſiliis. Ut vires

vires tanto conatui ſuppeterent, cum ducibus primariis quinque fœdus iniit, juramentóque obligavit regi futuro fidem, quem vivum illis valentémque in conſpectum dedit. Ii protinus ex omni *Judæa Levitas* atque ſacerdotes principéſque populi *Hieroſolymas* accerſivêre; percuſſúmque eſt ab omnibus cum hærede *Davidis* in Templo fœdus novum, ei ſe regnum tradituros quod promiſerat *Davidicis Jehova.* (2 *Sam.* 7. 12, &c. 1 *Reg.* 2. 4. & 9. 5. 2 *Chron.* 6. 16. & 7. 18.) In tria igitur agmina *Levitas* diſtribuit Pontifex: unum obſervare aulam regiam juſſit, nequa indè fieret vis; alia duo regi Templóque ut præſidio eſſent. In atrium ſacerdotale ſi quis ingrederetur, præter *Levitas* atque ſacerdotes, capite plecteretur. Arma etiam *Levitis* tradita ſunt ex armamentario Templi *Davidico.* In atrio interim exteriore populus univerſus exſpectabat, prodeuntémque mox regem cum præſidio ſacerdotum *Levitarúm*que maximo cum gaudio excepit. *Jehoiada* cum filiis unxit, coronam impoſuit regiam, Legem tradidit, regem denique ſalutavit, magnâ omnium acclamatione ingeminantium, *Vivat rex*, *Vivat rex.* Strepitus hic & tubarum clangor, populíque immenſus clamor, in aulam penetravit regiam, & malè habuit malè ſibi conſciam *Athaliam*, facilè ſuſpicantem novas res. ' Sabbato agebantur hæc de induſtria, ut concurſui multitudinis prætenderentur ſacra. Verùm inſolitus clamor hic non potuit non reginam excitare, ut proriperet ex aula ſe, viſura quid rerum in Templo novarum gereretur. Idque adeò feſtinanter & tumultuariè factum eſt, ut paucis comitantibus, abſque ſolito militum præſidio, ſit auſa in publicum ſe populi cœtum ingerere. Ubi regem novum ſtantem conſpexit ad columnam pro more, principéſque coràm & tubicines, gaudióque triumphantem populum, magno perculſa terrore, veſtibúſque laceratis more plangentis, *Proditio*, exclamavit, *Proditio*, & in fugam protinus avertit ſe. Ducibus mandatum à *Jehoiada* ut perſequerentur, interficeréntque, non ipſam reginam modò, ſed aſſeclas omnes earum partium ſtudioſos: verùm ut extra limites id Templi fieret, nè locum ſacrum profano ſanguine polluerent. Quare in equeſtri via quâ properabat in regiam capta & occiſa eſt. Cum Deo deinde populi fœdus renovatum, damnato *Baale*; cum populo etiam regis. Totus autem populus in *Baalem* invectus templum ejus evertit, altaria diruit, ſtatuas confregit, *Mattanem* ſacerdotem coram ara ut victimam interemit. Sublatâ reginâ, novus in aulam deductus eſt rex, ducibus atque ſatellitibus, populóque univerſo comitante, & in ſolio collocatus regio. Ità verus, quanquam immaturus adhuc, rex, deletâ peregrinæ mulieris tyrannide, urbi quietem, regno pacem, gaudiúmque populo reddidit univerſo. *Jehoiada* verò, quæ Pontificis erant partes, Sacerdotum vices & *Levitarum* in Templo miniſtrantium, eo quo *David* ordine conſtituerat, reſtituit. *A. M. 3127.*

§ 17. *Clariſſimum* hoc tempore *Homeri illuxit ingenium*, *ſine exemplo maximum*, ait *Vell. Paterculus*; (lib. 1.) *qui magnitudine operum & fulgore carminum ſolus appellari Poëta meruit. In quo hoc maximum eſt*, *quòd neque ante illum quem ille imitaretur*, *neque poſt illum qui eum imitari poſſet*, *inventus eſt*; *neque quemquam alium*, *cujus operis primus autor fuerit*, *in eo perfectiſſimum*, *præter Homerum & Archilochum*, *reperiemus.* Sed *Velleii* pace dicendum eſt, & *Orpheüm* (*Diodor. Sic.* 1.) alióſque multos Poëtas præiviſſe, quos imitaretur *Homerus*; & ſecutum eſſe, imò conſecutum ejus gloriam, apud *Latinos Virgilium.* *Juſtinus* ille *Martyr* (in Paræneſi ad *Græcos*) teſtatur, ipſum *Iliadis Homericæ* initium, Μῆνιν ἄειδε θεὰ, mutuò fuiſſe acceptum ex *Orpheo*, qui antea ſcripſerat, Μῆνιν ἄειδε θεὰ Δημήτερος ἀγλαοκάρπου. Quâ ætate vixerit, quâve ex patria editus ſit, perſpicuè nihil conſtat, digladiantibus inter ſe Autoribus magnâ ſententiarum pugnâ. Nam de patria, ejus nominis claritas effecit, ut quem vivum rebúſque omnibus indigentem agnoſceret nemo, poſt obitum multæ urbes *Græciæ* certatim ſibi aſſererent. *Colophonii civem eſſe dicunt ſuum*, (ait *Cicero* pro *Archia* Poëta,) *Chii ſuum vendicant*, *Salaminii repetunt*; *Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt.* Multi alii præterea pugnant inter ſe atque contendunt: de quo (ex *M. Varronis* Imaginibus) hoc epigramma tradit *A. Gellius*, (Noct. *Att.* 3. 11.) *Homerus quis, & unde, & quo tempore floruerit.*

> Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου·
> Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, (vel Χίος potiùs,) Ἄργος, Ἀθῆναι.

Sed & *Ios* addenda ex *Ariſtotele*, *Plutarcho* teſte, (lib. de *Homero.*)

A.M. 3127.

Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri;
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, (vel *Ios,*) *Argos, Athenæ.*

Quare *Apion* Grammaticus prodidit ſe evocâſſe umbras, ad percontandum *Homerum* quâ patriâ, quibúſque parentibus genitus eſſet; non tamen auſus profiteri quid ſibi reſpondiſſe diceret. (*Plin.* 30. 2.) Et oraculum eadem de re conſultum eſt (*Euſeb.* Præp. 5. 33.) ab ipſo (ut ferunt) *Homero*; quo & *Ariſtoteles* ejus maternum genus inveſtigat. Ætatem ejus multi indagaverunt, uti ex *Tatiano* liquet apud *Euſeb.* (Præp. 10. 11.) Aliqui eum in ipſo bello *Trojano* meruiſſe volunt, aut iis temporibus æqualem ſtatuunt. *Crates* intra annos 80 poſt *Ilii* caſum; *Eratoſthenes* ultra 100; poſt 140 *Ariſtarchus*; 168 *Herodotus*; ut & *Caſſius* in Annalibus plùs 160; (*A. Gell.* 17. 21.) poſt 180 *Plutarchus*; poſt 240 *Apollodorus*; poſt 271 *Cornelius Nepos,* (Chron. 1.) id eſt enim annis circiter 160 ante *Romam* conditam; totidémque ferè *Solinus*; (c. 40.) denique, annis à *Troja* expugnata 316 apud *Clementem Soſibius Laco*: quippe tantum valet annis 90 ante primam *Olympiadem,* quod ille ſtatuit. Atque ex his plures fortaſſe vera tradidiſſe nihil prohibet; alios de tempore quo vates natus eſt; alios de eo quo obiit, vel maximè floruit. Non deerant qui poſt cladem *Trojanorum* annis eum 400 collocarent, paulò ante *Olympiadas*; imò qui in ipſas *Olympiadas* conjicerent; ut in *Olymp.* 23. nonnulli, quâ vixit *Archilochus,* & *Lydorum* rex *Gyges*: id quod ipſi *Archilocho* tribuere videtur *Euſebius,* (in Chronicis A. M. 4090.) unde *Archilochus* ille mendax de temporibus videtur accepiſſe. Nam cùm *Ariſtarchus* (in Commentariis *Archilochiis*, apud *Clementem Alex.* Strom. l. 1.) *Homerum* ſcripſit eo exſtitiſſe quo *Ionica* colonia deducebatur tempore, annis 140 poſt tempora *Trojana*; quis eum in Commentariis *Archilochiis* ab *Archilocho* credat diſſentire, & aliena tradere? *Goropius* ergò (in *Chron.*) corruptum eo in loco *Euſebium* cenſet, corrigendúmque ex *Tatiano* (apud *Euſebium* de Præpar. 10. 11.) hoc modo, *Etſi quidam cum Archilocho eum fuiſſe Olymp.* 23. *ſupputet.* Id autem cenſuit *Theopompus* apud *Clementem*, non *Archilochus.* Verè quidem *Paterculus* (l. 1.) *longiùs* ait *Homerum à temporibus belli, quod compoſuit, Troïci quàm quidam rentur abfuiſſe. Quo nomine non eſt mirandum, quòd ſæpe illud uſurpat,* οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. Unde *Plinius,* (7. 16.) *Vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium quàm priſca conqueri,* id eſt, quàm quæ belli *Trojani* temporibus fuiſſent. Id autem non eſt credibile poſt annos eum centenos tantùm ducentóſve dicturum. Videtur vero ſimillimum, trecentis ferè eum annis poſt exciſum *Ilium* obiiſſe, paulò ante *Lycurgi* peregrinationem; qui ejus Poëmata in *Ionia* collegit, attulítque in *Græciam* primus. Nec abeſt multùm *Euſebius,* (in Chronicis) qui Autoribus non paucis docet *Græcis Latiniſque, Homerum* claruiſſe cùm *Agrippa* regnaret apud *Latinos,* annis ante *Olympiadas* 100, ante *Romam* conditam 124. Matre natum *Critheïde,* non legitimo patre, ad fluvium qui *Smyrnam* alluit *Meletem,* propè omnes conſentiunt; unde *Meleſigenes* primò appellatus eſt, poſt cæcitatem demum *Homerus.* Sic enim *Cumanis* & *Ionibus* (*Ephoro* teſte) cæci vocabantur, eò quòd ὁμηρευόντων, id eſt, *ductorum,* indigebant. Incertum ei patrem *Herodotus* tribuit. *Atelle* patre genitum *Cumano Ephorus Cumanus* narrabat, cujus frater *Dius* ex uxore *Pycimeda Heſiodum* procreavit. *Ariſtoteles* (de Poët. l. 3.) matrem ejus ait puellam *Ienſem,* à Genio quodam compreſſam, ex eorum numero qui cum Muſis choros ducunt; ſed pudore facti, cùm uterus intumeſceret, in locum ſecretum abiiſſe, cui nomen *Ægina*: ibi captam à prædonibus, abductam eſſe *Smyrnam,* & uni è ſociis *Mæoni* datam, qui formæ eam gratiâ pro uxore habuit. Ad fluvium deinde *Meletem* cùm fortè peperiſſet, matrem exſpirâſſe; *Meleſigenem* verò infantem à *Mæone* ſublatum educatúmque filii loco, unde *Mæonides* appellari ſolet. Cùm *Lydi* ab *Æolibus* afflicti de *Smyrna* relinquenda cogitarent, juſſi per præconem ſequi ſunt qui exire vellent urbe. Itaque *Homerus* etiamnum puerulus, cùm & ſe ὁμηρεῖν, id eſt, *ſequi,* velle dixiſſet, pro *Meliſigene Homerus* ex eo eſt appellatus. *Herodotus,* qui videtur de *Homero* ſcripſiſſe diligentiſſimè, *Critheïdem* ait, cùm peperiſſet, lanâ ac telâ ſibi victum quæſiviſſe; ídque in domo ludimagiſtri, qui poſtmodum ejus filium literis omnibus perpolivit. *Phemio* tandem ludimagiſtro *Critheïdéque* defunctis, hæres ex aſſe *Meleſigenes* ludo ipſi præfectus eſt, magnámque ſui admirationem, cùm apud ſuos tum apud exteros, eo in munere excitavit. Ex *Hiſpania Thuſciâque* delatus in *Ithacam,* cœpit ex oculis graviter laborare. Apud *Mentorem* igitur relictus,

tus, donec à *Leucade* reverteretur *Mentes*, perhumaniter eſt acceptus, & ex oculorum morbo convaluit. Eo tempore & loco de *Ulyſſe* ea didicit unde compoſuit *Odyſſeam*. A *Menta* reduce delatus indè ad *Colophonios*, crudeſcente morbo vetere, oculorum aciem planè amiſit. *Smyrnam* igitur reverſus, ad Poëmata conſcribenda totum cæcus ſe contulit. Egeſtate ſemper laborans, carmina paſſim oſtentando victum ſibi quæritabat. Aderat apud *Cumanos* pædagogus quidam *Theſtorides*, qui *Homero* neceſſaria promiſit ſe omnia ſuppeditaturum, modò Poëmata ſua nonnulla deſcribenda ſibi traderet. Impulit *Homerum* egeſtas ut obediret. *Theſtorides*, relictâ repentè patriâ, in *Chium* inſulam conceſſit, ubi ludum aperuit, & pro ſuis *Homerica* venditavit. Id *Homerus* ubi ex fama didiciſſet, ardebat illi animus convenire plagiarium, & furti arguere. Poſt varios caſus in *Chium* appulit, ibíque cœpit inclareſcere. Quod ut fando inaudivit, arripuit fugam *Theſtorides*. *Homerus* in *Græciam* profecturus *Samum* appulit, ibíque hyemem exegit. Vere ineunte, *Athenas* perrecturus, ad *Ion* inſulam pervenit, ubi contigit in nave ut morbo ultimo ægrotaret. Nave tamen egreſſus in crepidine littoris decubuit, & mortuus honorificè ſepultus eſt, cum hoc epitaphio, quo eum *Ienſes* cohoneſtârunt; — A.M. 3127.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

§ 18. *Archelaüs Agidarum* ſeptimus regnavit *Spartæ* annos 60, mortuo patre *Ageſilao*. Eo regnante *Lacedæmonii Ægyn* civitatem finitimam ceperunt, exciderúntque funditus, eò quòd *Ægytas* magìs inclinare animis in *Arcadas* ſuſpicarentur. *Archelao Charilaüs*, ex altera familia rex, in hoc bello auxilium dicitur tuliſſe. (*Pauſ. Lac.*) — A.M. 3130. *Archelaüs Spartæ* regnat.

Polydecte mortuo apud *Spartanos*, *Lycurgus* ei frater in regno ſucceſſit, octóque menſibus regnavit; *Eurypontidarum* ſeptimus, & *Eunomi* filius minor ex *Dianaſſa* conjuge. At compertum eſt mox, gravidam fuiſſe *Polydectis* viduam; quæ novo regi ſe (modò ſe uxorem duceret) abacturam ex utero creſcentem fœtum clàm pollicebatur. Exſecratus ille nefarium mulieris conſilium, ſpe tamen lactavit conjugii. At cavere monuit, nè abortu ſuam quoque vitam in diſcrimen vocaret. Sineret ergò infantem naſci; natum deinde ſe facillimè oppreſſurum. Tandem parturienti cuſtodes addidit qui obſervarent: & ſi puella naſceretur, apud matrem relinquerent; ſin puer, deferrent ad ſe protinus, quocunque in loco verſantem operéve. Contigit naſci puerum, qui ad *Lycurgum* illico deportatus eſt in cœnaculum, ubi cœnæ unà cum primoribus civitatis aſſidebat. Quare amplexus infantem, *Ecce*, inquit, *viri Spartani*, *rex vobis natus eſt*. Deinde in ſolio regis collocato *Charilaï* nomen indidit, quod *populi gaudium* ſignificat. *Charillus Pauſaniæ* vocatur. Tantam viri pietatem & innocentiam prædicare omnes & in cœlum extollere; paucíque erant jam qui non illi ſponte ut viro ſanctiſſimo juſtiſſimóque obſequerentur, magìs quàm ut Prodico, id eſt, pupilli regis curatori. Id enim ei munus deferebant leges. Annis 64 imperaviſſe *Charilaüs* dicitur. At regis mater, cùm neglectam à *Lycurgo* ſe perſpiceret, quaſi contumeliam paſſa indignari cœpit vehementer; ejúſque cognati & familiares *Lycurgo* detrahere & obtrectare. *Leonidas* præcipuè, frater mulieris, convitiari ſtrenuè; — A.M. 3135. *Lycurgi* pietas prædicanda, præ qua regnum contemptim habuit.

——— *Hinc ſpargere voces In vulgum ambiguas*,

quaſi certò cognoſceret regnaturum brevi *Lycurgum*, ſublato ſcilicet inſidiis *Charilao*. Id enim ſubintelligi volebat. *Lycurgus* igitur, nequa ſibi adhæreret inſidiarum ſuſpicio, ſi quid fortè regi humanitus accideret, in exſilium eſt profectus voluntarium, donec adoleſceret puer, puerúmque ſibi progigneret hæredem. Sed & prudentiam ſibi peregrinando, &, ex aliarum gentium inſtitutis atque moribus, patriæ ſuæ profuturas leges colligere voluit. Primò igitur in *Cretam* trajecit, celeberrimis nobilitatam legibus *Minoïs*; quas ex *Thaleta* didicit præcipuè, lyrico Poëta, ſed prudentiſſimo; quem & *Spartam* ad ſedandos miſit reip. motus, donec ipſe rediret in patriam. Legum *Creticarum* probavit aliquas, alias rejecit. Ex *Creta* in *Aſiam* tranſiit, ut cum *Cretenſium* ſeveritate frugalitatéque *Ionicum* luxum & delicias compararet. Illic in *Homeri* Poëmata incidit apud poſteros *Creophyli*. Cùm & in his, præter voluptatem, reperiret multa quæ ad morum & reip. diſciplinam conducerent, tranſcripta ſecum in *Græciam* deportavit. Obſcurum enim adhuc in ipſa erat *Græcia Homeri* nomen, quam ille carminibus celeberrimam reddiderat. Ejúſque Poëſis partes aliquas pauci diſperſas habuêre; primus totam *Lycurgus* prodidit. Apud *Strabonem* aliqui *Homerum*

A. M. 3135. *rum* ipſum in *Chio* vivum conveniſſe *Lycurgum* volunt. Ad ſe quoque veniſſe *Lycurgum Ægyptii* prædicabant, & edoctum à ſe opifices ab ordine militari ſecreviſſe apud *Spartanos*. (*Plut. Strabo* l. 10. *Iſocrat.* in Laud. *Buſir.*) At *Ariſtocrates*, qui *Africam* atque *Hiſpaniam* peragrâſſe *Lycurgum* ſcripſit, & cum *Indiæ Gymnoſophiſtis* conſuetudinem habuiſſe, Autor minùs credibilis videtur.

A. M. 3136. *Tyrii* condunt *Carthaginem.* *Joſephus* contra *Appionem*, (l. 1.) ex Annalibus *Tyriorum* ſcripſiſſe ſe profeſſus, annos ait 143 poſt jacta Templi *Hieroſolymitani* à *Solomone* fundamenta, hoc eſt, 97 ante *Olympiadas*, 122 ante *Romam* conditam, ſeptimo *Pygmalionis Tyriorum* principis, novam *Tyrios* coloniam deduxiſſe, urbémque (poſt *Uticam*, ſed vicinam) in *Africa* Minore condidiſſe, quæ magnitudine potentiâque tandem ipſam *Tyrum* ſuperavit, unde originem duxit ſuam. Gentibus *Græcanicis* terrori fuit; cum *Romanis* denique, de imperio terrarum æmula, diu acerriméque dimicavit. *Græci* urbem Καρχηδόνα vocabant, *Carthaginem Latini*; utrumque (ut videtur) à *Carthada Punica*, *novam urbem* ſignificante. De qua, ſi audire *Saluſtium* volumus, tacere ſatius fuerit, quàm pauca dicere.

A. M. 3144. Quintò maris obtinuiſſe imperium dicuntur *Phryges*, annóſque quinque ſupra viginti tenuiſſe.

3148. *Jehoachazus Jehu* filius patrizat nimium. § 19. *Jehu* moriens, *Iſraëlitarum* rex, filium habuit ſucceſſorem *Jehoachazum*, impietate vitulinâ patrizantem filium. *Hazaëli* ergò Deus caſtigandum, & tantùm non conterendum, tradidit. Subacti enim planè ſunt *Iſraëlitæ*, plurimíſque ſuis exacti urbibus; adeò ut ex omnibus regni copiis non niſi 50 equites, currus decem reliquos habuerit *Jehoachazus*, milliáque decem peditum. Tandem aliquando implorandum ſibi Deum cenſuit; qui populi calamitoſiſſimi ut vocatus commiſeratus eſt, vindicémque mox dedit. Annis regnavit 17. Decimo quinto *Joaſhum* filium adſcivit ſibi regni bellíque ſocium; (2 *Reg.* 13. 10.) quod ab eo deinde feliciùs multò geſtum eſt.

A. M. 3149. *Joaſhus* piè incipit, deſinit turpiſſimè. Pius *Jehoiada* dum vixit, vixit etiam viguítque *Joaſhi* regis pulchra ad ſpeciem pietas: deficiente verò illo, & hæc defecit. Inprimis Divini cultûs obſervantiſſimus exſiſtebat, & vel ipſo Pontifice promptiorem ſe præbuit ad Templi ruinas inſtaurandas, eáque ſupplenda quæ deerant, quáſque abſtulerant res ſacratas nefarii *Athaliæ* filii, effracto Dei Templo, ut *Baali* eaſdem conſecrarent. Par & æquum id fuit, ut ſedulam is Templi curam ageret, qui ſuam Templo ſalutem debuit. *Levitis* ergò imperavit rex, ut eam, quæ ex Lege (*Exod.* 30. 12, &c.) à populo numerato pecunia debebatur, colligerent, quæque ex votorum redemptione aut ſponte contribueretur, ad domum Dei reparandam. Ii verò, quanquam à rege juſſi feſtinare, lentiùs & negligentiùs agere videbantur, quàm res tanti momenti poſtulabat; ut neceſſe habuerit ipſum quodammodo increpare Pontificem *Joaſhus*, & lentitudinis arguere. Reſpondit ille fortaſſis, (quod ejus causâ reſpondet *Torniellus*, A. M. 3179.) Per omnem regionem diſcurrere ad pecuniam colligendam, ſi *Levitæ* conducerentur, damnoſum Templo fore; ſi non conducerentur, ipſis onerofum nimis: aliam igitur ineundam eſſe rationem. Tum verò ex regis mandato ciſta pro Templi foribus eſt collocata, in quam populus edicto accitus pecuniam viritim debitam alacriter conjecit. E ciſta quotidie ſublatam miniſtri regis pontificíſque numerabant, fabríſque & aliis opificibus tradebant, qui Templum priſtinæ integritati & nitori reddiderunt. Pecuniâ reliquâ, vaſa quæ deerant facta ſunt aurea argenteáque. Mox *Jehoiada* annorum 130 ſenex naturæ debitum ſolvit; cujus meritis tributum eſt tantum, ut in tumulis regum in *Davidis* civitate ſepultus ſit. Non *Iſraëlitas* modò *Hazaël Damaſcenus*, verùm etiam *Judæos* armis ſuis infeſtabat. *Gathum* in *Palæſtina*, *Judæis* ſubditum, cepit ille atque diripuit. Ipſis jam *Hieroſolymis* imminebat: quas ut à præda redimeret *Joaſhus*, omnes abſtulit conſecratas in Templo res aureas argenteáſque; omnem pariter theſaurum in ærario, ſive ſacro ſive regio, in prædam tradidit *Hazaëli*. (2 *Reg.* 12. 17.) Ità *Joaſhus* præceptore defunctus, ſuíque factus jam juris, pariter pietate quam præ ſe tulerat defunctus eſt. Aſſentantibus ſibi principibus aurem præbuit, lucos condidit, ſtatuas adoravit. Subiratus quidem *Jehova*, at non ſuæ oblitus lenitatis, Prophetas miſit, qui labantem regem populúmque officii ſui admonerent: *Zechariam* præcipuè Pontificem, *Jehoiadæ* filium, qui populum ità paucis corripuit. "Licétne pauca eorum proloqui apud vos, *Judæi* fratres, quæ ſalutem ſpectant publicam? & malefacientibus audire quæ bona ſunt vacat? Divinæ quidem benignitatis ea eſt clementia, ut nè impios feriat inopinantes, nec perduelles niſi præmo-

"nitos

" nitos afficiat pœnis. Quæro igitur ex vobis, dilecti fratres, num pœnitet vos " jam pietatis ejus quam dudum alacres præſtitiſtis? an tædium capit ejus quâ hacte- " nus fruimini propitio Deo felicitatis, ut lucis atque ſtatuis novóque idolorum cultu " provocandum putetis zelotypum Numen, tot promiſſorum minarúmque, tot bene- " ficiorum atque fœderum, & juramentorum etiam immemores? Quod ſæpiſſimè " denunciavit ac minitatus eſt rebellibus majoribus veſtris *Jehova*, id & ego Divino " monitu deficientes vos moneo, *eum deſertum deſerturum*, derelictum derelicturum, " hoſtibúſque vos prædam crudeliſſimis traditurum. Quare aut ad eum cui nuper " renunciâſtis quàm celerrimè revertimini *Jehovæ* cultum, profligatis inanimis inani- " búſque diis; aut rebus veſtris *proſperum* ac felix *nihil* à Deo deinceps exſpectate. His ſtimulis aures populi vir pupugit Divinus. Verùm publicè perſtringi impietatem ſuam, malè ſibi conſcius non tulit rex. In ipſo atrio ubi hâc monitione ſalutari populum ad ſanitatem revocârat, conſpiratio populi facta eſt imperante rege, fatidicúmque illud os lapidibus obrutum ſilentio obmutuit ſempiterno: in ipſis extremis tamen fatidicum. Spiritum enim exhalaturus jam, non tam imprecatus eſt, quàm vaticinatus adfuturam mox à Deo ultionem. Quid ſceleris non audet ſummum potentiæ gradum impietas aſſecuta? Nullo juris cujuſquam vinculo coërcetur. Non ſanguinis; ſuum ecce conſobrinum: non meriti; rectè ſalubritérque monentem conſobrinum: non gratitudinis; eum conſobrinum cujus à patre acceperat hoc ipſum, ut poſſet filium occidere; cujus patri & regnum & vitam debuit, ejus filium nefariè crudelitérque interemit. Impietas hanc peperit ingratitudinem. Quam ille meritorum humanorum recolat memoriam, qui Divinorum oblitus eſt? At nec ſcelerum ejus eſt oblitus Deus. Denuo poſt annum turmæ quædam *Syrorum* invaſerunt *Judæam*, (2 *Chron*. 24.23,24.) eandémque ſunt populati. Etſi principes gentis cum exercitu multò majore hoſtibus occurriſſent, Deo tamen adverſante, victi ſunt omnes & profligati; iique cæſi proceres, qui conſiliis regem perditis ad nequitiam abduxerant. Spolia *Judæorum* ad regem delata ſunt *Damaſcum*. Captum etiam aliqui *Joaſhum* volunt, ludibrióque habitum & cruciatum, quò majus ab eo pretium redemptionis exprimerent. Id autem ſignificari, cùm dicitur, *judicia in regem eos exercuiſſe*. (2 *Chron*. 24. 24.) Ità nudus pauperrimúſque *Judææ* rex morbis etiam plurimis conflictabatur, quorum erat maximus odium populare. Omnibus ſcilicet inviſum propter impietatem & cædem *Zechariæ*, omniáque in patriam indè profecta mala, ipſi ſui famuli poſt annos aliquot, *Zabad*, ſive *Jozachar*, & *Jehozabad*, decumbentem contrucidârunt. Fortis in ſuos lanio, dux in hoſtes imbellis, auro Templi redemerat foris pacem, nec eâ tamen potitus eſt foris, domíve. Suo denique parricidio Pontificis luit parricidium.

A. M. 3149.

Jehoiadæ filium Zechariam prophetam crudeliter perdendo.

Indè omnibus inviſus, à ſervis ſuis trucidatur.

§ 20. Poſt *Dotadam Sybotas* filius *Meſſeniorum* regno præfuit, annis, opinor, quadraginta. Qui ut majores religione videretur imitari, *Pamiſo* amni à regibus fieri ſacra anniverſaria inſtituit; *Eurytóque Melaneï* filio parentari *Oechaliæ*, ante Magnarum dearum quæ *Andaniæ* celebrabantur initia. (*Pauſ. Meſſen.*)

A. M. 3150.

Sybotas Meſſeniis imperat.

Vigeſima tertia jam cœpit *Ægyptiorum* Dynaſtia, rege primo *Petubaſtâ Tanitâ*; qui regnavit ann. 40.

Lycurgus peregrinando ſatis amplam jam collegerat prudentiæ ſupellectilem quâ ditaret patriam ſuam. Et ſui cum cives deſiderabant, ſæpiúſque revocaverant. Nam in eo erat animus imperio dignus; in regibus nihil præter titulum quo populo præſtabant. At nec regibus erat ingratus *Lycurgi* reditus. Ejus enim ope operâque ſperabant ſe futuros contumeliis vulgi minùs obnoxios. Ut primùm rediit, ſtatum reip. convellere ſtatuit, ac de novo inſtituere: ſed autore (ut *Minos* aliíque legum latores) deo, ad autoritatem ſuis legibus conciliandam. *Pythium* ergò *Delphis* adiit, qui, ſacris peractis, effatus eſt ità;

A. M. 3155.

Lycurgus, Spartam rediens,

Ad mea templa, Lycurge, venis, diis chare Jovique,
Ambigo virne deúſne: deum magìs auguror eſſe.

Deinde de legibus quærenti, Eum, reſpondit *Pythia*, reip. ſtatum à deo ſponderi qui eſſet omnium præſtantiſſimus. Dicebant aliqui, (*Clemens* Stromat. 1. *Herodot.* l. 1. *Strabo* 10.) utut parùm probabiliter, expoſuiſſe *Lycurgo Pythiam* quæ *Spartanis* traderet inſtituta. Approbâſſe tantùm quæ traditurus erat, & commendâſſe *Lacedæmoniis*, (quod Autores alii ſcribunt,) multò videtur credibilius. Rerum jam novarum plenus cùm *Spartam* rediiſſet, ex optimatibus quos potuit ſibi ſocios adſcivit protinus; clandeſtina cum amicis colloquia iniit; mox & plures adhibuit, ſibíque penitùs

ſtatum reipubl. de novo prorſus effingit,

A.M. 3155. nitûs conciliavit. Legibus tandem promulgandis dictus eſt dies. Manè primo triginta è primoribus armati, qui terrorem incuterent adverſariis, (quorum plurimos ſibi futuros in re tanta facilè proſpexerat,) forum occupaverunt. Ad morbum gravem ſcilicet & diuturnum, remediis violentis opus eſſe *Lycurgus* noverat. Intimus ei, conſiliorum omnium particeps, acerrimúſque propugnator, *Arithmiadas* vocabatur. Tumultu orto, ut in re magna & inopinata, *Charilaüs* rex, metuens nè in ſe cuderetur hæc faba, in fanum *Minervæ* confugit æneum. Incolumitatis verò fide jurejurando factâ, ſocium & ſe adjunxit. Vir enim erat ingenio miti placidóque: unde *Archelaï* de illo dictum celebratur, qui laudantibus *Charilaüm* reſpondit, *Quînam Charilaüs homo bonus eſt, qui nè in malos quidem aſperior eſſe novit?* Ac inprimis ſenatum *Lycurgus* conſtituit, ut qui maximè deſiderabatur. Viros ætate graves & meritis 28 in rep. adminiſtranda adjunxit regibus, ex iis quos habuit in negotio hôc ſocios. Numerum autem hunc inſtituit, ſive quòd ex iis 30 ſociis (ut habet *Ariſtoteles*) duo præ metu ordinem deſeruerint; ſive quòd duo de triginta ſui tantùm conſilii participes habuerit; (ut *Sphærus* vult;) ſive poſtremò, quòd hi unà cum regibus numerum tricenum (quem volebat *Lycurgus*) conſtituerent. Senatus, medio quodam temperamento inter populum & reges, intra ſuos utrumque limites continebat. Regibus aderant, nè (quod fieri ſolebat) inſoleſceret inſultarétque in eos plebs. Aderant etiam populo, nè à regibus conculcarentur in tyrannidem degenerantibus. Ac de his aliíſque ſortem præ ſe ferebat *Lycurgus Delphicam.* Eam autem vocabant *Rhetram.* Leges ſingulas recenſere à *Lycurgo* introductas, (quas apud *Herodotum*, *Plutarchum*, *Pauſaniam*, *Ælianum*, *Xenophontem*, *Ciceronem*, aliôſque non paucos, videre licet,) longum fuerit. Iis autem explicandis, (ſi obſcuræ ambiguæve,) obſervandíſque à magiſtratibus, præficiebantur cuſtodes (ut in aliis bene moratis civitatibus) cives diligentiſſimi, *Græcè* vocati Νομοφύλακες· quibus & ſuum in foro tribunal erat. Hi civium facta ad legum normam revocantes, magiſtratus adigebant ut muneribus ſuis ſecundum leges perfungerentur. Videntur & res geſtas literis conſignaviſſe, ut monumenta exſtarent publica, unde exempla peterentur. (*Pauſ. Lac.*) Belláne geſſerit *Lycurgus*, in dubio eſt. *Demetrius Phalereus* negabat; aſſerebat Sophiſta *Hippias*, & equites eum in turmas diſtribuiſſe, (*Ulamos* vocabant *Græci*,) quarum ſingulæ 50 equites figurâ quadratâ continebant. Vellicabant *Lycurgum Plato* & *Ariſtoteles*, quaſi multa præcipientem de fortitudine, de juſtitia nihil. Et legem *Cryptiam*, quam ejus eſſe vult *Ariſtoteles*, *Plutarchus* negat, injuſtitiæ inſimulant, imò crudelitatis; quâ juvenum fortiſſimi in agros quaſi aliud acturi mittebantur, ubi ſervos publicos *Hilotas*, in quoſcunque noctu incidebant, ferro trucidabant. Hæc & alia memorantur ſævitiæ exempla *Spartanæ* in *Hilotas*: ſed quæ *Plutarchus* nullam cenſet *Lycurgo*, miti moderatóque, ac propterea inſonti, aſpergere poſſe ſævitiæ labem.

A.M. 3165. ℣ 21. Poſt patrem infelicem *Jehoachazum* ſolus *Iſraëlitis* imperavit *Joaſus* annis 16, felicior quidem benignitate & miſericordiâ Divinâ, ſed nihilo melior filius. Eodem ferè tempore quo regnum iniit, *Eliſha* Propheta *Samaritanus* vitâ exiit. Decumbentem rex ipſe dignatus eſt inviſere, ejúſque jacturam profuſis etiam lacrymis peracerbè lamentari, iiſdem ferè verbis quibus *Eliſha Eliæ* raptum. "*O mi pater, mi pater*, inquit, "*currus Iſraëlis equitéſque*, unicum populi præſidium, ſi deſeris tu, perimus. Gratam habuit vir pius hanc in ſe regis impii pietatem. Deo igitur inſpirante, arcum juſſit eum ſumere & ſagittas: tum ſuâ regiæ impoſitâ manu, juſſit ex feneſtra ad Orientem ſagittare. Quo facto, "*Sagitta* ultionis *Divinæ*, ait Propheta, Divinæ *vindicationis à Syrorum* "tyrannide. *Syros enim ad Aphecum* magnâ, *donec attriveris*, *proſternes* clade. Iterum ſagittas rex aſſumere, humúmque ſagittis percutere juſſus, percuſſit ter. Iratus Propheta reprehendit, quòd non ſæpius humum percuſſiſſet. "Toties enim *Syros profligaturum fuiſſe* dixit, *jam non niſi ter vincendos*. Quòd ſi *quinquies ſexiéſve percuſſiſſet* hu-"mum, victoriis totidem *Syrorum* planè *fregiſſet vires.* Deinde mortuus *Eliſha* (centenarius, utì exiſtimo,) *Eliam* animâ in cœlum ſecutus eſt, corpore in tumulo ſepultus jacuit. Neque tamen miracula vel mortuus edere deſinebat. Contigit enim primo quod ſecutum eſt vere, ut *Moabitarum* turba quædam *Iſraëlitidem* invaderet; quos aliqui fortè è longinquo conſpicabantur, dum cadaveri hominis ſepeliendo operam dabant. Mora, utut pia, nè crearet periculum, præcipiti feſtinatione mortuum corpus in propinquum *Eliſhæ* ſepulchrum abjecerunt. Servi ſui domum ſepulchralem violari, ídque hoſpite peregrino, fortaſſis & profano, non tulit Deus. Sacrum Prophetæ corpus ut primùm tetigit contubernalis novus, illico in vitam rediit, ſéque ſuſtulit in pedes, mortem aliam alibi atque ſepulchrum exſpectaturus. *Hazaël* tandem vivendi & affligendi *Iſraëlitas*

Joaſus Eliſham reveretur moribundum;

qui vel mortuus mortuum cogit reviviſcere.

raëlitis finem fecit; cui ſucceſſit in regno *Syriæ Damaſcenæ* filius ejus *Benhadadus.* Eo regnante, miſertus eſt Deus populi ſui *Iſraëlitici*; victóque *Benhadado* tribus prœliis, (id quod promiſerat *Eliſha*,) civitates recepit omnes *Joaſus* quas *Jehoachazo Hazaël* abſtulerat. Nondum ſcilicet viſum eſt Divino Numini abjicere *Iſraëlitas* & abdicare: ſed exſpectare diutiùs & experiri denuo placuit, an clementiâ ſuâ & bonitate eorum poſſet pravitas expugnari. A.M. 3165.

§ 22. *Charilaüm Spartanum* igne ferróque *Argolidem* ferunt devaſtâſſe, depoſitâ jam memoriâ communis ab *Hercule* cognationis. Adeò conturbat jura omnia inexpleta hominum ambitio, & —*amor ſceleratus habendi.* Eodem paucos poſt annos duce, *Tegeatas Lacedæmonii* adorti ſunt *Arcadas*, cùm, ambigui & perplexi oraculi autoritatem cujuſdam ſecuti, in vanam ſpem veniſſent capturos ſe *Tegeam.* (*Pauſ. Lac.*) A.M. 3166. *Charilaï* ambitio inexplebilis.

Contrucidato qui Prophetam trucidaverat *Joaſho*, *Judææ* regnum adiit filius ejus *Amazia* annos 25 natus; annos verò tenuit 29. Hypocritarum plerumque ſunt prima optima: quippe qui ad pietatem motu feruntur violento. *Amaziæ* igitur initia pulchra, atque patris religioni vel *Jehoiadâ* vivente paria; non & *Davidis.* Neque enim vel ſincera vel diuturna fuit ea pietatis ſpecies; neque in Excelſis prohibuit cultum. Ubi firmum tutúmque ſibi imperium communiviſſet, extra omnem ſeditionis rivalíſque ambitionis aleam, nihil prius habuit quàm ut in patris percuſſores animadverteret, quò incolumitati proſpiceret ſuæ. Sontes igitur è medio ſuſtulit, eorundem liberis pepercit; Legi *Moſaïcæ* obſecutus, (*Deut.* 24. 16.) quâ prohibetur nè ſcelerum paternorum filii, filiorúmve parentes pœnas luant. A.M. 3169. *Amazia*, patris inſtar, ex bono peſſimus evadit.

Rex *Judæorum Amazia Idumæis* bellum illaturus, qui ante 50 annos defecerant, populi ſui *Benjaminitici Judaïcique* cenſum egit; in quo militum ſtrenuorum numerata ſunt trecenta millia. Ex *Iſraëlitis* quoque viſum eſt ad hanc militiam conducere, centenis argenti talentis, copiarum auxiliarium centena millia. Veritus forſan eſt, nè ſui, armorum deſuetudine ignavi, non ſuſtinerent magìs hoſtium *Idumæorum* vim, quàm ante annos non multos *Syrorum* tulerant, dum patri ejus militabant. Sed aliquis à Deo Propheta miſſus eſt, qui his auxiliis interdiceret. "Neque enim *Iſraëlitis*, utpote ido- "lolatris, at neque *Judæis* ſi adeſſent *Iſraëlitæ*, adfuturum Deum interminatus eſt; ve- "rùm utroſque ſimul hoſtibus victos traditurum. His territus minis, facilè rex erat dimiſſurus *Iſraëlitas.* At unus eum ſcrupulus malè habuit; de centum quid fieret talentis quæ copiis jampridem *Iſraëliticis* tradidiſſet. Solent enim profani homines de ſuo commodo incommodóque magìs quàm de Dei mandato ſoliciti eſſe. Reſpondit Propheta, "obſequium ei damno non futurum; *poſſe Deum* jacturam *iſtam pluribus multò* "talentis *compenſare.* Quod & factum eſt. Dimiſſis enim *Iſraëlitis*, potitus eſt præclarâ de *Idumæis* victoriâ *Amazia*, quorum in *Valle ſalis* decem millia cecîdit, & totidem capta de rupibus præcipitavit; urbémque *Selam* vi expugnatam *Joctheëlem* deinde vocari voluit. Severiùs paulò videtur in captivos ſtatuiſſe, quoniam illis libere dimiſſis, non erant *Idumæi* ad officium redituri. Tractandos igitur ut ſubditos rebelles, non ut hoſtes legitimos, quos cepit cenſuit. Interea *Iſraelitæ* quos dimiſerat *Amazia*, quaſi factâ ſibi contumeliâ, vehementer ſuccenſuerunt; redeuntéſque domum in *Judæos* tanquam in hoſtes rapinis cædibúſque graſſati ſunt. Rex *Amazia*, inter ſpolia, idola quoque *Idumæorum* abſtulit. Sed quæ debuerat abolere, ille ſibi ſtatuit quos veneraretur deos. Meritò igitur & magnopere indignatus eſt *Jehova*, increpuítque per Prophetam, quòd "ea ſibi feciſſet *numina*, *quæ* nec ſemet *nec ſuum populum ab ejus* armis *tueri valu-* "*erunt.* Regis animus impatiens hæc & alia hujuſmodi A.M. 3178.

Reſpuit, atque odio verba monentis habet.

Tandem iracundiùs, "Quis tu, inquit, homo es, qui hæc ad me audes? *Téne* mihi ego "*conſtitui à conſiliis? Deſine*, moneo te, *deſine*; neque ad exitium me tuum verbis pro- "voca importunis. Deſiit Propheta, atque diſceſſit, hoc unum præfatus, "certò *ſe ſci-* "*re exitium à Deo* regi *eſſe deſignatum*, qui & *Jehovam* provocâſſet peccato maximo, "*neque ſibi* à Deo rectè *monenti auſcultaret.*

Victoriâ ſuâ & felicitate elatus rex nimiùm, neminem ſibi jam parem credidit. Nullus igitur dubitavit, conſilio deliberato, *Joaſum Iſraëlitam*, nullâ injuriâ provocantem, ad bellum ultro præliúmque laceſſere. *Hebræi* militum *Iſraëlitarum* in *Judæa*, ab *Amazia* cùm diſcederent, injurias cauſantur. Regnum ergò *Iſraëliticum*, hoc eſt, *Davidicum*, vendicâſſe ſibi *Amaziam.* Anno regni ejus 14. contigiſſe hæc *Joſephus* ait. (Antiqu. 9. 10.) *Iſraëlita* quidem primò dehortari amicè, atque fabulâ deterrere: "*Carduus* (in- A.M. 3179. Elatus victoriâ quam de *Idumæis* reportaverat,

 "quit)

A.M. 3179. " quit) *in Libano cedri natam poſtulavit ſuo dari uxorem filio.* Mox è ſaltu *fera prodiit,* " *quæ carduum* puſillum *conculcavit atque protrivit. Tu ſpiritus ingentes Idumæo debellato geris.* At, ſi ſapis, intra *Judæam* hos ſpiritus, quanticunque ſint, *contine. Quid enim* " juvabit, me pacificum provocando, *in exitium temetipſum* omnémque *Judæam* præcipitare? Monenti rectiſſimè *Judæus* non obtemperavit. At graviſſimas temeritatis ſuæ pœnas dedit. Nam ultro irruit in *Judæam* rex *Iſraëlitidis* bellicoſus; ubi prælio commiſſo, fugientibus illico *Judæis*, ſuperatus & captus eſt *Amazia*; *Joaſo*que interminante (ut habet *Joſephus*) captivo regi mortem, niſi urbs dederetur, capta eſt & urbs *Hieroſolyma*; ac muri cubitorum longitudine quadringentorum diruti, inter portas *Ephraïmiticam* & *Angularem*, ut triumphanti *Joaſo* pateret aditus perquam latiſſimus. Templum quoque ſpoliatum vaſis aureis argenteíſque, atque etiam theſauro ſacro. Inſuper ſpoliatum & regis ærarium. Obſidibus denique datis, obſequii pignoribus fideíque, vel, (ut alii exponunt) ablatis aliarum obſidibus gentium, *Samariam* rediit rex & victor triumphaturus. *Judæus* regnum *Iſraëliticum* popoſcerat arroganter: at *Iſraëlita Judaïcum* tenuit. Quòd non retinuerit, dum potuiſſe viſus eſt, periculum à *Syris* domeſticum in cauſa erat. Nam poſt triplicem victoriam (quâ jampridem potitus eſt *Joaſus*) Propheta res *Syrorum* feliciores fore prædixerat.

à Joaſo victus eſt.

A.M. 3180. Fructum tulit perexiguum ex Templi ſpoliis *Joaſus Iſraëlita.* Ut primùm ferè domum rediit, mortem obiit; hæredíque, *Jeroboamo* alteri, & regnum tradidit & opes. Is 41 imperavit annis; impietate idololatricâ patri par, bellicâ verò felicitate, & ſucceſſu victoriarum gloriâque, longè ſuperior. Imperii enim terminos *Iſraëlitici* ad extremos uſque limites quò pertigerant *Davide Solomone*que regnantibus extendit. *Hamatham* & *Damaſcum* ſubegit prorſus, quæ *Judæorum* quondam imperio paruerant, jam diu excuſſerant *Iſraëliticum.*

A.M. 3185. § 23. *Lycurgi Spartani* leges, aſſuetudine annorum triginta circiter, in populi mores abierunt; placidéque jugum, utut graviſſimum, ferebant. Id tamen nè ſe mortuo facturi non eſſent, ſubverebatur. Quare, ut æterna ſua redderet inſtituta, cives jurejurandò putavit obligandos, nè reſcinderent. Idque ut aſtutiùs fieret, ac ſine obſtaculo, hoc commento uſus eſt. In concionem vocatis civibus, *Leges ſe* aiebat *pro ingenii & prudentiæ ſuæ modulo quàm utiliſſimas inſtituiſſe, ad ſummam reip. felicitatem ſi diligenter obſervarentur. Unum tamen reſtare adhuc momenti maximi, nec ſine conſulto priùs oraculo divulgandum. Petere igitur, ut fixis jam legibus ſtent, neque mutent moveántque quicquam ante ſuum ab Apolline reditum. Tum verò ſe quod juberet deus perfecturum.* Aſſentientibus univerſis, iréque jubentibus ad oraculum, juramento inprimis adegit reges, ſenatores, civéſque reliquos, conſtitutâ à ſe reip. formâ eos conſtanter uſuros eſſe, donec in patriam rediret ipſe. *Delphos* deinde profectus eſt; ubi, peractis deo ſacris, interrogavit *rectiéne ſuæ leges & ad urbis ſalutem eſſent poſitæ.* Reſponſum tulit, *& leges bene conditas, & manſuram eam urbem clariſſimam, inſtituta ejus ſi obſervarent.* Perſcriptum hoc oraculum *Lycurgus* in patriam miſit: ipſe, nè unquam cives ſacramenti religione ſolverentur, nunquam rediit, ſed inediâ ſe *Delphis* maceravit atque confecit; ut ſe nimirum moriente, ſuæ in æternum leges viverent. Et illarum certè legum obſervatrix *quàm diu Sparta diligens fuit,* (ait *Paterculus*) *excelſiſſimè floruit:* annis quingentis, ut habet *Plutarchus*; octingentis, ut habet *Livius*; (lib. 39.) ſeptingentis, inquit *Iſocrates.* (*Panathen.* & de Pace.) Idem ſcribit & *Cicero*, (pro *Flacco*;) ubi *ſolos* ait *Lacedæmonios toto orbe terrarum ſeptingentos annos ampliùs unis moribus, & nunquam mutatis legibus, vixiſſe.* Mortuum fuiſſe alii *Cirrhæ Lycurgum* tradunt; *Apollothemis Elide*, quò tum ſe contulerat; *Timæus* & *Ariſtoxenus* in *Creta.* Corpus ab hoſpitibus crematum, cineréſque diſperſos in mare, ipſo id obſecrante, referebat *Ariſtocrates*, caventéque, nè, relatis in patriam reliquiis ſuis, crederent cives ſe ſolutos religione ſacramenti, inſtitutámque à ſe formam reip. immutarent. Ferebant alii nihilominus, reliquias ejus in patriam relatas eſſe, tactúmque fulmine ſepulchrum. Filium tradunt reliquiſſe *Antiorum* unicum; eóque defuncto ſine liberis, totum genus defeciſſe. Socii tamen ejus & familiares inſtituerunt, conventum fore ejus memoriæ honorificum; qui poſteris per manus traditus, diu fuit celebratus; diéſque illi quibus coïbant *Lycurgidæ* appellabantur. Honoribus etiam publicis ornatus eſt. Templum ei tanquam deo dedicatum, atque quotannis ſacrificatum. *Ariſtoteles* tamen honores ei meritis minores detuliſſe *Spartanos* dicit.

Lycurgus quo artificio leges ſuas confirmaverit, iiſque vitam dederit moriendo diuturnam.

A.M. 3190.

Oſorchos imperat *Ægyptiis,* § 24. *Oſorchos*, vel *Oſorchon*, qui *Hercules Ægyptius* dictus eſt, regnavit in *Ægypto* annos octo.

Phinta Meſſeniis, *Phinta Sybotæ* filius, defuncto patre, annos circiter 44 regnavit apud *Meſſenios.* Dum

Dum ille imperabat, *Apollini* primùm *Meſſenii* ſacrum cum virorum choro miſêre *Delon.* Choro canticum quo deum ſalutarent (*Proſodium* appellabant) *Eumelus* Poëta compoſuit. (*Pauſ. Meſſen.*) *Corinthius* erat *Eumelus*, ex gente principum *Bacchiadarum*, non genere minùs quàm arte nobilis. A.M. 3190.

Archelao moriente, rege *Lacedæmonio*, filius ejus *Teleclus*, octavus *Agidarum*, annos regnavit 40. Hujus ætate *Lacedæmonii* finitima illa oppida, *Amyclas*, *Pharin*, *Geranthras*, quæ tenebant adhuc *Achæi*, bello capta everterunt. Ex his *Pharitæ* & *Geranthratæ*, *Dorienſium* adventu territi, certis conditionibus pacti ſunt ut ex *Peloponneſo* diſcederent. *Amyclenſes* verò repugnavêre quidem fortiter; ſed belli diuturnitate fracti ſunt, poſtquam multa & præclara virtutis ſpecimina edidiſſent. (*Pauſ. Lac.*) *Teleclus. Spartanis.*

§ 25. *Qui Edonii olim populi, & quæ Mygdonia erat terra, aut ſolum Pierium vel Emathium, nunc omne uniformi vocabulo Macedonica res eſt; & partitiones quæ ſpecialiter antea ſejungebantur, Macedonum nomini contributæ, factæ ſunt corpus unum*, inquit *Solinus.* Hâc ætate (ſiqua fides *Euſebio* in Chronicis) *Caranus*, à *Temeno Argivo* & *Hercule* oriundus, ſedes in *Macedonia* oraculi juſſus eſt reſponſo quærere. Quò cum ingenti *Græcorum* multitudine ubi veniſſet, *Ædeſſam* urbem, (non ſentientibus oppidanis propter imbrium magnitudinem,) caprarum gregem imbrem fugientium ſecutus, occupavit. Juſſus verò ab oraculo cùm fuerat, *ducibus capris imperium quærere*, regni ſedem ſtatuit. Quócunque deinde agmen moveret, eaſdem ante ſigna capras agere, cœptorum omnium duces habiturus, quas habuerat autores regni. In hujus rei memoriam *Ædeſſam* urbem *Ægas*, vel *Ægeas*, appellavit, populum *Ægeatas*. Pulſo deinde *Midâ*, (nam & is portionem *Macedoniæ* tenuit,) aliiſque regibus profligatis, in locum omnium ſucceſſit ſolus; primúſque, gentibus adunatis, unum veluti corpus *Macedoniæ* fecit; creſcentíque regno valida incrementorum conſtituit fundamenta. (*Juſtin.* l.7.) Annos 28 regnaviſſe ſcribit *Euſebius.* De *Carano* meminit *Paulinus*; *Herodotus* non meminit. Sed de regno *Heraclidarum* in *Macedonia* planè ab his diverſa tradere videtur. lib.8. ubi hoc à *Perdicca* imperium auſpicatur; qui à *Juſtino* atque *Solino* ſecundus numeratur, ab *Euſebio* quartus. A.M. 3195. *Caranus Macedoniæ* primus imperat univerſæ.

De *Mida*, quem expulſum dixi *Macedoniâ*, perplexa res eſt admodum, nec in eo ſibimet ſatis conſtat Hiſtoriarum parens apud *Græcos*. *Euſebius* (in Chronicis, ex difficultatibus variis eluctaturus,) duos *Midas* fuiſſe ſtatuit: alterum longè antiquiorem, *Perſeo* ſcilicet æqualem; alterum poſt annos 600, *Olympiade* 21. quo de nunc agimus; utrumque in Majore *Phrygia*. De *Mida* priore dictum eſt alibi A.M. 2649. Poſterior *Gordio* natus dicitur, homine primitus plebeio. Sed *Phrygibus*, inter quos orta eſt ſeditio, conſulentibus oracula de fine diſcordiarum, oracula reſponderunt, Regem diſcordiis opus eſſe. Iteratò quærentibus de regis perſona, jubentur eum obſervare, quem, reverſi in templum *Jovis*, euntem plauſtro reperiſſent. Obvius illis erat *Gordius*, ſtatímque regem eum conſalutant. Ille plauſtrum, quod vehenti regnum delatum fuerat, in templo *Jovis* poſitum majeſtati regiæ conſecravit: oppidúmque videtur *Gordium* ab eo nomen accepiſſe. In jugo autem plauſtri, capita loramentorum intra nodos ità abſcondidit, ut reperiri non poſſent. Cùm ergò ceciniſſent oracula quædam, (iis in locis celebrata,) *Si quis jugi ſolviſſet nexum, totâ eum Aſiâ regnaturum*; *Alexander Macedo*, contra *Darium* proficiſcens, oraculo violentiùs uſus eſt. Quæ ſolvere non potuit, gladio concîdit loramenta: adeóque nexibus reſolutis, latentia in nodis capita invenit. Hujus *Gordii Midas* filius *Macedoniæ* partem tenuit ſub monte *Bermio*, (*Herodot.* 7.) cujus ex metallis *Midæ* opes accreviſſe apud *Strabonem* legimus, (lib. 14.) Illum ſcilicet *Hyginus* (Fab.274.) primum dicit album nigrúmque plumbum inveniſſe. Hortos etiam coluiſſe *Macedônes* ferebant, ubi ſuâ ſponte naſcebantur foliorum ſexagenûm roſæ, odore cæteris multò fragrantiore. Et in his eum hortis excepiſſe *Silenum* ferunt. Videtur & hic *Midas* ſe regno abdicaviſſe. Itaque ſellam regiam, in qua jus dicere ſolebat ſubditis, *Delphis Apollini* dedicavit. (*Herodot.* l. 1.) *Plutarchus* (Parallel. 5.) & *Stobæus* narrant, apud *Celænas*, *Phrygiæ* Majoris urbem, hiatum terræ unà cum aquarum illuvie ortum plurimos homines domúſque abſorbuiſſe. *Midam* oraculo admonitum, non niſi re pretioſiſſimâ voraginis os obſtruendum eſſe, aurum & argentum aliáque non pauca in eam conjeciſſe. Cùm nihil proficeret, *Anchurus* regis filius, (*Ægiſtheüm* vocat *Stobæus*,) cùm animâ nihil cognoſceret pretioſius, patre uxoréque *Timotheâ* ſalutatis, equo inſidens, in hiatum præceps inſiliit. Quo facto, quæ hiabat, quaſi fame ſaturatâ, ingens protinus occluſit os tellus. Eodem igitur in loco *Midas* aram *Idæo Jovi* auream condidit; quæ tamen, eo ſemper

De *Gordii* filio *Mida*,

*Midæ*que filio *Anchuro*,

A.M. 3195. anni tempore quo tellus hiaverat, lapidea fieri ſolebat, ſi verè *Calliſthenes.* (Tranſformationum l. 2.) *Midam* ferunt obiiſſe tauri ſanguine epoto; vel (ut habet *Plutarchus* de Superſtitione) ſomniis quibuſdam & mœſtitiâ inſanabili perturbatum.

& *Phidone* apud *Græcos* potentiſſimo. Dum *Caranus* imperium in *Macedonia* molitur novum, ejus frater *Phidon*, *Argivorum* tyrannus, menſuras & pondera inſtituit primus apud *Græcos.* (*Euſeb.* Chron.) Nummum excudit aureum, ut *Pollux* ait, ídque in *Eubœa*, (unde nummus *Euboïcus* dictus eſt,) argenteúmque, inquit *Strabo*, (l.8.) Et omnes hâc ætate *Græcorum* principes potentiâ facilè ſuperabat. Tandem à *Lacedæmoniis*, ſed *Eleorum* ope, victus eſt, A. M. 3261.

HEZE-

HEZECHIAS,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER DECIMVS TERTIVS;

Qui,

Ab anno primo *Vzziæ* regis *Judæorum* ad *Hezechiæ* ultimum, annos complectitur 113.

§ 1. HACTENUS *Amazia*, poſt cladem ab *Iſraëlitis* acceptam, vixit potiùs quàm regnavit. At nè vivere jam ulteriùs malè de ſe meritum regem *Hieroſolymitani* voluerunt. Conſpiratione ſuorum factâ ſublatus eſt. Tantum adhuc amoris homini ſupererat inviſo, ut aliquis ei proditionem prodiderit, quam prohibuit nemo. Declinavit ipſe quantum potuit, *Hieroſolymis* fugiendo *Lachiſhum*. At *Lachiſhum* uſque eum proditores perſecuti, captum inibi interemerunt. Ejus filium tamen *Vzziam*, ſive *Azariam*, populus in ſolio regni paterno collocavit, ſexdecim annorum adoleſcentem & magnæ ſpei. Quod ſi anno 27. *Jeroboami* contigit, (2 *Reg.* 15. 1.) neceſſe eſt interregnum concedi apud *Judæos* annorum 11. *Amazia* enim non niſi 15 vixit annos, regnante *Jeroboamo.* (2 *Reg.* 14. 17. & 2 *Chron.* 25. 25.) Niſi fortè dicatur, *Jeroboamum* unà cum patre regnaviſſe ad bellum proficiſcente *Syriacum.* Annos 52 imperavit *Vzzia.* A.M. 3196. Defuncto *Amaziâ*,

Vzziæ Judæo feliciſſimum regnum fuit quamdiu præceptis Dei obſecutus eſt. Nam in ſuis principiis avi patríſque optima prima perſecutus eſt: quo tempore omnia illi ex voto ac proſperè ſuccedebant. Tandem, aviti paterníque morbi hæreditate quadam, in ultimo defecit actu. Inprimis enim Prophetæ *Zechariæ* aures animúmque adhibuit, Legémque ſedulò Divinam coluit. Deo igitur propitio, potentia illi & opes accreverunt mirificé. Duces habuit fortiſſimos 2600, quorum ſuberant ſignis 307500 gregarii milites, quibus arma comparavit expedita rex omnium generum. Supremi erant ducum duces tres, *Jeïel* ſcriba, *Maaſia*, *Hananiá*que. Tantis copiis viribúſque *Elothum* ad *Erythræum* mare (ejus rege mortuo) occupavit, inſtauravit, ſuæque ditioni addidit. *Gathum* expugnavit quoque, *Azotum*, atque *Jabneüm*; expugnatas, nè deficerent, mœnibus denudavit; & in *Azotenſi* ditione alibíque novarum urbium quaſi fræna injecit rebellium *Palæſtinorum* ferociæ. *Arabas* quoque *Gur-Baalitas* & *Mehunæos* ſuperavit; *Ammonitas* ad blanditias & obſequia munerum adegit. *Hieroſolymis* etiam turribus mœnia communivit ad *Portam angularem*, & alteram *in valle*, muríque ad flexum. Turres & in ſolitudine puteóſque inſtituit pecore ditiſſimus; agricolas præterea & vitiſatores in montibus, ſtudioſiſſimus A.M. 3197. ſuccedit filius *Vzzia*, optimè munus inchoans, abſolvens peſſimè.

dioſiſſimus agriculturæ. Turribus verò *Hieroſolymitanis* machinas impoſuit mirâ
A. M. 3197. fabricatas arte, quibus in hoſtes, obſidentes fortè mœnia, ſagittas ejacularentur, lapidéſque magnos contorquerent. Magnifica igitur *Vzziæ* fama *Ægyptum* uſque ac vicinas undique gentes percrebuit: imò *Ægyptum* (ut *Sulpitius Severus* Sacr. hiſt. lib. 1.) *terrore ſui nominis concuſſerat.*

A. M. 3198. § 2. *Pſammus* apud *Ægyptios* regnavit annos 10.

3200. *Nicander* in *Laconia*, *Eurypontidarum* nonus, regnavit annos 39 poſt *Charilaüm* patrem, qui 64 annos, quot vixerat, imperaverat, natus rex.

3201. Septimi poſt *Minoëm* & *Cretenſes* in mari *Phœnices* dominati ſunt ann. 45.

3208. In *Ægypto* regnavit *Ze* (omiſſus ab *Euſebio*) ann. 31.

3214. In *Latio* regnóque *Albano*, (vide Ann. 2900.) *Procâ Sylvio* moriente, filiorum duorum natu minor *Amulius* fratri majori præripuit imperium, tenuítque ann. 42. Is *Numitor* vocabatur, cui pater legaverat regnum; *Amulio* minori pecunias fortaſſe. *Plutarchus* ſcribit, regnum delegiſſe *Numitorem*, reliquiſſe fratri pecunias; quarum ille adminiculo & regnum *Numitori* eripuit. Tanta in rebus humanis pecuniarum eſt vis.

Amulii pecuniæ *Numitoris* regno præſtant.

A. M. 3218. Ab *Argone*, primo ex *Heraclidis Lydorum Sardiúm*que rege, undeviceſimus hoc tempore imperavit *Ardyſus*; de quo *Euſebius* meminit, (in Chronicis,) & de aliis qui ſecuti ſunt *Ardyſum* tribus. Reliquorum & nomina interciderunt. Regnavit *Ardyſus* ann. 36.

A. M. 3220. § 3. *Jeroboamo* regnante ſecundo, ad ſummum potentiæ gloriæque pervenerat regnum *Iſraëliticum*. Verùm ità ferunt humanæ res, ubi ad ſummum pervenêre, ad caſum & ruinam pronæ ſunt;

Jeroboamo ſecundo regnante, res *Iſraëliticæ* ex proſperrima in ruinam it præceps.

——— *Summiſque negatum eſt Stare diu*;

maximè ubi ſummum non felicitatis humanæ modò, ſed impietatis etiam, attigerunt. *Amoſus* ergò homo ruſticanus, & è paſcuis *Tecoanis* vocatus ad vaticinandum armentarius Propheta, etiam hoc tempore cùm florebat maximè *Iſraëlitica* res, ruinam illis excidiúmque minitatur atque prædicit, (*Amoſ.* cap. 3. &c.) poſt annos 65 futurum, ut *Eſaias* numerat Propheta, (*Eſa.* 7, 8.) Eadem & *Hoſeas* prior interminatus eſt; quem & vixiſſe tamdiu credibile videtur, donec vidiſſet *Samariam* captam, eâque perfecta quæ prædixerat. Nam qui *Jeroboamo* & *Vzziâ* regnantibus prophetare cœpit, *Hezechiâ* demum rege mortuus eſt. (*Hoſ.* 1. 1.) *Joëlem* quoque, *Pethuelis* filium, *Amoſo* priorem apud *Judæos* prædicâſſe aliqui volunt; eò quòd eam ſiccitatem atque famem prædicere videatur, (cap. 1. 15, &c.) quam *Amoſus* (cap. 4. 6.) accidiſſe fruſtrà & ſine fructu conqueritur. *Amoſus* autem *Bethele* contra pecus aureum pecuarius, aliáque *Iſraëlitarum* ſcelera, à Deo minas denunciare auſus eſt, biennio ante motum terræ, qui accidit, quémque *Joſephus* (Antiq. 9. 11.) eo tempore dicit accidiſſe quo *Vzzias* rex Pontificis munia erat uſurpaturus. At hoc poſt obitum *Jeroboami* annis, opinor, multis contigit: quo vivente, munus propheticum auſpicatus eſt *Amoſus*. (Cap. 1. 1.) Et *Amaſias*, vitulinus *Bethele* ſacerdos, cùm ſuis commodis obeſſe prædicationem *Amoſi* crederet, apud *Jeroboamum* regem perduellionis Prophetam inſimulavit; cúmque nihil eo proficeret, abire pro imperio juſſit in *Judæam*, nec in regia urbe ſanctuarióque prophetare. At *Amoſus* audacter, "Deo ſe obſecuturum, dixit, qui ab *armentis* vocatum, ſua *Iſraëlitis prænunciare* fata *juſſerat*: in eum verò, impediturum, ſe hanc à *Deo* ſententiam prænunciare; *Vxorem ei ſcortum* publicum *futuram*, *liberos perituros ferro*, *ipſum in terra profana* miſerè *interiturum*, *patriâ* captâ & *funiculo diviſâ*, *traductis* aliò *Iſraëlitis*. Quò autem plura gravioráque indies accumulavit populus peccata, propiúſque aderat gentium interitus *Iſraëlitarum Judæorúm*que, eò crebriores à Deo miſſi Prophetæ ſunt, qui monerent ac reprehenderent peccatores, pœnáſque denunciarent etiam ultimas, niſi reſipiſcerent; *Chriſti* verò adventu, regnóque beatiſſimo, ſuſtentarent erigeréntque pios rerum felicium ſpe, nè animos inter tot ſcelera maláque impiorum deſponderent.

A. M. 3222. Libro 2 *Regum*, cap. 15. 8. *Zacharia Jeroboami* filius regnaviſſe dicitur, hoc eſt, iniiſſe regnum, anno *Azariæ Judæi* 38. At *Jeroboamus* obiit *Vzziæ* 26. Itaque neceſſe eſt vacâſſe regnum apud *Iſraëlitas*, imperante nemine, per annos 11 cum dimidio. Tot enim deſunt ab anno 26. *Vzziæ*, ultimo *Jeroboami*, ad annum ejuſdem 38. in quo imperare cœpit *Zacharia*. Hoc autem accidiſſe videtur, ſive quòd *Jeroboami*

Anarchia in *Iſraëlitide* ann. 11.

roboami hæres nondum per ætatem viſus eſt regno par; ſive quòd, confuſis apud *Iſraëlitas* rebus per licentiam militarem, nemo unus auſus eſt ſibi arripere imperium. Perturbata quidem fuiſſe, & ad ruinam ejus imperii ſpectare omnia, ex iis quæ ſecuta ſunt facilè patet.

A.M. 3222.

§ 4. *Carano* defuncto, primo *Heraclidarum* apud *Macedonas* rege, filius imperium ſuſcepit *Cœnus*, tenuítque ann. 12. Nominis ratio hæc ab *Etymologici* Autore traditur. *Cnopis* quidam, *Colchus* genere, apud *Caranum* agebat fortè cùm puer ei naſceretur: cúmque *Caranus* eum ſuo nomine appellari vellet, ſui verò patris nomine uxor *Cirarona*; *Cnopis* interrogatus, ut neutrum offenderet, à neutro voluit nominari: quare Κοῖνος, ſive *Communis*, vocatus eſt.

A.M. 3223. *Cœnus* imperat *Lacedæmoniis*.

His ferè temporibus primæ triremes à *Corinthiis* factæ ſunt: hactenus longarum ſolummodo navium uſus apud *Græcos* fuit. (*Thucyd.* lib. 1. *Plin.* 7. 56.)

——— *Jam triplici conſurgunt ordine remi*;

trium verſuum ſive ordinum naves etiam *Græci* condiderunt, quas jam antea *Ægyptii* atque *Phœnices* fabricârunt.

Teleſtes, (*Euſebio Teleſtus*,) *Corinthiorum* rex ultimus, cùm præfuiſſet ann. 12, ab *Arieo* & *Peranta* è medio ſublatus eſt. Prytanes deinde ex eadem *Bacchiadarum* gente annuum imperium tenuerunt per annos 124, (*Pauſ. Corinth.*) pari ferè poteſtate quâ Archontes apud *Athenienſes*.

A.M. 3227.

Super ætate Homeri atque Heſiodi non conſentitur, ait *A. Gellius*, (lib. 3. 11.) *Philochorus & Xenophanes Homerum fuiſſe majorem natu ſcripſerunt: at* L. *Accius Poëta & Ephorus hiſtoriæ ſcriptor, minorem. Marcus autem Varro* (*in* 1. *de Imaginibus*,) *uter ortus prior ſit, parùm conſtare dicit*; *ſed non eſſe dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint: idque ex epigrammate oſtendit, quod in tripode ſcriptum eſt qui in monte Helicone ab Heſiodo poſitus traditur.* Hoc autem epigramma apud *Dionem* & inter *Græca* Epigrammata legitur.

De *Homeri* & *Heſiodi* ætate diſputatur, & ingeniis.

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν,
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.
Heſiodus Muſis tripodem hunc Helicone dicavit,
Chalcide cùm divum cantu ſuperâſſet Homerum.

Quod quidem Doctiſſ. *Salmaſius* haud ſcio an non verè fictum ſuſpicetur. De hoc Poetarum certamine *Hen. Stephanus* A. D. 1573. Libellum obſcurum donavit luce; ubi traditur, *Ganyctorem*, *Eubœæ* regem, patris *Amphidamantis* celebraturum funus, viros in quaque arte præſtantiſſimos ad certamina magnis præmiis invitâſſe: *Homerum* eò & *Heſiodum* Poëtas adveniſſe; ubi poſt interjectos alternatim verſus, ídque variis modis, unde jam victoria omnium conſenſu *Homero* tribuebatur, tandem *Panædes*, frater mortui *Amphidamantis*, unúſque judicum, utrumque juſſit partem ſuorum operum præſtantiſſimam in medium proferre. *Heſiodus* prior ea recitavit ex *Oper. & Dieb.* 2.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων, &c.

Homerus autem ex *Iliad.* 13. de *Græcis Hectori* ſe oppoſituris,

——————————— οἱ γὰρ ἄριστοι
Κρινθέντες Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα δῖον ἔμιμνον,
Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ·
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνὴρ, &c.

Quæ cùm pronunciâſſet, victoriam uno erat ore omnium relaturus, niſi *Panædes* pacificum argumentum *Heſiodi* bellico prætuliſſet *Homeri*. At *Periander* apud *Plutarchum* (in Sap. 7 Convivio) auditu accepiſſe ait ſe, in hoc certamine ad quæſtiones deſcendiſſe Poëtas, & propoſuiſſe *Homerum* talia, ut ait *Leſches*; vel, ut *Lil. Gyraldus* legit exponítque, ὥς φασὶ, λέσχας, *ut aiunt*, *nugas* hujuſmodi:

Μοῦσά μοι ἔννεπε τ' ἐκεῖνα, τὰ μήτ' ἐγένοντο πάροιθεν,
Μήτ' ἔσται μετόπισθεν. ———————

Talia,

A.M. 3227.

Talia, Muſa, mihi memora, quæ nulla fuerunt,
Nulla futura unquam. ——— ———

Cui reſpondit *Heſiodus* ex tempore,

Ἀλλ' ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι
Ἅρματα συντρίψωσιν ἐπειγόμενοι περὶ νίκης;
Sed Jovis ad tumulum quando currus lacerabunt
Quadrupedes curſu properantes vincere palmam ?

Atque hinc victor *Heſiodus*, hinc Tripos & epigramma, *Plutarcho* autore. Hinc & proverbium ferunt cœpiſſe in judicem iniquum imperitúmque, *Panedæ ſuffragium.* Nec in *Amphidamantis* modò *Chalcidenſis* funere, ſed *Oealyci* quoque *Theſſali*, *Homerum* & *Heſiodum* carminibus decertâſſe tradit (in Sympoſ. quæſt. 2.) *Plutarchus.* Et *Heſiodo* verſus aliqui apud veteres Grammaticos tribuuntur, quibus ait ſe unà cum *Homero* hymnis novis *Apollinem* celebrâſſe in *Delo.* Sed his fabulis minimam habuêre fidem ii qui *Homerum* annis multis antiquiorem fuiſſe volunt, imò ſeculis multis. (In *Catone* Maj. *Cicero.*) Neque verò majorem fidem adhibemus nos. Libellus enim *Stephani* non extitiſſe videtur cùm *Plutarchus* viveret. *Periander* enim ea de re nihil præter auditum habuit, certum autorem non habuit: idémque diverſo planè modo narrat eam rem, & cauſam victoriæ quâ *Heſiodus* potitus eſt. *Velleius* ergò *Paterculus*, non obſtante hoc certamine, de quo fortaſſe non audîerat quidem, *Heſiodum* 120 annos diſtinctum ab *Homeri* ætate, & poſteriorem, ait fuiſſe. In auſpiciis primæ *Olympiadis* obiiſſe *Heſiodum* prodit *Solinus*, 138 annis poſt *Homerum*; centum ait *Porphyrius* apud *Suidam.* *Virum fuiſſe perelegantis ingenii* ait *Paterculus*, *& molliſſimâ dulcedine carminum memorabilem*; *ut Homero, Poëtarum primo, tempore, ità operis autoritate proximum.* Certè Veteres eum ut *Pythium Apollinem* venerati ſunt, ejúſque carmina quaſi totidem oracula ediſcenda proponebant; cui proinde calamos à Muſis donatos crediderunt.

A.M. 3230. Virgines *Spartanæ* pudicitiam violatam nece redimunt voluntariâ.

§ 5. In *Meſſeniorum Spartanorúm*que limitibus templum erat *Dianæ Limnadis*, ſolis *Dorienſium Meſſeniis* atque *Lacedæmoniis* commune. Narrabant *Lacedæmonii*, miſſas ad hoc templum à ſe virgines à *Meſſeniis* fuiſſe violatas, quæ, nè pudicitiæ ſuæ ſupereſſent, nece voluntariâ dedecus redemerunt. *Teleclum* quoque ſuum regem, dum propulſare conabatur injuriam, interemptum. At *Meſſenii*, contrà, *Spartanos* aiebant, cùm ſuo feliciori ſolo inhiarent, impuberes miſiſſe virginum habitu larvatos cum pugionibus occultis, qui *Meſſeniorum* primores ex improviſo adorirentur. Ibi *Meſſenios* ad vim arcendam accurriſſe, regémque ſimul, qui poſuiſſet inſidias, & inſidiarum inſtrumenta ſuſtuliſſe. Itaque *Lacedæmonios*, quòd eſſet facinus publico conſilio patratum, conſcios à ſe injuriam eſſe profectam, neque res unquam repetiiſſe, neque de ultione cæſi regis cogitâſſe. Hæc per ſe differebant *Meſſenii.* Utri veriora dixerint, quis jam dixerit, cùm eo ipſo tempore quo erat geſta res dubia & incerta haberetur ? Hinc prima certè jacta ſunt belli *Meſſeniis* luctuoſiſſimi ſemina. *Telecli* filius *Alcamenes*, patre ſublato, regnum tulit, *Agidarum* nonus, tenuítque annos 37; quorum extremo cœpit bello vindice paternam cædem aliáſque injurias perſequi. Interim, ex altera familia regum, *Nicander Eurypontida Argivorum* fines hoſtiliter eſt ingreſſus, &, obliteratâ jam vetuſtæ conſanguinitatis memoriâ, multis atque magnis eos cladibus affecit: cujus facinoris cùm ſocios habuiſſet *Aſinæos*, graves illi quidem pœnas *Argivis* mox, patriâ deletâ, profugi dederunt.

A.M. 3233. *Olympiadum* inſtitutio.

Annus jam agebatur ab *Ilio* expugnato quadringenteſimus ſextus, *Alcamenis Lacedæmoniorum* regis quartus, *Nicandri* verò 34. cùm *Iphitus Eleüs*, ad exercendam *Græciæ* juventutem, ludicra illa certamina *Jovi* ſacra, quæ diu intermiſſa fuerant, unà cum mercatu ex oraculo inſtauravit, ad urbem *Elidis Olympiam*; quæ *Olympia* ex loco appellata ſunt. Inducias quoque publicas inſtituit, quò liberiùs ludis vacarent. Hi verò ludi in quinti cujuſque anni principio celebrari cœperunt: unde *Græci* ex interpoſito quadrienii ſpatio, quod *Olympias* dicebatur, novam certámque poſtea numerandi annos rationem per *Olympiadas* inierunt. Sed & alia aliis in locis erant *Græcis* certamina: *Delphis* quinquennalia *Pythia*, in honorem *Apollinis*; deinde trieterica iſta, hinc *Iſthmia Palæmoni*, indè *Nemea Opheltæ* ſacra. At *Olympia* ex his maximâ totius *Græciæ* celebritate inſtituebantur, ubi quinto die qui victor, ſeu *Olympionices*, renunciatus eſt, oleaſtro coronatus in patriam, non per urbis portas,

portas, ſed per ruinas murorum eâ dirutorum cauſâ, ſuorum civium humeris altè ſubvectus rediit. In ſpectaculis primas ſibi jure ſedes vendicabat, & deinde ex publico alebatur. Ac inprimis nullum erat niſi de ſtadio certamen, ubi victor in curſu renunciatus eſt *Choræbus Eleüs*. Ludis præfuit, & de victoria judicavit, ſolus *Iphitus*; ac deinde per multos annos qui ex *Iphiti* erant genere. Quinquageſimâ demum *Olympiade*, duumviris ex ipſa *Eleorum* civitate ſorte ductis præfectura commiſſa eſt, poſtea pluribus.

A.M. 3233.

§ 6. Poſt annorum undecim atque dimidii anarchiam & interregnum, *Zacharia* tandem *Jeroboami* filius, vel maturior ætate jam, vel auctis viribus audacior, paternum regnum, ſed minimè futurum illi diuturnum, occupavit: quippe ſex tantummodo menſium ſpatio tenuit.

Cùm *Zacharia Samaritanus* rex menſes tantùm ſex dominatus eſſet, à *Shallumo* filio *Jabeſhi*, propter ignaviam fortaſſe indignam rege, ſublatus è medio eſt, *Jehudarum* ultimus. In publico id factum, ſpectante multitudine, nullâ regum, nullâ legum, nullâ Dei, nullâ populi reverentiâ: adeò præcipitabant in exitium res. Facilè id tulit Deus, qui hominis nimiùm patrizantis religionem pravam, poſt tantam in *Jehu* poſteróſque benignitatem ſuam, non tulit. At nec *Shallumus* inultum diu tulit parricidium, etſi volente quidem Deo, non & imperante, perpetratum. *Menahemus* enim, *Gadi* filius, à *Tirza*, quam obſidebat (ſiqua *Joſepho* eſt fides) exercituum regiorum dux, *Samariam* eſt profectus, ubi *Shallumum* uno tantùm menſe potitum imperio trucidavit, ſceptrúmque arripuit. Erant fortaſſe ambo ex ducibus *Jeroboami* regis bellicoſi; ac fortiſſimis imperium deberi exiſtimabant. Regnum aſſecutus *Menahemus*, in adverſarios animadvertit paulò crudeliùs: in *Tiphſacum* præcipuè, omnémque urbis ejus ditionem, immane ſtatuit exemplum. Nec enim in homines modò conſpicuos ferro ſævitum eſt; verùm ipſos qui latebant infantes, ex utero parentum dilaniato, ad exitium eruit. Ità partum imperium annis tenuit decem, *Jeroboamicæ* religionis cultor & vitulinæ.

A.M. 3234.

Regem *Zachariam* occîdit *Shallumus*; *Shallumum Menahemus*,

qui ex utero parentum infantes eruit.

Niniven hoc tempore *Aſſyriúm*que imperium tenuit *Pul*, ſive *Phul*: ità Sacri Codices appellant. *Africano* penultimus Dynaſtiæ primæ in *Aſſyria* rex, & *Sardanapali* pater, *Acracarnes* vocatur, *Ocrazapes Euſebio*: apud *Athenæum* (Deipnoſophiſt. 8.) *Cyndaraxes*, & *Anacyndaraxes*, & (12.) *Anabaxares*. Non is more majorum domi deliteſcebat in gynæceo, fœdíſque indulgebat voluptatibus; ſed coacto exercitu prodire foras maluit, vicinos invadere, ac fines imperii —*famámque extendere factis*. Et peragratâ jam *Meſopotamiâ Syriâ*que, in *Iſraëlitidem* erat impetum facturus perópportunè rebus *Menahemi*. Nam & mala nonnunquam tempeſtiva commodáque ſunt. Ultro invadenti occurrit *Samaritanus* rex, paciſcitúrque argenti mille daturum talenta ſe, modò *Aſſyrius* dignaretur ſub imperii ſui ala clientem protegere, *Iſraëliticúm*que regnum ſibi conſtabilire. Annuit *Aſſyrius Pul*, pecuniam accepit, *Niniven* rediit, firmam *Menahemo* clienti *Iſraëlitidem* reliquit. Neque tamen ipſe *Menahemus* rex de ſuo quicquam ad hanc 1000 talentorum ſummam contribuit, ſed à ſubditorum opulentiſſimorum quoque ſiclos exegit 50: indè ſuam ex aliena pecunia liberavit fidem, confirmavit potentiam.

Aſſyrius ultro clientem ſe offert.

§ 7. *Aſſyrii Pulis* ætate Prophetam vixiſſe *Jonam* conſtat, *Amittaii* filium, *Zebulonitam* de *Gath-hepher*. Eâdem & *Ninivitis* prædicâſſe vero ſimillimum eſt. Nam *Acracarnes* apud *Africanum*, qui 2 *Reg.* 15. 19. videtur appellari *Pul*, 42 annos regnaviſſe dicitur: *Jonas* autem *Jeroboamo* 2. victorias prænunciaviſſe, ante annos fortaſſe 50. (2 *Reg.* 14. 25.) *Joſ. Scaliger* & alii *Jonæ* prædicationem in *Sardanapali* tempora conjiciunt, paulò ſeriùs, opinor. Nec is erat *Sardanapalus*, quem Prophetæ Deíve minis conterritum egiſſe pœnitentiam credibile ſit. Ad exitum jam & exitium vergebat maximè diuturnum illud *Aſſyriorum* apud *Ninivitas* imperium; quod, à *Nino* conditum, mille ac trecentos ferè ſtetiſſe annos in eadem familia ex *Trogo Juſtinus* refert: qua de re alibi dictum. (Libro 2.) Tantæ ruinæ ipſe Deus (ut à ſe profectam cognoſcerent mortales) præmonitione quadam per ſuos Prophetas intereſſe dignatus eſt. Nec enim erat clementiæ Divinæ, pœnis ultimis non præmonitos afficere. *Jonæ* igitur in mandatis dedit, ut *Niniven* proficiſceretur, denunciarétque minas à ſe, propter immania populi, clamoréque improbo pulſantia cœlum, ſcelera. *Jonas*, cùm reputaret apud ſe quanta itineris longinquitas, muneris difficultas, quantúmque ſuum eſſet vel periculum ab obſtinatis, vel dedecus futurum, ſi pro ſumma ſua miſericordia Deus denunciatas à ſe pœnitentibus pœnas

Jonâ Prophetâ

A.M. 3234. remitteret, condonarétve ad tempus, declinare maluit officium, & ipſum fugere Deum, ſi quo id modo fieri poſſet. *Joppæ* conſcendit navem, relicturus *Niniven*, & *Tarſum* itinere maritimo profecturus. At ſervum à Deo fugitivum nec portare navis, nec ipſum tranſmittere auſum eſt mare. In utrumque ſævit illico tempeſtas fera; &

——Ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique mariſque,

in utroque Dei flagrantem, ſentiunt. Haud procul à naufragio res aberat. In periculo extremo ac timore conſtituti vectores variarum gentium, ſuos quique deos inclamant vehementer, at nihil profuturos. Merces etiam projiciunt in mare, (non eâ ſatiandum offâ,) nè preſſam onere ſuo navem venti fluctúſque opprimant faciliús. Unus comitum aberat *Jonas*, qui in latibulo dormitabat ſecurus periculi. Eum navicularius ſuſcitat, increpátque ſomniculoſum in tantis deorum minis.

" *——Potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?*

" inquit. Noſtra omnium ſalus agitur. Quare *tuos* etiam *implora deos*, *ſi* qui for-" tè *nos audituri ſunt*, *nè pereamus*. Tam ſubitum támque vehemens & pertinax malum præter naturam ab iratis immiſſum diis facilè credebant. Quare ſortibus experiri placuit, (ſuggerente id animis Deo,) quis tantopere offendiſſet ſevera numina. Nam in cauſis gravioribus & obſcuris, ipſi olim pagani ſortibus appellari deos putabant, & ad numinum cœleſtium arbitria provocari. Itaque, Deo dirigente, ſors in *Jonam* cecidit. In *Jonam* própterea omnium conjecti ſunt oculi. A *Jona* quærunt, " quis & *unde ſit*; *quâ utatur arte*; quo piaculo tantopere exaſperârit " deos, ut exitium ſibi omnibus moliantur. *Jonas*, ubi nulla erat ſpes ab eo fugiendi qui locorum ubique ſit, gravémque ſenſit in comitatum ſuum iraſcentis Dei manum, ingenuè confeſſus eſt omnia; *Hebræum ſe*, *Jehovam revereri cœlorum atque terrarum opificem Deum:* & reliqua de præcepto Dei, & ſua narravit contumacia & fuga. Comites primò vehementer perterriti contremiſcere omnes, *Domini Dei & opificis mundi* audito nomine. Tum verò demirati hominis temeritatem, ſuo non obſequentis Deo, rogavêre, " quomodo jam is placari Deus, *ſedarí*que tempeſtas, " & ſua poſſet expediri ſalus ab eo in periculum vocata. Reſpondit *Jonas*, " unicum " eſſe mali ejus remedium, ſi vivum *ſe præcipitarent in mare*; placamen iræ futurum " ſuâ pœnâ, quam contumaciâ *ſe* irritaviſſe *noverat*. Nautæ, miſeratione ducti hominis perituri, quantum fas erat tergiverſari, ſatagentes parcere; omnibúſque viribus remigantes, navem in portum ſubducere connitebantur. At nullo id conatu fieri potuit, reluctante procellarum impetuosâ vi, nec jam ampliùs tolerandâ. *Jonam* ergò tollunt inviti, & projiciunt in mare piaculum tempeſtatis irato Deo; ſed ejus exoratâ priùs iterum atque iterum veniâ, nè cædis hujus rei peragerentur, innocentíſve ſanguinis Divinâ damnati ſorte. Hâc abſorptâ prædâ, ſaturari viſa eſt oceani vorago;

Concidunt venti, fugiúntque nubes,
Et minax ——————ponto
Unda recumbit.

Tanto attoniti miraculo comites *Jonæ*, Numinis quaſi præſentis majeſtatem exhorreſcere vehementiùs, & ſacra facere votáque, animorum pro tanto beneficio gratorum pignora. Interim *Jonas*, ità vólente Deo, à marina quadam ingentíque bellua exſpectante hanc prædam devoratus eſt vivus integérque; quem in utero ſuo monſtrum quaſi gravidum geſtavit dies tres. Atque hinc opinor ſuam Poëtas *Græcos* (*Lycophron.* in *Caſſandra*) traduxiſſe fabulam de *Hercule*, quem in ceti ventre devoratum dies fingunt delituiſſe tres, mox depilatum exiiſſe. Etſi enim *Hercules* ipſe prior *Jonâ*, poſterior fuiſſe fabula videtur.

ſepulto,

Sepultus quidem *Jonas*, at nondum eſt mortuus; vel potiùs in carcerem conjectus, non ſepulchrum. Servum Dei meminerat ſe, at fugitivum, & in ea cuſtodia jam concluſum, unde nulla erat elabendi ſpes, nulla patebat ad *Tarſum*, ad fugam via. Interire hîc neceſſe erat diutiùs hærentem, unde non licebat egredi. Quid agat? Dominum ſibi noverat Omnipotentem eſſe, qui vel hinc liberare poſſet; eundem

ſed nondum mortuo,

precibus,

precibus, precibúſque tantùm, expugnabilem, utpote ſummâ clementiâ miſericordiâque præditum. Quare precibus obnixis & ſummâ humilitate animi atque dolore Deum adortus eſt, neque priùs orare deſtitit, quàm bellua bolum, quem concoquere non valebat, evomere in terram, & in lucem edere coacta eſt renatum *Jonam*. In gratiam receptus, denuo compellatur à Deo, & iiſdem inſtructus mandatis *Niniven* remittitur. Nec enim contumaciâ hominum ſua Deus fruſtrari conſilia vult. *A. M.* 3234.

Quanta fuerit urbs *Ninive* Libro traditur Secundo, ubi prima urbis molitio traditur autore *Nino*. Viginti circiter millia paſſuum longitudo patebat; quod erat pedeſtre dierum trium iter. Unum diem progreſſus in urbem *Jonas*, denunciabat à *Jehova* Deo, *poſt dies* 40 *perituram Niniven* nefandorum ſcelerum causâ. Nimiùm ſeverus in *Ninivitas* Propheta eſt, qualem in ſe Deum iniquiſſimè tuliſſet. Minas tantùm increpabat; Divinam clementiæ conditionem, (*niſi reſipiſcerent*,) nequaquam addidit. Quorſum verò tantùm itineris confectum eſt, ad præmonendum exitium poſt paucos dies, quod vitari non potuit, nullâ ſalutis per clementiam Dei hominúmque reſipiſcentiam factâ ſpe? Itaque Prophetam cives mox falſi arguunt. Cùm enim accepiſſet rex nuncios de homine peregrino, peregrini Dei verbis terribiles minas & urbis excidium denunciante, mali ſibi conſcius multorúmque ſcelerum, facilè credidit revera futurum quod denunciabatur, niſi per ſeriam atque maturam reſipiſcentiam fortè vindictam averterent Divinam. Depoſitâ ergò pompâ regiâ, ſaccum induit; edictóque publico, ſuâ procerúmque autoritate communito, jejunium civibus indixit, ut "*ab omni cibo potúque abſtinerent homines jumentáque, cilicium induerent, Deúmque vehementer inclamarent*, denique, *peccatis renunciarent* omnibus, *ſi* fortè ad miſericordiam *flecti* poſſet *Deus*, & urbs ab excidio vindicari. Animadvertit facilè Deus, approbavítque *Ninivitarum* & fidem in ſe, & placandi ſe voluntatem pronam induſtriámque. Remiſit ergò ad tempus iracundiam, deſtinatáſque diſtulit ——*in idonea tempora pœnas*. Ægerrimè tulit hanc Dei clementiam ſeveritas Prophetæ, ut ſuis mitiorem minis, ac ipſi quodammodo probroſam Deo. Itaque verbis obſtrepere auſus eſt, & ſuum liberiùs increpare Numen. "Attende, *obſecro, Jehova*, inquit, & animadverte quàm juſta *ego* de cauſa *Tarſum profugerim*, nè obirem hoc prophetandi munus, quod *clementiam tuam* facilè fruſtraturam, & ludibrio expoſituram eſſe me, jam antè animo præceperam. *Quippe noveram te mitiſſimum eſſe Numen, ſummâ benignitate, miſericordiâ*, placabilitate *præditum, quémque malorum* ſæpiſſimè denunciatorum *pœniteat*. Meam igitur Prophetæ fidem tua facilitas magna cùm elevârit, contemptuíque ſubjecerit, quid *ego in vivis* moror ampliùs ludibrium populi? *Præſtat mori me, quàm* ignominiâ notatum *vivere*; animámque potiùs amittere quàm fidem. Cui *Jehova* paucis ità reſpondit mollioribúſque verbis: "Quid hoc irarum eſt, *Jona? Jurène tu* mihi paulò mitiùs agenti *ſuccenſes?* Urbe jampridem peragratâ exierat *Jonas*, tuguriúmque ſibi poſuerat ad Orientem, ubi exſpectaret *Ninivitis* quid eſſet futurum. Nimiæ importunæque ſeveritatis ut hominem argueret, pro ſumma ſua in moroſum Prophetam clementia, hoc eſt uſus commento Deus. Ejus tugurio ricinum repentè natum (*Plin.* 15. 7.) admovit, cujus umbrâ Solis æſtum arcebat fervorémque, ac mirificè Propheta lætatus eſt. At noctu ità corroſit eum corrupítque vermis, ut exaruerit; quo factum eſt, ut Solis immodico fervore, augentéque fervorem vento, languidus penè deficeret *Jonas*, vitæque pertæſus, denuo mortuum exoptaret ſe. Denuo igitur Deus hominem corripuit: "Quid hoc, inquam, *irarum* eſt, *Jona? Jurène tu* tuæ moleſtiæ hujúſque areſcentis *ricini causâ fremis* tantopere? "Imò verò, ait *Jonas*, *jure* optimo & *iratus* fremo, & *mortem* contritus malis expeto. "Vide igitur, inquit Deus, quanto in errore ſis. *Ricinum tu* clementiâ & *miſeratione* dignum putas, *neque* tamen *ſatum alitúmve à te*, ſed repentè *natum*, repentè *mortuum*. *Nonne* multò eſt æquius *me tantæ civitatis miſereri*, tantæque multitudinis hominum, conditorum à me, ac reſipiſcentium jam ſuíſque renunciantium peccatis, præſertim verò tot infantium, innocentiúmque puerorum, qui hac una in urbe *centies atque vicies mille* numerantur? Obmutuit illico *Jonæ* tam illuſtri & perſpicuâ rei veritate obthuratum os. Et hæc ab ipſo fuiſſe *Jona* literis tradita, propagatáque ad poſteros, credibile videtur. Alii deinde ſua Prophetæ vaticinia prodidêre ſcriptis, quò non ſua tantùm, ſed futura quoque ſecula monerent doceréntque.

exitiúmque *Ninivitis* denunciante,

impii reſipiſcunt, & ſalutem à Deo impetrant.

§ 8. *Thurimas* tertius *Macedonum* rex annis imperavit 38.

A.M. 3235. [a] 3237. *Sardanapalus Aſſyriæ imperat;*

[a] *Pule* mortuo apud *Aſſyrios*, ejuſdem filius (ut credibile eſt) *Sardanapalus*, ejus Dynaſtiæ ultimus, imperium tenuit annis viginti, vir quavis muliere mollior. Ideo, propter laſcivos hominis impuróſque mores, ipſi nomini laſciviam ſubeſſe opinatus eſt *M. Tullius*, quaſi à *Phallos* dicto. Nam & *Sardanapallus* vocatur. At eorum eſt credibilior conjectura, qui à *Sarbadon-pul*, ſive *Aſſaradin-pul*, appellatum putant. Ab *Africano* tamen *Tonoſconcoleros* dicitur, quaſi patrio nomine, *Sardanapalus Græco*.

3239. *Theopompus Spartæ*

Theopompus Spartanorum rex, *Eurypontidarum* decimus, annos regnavit 50.

Bocchoris Saïtes in *Ægypto* 24. inſtituit Dynaſtiam, annóſque regnavit 44. *Neochabis* ejus pater ab *Athenæo* vocatur, (l. 10.)

[b] 3243. *Uzzias Judææ* rex pietate impius.

[b] Hactenus *Uzziæ* in *Judæa* proſperæ floruerunt res, ut qui obſervantiâ perpetuâ & obſequio propitium ſibi benigniſſimúmque reddiderat Deum. Sed felicitate nimiâ animi plerumque inſoleſcunt, oblitíque ſortis humanæ intumeſcunt faſtu. Quæcunque poſſunt vi, eadem ſibi & licere putant. *Uzzias* ergò magnâ virium potentiâ elatus turgidúſque, ut *Achilles Homericus*,

Jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Sceptro minimè contentus regio, acerram ſibi vendicat ſacerdotalem. Sacra facere vult, & in ipſo Templo Altaríque aureo adolere thus. Pietate importunâ & inordinatâ impietatis reum ſe reddit. Modo illicito appropinquantes, & non vocati, abalienant à ſe Deum. Monuêre quidem ſacerdotes, & vetuêre verbis quantum poterant; aliud eſſe munus regium, aliud ſacerdotale vociferantes. At ille

Acrior admonitu eſt, irritatúrque retentus:

non obſequitur, non è Templo diſcedit. Arripit thus, & in ignem erat conjecturus, cùm ipſe Deus, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanctitatem aſſereret à profanis manibus, in contumacem animadvertit ſeveriùs. Apud quem verba ſacerdotum nihil valebant, eum verberibus afficit, lepráque ſubitò immiſsâ caſtigat regis pertinaciam. Ubi decoloratam infami morbo frontem ſacerdotes contemplati ſunt, (*Azarias* Pontifex aderat 80 ſacerdotum globo ſtipatus,) impetu facto ex Templo deturbaverunt, nè Religionem ulteriùs pollueret morboſus rex. Et erat is ultro diſceſſurus jam, ubi ſævientem in ſe Dei ſenſit irati manum; nè quid gravius fortè, ſi & Numini offenſo repugnaret, pateretur. Qui Dei domum audaciore impetu & ingreſſu violârat, ſuâ jam privatâ excluditur. In ædes conjicitur ſeparatas, ubi, quamdiu vixit, miſerè atque ſolus vixit, congreſſu hominum vel profanorum, conſortióque omnium prohibitus. *Jothamus* interim filius regiæ præfuit, populóque dixit jus. Nec in regum ſepulchris, verùm in agro ſepulchrali regum tumulatus eſt. Ejus tamen geſta magnifica perſcripta ſunt à magnifico Propheta, *Amoſi* filio *Eſaia*.

A.M. 3245. 3247.

Menahemo defuncto, filius *Pekahia Iſraëlitici* regni ſceptrum arripuit, anno *Azariæ Judæi* quinquageſimo; ſed vix tenuit biennio.

Quâ *Menahemus* regium acquiſiverat ſolium, eâdem filius *Menahemi* deturbatur indè armatâ vi. Militum tribunus *Peka*, filius *Remaliæ*, cum *Argobo* & *Arieo* initâ conſpiratione, ſatellitibus 50 *Gileaditis* ſtipatus, *Pekahiam* regem obtruncat, regnum occupat *Iſraëliticum*, annîſque viginti dominatus eſt.

A.M. 3248. Ejus filius *Jothamus* ſanior patre ſanctióruque.

Poſt obitum *Uzziæ* patris, regnum tenuit *Judaïcum* annis 16 *Jothamus* filius, qui annos aliquot patre vivente gubernârat. Viginti quinque annos natus, regium & nomen dignitati addidit quam priùs geſſerat, religioſus paterno more; ſed eo ſanior & ſanctior, quòd rebus ſanctis abſtinuerit profanas manus: magnificus idem & bellicoſus rex. Multas condidit in *Judææ* montanis urbes, multa in ſaltibus propugnacula & turres; in Templo portam quoque altiſſimam cubitorum 60, & in muro clivi ædificavit plurimum. Victos bello *Ammonitas* talentis multavit argenti centenis, deciéſque mille coris tritici, totidémque hordei; quæ tribus ſimul annis penſitabant *Judæis*.

A.M. 3256. *Aſſyriorum imperium quàm diu ſteterit.*

§ 9. *Aſſyriorum*, quod à *Nino* cœpit, Imperium quamdiu ſteterit, diſſentire Autores, ut in re antiquiſſima, quis miretur? *Herodotus* (lib. 1.) non niſi quingentos & viginti annos *Aſſyriis* dat. *Julius Africanus* poſt *Belum* annos 1429, reges 40. *Diodorus Siculus*, *Cteſiam* ſecutus, annis ait duraviſſe 1360 hoc regnum, per 30 hominum ætates in eadem familia patri ſemper filio ſuccedente: mille ac trecentos, ſecutus *Trogum*, *Juſtinus*: 1070 *Vell. Paterculus*, (lib. 1.) qui poſt *Ninum* & *Semiramin*

ramin reges numerat 33. Nobis media ex his *Pompeii* ſententia probatur, de qua alibi dictum eſt, (Libro 2.) & 1300 ferè annos huic imperio tribuimus. Verùm utcunque regnum duraverit, ultimum fuiſſe regem in hac *Aſſyriorum* Dynaſtia *Sardanapalum*, propè inter omnes convenit; ſuúmque tandem habuit exitum & hoc, etſi omnium imperiorùm maximè diuturnum: adeò nihil tantum eſt in rebus humanis, quod perpetuum eſſe poſſit, ſed caduca mortaliáque mortalium ſunt omnia. *Sardanapalus* majores, quanquam ignaviſſimos, ſocordiâ luxuriâque ſuperavit omnes, fœdiſſimæ voluptatis *Veneriſ*que planè mancipium. Ipſo cultu corporis, & oris fuco, & opere lanificii quo exercebatur, muliebrem præ ſe mollitiem tulit. De qua regis turpitudine, quanquam occultiſſimè agebantur omnia, tenuis tamen foras fama emanabat. Erat hoc anno fortè annuæ *Medorum* militiæ præfectus *Arbaces*, magnanimus atque bellicoſus vir, (*Arbactum* aliqui vocant,) cui magna erat familiaritas cum *Beleſi* quodam, præſidii *Babylonici* duce, & ſacerdote *Chaldæo*, qui, ſideralis artis peritiſſimus, divinationem eximiè callebat, exercebátque feliciter. Is natalem, puto, *Arbacis* contemplatus, prædixit ei, futurum brevi, ut ampliſſimo *Aſſyriorum* imperio potiretur. Nec difficulter induxit animum excelſum ea credere quæ volebat, & alere maximarum rerum ſpem. Simul & *Arbaces* vati ſuo pollicitus eſt, ſi revera eveniſſent quæ prædixerat, ei ſe *Babyloniæ* provinciam daturum. Ut haberet ergò inprimis quo regem apud duces militéſque traduceret, ad eum videndum admitti ſe (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) ambitione magnâ ægre obtinuit, aureâ phialâ cujuſdam eunuchi corruptâ fide. Invenit *Sardanapalum* inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu (cùm mollitie corporis & oculorum laſciviâ omnes fœminas anteiret) penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum, tractantíque lanam ferrum & arma portantes parére, progreſſus ad ſocios ſuos quid viderit refert. Negat ei ſe parére poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe quàm virum. Fit igitur conjuratio. Alii duces muneribus atque conviviis, *Arabum* inprimis rex, in ſocietatem belli conciliantur. *Medi*, *Perſæ*, *Arabes*, *Babylonii*, cum exercitu quadringentorum millium in *Aſſyriam* penetrant, montana caſtris occupant, quæ à *Nino* ſtadia 70 aberant. Ut primùm de hac militum conjuratione ingratum accepit nuncium *Sardanapalus*, aliarum gentium copias quæ aderant in aciem produxit, quas rebellibus opponeret; victoriâque potitus eſt, cæſis fugatíſque in caſtra ſua hoſtibus. Deinde per præcones edixit, 200 ſe auri talenta daturum ei, quicunque *Arbacem Medum Beleſin*ve *Babylonium* interficeret; ei verò duplum, unà cum præfectura *Mediæ Babyloniæ*ve, qui alterutrum vivum tradidiſſet. Cùm neminem hæc dona caperent, in prælium *Arbaces* iterum deſcendit; iterum in montana cum ſuis rejectus eſt. Bis fugati conſilium ineunt rebellium duces, quid à ſe potiſſimùm fieri jam expediret. Plerique in hanc eunt ſententiam, cedendum ſibi ad tempus, redeundum in ſuam cuique patriam, occupandam munitionibus terram, & præparanda pro viribus quæ ad bellum conducerent novum. At *Beleſis*, quaſi ex deorum conſilio ſibi portentis quibuſdam revelato, permanendum denunciat; victores enim fore tandem, ſed cum difficultatibus quibuſdam confligandum priùs. Quo factum eſt ut novum tentârint prælium. Sed victos denuo & caſtris exutos, ad *Babyloniæ* montes uſque perſecutus eſt rex. Ipſe *Arbaces*, egregii ducis atque militis munere perfunctus, vulnere affectus eſt. Poſt tot clades, abjectâ victoriæ ſpe, domum erant profecturi duces, niſi *Beleſis* dierum quinque moram exorâſſet, ut tum ſuæ artis, tum benevolentiæ deorum periculum facerent. Quippe noctem illam ſub dio inſomnis exegerat, obſervationi ſiderum intentus; unde ſe aiebat didiciſſe, ac promiſiſſe deos, ultro venturum eſſe auxilium, quo in melius omnia mutarentur, ſi modò quinque dies exſpectarent. Tantum exiguæ moræ fructum experiri ſtatuunt duces. Interea nuncii venerunt, magnas advenire *Bactrianorum* copias, properare ad regem, ac propè jam adeſſe. Anſam captabat omnem *Arbaces*. His occurrendum cenſuit cum fortiſſimis expeditiſſimíſque ſuorum, ut iis armorum ſocietatem vel perſuaderet, vel cogeret. Non opus erat vi. Libertatis illi ſpem facillimè amplexi, & obſecuti ſunt *Medo*, primò quidem duces, mox & milites: ità in rebellium caſtra univerſi tranſiverunt. De *Bactrianis* nihil ſuſpicatus rex, ſed victoriâ elatus, triumphabat, & victimas immolabat propitiis diis; quibus convivabantur & milites, vino & epulis ſumma cum hilaritate libertatéque indulgentes. *Arbaces*, de hoſtium ebrietate ac ſocordia per transfugas edoctus, ex improviſo noctu adoritur caſtra; ubi parati imparatos, ſobrii temulen-

A.M. 3256.

Sardanapali effœminata mollities.

Arbacis conjuratio contra Sardanapalum.

A.M. 3256. temulentos facilè opprimunt, cædunt, caſtris exigunt, & ſtragem edunt maximam, ſuperſtitibus in urbem fugatis. Novo exercitui conflato rex *Salæmenem* ſuæ uxoris fratrem præficit, ipſe urbis propugnandæ ſuſcipit provinciam. At regii à rebellibus acie collatâ fuſi bis, &, *Salæmene* interfecto, ad internecionem penè ſunt deleti, ipſo fluvio multùm rubeſcente cadaverum cruore. Obſidio jam reſtabat; quam ut toleraret donec novæ adeſſent copiæ, quantâ potuit ſolicitudine comparabat *Sardanapalus* omnia. Tabellariis enim per omnes regni provincias dimiſſis, novos militum delectus egit. At multæ gentes, ubi regem & victum & obſidione cinctum audivêre, humano libertatis ſtudio defecerunt ad hoſtes. In magno *Sardanapalus* regnum diſcrimine verſari facilè animadvertit. Nè igitur *in una navi omnia*, (quod aiunt,) filios tres natáſque duas, unà cum ingenti gaza, ad fideliſſimum ſibi *Cottam Paphlagoniæ* præfectum miſit, ut eorum ſaluti proſpiceret, cùm de ſua dubitaret. Premebant quidem urbem obſidione quantùm poterant arctiſſimâ rebellium copiæ. Sed cùm intus omnia ſuppeterent obſeſſis neceſſaria, facilè ferebant hoſtium innocuam foris jactantiam. Nam tanta erat altitudo firmitáſque murorum, ut nulla eſſet vel ſcandendi vel diruendi ſpes. Tormenta enim bellica, balliſtæ, arietes, aliæve murales machinæ nondum his in locis inventæ notæve ſunt. Nihil igitur obſeſſis incommodi per biennium attulerunt hoſtium ingentes minæ, niſi quòd exitu prohibuerint.

Alyattes, *Lydorum* poſt *Ardyſum* vigeſimus rex, annis 14 regnavit.

Romulus & *Remus* ablatum *Numitori* reſtituunt regnum.

§ 10. *Albanorum Amulius* rex, fratre ac hærede pulſo *Numitore*, partum ſcelere communivit imperium. Stirpem fratris virilem inter venandum ſuſtulit: filiæ, cùm *Veſtalem* eam legiſſet, perpetuâ virginitate ſpem partûs ademit, & ſibi vindicis futuri metum. At tandem virgo vi compreſſa, *Martem* incertæ ſtirpis patrem nuncupat, ſeu ità rata, ſeu quia deus autor culpæ honeſtior videbatur. Quod pro comperto habens *Amulius*, *Veſtalem* virgis cædi, & ad mortem rapi jubet; gemellóſque *Romulum* & *Remum* (quos nuper enixa eſt) ad fluvium damnat. Eos verò in proxima alluvie (*Tibere* ſuper ripas effuſo) expoſitos *Fauſtulus* paſtor invenit, & ad ſtabula *Laurentiæ* uxori educandos deportavit. Hi pueri, cùm primùm adolevit ætas, tam robore corporum quàm animorum vigore longè comitibus præſtabant, regiámque præ ſe ferebant indolem. Nec in ſtabulis aut ad pecora ſegnes deſidere, ſed venando peragrare ſaltus, impetum in latrones prædâ onuſtos facere, diviſóque paſtoribus ſpolio, gratiam & gloriam adipiſci. Decimum octavum ætatis annum ingreſſi, fortè de paſcuis cum paſtoribus *Numitoris* certamen inierunt, quo *Remus* captus & ad *Numitorem* perductus fuit; qui ætatem juvenis miniméque ſervile ingenium diu contemplatus, acceſſito demum *Romulo* & nutritio patre *Fauſtulo*, geminorum ortum fratrum, periculum, ſalutis rationem exploravit. Et conſiliis illico de modo & anſa delendi tyrannidem *Amulii* collatis, paſtorum advenarúmque auxilio freti ſuſtulêre tyrannum, regnum avo *Numitori* reſtituerunt.

A.M. 3257. Archontes *Athenis* decennales & annui.

Hactenus *Athenæ*, annos ultra 300 abrogato regum nomine, Archontibus paruerant perpetuis, à quibus erat ratio adminiſtratæ reip. populo reddenda. Magnus hic ad libertatem gradus fuit. Sed perpetuitas ejuſdem præfecturæ neſcio quid regium ſapere videbatur, & tyrannidis capax. Quò ſuam ergò augerent libertatem, ſuis magiſtratibus potentiam diminuere viſum eſt, & Archontes creare (qui fuerant perpetui) decennales. Quæ conſuetudo in annos 70 manſit; ac deinde annuis magiſtratibus commiſſa eſt reſpublica. Perpetuorum ultimus *Alcmæon*. Ex iis qui denis annis præfuerant, 1. fuit *Charops*, *Æſchyli* (ut quibuſdam videtur) filius, & *Alcmæonis* frater; 2. *Æſimedes*; 3. *Clidicus*; 4. *Hippomenes*, quem *Suidas* ſcribit ob ſævitiam in filiam à cive clàm ſtupratam principatu excidiſſe. Eam præ ira impotens pater in carcere cum equo vinctam concluſit, donec equus famelicus ipſam devoravit: ipſe mox periit. Domo propterea funditus dirutâ, *Locus equi & puellæ* dictus eſt. 5. *Leocrates*; 6. *Apſander*; 7. *Eryxias*, qui anno ſeptimo vel mortuus, vel principatu exutus cùm eſſet, *Tleſias* reliquum triennium ſupplevit.

Hippomenes in filiam ſævus perit.

Remus à *Romulo* trucidatur.

Numitori Albanâ permiſsâ re, *Romulum Remúmque* cupido cepit, in iis locis ubi expoſiti, ubíque educati erant, urbis condendæ: neque enim *Albam* ſibi habitandam niſi regnarent, neque regnandum avo vivente putaverunt. Annuit lubens *Numitor*: & multitudo *Albanorum Latinorúmque* ſupererat, quâque *Albam* exonerari par fuit; ad id paſtores quoque & advenæ acceſſerant; qui omnes facilè ſpem facerent, parvam *Albam*, parvum *Lavinium*, præ ea urbe quæ conderetur, fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, principatûs cupido, qui locum deligeret, qui nomen

nomen novæ urbi daret, qui conditam imperio regeret. Quoniam gemini eſſent, nec ætatis verecundia diſcrimen facere poſſet, ad *Numitorem* relata res; qui deorum auguriis permitti monuit, in quorum tutela ea loca eſſent. Peractis ritè ſacris, *Palatinum Romulus*, *Remus Aventinum*, ad inaugurandum, templa capiunt. At *Remus* victus augurio principatu ceſſit: indignatus deinde, ludibrio novos fratris muros (foſſam ait *Plutarchus*) tranſiluit; ideo à *Celere* fabricæ præfecto, ſive (ut alii malunt) ab irato *Romulo*, interfectus. Solus jam potitus imperio *Romulus*, urbem novam aratro deſignavit, & populo opus commiſſum eſt. Diem hunc 11. Kal. *Maii*, id eſt, 21. *Aprilis*, patriæ natalem ſemper feſtum habuerunt *Romani*. Urbi jam conditæ *Roma* nomen à *Romulo* datum eſt. Deinde ad populum ex avi conſilio pro concione retulit, ut *eligerent quam eſſent reipub. formam habituri. Quamcunque illi probarent, comprobaturum & ſe; quippe nec imperio dignum ſuâ ſententiâ, nec imperata facere detrectaturum.* Illi verò conſultò reſpondent, *aliam ſe reipubl. formam non requirere. Regiam à majoribus ſuis probatam, ſibique per manus traditam, ſummâ prudentiâ ſe inſtitutam credere: nec alii cuiquam hoc munus magìs quàm ipſi Romulo convenire*; qui auſpicatò regnum aſſumens, Rex unâ omnium voce renunciatus eſt. *A.M.* 3257.

§ 11. Hâc conſtitutâ republ. *Romulus* ad eandem ordinandam ſe contulit. Omnes qui validâ erant ætate in Legiones diſtribuit. Centum ex primoribus, qui ab ætate *Senatores*, à dignitate *Patres* dicti, eligebantur. Reliqua poſt patres multitudo *Populus* dicebatur; populi pars nobilior *Equites*, inferior *Plebs*. Totam multitudinem in tres diviſit partes, quas *Tribus* vocavit; tribus verò ſingulas in partes decem, quas appellavit *Curias*; curias item in *Decurias*. Agro deinde in 30 ſortes æquales diviſo, ſingulas Curias ſortiri juſſit: ſed exemit priùs quantum templis atque ſacris ſufficeret, & aliquam partem quæ juris publici foret. Ut ſe venerabiliorem ipſe rex & auguſtiorem faceret, veſte purpureâ & curuli ſellâ uſus eſt; tribunal in loco fori maximè conſpicuo poſuit; 12 Lictores, qui totidem faſces atque ſecures ante regem ferrent, elegit; regiique corporis 300 cuſtodes (*Celeres* dictos) tam pace quàm bello ſatellites. Ad augendam deinde civitatem, inter duos lucos Aſylum aperuit, pollicitus eò confugientibus impunitatem, unà cum jure civitatis, & agri parte hoſtibus adempti. Eò ex finitimis populis magna turba, avida novarum rerum, vel domeſticorum malorum tædio, profugit. His aliiſque clementiæ artibus urbem magnam reddidit; adeò ut, qui in regni principio nec peditum 3000, nec 300 equitum numeravit, peditum 46000, & mille ferme equites reliquerit. Ordinatâ & auctâ republ. ſupererat deorum cultus. Templa igitur & aras, ſtatuas, feſta, ſacrificia, tum rationes induciarum, celebritatum, intermittendorum operum, cæteráque ad religionem ſpectantia, ritu *Græcanico* inſtituit: Sacerdotes 60, Augures tres, Aruſpices octo, Fratres arvales 12 (quorum unus ipſe *Romulus* fuit) deſignavit, & demum Flamines ſtatuit *Dialem* & *Martialem*. Scribit *Livius*, Flamines à *Numa* fuiſſe primùm inſtitutos. Auctos fortaſſe numero, & ſuis ceremoniarum legibus circumſcriptos, credibilius eſt. Artes ſordidas & ſellularias ſervis & exteris exercendas tradidit; longóque tempore *Romanis* pudori fuerunt hæc opera. Civibus rei ruſticæ tantùm & militaris ſtudia propoſuit. *A.M.* 3258. Quibus artibus res *Romana* excreverit.

Animadvertit *Romulus*, finitimas habere ſe multas quidem validáſque gentes, amicam ferè nullam. Quare per connubia ſtatuit finitimorum ſibi amicitias conciliare: qui mos contrahendæ ſocietatis habebatur antiquis firmiſſimus. Sed huic obſtabat conſilio, quòd aliæ civitates aſpernaturæ videbantur novos convenas, nullis opibus potentes, nullâ geſtâ re nobiles. Avo igitur autore, conſiliúmque approbante ſenatu, ex raptis virginibus conſtituit connubia & ſocietatem quærere, ità ut vim excuſaret neceſſitas. Rumorem igitur ſpargit *Romulus*, aram ſe ſub terris abditam dei cujuſdam *Conſi* (qui *Neptunus Equeſtris* habebatur) reperiſſe. Huic deo feſtum & ludos parat, varia virorum equorúmque certamina. Indici deinde finitimis ſpectaculum jubet, maximóque apparatu concelebrant. Multi mortales convenêre, maximè proximi quique, *Cæninenſes*, *Cruſtumini*, *Antemnates*, omníſque *Sabinorum* cum liberis & conjugibus multitudo. Extremo ludorum die, juventus *Romana*, ſigno dato, ad virgines rapiendas diſcurrit. Turbato per metum ludicro, mœſti parentes profugiunt, incuſantes violati hoſpitii jus, deúmque vindicem invocantes. Nec raptis aut ſpes de ſe melior, aut indignatio eſt minor; quas poſtridie *Romulus*, verborum lenitate, anxias conſolatus eſt, eáſque totidem viris in matrimonium dedit, unam *A.M.* 3259.

ſibi

ſibi *Herſiliam* accipiens: cujus tamen alii maritum fuiſſe tradunt *Hoſtilium*, virum inter *Romanos* primarium.

A.M. 3259.

Raptis fœminis in conjugium, earum viri profligantur tam armis quàm clementiâ.

Raptis jam fœminis apud *Romanos* admodum erant mitigati animi. At raptarum parentes tum maximè ſordidâ veſte, lacrymíſque & querelis, civitates concitabant: nec enim domi tantùm indignationes continebant, ſed congregabantur undique ad *Titum Tatium* regem *Sabinorum*, & legationes eò, quòd maximum *Tatii* nomen in his regionibus erat, conveniebant. *Cæninenſes Cruſtumini*que & *Antemnates* erant ad quos ejus injuriæ pars pertinebat. Lentè agere iis *Tatius Sabini*que viſi ſunt, agentibus illic de compoſitione legatis *Romuli*. Ipſi inter ſe tres populi communiter bellum parant. Nec *Cruſtumini* quidem atque *Antemnates* pro ardore iráque *Cæninenſium* ſatìs ſe impigre movent. Ità per ſeipſum nomen *Cæninum* in agrum *Romanum* impetum facit. Sed effusè vaſtantibus fit obvius cum exercitu *Romulus*, levíque certamine docet, vanam ſine viribus iram eſſe: exercitum fundit fugátque, fuſum perſequitur; urbem primo impetu capit; regem ipſum *Acronem* obtruncat ſuâ manu, armíſque ſpoliat. Captæ *Cæninæ* ademptis armis imperatíſque obſidibus, in *Antemnates* movet; quos palantes in agris oppreſſit, fugavit, urbémque cepit. Tum rediturus *Romam*, quercu prægrandi in formam tropæi excavatâ, *Acronis* arma ſuo ſingula ordine appendit & adaptavit. Ipſe veſtem præcinctus, comámque lauro coronatus, humero dextro tropæum portabat, triumphalémque *Pæana* præcinens incedebat, ſequente in armis exercitu, & excipientibus cum gaudio & admiratione civibus. Hæc ſanè pompa initium & exemplum triumphis poſterorum dedit. Nec enim curru & quadrigis invectus eſt *Romulus*, ut habet *Dionyſius*. Siquidem ferunt *Tarquinium Priſcum* è regibus primum eò ſplendoris atque faſtûs perduxiſſe triumphum. Alii *Poplicolam* aiunt primum poſt exactos reges curru triumphâſſe. Et *Romuli* ſtatuas omnes tropæum ferentis pedeſtres fuiſſe conſtat. Quare ſic arma gerens in *Capitolium* aſcendit; ibique ea cùm ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignavit templo *Jovis* fines, cognoménque addidit deo: *Jupiter Feretri*, inquit, *hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero; templúmque in regionibus quas modò animo metatus ſum dedico, ſedem opimis ſpoliis, quæ, regibus ducibúſque hoſtium cæſis, me autorem ſequentes poſteri ferent.* Hæc templi eſt origo quod primum omnium *Romæ* ſacratum eſt. His à *Romulo* peractis, mox deinde probato à patribus conſilio, precibus raptarum & lacrymis datum eſt, ut *Cænina* & *Antemna* coloniæ fierent. Cives quotquot voluerunt *Romam* commigravêre, neque vel agris multati vel pecuniis; quorum in tribus & curias aſcripti haud pauciores tribus millibus; ità ut tum primùm peditum *Romanorum* cenſerentur ſex millia. *Cruſtumini* jam aderant cum exercitu; quos acie victos, expugnatíſque mœnibus, etſi repugnatum eſt fortiter, eâdem conditione voluerunt eſſe *Romani* quâ *Cænina* & *Antemna*. *Cruſtuminum* colonia factum, pluréſque inventi qui propter ubertatem terræ in eam nomina darent: & *Romam* indè frequenter migratum eſt, à parentibus maximè ac propinquis raptarum. *Plutarchus Fidenates*, *Cruſtuminos Antemnatéſ*que viribus conjunctis præliatos victóſque ſcribit, urbes dirutas, agrum diviſum, ſuâ tantùm parentibus raptarum virginum relictâ parte. Percrebeſcente famâ de *Romuli* fortitudine in hoſtes, in victos clementia, multi viri fortes cum valida domeſticorum manu commigrârunt *Romam*, à quorum uno *Cælius* cognominatus eſt mons, unus è ſeptem quos *Roma* tandem complexa eſt. Quin & populi integri fidei committebant ſe regis *Romani*, exemplo à *Medullinis* orto, coloníáſque *Româ* deductas acceperunt. Hos urbis novæ ſucceſſus ægre tulerunt *Sabini*, rejicientes culpam alius in alium, quòd imperii *Romani* non obſtitiſſent principiis. Quippe auctis jam viribus negotium ſibi faceſſuros timebant, quorum ab initio facillimè nervos incîdere potuiſſent. Viſum igitur eſt, exercitu validiore præteritum errorem corrigere; móxque indicto *Curibus* (ea gentis erat caput urbs) concilio, communi ſuffragio bellum *Tatio* duce decernunt ineunte vere *Romanis* inferendum.

A.M. 3261.

Magna erat *Sabinorum* & bellicoſa gens. Habitabant in pagis ſine propugnaculis mœnium: convenire ſibi magnanimitatem & fortitudinem *Spartanam* opinantes, quos à *Spartanis* oriundos aliqui tradiderunt. Et magnos per hyemem apparatus in bellum fecerant. Itaque *Romulus* & ſibi præparandum ratus, foſſis mœnibúſque, & præſidiis opportunè collocatis, undique urbem communivit. Aderat cum auxiliis *Lucumo*, fortis vir ex *Hetruſca* urbe *Solonio*, nuper in urbem amicitiámque receptus à *Romulo*. A *Numitore* milites etiam & operarii machinarúmque opifices venerunt.

Nec

Nec deerat frumenti & armorum aliarúmque rerum neceſſariarum copia. Ità paratis utriſque ad bellum, primo vere *Sabinis* placuit, antequam prodirent, per legatos primò raptas fœminas repetere, raptoréſque depoſcere ad ſupplicium. Neutrum concedente *Romulo*, ſed exhortante *Sabinos* tantùm, ut conjunctionem factam, fruſtrà temereque jam diſſolvendam, approbarent, non ulteriùs differunt *Sabini*. Educuntur exercitus utrinque. *Sabinis* erant 25000 peditum, equites penè mille: *Romanis* 20000 peditum, octingenti equites; qui caſtra duobus in locis ante urbem munierant; altera pars in *Eſquilino* colle, ubi *Romulus*, altera in *Quirinali*, (nondum id nomen adepto,) ubi præerat *Hetruſcus Lucumo*. *Tatius*, cognito hoſtium apparatu, copias noctu excitas ſine agreſtium damno ducebat, & ante Solis ortum medio *Quirinalem* inter & *Capitolium* campo caſtra poſuit. Cúmque videret omnia teneri firmis hoſtium præſidiis, ſibi verò nullum tutum reliquum eſſe locum, hærebat inops conſilii, veritus fore, ut fruſtrà ibi tempus tereret. At ſolicito dubióque fortuna inopinata conſilii viam expedivit. Arci *Capitolinæ Spurius Tarpeius* præerat; qui, nocte quadam abſens, claves portarum penes filiam reliquerat. Ea venali fide *Sabinis* arcem prodidit, pacta mercedem, quicquid in ſiniſtis geſtarent; dubium an armillas annulóſque, ut ſe ditaret, an ſcuta, ut exarmaret hoſtes. Utrinque fœda fraus. Noctu igitur admiſſi *Sabini*, cuſtodibus per averſam portam elapſis, cùm armillæ annulíque peterentur, indignati mercedis magnitudinem, ſcutis quæ lævâ geſtabant oppreſſam obrutámque necaverunt. *Tarpeium* quoque patrem aliqui à *Romulo* proditionis condemnatum ferunt.

A.M. 3261.

§ 12. Octava jam celebranda erant *Olympia*, cùm inter *Piſæos Eleóſ*que, utri cederent ac præeſſent, convenire non potuit. *Piſæi*, quòd in agro ſuo ludi fierent, *Elei*, quòd eorum in ea regione opes maximæ haberentur, præfecturam ſibi vendicabant. Hinc *Piſæi*, cùm per ſe minùs valerent, *Phidonis Argivi* (quem *Pauſanias* (*Eliac.* 2.) impotentem vocat tyrannum, & *Græcis* omnibus inviſum,) auxilium imploraverunt. Et aderat ille ſuis copiis munitus; at ludorum præfecturam non tam *Piſæis* quàm ſibi arrogavit, ut ab *Hercule* inſtitutorum, verus ipſe per *Temenum* hæres, & decimus ab *Hercule*. Itaque & urbes quaſcunque *Hercules* ceperat, ille ut ſuas occupavit. Quare ad *Lacedæmonios* confugerunt *Elei*, quibus & gravia erant in *Phidonem* odia, quòd ipſis *Peloponneſi* principatum ademiſſet. Conjunctis ergò viribus *Phidonem* profligârunt; quo *Peloponneſi* denuo arbitrium *Spartani*, ludorum *Elei* recepêre. Tandem verò *Piſatidem* atque *Triphyliam* iiſdem auxiliis ſubnixi expugnârunt. (*Strabo* lib. 8.) Octavam igitur inter *Olympiadas Elei* non habuêre, aut inſeruerunt faſtis. (*Pauſ. Eliac.* 2.)

Olympiorum præfectura anſam bello præbet.

Hærebat adhuc *Arbaces Medus*, rebelliúmque gentium exercitus, ad muros *Nini*: quippe vel famem ſperabant, vel ſeditionem, aliámve aliquam ſibi bene gerendæ rei anſam fore. *Sardanapalus*, contrà, novum ex provinciis exercitum indies exſpectabat, quo à mœnibus abigeret perduelles. Interim accidit nova præter omnium opinionem res, quæ finem & bello & veteri *Aſſyriorum* imperio attulit. Erat *Ninivitis* vaticinium vetus, urbem capi non poſſe, niſi alluentem fluvium haberet adverſarium: quod anno belli tertio contigit: quippe *Lycus* flumen, qui, teſte *Strabone*, urbem interſecabat, continuis imbrium tempeſtatibus excreſcens, *Nini* partem inundavit, & ad 20 ſtadia dejecit muros, ut hoſtibus in urbem aditus pateret latiſſimus. Tum demum *Sardanapalus* animum deſpondit; útque in re deſperata, non de ſalute jam, ſed interitu honeſto, cogitavit, nè captus fortè ab hoſtibus ludibrio exponeretur tantus rex. Quare pyram in regia ingentem ſtruxit, in quam aurum & argentum omne, & quicquid erat regii veſtimenti, contulit. Tum concubinis & eunuchis in domunculam concluſis, quam in pyræ medio condiderat, ſe regiámque unà cum illis omnibus abſumpſit. Hæc ubi ad hoſtes emanârunt, per mœnium ruinas ingreſſi, urbémque ex confeſſo jam ſuam occupantes, regem ſalutârunt *Arbacem*. Is præclaro quidem, ſed arduo ſummíque diſcriminis facinore perpetrato, ſua periculorum ſociis, pro merito cujuſque, præmia cœpit diſtribuere, & partiri ducibus provincias. Aderat *Beleſis*, & promiſſi regem admonuit de *Babylonia*; ſimul addidit fraudulenter, votum ſe *Belo* nuncupâſſe in mediis rerum ambiguarum fluctibus, debellato *Sardanapalo*, regiâque incenſâ, è cineribus indè *Babylonem* tranſlatis, aggerem ſe prope templum *Beli* accumulaturum, qui navigantibus per *Euphratem* immortale foret ejus gloriæ monumentum, qui *Aſſyrium* evertiſſet imperium. Hoc autem à *Beleſi* eo conſilio petebatur, ut auro argentóque in cineribus regiæ domûs lique-

Arbaces imperium in *Mediam* transfert.

Beleſi fraudem condonat; imperiúmque clementiâ ſtabilit.

A.M. 3261.

liquefacto potiretur, de quo ab eunucho transfuga didicerat. Cujus rei *Arbaces* ignarus, & cineres auferendos facilè conceſſit, & *Babyloniam* ei tenendam ſine tributo. Eveſtigio theſauri vim tranſtulit *Babylonem*. At non diu latuit fraus; quâ cognitâ, in concilio ducum propoſuit *Arbaces*, & quid illi ſtatuerent ea de re interrogavit. Illi dolum malum & morte dignum cenſuerunt. Novus tamen rex, ut ex ducum ſeveritate clementiæ laudem quæreret, à nece pœnâque viri, aliàs de ſe optimè meriti, auſpicari noluit imperium, ſed & fraudem & aurum condonavit, neque minùs ei confirmavit *Babyloniam*. Quæ digna rege lenitas maximam ei peperit per omnes imperii provincias & benevolentiam & gloriam. Quin argenti & auri quod reliquum erat in cineribus, & fuiſſe plurimum ferunt, in *Ecbatana Mediæ* traduxit. *Ninivitis* nihil ademit rerum ſuarum. Quod autem *Diodorus* addit, (unde reliqua hauſimus,) populum in pagos ab *Arbace* diſtributum, deletam verò *Niniven*, multùm à vero diſcrepat. Nam poſt multos annos à *Cyaxare Medo* exciſam plerique tradunt: imò verò & poſtea obſeſſam à *Cyro*, *Amyntas* (apud *Athenæum*) docet. Alias inter ſocios provincias partitus *Arbaces*, ſuam ipſe *Mediam* liberam & ſui juris eſſe voluit: & qui ab eo deinde numerantur apud *Euſebium* uſque ad *Deïocem* reges, autoritate potiùs quàm imperio eam regebant. 1. *Arbaces*, ann. 28; 2. *Mandanes*, *Arbacis* filius, ann. 50; 3. *Soſarmus*, ann. 30; 4. *Artycas*, (qui apud *Euſebium Medidus* vocatur,) ann. 40; 5. *Arbianes*, ſive *Cardiceas*, ann. 23; quem ſecutus eſt, 6. *Arſæos*, qui & vocatur *Deioces*. *Babylone* verò *Beleſis* (qui apud *Eſaiam* Prophetam 39. 1. & 2 *Reg.* 20. 12. *Baladan* dictus videtur; & *Hipparcho*, *Ptolemæo*, *Cenſorino*, *Nabonaſar*, cujus Æra chronologica celebratur,) annis 14 regnavit. *Aſſyriam* atque *Ninum* obtinuit is qui à *Caſtore Rhodio*, veteri Chronologo, *Ninus* Minor, ſive Secundus, appellatur; (apud *Euſebium* in Chronic. *Græc.*) at in Sacris Literis (1 *Chron.* 5. 6, 26. 2 *Chron.* 28. 20.) *Tilgath-pilneſer*, & (2 *Reg.* 16. 7, 10.) *Tiglath-pileſer*: regnâſſe autem annis 19 dicitur.

Sardanapali tumuli & epitaphia.

Sed & *Sardanapalum* jam mortuum ut ſepeliamus par eſt: quamvìs *Clitarchus* (l. 4. de *Alexandro*) nè mortuum jam ſcribat, ſed regno quidem pulſum, alibi poſtea confectum ſenio obiiſſe. Vacabat ergò varios ſibi viventi tumulos & epitaphia ponere, ſi modò vera narrant Veteres. Illud maximè celebratur quod à *Cicerone* ex *Græco* ità vertitur:

> *Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido*
> *Hauſit; at illa jacent multa & præclara relicta.*

Quid aliud (inquit *Ariſtoteles*) in Bovis, non in Regis ſepulchro ſcriberes? Hæc habere ſe mortuum dicit, quæ nè vivus quidem diutiùs habebat quàm fruebatur. *Ariſtobulus* (apud *Athenæum* l. 12. & *Strabonem* l. 14.) haud procul ab *Anchiala*, urbe *Cilicum*, *Sardanapali* monumentum fuiſſe dicit, ubi ſculpta erat in lapide manus dextra, digitis velut ad plauſum elidendum compoſitis, literíſque *Aſſyriis* inſcriptum hoc, *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialen & Tarſum uno die condidit. Ede, bibe, lude. Reliquæ mortalium res nè hujus faciendæ ſunt*: hoc eſt, nè digitorum quidem crepitu dignæ. Plures verſus habet *Strabo*, quos & *Athenæi* l. 8. *Chryſippus* interpretatur.

> *Cùm te mortalem noſcas, præſentibus exple*
> *Deliciis animum; poſt mortem nulla voluptas.*
> *Jam cinis ipſe levis, Nini rex maximus olim,*
> *Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido*
> *Hauſit; at illa jacent multa & præclara relicta.*
> *Regula vivendi ſapiens mortalibus hæc ſit.*

Apud eundem *Athenæum* (lib. 12.) *Amyntas* altum fuiſſe aggerem ſcripſit in urbe *Nino*, *Sardanapali* (ut fama percrebuit) ſepulchrum; ubi literis *Chaldaïcis* in ſaxeis erat pilis exaratum, quod *Chœrilus* ità vertit: *Ego regnavi, & quamdiu lucem Solis intuitus ſum, bibi, comedi, Venerem exercui; quia noveram breve tempus eſſe quo vivunt mortales, idque multis permutationibus atque moleſtiis inquietum; at eorum bonorum quæ ſum relicturus fructus & delicias alios percepturos. Itaque nullo ceſſavi die quin id agerem.* Narrat *Herodotus*, (lib. 2.) (nè quid omittamus de *Sardanapalo*,) eum auri argentíque ditiſſimum fuiſſe, ſed theſauro maximo à furibus ſpoliatum. Cùm enim ingentem pecuniæ vim in cella ſubterranea, cautè ut ſibi videbatur, condidiſſet; vicini

cini fures ex ædibus propinquis per cuniculos etiam ſubterraneos eò (nemine ſentiente) penetrârunt, terrâ ſemper, ut per diem effoſſa erat, nocte in fluvium allabentem effusâ & diſſipatâ. Adeò nihil tam eſt munitum abditúmve vel clauſum, quod avaritiæ non pateat humanæ, perviúmque ſit. A.M. 3261.

In hunc annum *Olymp.* 8. primum contulimus *Aſſyriorum* cladem hanc, quia *Beleſis Babylonii* (quem *Nabonaſarem* fuiſſe opinamur) hoc anno cœpit imperium. Id ex eo colligit *Torniellus*, (A. M. 3306.) quia *Ptolemæus* teſtatur, (lib. 3. c. 8. *Almageſti*,) ab initio *Nabonaſaris* ad *Alexandri* Magni obitum annos 424 interfuiſſe, id eſt, 106 *Olympiadas*. Cùm autem *Alexander* deceſſerit anno 1. *Olympiadis* 114. ſupererunt 7 plenæ *Olymp.* ante regnum *Nabonaſaris*: octavâ igitur incipiente cœpit imperare, *Aſſyriúm*que deſiit ac diſſolutum eſt imperium.

Arce *Romanorum* à *Sabinis* captâ, ex caſtris jam propinquis multæ velitationes quotidianæque fiebant. Poſt tria demum cruenta prælia, infenſi hoſtium animi, fœdere raptarum mulierum (ut narrant *Livius*, *Dionyſ.* & *Plutarchus*) induſtriâ facto, in pacem & ſocietatem conjunctiſſimam coaluerunt: & *Romulus Tatiúſ*que, diviſo æqualiter imperio, non commune modò, ſed & concors regnum adminiſtrabant. A. M. 3263. *Romani & Sabini ex æquo imperant.*

§ 13. Apud *Judæos* regnante *Jothamo*, conſpiravêre *Peka Iſraëlitarum*, & *Damaſci Rezin* rex, ut viribus conjunctis *Hieroſolymas* invaderent, extinctâque *Davidis* proſapiâ, novum *Judæis* crearent regem filium *Tabealis*. (*Eſai.* 7. 6.) Sive hoc terrore victus & exanimatus, ſive aliâ quadam gravi causâ, fato certè *Jothamus* immaturo functus eſt, annis vitæ vixdum uno & quadraginta expletis. *Achazus* in ſolio ſucceſſit filius, viginti annorum juvenis, at peſſimâ indole, majorúmque ferè omnium diſſimilis. Ipſum enim *Jeroboamum* impietate ſuperavit; *Achabo* certè par, ſceleréque propior quàm nomine. Inprimis tamen experiri voluit Deus, an beneficiis conciliari poſſet, & ad frugem traduci bonam. Conjurationem regum vicinorum exhorreſcebant *Davidici* vehementer. Ad *Achazum* ergò miſſus à Deo eſt *Eſaias* Propheta, ut eum erigeret confirmarétque certâ ſpe, fore ut non efficerent quod deſtinârant inimici reges: ſed & ambos, intra duos tréſve annos, quibus eouſque ſolent adoleſcere infantes, ut bonum diſcernant à malo, perituros, regnáque relicturos alienis. (*Eſai.* cap. 7. & 8.) Cùm ergò veniſſent reges obſediſséntque *Hieroſolymas*, mox infectâ re diſcedere ſunt coacti. *Achazus* hoc defunctus periculo, tum demum prodit ingenium ſuum. Nec enim Excelſa modò religiosè coluit, ac montes arboréſque virentes, ſacra faciendo adolendóque thus; verùm & omnem *Jeroboami* religionem amplexus eſt, imò & *Baali* ſimulachra ſtatuit ænea, filióſque *Molochi* flammis tradidit. Ipſum itaque Deus, deſertum à ſe, caſtigandum hoſtibus vexandúmque dedit, qui ex omni parte irruerunt in *Judæam*. Sexdecim annos regnaviſſe dicitur. Regnante *Jothamo* cœpit, *Hezechiâ* deſiit prophetare *Micha Judæus*, qui excidium utrique regno minitatus eſt, nefariorum ſcelerum causâ idolorúmque. (*Mic.* 1. 1, 2, &c.) Idem de *Chriſto* prædixit, ipſum ubi erat in lucem proditurus locum, urbem ſcilicet *Judææ Bethleëmum*: (cap. 5. 2.) de regno *Chriſti* pariter & Eccleſia. (cap. 4.) A.M. 3264. *Pekâ & Rezine conſpirantibus, Jothamus moritur. Cujus filius Achazus, ipſo pejor Jeroboamo,*

Hoc tempore *Sibyllam Erythræam* vaticinatam fuiſſe tradit *Euſebius*: de qua ann. 2812. & 3395. A.M. 3265. 3266.

Damaſcenus Rezin quanquam *Hieroſolymas* expugnare non potuit, nè unitis quidem cum *Peka* viribus, averſo nondum à *Judæis* Deo; jam tamen *Achazi* populíque impietate abalienato *Jehovâ*, ſuis unius copiis ingentem ex *Judæa* prædam, ingentémque abegit captivorum multitudinem. *Elothum* quoque, ab *Azaria* captam, pulſis indè *Judæis*, habitandam *Syris* tradidit. Majora inferunt damna *Iſraëlitæ*, quibus, *Rezine* diſcedente, occurriſſe videtur cum exercitu *Achazus*, & ſigna contuliſſe. At victus millia centum & viginti fertur amiſiſſe lectiſſimorum militum, præter filium *Maaſiam*, & præfectum aulæ *Azrikamum*, virúmque principem ab ipſo ſecundum rege *Elkanam*, quos *Zichri Ephraïmita* fortiſſimus vir interemit. Captivorum præterea, unà cum ſpoliis maximis, ducenta in ſervitutem acta ſunt millia: res interdicta prorſus nè fieret *Moſaïcis* legibus, quæ nec inter arma jam ſiluerunt. Rapientibus enim *Samariam* tot ſervos militibus occurrit Propheta quidam *Odedus*, prohibuítque nè ſervos ex fratribus facerent. "*Offenſum* quidem *Deum* peccatis "*Judæorum* ſubigendos *Iſraëlitis tradidiſſe*, *quorum illi* maximam *edidiſſent ſtragem*: "at in ſervitutem abducendos non tradidiſſe. Meminiſſent ergò, *ſua & ipſis non* "*deeſſe peccata*, foréque ut ſuam illis vicem reponat Deus. Parcerent *ergò fratri-* *à Damaſcenis & Iſraëlitis miſerè profligatur:*

A.M. 3266.

“ *bus, ac remitterent captivos*, ut ſua illis peccata remittat Deus, parcántque victis “ futuri aliquando victores *Judæi*. Aderant Prophetæ viri quidam principes *Ephraïmiticæ* tribûs, qui vetuerunt pariter nè *Samariam* captivi deducerentur. “ Hunc e-“ nim magnum fore cumulum *ad augenda Iſraëlitarum peccata*, quæ jampridem max-“ ima *incenſum & infenſum* reddidiſſent *Deum*, non ergò novis temere irritandum. Horum principum gratiæ donati captivi unà cum ſpoliis, deſignatíque protinus qui ad ſuos *Hierichuntem* uſque reducerent, ex præda veſtitos priùs & benignè habitos lautéque. Sed *Achazi* tantâ impietate minor adhuc vindicta fuit: tantum eſt ſuo regno piaculum malus rex. Ex altera igitur parte *Idumæi* & *Palæſtini* *Judæam* infeſtabant. Incurſione factâ *Idumæi* ſpoliis onuſti maximis rediverunt. At *Palæſtini* non prædabundi advenerunt, ſed colonias in hoſtico poſituri novas; quemadmodum *Judæi* ante annos, opinor, quinquaginta poſuerant in *Palæſtina*. *Bethſhemeſhum* aliáſque urbes quinque unà cum villis occupârunt, quibus incolas dederunt novos, pepulerunt *Judæos*. Cùm odio ſe eſſe omnibus vicinis perſpiceret *Achazus*, erat ei quærendus è longinqua regione amicus aliquis, unde opem peteret. Ex pecunia ſacra theſauróque regio, à principibus etiam corradit quantum poteſt contrahítque donum, quo regis *Aſſyriorum* ſibi gratiam conciliet, ruentíque regno ſubſidium. At nec indè quicquam adjumenti lucratus eſt: (*Eſai.* 7. 20. 2 *Chron.* 28. 20, 21.) vexatus denudatúſque ab aliis, ab *Aſſyrio* ingentibus donis emit ſervitutem. Subditum ſe profeſſus, tributum ſolvit annuum. Suam *Aſſyrius* interim agit rem, ſuum auget imperium, *Achazi* præ ſe cauſam ferens. Hoc unum habuit *Achazus* peculiare, quòd tot cladibus & calamitatibus quodammodo contritus, neque reſipuerit, neque remiſerit quicquam de impietate, ſed evaſerit deterior potiùs, ipſo deterior *Achabo*, qui vel minis Dei territus pœnitentiam ſimulavit.

ab Idumæis etiam vexatus & Palæſtinis,

tandem ab Aſſyriis magno emit miſeriam;

——Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

& quò miſerior, eò fit pejor.

Phryx melior plagis. At nec melior tot plagis *Achazus*; nec malè patiendo prohiberi potuit homo dementiſſimus, quin malè facere pergeret impiéque. Præter alios, etiam *Damaſcenorum* (qui tanta illi damna dederant) coluit inanes deos, ut & ſibi opem ferrent, qui *Syris* contra ſe attuliſſent. Dei verò ſui vaſa omnia confregit, Templíque fores occluſit. In omnibus *Hieroſolymarum* angulis altaria poſuit, in urbibus *Judææ* omnibus Excelſa conſtituit, ubi ſacra populus quibuſvis alienis faceret diis. Ità *Jehovam* ſuis flagitiis homo furioſus magìs indies magíſque ad ſuum irritavit exitium. *Aſſyrius* ab *Achazo* muneribus, & obſequii fideíque pactione invitatus, cum ingenti exercitu *Syriam* invaſit, *Damaſcum* cepit, regem ſuſtulit, captivum populum in *Kirum* deportavit: quod prædixerant Prophetæ. (*Amoſ.* 1. 4, 5. & *Eſai.* 7. 16. & 8. 4. & 9. 11.) *Achazus* obviàm *Aſſyrio* profectus eſt uſque *Damaſcum*, ut victoriam ei gratularetur. Illic aram conſpicatus magnificam, ejus formulam ad *Uriam* ſacerdotem tranſmiſit, unà cum mandatis, ut ſimilem ſibi reverſo factam *Hieroſolymis* exhiberet. Tantíque fecit novum hoc altare, commentum ſuum, rex, ut in eo ſua populíque ſacra fieri voluerit; æneum verò *Solomonis* in alium tranſtulerit locum, nè ſuo Temploque interponeretur. *Damaſco* in *Iſraëlitidem* traductis copiis, *Tiglath-Pilneſer*, quoniam & *Peka* hoſtili more infeſtaverat *Achazum*, omnes *Tranſjordanos* tranſtulit captivos in *Halacham*, *Chaborem*, *Haram*, & ad fluvium *Gozanem*. (1 *Chron.* 5. 26.) *Galilæos* pariter, præcipuè *Naphtalidas*, (quotquot *Benhadadus* reliquos fecerat, 1 *Reg.* 15. 20.) abduxit in *Aſſyriam*. (2 *Reg.* 15. 29.)

Origo belli Meſſenici cum Spartanis ex avaritia, ſævitia, invidia mutua.

§ 14. *Antiochus* & *Androcles*, *Phintæ* regis filii, *Meſſeniis* jam imperabant, nonæ *Olymp.* anno ſecundo; *Lacedæmoniis* verò, *Alcamenes*, *Agidarum* nonus, anno ſui regni ultimo, *Telecli* filius, & *Theopompus*, *Eurypontidarum* decimus, anno vigeſimo nono; cùm ſimultas ea gravis quæ in animis populorum jamdiu exarſerat erupit in armorum flammas. Ea priores corripuêre *Spartani*, occaſionem hanc captantes, multas verò cauſas præ ſe ferentes odii bellíque. *Polychares Meſſenius*, palmâ *Olympiacâ* nobilitatus, boüm armentis abundabat; quibus alendis cùm ſua paſcua non ſufficerent, *Euæphni Spartani* mercede certâ paſcendas fidei credidit. *Euæphnus*, linguâ blandus, at callidè avarus fraude quavis facere quæſtum, ut primùm in *Laconiam* appulit, boves *Polycharis* unàque bubulcos mercatoribus venum dedit; ipſe quaſi nuncius inopinatæ rei ad *Polycharem* rediit, prædones vociferans in agros ſuos excurſione factâ boves abſtuliſſe. Cúmque jam penè homini probo & minimè ſuſpicaci feciſſet fidem, intervenit fortè unus è bubulcis, qui à mercatoribus aufugerat, omnémque

que hominis perfidiam prodidit. Quam cùm pernegare non poſſet, in humilitatem ſupplicis deſcendit, irámque deprecatus, pretium ſe integrum pollicitus eſt *Polychari* redditurum, modò filium ſibi comitem daret qui domum referret. Supplici data eſt venia, & juvenis comes. At homo nefarius ſcelere ſcelus, perfidiam in patrem cæde filii cumulavit. Immane hoc facinus graviſſimè tulit *Polychares*; *Spartam* venit; reges alióſque magiſtratus appellavit; de injuriis, de fraude, de cæde filii, vehementer, aſſiduè, multis cum lacrymis conquerebatur: at profecit nihil. Cauſa non defuit; patria obfuit. Animi odiis in ipſam gentem exulcerati, hominis *Meſſenii* querelas nihili facere, nullam vindictæ ſpem dare: donec inanium querelarum tædio, & barbarâ hominum iniquitate, mente quodammodo motus eſt, tantúmque furori ſuo indulſit, ut in quemcunque inciderat *Lacedæmonium*, pro hoſte interemerit; deinde domum proripuerit ſe. Miſſi à *Lacedæmoniis* protinus legati, qui hominem ad pœnas dedi ſibi poſtularent: quamvis non dedi malebant; nec tam hominis pœna, quàm cauſa belli quæſita eſt. Vocatâ concione à regibus, ad populum relata eſt res. Primò ſententiarum, mox & armorum pugna fuit. Ipſi diſſentiebant reges. *Androcles* dedendum cenſuit *Polycharem*; *Antiochus* iniquum fore dixit. Eò tandem contentio inter fratres exarſit, ut ad partes & arma ventum ſit: ſed *Antiocho* longè plures favebant. *Androcle* igitur (& earum partium optimo quoque) interempto, ejus flamma certaminis extincta eſt. Jam regnum *Antiochus* ſolus obtinens, *Spartanis* denunciavit, omnem velle ſe de cædibus controverſiam vel *Argivorum* judiciis, conſanguineorum utriſque, vel *Amphictyonum* aut *Areopagitarum* ſententiis ſubjicere. At nihil omnino reſpondentes *Lacedæmonii*, alias interim odiorum cauſas jactitabant; præcipuam verò, quòd regem ſuum *Teleclum* ante annos 36 interfeciſſent *Meſſenii*. Non niſi paucis poſt fratrem trucidatum menſibus *Antiochus* parricida ſuperfuit. Filius ei ſucceſſit in imperio *Euphaës*, qui ab initio non ſatìs cautè ac prudenter pro tantis odiis publicam geſſiſſe rem videtur. Callidè *Spartani* nullas palàm iras profiteri, clandeſtinis tamen conſiliis apparare bellum; imò & conjurationem inire teſtibus diis, nullâ ſe cladium magnitudine fractos, nullâ fatigatos morarum diuturnitate huic bello renunciaturos, donec omnem *Meſſeniam* ſuæ ditionis feciſſent. Jurati noctu eduxerunt copias, *Alcamene* duce, cujus patrem occiderant *Meſſenii*. Erat in ipſis *Meſſeniorum* limitibus *Amphéa* urbs, in colle ſita, loco arduo & opportuno: eam *Lacedæmonii* ſecura peragentem otia oppreſſerunt, ſuorum deinde coloniis atque præſidiis firmantes, longè latéque deprædabantur. His auditis, populus ex omnibus undique civitatibus ad urbem regiam attonitus convolavit. Concione igitur advocatâ, rex populi animos, quantum poterat, dicendo excitavit; omni deinde ſtudio in bellum incubuit: útque paria paribus redderet, maritima *Laconiæ* omnéſque circa *Taygetum* agros *Meſſenii* populati ſunt. Tentârunt *Lacedæmonii* & urbes alias, ſed, præſidiis jam & propugnaculis munitas, conatu irrito. Hæc primi erant in hoc bello quadrienii geſta omnia.

A.M. 3266.

Spartanorum confœderatio non vulgaris.

Cameria in *Latio* erat urbs propinqua *Romæ*, *Albanorum* colonia, & priſcis temporibus *Aboriginum* cum primis nobile domicilium. Eam, quòd *Camerini* agrum *Romanum* infeſtabant, ambo *Romanorum* reges communibus auſpiciis cepêre, & cives armis agríque parte tertiâ multârunt. Cùm denuo incurſarent, denuo profligati ſunt, bonáque omnia prædæ militibus data: civium prope 4000 in curias diſtributa *Romæ*: ac deinde *Cameria* colonia *Romanorum* facta eſt. (*Dionyſ* 2.)

Cameria bis à Romanis ſubjugata.

Poſt annum belli *Meſſenici* primum, *Alcamenes*, *Amphéâ* captâ ultus quodammodo paternam necem, fato functus eſt. Filius regnum adiit *Polydorus*, *Agidarum* decimus, tenuítque annos 34. Regnante *Alcamene*, *Helos* oppidum maritimum, quod hactenus *Achæi* tenuerant, expugnatum eſt à *Lacedæmoniis*; & *Argivi*, qui *Helotis* auxilia tulerant, prælio ſuperati.

A.M. 3267.

Helos oppidum à Spartanis expugnatum.

§ 15. Populi plerumque in principes —— *cum fortuna ſtátque cadítque fides.* Quamdiu proſperè ſuccedunt omnia, libere libentérque ſua regibus obſequia multitudo præſtat: ſin adverſi quid acciderit, quibus Deum putat minùs propitium, minùs obſequentem & ſe populus præbet. Dum inoffenſæ fuerunt, proſperæque adverſum *Judæos Pekæ Iſraëlitæ* res, excelsè floruit: at contra infeſtantem *Aſſyrium* ubi ſua tueri non potuit, in contemptum illico & odium ruit, poſitíſque inſidiis ab *Hoſhea Elæ* filio trucidatus eſt; eodémque ſcelere quo aſſumpſerat imperium, amiſit. *Hoſhea* enim ſceptrum arripuit, quaſi meritus ut ſuccederet ei, quem jugulârat. At *Iſraëlitarum* ità fuerunt perturbatæ res, ut à *Pekæ* obitu non niſi poſt annos novem

Pekâ occiſo, Hoſhea regnat apud Iſraëlitas.

geſſiſſe

A.M. 3267.

geſſiſſe videatur quod arripuerat. Nam *Achazi* quarto (id enim eſt anno viceſimo ex quo *Jothamus* regnare cœpit, 2 *Reg.* 15. 30.) interemptus eſt *Peka*: at 2 *Reg.* 17. 1. non niſi duodecimo *Achazi Hoſhea* dicitur ſuum inivisſe regnum in *Iſraëlitas*, & annos tenuiſſe novem.

3268.

Leo rex Lydiæ muros facit inexpugnabiles.

§ 16. *Meles* viceſimus primus apud *Lydos* rex annis imperavit 12. Scribit *Herodotus*, (lib. 1.) ei genitum ex pellice *Leonem* fuiſſe: de quo *Telmeſſes* augurati ſunt, urbem *Sardium* inexpugnabilem fore, quâcunque is murorum parte circumduceretur *Leo*. Per mœnia igitur circumlatus eſt ab omni parte, præter unum arcis clivum tam arduum & præruptum, ut nullam ab incantamentis deſiderare opem videretur. Ab ea tandem parte *Cyrus Perſa* & arcem & urbem cepiſſe dicitur.

Tatius rex à Laviniensibus interficitur.

Quintum jam annum *Romæ* regnabat *Tatius*, cùm aliquos ejus familiares atque cognatos, agri *Lavinienſis* prædones, & legatorum deinde interfectores, invito *Romulo*, tuliſſet impunè. Poſt moram temporis exiguam ad ſolenne ſacrum *Lavinium* proficiſcens, concurſu plebis facto oppreſſus atque interfectus eſt: corpus *Romæ* ſepultum honorificè.

A. M. 3270.

A Meſſeniis Spartaniſque æquo Marte pugnatur.

Euphaës Meſſeniorum rex nihil ſibi jam deeſſe vel obſtare ratus eſt, quin belli fortunam aliquatenus experiretur, neque tamen rei ſummam in diſcrimen vocaret. In caſtra igitur milites jam bene inſtructos eduxit; quibus *Lacedæmonii* moverunt obviàm, prohibituri nè in *Laconiam* penetraret exercitus, unâque victoriâ (ſi fieri poſſet) profligaturi bellum. In *Meſſeniorum* finibus erat campus ad ſigna conferenda idoneus, quem alveus admodum profundus interſecabat. Hîc aciem ſuam inſtruxit *Euphaës*. Equites & armatura levis, quæ numero & virtute propè par utrinque, ſupra alveum inierunt prælium; ubi anceps diu certamen, quod nox tandem diremit. Aliis interim pugnantibus, ipſe rex ſervorum operâ vallum jaciebat. Non putabat, credo, exercitum novum, acie primâ, contra hoſtes veteranos dubiæ Martis aleæ objiciendum. Primâ luce cùm *Lacedæmonii Meſſeniorum* conſilia animadverterent, neque cogi ad prælium exuíve caſtris, neque ab imparatis obſideri poſſe, nè fruſtrà illic tempus tererent, in patriam reverterunt.

A M. 3271.

Inter utroſque induciæ fiunt.

Sextus jam annus agebatur belli *Meſſenici*, nec à *Lacedæmoniis* quicquam eſt geſtum hactenus tanto dignum hiatu minarum odiorúmque. Juventuti ergò militari ſeniores ignaviam & jurisjurandi neglectam religionem tam graviter exprobrabant, ut alteram in *Meſſenios* expeditionem ſuſceperint. Ambo reges educunt exercitum: occurrunt in finibus *Meſſenii*, nec jam ampliùs prælium detrectant. Ubi claſſica cecinerunt, majore impetu irruerunt *Meſſenii*, ordine ſtabiliore incedebant *Lacedæmonii*: hi peritiâ militari & numero ſuperabant; illi odio, & deſperatione ſi vincerentur, quæ pepererat mortis contemptum. Adeò ſummis utrinque viribus odiiſque, at æquo ferè Marte, dimicatum eſt. Poſtero die, cùm neutri vel in aciem prodirent, vel tropæum ſtatuerent, induciæ tandem per caduceatores factæ ſunt ad ſepelienda mortuorum cadavera. Ità domum utrinque diſceſſum eſt. Ex eo inclinare cœperunt *Meſſeniorum* res, multis calamitatibus afflictæ. Primò, belli nervus pecunia deficere, quam in præſidiis urbium immodicis exhauſerant: deinde, ad hoſtes profugere ſervitia: denique, morbus quidam peſtilens ſævire quibuſdam in locis & perturbare omnia.

A.M. 3272.

Meſſenii ut vincant, jubentur ab oraculo virginem regiam immolare diis inferis.

Beleſi mortuo *Nadius Babylone* regnum tenuit ann. 2.

Cùm vires *Meſſeniis* indies decreſcerent, de ſumma rerum conſultantibus viſum eſt, oppida quæ in regni erant meditullio deſerere, cùm præſidia quibus propugnarentur non ſuppeterent; in *Ithomen* verò montem conſcendere, illic urbem adhuc modicam laxiorem facere. Cùm in hoc ſublimi monte aditúque difficillimo ſe muniviſſent, *Tiſin* quendam vatem *Delphos* miſêre, qui de belli exitu conſuleret. Redeuntem ex inſidiis adorti ſunt ab *Amphéa* præſidiarii. Repugnantem acerrimè, multíſque ſaucium vulneribus, non antè dimiſerunt, quàm audita eſſet de cœlo vox, ut oraculi nuncium dimitterent. Ità rediit quidem, & reſponſum oraculi expoſuit; mox tamen ex vulneribus obiit. Oraculum verò, quâ ſolet crudelitate, virginem jubet ſorte ductam, ex regio *Æpytidarum* genere, diis inferis immolari. Jactæ igitur ſortes de victima: *Lyciſci* filia ducta eſt. At eam repudiavit *Epebolus* vates, quòd ſuppoſititia crederetur. Qua de re dum apud populum ageretur, *Lyciſcus* clàm unà cum filia *Spartam* profugit. Id verò ubi vulgatum eſt, hominúmque animos vehementer commoviſſet, *Ariſtodemus*, ex *Æpytidarum* gente clarus vir, ſuam ultro filiam obtulit. At aderat qui puellam amabat, & propediem erat ducturus uxorem. Is

jure

Jure ſponſi vendicabat ſibi, nec eſſe jam in patris poteſtate. At cùm hâc ratione parùm proficeret, vitiatam à ſe virginem & gravidam eſſe commentus eſt. Quo mendacio *Ariſtodemus* eò furoris actus eſt, ut filiam protinus interfecerit, uteróque aperto non eſſe prægnantem demonſtrârit. Quâ cæde *Euphaës* (quamvìs ſacrificulus aliam victimam poſtulaverit) ex oraculo litatum affirmavit. Sacris deinde & ludis dediderunt ſe, quaſi jam certi de victoria.

A.M. 3272.

Cùm *Romulus*, injuriis provocatus, *Fidenates* profligâſſet, urbem eorum, magnam & propinquam, fecit coloniam *Romanorum*.

Poſt *Thurimam Perdiccas Macedonum* tenuit imperium annis 51.

Babylone, poſt *Nadium*, *Chinſirus* & *Porus* regnavêre quinquennio.

A.M. 3273. 3274.

Ultra *Tiberim* extráque *Latium Hetruſci*, magna validáque gens, ad mare *Tyrrhenum* obtinebant omnia. *Hetruſcorum* potentiſſimi *Veientes*, qui, vicinas *Romanorum* opes nimis convaleſcere rati, tanquam *Fidenatium* vindices, ad *Fidenas* exercitum ducunt, ubi commiſſum eſt cum *Romanis* prælium, & ad noctem uſque pugnatum acriter; ſed incerta victoria. Paucos morati dies iterum ſunt congreſſi. *Romulus* equites peditéſque recèns ab urbe ſubmiſſos, in monte, hoſtium caſtris propinquo, noctu in inſidiis collocavit. Hi cùm ſpectâſſent aliquandiu æquam in plano pugnam, ſigno dato, *Veientium* terga invadunt; integri propè feſſos haud magnâ operâ fundunt, & in fugam agunt. *Veientes*, ut hanc ignominiam redimant, redintegrato exercitu domeſticis auxiliaribúſque ſociarum urbium copiis, iterum *Romanis* bellum inferunt: iterum apud *Fidenas*, capto etiam duce, profligati ſunt. Amicitia demum, impetrantibus legatis, in centum annos pacta eſt.

Veientes, bis victi à *Romanis*, pacem paciſcuntur in centum annos.

A.M. 3275.

§ 17. *Aſſyriis* jam *Salmanaſer* imperabat, vel à patre miſſus exercitui præerat. Quippe *Ninus* Minor, ſive *Tiglath-Pileſer*, nondum abſolvit annos regni 19, quos *Caſtor* ei tribuit. Is, ut perficeret *Tiglath-Pileſeris* victoriam, in *Iſraëlitidem* magnis cum copiis deſcendit. *Hoſhea*, ut ejus patrocinio ſuum confirmaret malè partum imperium, ſe regnúmque ſuum dedidit, fidem pactus tributariam, & muneribus, ut potuit, domino novo gratificatus.

Salmanaſer Iſraëlitidem recipit in deditionem.

A.M. 3278.

§ 18. Jurisjurandi memores *Lacedæmonii*, cùm perlitâſſent ſuis diis, iterum in *Meſſeniam* exercitum produxerunt, ipſum caput regni *Ithomen* appetituri. *Meſſenii* quoque, freti oraculo, non exſpectatis ſociorum auxiliis, quæ propediem erant adfutura, in aciem ſoli prodiverunt. Apertè illis favebant *Arcades*, *Argivi* clàm, quibus erant ſuſpecti *Lacedæmoniorum* conatus, nè ſubactâ *Meſſeniâ* ſuum augerent imperium, jampridem vicinis formidabiles. Prælium commiſſum eſt æquis penè viribus damníſque ad noctem uſque. In medio agmine acerrimum certamen, eóque fortiſſimi quique ſe contulerunt. *Euphaës* enim paulò audaciùs in *Theopompi* cohortem invectus, multis vulneribus humi ſtratus penè exanimis jacebat: cúmque corpus rapturi eſſent *Lacedæmonii*, exarsêre in pugnam vehementer *Meſſeniorum* animi, ſuámque omnes vitam potiùs profundere malebant, quàm ignominiam amiſſi pariter cum vita corporis regii ſuſtinere. Hîc *Terpander* cecidit egregius dux. Corpus igitur magnâ vi aſſertum eſt, & relatum in caſtra. Poſt paucos dies exſpiravit, cùm regnâſſet annos 13. Sed gratum vel morienti fuit, ſuos haud inferiores ex prælio diſceſſiſſe. Sine liberis decedens, arbitrium regni populo permiſit: de quo *Cleomis* atque *Damis* cum *Ariſtodemo* contendere, quòd meritis rebúſque geſtis præſtare ſe crederent. Et vates adverſari *Epebolus* & *Ophioneüs*, nè homini cæde filiæ polluto regnum committeretur. At ea ipſa cædes populo eum commendabat, & propter eam aliis omnibus prælatus eſt. Regnum igitur adeptus, voluntates omnium & ſtudia ſibi conciliare ſummâ operâ conatus eſt, populi ſimul ipſe optimatúmque ſtudioſiſſimus. *Cleomin* atque *Damin* inprimis demereri omnibus officiis, & honoribus quibuſvis ornare. Socios quoque ſtudiosè coluit; & primores *Arcadum*, *Sicyoniorum*, *Argivorúm*que, per legatos muneribus donavit. Ità, quantum humanâ prudentiâ fieri potuit, ſuis optimè rebus conſuluit. Aliud tamen hoſtile nihil per annos quatuor geſtum eſt, niſi ut agros utrinque prædabundi excurſionibus, maximè ſub ipſa meſſis tempora, depopularentur.

Meſſenici belli continuatio.

Propter filiæ ſuæ cædem, rex creatur *Ariſtodemus*.

[a] *A.M.* 3280.

Jugæus, ſive *Ilulæus*, poſt *Chinſirum* & *Porum*, annis quinque *Babyloniis* imperat.

[a] § 19. Poſt annos regni 16. vitæ 36. & regnum & vitam exuit *Achazus* ille *Judæorum* impius rex, *Hieroſolymis* quidem in urbe *Davidis*, non & in regum ſepulchris, conditus. Breve quidem hoc vivendi ſpatium erat homini; at homini tam

Achazo regi peſſimo filius optimus ſuccedit *Hezechias*, & vel ipſi *Davidi* par.

tam ſcelerato longum nimis. Ejus idololatriam quodammodo compenſavit eximiâ
A.M. 3280. ſuâ pietate *Hezechias*, multùm paterni diſſimilis ingenii; nam peſſimo ſucceſſit patri optimus filius, & annos 29 in *Judæa* dominatus eſt, unicus regum hactenus *Davidi* par. Cùm regnum iniret, annum ætatis 25. attigerat, patris undecimo genitus; quod fieri poteſt. Salacior *Achazus* quàm vivacior, eò citiùs deſiit vivere, quò cœpit generare. Ille primo ſui regni anno menſéque fores Templi aperuit, clauſas à patre, læſáſque reparavit. Ille ſacerdotes *Levitáſ*que in plateam urbis orientalem coëgit undique, & ad Templum ritè purgandum, ſéque ipſos unà cum Templo, plurimis verbis cohortatus eſt. "*Patres* quidem *ſuos* aiebat *peſſimè ſe* coram *Je*-"*hova geſſiſſe*, *derelinquendo* Templum *Domini*, ac ſibimet Excelſa in ſingulis urbi-"bus, ſibimet aras in ſingulis *Hieroſolymarum* angulis ſtatuendo novas. *Imò fores* "*occluſiſſe* domûs Dei, *extinxiſſe* ſacras *lampadas*, *&* odoriferum *thus*, *holocauſta* pro-"hibuiſſe quotidiana. *Exarſiſſe igitur* vehementer *Deum*, *&* populum *tradidiſſe cla*-"*dibus* graviſſimis conterendum: *patres* quidem ipſos hoſtium *armis trucidandos*; "*filios verò ſuos natáſque*, *& conjuges* dilectas, in ſervitutem *captivas* miſerrimam ab-"ducendas. *Statuiſſe* igitur *ſe*, *renovato fœdere*, *Jehovæ* populum, populóque offen-"ſum *Jehovam* conciliare, *flagrantém*que *avertere iracundiam Dei.* Viderent ergò "*Levitæ* ſacerdotéſque, (quos amore blandiente *ſuos filios* appellavit,) iterum atque "iterum monuit, *nè* tantam rem, támque neceſſariam ad placandum cœleſte Numen, "de ſacra Æde repurganda, ſanctificandóque ſe, ullo modo *negligerent. Eos enim* "*ſibi* quaſi familiares *ſervos elegiſſe Deum*, *qui* in domo ſua *miniſtrarent*, *ſacráque* "*ſibi facerent.* Hæc ubi audiviſſent, obſecuti mandato regis, ſanctificârunt ſe *Levitæ* ſacerdotéſque; & hi ex Templo ſordes ejecerunt in atrium, indè in *Kidronem* fluvium abjecerunt *Levitæ*.

Templum purgat, Religionem cultúmque reſtituit Divinam.

A.M. 3281. Primo die menſis primi cœpta hæc ſacra mundities fieri; octavo Templi perfecta eſt, reliquorum omnium decimo ſexto. Altaria, menſæ, inſtrumenta vaſáque omnia non purgata modò, ſed & inſtaurata ſunt, quæ confregerat *Achazus*. Septimo decimóque die, manè primo, civium principibus convocatis, rex in Templum aſcendit, ubi holocauſta & piaculare ſacrum obtulit, regni totius gratiâ Templíque, ſeptem juvencos, totidem arietes, agnóſque, totidem piaculares hircos; quorum cæſorum ſanguis ſuper Altare ſparſus eſt à ſacerdotibus. At hircis ipſe rex atque principes, quaſi ſuâ populíque vice mactandis, ſuas manus impoſuerunt. Holocauſtis ardentibus, ſacerdotes tubis canebant, muſicis inſtrumentis *Levitæ*, quo more conſtituerat *David*. Combuſtis, incurvabant ſe rex populúſque, ac Deum venerati ſunt. Sed & gratias cantare Deo verbis *Davidicis* imperabat *Levitis* rex. Sacra deinde euchariſtica oblata ſunt, & holocauſta populi. Qui enim valebant volebántque, 70 juvencis, 100 arietibus, 200 agnis in holocauſta traditis, Deo gratificati ſunt. Ad Euchariſtica verò ſacrificia, 600 boves, oves autem 3000 datæ ſunt. Cúmque ſacerdotes tot victimis mactandis non ſufficerent, operam ſociam contulerunt *Levitæ*. Studioſiùs enim *Levitæ* ac promptiùs ad obeunda ſacra comparaverant conſecrârantque ſe, quàm ſacerdotes. Ità ſacra in Templo Dei officia conſtituta ſunt, gaviſúſque vehementer eſt pius rex tantâ populi promptitudine & alacritate, quam à Deo eſſe animis hominum ſuggeſtam minimè dubitavit: ſubitò enim & inopinatò geſta ſunt hæc. Etiam Deo Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, dona quò promptiùs properantiúſque data, eò gratiora ſunt. Atque hic erat *Hezechiæ* apparatus ad cultum Dei. Pari feſtinatione & alacritate ipſa Religionis myſteria tractavit. Inito cum primoribus *Hieroſolymitanæ* urbis totâque multitudine conſilio, conſtitutum eſt ut Paſcha celebraretur, ídque ſecundo menſe; quoniam primo neque ſacerdotes ad peragenda ſacra ſatis erant parati purgatíque, neque monitione factâ populus aderat ex *Judæa*. Placuit etiam *Iſraëlitas* ad ſacrum hoc vocare convivium, literis à rege & principibus ſcriptis, & per equites veredarios miſſis in hanc ſententiam. "*Revertimini*, *re*-"*vertimini ad Abrahami*, *Iſaaci & Iſraëlis Deum*, *Iſraëlitæ* fratres, *ut ille revertatur ad* "*vos*, *quotquot ex manibus Aſſyriorum evaſiſtis. Nolite vos patrum veſtrorum*, fœdíſ-"*que fratrum veſtigiis inhærere*, *quos propter impietatem ad exitium damnavit Deus.* "*Nolite animos obfirmare majorum* pravo *more*; *ſed dedite Deo vos*, *ejus adite ſanctua*-"*rium*, *& celebrate cultum*, *ut iracundiam ejus*, *quæ* in multos veſtrûm *deſæviit* jam-"pridem, *avertatis. Quòd ſi enim* reſipiſcatis *vos redeatíſ*que *ad Jehovam*, næ ille ve-"ſtrî efficiet gratiâ, ut *fratres filiíque veſtri benignos habeant* dominos *captivi*, *& re*-"*deant* aliquando *in* ſuam dimiſſi *patriam*. Summâ *enim clementiâ eſt miſericordiâ*-

Ejus epiſtola per curſores ad *Iſraëlitas* exhortativa.

"*que*

" *que Deus, nec redeuntes* unquam *averſabitur vos* ac rejiciet mitiſſimus Pater. Hæc à rege principibúſque oppidatim curſores *Ephraïmitis Manaſſidíſ*que *Zabulonem* uſque cùm tradidiſſent, à pleriſque irriſi & ludibrio habiti ſunt. Nonnulli tamen tum ex his tribubus, tum ex *Aſere* præſertim, vocantem ſecuti ſunt Deum *Hieroſolymas*; ubi cum reliquis è regno *Judaïco* (quos unanimes eò coëgerat Deus) feſtum Azymorum frequentiſſimo conventu celebrârunt. Aras verò inprimis, quas paſſim *Achazus Hieroſolymis* conſtruxerat, demoliti ſunt, & abjecerunt in *Kidronem*. Cúmque multi adeſſent ex *Iſraëlitis* immundi, quibus tractare ſacra non licebat; eorum agnos mactaverunt *Levitæ*, ſparsêre ſanguinem ſacerdotes: rex autem Deum comprecatus eſt, ut "*eorum miſereretur qui corde* integro atque ſincero ejus adeſſent ſacris, "*etſi minimè purgati* adeſſent legali more. Exaudivit precantem Deus. Septem huic feſto ex Lege attributi ſunt dies, maximóque populus gaudio triumphabat; *Levitis* atque ſacerdotibus laudantibus interea Deum tubis muſicíſque inſtrumentis quotidie. Laudabat etiam *Levitas* ipſe rex, verbíſque honorificis erigebat & incitabat ad muſicam Divinam. Sed pauciores erant 7 dies, quàm ut tantæ alacritati gaudióque hominum ſufficerent. Totidem conſultò additi ſunt: populóque ad convivia mille juvenci à rege dati, totidem à principibus; ovium ſeptem à rege millia, à principibus decem: quas ad cædendas victimas, plures conſecrati ſunt ſacerdotes. Summâ ergò lætitiâ perfuſi omnes tum *Judæi* ſunt, tum *Iſraëlitæ*, tum peregrini qui utriſque permiſti habitabant. Nullum *Hieroſolymæ* tam celebrem conventum poſt tempora *Solomonis* peregerant. Legitimâ Religione jam tandem longum poſt intervallum reſtitutâ, denique ſolenni more (*Num.* 6. 23, &c.) ſacerdotes benedictionem Divinam pronunciârunt populo, dimiſerúntque. A.M. 3281.

Sacra cùm peregiſſent, aliud ſacrum ſuſceperunt opus *Iſraëlitæ* qui aderant: per omnem *Judæam* Excelſa & aras diruerunt, confregerunt ſtatuas, & ſucciderunt lucos; necnon per omnem *Benjaminiticam*, *Ephraïmiticam*, partémque reliquam *Manaſſidarum*. Quo patrato facinore, domum ſe ſinguli contulerunt. *Hezechias* autem ipſe, cùm æneum ſerpentem confregiſſet, quem adhuc ſuſpiciebant, thuréque incenſo colebant *Judæi*, ſacerdotum *Levitarúm*que vices conſtituit, & victimas ad holocauſta quotidiana feſtorúmque omnium de ſuo peculio largitus eſt. Utque neceſſaria ſacerdotibus atque *Levitis* abunde ſuppeterent, quò rebus Divinis liberiùs vacarent, de ſolvendis Decimis atque Primitiis rex edictum promulgavit *Hieroſolymis*. De quo *Iſraëlitæ* pii cùm accepiſſent, liberrimè contulerunt primitias decimáſque de frumento, vino, melle oleóque, & omnibus agrorum fructibus; *Judæi* verò, & qui apud eos degebant ex *Iſraëlitis* inquilini, de bobus etiam ovibúſque: necnon ex votis debita ſoluta ſunt, multáque libere donata: quæ omnia in acervos cumulârunt, tertio menſe incipientes, deſinentes ſeptimo. Ubi rex procerêſque ingentes rerum accumulatarum acervos conſpexerunt, laudavêre inprimis Deum, populóque bene precati ſunt, quem ad tantam munificentiam Deus excitârat. Collato deinde cum *Azaria* Pontifice aliíſque ſacerdotibus conſilio, certa deſignata ſunt loca quibus eæ res conſervarentur, & *Levitæ* qui cuſtodirent, ac diſtribuerent, tam iis qui miniſtrabant in Templo, quàm qui in ſuis urbibus degebant. Hæc pius *Hezechias* rex, quæque alia fecit ad inſtaurandum cultum Dei, ſive Legem ſpectabant moralem, ſive ceremonias, animo fecit integro planéque bono: unde proſpera illi benedicente Deo ſuccedebant omnia. *Palæſtinos* ad *Gazam* uſque domuit atque ſubegit. Obſtructo *Gihonis* ſive *Siloës* ſuperiore fonte, aquam per canales ſubterraneos, vallémque *Jehoſaphati*, rupibus ferro excavatis, (ut habet *Brochardus*,) in urbem *Davidis* derivavit ab Occidente; ubi & aquæductum condidit, ut obſidione, ſi contingeret, diuturnâ civibus aqua ſuppeteret.

§ 20. Rege *Lydorum Melete* mortuo, *Candaules Myrſi* filius regnavit annis 17, viceſimus ſecundus *Sardium* rex, & ex ſtirpe *Herculis* poſtremus.

Theopompo & *Polydoro Spartæ* regnantibus, magiſtratus ibi novus ex populo (populo, ut credibile eſt, flagitante, aut ſenatu reges provocante,) inſtitutus eſt. *Ephori* vocabantur, *Inſpectores Latinè* diceres; numero quinque: annuo ſpatio definiebatur imperium. Pari ferè autoritate quâ Tribuni plebis *Romæ*, libertatem populi ſartam tectam conſervabant; & his alios omnes magiſtratus vel in carcerem compingere, vel officio abdicare, vel in judicium vocare de vita, aut fas, aut certè mos fuit. Eodem quo reges honore colebantur, & ab horum uno in faſtis anni ſignabantur, ut à Conſulibus *Romæ*. *Cleomenes* apud *Plutarchum*, ut ſuam contra Ephoros A.M. 3282. Ephori apud *Spartanos* inſtituuntur;

A.M. 3282. ros cauſam redderet æquiorem, ideo primùm dixit Ephoros inſtitutos, ut eſſent regum abſentium in bello (*Meſſenicum* eo tempore gerebatur) vicarii. Sed aliquid amplius innuere videtur *Theopompi* (de quo mox dicam) apophthegma. *Palladis Chalcidicæ* ſacra peragebant Ephori. Aliquando in *Paſiphaës* fano (quod erat in agro prope urbem) captabant ſomnia, & nonnunquam obſervabant de cœlo, in regibus præcipuè inaugurandis. Diſciplinæ juventutis præerant, & ærario. De controverſiis quibuſdam civilibus judicabant: habuerunt ſuum in foro prætorium & ſellas. Denique, maximas quaſque res adminiſtrabant in republ. domi: foris, bella præcipuè, reges. Tandem Ephori propter inſolentiam à *Cleomene* rege ſublati ſunt. *Theopompus*, inſtitutis Ephoris, cùm ei uxor exprobraret, quòd minorem poteſtatem filiis relinqueret quàm à majoribus accepiſſet, *Imò*, inquit, *eò majorem, quò firmiorem atque diuturniorem. Ea enim demum tuta eſt potentia, quæ viribus ſuis modum imponit.* *Theopompus* ergò legitimis regnum vinculis conſtringendo, quò longiùs à licentia retraxit, hòc propiùs ad benevolentiam civium admovit; cavítque prudenter, invidiâ remotâ pariter cum nimia potentia, nè id ſibi timendum eſſet, quod *Meſſeniorum Argivorúm*que regibus cognatis accidit, ut à ſubditis regno exuerentur, cùm de potentia ſua nihil concedere, eámve ad popularem rationem inflectere dignarentur. A *Theopompo* etiam *Polydoró*que regibus, Rhetræ *Apollinis*, quam *Lycurgus* tradidit, fuiſſe additum ferunt, quaſi ab ipſo profectum oraculo, ut, ſi populus addendo detrahendóve perverteret ſuffragia, & legum ſententiam depravaret, regibus & ſenatui liceret diſceſſionem facere, concionémque ſolvere, nè ratum fieret quod pravè ſtatuerat plebs.

volente id maximè ipſo rege Theopompo.

A.M. 3283. Hâc ætate *Sabacon Æthiops Ægyptum* ſubegiſſe, *Bocchorin* cepiſſe vivum, concremandúmque ignibus tradidiſſe, dicitur; annos tantùm regnaviſſe octo, Dynaſtiæ 25. apud *Ægyptios* autor. Et *Bocchorin Plutarchus* (de Vitioſ. pudore) hominem crudelem ſcribit fuiſſe atque injuſtum; in ſuos etiam deos impium ait *Ælianus*: (de Animal. 11. 11.) quippe taurum ferum immiſiſſe, qui cum ſacro *Mnevi* colluctaretur; at cùm ramis implicuiſſet cornua, eum *Mnevis*, cornibus fodiendo latera, interfecit. Quo facto *Bocchoris* pudore confuſus eſt, odióque maximo apud *Ægyptios* laboravit. Idem Autor (lib. 12. 3.) de agno meminit qui regnante *Bocchoride* natus eſt, gemináque habuit omnia, capita, cornua, caudas, pedes; quod in monſtro haud incredibile videatur: at eundem & locutum ſcribit; quod ſuperat fidem. Sed ab his quæ *Jul. Africanus* de *Sabacone* refert, immane quantum ea diſcrepant quæ narrat de eodem *Herodotus*, (lib. 2.) Primò, *Sabacum* vocat: nec eum cremaviſſe *Bocchorin* ait; ſed regem quendam cæcum, nomine *Anyſin*, ex urbe cognomine in paluſtria *Nili* abegiſſe profugum, & inſulam antea ignotam, quam ille, multo cinere altiorem redditam, paludibúſque ſiccatis, habitabilem reddidit. Et annos quinquaginta *Sabacum* regnaviſſe, (quod à ſuis ei promiſſum erat diis;) nec eo tempore maleficorum ad necem damnaviſſe quenquam, ſed ad terram aggerendam in urbe ſua natali, plùs minúſve pro magnitudine delicti, quò urbes altiores fierent, eóque ſalubriores atque tutiores ab inundationibus *Nili*. Tandem in ſomnis monitus, ut omnes *Ægypti* ſacerdotes diſſecaret medios, immanitate impietatéque (ut videbatur) facti exterritus, *Ægypto* cedere maluit, quàm deos *Ægyptiorum* in ſe provocare, præſertim jam expleto regni tempore quod ei dii promiſerant. Reverſo igitur in *Æthiopiam Sabaco*, cæcum *Anyſin* ex inſula in regnum denuo proreпſiſſe, narrat *Herodotus*.

Sabacon Æthiops Ægyptum ſubigit: de quo mira narrantur.

§ 21. Quinque jam annos tributum *Aſſyrio* pependerat *Hoſhea*, *Iſraëlitarum* qui ſupererant rex. Sexto amicitiam regis *Ægyptii So* muneribus ſibi conciliavit novam: quâ fretus *Aſſyriorum* excuſſit imperium, neque *Niniven* quæ ſolebat munera obſequii pignora tranſmiſit. Magnas ergò copias contra *Samariam* duxit *Salmanaſer*, obſidionéque cinxit arctiſſimâ, capto priùs *Hoſheâ*, & vinculis perpetuis in cuſtodiam tradito. Sunt qui colligunt ex cap. 15. & 16. *Eſaiæ*, agrum *Moabiticum* hoc tempore occupatum fuiſſe à *Salmanaſere*, captáſque urbes: ídque ante annos tres prædictum ab *Eſaia*. (Cap. 16. 14.)

Salmanaſer Samariam expugnat.

§ 22. Quinto jam anno regnabat apud *Meſſenios Ariſtodemus*, cùm prælio utrinque *Lacedæmoniis Meſſeniiſ*que condictus eſt dies. Belli enim diuturnitate & magnitudine impenſarum debilitati admodum, ac penè fracti, erant *Meſſenii*. Ad prælium hoc prædeſtinatum ſui aderant utriſque ſocii. Soli omnium *Peloponneſiorum Corinthii* juvêre *Spartanos*: at *Meſſeniis* auxiliati ſunt cum juſto exercitu *Arcades*, & *Sicyo-*

Meſſenii fenunt fugántque *Lacedæmonios.*

*Sicyoniorum Argivorúm*que fortiſſimi quique. Gravi armaturæ *Cleomin* præfecit *Ariſtodemus*; ubi validiſſimis quibuſque ſuorum *Arcadúm*que arma tradidit præſtantiſſima, quos cum *Sicyoniis Argiviſ*que militibus lectiſſimis permiſcuit. *Spartana* phalanx numero, *Meſſenica* virtute præſtabat. Ipſe cum *Dami* rex armaturæ levi præerat; ubi funditores ſagittariique pauci, reliqua turba propter armorum levitatem agilis & expedita, quippe thoracem aut ſcutum ſolummodo gerentes, pluráque ſinguli jacula. Nonnulli pellibus tantùm caprarum oviúmve, aut ferarum, tecti; luporum urſorúmque *Arcades* montani. Atque hi velites inprimis ſtatarios *Lacedæmoniorum* milites moleſtiſſimè jaculis exercebant. Siqui perſequebantur, facilè graves armis expediti effugêre; iiſdem ad ſuos redeuntibus redeuntes infeſti. Neque ab hoc pugnæ improbo genere deſtiterunt priùs, hoſtes quaſi fixos loco laceſſentes, atque ſauciantes jaculis, ipſi extra telum conſtituti, donec ad fugiendi eos adegiſſent ultimam ſpem, quibus nullam pugnandi faciebant. *Lacedæmonii* valde ſunt eâ clade perculſi, quòd omnem viderentur victoriæ ſpem amiſiſſe: neque tamen fracti; nam vel adhuc viribus præſtare ſe *Meſſeniis* noverant, modò æquos haberent & propitios deos. Quare miſſi *Delphos* qui oraculum peterent, cujus beneficio nuper ſuperiores fuiſſe *Meſſenios* credebant. Suadet oraculum, non ſemper apertâ vi, ſed & aſtu pugnandum. Itaque ad fraudes converſi, centum è ſuis quaſi profugos miſerunt *Ithomen*, qui, ſi quâ poſſent arte, hoſtium res proderent. Utque vera videretur, non ſimulata res, decreto damnati ſunt publico. Sed facilè ſuſpicatus dolum *Ariſtodemus*, illico dimiſit, *Novas* dictitans *Lacedæmoniorum eſſe injurias, veteres notáſque fraudes*. Hâc non ſucceſſit; aliâ rem aggrediuntur viâ *Lacedæmonii*. *Meſſeniorum* ſocios, quorum maximè operâ victoriam reportârant ultimam, alienare conati ſunt. Sed rejecti ab *Arcadibus*, *Argivos* nè tentandos putârunt. At cùm *Lacedæmonii Pythiam* conſuluiſſent, id & ſibi denuo faciendum *Meſſenii* cenſent; eóque magìs, quòd bene ſibi vertiſſe oraculum prius crederent. Multis verſibus reſponſum eſt; hæc præcipuè dicta: *Caverent ſibi nè fraude circumvenirentur. Geminos è latebris erupturos: ſed tum demum his rebus adfuturum finem, cùm eò gemini revertiſſent unde prodierant.* Quid ſibi vellet oraculum hoc, ante ultimum belli annum, nulli vaticiniorum interpretes conjiciendo aſſequi potuerant. A.M. 3283.

Mardocempadus Babylone regnat ann. 12, filius nepóſve *Beleſis*: ideo *Merodac-Baladan* (*Eſai.* 39.1.) ſive *Berodac-Baladan* (2 *Reg.* 20. 12.) *filius Baladanis* vocatur: hunc enim ſynchronon habuit *Hezechias*. (Ibid.) A.M. 3285.

§ 23. Tertio jam anno obſidebatur à *Salmanaſere Samaria*: cúmque cepiſſet urbem, populum pervicacem, & nullo continendum jugo domi, procul in *Aſſyriam* tranſtulit, *Halæ*que & *Habore* collocavit ad fluvium *Gozanem*, & in urbibus quibuſdam *Mediæ*, quas vel adhuc ſibi propinquas retinebat, vel revocaverat ad ſuum imperium *Ninivitarum* rex. Læſa Dei ſæpius patientia tandem aliquando fit furor. Vitulis ſuis idolíſque omnium generum provocantes ſe ſæpiſſimè *Iſraelitas*, cùm nullis Prophetarum aut monitionibus aut minis revocari poſſent ab impietate, velut immedicabile vulnus enſe recidendos putavit, nè *Judæi*, adhuc ſincera pars, in idem exitium traherentur. Abjecit ergò hanc ſui populi partem, & patriâ expulit, quod erat ſæpiſſimè interminatus: (*Deut.* 28. 36, 64.) at vel in exſilio precantes exauditurus, & aliquando revocaturus in patriam reſipiſcentes. (*Deut.* 30.1, &c.) At nunquam vel reſipuerunt illi ut par fuit, vel in patriam à Deo revocati ſunt. Ea verò ubi terrarum ſita loca ſint quò *Iſraëlitas* exſules abegerunt *Aſſyrii*, nemo facilè demonſtrârit. *Hala*, ſive *Chalach*, an *Colchos* denotet, ubi circumciſos fuiſſe conſtat, (ex *Herodoti* lib. 2.) an *Calacinam* potiùs, regionem *Aſſyriæ* apud *Ptolemæum*; *Habor*, ſeu *Chabor*, an *Iberos Colchis* vicinos, an *Chaboram* ad *Euphratem* in eodem *Ptolemæo* ſignificet; à *Gozane* fluvio an *Gauzanitis Meſopotamiæ* regio dicta ſit; quis pro certo ſtatuat? In *Iſraëlitarum* exſulantium agros & urbes miſſi proculdubio coloni ſunt ex *Aſſyria*, ſed pauciores quàm ut univerſæ regioni occupandæ ſufficerent. His, credo, temporibus, *Elulæo* apud *Tyrios* regnante, *Salmanaſer Phœniciam* quoque invaſit, *Iſraëlitis* vicinam, *Tyrúm*que oppugnavit. At eo tempore factâ pace domum reverſus eſt *Aſſyrius*. Mox autem *Sidon*, *Arce*, *Palætyrus* aliáque oppida defecerunt ad *Salmanaſerem*: ſoli repugnavêre *Tyrii*. *Tyrios* ergò cum claſſe 60 navium adortus eſt: octingentis remigibus occurrunt *Tyrii*, & profligatâ hoſtium claſſe, quingentos abduxêre captivos; quo magnam ſibi rei navalis gloriam comparârunt. At *Salmanaſer* terrâ conatus eſt id efficere quod operâ maritimâ non ſucceſſit. Cuſtodes adhibuit

Samaria iterum ab eodem Aſſyrio ſubjugatur.

E loco quò exſules abacti ſint Iſraëlitæ diſputatur.

A.M. 3285. hibuit ad fluvium & aquæductus, qui ab aquando *Tyrios* prohiberent. Illi ergò puteis effoſſis annorum quinque obſidionem pertulerunt; coactíque tandem ſunt infectâ re *Aſſyrii* diſcedere. (*Joſeph.* Antiqu. 9.)

3286. § 24. Viceſimo jam anno contra *Meſſenios* à *Lacedæmoniis* gerebatur bellum, & obſidebatur *Ithome* arctiùs. Qui de ope humana penè deſperabant, *Delphos* misêre, ut ſcirent quam dii eſſent daturi ſpem. *Meſſeniam* eos *Pythia* reſpondit habituros, qui ad aram *Ithomæi Jovis* 20 tripodas primi ſtatuiſſent. Ligneos ergò tripodas quàm primùm fieri mandatum eſt. At *Spartanus* quidam *Oebalus*, cui Rhetra innotuit, tripodas illico è luto fecit, in peram condidit, & venatoris habítu *Ithomen* unà cum ruſticorum turba ingreſſus eſt: nocte fictilia ſua munera *Jovi* dedicavit. Eodem tempore *Ophioneüs* vates, ab ortu primo cæcus, poſt vehementem capitis dolorem oculis uti cœpit; verùm haud longo uſus tempore, amiſit denuo. Tum verò intelligere oraculi mentem videbantur, de geminis ſubitò erumpentibus, & mox eódem revertentibus; quo belli finem inſtare monebantur. *Meſſeniorum* rebus jam propè in exitium vergentibus, multa ferunt prodigia accidiſſe. At maximè regem ſomnium exterruit. Viſus eſt per quietem, ubi jam ad pugnam induiſſet arma, extis victimarum appoſitis in menſam, filiam videre pullatam, & nudato pectore oſtentantem vulnera: mox extis è menſa diſturbatis, armíſque ſibi detractis, aureâ coronâ ſe albíſque veſtibus (qualibus *Meſſenii* ad tumulum optimates efferebant) donatum à filia. Hoc ſomnio cùm ſibi mortem haud dubiè portendi crederet, ſuam vicem graviter doluit, quòd filiam fruſtrà occidiſſet, nulláque jam ſupereſſet patriæ ſpes: tandémque animi ægritudine victus, ad filiæ ſepulchrum anno regni ſeptimo ſe jugulavit. Perculſos miſero ſui regis caſu, *Meſſenios* tanta rerum omnium cepit deſperatio, ut de mittendis ad *Lacedæmonios* oratoribus cogitârint. Sed huic obſtitit conſilio inveterati pertinacíſque odii vis. Non regem ampliùs, verùm imperatorem cum ſumma poteſtate *Damin* creârunt. Ille ſibi collegas *Cleomin* & *Philea* cöoptavit; omniáque apparavit ex præſenti rerum copia, quaſi mox prælium commiſſurus. Urgebat obſidio, & exinde fames. Cùm igitur fruſtrà obluctari ſe neceſſitati viderent, ii quibus patriâ potior erat libertas, optimi quique ad amicos & hoſpites in *Arcadia*, *Sicyonia* & *Argolide* dilapſi profugerunt. Familiæ tantùm quæ ſacræ habebantur, & Magnarum dearum Initiis præerant, *Eleuſinem* ſe contulerunt. Reliqua multitudo in ſuam quiſque urbem vicúmque, ubi vixerat priùs, rediit. Planè victores jam *Lacedæmonii*, primò *Ithomen* dirutam ſolo æquaverunt, tum urbes reliquas adorti, facilè ceperunt univerſas. Agri *Meſſenici* partem *Aſinæis*, quos *Argivi Lacedæmoniorum* causâ patriâ expulerant, prope littus marinum aſſignârunt. Regis *Androclis* quoque poſteris, (quippe illi ſupererat filia, & ex ea nepotes, qui *Spartam* profugerant,) qui *Lacedæmoniorum* cauſam propugnando apud *Meſſenios* vitam profuderat, regio donata eſt *Hyamia*.Ità odiorum *Lacedæmonii* compotes facti ſunt; jugúmque *Meſſenii* ſatis iniquum, iniquis pariter animis, undequadraginta ſimul annis pertulerunt. *Spartanis Ithomen* obſidentibus diu, *Parthenias* natos dicunt: eorúmque ortum atque incrementa deſcribunt *Antiochus* & *Ephorus* Hiſtorici, (apud *Strabonem* lib. 6.) ex iis verò *Trogus* atque *Juſtinus*, (lib. 3.)

Meſſeniis, prope exitium, multa accidunt prodigia.

Indéque ſequitur *πανολεθρία*.

A.M. 3287. De agro *Thyreate*, in limitibus *Lacedæmoniorum Argivorúmque*, inter vicinas gentes controverſia hoc tempore in bellum exarſit. Conventum eſt, ut 300 utrinque ſelectis viris ejus belli fortuna permitteretur: utri vincerent, ii ut *Thyreâ* potirentur. Fortitudine ſummâ & æquis penè viribus ad noctem uſque dimicatum eſt. E 600 reliqui tantùm tres: *Alcinor* & *Chromius Argivi*; ex *Lacedæmoniis* unus *Othryades*, quem *Argivi* mortuum putabant, atque domum quaſi victores feſtinavêre. At *Othryades*, ſpoliatis *Argivorum* cadaveribus, arma in ſuorum caſtra detulit, erexítque pro viribus trophæum, quod ſuo ſanguine inſcripſit *Jovi*. Poſtero die utrique aderant exercitus, victoriámque ſibi utrique vendicabant: *Argivi*, quòd ſuorum plures ſupereſſent; *Spartani*, quòd *Argivorum* qui ſupererant domum fugiſſent, ſuus verò miles tenuiſſet locum, cæſorúmque hoſtium ſpolia collegiſſet. Ex verborum contentione tandem ad manus ventum eſt; & multis utrinque deſideratis, vicêre *Lacedæmonii*, qui *Thyream* deinde tenuerunt. At *Othryades* pudore victus, nè ſociis tot amiſſis rediret in patriam ſolus, maluit ſibi mortem conſciſcere, ſocióſque ad inferos comitari. (*Herodot.* 1.) Ex vulneribus verò mortuum alii tradunt probabiliùs. (*Suidas.*)

Lacedæmonii & Argivi 300 utrinque viris fortunam belli permittunt fruſtrá.

3288. *Zeuxidamas Theopompi* filius, patre mortuo, regnum *Spartanum* tenuit ann. 30.

Seve-

A.M. 3291.

Sevecus, ſive So, Ægyptiis imperat.

Sevechus, ſive *Sebichus*, *Sabaconis Æthiopis* filius, mortuo patre, annis 14 in *Ægypto* regnavit. Qui poſt *Sabacum* & *Anyſin* imperavit *Ægyptiis*, ab *Herodoto* (libro 2.) *Sethos* vocatur, *Vulcani* ſacerdos; qui homines militares contemptui habuit, agríſque ſuis ſpoliavit. *Ægyptius* verò hic in Sacris Literis videtur appellari *So.* (2 *Reg.* 17. 4.)

A.M. 3293.

Hezechias Sennacheribum abſentem rejicit, præſentem metuit, agnoſcit, & muneribus demeretur.

§ 25. *Jehovæ* cœlorum terrarúmque Domino liberrimè integerriméque ſervum ſe præſtabat *Hezechias Judæus.* *Jehovæ* Domini potentiâ fretus, hominum in ſe dominationem non tulit. *Aſſyriorum* excuſſit jugum, quod pater ejus ultro ſubiverat *Achazus.* Apud *Aſſyrios* hoc tempore *Sennacheribus* dominabatur, filius (opinor) *Salmanaſeris.* (*Tob.*1.15.) Contumaciam is ut ſubditi regis ulciſceretur, ingenti cum exercitu invaſit *Judæam*, obſidionéque primâ *Lachiſhum* circundedit. Ejus præſentis vim pari conſtantiâ & fortitudine non ſuſtinuit *Hezechias*, quâ rejecerat abſentis jugum. Molle quiddam & humanum prodidit Divinus vir. Deprecatores miſit *Lachiſhum* uſque, & confeſſus reum ſe, quamvis mulctam ſoluturum ſpoſpondit, modò à ſe diſcederet, ac præterita condonaret. Argenti poſtulavit *Aſſyrius* talenta ter centena, (ſolvenda, opinor, annuatim,) auri triginta. Quantum igitur expedire potuit pecuniarum, ex theſauro ſive ſacro ſive regio, tradidit; laminas etiam argenti quibus valvas Templi obduxerat & columnas æneas, ad ſummam quæ poſcebatur conficiendam, abſtulit. Tum verò in *Ægyptum* & *Æthiopiam* deſcendiſſe videtur *Sennacheribus*, qui apud *Eſaiam* (cap. 20. 1.) *Sargon* appellatur; uno ex ducibus *Tartane* relicto qui *Azotum* expugnaret, *Palæſtinám*que ſubigeret. Huc enim ea referuntur à quibuſdam quæ traduntur ab *Eſaia* cap. 20. ubi Prophetam jubet Deus cilicium, quo erat indutus, calamitatis cujuſdam & luctûs indice, calceóſque ſuos exuere, ità nudum triennio incedere; quo nuditatem ſignificaret *Ægyptiorum* & *Æthiopum*, quos erat captivos abducturus poſt triennium *Aſſyriorum* rex. Et *Æthiopas* potuit vel in *Ægypto* ſubigere, captivóſque abducere in ſervitutem, *Sevecho* jam dominante apud *Ægyptios Æthiopum* rege. De *Sennacheribo Ægyptum* invadente meminit *Herodotus*, (lib. 2.) Sed ea tribuere videtur *Ægyptiis* fabulosè, quæ apud *Judæos* revera contigerunt. Cùm enim bellatores, quos malè priùs acceperat ſacerdos rex, arma ferre contra *Aſſyrios* recuſarent; inops conſilii, & concluſus in cubiculo rex, apud ſimulachrum ſuas depoſuit querelas, vicémque ſuam flebiliter deploravit. Flenti obrepente ſomno, deum ſuum videre per quietem viſus eſt, & exhortantem audire, ut obviàm *Aſſyriis* iret, miſſurum auxilia ſe. Collecto igitur opificum, inſtitorum, aliorúmque volonum exercitu, nullo militum prodeunte, ad *Peluſium* caſtra poſuit. Aderant & hoſtes, quorum eâ nocte magna murium agreſtium vis, arcuum nervos, ſcutorum habenas, pharetráſque ità corroſit, ut inutiles reddiderit; unde *Aſſyrii* poſtero die, armis quodammodo exuti, ſe in fugam dedêre, multíque ab *Ægyptiis* perſequentibus trucidati ſunt. At nihil ex his de *Ægyptiis* verum eſt. Integro enim exercitu, captivíſque plurimis aucto, in *Judæam Aſſyrii* rediverunt; ubi pietate ac precibus *Hezechiæ* regis ut profligati ſint, mox narrabimus.

Exercitus murium quouſque valeat.

A.M. 3294.

Romuli mors, & ἀποθέωσις, quam *Proculi* figmento acceptam fert.

§ 26. Defuncto jampridem *Numitore*, ad *Romulum* nepotem redierat in *Albanos* imperium. Ille, ut captaret populi gratiam, in medio ſummam reipublicæ poſuit; ſingulis tantùm annis præfectum *Albanis* miſit. At *Romæ*, propter aſperius ingenium, morúmque inſolentiam è rebus proſperis natam, anno regni 37. vitæ 55. ſublatus è medio dicitur. *Romani* illum tanquam ad ſuperos (autore *Proculo*) raptum, deum *Quirinum* venerabantur. Accidit deinde patrum de rege creando diſſidium, annique ſpatio interregnum fuit: quare patres in decurias diſtributi, decem viris ſorte committebant urbis imperium. Unus cum inſignibus & lictoribus erat. Quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat. (*Liv.* lib. 1.)

Ægrotans *Hezechias.*

§ 27. Profecto in *Ægyptum Sennacheribo*, *Hezechias* interim ex ulcere quodam lethali decumbebat: cúmque miſſus à Deo *Eſaias* mortem illi denunciâſſet, ætate immaturâ & ſine liberis moriturus, Eccleſiámque relicturus, modò repurgatam, novarum turbarum fluctibus agitandam, condoluit vehementer, & gravius id ulcere malum fuit. Averſo igitur ad parietem vultu, profuſíſque abunde lacrymis, Deum obnixè precatus eſt, ut ſuæ meminiſſet ſinceræ pietatis, vitæque parceret. Exoratus facilè Deus ab homine tam ſtudioſo gloriæ Divinæ, vitam ad tempus condonavit. Jámque in atrio domûs regiæ diſceſſurus erat *Eſaias* Propheta, cùm redire juſ-

ſus

A.M. 3294.

ſus eſt, & Dei clementiam renunciare: "*Hezechiæ ſe preces exaudiviſſe*, ac *vidiſſe* "*lacrymas*; *ſanaviſſe* morbum, ità ut *tertio* pòſt *die in* Templum *eſſet aſcenſurus*; de- "nique, *annos ejus vitæ quindecim addidiſſe*: additurum & alia quæ non rogavit. "*Ab Aſſyriorum* vi & armis, & regem & *urbem Hieroſolymas conſervaturum ſe*, *ſui* "nominis *gratiâ*, *ſervique ſui* bene meriti *Davidis*. De vita ſolicitus adhuc, petiit à Propheta rex, ut aliquo ſigno certum ſe faceret, futura eſſe quæ dixerat. "Quod "tibi ſignum mavis? ait Propheta; *an* ut *umbra in Achazi horologio decem* in mo- "mento *progrediatur gradus*, *an* ut *regrediatur* totidem? *Regredi*, velle ſe, ait *Hezechias*. Quippe umbram, quod natura fert, progredi, levius putabat. Factum eſt, *Eſaiâ* ſupplicante, quod voluit rex: eodémque jubente ut ficuum aridorum palatham admoverent ulceri, ſanatus eſt; tertióque die Templum adiit, gratias egit. (*Eſai.* 38.9, &c.)

per miraculum convaleſcit.

A.M. 3295.

Concionem habet ad ſuos corroborandos.

Tertio jam anno ex quo in *Ægyptum* & *Æthiopiam* profectus eſt *Sennacheribus*, in *Judæam* rediit, negatóque tributo ab *Hezechia*, ad expugnandam *Judæam* ſe paravit denuo. Dum ipſe reliquas urbes oppugnabat, à *Lachiſho*, quam obſidebat primam, *Tartanem*, *Rabſarin* & *Rabſhaken*, unà cum ingenti exercitu, mittit *Hieroſolymas*; quas jam antè communierat rex, inſtaurando, & alicubi duplicando, muros turréſque, *Millo* præcipuè in *Davidis* urbe; & ex principum conſilio, multitudinis confluentis operâ, fontes omnes obturavit, nè obſidentibus urbem hoſtibus potum ſuppeditarent, quò ſiccitate ac ſiti abigerentur. Arma quoque ac tela paravit omnium generum. Ad populum deinde confirmandum erigendúmque, in campo ſpatioſo ante portam hanc habuit concionem. "Ferunt, mei fratres commilitonéſque *Ju*- "*dæi*, hoſtes adeſſe *Aſſyrios* in viſceribus regni, & magnis adeſſe cum copiis. *Nè* "*quis* tamen *à multitudine* hoſtium *terror dejiciat vobis animos*. *Etenim* veriſſimè "affirmaturus ſum, quot illi cunque ſint, *plures* tamen *nobiſcum ſtare* ſocios & pro- "pugnatores, *quàm* contra nos dimicaturi ſint hoſtes. Quid enim illi? Homines "tantùm, miſelli ac moribundi homines, ἡμερόβια penè animalcula. *Noſtras verò par*- "*tes tuetur* atque propugnat immortalis *Deus*, Omnipotens ille exercituum Deus, qui "vel unico afflatu & momento poteſt hominum millia peſſundare infinita. Quare "*animos erigite*, ducem Deum vobis proponite, omnem in Deo fiduciam atque ſpem "collocate, de hoſtium robore numeróve parùm ſoliciti. Ità confirmati ſunt unà cum civibus *Hieroſolymitanis Judæi*, nec deinde exhorruerunt *Aſſyriorum* jactantium ſe terribiles minas. Nam ut primùm ad urbem pervenêre miſſi à *Sennacheribo* duces, verbis minaciſſimis velitati ſunt. Ad aquæductum piſcinæ ſuperioris ubi conſtitiſſent, regem inclamaverunt; egreſsíque ſunt ad colloquium *Eliakimus* aulæ ſeneſchallus, *Shebna* cancellarius, & *Joaſus* regi à ſecretis: quibus dedere urbem recuſantibus ità *Rabſhakes*; "Regulo, inquit, veſtro ab *Aſſyriorum potentiſſimo rege* hæc "ego *renunciare* volo *vos*. Mirari ait ſe *quâ* tandem *ſpe fretus Hezechias* tantis re- "pugnet *Aſſyriorum* viribus, *opponátque rebellem ſe*. Facundiâne ſuâ quâ pollet, po- "pulúmque ſolet demulcere ac flectere quò vult? At in *bello conſilia* prudentûm *co*- "*piæque* militum plùs valent quàm *verborum* elegantia. In illis verò longiſſimè præ- "ſtamus nos. *Quibus ergò nititur* opibus viribúſve, *ut Aſſyriorum jugo collum audeat* "*ſubtrahere? Ægyptiacæ*, credo, at *fractæ arundinis*, *quæ*, *ſi quis innitatur*, *manum* "*penetrat ſauciátque*. *Ea ſunt Ægyptiorum* auxilia. *At à Deo* fortaſſe *veſtro* præſidi- "um exſpectat. Exſpectet verò præſidium ab eo, *cujus excelſa & aras demolitus eſt*, "*cultúmque in* unicam *Hieroſolymarum* compingit *urbem?* Veſtræ verò quàm exi- "guæ ſint vires opis expertes alienæ, vel hinc cognoſcite. *Obſidum date pignora*, "*equorum duo millia tradet Hezechiæ Sennacheribus rex*, *modò ſeſſores* totidem *poſſit* "*imponere* qui prælientur. Quod ſi facere non valeat, *quid eſt*, obſecro, *cur* tantil- "lus rex *vel minimum imperatoris noſtri ducem deſpiciat*, *& ad Ægyptiorum ſe* opes "*conferat?* Nam de *Domino* quòd crepatis *Deo*; *huccine* creditis *adveniſſe me ſine ejus* "*mihi præcipientis* mandato, locum *hunc ut* funditus *diruerem?* Hæc vociferante *Rabſhake*, aulici ab *Hezechia* miſſi oraverunt "*Syriacè* ut *loqueretur*, (*nam* & eam *ſe* lin- "guam *intelligere*,) *non autem Hebraïcè*; nè *populo qui auſcultabat à muris* regno- "rum arcana proderentur. Indignatus vehementer *Rabſhakes*; "Quid, inquit, nè "populus audiat vis? *Nunquid ego ad* unum *te*, *dominúmve tuum*, *legatus* huc ad- "ſum? *non* & *ad populum*, *ut ille pariter vobiſcum*, ſi vobiſcum perſtiterit, *ſuo* fa- "melicus *ſtercore veſcatur*, *ſuámque* ſiticuloſus *potet urinam?* Elatâ igitur voce, quò clariùs audiret populus in muro, "*Cognoſcite*, inquit, cives, cognoſcite *quid magnus*

Rabſhake blaſphemante,

"*dicat*

" *dicat rex*, *rex* vobis *Aſſyriorum dicat*. *Nè imponat vobis*, fucúmve faciat phaleratis *A.M.*
" dictis *Hezechias*, quaſi aut ſuis viribus, aut *Domini* ſui *Dei* auxiliis, *civitatem hanc* 3295.
" ab *Aſſyriorum* poſſit armis *vindicare*. *Fallet* enim, & in fraudem credulos pernici-
" oſam inducet, homo ſuæ tantùm privatæ rei ſtudioſus, veſtræ negligens publicæ-
" que. Dedite potiùs magno regi vos, qui *in terram* deditos fœcundam atque beatam,
" *vini triticique*, *mellis & olei*, optimarúmque rerum feracem, & *veſtræ* numeris om-
" nibus *parem*, *traducet*. *Nolite* fallacibus *Hezechiæ* verbis *credere*, & in exitium voſ-
" met præcipitare. *Dominum pollicetur propugnaturum vos* neſcio quem *Deum*. Quot
" gentes variæ, totidem & dii ſunt. *Quiſquámne* verò *deorum omnium ſuam potuit*
" *gentem aſſerere ab Aſſyriorum* impetu, aut propugnare? *Ubinam Hamathæ deus*, *Ar-*
" *padiſque? ubinam Sepharvaïmorum?* ubinam *Henæ atque Ivæ* ſunt dii? Quis igitur
" hic *Judæorum* eſt *Dominus*, ut *ſuam* unus poſſit nationem urbémque hanc incolu-
" mem *tueri* & invictam *à noſtra vi*? Iſta dum jactabat magnificè *Rabſhakes*, interea populus jubente rege obmutuit, tacitúſque audivit omnia. Aulici verò ab *Hezechia* delegati magno dolore perciti, laceratíſque veſtibus, in urbem aulámque reverterunt; paríque dolore affecerunt pium regem, ubi tantas in Deum oris impii contumelias didicit. Quare veſtibus & ipſe laceratis, indutóque cilicio, more lugentium, in Templum aſcendit, querelas hac de re delaturus ad Dominum Deum. *Eliakimum* verò, *Shebnam*, & è ſacerdotibus aliquos graviores, cilicio indutos ad *Eſaiam* delegavit Prophetam, ut ab eo conſulta Dei diſcerent, & ſolatii aliquid reportarent ad ſe. Ii mœſtiſſimâ querelâ Prophetam aggreſſi, " *diem hunc* aiebant *eſſe contu-* *Eſaias* conſulitur, qui regi dat animos.
" *meliæ blaſphemiæque* graviſſimæ *diem in Deum: ad partum perveniſſe fœtum, ſed deeſſe*
" *vires pariendi*. *Exaudiviſſe Deum*, quibus *opprobriis* in ſacroſanctum ejus Nomen
" *Rabſhakes* debacchatus eſt. Orare igitur ſe, ut *precibus* apud *Jehovam* ſuis *inter-*
" *cedat* Propheta; *reliquiarúm*que ſui populi internecionem deprecetur. Illico Propheta, " *Hæc*, ait, regi *Deus renunciari* vult: *Nè quid* à probris convitiíſque *metuat*,
" *quæ in me Aſſyriorum* jactavit impietas *blaſphema*. *Ego* belluam hanc formidolo-
" ſam *afflatu* facili abigam hinc, *&* ipſo *rumore* de adventu hoſtium *ad ſuos* repellam,
" ubi naufragium patietur in ipſo portu, domi à ſuis *trucidatus*. *Rabſhakes* interim, cùm tantâ virium ſuarum jactatione ampullíſque verborum nihil profeciſſet, ad dominum ſuum reverſus eſt, *Libnæ* jam agentem, relictâ quam obſederat *Lachiſo*. Illic magnificè gloriatur, ut linguâ fortiſſimè præliatus ſit, hoſtéſque verbis vicerit, nè repugnantes quidem. Dum ille permulcet ſui regis aures adulatione, rumor ingratus eaſdem vulnerat de *Tirhaka*, (*Tharacon Africano* dicitur,) *Æthiopum* & *Ægypti* rege, qui ulturus acceptas à *Sennacheribo* injurias properabat cum exercitu. Quare properandum & ſibi *Aſſyrius* putabat, ut captis *Hieroſolymis* diſcederet priuſquam adveniret *Æthiops*. Literas primò ad *Hezechiam* dat, eâdem jactatione virium & inſolentiâ verborum quâ *Rabſhakes* intonuerat priùs. " Iterum atque iterum, inquit, moneo, *Sennacheribi* epiſtola ad *Hezechiam*.
" *Hezechia* rex, *nè tuus ille decipiat te*, *cui* fruſtrà *inniteris*, *Deus*. Ut aliæ *gentes* vic-
" tæ, meíſque ſubactæ ſint viribus, quis omnium ignorat? *Tuáne* verò una omnium
" volitabat invicta gens? Aliarúm*ne nationum dii* ſuos *propugnârunt* populos cultores,
" nè *à meis majoribus* ſubjugarentur, *Gozane*, *aut Charris*, *Rezephi*, *aut Telaſare Ede-*
" *nitarum?* *Ubi reges Hamathæ Arpadiſque?* ubi *Sepharvaïmorum*, *Henæ Ivæque*
" ſunt reges? Tibíne ſoli proderunt ad ſalutem tam aliis gentibus inutiles dii? Ubi hanc legiſſet epiſtolam *Hezechias*, ad Templum properavit, coram Arca Domini explicuit, híſque aut hujuſmodi verbis comprecatus eſt: " *O Jehova*, *Iſraëlitarum* *Hezechiæ* precibus
" *Deus*, *inter Cherubinos præſentem* fore pollicitus te; *tu* verus omnium *es unicúſ*que
" deorum *Deus*, regúmque rex, utpote *cœlorum terrarúmque opifex*. Dignare, quæ-
" ſumus, *inclinare* cœlos, *& deſpicere* humanas res; dignare, quæſumus, *attendere*,
" quibus *convitiis opprobriíſque Sennacheribus* tuum ſacroſanctum Nomen violârit. Et
" factum eſſe fatemur *quidem* nos, ut multas, te *Jehovâ* permittente, *Aſſyrii gentes*
" *expugnârint*, *ditionéſque* ſubegerint, *etiam deos concremârint*; *nec enim deos*, *verùm*
" *opera humana*, ex *ligno* facta *lapidéque*. *Te*, Te *igitur precamur*, Omnipotens *no-*
" *ſter Deus*, ut *à Sennacheribi nos* armis *vindices*; *quò gentes terrarum univerſæ cog-*
" *noſcant*, *unicum eſſe Deum te*. Dum hæc precabatur *Hezechias*, *Eſaiæ* imperavit Deus ut reſponderet à ſe, " *orationem ejus exauditam*, votíſque ejus de *Sennacheribo* exauditis,
" reſponſura eſſe omnia. Nam videre ſe quas turbas det, quantas minas efflet, ex-
" citétque *tumultus contra ſe* homo veſanus. Neque tamen *Hieroſolymas* capturum,
" ac nè oppugnaturum quidem; ſed *injecto naribus hamo*, *in ore fræno*, *eâdem ſe* bel-

" luam

A.M. 3295.

Aſſyrii, cœlitus acceptâ clade, in patriam fugiunt.

“ ſuam *reductūrum* in patriam *quâ venerat viâ*, *ſui nominis*, *ſuíque ſervi Davidis gra-* “ *tiâ*. Hæc ut rata faceret, eâdem nocte Deus Angeli operâ (boni malíne quis dixerit ?) in caſtris *Aſſyriorum* 185 militum contrucidavit millia. Igne aliqui abſumptos malunt, ídque in *Tophet* ſeu Valle *Benhinnom*. Meminit de clade hac & *Beroſus* apud *Joſephum* ; ſed peſtilentiæ tribuit: quod minùs credibile videtur, quia opibus caſtrorum uſi *Judæi* ſunt, & *Hezechias*, antè pauperrimus, valde locupletatus eſt; at eaſdem peſte afflatas non attigiſſent. Exitio vulgari exemptus rex, parricidio dignior. Quantâ igitur potuit feſtinatione, ignominiâ majore, proripuit ſe in patriam, ſuâ ſalute lætus, at exiguo lætus tempore. In templo enim dum ligneum ſuum deum venerabatur, coram cæco impotentéque *Niſrochi* ſimulacro, homo in verum *Jehovæ* Numen contumelioſus, à ſuis filiis *Adrammelecho* & *Sharezere* interfectus eſt. Patrato facinore, in *Armeniam* Majorem *Aſſyriæ* vicinam profugerunt parricidæ fratres, fratrem veriti *Eſarhaddonem*, qui ſucceſſit in imperio. Sunt qui hujus parricidii cauſam comminiſcuntur potiùs quàm docent: vel, quòd *Sennacheribus*, periculis oblitus, filios devoverit immolandos ſi evaderet ; (ut apud *Hieronymum* in Tradit. R. *Solom.*) vel, quòd majoribus natu *Eſarhaddonem* prætulerit minorem, qui ſuccederet in imperio matris dilectæ gratiâ. (*Lyra*, *Abul.* Hiſtor. ſcholaſt.)

Cur *Sennacheribus* à filiis occiſus.

In *Iſraëlitas Sennacheribo* ſæviente, *Tobitus* aulicus illis benefacit.

In *Tobiti* Commentario ſcriptum eſt, cùm *Sennacheribus* turpiſſimæ fugæ ignominiam in *Judæos* ulciſci nullo modo poſſet, furentem iracundiâ in *Iſraëlitas* eum exſules crudeliſſimè propter cognationem ſæviiſſe. Eorum aliquos mactavit quotidie inſontes, & in loca fœdiſſima ſub ipſis mœnibus inhumata projecit corpora mortuorum. Aderat eo tempore *Nini Tobitus* quidam, *Tobielis* filius, *Thisbita* ex *Naphtalidarum* tribu, pius vir, & in ſuos populares charitate ſummâ. Is ætate primâ orbatus ſuis parentibus, *Deboræ*, matris paternæ, caſtiſſimâ ſanctiſſimâque diſciplinâ ad omnem probitatem pietatémque inſtitutus eſt. Non ille *Baalem*, Vitulúmve coluit *Jeroboami*. *Hieroſolymis* ſacra obtulit, feſta celebravit, primitias decimáſque ſolvit, omnia peregit officia Divina ex præſcripto Legis *Moſaïcæ*, vel ſolus aliquando ſuæ tribûs. Communium tamen malorum particeps, etſi non & ſcelerum, in exſilium *Niniven* deportatus eſt : ſed & illic in ſuos pro ſua re munificus, inopes neceſſariis refecit, nudos operuit veſtibus, cibo famelicos ſaturavit. Deus enim *Salmanaſeris* ei gratiam conciliârat, à quo Sitarchus aulicus & regius obſonator conſtitutus eſt ; à cibis tamen illegitimis prorſus abſtinuit, neque pollui ſe, ſuámve integritatem ullo modo labefactari, illecebroſis gentium profanarum deliciis paſſus eſt. Idem inſepulta jacére ſuorum cadavera, canibus alitibúſque prædam, pro ſumma in ſuos populares pietate, non tulit. Quos de die jugulârat projecerátque rex *Sennacheribus*, noctu clàm, ut potuit, ſepelivit. At nè clàm potuit diu. Proditus regi, & charitatis nimiæ damnatus eſt, & quæſitus ipſe ad necem: ſed latitando inprimis, fugiendo mox, ſuæ ſaluti conſuluit. At nè ſic bonis ſuis conſulere potuit. A regiis ea ſatellitibus direpta ſunt omnia, poſt dies tamen 55 reſtituta, cæſo à ſuis ipſo, qui tot *Iſraëlitarum* innocentes cecîderat, *Sennacheribo*. Apud *Eſarrhaddonem* ſcilicet, qui ſucceſſit in imperio, plurimùm gratiâ valuit *Achiacharus*. Erat enim regi à poculis, à ſigillo, à rationibus, negotiorúmque procurator omnium. Idem *Tobito* cognatione propinquâ ſanguinis conjunctus, quippe fratris *Hananeëlis* filius. Eo deprecante, revocatus domum *Tobitus* ſua recepit omnia ; proſperéque in poſterum ſucceſſerunt ei res, nè ſua cuiquam fraudi pietas foret.

Hezechiæ oſtentatio vana ex re proſpera ;

§ 28. *Aſſyriorum* caſtris intèrim potiti *Judæi* maximâ prædâ locupletati ſunt ; & *Hezechiam* indè credibile eſt magnam auri argentíque vim accumulâſſe. Hæc victoria famam *Hezechiæ* gloriámque maximè illuſtravit. Legati ergò à vicinis regibus, à *Babylonio* præcipuè *Merodacho-Baladane*, miſſi gratulatum ſunt, cùm de victoria, (ut credibile eſt,) tum de ſalute recuperata, cum literis muneribúſque. Libro 2 *Chron.* 32. 31. dicitur, voluiſſe *Chaldæos* etiam de miraculo Solis recedentis certiora cognoſcere. Maximi fecit *Hezechias*, tantum ad ſe regem miſiſſe legatos: útque dignum ſe tam illuſtri amicitiâ demonſtraret, demonſtravit & opes ſuas legatis, theſauros auri argentíque, lapides pretioſos, aromata & odoramenta, granaria, armamentaria, equilia, greges & armenta, quæ habuit innumera ; quicquid denique in toto erat regno conſpicuum demonſtravit. Sed tanti ut faceret hominis profani amicitiam, & ſua cum faſtu quodam & ambitione vana ut oſtentaret omnia, non probavit Deus. Quare miſſus ad eum *Eſaias* Propheta, rogavit inprimis “ quinam eſſent qui *ad eum* “ *advenerant* peregrini. “ *Ex longinqua* reſpondet *gente* rex gratulatum *veniſſe Baby-*

“ *lonios.*

" *lonios.* " *Quænam* verò *ſpectanda illis* propoſita ſunt? ait Propheta. " Quæcunque ſpectatu digna, inquit rex, in regno videbantur univerſo, ea *contemplati ſunt omnia.* " Omnia contemplati ſunt? regerit Propheta: auferent omnia *Babylonii.* " *Sic ait Dominus*; *Tempus adveniet quo*, *quæcunque* tu oſtentatione vanâ demonſtrâſti, " *quæcunque congeſsêre majores tui* per multa ſecula, *Babylonem aſportabuntur omnia.* " *Reliquum erit in ædibus tuis*, in hac urbe, *nihil. Tuique poſteri, è tuis oriundi viſceribus, in palatio regis Babylonici* miniſtrabunt *eunuchi.* Hâc auditâ comminatione gravi, graviter pœnituit pium regem, ſubmiſítque Domino humillimum ſe, faſtu depoſito. "Fiat verò, inquit, voluntas de me meíſque *Dei. Bene* autem *habet*, gratiáque Deo ſit, *quòd vivente me ſit pax futura & pietas*; mêâque ſeriùs ætate ſit eventurum meis, quod ſum ego meritus malum. Ità pius rex. Ecce verò quanta ſit nativa hominum vel optimorum pravitas. Rectiſſimè incedebat *Hezechias* quamdiu aderat, & quaſi manu eum deducebat, gratia Dei. Sibimet ab hac derelictus, (nam probare voluit hominem Deus, ſibíque ſe oſtendere, ut cognoſceret quantum deberet ſuæ gratiæ, 2 *Chron.* 32.31.) illico impingit graviter, & deliteſcentem ſui animi ambitionem atque faſtum prodit. Reſipiſcentiâ tamen & humilitate, poſt monitionem Prophetæ, ità placavit Numen Dei, ut pœna dilata ſit, quam poſterorum coacervata huc & graviora ſcelera opportuniùs erant luitura.

A.M. 3295.

ſed & ſeria reſipiſcentia.

§ 29. Populus *Romanus*, novorum quotidie magiſtratuum pertæſus, tot dominis tam ingenio diſpari multiplicatâ ſervitute, abrogandum cenſuit Decemvirale imperium. Patres offerendum ultro rati quod amiſſuri erant, ut eo gratiam inirent, populo proponunt, Regémne maluit, an magiſtratus annuos. Id plebi adeò gratum fuit, ut, nè victi beneficio viderentur, ſciſcerent juberéntque, ut ſenatus decerneret, ſe approbaturos. Senatus regem voluit. Sed de regnaturo convenire non potuit. His tandem ſtetêre legibus, ut alterutra pars regem, modò non è ſuis, ſed vel ex altera parte, vel externum, eligeret. Optione datâ, *Romani* veteres *Numæ Pompilio*, cujus inclyta juſtitia religióque eâ tempeſtate fuit, detulerunt imperium. *Curibus Sabinis* habitabat, conſultiſſimúſque vir, ut in ea quiſquam ætate eſſe poterat, omnis divini atque humani juris habebatur. Expoſitâ plebi patrum ſententiâ, legati ſtatim *Proculus* & *Voleſus*, qui ad regnum accerſerent, miſſi. Quod impotenti ambitione appetitur ab aliis, ultro delatum ad ſe *Numa* repudiavit. Verebatur enim, nè non ſine ſumma moleſtia, pacificus vir, ſolitudini, quieti contemplationíque deditus, gentem ferocem atque militarem regeret. Tandem, patre cognatóque *Martio* deprecantibus, nè tantum honorem ultro ſibi oblatum rejiceret, legatis annuit. *Romam* profectus, totam civitatem obviam habuit; lætiſſimíſque acclamationibus intra mœnia deductus eſt. Per omnia templa ſacrificatum, & ubique tantum erat gaudium, ac ſi regnum urbi, non rex obtigiſſet. Comitiis deinde curiatis, hoc eſt, per curias, inſtitutis, *Spurio Vettio* interrege, omnium ſuffragiis declaratus rex, auſpiciíſque in *Capitolio* inauguratus, regnum iniit. Annos 43 tenuit imperium, quod ætate maturâ annos natus 39 adeptus eſt. Ipſo enim urbis natali editum in lucem ferunt. Et *Tatii* regis filiam uxorem duxerat, quæ anno poſt nuptias 13. mortua eſt.

Numa Pompilius à *Romanis* rex eligitur.

Regnum primò repudians, vix tandem recipit.

Hactenus in *Media* poſt *Arbacem* ſumma libertas populo fuit, juſtitia defuit, ſcelerúmque & injuriarum ultio. Etſi enim ex poſteris *Arbacis* numerentur nonnulli titulo tenus reges; revera tamen nemo apud *Medos* cum imperio fuit, nemo dixit populo univerſo jus, per vicos paſſim habitabant. Sicubi controverſia injuriáve incidit, aliquem è vicinis judicem appellabant. Sed hæc ſæpiſſimè gratiâ & muneribus judicia corrumpebantur; adeò ut plurimæ querelæ paſſim, non de rapinis modò & injuriis, ſed de ipſa judiciorum iniquitate audirentur. Unus omnium hâc tempeſtate inventus eſt *Deïoces*, *Phraortis* filius, qui ſuo in vico popularium diſceptantium cauſas æquiſſimè dijudicabat. Id cùm proximi pagi animadverterent, ſuas quoque ad *Deïocem* lites deferebant, ejus implorabant æquitatem. Ità longè latéque fama ejus tandem propagata eſt, ut ex omnibus ferè locis ad *Deïocem* concurrerent, *Deïocis* arbitria libentiſſimè ſubirent. Tum verò habuit *Deïoces* quod volebat: hâc enim arte homo perquam callidus & ambitioſus ad principatum ſibi viam parabat. Quare negabat ſe jam tot moleſtiis parem eſſe; negabat ſe ampliùs audire cauſas poſſe, & totos dies rebus aliorum agitandis impendere, ſuas interim negligere privatas domi. Subducente ſe à judiciis *Deïoce*, ſcelera omnia, rapinæ injuriæque denuo, ac multò graviùs, infeſtare populum, inſtar morborum recrudeſcentium; adeò ut neceſſe habuerint *Medi*, in unum convenire, & in publicum conſultare de communi re. *Deïocis*

Ex tædio libertatis, artibúſque juſtitiæ, *Deïoces* viam ſibi aperuit ad regnum *Mediæ*.

A. M. 3295. *ocis* amici hanc avidè anſam arripuêre perſuadendi, (quod rebus ità conſtitutis facillimum factu videbatur,) ut regem ſibi præficerent. Nec enim aliud hiſce malis remedium excogitari poſſe. Cùm creare ſibi regem ſtatuiſſent, quem tandem ex omnibus præficerent ſecundo loco quærebatur. Haud longa ejus rei ambiguitas fuit. Quis enim eo potior videri potuit, cujus in judicando ſumma integritas prudentiáque eſſet omnibus jampridem notiſſima ? *Deïoci* ergò principatus omnium ſuffragiis delatus eſt. Ille nonnihil tergiverſari primò ; at mox ſuſcepturum ſe his legibus regnum profeſſus : inprimis, ut ædes rege dignas in loco ſibi opportuno conderent ; deinde, ut ſatellites corporíſque regii ſtipatores darent ; poſtremò, ut urbem aliquam pro arce regni communirent. Haud iniqua petere viſus eſt, itaque in omnibus regi futuro gratificati ſunt *Medi.* Ædes conſtruxêre magnificas ; & fecerunt ex quovis loco ſibi eligendi ſatellites poteſtatem. *Ecbatana* denique, urbs antiqua, ſed injuriâ temporum, credo, labefactata plurimùm, pro regni ſede conſtituta ſunt ; ubi regiam ſibi ampliſſimam *Deïoces* ſeptenis muris circundedit, ità ut ſinguli ordine altiores aſſurgerent, colorum variorum pinnis ornati. Primi ambitûs pinnæ albæ, nigræ ſecundi, tertii erant puniceæ, quarti cæruleæ, quinti ſandarachinæ, argentatæ verò ſexti, denique inauratæ ſeptimi ac poſtremi. Nomen *Ecbatana Chaldaïcum* eſſe, compoſitúmque, monet *Joſ. Scaliger*, peritiſſimus linguarum. *Baithan* verò (quo utuntur ſimplici *Stephanus* & *Iſidorus*) *arcem* ſignificat. Neque mœnibus tantùm, ſed & legibus munivit ſe. Nè vel inviderent ſibi æquales priſtini qui fuiſſent, vel inſidiarentur, omnem ad ſe aditum prohibuit, per internuncios omnia tranſigi volebat : quo & contemptum quoque declinari putabat, & populo rariſſimè conſpectum reddi venerabiliorem ſe. Nec iis qui apud regem aderant vel ridere coràm, vel exſcreare fas. Scripto lites dirimebat, ſcripto ad ſe per internuncios delatas. Scripto ſcelera injuriáſque admodum ſeverè vindicabat, quibus prodendis prohibendíſque exploratores adhibuit. Annos regnavit 53. (*Herodot.* 1.)

A. M. 3296. § 30. *Numa Pompilius*, imperio in ſe *Romanorum* ſuſcepto, turbatam admodum remp. invenit. Primùm, ipſi patres inter ſe diſſidebant. Veteres *Romani* prærogativam quandam in omnibus ferè poſtulabant, quam novi *Quirites* minimè concedebant. Clientes etiam, diſſidentibus patronis, mali ejus contagium corripuit. Præterea, plebis haud exigua pars nuper in urbe recepta, nondum agris donata, ditioribus invidebat, ad res novandas proclivior. Horum fremitus illico ſedavit *Numa*, diviſis agris quos *Romulus* ex hoſtico quæſiverat, & parte quæ reliquis ſufficeret agri publici. Senatum pacavit, relictis penes urbis conditores ſuis privilegiis, colonos verò novos novis honoribus compenſavit. Celeres, regii corporis ſtipatores, dimiſit, ſuâ innocentiâ ſecurus. Collem *Quirinalem* mœnibus ampliatis complexus eſt. Denique, urbem vi & armis conditam, jure legibúſque ac moribus de integro condere parat novam. Efferatis militiâ animis, mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine putavit. *Janum* ad infimum *Argiletum* indicem pacis bellíque fecit, apertus ut bellum, clauſus pacem ſignificaret. Eo clauſo, cùm omnium circà finitimorum ſocietate ac fœderibus junxiſſet animos, poſitis externorum periculorum curis, nè luxuriarent otio animi, quos metus hoſtium diſciplináque militaris continuerat, omnium primum (rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam,) deorum metum injiciendum ratus eſt : qui cùm deſcendere in animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat ſibi cum dea ſeu nympha *Ægeria* congreſſus nocturnos eſſe ; ejus ſe monitu quæ diis acceptiſſima eſſent ſacra inſtituere, legéſque ſaluberrimas dare.

Numa legibus moribúſque Romam condit ex integro.

Annum corrigit. Primò omnium corrigere Annum ſtatuit, quem ex diebus 360 antea compoſuerant, nec Lunæ, nec Solis curſu obſervato. Unde menſes alii paucioribus quàm viginti, alii 35, alii pluribus etiam diebus conſtabant. *Numa* igitur annum, ex *Græcorum* uſu, ità ad Lunæ curſum digeſſit, ut 355 dies contineret. Cúmque Luna Solem quotannis 11 diebus cum quadrante, viceſimo quoque anno 225 diebus anteverteret ; inſtitutum eſt, ut alternis annis pontifices menſem intercalarem, ſeu Mercedonium, modò 22, modò 23 dierum, poſt *Februarium* insererent : ità viceſimo quoque anno, intercalatione 225 dierum, Lunæ curſus cum Solis converſionibus æquabatur. Sed hæc inſtitutio poſteriorum pontificum vel negligentiâ, (ut *Cicero* de Leg.) vel cum publicanis fœneratoribúſque colluſione, (ut *Cenſorinus* & *Macrobius* inſimulant,) diſſoluta eſt. Quin & ordinem *Numa* menſium immutavit. Primo loco *Januarium* conſtituit, à *Jano* dictum, qui fuerat undecimus : 2. *Februarium*, qui poſtre-

poſtremus fuerat; à luſtrando vocatum: (Februa enim *expiationem* ſignificant. Tunc mortuis parentabant, & *Lupercalia* celebrabant, expiationis quoddam genus.) 3. *Martium*, quem antea primum habuerant, utpote à *Romulo Marti* ſacratum: 4. *Aprilem*, vel à *Venere*, quæ *Græcis Aphrodite* dicitur, quia ſacra *Veneri* hoc menſe fiebant, & Calendis *Aprilibus* mulieres myrto coronatæ lavabantur; vel quòd adoleſcens ver germina plantarum *aperiret*: 5. *Maium*, à *Maia*; *Mercurio* enim ſacer fuit: 6. *Junium*, à *Junone* appellatum: (vel, ut alii volunt, *Junium* & *Maium* ab ætatibus *majorum juniorúmque*:) 7. *Quintilem*; 8. *Sextilem*; 9. *Septembrem*; 10. *Octobrem*; 11. *Novembrem*; 12. *Decembrem*: omnes ab ordine nominatos. At *Quintilis* poſtea *Julius*, à *Julio Cæſare*, *Sextilis Auguſtus*, ab *Auguſto* dictus eſt. Sunt qui *Januarium* & *Februarium* additos reliquis à *Numa* putent. Ità in ſuis Faſtis *Ovid.* (lib. 1.) Et hæc erat doctiſſimi *Varronis* opinio. Sed aliis probabiliùs videtur, annum à *Latinis Romanos* duodecim menſium accepiſſe. Anni etiam dies diſtribuit in *faſtos*, quibus cum populo agere fas fuit, & jus dicere; & in *nefaſtos*, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat. A. M. 3296.

Tum ſacerdotibus creandis animum adjecit, quanquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè quæ ad Flaminem *Dialem* pertinebant; cui, & *Martiali*, à *Romulo* inſtitutis, tertium Flaminem *Quirinalem* addidit, qui ſacra *Quirino*, ſive *Romulo*, faceret, cui & templum in colle *Quirinali* dedicavit, ſacráque annis alternis peragenda. Priores quoque Flamines aliqui *Numam* inſtituiſſe volunt; indè & ſuos ſingulis diis, *Vulcanalem*, *Mercurialem*, &c. *Varro* eſt autor. Flaminem *Dialem*, cujus ipſe munere functus eſt, *Numa* ceremoniis plurimis oneravit. Eum equo vehi, exercitum armatum videre, jurare, annulo uti, nodum in apice, in cinctu, aliâve in parte ullum habere, tonderi à ſervo, capram, & carnem incoctam, hederam fabámve, aut tangere, aut nominare, ſine hedera ſub dio eſſe, farinam fermento imbutam attingere, tunicam intimam niſi in locis tectis exuere, religio fuit, nè ſub cœlo, tanquam ſub oculis *Jovis*, nudus eſſet. Mortuum attingere, aut locum in quo buſtum erat ingredi, nefas habebatur; & ex Flaminia domo ignem efferre, niſi ſacrum. Vinctum, ſi ædes ejus introiret, ſolvi oportuit, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque foras in viam dimitti. Si quis ad verberandum ductus ad ejus pedes ſupplex procubuerat, eo die verberari piaculum fuit. Lecti ejus pedes tenui luto circumlitos eſſe oportebat; de quo neque ipſi trinoctium continuum decubare, neque in eo alium cubare fas. Super Flaminem *Dialem* in convivio, niſi rex, aut rex ſacrificulus, haud quiſquam alius accumbebat. Matrimonium ejus niſi morte dirimi non potuit, at unà cum uxore Flaminium amiſit. Is ſolus album habuit galerum, vel quòd maximus eſſet; vel quòd immolationem *Jovi* albâ veſte fieri oporteret. (*Varro* Rerum divinarum lib. 2. *A. Gellius* Noct. *Att.* 10. 15.) Flamines creat,

Quicquid rituum ſacrorum accepit à *Romulo*, comprobavit. Reliquis diis, præcipuè *Græcanicis*, (nè quem inhonoratum præteriret,) ipſe templa, ferta, ſacra, ſacerdotes dedit; quibus & è ſuis nonnullos addidit. Primus *Fidei* atque *Termino* fana poſuit. *Fidei* juramentum *Romanis* ſanctiſſimum propoſuit, *Medius fidius*. *Termino* publicè & privatim ad agrorum limites immolabant, at citra ſanguinem primò: quippe deum limitaneum, cuſtodem pacis, & juſtitiæ teſtem, à cæde *Numa* purum eſſe voluit; nec probavit (credo) bellis & ſanguine regni terminos dilatari, quod *Romulus* fecerat; nullos propterea is deſignari terminos ferebat. Deóſque,

Sacris & ſacerdotibus Pontifices inprimis quatuor præfecit ex patribus: (poſtea & plebs quatuor adjecit è ſuis:) & his omnibus Pontificem maximum, generum ſuum *Martium*, *Numa* præpoſuit. Dicti autem à *Ponte* ſunt *Pontifices*, cujus erat iis faciendi reficiendíque cura demandata. Quippe ligneum, &, ex oraculo neſcio quo, ære nullo ferróve compactum, habuêre ſacrum *Romani*; adeò ut diſſolutus nefaria eſſet deteſtandáque res, labefactatus non niſi peracto ſacrificio refici poſſit. A *Numa* igitur videntur ſacerdotum principes appellati, non niſi *Ponte facto*, *Pontifices*. Hanc nominis rationem ridet *Plutarchus*, quæ tamen *Dionyſii* atque *Varronis* eſt. A *poſſe* & *facere Scævola* (Pontifex max.) vocatos voluit. Alii à *potentibus* diis *faciendo* ſacra. Pontificem maximum, (qui unde ſic dictus,)

Virgines *Veſtæ* legit quatuor inprimis *Numa*, *Geganiam*, *Bereniam*, *Canuleiam*, atque *Tarpeiam*. *Alba* oriundum ſacerdotium, & genti conditoris haud alienum; quippe ignem *Veſtalem* cum penatibus *Æneas* è *Troja* in *Latium* tulit. His, ut aſſiduæ templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit; virginitate aliíſque ceremoniis venerabiles ac ſanctas fecit. Aliqui *Romulo* tribuunt inſtitutionem hanc, cujus & Virgines *Veſtales*,

A.M. 3296.

mater in hunc fuiſſet ordinem lecta. Sed frequens opinio *Numam Pompilium* aſſerit. Unicum propè munus virginum fuit, ignem *Veſtæ* perpetuum & inextinctum conſervare. Siqua deliquiſſet, à Pontifice verberabatur in obſcuro, nonnunquam linteo ſolùm velata. At inceſta graviſſimam luebat pœnam. Quippe vincta in lecticæ ſandapila operta per medium forum uſque ad portam *Collinam* efferebatur. Ibi tumulus impudicarum *Veſtalium* inter muros eminebat, in quo erat parva caverna ſubterranea, quò per foramen ſcalis deſcendebatur. Ibi ſtratus lectulus, & lucerna ardens, & pauxillum aderat panis, aquæ, olei, lactis, nè fame interempta videretur. Deponebatur hîc *Veſtalis*, ſolvebatur vinculis, capite velato in ſupplicium ducebatur. Pontifex, ubi arcana quædam pronunciâſſet, cum ſacerdotibus terga vertit, & ſtatim impudica *Veſtalis* in cavernam dimittebatur. Indè foſſa tellure repleta uſque ad operculum. Eâ die ſilentium & mœſtitia in tota urbe fuit.

Salios ſacerdotes ancilia cuſtodientes,

Salios duodecim *Numa Gradivo Marti* dedicavit, qui ancilia cuſtodirent totidem, geſtarêntque in tripudio publico menſe *Martio* quotannis. Eorum primus *Præſul* vocabatur. Annum ſcilicet octavum regnante *Numâ*, peſtilens lues graſſata eſt, quæ *Italiam* afflixit, urbémque *Romam*. Ejus rei causâ mœrente populo, ferunt peltam æneam è cœlo in *Numæ* regiam (in manus, ait *Plutarchus*) decidiſſe, *Ancile* à forma dictam; & regem, quaſi *Ægeriâ* & Muſis autoribus, monuiſſe, ad urbis eam ſalutem demiſſam à diis, & aſſervari oportere, nè quâ vi dolóve auferretur. Aliæ igitur undecim factæ pari formâ figurâque, quò fures fallerent. Nec *Veturius Mamurius*, artifex peritiſſimus, qui reliquos undecim confecit, aliud operæ ſuæ præmium optione datâ expetiit, niſi ut ſuum in tripudiis publicis adhiberetur nomen. A *ſaltando Salii* vocabantur, quorum numerus ab *Hoſtilio* rege duplicatus eſt. Inter ſaltandum canebant etiam carmina quædam patria, quorum in fine *Mamurium* ſemper appellabant.

& Feciales.

Feciales, à *fide*, vel à *fœdere* faciendo, dicti, fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat ut juſtum conciperetur bellum, & ut fœdere fides pacis conſtitueretur. Eos inſtituiſſe dicitur *Numa* cùm indicendum eſſet bellum *Fidenatibus*. Hi mittebantur priùs quàm conciperetur bellum, ad res repetendas; & ſi non impetrabant, bellum indicebatur. Fecialium unus *Pater patratus* dictus eſt, à *patrando*, id eſt, ſanciendo, fœdere. At hujus ſacerdotii nuſquam apud *Romanos* vetuſtiorem uſum fuiſſe quàm *Tullo Hoſtilio Romæ* regnante reperias, & inſtitutum jus ab *Anco Martio*; etſi à *Numa* fortaſſe creabatur primò, qui religionem *Romanis* ferè omnem conſtituit.

Agricolas fovet.

Pacis erat ſtudioſiſſimus *Numa* rex. Agriculturam igitur magni fecit, animóſque omnium ad hanc induſtriam quibus potuit ſtimulis incitavit. Nam,

Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.

In ſingulis ergò pagis inſpectores adhibuit, qui diligentiam laudibus alerent, ignaviam contrà aſperiùs corriperent. Utque *Sabinorum Romanorúm*que veterum diſſidia ferè quotidiana tolleret, ac planè deleret, univerſam multitudinem ſecundùm artificia varia in varia diſtribuit collegia, aurificum, architectorum, tinctorum, ſutorum, figulorum, fabrorum, & ſimilium; collegiiſque ſingulis ſuos conventus religionéſque & ſacra aſſignavit. Ità novis ſocietatibus & amicitiis artificum, odia vetera gentium extincta planè ſunt deletáque funditus. Unam *Romuli* aſperiorem de patria poteſtate legem paulò mitiorem reddidit, prohibendo, nè filios quis poſt nuptias eorum à ſe contractas venderet; quod ſine nurûs injuria fieri non potuit.

A.M. 3297.

Anianus regnat Babylone.

§ 31. Poſt *Mardocempadum*, *Anianus Babylone* regnat annos 5. *Aſtacum* in *Bithynia Olympiadis* 17. anno primo *Megarenſes* condiderunt, *Aſtaco* duce; quæ *Nicomedia* poſtmodum vocata eſt, (*Memnon* in Bibliotheca *Photii*,) à rege *Nicomede*. A *Zypœte* conditam *Thrace Pauſanias* (*Eliac.* 1.) ſcribit.

A.M. 3301.

Multæ ſub hoc tempus conduntur urbes à *Græcorum* coloniis.

Polydoro apud *Spartanos* regnante, duas ferunt emiſſas indè in Magnam *Græciam* (*Italiæ* partem ſic dictam) colonias. Altera *Crotonem* condidit in ſinu *Tarentino* urbem, aëréque ſaluberrimo, *Olympionicis* poſtea claram, *Milone* inprimis. Altera *Locros Epizephyrios* auxiſſe potiùs quàm condidiſſe videtur, in ipſa calce *Italici* pedis. *Locri* enim (A. M. 2828.) ab *Ilio* remeantes, eò tempeſtatibus impulſi, oppidum condiderant, nominéque ſuo donârant. *Strabo* (lib. 6.) *Miſcellum* ſcribit *Achæum* condidiſſe *Crotonem* oraculo mandante, & adjuvante *Archiâ*, proficiſcente jam ad condendas *Syracuſas*, *Olympiadis* 17. anno 3. (*Dionyſ.* 2.) Sed ſcripſit *Ephorus* ad peculiares, *Iapygibus* antea habitatas fuiſſe: (ad A. M. 3299. anno 3. *Olympiad.*

Piad. 17.) ut à *Miſcello*, ſive *Miſcyllo*, aucta *Croton* quoque, non exſtructa, videatur. Eodem tempore, *Olymp.* 17. ann. 30. alii alias urbes moliti ſunt novas, *Naxum*, *Megara*, *Syracuſas*, in *Sicilia*. *Theoclem* ferunt *Athenienſem*, cùm aliò curſum inſtituiſſet, ventis in *Siciliam* delatum, animadvertiſſe feraciſſimæ terræ præſtantiam, deſpicabilem verò incolarum conditionem & paucitatem. Reverſus *Athenas*, cùm perſuadere non poſſet popularibus ut colonias eò mitterent, ipſe, collecto magno *Chalcidenſium* in *Eubœa*, *Ionum*, atque *Dorienſium* numero, quorum erant maxima *Megarenſes* pars, in *Siciliam* navigavit, urbéſque duas poſuit in Orientali latere, *Naxum* & *Megara*. *Chalcidenſes Naxum*, *Dorienſes Megaris* profecti *Megara*, quo priùs in loco *Hybla* urbs modica ſteterat, incoluêre. Atque hæ primæ videntur fuiſſe *Græcorum* coloniæ in *Sicilia*. Sed utriſque longè præſtiterunt *Syracuſæ*. *Strabo* (lib. 6.) & *Suidas* (in *Archias*) eodem aiunt tempore conveniſſe *Delphis Miſcellum Rypis* in *Achaia* natum, & *Archiam Corinthium*, ut patriam ſibi novam quærerent, aliquod ob facinus veteri extorres. Interrogavit *Pythia*, utrùm in patria nova ſanitatem an divitias mallent. Sanitatem *Miſcellus*, alter opes prætulit. Utrumque ſui voti compotem ut faceret vates, *Miſcellum Crotonem* juſſit habitare, in Magna *Græcia* locum ſaluberrimum; *Archiam* in *Sicilia*, fœcundiſſima regione, *Syracuſas* condere, quæ in tantas crevêre opes, ut de maximè divitibus & opulentis proverbium narret *Strabo*, *Nè decimam eos partem Syracuſanarum poſſidere*; eámque urbem *Cicero* maximam *Græcarum* urbium pulcherrimámque fuiſſe dicat. Alterum erat à luxu proverbium par, (qui ferè ſolet ex divitiis naſci,) *Syracuſanæ menſæ*, hoc eſt, magnificæ opiparæque. Aliud oraculum *Suidas Miſcello* datum ait, *ibi ut urbem conderet*, *ubi ſerenum cœlum deplueret*. Cùm ille abjectâ ſpe, conſiliíque inops, in *Italiam* tamen trajeciſſet; (quippe fieri non poſſe credidit quod poſtulabat oraculum;) eo ſolicito admodum & mœſto, contigit *Æthriam*, ejus concubinam, abunde lacrymas profundere. Quo ille viſo, ſatisfactum putavit oraculo, (Αἴθρα enim *cœlum ſerenum* ſignificat,) urbémque ſtatim *Crotona* vel conſtruxit, vel novis auctam ædificiis incoluit.

A.M. 3301.

Miſcellus ſanitatem, *Archias* opes præfert.

Inter optimos numeratur *Lacedæmoniorum* reges *Polydorus*. Quippe virum aiunt ſpectatæ virtutis, juſtitiam unicè integerriméque, ſed cum ſumma lenitate conjunctam, coluiſſe; nihil unquam feciſſe per vim; nihil dixiſſe cum alterius contumelia: proinde civibus chariſſimum fuiſſe, plebi maximè, ac per omnem *Græciam* floruiſſe gloriâ. Adeò poſſunt humanæ res ſupra omnem culpam juſtámque reprehenſionem conſtitui; ſupra invidiam odiáque omnium non poſſunt. Hic tantus támque laudatus vir, à *Polemarcho*, non infimi loci homine, ſed inſignis audaciæ, indignâ cæde ſublatus eſt. Honores mortuo *Lacedæmonii* haud vulgares habuerunt: an & cædem ulti ſint, minimè conſtat. Nam & *Polemarcho* ſuum apud *Spartanos* monumentum exſtitit. Nulla unquam virtus, nulla ſatis merita homines vel optimos contra invidiam obſcuráque hominum odia communire poſſunt. *Eurycrates* filius ei ſucceſſit in principatu, *Agidarum* undecimus, regnavítque annis, credo, viginti.

Polydorus, *Spartanorum* rex omnium optimus, à *Polemarcho* interimitur.

§ 32. Poſt *Anianum* fuit biennii apud *Babylonios* interregnum.

A.M. 3302.

Candaules Myrſilus, *Lydorum Sardiúm*que rex, admodum ſe beatum putabat inſigni ſuæ uxoris ſpecioſiſſimæ formâ: neque tamen beatum ſatis, niſi & alios ſuæ felicitatis conſcios haberet. Nam pulchritudine uxoris tanquam theſauro frui reconditâ in occulto, ſatis ad voluptatem, non ſatis ei ad gloriam fuit. *Gyge*, *Daſchyli* filio, ſatellitúmque præfecto, rex perquam familiariter utebatur, quippe cujus fidem induſtriámque multis habuit atque magnis in rebus exploratam. Apud eum igitur laudibus miris prædicat uxoris formam, —*Laudat digitóſque manúſque*, *Brachiáque*,— & ſummam oris venuſtiſſimi dignitatem. *Quæque latent meliora facit.*— Cùm autem *Gyges* non ſatis attentus vel credulus videretur, libido cepit regem, quò laudibus ſuis fidem faceret, nudam uxoris ſpeciem ipſis ejus oculis ſubjicere. Tam novâ fœdâque re attonitus *Gyges*, cùm id agi ſeriò proſpiceret, ſolicitè humilliméque deprecari; & "quidvis aiebat credere malle ſe, quàm in regii thalami arcana "impudicis oculis penetrare. At fruſtrà ſatelles regiæ pertinaciæ repugnabat. Tempore igitur opportuno, in angulo conſtitutus obſcuro, percurrit oculis quam volebat rex pulchritudinem reginæ. Nemine obſervante ſpectavit, at non diſceſſit. Reſpicienti fortuitò reginæ obeuntis tanquam umbra viri viſa eſt. At nè quid turbarum atque tumultûs daret, non diſſimulavit imprudens rex, tum quis vir eſſet, tum quid egiſſet autore ſe. Paulò prudentior diſſimulavit regina iracundiam ſuam, etſi pudore ingenti confuſa & inexpiabili. Tacita devorabat quaſi minimi momenti vim; ſed graves

Candaules oſtentans uxoris nuditatem, à *Gyge* indè occiditur.

A.M. 3302. graves agitabat animo, differebátque —— *in idonea tempora pœnas.* Poſtridie, cùm domeſticorum quorundam conciliâſſet ſibi voluntatem ac fidem, *Gygem* ad ſe clam rege accerſiit. Ille vocanti paruit, nihil ratus adhuc noviſſe reginam de nuditate,quæ præſentem ità paucis alloquitur: *Tu jam, ô Gyges, quaſi præclarè geſtâ re, de regina nuda triumphas. Sed ut ſcias, meis tantùm legibus triumphaturum te, in mea poteſtate nunc & tu nudus armis es. Optionem itaque tibi do, quâ dignam temeritate tuâ pœnam poſſis effugere. Vel tibi cædendus autor eſt, qui meam tibi prodidit nuditatem, quò ejus & regno fruaris & conjugio, vel tuâ cæde luenda tibi eſt oculorum impudicitia. Gyges*, ubi proditam ſenſit notámque rem, primò excuſare quantum potuit avertereque à ſe crimen; non niſi coactum feciſſe, ac perinvitum regiis mandatis obtemperantem: rogare igitur obnixè humillimèque, nè legibus tam ſeveris ad facinus tam indignum adigatur. At regina paucis, *fruſtrà eum deprecari*, aiebat, *quod vitari non poſſet*; *ſibi ſtare ſententiam. Illico ſtatuendum eſſe utrum eligeret, vel moriendum illico.* Cùm nulla eſſet elabendi ſpes, tanta verò præmiorum eſſet magnorum oblata, profeſſus tandem eſt, *ſe malle vitam aliorum prodere, quàm ſuam*; *& perimere, quàm perire.* Quid multa? de modo conventum eſt. Regem nocte dormientem *Gyges* interemit: quo & regno ſui domini ſatelles, & reginâ conjuge potitus eſt. Tantum eſt diſcriminis *Fœmineum crudele genus* aliquo probro irritare, cui vix niſi cæde & ſanguine fieri ſatìs poteſt. Animis iniquis tulêre *Lydi* ſui regis necem. Itaque in armis erat multitudo, & in unum ex *Heraclidis* conferri principatum voluit. Tandem inter partes ità convenit, ut oraculo *Delphico* rem committerent. *Gygem Pythia* regem renunciavit; addidit ſimul, *ejus & nepotem pœnas daturum Heraclidis.* Ità *Marmaridarum* familia regnum obtinuit *Lydorum*: multáque *Gyges* donaria *Delphis*, aurea ſimul argenteáque, dedicavit. Duodequadraginta quibus regnavit annis nihil ab eo memorabile geſtum eſt, niſi quod *Mileto* & *Smyrnæ*, urbibus *Ionicis*, arma intulit, *Colophonem* verò cepit vi. Et *Smyrnâ* potitum, denuo expulſum à civibus ait *Pauſanias.* (*Meſſen.*) Tyranni titulum huic primo affixum ferunt. (*Clem.* Stromat.)

A.M. [a] 3304. [b] 3305.

[a] Nemine per biennium regnante, *Babylus* tandem *Babyloniis* imperavit triennio.

Tharacon rex Ægypti. [b] *Tharacon Æthiops*, qui 2 *Reg.* 19. 9. & *Eſai.* 37. 9. *Tirhaca* videtur appellari, *Ægyptiis* imperat ann. 18, *Sivetho* mortuo. Hic fortaſſe *Tearchon* ille *Æthiops* apud *Strabonem*, (lib. 15.) qui in *Europam* uſque migraviſſe cum exercitu dicitur.

[c] *Apraxadius Babylone Babylo* ſucceſſiſſe dicitur, anníſque ſex imperâſſe.

A.M. [c] 3307. [d] 3308. *Hezechias moritur.* *Eſaias quis, quid ſcripſerit, & quando.*

[d] § 33. Confecerat jam ſuos quindecim vitæ annos, quos ſupra naturam *Hezechiæ* largita erat benignitas Divina. Mortuus ergò tandem, in ſupremo regum *Davidicorum* ſepulchro tumulatus eſt, omnium qui hactenus regnaverant *Davidi* ſimillimus. Cohoneſtabant funus optimi principis *Judæi* omnes & *Hieroſolymitani* cives pompâ maximâ. *Hezechiæ* geſta *Eſaias* ſcriptis prodidit, (2 *Chron.* 32. 32.) qui per annos ferè 90, *Uzziâ*, *Jothamo*, *Achazo* & *Hezechiâ* regnantibus, vaticinia edidit, maximè omnium magnificus & Evangelicus Propheta. Poſt obitum *Jeroboami* ſecundi cœpiſſe videtur *Eſaias*; de quo non ullibi Propheta meminit. Sunt qui putent ea quæ in primis quinque capitibus ejus Prophetiæ ſcribuntur, *Uzziâ* vivente fuiſſe tradita; quæ in ſexto, *Jothami* anno primo; ſeptimi capitis & octavi fortaſſe vaticinia *Achazo* regnante ſcripta; reliqua ſub *Hezechia. Amoſi* fuiſſe filius dicitur, non Prophetæ, ac paſtoris *Tecoani*; ſed viri nobilis *Hieroſolymitani.* (*Iſid.* in *Amoſ.*) Nec utriuſque *Amoſi* nomina iiſdem planè literis *Hebraïcè* ſcribuntur. *Nahum* quoque contra *Ninivitas*, dum imperabat *Hezechias*, prophetabat. Eodem regnante ſoli omnium *Iſraëlitarum Simeonidæ* in melius proficiebant, hominúmque multitudine abundabant & pecudum copiis. Laxiores itaque ſibi terminos quærebant. *Gedorenſes* verò alienigenas in tribu *Danis* adorti, otio & affluentiâ rerum in ſolo ubere & amplo enervatos, facilè profligârunt, urbémque ſuis colonis, ſuis paſcua pecoribus occupârunt. Quingentorum *Simeonidarum* turma altera, reliquiis *Amalecitarum* ex *Idumæa* expulſis, eas ipſi deinde ſedes tenuerunt. (1 *Chron.* 4. 39, 40.)

Simeonidæ terminos ſuos dilatant.

JOSIAS,

JOSIAS,

SIVE

ANNALIUM MUNDI

Primi Tomi

LIBER DECIMUS QUARTUS;

Qui,

Ab anno primo *Manaſſis* regis *Judæorum*, ad captas dirutáſque *Hieroſolymas*, habet annos 110.

A. M. 3309.

Manaſſes rex Judæus, patris pii filius ſceleratiſſimus.

§ 1. HEzechiâ defunĉto, filius *Manaſſes*, duodecimum agens annum ætatis, regnum iniit *Judaïcum Hieroſolymis*, avo ſimilior nepos quàm filius patri, moribúſque puer magìs quàm ætate. Profanas enim gentium religiones æmulatus eſt, quas expulerat Deus, ut *Iſraëlitas* in earum ſedibus collocaret. Excelſa conſtruxit quæ diruerat *Hezechias*, & aras *Baalimis* condidit; conſeruit lucos, & cœlorum ſtellas coluit pro diis. In ipſo *Hieroſolymarum* Templo, quod ſibi conſecraverat uni Deus, altare poſuit ſtatuámque, (ſtatuam *Jovis* quadriformem, ait *Suidas*,) aliáſque in atriis Templi aras, ad colenda ſtellarum numina. Filios ſuos in valle *Benhinnomâ* tranſire per flammas juſſit. Incantationibus & veneficiis deditus, malis ariolorum magorúmque artibus, divinorum atque pythonum uſus eſt. Nec ſolus inſanivit: populum corripuit morbus regius. Populum ad nefaria idolorum ſacra, tum exemplo ſuo pellexit, tum coëgit mandato. Nec ſævitia in homines minor quàm impietas in Deum. Cædibus graſſabatur, plurimóque hominum innocentium ſanguine *Hieroſolymas* funeſtavit. Præter cæteros, *Eſaiam* ab eo Prophetam ſerrâ diſſectum ligneâ, ex traditionibus *Judæorum* & *Talmud. Babylon.* memorant *Juſtinus Martyr*, (in Dial. cum *Tryphone*,) *Hieronymus*, (in *Eſai.* 20. & 57.) *Suidas*, & alii, inter quos Autor epiſtolæ ad *Hebræos*. (Cap. 11. v. 37.)

A. M.

§ 2. [a] Poſt *Apraxadium Babylone* regnavit *Regibelus* ann. 1. Poſt *Regibelum*, *Meleſſimordacus* ann. 4. Deinde interregnum *Babylone* fuit annorum 8. [a] 3313.

Apud *Spartanos*, *Zeuxidamo* defunĉto, *Anaxidamus*, *Eurypontidarum* duodecimus, annos regnavit 40. [b] 3321.

[c] 3323.

[b] *Eurycrate* mortuo, *Anaxander*, *Agidarum* duodecimus, annos 39. [d] 3324.

[c] Et in *Ægypto*, expulſis *Æthiopibus*, *Stephanites*, Dynaſtiæ 26. autor, annos imperavit ſeptem.

Ariſtomenes autor eſt *Meſſeniis*, ut *Spartanorum* jugum excutiant.

[d] Duodequadraginta jam annos laboravêre *Meſſenii* ſub iniquiſſimo *Lacedæmoniorum* jugo. Et plus ultrà malorum proſpiciebant, nullâ rerum æquiorum mitiorúmve oblatâ ſpe. Læſa nimiùm patientia tandem aliquando fit furor. Et ſuccreverat illis nova jampridem & ampla ſeges juventutis militaris. Inter omnes eminebat

regii

A.M. 3324. regii ſanguinis *Ariſtomenes*, corporis animíque robore invicto vir; qui tamen *Pyrrhi*ne fuerit an *Nicomedis* filius non conſtat. Ille primus libertatis aliquam & animo ſuo concepit aluítque ſpem, & ſuis mox popularibus fecit. Apud ſuos æquales, plurimos acerrimóſque, *Andaniæ* præſertim juvenes, de ſervitute ſua, dominorúmque ſumma iniquitate, ſæpius & graviter conqueri; mox de libertate liberiùs ac defectione varios conſerere ſermones. Ardebant omnes libertatis deſiderio, quodvis facturi ſubiturique periculum eâ ut potirentur. Uti quidem patriâ ſe, at non frui, dicebant, libidinis alienæ ſervos. Præſtabilius videri, vel exſulare, vel mori liberos, quàm hoſtium mancipia vivere. Abunde terrarum alibi vacare culturis: & patriam fore, (ſi victi fortè excluderentur hinc,) ubicunque foret bene. Cùm ſuorum paraviſſet animos, ſociorum quoque *Ariſtomenes* clàm ſibi tentandos, *Arcadum* præcipuè & *Argivorum*, cenſuit, an, ſi *Lacedæmoniorum* excuterent *Meſſenii* jugum, illi eſſent cum auxiliis adfuturi. Cùm utrumque populum ſuâ ſpe promptiorem inveniſſet, (apertas enim inimicitias cum *Lacedæmoniis* exercebant,) tum verò expedire arma & exercere, *Lacedæmoniorum* detrectare imperia, in libertatem aſſerere ſe poſt longam pœnarum patientiam, & planè deficere. Aderant illico *Spartani* cum exercitu, ad obſequium ſervos revocaturi. Cùm hinc igitur injuria, indè indignitas animos acueret, ad *Meſſeniæ* vicum *Deras* magnis utrinque animis ſigna collata ſunt. Quo ſucceſſu nuſquam traditur. Sed *Ariſtomenis* tum primùm ferunt eluxiſſe virtutem, eúmque facinora humanis majora ediidiſſe. Re certè infectâ diſceſſiſſe *Lacedæmonios* conſtat, regnúmque ob bene geſtam rem *Ariſtomeni* delatum: quod ille cùm recuſâſſet, imperatorem cum ſumma poteſtate præeſſe bello voluerunt. Quò in ipſis igitur principiis formidabiliorem ſe *Lacedæmoniis* redderet, ingreſſus noctu *Spartam*, ad *Minervæ Chalcidicæ* templum affixit muro ſcutum, cui inſcripſerat, *Ariſtomenem* deæ de *Lacedæmoniorum* manubiis dedicare. Cùm gravius opinione primâ *Lacedæmonii* bellum timerent, de belli eventu oraculum *Delphis* conſulere viſum eſt. Ducem jubentur belli, vel conſiliarium potiùs, ab *Athenienſibus* petere. Sed *Athenienſibus* anceps ea viſa eſt res. *Lacedæmoniorum* illi jam tum & æmulabantur gloriam, & formidabant potentiam. Neutram igitur auctam victis *Meſſeniis* voluerunt. Oraculi tamen religionem contemnere nefas habebatur. Erat *Athenis* quidam ludi puerilis magiſter, homo perobſcurus, nec ſatis mente ſanus, & altero claudus pede; imò & luſcus, inquit *Porphyrius*; at elegiacus Poëta, & vir probus *Platoni* viſus; *Tyrtæum* vocabant, *Archembroti* filium, patriâque *Athenienſem*, etſi *Mantinëus Plutarcho*. (Lib. de Muſica.) *Acron Tyrtæum* ſcribit inveniſſe tubam, vel tubæ modulos & cantum docuiſſe; quo territi ſono hactenus inaudito, *Meſſenii* ultimam fecêre fugam. De hoc *Horatius*,

Regnum à *Meſſeniis* oblatum reſpuit.

Tyrtæus, utut luſcus, inſanus, claudus, extraneus, *Spartanorum* fit imperator.

> *Tyrtæúſque mares animos in Martia bella*
> *Verſibus exacuit.* ————————

A *Spartanis* civitate donatus eſt; & hanc ob cauſam, (inquit *Pauſanias* in *Plutarcho*,) nè extraneus *Lacedæmoniis* imperaret. Eum tamen ut inutilem, & nihil in bello profuturum, miſerunt *Athenienſes*: quanquam plùs quàm illi aut putabant, aut volebant, *Spartanis* profuit. Primò enim, exercendi armis juventutem autor fuit. Deinde, elegis & anapæſtis modò principes civitatis, modò plebem monere, ac docere quid uſus facto foret; milites etiam confirmare, concitare, cohortaríque ad fortitudinem, gerendámque ſtrenuè ac intrepidè rem.

Argeüs imperat *Macedoniæ*.

Argeüs, *Perdiccæ* filius, patre defuncto, *Macedonicum* tenuit imperium ann. 38.

A.M. 3325. Altero belli *Meſſenici* anno viribus totis præliatum eſt, etiam additis utrinque ſociorum auxiliis, ad *Apri* monumentum, Vicus erat is in *Stenyclero* agri *Meſſenici* regione, ubi *Herculem* ferunt cum filiis *Nelei* ſuper extis apri fœdus pepigiſſe. *Elei*, *Arcades*, *Sicyonii Argivi*que *Meſſeniis* opitulati ſunt: *Corinthii* tantùm *Lacedæmoniis*, & è *Lepreatis* nonnulli, *Eleorum* odio. Aderant *Meſſeniis* & Magnarum dearum antiſtites, qui *Eleuſine* jam ad ſpem libertatis publicæ redierant, & alii qui poſt bellum prius ex *Meſſenia* profugerant. Operam inprimis egregiam præſtiterunt in hoc prælio, qui & hujus belli autores præcipui poſt *Ariſtomenem* fuerunt, regis *Androclis* nepotes ex filia, *Phintas* & *Androcles*. Cùm perlitâſſent utrinque vates, *Lacedæmoniorum Hecatus*, *Theoclus Meſſeniorum*, magna utrinque alacritas concurrentium militum fuit. *Tyrtæus* & Magnarum dearum antiſtites, non illi quidem pugnavêre, ſed alios cohortationibus ad pugnandum accendebant. *Anaxander Lacedæmonios* ducebat, qui

Ariſtomenes cum *Meſſeniis Spartanos* ſuperat ſecundo prælio.

qui magno ipſe bellicæ gloriæ ſtudio ducebatur, validiſſimámque habuit trecentorum militum cohortem regiam. *Ariſtomenes* juvenum octoginta ſolùm, ſed lectiſſimorum, & æqualium ſuorum, præſidio munitus eſt. Cum his *Anaxandro* ſe & *Spartani* exercitûs robori oppoſuit. Diu acerriméque dimicatum eſt. Multa utrinque data ſunt, avidéque accepta vulnera. Poſt multas demum horas, cùm nihil ferè ſpei reliquum haberent *Ariſtomenei*, multo negotio impetúque magnò *Anaxandri* cohortem pepulerunt & profligárunt. Fugientes ut perſequerentur, aliis imperatum eſt. *Ariſtomenes* cum ſuis alios hoſtes aggreditur integros adhuc; iiſque fuſis, invadit novos, ac ſubindè novos; donec tandem *Lacedæmoniorum* aciem totam ordinibus diſturbatis avertiſſet in fugam. Dum perſequebatur palantes, ad pyrum fortè ſylveſtrem in campo ſpatioſo pervenerat. Indè ferunt eum à *Theoclo* vate revocatum, nè ultrà pergeret, eò quòd *Caſtorem* & *Pollucem* in ea conſidentes arbore videret. Sed ardore impetúque pugnæ abreptum, non animadvertiſſe *Theocli* monita ferunt; perrecturum verò ultra interdictam arborem amiſiſſe ſcutum; dúmque in quærendo morabatur, evaſiſſe hoſtes: neque tamen clypeum reperiſſe, donec *Pythiâ* conſultâ ad ſpecum *Trophonii* remiſſus eſt, ubi ſcutum inventum, & *Lebadeæ* dedicatum, vidiſſe quidem ſe narrat *Pauſanias*. *Andaniam* ex pugna reverſum, matronæ gratulabundæ tænias in eum & flores aliáque ejuſmodi injicientes, Epinicion lætiſſimæ canebant. At *Lacedæmonii*, tantâ perculſi clade, arma jam depoſituri, acturique erant de pace, niſi *Tyrtæus* elegis recitandis deduxiſſet eos de ſententia, militéſque cæſos *Hilotûm* delectu ſupplere in cohortibus monuiſſet. Nè victis hoſtibus feriabatur *Ariſtomenes*; ſed *Pharas* oppidum *Laconici* juris ſub veſperam profectus, noctu cepit ac diripuit. *Nicandrum* ex inſidiis adorientem in reditu ſe fudit; ſed tragulâ ſauciatus in femore, elabi paſſus eſt, incolumíque prædâ rediit. Sanato vulnere, *Spartam* ipſam adoriri conſtituit. Sed objectâ per viſum *Helenæ* ac Gemellorum ſpecie, ab eo deterritum incepto ferunt. Rediturus indè, *Caryatidas* virgines, dum choros *Dianæ* agitabant, ex occulto aggreſſus, optimam quamque & præſtantiſſimis natam parentibus abſtulit, magnóque reddidit pretio redemptas. Milites verò cuſtodes, cùm vino & libidine exardeſcentes inferre captis conarentur vim, ferro cecidit. *Ægilæ* in agro *Laconico* matronas, quæ per feſtos dies in templo *Cereris* ludos faciebant, pari quo virgines dolo opprimere conatus eſt. Eæ verò, ut *Laconicæ* diſciplinæ mulieres, repulêre vim vi, cultríſque & verubus armatæ, quibus in deæ ſuæ ſacris uſæ fuiſſent, reliquos multârunt malè; ipſum denique *Ariſtomenem*, facibus capite graviter percuſſum perculſúmque, cepêre vivum, & in vincula conjecerunt. Sed ab *Archidamia*, ſacrorum antiſtita, ejus amore correpta priùs, eádem nocte liberatus evaſit; ſimulante fœminâ, exuſtis eum vinculis effugiſſe.

A. M. 3325.

Anno belli *Meſſenici* tertio, tertium & prælium de ſumma rei commiſſum eſt, ad magnam foſſam: ubi victoriam *Lacedæmonii* magnam facilémque, ſed emptam & conſtupratam, adepti ſunt, *Ariſtocrate Trapezuntio*, *Arcadum* rege ducéque, (qui ſoli ſociorum aderant,) muneribus corrupto. Ac primi omnium *Græcorum Lacedæmonii*, qui ſuam maximè jactabant fortitudinem, pecuniâ feruntur tentaviſſe hoſtium fidem, & mercatos fuiſſe victoriam, quæ virtuti militum priùs & numinis benignitati debebatur. (Qua in re animadvertit *Pauſanias*, *Lacedæmonios* poſtea inhoneſtam hanc minimèque virilem bellandi artem ipſos luiſſe vindictâ (quod aiunt) *Neoptolemi*. Etenim *Perſæ* donorum pecuniarúmque ſtimulis reliquas *Græciæ* civitates incitavêre in *Spartanos*.) Cauſatus quidem *Arcas* eſt apud ſuos (nè palàm ſocios prodidiſſe videretur) locorum ubi pugnabatur anguſtias & iniquitatem, ſi quid adverſi contingeret, & ſacrorum infelicium minas. Sub ipſum igitur initium prælii, intentis omnibus ad pugnam, ſigno ab *Ariſtocrate* dato, terga verterunt *Arcades*, qui magnâ frequentiâ magnam dederant victoriæ ſpem. Attoniti re tam inopinatâ *Meſſenii*, haud longo tempore perſtiterunt in acie, cùm ſe longè impares viderent. Pauló diutiùs *Ariſtomenes* cum ſuis reluctatus eſt. Tandem ceſſit multitudini virtus. Fuſi omnes, fugati, magnâque ſtrage cæſi, & rem & ſpem planè amiſerunt. Nec vulgus modò, ſed & principum generoſiſſimus quiſque cecidit; *Androcles* & *Phintas*, generis quondam regii, & *Olympicâ* palmâ nobilis *Phanas*, qui præclara in eo prælio ſuæ virtutis ſpecimina ediderat. *Ariſtomenes* adhuc ſupererat, qui, collectis diligenter pugnæ reliquiis, autor *Meſſeniis* fuit, ut, *Andaniâ* relictâ oppidíſque mediterraneis, in *Ira* monte (quemadmodum in *Ithome* priùs) belli arcem conſtituerent, reliqua hoſti permitterent, præter *Methonen* atque *Pylum* maritimas, unde aliò deſperatâ re conſcenſis navibus confugerent.

A. M. 3326.

Tertio prælio à *Spartanis* ſuperatur, ſed victoriâ conſtuprata.

Yyyy

§ 3. Poſt

A.M. 3326.

Samaritanorum religio mixta.

§ 3. Poſt octo annorum interregnum *Babylone*, *Aſſaradinus*, qui *Aſſyriorum* videtur *Eſarhaddon* eſſe rex, *Babyloniorum* quoque ſuſcepit imperium, tenuítque ann. 13. Ex eo enim conſtat *Aſſyriis* paruiſſe *Babylonem* hoc tempore, quòd regis *Aſſyrii* duces *Manaſſem* detulerunt *Babylonem*; (2 *Chron*. 33. 11.) & in *Samaria*, in urbes & agros ab *Iſraëlitis* relictos, coloni, ut ex aliis locis imperii *Aſſyriaci*, ex *Cutha* & *Ava*, ex *Hamatha* & *Sepharvaïmis*, ità ex *Babylone* deducti ſunt. (2 *Reg*. 17. 24.) Sed propter incolarum paucitatem, ex quo in exſilium *Iſraëlitæ* migraverant, ampla regio ſylveſcere, &, humano cultu deficiente, occupaverant terram feræ. Coloni enim à *Salmanaſere* pauciores videntur miſſi; complures ab *Eſarhaddone*, quò eam imperii partem munitiorem redderet, tutiorémque à *Judæis*. Interea ferarum aucta eſt vis, & leones voraces creverant, qui in homines villáſque impetum faciebant, oppidáque ipſa infeſtabant, annuente Deo; ut eum eſſe timendum colendúmque gentes etiam profanæ cognóſcerent, qui propter impietatem expulerat *Iſraëlitas*. Tantúmque erat hoc à feris malum, ut à Deo ejus regionis immiſſum crederent gentes peregrinæ, eò quòd non ritè ab iis coleretur. Querelas ergò detulerunt ad regem ea de re *Aſſaradinum*; qui ſacerdotem unum reddidit ex *Iſraëlitis* exſulibus. Is *Bethele* habitavit, cultúmque docuit Dei *Jehovæ*. Neque tamen ſuis illi patriis renunciavêre diis; ſed *Melittæ* ſive *Succoth-Benoth* addiderunt *Jehovam Babylonii*, *Nergali* ſuo *Cuthani*, *Aſhimæ Hamathani*, *Nibhazo* & *Tartaco* ex *Ava* profecti, *Adrammelecho* deniqueque & *Anammelecho Sepharvaæi*, quibus & liberos ſuos comburendos dabant. Hæc ea erat mixta religio *Samaritanorum*, quâ & ſua colebant patrio ritu idola, & *Jehovam* ſimul timere ac venerari ſe præ ſe tulerunt.

A.M. 3327.

Athenienſes tadet monarchiæ.

§ 4. *Athenienſes* nondum eò libertatis pervenerant quò aſpirabant, quamdiu ſummæ rerum unus vir, & ejuſdem familiæ *Medontidarum*, præerat. Et diuturnitas decennalis imperii nimia videbatur; quod patére omnibus & communicari optimatibus volebant. Jam tandem igitur novem ſibi magiſtratus, eóſque annuos, creaverunt. Primus novenorum *Archon* propriè dicebatur & *Eponymus*. Ejus nomine ſcilicet annus in faſtis deſignabatur. Alius *Rex*, tertius *Polemarchus*, reliqui ſex *Theſmothetæ* nuncupati. Et ſinguli ſeorſum magiſtratum gerebant inprimis, dicebántque jus; qui mutatus à *Solone* mos. Archon ſive princeps hujus collegii primus *Creon* vocabatur.

A.M.

3330. *Nicepſos* in *Ægypto* poſt *Stephanitem* annis regnavit ſex; quem *Euſebius* (in Chronicis) magicæ artis fuiſſe peritum ſcribit.

3331. *Judæorum* ille impius *Manaſſes* rex indies Deum ſceleribus ſuis immanibus provocabat; miſsíque ad eum Prophetæ ſæpius monuerant peccatorum, & magna minitati ſunt, niſi reſipiſceret, mala. Nihilominus ille pergebat in eadem ſemita, quaſi dubitaret eſsétne aliquis *Jehova* Deus. Id eum certò voluit cognoſcere Divinum Numen, neque abjicere protinus viri tam pii delinquentem filium, ſed caſtigando potiùs revocare ad ſe. Nec populum à duce corruptum exterminandum adhuc Deus putavit, ſed eâdem tolerantiâ ferendum quâ in *Iſraëlitas* praviſſimos longo tempore uſus eſt. *Manaſſen* ergò *Aſſyriorum* ducibus, invadentibus (credo) *Judæam*, captivum tradidit, qui in vincula conjectum abduxêre *Babylonem*, anno regni 22. ut Talmudici tradunt; ſed quadrageſimo, ut Rabbi *Kimhi* in *Ezec*. 4. ex traditionibus (puto) *Judæorum*. Tum demum profanus homo ſuam agnoſcere impietatem, ſupplicem coram Deo ſe atque humillimum abjicere, impensè deprecari ea quibus premebatur mala, miſericordiam precibus importunis atque veniam petere. Tandem exaudivit ſupplicantem invocantémque ſe mitiſſimum Numen, effecítque ut libertati & regno redderetur. Ille reverſus *Hieroſolymas* facilè perſpexit cognovítque *Jehovæ* Divinam eſſe vim; eámque ſibi ac ſuis deinceps edicto colendam propoſuit. Alienos è regno deos, aras ex urbe, & ex Templo quam poſuerat ſtatuam ſuſtulit. In Ara ænea, denuo à ſacerdotibus ritè præparata, obtulit ſacra euchariſtica & pacifica. Excelſa tamen non ſunt diruta; verùm & in his Domino facta ſunt *Jehovæ* ſacra. *Manaſſes* etiam & urbem auxit. *Ophelem* ſcilicet muro circundedit firmiſſimo altiſſimóque: & in urbibus *Judææ* munitis præſidia ducéſque prudens impoſuit. *Raleius* (Hiſt. mundi l. 2. c. 27. § 3.) ideo *Manaſſen* libere dimiſſum à *Babylonio* opinatur, urbibúſque quibuſdam in *Iſraëlitide* donatum, (2 *Reg*. 23. 15, 19.) ut *Ægyptiis* eum adverſariis ſuis opponeret: ideóque *Manaſſen* reducem *Hieroſolymas* aliáſque muniviſſe urbes, ut *Ægyptios* indè, non ut *Babylonios* excluderet. Deníque, *Joſiam* putat, non temere ſuíve regni causâ, verùm ex pacto, & *Babyloniorum* gratiâ, *Neconi* adverſus *Babylonicum* proficiſcenti repugnaviſſe.

Manaſſes ſub jugo *Aſſyriorum* proficit.

§ 5. *Iram*

§ 5. *Iram* in monte jam propugnaculis munierant *Meſſenii.* Reliqua ferè mediterranea tenebant *Lacedæmonii.* Et *Iram* oppugnando tentaverant, quia capi eam poſſe primo impetu arbitrabantur. Sed cùm opus id proſpicerent opinione ſuâ gravius futurum eſſe, atque in urbium oppugnationibus, quas *Lycurgus* prohibuerat, imperiti admodum eſſent *Lacedæmonii*; obſidione cinxerunt urbem laxiore quidem, ſed annorum undecim perpetuâ, donec tandem votorum compotes ſunt. Interea ſæpius *Ariſtomenes* erupit, egregiáque patravit facinora. Trecentos enim coëgit fortiſſimos viros, quibuſcum exire ſolebat frumentatum, pérque *Meſſeniam* & finitimas *Laconici* agri partes graſſabatur, omniáque diripiebat quæ uſui erant. Hæc cùm perſpicerent *Lacedæmonii*, edicto caverunt, nè colerentur diutiùs agri durante bello. Hinc annonæ difficultas, indéque ſeditio nata eſt. Sed & hos motus compoſuit *Tyrtæus*, ídque ſolis ſuis elegis. *Amyclas* deinde *Ariſtomenes* cum ſua cohorte (magnis eò per noctem itineribus contendens) impetu ſubito cepit ac diripuit; rediítque priùs ad ſuos, quàm ſubveniri potuit è *Sparta.* Neque deſtitit priùs agrum hoſtilem excurſionibus infeſtare, quàm in impar certamen cum utroque rege *Spartanorum*, majoribúſque longè copiis, incidit, ubi lapide ictus caput, exanimis corruit; captúſque in *Ceadam* cum quinquaginta aliis abjectus eſt. Voraginis altè dehiſcentis id erat nomen, quò criminum atrociorum damnatos præcipitabant. Et reliqui omnes perierant antequam *Ceadæ* fundum attigiſſent: ſolus *Ariſtomenes* poſt dies adhuc tres vivebat, ſed veſte obvolutus jacuit, extremámque ſibi horam haud abeſſe procul putavit; cùm, ſtrepitu audito, per ſubluſtres tenebras vulpeculam cadavera depaſcentem conſpexit: unde conjecturam facillimè fecit, aliquem patère aditum exitúmque, per quem ingreſſa eſſet vulpes & exitura. Immotus ergò tantiſper jacuit, dum ad ſe quoque acceſſit vulpes: accedentem verò manu apprehendit, & veſte obvolutam ità tandem dimiſit, ut abeuntis veſtigia ſequeretur, donec & lucem vidit aliquam, ipsúmque foramen quo vulpes irrepſerat. Sed anguſtius erat illud quàm ut corpori humano præberet exitum. Egeſtâ igitur manibus terrâ, ſibi ſatìs amplum reddidit, & eâdem elapſus in patriam rediit. Quod cùm à profugis quibuſdam nunciatum eſſet *Spartanis*, haud aliter crediderunt, quàm ſi hominem revixiſſe narrâſſent mortuum. Mox tamen *Ariſtomenes* hac de re certiſſimos eos fecit. *Spartanis Iram* obſidentibus *Corinthii* auxilia ſuppeditârunt: cúmque ſciviſſet *Ariſtomenes* per ſpeculatores, caſtra in itinere negligentiùs cuſtodiri, nocturno impetu ſecuros invaſit; & præter duces 4, ſuâ centum unius manu interfecit, prætoriúmque diripuit. Didicerunt *Lacedæmonii* jam vivere *Ariſtomenem*, quia tantum ab alio ullo perpetrari poſſe non crederent. Accidit, dum *Lacones Hyacinthia* celebrabant, ut 40 dierum inducias cum *Meſſeniis* paciſcerentur; quarum fiduciâ liberiùs vagabatur *Ariſtomenes.* Sed ſecurum præſtabant induciæ, non & tutum. Aderant enim *Lacedæmoniis* ſagittarii *Cretenſes*, qui, in agrum *Meſſenium* excurſione factâ, inſidias *Ariſtomeni*, & feliciſſimè, poſuerunt. Unus à ſeptem captus eſt, vinctúſque loris pharetrarum, occidente jam luce. *Spartam* properârunt ex iis duo, gratiſſimum *Lacedæmoniis* nuncium narraturi. Reliqui in tugurium *Meſſenici* agri proximum opimam prædam pertraxêre, ubi cum vidua matre virgo filia habitabat. Hæc nocte ſuperiore viſa ſibi per ſomnum videre eſt leonem eò pertractum à lupis, vinctum, & ſine unguibus; ei ſe vincula ſolviſſe, donaviſſe ungues, virum denique reddidiſſe, & lupos mox à leone laniatos. Adducto in tugurium *Ariſtomene*, expreſſam ſomnii imaginem virgo facilè agnovit. Cúmque ex matre didiciſſet quis quantúſque vir eſſet, facere conſtituit quod ſe feciſſe ſomniârat. Vinum *Cretenſibus* abunde præbuit, altè dormientibus pugiunculum eripuit, quo vincula virgo diſcidit *Ariſtomeni*, íſque *Cretenſes* jugulavit. Tanti meriti gratiâ, virginem ſuo dedit uxorem filio. *Gorgus* vocabatur, annorum octodecim adoleſcens.

A. M. 3331. *Ariſtomenes* bis captus, bis hoſtium manibus mirum in modum eluctatur.

Hoc tempore *Gelam*, urbem in *Sicilia* nobilem, ab *Antiphemo Lindio* conditam ferunt, eò deductâ *Rhodiorum* coloniâ. Tum & in *Pamphylia Phaſelis* eſt conſtructa, *Euſebii* fide. *A. M. 3333.*

§ 6. Hîc in rebus *Ægyptiorum* definit *Manetho* deficítque. Si quid ulteriùs cognoſcendum, ex *Herodoto* diſcendum, aut *Diodoro.* *Sabaconi* ſuo *Æthiopi Diodorus* eadem ferè tribuit quæ *Sabaco Herodotus*; niſi quòd ille regnum ait vacâſſe per biennium, reverſo in *Æthiopiam Sabacone.* *Herodotus* quoque poſt *Anyſin* cæcum, & *Vulcani* ſacerdotem, *Ægyptios* 12 ſibi reges præfeciſſe ſcribit; qui, totâ regione in partes totidem diſtributâ, mutuis pactionibus & affinitatibus traditam ſibi potentiam communivêre. Per annos 15 concordiâ ſummâ conjuncti, ſuam quiſque provinciam admi-

3336. *Pſammitichus* totam *Ægyptum* occupat *Græcorum* ope.

A.M. 3336. adminiſtrabat. Placuit ergò commune ſui monumentum, ipſis Pyramidibus magnificentius, ad poſteros tranſmittere: Labyrinthum ſcilicet ingentem, quem reliquis omnibus mundi Miraculis longè præponit *Herodotus*, apud quem deſcriptum videre eſt. *Pſammitichus* tandem, *Ionum* certè & *Carum* ope *Arabúm*que, quorum auxiliis uſus eſt, alios undecim reges conſtat profligâſſe, *Ægyptúm*que univerſam occupaviſſe. Nimiâ tamen in milites *Græcorum* indulgentiâ & gratitudine offendit ſuos magnopere. Nam in *Syriam* ſuſceptâ expeditione, exteros ſibi prælatos à rege ſuo indignati, 200 ſimul defecêre millia: nec rex potuit exorare, quin peterent *Æthiopiam*, & in agris ibi optimis ſedes quærerent. Cùm rogaret *Pſammitichus*, ut patriæ ſaltem & conjugum liberorúmque eſſent memores; illi verenda regi oſtentantes, *non defuturos* aiebant *ſibi & conjuges & liberos*, *quamdiu iſta gererent*. Haſtas deinde clypeóſque pulſantes, minaci voce increpabant, *quamdiu iſta retinerent*, *facilè ſe patriam reperturos*. Plura tradit de illis *Strabo*, (l. 17.) ut & *Plinius*, (l. 6. 30.) *Pſammitichus* amicitiam cum *Athenienſibus* etiam iniit, tantúmque *Græcis* tribuit, ut pueros *Ægyptiorum Græcis* literis erudiendos tradiderit. Annos 54 regnâſſe dicitur. Vinum quoque cœpit liberiùs bibere; (ut habet *Plutarchus*, lib. De *Iſid.* & *Oſir.*) quod antea reges habebant odio, utpote ſanguinem eorum qui bellum diis intuliſſent. Nam ex eorum cadaveribus terræ permixtis natas fuiſſe vites, *Ægyptii* veteres volebant. De longinquis *Pſammitichi* expeditionibus meminerunt quidem Veteres. (*Strabo* l. 1.) Quas autem res geſſerit, nuſquam traditur.

A.M. 3337. *Numa*, regum feliciſſimo, *Romanorum* rex *Numa* inſanabili ſenectutis morbo nunc temporis laborabat. Ætatis annum 80. ſuperârat, attigerat regni 43. & quaſi ſomno ſolutus exſpiravit; cui vita par morti fuit. Ità enim ſine ſtrepitu vixit, quaſi ſomnum dormiviſſet *Endymionis*: nova ſemper commentans religionum ſomnia, quibus & populum conſopivit. Nullum vicinis bellum intulit, nullum à vicinis illatum propulſavit. Nulla populi quietem diſcordia turbavit; nulla invidiæ machinatio ſalutem principis tentavit. Sed quod ab aliis optatum ſæpe, illi ferè uni datum eſt, ——— *inoffenſæ metam contingere vitæ*. Populi ſcilicet finitimi ut ſacerdotem potiùs quàm regem, imò ut deum quendam, *Numam* venerati ſunt. Quot liberos genuerit, non convenit inter Scriptores. Quanto in amore fuerit tum ſuis tum vicinis, pompa funeris demonſtravit; cui cum ejulatibus ab omni parte intererant. Humari juſſit, non cremari, corpus ſuum. Nullus regum præter *Numam Romanorum* ſuo fato functus eſt morbo, ſenióve.

A.M. 3338. *Tullus Hoſtilius* ſuffectus eſt. *Numâ* mortuo, ad interregnum res rediit. Indè *Tullum Hoſtilium* populus regem eſſe juſſit. Patres facti autores. Hic non ſolùm proximo regi diſſimilis, ſed ferocior etiam *Romulo*. Tum ætas viréſque, tum avita quoque gloria hominem ſtimulabat. Novus rex, ut majorem apud infimum vulgus iniret gratiam, publici agri ſortem regiam, quâ *Numa* uſus eſt ad alendam familiam, procurandámque rem divinam, egentibus viritim per ſortes tradidit diſtribuendam. Annos triginta duos regnâſſe dicitur.

A.M. 3339. *Ardys Gygi* ſuccedit apud *Lydos*. § 7. *Aſſaradino* mortuo, imperium *Babylonicum* ſimul & *Aſſyriacum* tenuiſſe videtur *Saoſduchinus* annos 20.

Poſt *Gygem* patrem *Ardys Lydiæ* regno potitus eſt ann. 49. Hic *Mileſios* invaſit armis, *Prienen* cepit: ſuas verò ipſe poſtea amiſit *Sardes*, præter arcem, à *Cimmeriis* captas, quos è ſuis ſedibus *Scythæ Nomades* expulerant. (*Herodot.* l. 1.) Ab iiſdem *Cimmeriis* in *Phrygiam* irrumpentibus cùm ſibi timeret regnóque ſuo rex *Midas*, tauri epoto ſanguine ultro interiit. (*Strab.* 1.)

A.M. 3340. *Terpander* muſicus & poëta admirabilis. Hâc ætate Poëta *Lesbius Terpander* artem Lyricam excoluit. Is primus lyræ ſeptem chordas aptavit; primus leges muſicas ſeu modos lyricos invenit, aliáque non pauca ad rem muſicam ſpectantia; carmen etiam elegiacum, ut quibuſdam videtur. *Boëthius* ſcribit, (in Muſic.) *Lesbios Ionáſ*que à morbis pleriſque *Terpandri* ope cantúque fuiſſe liberatos. Et *Lacedæmoniis* inter ſe diſſidentibus aliquando, accerſitus eò *Terpander* ex oraculo, furentes eorum animos ſuavitate cantûs delinivit, diſcordiáſque ſedavit. Tanti eum igitur fecerunt *Spartani*, ut quemcunque poſtea canentem audivêre, exclamare ſint ſoliti, Λέσβιον ᾠδόν. In *Pythicis* certaminibus quater vicit; in *Carneis* apud *Spartanos* primus, quæ *Olympiade* 27. inſtituta dicit *Zoſimus*, (de Tempor.) Eodem tempore *Gymnopodia* quoque à *Spartanis* inſtituta, *Euſebius* docet, (in Chronicis.) Erant hi chori puerorum, qui nudis pedibus hymnos diis ſuis canebant, in eorum honorem trecentorum qui apud *Thyreas* obierant. (*Suidas.*) Honorando

norando mortuos, vivos ad mortem excitabant pro patria alacriter oppetendam.

A.M. 3340. 3341.

§ 8. Undecimus jam annus agebatur ex quo *Iram* ſuis copiis obſederant *Lacedæmonii.* Et adhuc minor iis ſpes, quàm erat metus *Meſſeniis.* Poſtea tamen de improviſo difficultates ſuperant quaſcunque *Lacedæmonii*; ad *Iram* perveniunt, (bubulco duce,) mœnia ſcandunt, capiunt arcem. Canes interea non ſuo ſolitóque more latrabant, ſed perpetuis ululatibus dira quædam portendebant. Cùm omnes in urbem penetrâſſent, adeſſe demum hoſtes animadvertere *Meſſenii.* Primus omnium *Ariſtomenes* cum filio *Gorgo*, & cum *Manticlo* aderat *Theoclus* vates, egregiúſque vir *Euergetides*, qui *Hagnagoram* duxerat *Ariſtomenis* ſororem. Illi & alios ſuſcitabant, conciebant, hortabantur, ad pugnam concitabant ultimúmque patriæ præſidium. Sed nihil per tenebras ab alterutra parte moliti ſunt. Fruſtrà faces accendebantur. Nullum lumen niſi fulgurum micabat. Ut primùm illuxit dies, in hoſtem ut quiſque incidit, ità manus conſerebant. Ità triduo cùm pugnâſſent, numero longè ſuperabant *Lacedæmonii*, ità ut per vices ſomnum caperent & cibum. *Meſſeniis*, vice versâ, miſera omnia & calamitoſa. Tertium diem noctémque pugnabant iidem aut excubabant; adeò ut fame, ſiti, vigiliâ, vulneribus, & injuriâ cœli, tantùm non confecti ſunt. Tandem igitur *Theoclus* vates *Ariſtomeni*, *Quid*, inquit, *operam pugnando ludimus, ſanguinémque profundimus nil profuturum? Et fatis decretum, & vaticiniis prædictum eſt, oportere Meſſeniam expugnari. Mihi cum patria cadendum eſt. Tu te tuóſque cives his eripe periculis, & ad rerum alicubi meliorum ſpem reſervato.* Illico in confertos hoſtes irruit *Theoclus*, increpans vociferánſque, *injuſtam alienarum opum poſſeſſionem haud æternam illis fore.* Et ſummâ vi hoſtium cecîdit multos, & ille mox cecidit vulneribus undique confoſſus.

Meſſeniis tandem profligatis,

A.M. 3342.

Interea dum alii perquam fortiſſimi quidam viri diſtinebant pugnâ *Lacedæmonios*, *Theocli* monitis obſecuturus *Ariſtomenes*, in unum coëgit civium multitudinem; in medium conjecit imbellem turbam; (mulierum ſcilicet puerorúmque;) *Gorgus* atque *Manticlus* claudebant agmen; ipſe præibat dux: ubi caput quaſſans, haſtámque vibrans, perſpicuè ſignificabat erupturum ſe, ac diſceſſum quærere. Hoſti fugienti aperuêre viam *Spartani*, gratiámque fecêre tradendi patriam, exſulandíque. *Hecatus* enim vates monuerat, homines rabie quadam percitos extremâ deſperatione non eſſe magis efferandos. Ità minore ſanguine ſtaturam ipſis victoriam. Quâ præivit *Ariſtomenes*, reliqui omnes ſecuti ſunt, atque in *Arcadiam* ſe vicinam contulerunt. *Arcades* ex oppidis effuſi, cum veſtimentis & commeatu ad *Lycæum* uſque montem obvii prodîerunt, præmiſſis urbium principibus qui *Meſſenios* conſolarentur, viæque ſe duces in *Arcadiam* præberent. Ut adfuerunt, humaniſſimè ſunt accepti; oppidatímque diſtributis agrorum ſuorum partem benignè *Arcades* obtulerunt. Sed modeſtia *Meſſeniorum* quantamcunque hanc *Arcadum* benignitatem ſuperavit. Et *Ariſtomenes* vindictam adhuc ſpirans, de ipſa jam *Sparta* per inſidias occupanda conſilium animo agitabat, dum robur juventutis *Iræ* aberat, ſecuríque cives lætique victoriâ triumphabant. Ad hoc facinus perpetrandum quingentos è ſuis delegit, trecentíque ſe *Arcades* offerebant. Sed prodita *Lacedæmoniis* res eſt ab *Ariſtocrate*; cujus redeuntem *Spartâ* ſervum interceperunt unà cum literis vigiles regis adverſarii. Quibus literis in conventu perlectis publicò, & hæc & altera proditio patuit. *Arcades* indignati, exſecratíque tantum ſcelus, regem protinus invadunt, ſaxis obruunt, & extra fines abjiciunt inſepultum, ut ſuo indignum ſolo cœlóque. Sed in columella inſcripto epigrammate, perfidiæ tantæ infamiam ad poſteros propagârunt. *Euergetides*, jam prodito de opprimenda *Sparta* conſilio, cum 50 eorum aliis qui mortem exſilio præferebant, (& in patria perire, quàm alibi florere, ſatius eſſe exiſtimabant,) *Iram* reverſus, exſultantium de victoria hoſtium lætitiam repentino impetu & inopinato ità repreſſit conturbavítque, ut cædibus utrinque graſſati ſint, ipſique tandem mactando mutilandóque *Spartanos* defatigati, poſtrema patriæ victima occubuerint. Reliqui omnes ex *Arcadia Meſſenii Cyllenen* migravêre ad claſſem, patriam novam quæſituri. In portu ſuo *Elei* ſocios opis indigentes munificè per hyemem aluerunt. Hyeme miteſcente, de loco ducibus nondum convenerat quò colonia duceretur, cùm ab *Anaxila* nuncii principe *Rheginorum* invitabant in *Italiam.* Liberi adhuc *Meſſenii* primam hanc ſpei anchoram, ſuo vocante populari; (*Meſſenius* enim origine *Anaxilas* erat;) facilè lætique amplexi ſunt. *Anaxilas* & *Meſſenii*, parvo poſt tempore, conjunctis viribus, urbem *Zanclen* in *Sicilia*, loco ſitam percommodo fertilique, obſeſſam capiunt; *Meſſeniis* ſolis habitandam. *Meſſenii* verò *Zanclæos* non ſervos ſibi, ſed ſocios, nova-

Ariſtomenes cum ſuis in *Arcadiam* ſibi aperiunt viam.

Ubi alterâ *Ariſtocratis* proditione etiam proditâ,

alii *Iram* revertuntur,

Zanclen alii concedunt.

A. M. 3342.

novarúmque rerum participes habere malunt, quàm aut ad aram ſupplices trucidare, aut vendere ſub haſta, aut ablegare denique in exſilium. Utrique igitur, datâ utrinque fide, in unam *Meſſenen* coaluerunt; quod urbis deinde nomen erat. *Ariſtomenes* interea *Hagnagoram*, *Euergetidæ* viduam, filiarúmque ſuarum duas, viris principibus elocavit, morbóque perquam gravi correptus illico interiit. Inſigne mortuo monumentum à *Rhodiis* poſitum, & honores pro dignitate exhibiti. *Plinius* ſcribit, (11.37.) pectore *Ariſtomenis* diſſecto, hirſutum fuiſſe repertum cor: certum indicium fortitudinis, inquit ille; calliditatis, inquit *Valerius*, (1.8.) At ubi à *Lacedæmoniis* diſſectum narrat, fallitur; multóque magìs *Valerius Maximus*, qui ab *Athenienſibus* id factum refert. Pilis refertum cor fuiſſe & *Leonidæ Spartano*, *Plutarchus* memorat, (in Parallelis.)

Omnibus denique ſubactis, *Tyrtæum* deinde magni æſtimant *Lacedæmonii.*

Meſſeniâ jam ſubactâ, ipſóque mortuo *Ariſtomene*, (quem oraculum enunciârat *Græcorum optimum*,) plurimi meritò *Tyrtæum* fecerunt *Lacedæmonii*; tantúmque ejus poematibus deferebant, ut cum hoſtibus quibuſvis ex eo tempore congreſſuri, ea identidem repeterent. *Athenæus*, ex *Philochoro*, morem ſcribit inſtituiſſe *Lacedæmonios* militarem, ut cùm ludos celebrarent aut convivia, *Tyrtæi Pyrrhicam* invicem canerent, præmiúmque victor carnem acciperet. *Julius Pollux* Trichoriam, ſeu tripartitam ſaltationem, quâ ſenes, pueri viríque ſaltabant canebántque, à *Tyrtæo* inſtitutam prodit. Senes canebant verſibus, *Nos fuimus fortes*——; chorus juvenum, *Nos ſumus*——; denique pueri, *Nos erimus*———.

Archilochus & *Alcman* Poëtæ optimi peſſimíque.

§ 9. *Archilochus Parius* Poëta (cui *validas vibrantéſque ſententias* tribuit *Quintilianus*, *plurimúmque ſanguinis & nervorum*,) hâc ætate floruit, ut *Euſebius* (in Chronicis) aſſeverat. Paulò vetuſtiorem in *Olymp.* 23. *Cyrillus* (Contra *Julianum*) ſtatuit. *Teleſicle* patre natus eſt, matre ſervâ. Inopiâ coactus, ex *Paro* fugit in *Thaſum*. Cùm *Lycambis* filiam *Neobulen* ſibi deſponſam haberet, alii verò ditiori mox pater tradidiſſet, ulturus injuriam Epodon primus ex Trimetris atque Dimetris invenit. Quo carmine ſocerum filiáſque tres tantâ verborum acerbitate obſcœnitatéque eſt inſectatus, ut ad laqueum ſimul omnes adegerit. Crudelem hanc ulciſcendi rationem alii deinde imitati ſunt Poëtæ. Unus,

Tincta Lycambæo ſanguine tela———

ſe daturum; alius, futurum ſe adverſario,

Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,

dicit. Sed videtur in aliis quoque ſcriptis laſciviâ petulantiâque verborum non ferendâ uſus. Ejus ergò libros *Lacedæmonii* è civitate ſua exportari juſſerunt, quòd eorum parùm pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt eâ imbui ſuorum animos, nè plùs moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet.

Alcmanem, ejuſdem ætatis Poëtam lyricum, plurimi poſt *Terpandrum* fecerunt *Lacedæmonii.* Nec ei quicquam obfuit ad carminis elegantiam dialectus *Dorica*, quæ alioqui minimum ſuavitatis habet. (*Pauſ. Lac.*) Voracem fuiſſe, hominémque cibi plurimi, fatetur ipſe; carminúmque Eroticorum principem fuiſſe autorem conſtat, utpote rebus Venereis impensè deditum. Serviiſſe inprimis, & ab *Ageſide* propter ingenii elegantiam libertate donatum, prodit *Ælianus.* Γλυκὺς, i. e. *Dulcis*, vocabatur à *Græcis*, habebatúrque. Pediculari morbo interiit, monumentóque apud *Spartanos* ornatus eſt.

Tullus Hoſtilius fœdus init cum *Albanis*;

§ 10. *Romanorum* rex *Tullus*, ſeneſcere civitatem otio ratus, materiam belli excitandi quærebat undique. Ea verò ab *Albanis*, unde minimè, puto, volebat, oblata eſt. Imperabat tum *Albæ C. Cluilius*, qui, invidus ſimul & arrogans, indigentes incitabat & feroces, ut in agro *Romano* prædas agerent. Nec enim dubium ei fuit, quin *Romani* injurias ulturi eſſent. Ex ſententia res evenit. Utrínque prædæ agebantur: utrinque legati ſub idem tempus miſſi ad res repetendas. Bellum utrinque ſummâ ope parabatur, bello civili quàm ſimillimum, propè inter parentes natóſque, *Trojanam* ſcilicet utramque prolem. Eventus tamen belli minùs miſerabile certamen fecit; quòd nec acie certatum eſt, & tectis modò dirutis alterius urbis, duo populi in unum confuſi ſunt. *Albanus* dux edicit ſuis, ut in proximum ſe parent ad pugnandum. At ipſe primo manè mortuus in prætorio repertus eſt. Ducem protinus *Albani Metium Suffetium* in mortui locum ſibi præficiunt. Is, in aliena diſcordia tardior, de pace cœpit cogitare, & colloquium poſcere. Exercitus inſtructi utrinque ſtabant;

ſtabant ; cum paucis procerum in medium procedunt duces. Ibi tum *Albanus*, *De cauſa*, inquit, *hujus belli, utra utris æquior ſit, non ego, Tulle, apud te fruſtrà diſſeram. Quæcunque ſit, minorem eſſe his armorum minis pro certo mihi eſt. Verùm cognati nos dum inter nos collidimur, quanto in periculo utrique ſimus ab armis alienis, illud te, Tulle, monitum velim. Memor eſto jam, cùm ſignum pugnæ dabis, has duas acies ſpectaculo fore, ut feſſos confectóſque ſimul victum & victorem Hetruſci, Veientes Fidenatéſque aggrediantur. Itaque ſi nos dii amant, fœdus pacémque ineamus firmam & diuturnam, quæque nullis violari offenſis poſſit. Quod fieri vix poſſe reor, niſi altera principatum gerat, altera urbs ſubſit. Principatum verò metropoli in coloniam, ut in liberos parenti, naturâ quodammodo deberi quis ignorat? Quòd ſi ægre ferat filia ſubeſſe matri, nè tamen armis præliiſque in dubiam imperii ſervitiique aleam rem revocemus, aliquam viam ineamus, quâ, utris utri imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine populi utriuſque decerni poſſit.* Hæc *Metius*. De concedendo principatu quæ diſſeruerat, vix audire dignatus eſt *Tullus*. Reliqua, de mittendo in compendium bello, haud diſplicebant. In duobus fortè exercitibus fratres erant trigemini, nec ætate nec viribus diſpares. Addit & conſobrinos fuiſſe *Dionyſius*. Suos *Romani Horatios* vocabant, *Curiatios Albani* ſuos. Cum his agunt reges, ut pro ſua quiſque patria ferro dimicent ; ibi imperium fore, unde fuerit victoria. Utrinque convenit. Nec ullius vetuſtior fœderis memoria, quàm quod ſtatim percuſſum eſt, ídque longè pluribus & verbis & ceremoniis quàm operæ pretium eſt referre. Icto fœdere, trigemini, ſicut convenerat, arma capiunt, intérque duas acies in medium procedunt. Datur ſignum, infeſtíſque armis, velut acies, terni juvenes concurrunt. Ut primo ſtatim concurſu increpuêre arma, micantéſque fulsêre gladii, horror ingens ſpectantes perſtringit. Conſertis deinde manibus, duo *Romani* ſuper alium alius, tribus *Albanis* vulneratis, exſpirantes corruerunt. Ad caſum *Horatiorum* cùm exercitus *Albanus* gaudio conclamâſſet, *Romanas* legiones jam ſpes tota, nondum tamen cura, deſeruerat, exanimes vice unius, quem tres *Curiatii* circumſteterant. Fortè integer is erat ; ut ſolus univerſis nequaquam par, ità ſingulis futurus ſuperior. Dolo igitur ad virtutem addito, fugam ſimulat, ut hoſtem diſtineat ; ſingulóſque, ut ſequi poterant, adortus, omnes ſigillatim è medio tollit. *Romani* gratulantes *Horatium* ſuum accipiunt eò majore cum gaudio, quò propius metum res fuerat. Peracto jam de principatu quaſi deorum judicio, alteri imperio aucti, alteri ditionis alterius facti : quos tamen infortunio certaminis dejectos *Tullus* mollioribus erexit verbis ; *Nè quid gravius metuerent à ſe ; pro cognatis ſemper habiturum, & eorum commodis eodem ſtudio conſulturum quo ſuis.* Ità *Metio* præfecturam quam ei dederant *Albani* confirmavit *Romanus* rex.

A. M. 3342.

per fratres trigeminos bello in compendium miſſo.

Exercitûs *Romani* princeps ibat *Horatius*, ſpolia tergemina præ ſe ferens ; cui virginem ſororem, deſponſam uni ex *Curiatiis* jam mortuis, obviàm venientem, ſolventem crines, & ſponſum nomine flebiliter lugentem, ferox juvenis ſtricto gladio transfigit ; *Sic eat*, inquiens, *quæcunque Romana lugebit hoſtem.* Atrox viſum id factum patribus, raptúſque *Horatius* in jus ad regem, qui rem refert ad Duumviros, quorum ſententiâ *Horatius* damnatur infelici arbori ſuſpendendus. Sed provocat ad populum, qui patris *Horatiani* lacrymas non ferentes, filium abſolverunt, admiratione magìs virtutis, quàm jure cauſæ.

Horatius victor in judicium illico raptus.

Nec diu pax *Albana* manſit. Id agit *Metius*, ut à *Romanis* deſciſcant *Fidenates*, *Veientibus* ſociis conſilii aſſumptis. Ad bellum & arma utrinque concurritur. Suis, per ſpeciem ſocietatis & amicitiæ, proditionem reſervat *Metius*. Qui idcirco, poſt victoriam à *Romanis* reportatam, ut ruptor fœderis fideíque, quadrigis diſtentus laceratur. Primum ultimúmque ſupplicium illud apud *Romanos* exempli parùm memoris legum humanarum fuit. In aliis licet gloriari, nulli gentium pœnas mitiores placuiſſe. *Albani* cives *Romam* traducuntur ; *Alba* ipſa diruitur ; templis ſolis temperatur. (*Liv.* l. 1.)

A.M. 3344.

Metius fœdifragus quadrigis laceratur.

Tot novorum civium copiis *Romanâ* re auctâ, *Tullus* primo vere in *Fidenates* iterum educit copias, quò rebelles perdomaret, nè denuo deficerent. Illi, auxiliis conductis freti, in aciem contrà prodîerunt. Nulli ſociorum aderant. Animorum ergò plus quàm virium fuit. Cæſi, faciléque in urbem ſuam rejecti, obſidionem pertulerunt, donec ſumma rerum penuria ad deditionem eos compulit. In autores ſeditionis eſt ſeverè animadverſum, gratia reliquis facta ; cum triumpho jam ſecundò rex *Romam* rediit. (*Dionyſ.* l. 3.)

A.M. 3345.

Fidenates à *Romanis* ſuperantur.

§ 11. Meſ-

A.M. 3345. *Meſſenii* denuo rebelles exſulant.

§ 11. *Meſſeniorum* qui ſupererant domi, in ipſa patria ſervitutem iniquo animo ferebant. Tanto enim *Lacedæmoniorum* odio ſtudióque libertatis efferebantur, ut jam tertiò defecerint, propitiis freti diis, quos infeſtos *Spartanis* exiſtimabant. *Neptuno* ſcilicet jam in *Spartanos* ſæviente, opportunum ſibi rati in libertatem ſe aſſerere, *Ithomen* occupaverunt. Credibile eſt, non defuiſſe illis *Arcadum* auxilia aliorúmque: nam & ſocios ipſi quæſiverunt *Lacedæmonii*. Inter alios aderat cum copiis *Athenienſium Miltiadis* filius *Cimon*. Sed ſuſpecti *Athenienſes* ut gloriæ æmuli, & principatûs *Græciæ* rivales, ab *Ithome* revocati, mittuntur domum. Dimiſſi mox & *Meſſenii*, ſed ex omni *Peloponneſo*; cùm *Spartanos* oraculum monuiſſet, nè *Jovis Ithomatæ* ſupplices violarent. Indignè tulerunt *Athenienſes*, fidem vocari in dubium ſuam. Inito igitur cum *Argivis* fœdere, urbem *Locridis Naupactum*, vi ademptam, expulſis *Peloponneſo Meſſeniis* tradiderunt.

A.M. 3347. Inter *Sabinos* & *Romanos* ancipiti Marte pugnatur,

Virium novarum fiduciâ *Romanus* rex *Sabinis* indixit bellum, genti eâ tempeſtate viris armíſque ſecundùm *Etruſcos* opulentiſſimæ. Utrinque injuriæ factæ, ac res nequicquam repetitæ. Tandem ſigna collata ſunt, Martéque ancipiti pugnatum eſt diu, ſed cruento, donec arma diremit nox. Nec erat cur acies alterutra lætaretur. Cæſorum ſauciorúmque ingens numerus, quaſi tacitis quibuſdam induciis, in alterum annum victoriam diſtulit. Reducti domum utrinque mœſti laceríque exercitus, ad bellum viribus inſtauratis redituri novum. (*Dionyſ.* l. 3.)

A.M. 3348. *Sabinis* tandem ſuperatis.

Auctis poſt annum viribus, *Romani Sabiníque* in aciem denuo prodîerunt. Ad urbem *Hereonem*, 107 ſtadiis à *Roma* diſſitam, par & virtus viſa, & cædes utrinque facta eſt; incertáque diu victoria, donec impetu *Romani* vehementiore hoſtium aciem ſub veſperam impulerunt ſimul ità & diſſipârunt, ità ad vallum fugientes ſunt perſecuti, ut nihil ad ſummam deſideraretur victoriam. Agros deinde *Tullus* impunè depopulatus, tertiò cum triumpho ingreſſus eſt urbem. Secuti mox ab *Sabinis* legati ſupplices de pace. Captivi *Romanis* profugíque redditi. Damna populationum ex *Romani* ſenatûs arbitrio compenſata. Ità pax *Sabinis* data, haud diutiùs duratura, quàm violandi opportunitas & aliqua victoriæ ſpes adeſſet.

A.M. 3349. *Leſches* Poëta.

Hoc tempore *Lesbius* Poëta *Leſches* parvam *Iliada* conſcripſit; quod Opus in aliquo apud Veteres erat pretio. Sed aliam ab ea quam *Homero* tribuit *Herodotus*.

3350. Tertium *Sabinorum* cum *Tullo* prælium.

Inter *Latinos Romanóſque* ſimultates jam ortæ magnas bellorum minas denunciabant. Exulceratis utrinque animis, (nam quæ *Romanus* poſtulabat victoris jure, negabant fortiter *Latini*,) ad arma rem ſpectare *Sabini* opinantes, opportunum ſibi putârunt impetum facere in *Romanos* alio bello implicatos; non obſtantibus diis, quibus pacem juraverant. Hunc in finem egerunt de fœdere cum *Latinis*, ut *Romanos* vicinis infeſtos omnibus communi exercitu oppugnarent. Minimè latebant hæc omnia *Tullum*. Inducias ergò pactus cum *Latinis*, cum exercitu majore quàm ſolebat prodit contra *Sabinos*. Ad Sylvam malitioſam atrox pugna erat. Sed ab equitibus ſubitò invectis turbati ſunt ordines *Sabinorum*: nec pugna deinde illis conſtare, nec fuga explicari ſine magna cæde potuit.

A.M. 3351. *Byzantium* conditum.

§ 12. *Byzanta* quendam ferunt de loco urbi condendæ oraculum conſuluiſſe. Reſpondiſſe *Apollinem* affirmat *Strabo*, (l. 7.) *ut è regione Cæcorum urbem conderet. Cæcorum* nomine *Chalcedonenſes* denotavit, qui cùm priores eò appuliſſent, locum multò deteriorem occupârant. *Byzas* ergò ad *Thracium Boſphorum* in loco longè commodiſſimo *Byzantium* à ſe dictum ſtatuit; ubi modicum priùs oppidum *Lygos* ſteterat; (*Plin.* 4. 11.) ingens poſtea *Conſtantinopolis* eſt conſtructa, ad imperium totius orbis commodiſſimè ſita, ut magnus ille *Tamerlanes* exiſtimavit. *Caſſiodorus* hoc ait accidiſſe regnante *Romæ Tullo Hoſtilio*; *Euſebius* autem, *Olympiade* triceſimâ.

Cypſelus, mirè ab incunabulis ſervatus, *Corinthiis* imperat.

Summæ rerum apud *Corinthios* jam diu præerant *Bacchiadæ*, potentiámque ſuam conjugiis inter ſe mutuis confirmabant. Accidit uni eorum *Amphioni*, ut filia *Labda* naſceretur clauda, quam omnes ideo recuſabant *Bacchiadæ* uxorem. *Eëtioni* igitur nupta eſt, viro quidem locupleti, ſed à *Cæneo* & *Lapithis* oriundo. Is, pro more ſeculi, *Pythiam* conſulit de liberis. Ferunt oraculum reſpondiſſe, *Labdam ſaxum grave parituram, quod Corinthiorum principes contereret, urbémque emendaret.* De reſponſo hoc facti certiores *Bacchiadæ*, diſſimulavêre ad tempus ſuſpicionem. Sed ut primùm natus eſt ex *Labda* genitus, decem è *Bacchiadis* miſſi ſunt, qui ex omnium decreto infantem interficerent. Et conventum eſt inter ipſos, ut qui primus puerum accepiſſet, humi allideret. Puerum rogantibus ut viderent, mater tradidit libentiſſimè, gratulatum ſibi veniſſe propinquos arbitrata. Et cui primò traditus eſt, conti-

git fortè ut infans arriſerit; quo mollivit ferum animum in miſericordiam, ut blandientem ſibi occidere non ſuſtineret. Alteri ergò tradidit, & ille alteri, donec in *A.M.*
orbem iverat; matríque tandem eſt redditus. Egreſſi domo, ad ipſam januam in- 3351.
cuſare ſe mutuò quòd incolumem puerum dimiſiſſent. Tandem omnibus viſum eſt, ut omnes reverſi manus ad cædem adhiberent. *Labda* ad oſtium colloquentes ſubaudiverat, puerúmque protinus abdidit in menſura frumentaria quæ Κυψέλη *Græcè* dicitur. Reverſi miniſtri cædis & ſcrutati, cùm invenire puerum non poſſent, nè quid ob neglectum in ſe gravius ſtatuatur, ſtatuunt reſpondere, *feciſſe ſe omnia quæ concilium iis mandaverat.* Servatus puer adolevit, dato *Cypſeli* nomine à ſalutis inſtrumento. Maturâ ætate, magníſque opibus elatus, ex oraculi ſententia (quod conſuluerat) regnum *Corinthium* occupavit, *Bacchiadas* oppreſſit, alios pecuniâ, vitâ alios multavit, anníſque triginta imperium tenuit, cui mox deinde *Corcyram* addidit. *Delphis* ædem dedicavit; quòd ab *Apolline* crederet ſe inhibitum nè vagiret, quo tempore à *Bacchiadis* ad necem quærebatur. (*Plut. Diocles*, *Herodot. Strabo*, *Pauſanias* in *Cor. Polyænus* l. 5.)

Deïoce defunctо *Medorum* rege, *Phraortes* filius imperavit ann. 22; cujus animo *A. M.*
nimis magno impar erat imperium. Indè *Perſiam* aliáſque quaſdam gentes *Aſiaticas* 3352.
victoriis ſuis regno *Medorum* addidit.

Phraortes Medorum imperium auget.

[a] Devictis *Sabinis*, nunciatum eſt regi *Tullo* patribúſque *Romanis*, in monte *Albano* lapidibus pluiſſe. Quod cùm credi vix poſſet, miſſis ad id viſendum prodigium, res pro vera comperta eſt.

[b] Hoc anno ferunt *Lampſacum*, urbem ad *Helleſpontum*, à *Phocenſibus* fuiſſe conditam; *Selinunta Siculam* à *Megarenſibus* anno proximo. Et *Mileſii Boryſthenem* in [a] 3353.
Ponto iiſdem ferè temporibus condiderunt. [b] 3354.

Anaxidamo defuncto, *Spartano* rege, filius ejus *Archidamus*, *Eurypontidarum* 13. 3358.
annos 20 dominatus eſt.

Regnis *Aſſyriaco Babylonió*que ſimul imperat (patre mortuo) *Chinaladaunus*, quem 3359.
Alexander Polyhiſtor Saracum videtur appellare. Regnavit ille ann. 22.

§ 13. Anno poſt *Albam* deletam 15. *Romani Latinas* colonias jubent, ut principatum quem *Albæ* metropoli detulerunt, *Romæ* jam victrici exhiberent. Ab omnibus *Latinis* decretum eſt, non concedere *Romanis* principatum. Indè bellum quoddam civile inter gentes cognatas ortum eſt. Neque tamen præliis, ſed rapinis, maximè ſub meſſem, res eſt geſta per quinquennium. Unam ſolummodo *Medulliam* obſidione circundedit, perſuaſítque rex *Tullus* ad officium ut rediret, novíſque rebus deinceps abſtineret. (*Dionyſ.* l. 3.)

*Romani Latini*que ſibi mutuò infenſi.

Mortuo *Anaxandro*, *Eurycrates* alter, *Agidarum* 13. regnavit apud *Spartanos* ann. 40. *A.M.*
Piſander, Poëta *Rhodius*, hâc ætate ſcripſiſſe dicitur *Herculis* Labores aliáque carmi- 3360.
ne prorſus eleganti; de quibus ità *Macrobius*: *Piſander*, inquit, *à nuptiis Jovis & Junonis incipiens, univerſas hiſtorias ad ipſius uſque ætatem in unam ſeriem coactas redegit, unúmque corpus effecit*, (*quomodo in ſuis Metamorphoſeωn libris Ovidius*;) *in quo Opere, præter cæteras hiſtorias, Interitus quoque Trojæ relatus eſt, quem Maro interpretando fabricatus eſt ſibi Iliacæ urbis ruinam.* Ferunt atræ bilis veſaniâ eouſque *Piſandrum* correptum eſſe, ut continuè ſibi timeret, nè ſuæ ipſius umbræ occurreret: animâ enim ſe vivens privatum cenſuit.

Piſander, Poëta elegans, vivens ſe putavit mortuum.

Poſt *Argeüm Philippus* regno præfuit *Macedonico* ann. 38. *A.M.*
§ 14. Mortuus eſt tandem qui diutiſſimè regnavit *Manaſſes Judæus*, poſt annos 3361.
imperii 55; impietatis idem & reſipiſcentiæ ſpecimen longè illuſtriſſimum. In horto 3364.
regio ſepultus eſt, non in majorum monumentis: ſive quòd ſepulchris regum ſeſe indignum autumavit, qui fuiſſet in Deum tam nefarius; ſive quòd novum ſibi ſplendidiúſque monumentum in hortis ſuis condiderat. *Amon* deinde filius, 22 annorum juvenis, impiè regnavit, ac propterea breviſſimé. Prima & peſſima patris ſui tempora imitatus eſt, *Manaſſis* impietatem ſecutus, non & pœnitentiam. Quare poſt unum alterúmque annum ſuis à ſervis per proditionem è medio tollitur.

Manaſſi in *Judæa* filius *Amon* ſuccedit, patre pejor:

Domini ſui, quantumvìs impii, necem inultam non tulerunt ſervi nequam, eam 3366.
filio reſipiſcentiam quam pater egerat præripientes. Ipſi ergò qui regem ſuum ceciderant ab irato mox populo cæſi ſunt. Filiúſque *Joſias*, puer adhuc octennis, præfectus regno *Judaïco*, annos illud 31, bonorum optimus ultimúſque, ſumma cum laude adminiſtravit.

illi mox *Joſias*, bonorum ultimus.

§ 15. Per

A.M. 3366.

Tullo fulmine conflagranti Ancus Martius ſuccedit;

§ 15. Per hos annos peſtilentiâ laboratum eſt *Romæ.* Nulla tamen ab armis dabatur quies. Salubriora enim rex credidit militiæ quàm domi corpora juvenum futura; donec ipſe quoque morbo eſt implicitus longinquo. Tunc, qui nihil antè ratus eſſet minùs regium quàm rebus ſacris vacare, repentè omnibus obnoxius magnis parvíſque ſuperſtitionibus, iis totum ſe dedidit, iiſque populum etiam implevit. Fulmine tandem ictus unà cum regia conflagravit. (*Liv.* 1.) Patria quædam ſacra neglecta, prælatáque à *Tullo* aliena, cauſatur *Dionyſius*, (l. 3.) Hæc in vulgum fama valuit. *Anci* verò *Martii* ſublatum inſidiis, credere magis prudentiores. *Numæ* quippe nepos, ſe privatum latitare, regni hæreditate in *Tulli* filios derivatâ, indignatus, patrem filióſque uno ictu trucidavit die quodam fulminibus procellíſque horrido, regiámque incendit cum familia; ut à ſe tam atrox crimen in deos ipſos averteret. *Tulli* audacia celebratur in bellis ſuſcipiendis, in gerendis fortitudo, in declinandis etiam prudentia, niſi multò præſtantiorem ſe hoſtibus cognoviſſet.

Ancus Martius à populo (autore verò ſenatu) creatus rex, avitæ gloriæ memor, ubi primùm regnare cœpit, ratus longè antiquiſſimum ſacra publica celebrare ut erant à *Numa* inſtituta, omnia ea ex Commentariis in Album regis relata pontificem jubet maximum in cœtu publico proponere. Indè & civibus, otii cupidis, & finitimis civitatibus facta ſpes in avi mores & inſtituta regem abiturum.

A.M. 3371.

bellúmque Latinis injuriis infert.

Ab his principiis ominantes *Latini*, animos ſuſtulerunt, & in agrum *Romanum* cùm feciſſent incurſiones, repetentibus res *Romanis* ſuperbè reddunt reſponſum; deſidem regem *Romanum* inter aras & ſacella acturum eſſe regnum rati. Medium in *Anco* ingenium erat, & *Numæ* memor & *Romuli.* Rebus ergò repetitis, bellóque ritè indicto, *Ancus* cum exercitu conſcripto novo profectus, urbem *Latinam Politorium* vi cepit. Secutúſque morem priorum regum, *Romam* traduxit multitudinem, ut rem *Romanam* adaugeret. Et cùm circa palatium ſedem veteres *Romani*, *Sabini* arcem & Capitolium, montem *Cœlium Albani* implêſſent; novæ jam multitudini *Aventinum* dedit, quibus parvo poſt tempore & alios addidit.

A.M. 3372.

Politorium hoc anno, quod priore ceperant, rurſus bello repetitum à *Romanis*, quod vacuum occupaverant *Latini* priſci. Eáque cauſa regi *Anco* fuit urbis diruendæ, nè ſemper hoſtium foret receptaculum. Eadem ſors & *Fidenis* poſt annos aliquot contingebat.

A.M. 3373.

Medulliam Romanorum coloniam in ſuarum urbium medio non tulerunt *Latini.* Obſeſſam ergò ceperunt vi. *Martius* interea *Romanus Tellenem* urbem *Latinorum*, profligato quod *Latini* ſubmiſerant auxilio, expugnavit, civéſque *Romam* transferens diſtribuit in curias.

A.M. 3374.

Diſputatur de reditu Judæorum, déque aliis quæ in Juditha Libro narrantur.

§ 16. *Phraortes Mediæ Perſarúm*que rex, cùm multas *Aſiæ* regiones ſubegiſſet, *Aſſyrios* tandem & *Niniven* aggreſſus eſt. Verùm indè repulſum inquit *Herodotus* cum magna exercitûs ſui parte interiiſſe. Reditus ille populi *Judithæ* cap. 4. 3. non *Manaſſis* ex *Babylone*, (ut Rabbi *Kimchi* vult,) ſed *Judæorum* omnium ſignificat, ut contra *Bellarminum Torniellus* (A. M. 3353. ex capite hujus Libri 5. v. 18, 19.) perſpicuè probat. Tum verò *Mediæ Perſarúm*que reges rerum in Oriente potiebantur, nunquam ab *Aſſyriis* victi. In hoc tamen *Judithæ* Libro (cap. 1. v. 7.) *Aſſyrius Perſas* eodem habet loco quo *Cilices* & *Syros*, ab iiſque copias poſcit tanquam à ſubditis auxiliares; quod *Perſis* dominantibus poſt *Cyrum* ad *Alexandrum* uſque *Macedonem* potuiſſe fieri, quis credat? At neque par fuit, ſi quis imperabat in *Judæa* rex, Pontificem *Joachimum* præcipere, ut aditus terræ obſiderentur; quod capite 4. tamen fit, v. 6. Ergò poſt reditum *Judæorum* ex *Babylone* geſta, ſi unquam quidem hæc geſta ſunt. *Torniellus*, cùm poſt reditum populi non minùs difficilem hanc rem cerneret & impeditam, quàm ſi antea ſtatueretur, è cerebro ſuo fabulam commentus eſt, de præfecto *Ninives*, (quam jampridem diruerat *Aſtyages*.) Is à *Xerxe* in *Græcia* victo deficiens, ſibíque arrogans imperium, *Mediæ* præfectum ſubegit, & reliqua omnia præſtitit quæ in *Judithæ* Libro narrantur de *Nabuchodonoſoro.* Operæne pretium fuerit commenta refellere, nullâ Veterum nixa autoritate? Nam eo tempore *Perſarum* res *Græci* diligentiſſimè obſervabant, & ſcriptis exſecuti ſunt. De hoc tamen rebelle *Ninivita* nullum uſpiam verbum fit. Roges fortaſſe quid à me igitur hac in re ſtatuatur. Video enim ego, præter ea quæ dixi ænigmata, ſive ante captivitatem ſtatuas, ſive poſt reditum, inexplicabilia, indiſſolubilia, video, inquam, ibidem multa, locorum præcipuè, eſſe nomina, quæ ficta prorſus videantur, adeò in veterum Geographorum chartis libríſque & Literis Sacris nuſpiam terrarum inveniuntur. Qui campi *Ragau* ſint, qui filii *Chelod*, qui

campi

campi *Eſdraëlom*, quæve urbs *Chellus*, (cap. 1.) quis docuerit? De regione *Betileth*, gente *Phud*, filiis *Raſſes*, fluvio *Mochmur* aut *Arbonai*, finibus *Japhethi*, *Ocina*, aut *Jemnaan*, quis Veterum meminit? (cap. 2.) De anguſtiis *Judææ*, *Belmen*, *Choba*, *Eſora*, & *Betomeſtham*, quis antehac legit, audivítve póſt? (cap. 4.) *Belmaïm*, *Ciamon*, *Ecebel*, *Chuſi*, (cap. 7.) *Balamo*, (cap. 8.) *Bebai* & *Chobai*, (cap. 15.) ubi gentium quis reperiat? De *Titanibus* quid dicam & Gigantibus, *Græculorum* Poëtarum figmentis, quos in Cantico ſuo (cap. 16.) memorat *Juditha*? ut vix *Judaïcum* hic Liber autorem, nedum propheticum, ſapere videatur. Ego igitur hanc rem quam expedire non poſſum, poëmati ſimiliorem quàm geſtæ rei, in medio relinquam, & ſuam cuique liberam fidem. Qui Divinam huic Libro afferunt autoritatem, ut hi nodi ſolvendi ſint ipſi viderint. *Phraorte* ſublato, filius ei ſucceſſit *Cyaxares*, *Medorum Perſarúm*que rex ann. 40.

A. M. 3374.

Cyaxares Medus, bellicoſus vir, militarem diſciplinam in regno ſuo primus dicitur inſtituiſſe, & in turmas exercitum decuriáſſe, cùm promiſcua priùs eſſent & confuſa omnia. Magnam *Aſiæ* partem cùm ſubegiſſet, auctis copiis divertit in *Aſſyriam*, urbem ipſam obſidione cinxit *Niniven*. Interea *Scythis* in ipſam *Mediam* penetrantibus, ad ſua propugnanda revocatus domum *Cyaxares*, uno à *Scythis* fuſus prælio imperium perdidit; *Scythæ*que in *Aſia* per annos 82 dominati ſunt. In *Ægyptum* profecturos *Pſammitichus* precibus muneribúſque avertit *Scythas*. Quorum aliqui, reverſuri, *Veneris* templum antiquiſſimum perhibentur ſpoliáſſe. Indè morbus fœmineus (ſiqua fides *Herodoto*) tum ipſos prædones, tum eorum poſteros infeſtavit.

A. M. 3375. *Cyaxare Phraortæ ſuccedente, Scythæ in Aſia dominantur.*

§ 17. *Fidenates Romanorum* coloni ad quintum ab urbe lapidem, longiùs aberant animis, quàm erant loco propinqui. De nova jam defectione cogitant. Et cœpêre pauci ex agris *Romanorum* prædas agere. Quorum conatibus rex *Ancus* ut maturè occurreret, propè iis aderat inopinantibus cum exercitu. Conſcii diſſimulare omnia, miraríque videbantur, quonam ſuo merito copias armatas muris ſuis admoveret *Romanus* rex. Hic prædas è ſuis agris abactas cauſatur. Illi paucorum culpam à publico removendam arguunt; & ſe, modò ſpatium detur, autores injuriæ dedituros ad pœnam. Spatium datur, quo tamen illi ad arma expedienda ſocióſque advocandos abuſi ſunt. Animadvertit *Romanus* malâ fide rem agi. Cuniculos agit clàm, qui à caſtris ſuis in urbem ducerent. His perfectis, ab averſa urbis parte minatur impetum, ſcalas adhibet machináſque. Dum cives ab ea parte totis viribus vim arcebant, milites ab altera cuniculis apertis ingreſſi urbem, obvios quoſque proſternunt, portámque ſuis patefaciunt; cædibus ſæviunt in repugnantes. Ubi ſe cives dedidêre, capita rebellionis, virgis primò cæſa, ſunt amputata. Præda totius urbis conceſſa militi. Relicto præſidio, in *Sabinos* exercitus, injuriis pariter laceſſentes, traductus eſt. Aggreſſus caſtra, primo cepit impetu. Prædabundi, ubi ſenſerunt & caſtra teneri ab hoſtium peditatu, indè ad ſylvas montéſque citato curſu avolârunt. Sed perſecuti ſunt equites *Romani*, maximáque intercepta fugientium pars interiit. Hinc demisêre *Sabini* animos, & miſſi protinus *Romam* legati de pace; quæ eò libentiùs à *Romanis* conceſſa, quia bellum cum *Latinis* dubium adhuc reſtabat.

Fidenates & Sabinos Ancus ſubjugat rebellantes.

Priſci *Latini* populo novo *Romanorum* principatum concedere, rem putabant indigniſſimam. Bellum igitur animoſè unitis viribus gerebant. Et bis hoc anno acie inſtructâ dimicatum eſt; æquis primo die viribus: poſtero victos *Latinos* fugatóſque ad caſtra *Romani* perſecuti ſunt. Deinde præliis abſtinuêre: ſolis incurſionibus bellatum eſt, ubi plerumque *Romani* ſuperiores. Tum demum & *Medulliam*, pulſo *Latinorum* præſidio, *Romani* recuperârunt, ſuóque muniverunt. (*Dionyſ. Halic.* l. 3.)

A. M. 3376. *Latinos æmulos etiam repellit.*

Hujus ætatis erat Poëta *Steſichorus*, tota in *Græcia* (ut habet *Cicero* in *Verrem* 4.) ſummo propter ingenium & nomine & honore. Nomen proprium illi *Tiſias*. Sed quia chorum primus inſtituit qui ad citharæ cantum ſaltaret, *Steſichorum* vocavêre. Poëta Lyricus & Epicus, ut in *Flavii Quintiliani* cenſura eſt. *Heſiodi* fuiſſe filium *Philochorus* prodidit ex *Clymene*. Alii *Euphorbo* natum, *Euphemo Stephanus* & *Plato* ſcribunt. Patriâ fuiſſe *Himeræum Phalaris* docet in Epiſtolis. Alii ex *Palantio Arcadiæ Catanam* aiunt profugiſſe in *Sicilia*. Mira magis quàm credibilia de *Steſichoro* narrantur. Primum, in ejus infantis ore luſciniam ceciniſſe, prævium ſuavitatis indè futuræ argumentum. Alterum, eum fuiſſe captum oculis poſtquam in *Helenam*, quaſi facem *Trojani* belli, carmen acerbius ceciniſſet; neque ante iiſdem uſum, quàm in ſomnis monitus ceciniſſet palinodiam. Ferunt eum aliquando, perſuaſurum *Himerenſibus*, nè *Phalaridi*, quem delegerant imperatorem, ſatellites armatos ad cuſtodiam corporis concederent, eâ uſum fabulâ quam *Horatius* tradit Epiſt. l. 10.

A. M. 3377. *De Poëta Steſichoro narrantur mira:*

l. 10. Contigit eum poſtea in *Phalaridis* venire poteſtatem, *Conone* quodam comite.
A. M. 3377. Et comitem *Phalaris* interfecit. *Steſichorum* verò, ingenii reverentiâ, ſuis civibus incolumem reddidit; in eo unico non tyrannus. Filias habuit Poëticæ Muſicæque peritiſſimas; quas *Phalaris* de morte patris conſolari epiſtolâ dignatus eſt.

nil de *Mimnermo* quod non vulgare. *Mimnermum* quoque *Colophonium*, vel *Smyrnæum*, elegiarum ſcriptorem & tibicinem, ait *Strabo*, (l. 14.) in eadem *Olympiade* 37. ſtatuit *Suidas*; vocatúmque dicit *Ligyaſtadem*, à cantu ſuavi & arguto. Amoribus deditum, ut reliquos ferè omnes *Græcorum* Poëtas, ex eo conſtat quod habet *Horatius*, (Epiſt. 1. 6.)

——— Mimnermus uti cenſet, ſine amore jociſque
Nil eſt jucundum ——————

Homines profani terrena tantùm ſapiunt.

Joſiæ zelus religioſus. § 18. *Joſias*, ubi regni octavum apud *Judæos*, decimum ſextum ætatis annum attigit, maximo Religionis ſtudio tenebatur, ſanctiſſiméque *Jehovam Davidis* Deum exemplo *Davidis* coluit. Duodecimum verò regni annum aſſecutus, ſacro quodam ardore ad perpurgandam inſtaurandámque Religionem concitatus eſt. Aræ *Baalimorum* dirutæ ſunt & ſimulacra, ipſo rege inſpectante, nè quid gratiæ daretur; luci omnes ſucciſi; ſtatuæ ſculptiles fractæ fuſiléſque, & omnes in pulverem comminutæ. Pulverem ſuper eorum tumulos qui coluerant ſpargi voluit: ſacerdotum verò ipſorum oſſa qui fuerant operati erui juſſit, & ſuper eadem altaria concremari. Eodem zelo apud *Manaſſidas* qui ſupererant, *Ephraïmitas* & *Simeonidas*, uſque ad tribum *Naphtali*, & aras idolorum demolitus eſt, & ſimulacra lucóſque ſuſtulit.

A. M. 3378. § 19. *Agaſicles*, *Eurypontidarum* decimus-quartus, poſt patrem *Archidamum Spartæ* imperavit annis circiter viginti. Horum tempora pace perpetuâ floruerunt; poſt *Meſſeniam* devoratam, ſatiatâ ſaltem ad tempus ambitionis *Spartanæ* fam e.

Agaſicle regnante pacem colunt *Spartani*. [a] Dum *Romani* cum *Sabinis Latiniſ*que confligtabantur, *Veientes*, auxilia *Fidenatium* habituri, ſe ad bellum comparabant. Sed eorum perfidiam *Ancus Martius* præoccupavit. Suis enim ſociorúmque inſtructus copiis, *Veientium* agros longè latéque eſt populatus. Mox *Veientes* etiam caſtra trans *Tiberim* poſuerunt. *Martius* ad *Fidenas* metatus eſt; nec laceſſere caſtra deſiit, donec ad pugnam elicuiſſet, magnóque ſuperâſſet prælio. Induciæ *Veientibus* datæ ſunt; *Martiúſ*que triumphans *Romam* rediit.
[a] 3379.

Veientes non ſemel à *Romanis* funduntur. [b] *Veientes* ſe vinci indigniſſimè ferentes, ruptis repagulis induciarum, denuo prodeunt ſignis explicatis. *Romani* occurrunt; & majoribus utrinque copiis acre prælium committitur. *Veientes* iterum vincuntur, & *Sylva Maſiâ* mulctati ſunt. *Tarquinius* magiſter equitum egregiam hac in pugna operam præſtitit. Eum igitur rex *Ancus* in patricios ad venam atque ſenatum cöoptavit. Proprium erat ei *Lucumo* nomen, *Demarati Corinthii* filio, qui domo profugus ob *Cypſeli* tyrannidem, (erat enim
[b] 3380. ex gente *Bacchiadarum*,) *Tarquiniis* in *Hetruria* conſedit. Ibi patre mortuo *Lucumoni*
Tarquinius advena quibus artibus *Romanus* fieret. ejus hæredi cùm divitiæ jam animos facerent, auxit ducta in matrimonium *Tanaquil*, ſummo loco nata, & quæ iis in quibus nata erat humiliora haud facilè ſineret. Oblitáque ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo virum videret honoratum, migrandi ab *Tarquiniis* conſilium cepit. *Roma* eſt ad id potiſſimum viſa, ubi omnis repentina in novo populo, & ex virtute nobilitas ſit, futurum locum forti ac ſtrenuo viro. Sublatis itaque rebus commigrant *Romam*, turbámque ſecum haud exiguam amicorum & clientum trahunt. Ad *Janiculum* cùm ventum eſſet, *Lucumoni* carpento ſedenti cum uxore aquila pileum leniter aufert, ſupérque carpentum magno cum clangore volitans, rurſus, velut divinitus miſſa, capiti aptè reponit: indè ſublimis abiit. Accepit id augurium læta *Tanaquil*, perita (ut vulgò *Hetruſci*) prodigiorum cœleſtium mulier. Excelſa virum complexa ſperare jubet. Urbem ſpe pleni ingreſſi ſunt, ibíque domicilio pro *Lucumone* comparato, *L. Tarquinium Romano* more nomen atque cognomen edidêre. *Romanis* cum conſpicuum & novitas, & divitiæ, benignum alloquium, & comitas invitandi, beneficiiſque quos poterat ſibi conciliandi, faciebant, donec in regiam de eo fama perlata eſt. Mox regi innotuit, civitate unà cum ſuis agróque donatus. Denique, tam dextrè officia obiit, ut publicis privatiſque conſiliis bello domíque intereſſet; & per omnia expertus, tandem regis teſtamento etiam liberis regiis tutor fieret.

A. M. 3381. Hoc tempore *Sinope* in *Ponto* à *Mileſiis*, & *Lipara* in maxima *Æoliarum* inſula à *Cnidiis*, conditæ feruntur. Nec multò ſeriùs *Mileſii* in *Ægypto* urbem *Naucratin* condiderunt. (*Strabo* 17.) Quod *Athenienſibus Euſebius* tribuit.

§ 20. *Cyp-*

A.M. 3381.

Periander Corinthiorum quomodo ex mitis crudelis factus ſit:

§ 20. *Cypſelo Corinthiorum* tyranno ſine cæde defuncto, filius *Periander* arripuit ſibi imperium, tenuítque annos 40. Ejus initia fuerunt læta, donec aſperitatem didicit aliunde. Cum *Thraſybulo* ſcilicet verſatus, indè patre crudelior factus eſt, tyrannúmque ſe præbuit. Sciſcitanti *Periandro* per nuncium, quomodo, rebus ſuis in tuto conſtitutis, optimè civitatem gubernaret, reſpondit nihil *Thraſybulus*, (*Mileſiorum* tyrannus;) ſed foras in agrum ſegete ſatum cum nuncio ambulans, ſpicas ut quæque altiſſima erat detruncavit. *Periander* odoratus quid ſibi vellet *Thraſybulus*, eminentiſſimos quoſque civium tollendos eſſe cenſuit, qui in maxima erant apud populum gratia. Exſtat apud *Laërtium* (in Vita *Periandri*) Epiſtola *Thraſybuli*, quâ in agro geſtis ſui conſilium exponit. Cum matre ſua *Cratéa* clàm congredi ſolebat, libidine in filium exæſtuante. Tandem deprehenſus, ubi vulgò jactatam cognovit rem, eò graviùs *Periander* in populum ſæviit. Uxorem *Lyſidem*, (ipſe *Meliſſam* appellavit.) accenſus irâ, prægnantem calcibus interemit, & cum mortua congreſſus eſt. Pellices calumniis in conjugem incitârant, quas tamen poſtea flammis tradidit.

perperàm numeratus inter Græcorum ſapientes:

Hunc è Septem quos habuit *Græcia* eodem tempore Sapientibus, aſſerit *Ariſtoteles* fuiſſe unum; *Plato* negat, & *Myſonem Chenenſem* ejus loco numerat. Suppuduit forſan, hominem tam nefarium inter paucos *Græcorum* Sapientes numerare. Nec revera fuit. Sed habitum fuiſſe, & à Scriptoribus pleriſque in Sapientum numero cenſeri, vix eſt ut negem. Et argumento ſunt ea quæ illi tribuuntur apud *Laertium* Apophthegmata. *In rebus ſecundis moderatio, in adverſis prudentia requiritur. Amicis fauſtis infauſtiſque eundem te præbe. Quicquid promiſiſti præſta. Non peccantes modò, ſed & peccaturos coërce pœnâ. Eos qui tutò regnare volunt, benevolentiâ ſtipari, non armis, oportere.* (Eum tamen primum ferunt circumſeptum armis prodiiſſe.)

ob necem uxoris odio habitus à filio ſuo Lycophrone.

Filios ejus duos, *Cypſelum* hebetiorem, & *Lycophronem* ſatis prudentem, *Procles* aliquando, maternus avus, invitatos *Epidaurum*, ità monuit; *Noviſtiſne*, inquit, *pueri, quis matrem veſtram interemerit?* Minimè *Cypſelus* animadvertit avi dictum, quippe cui acumen deerat. At *Lycophron* penitùs imbibit. Tantóque deinde odio patrem habuit ob matris necem, ut nec eum affari unquam poſtea, nec poſtea alloquenti reſpondere, dignaretur. In hoc propoſito perſeverans à patre *Periandro* ejectus eſt, mortem omnibus interminante, qui ejectum à ſe filium vel tecto reciperent, vel alloquio dignarentur. In porticum ſe recipiens *Lycophron*, ibi deambulando famem obſonabatur, quam nulla erat levandi ſpes. Ibi quarto die illuvie & inediâ enectum penè reperit crudelis pater, nec potuit non miſereri, *Atque in rege tamen pater eſt*; monétque multis, & conatur emollire obduratum filii animum, revocaréque ad obſequium. At ille

Non magìs incepto vultum ſermone movetur,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſſia cautes.

Periander ergò abdicavit, & in *Corcyram* (ſibi ſubditam) relegavit filium uſque adeò pervicacem. Ubi tandem conſenuiſſet, imparémque ſe ſentiret negotiis regni obeundis, *Corcyram* mittit, qui *Lycophronem* ad imperium accerſeret adminiſtrandum. (Nam in filio majore ingenium erat tanto onere imbecillius.) At *Lycophron* nuncium nè verbo quidem dignatus eſt. Sororem ergò miſit pater, cui ſperabat auſcultaturum. Cui, omnia cùm dixiſſet, reſpondit frater hoc unum, *Corinthum neutiquam ſe rediturum quamdiu pater ibi viveret.* Hoc ipſum arripuit indulgens jam pater, nè tyrannis amitteretur. Denunciavítque per caduceatorem, *Corcyram ſe venturum, modò filius Corinthi tyrannidem ſuſciperet.* Ità conventum eſt, & utrinque diſceſſus parabatur. At nè vultum *Periandri* aſpicerent inſulares, è medio filium ſuſtulerunt, cujus ſolius gratiâ ad ſe pater venturus erat. Pater verò, ut filii necem ulciſceretur, trecentos primorum *Corcyræorum* liberos abſtulit, quos ad *Halyatten Sardes* mitteret caſtrandos. Octogenarius jam ferè, nec ad res gerendas habilis, rerúmque pertæſus humanarum, mortem erat libenter amplexurus. Quot autem juvenes interfecerit, nè violaretur ſepulchrum, & mortui ſui cadaver, apud *Laërtium* videre eſt. Quem omnes metuunt, metuit omnes; ſiníque vel mortuo ab iis timet, eum qui timuerant vivum.

Nabopollaſar imperat Babyloniis atque Chaldæis.

Defuncto *Chiniladauno*, *Nabopollaſar* (*Nabulaſſarum* vocat ex *Beroſo Joſephus*) *Babyloniis* atque *Chaldæis* imperavit annis 21. Ex *Alexandro Polyhiſtore* colligitur apud *Cedrenum*, *Nabopollaſarum* à *Chinaladauno* exercitui præfectum defeciſſe, ſocietatémque iniiſſe cum *Medis*: *Aſtyagem*, *Cyaxaris* filium, à patre *Mediæ* ſatrapam fuiſſe conſtitutum; filiam verò ſuam *Nabuchodonoſaro Nabopollaſaris* filio ſponſam tradidiſſe:

didiſſe:

didiſſe: eâ conjunctos affinitate, viribus unitis *Niniven* oppugnâſſe, cepiſſe, diruiſſe. A.M. 3381. Idem in fine Libri *Tobit* ſignificari volunt, ubi *Niniven* evertiſſe *Nabuchodonoſorum* & *Aſſuerum* ſcribitur. Sed hac in re dubia quædam occurrunt, quæ haud facilè poſſunt explicari. 1. An hæc fieri potuerint à *Medis*, interea dominantibus in *Media Scythis*. 2. An credibile ſit, *Aſtyagi* filiam hoc tempore fuiſſe nubilem, cui poſt annos ferè 26 uxor data eſt *Halyattis* filia, ad pacem cum *Lydis* conciliandam.

A.M. 3382. *Volſcos Romani ſuperant & Sabinos.* *Latii* populus erant *Volſci*; *Volſcorum* urbs primaria *Velitræ*. Ab his injuriæ ac rapinæ ad arma *Romanos* provocârunt. *Martius* ergò cum exercitu urbem premit. Prodierunt mox majores natu ſupplices; &, polliciti ad pœnam ſe ſontes tradituros, hoſtium minas pacaverunt. Indè pax & amicitia inter gentes contracta eſt. Poſt unum alterúmve annum, è gente *Sabinorum* aliqui, non experti *Romanorum* vires, ad arma quietos irritavêre. Invidia illis pro injuria fuit, ex re *Romana* creſcente nimiúm. In procinctu ſtabat *Martius* ad omnem ſuorum querelam intentus. Properè contra *Sabinos* adfuit cum auxiliis, eóſque poſt impetum primum profligavit; caſtra cepit, rebus quibuſque optimis referta.

Arion inter delphinas, avaris nautis humaniores. *Arion* hâc ætate cantu & citharâ magnas opes collegiſſet; quæ in cauſa illi erant, quòd à nautis prædæ avidis in mare projiceretur, *Tarento* rediturus in patriam ſuam *Corinthum*, ubi bene fuit apud *Periandrum*. Exceptus in tergum à delphine, & ad *Tænarum Laconiæ* depoſitus in littore, quàm potuit celerrimè *Corinthum* feſtinavit, ut nautas eò redeuntes præverteret. Ubi rem regi expoſuiſſet, nautas ad ſe jubet *Periander* advocari ut primùm reduces. De *Arione* rogat, hominémne vidiſſent in *Italia*. Vidiſſe aiebant, & ſoſpitem fortunatúmque *Tarenti* reliquiſſe. Dum in hoc multi ſunt ut omnem avertant ſuſpicionem, *Arion* ipſe, qui hactenus latuerat poſt aulæa, citharam pulſans in medium prodit eodem habitu ornatiſſimo quo deſilierat in mare. Quàm primùm nautæ *Arionem*, ejúſve ſpectrum, conſpexêre, horrore confuſi confeſsíque ſunt facinus quod patrârant. Pœnâ pro merito ſontes affecti; & chari deinde diis Muſici habebantur, *Baccho* inprimis. Dithyramborum fuiſſe autor primus dicitur *Arion*.

A.M. 3383. *Epidamnus* à *Corcyræis*, duce *Phalio Corinthio*, in ora *Illyrici* conſtructa eſt; quæ, à peninſula cui impoſita eſt, *Dyrrhachium* quoque dicta, ut ait *Strabo*, (l. 7.)

Poſt *Ardyn* in *Lydia* regnavit *Sadyattes* ann. 12, nullâ re memorabili geſtâ.

A.M. 3384. *Jehovæ minæ in Judæos per Huldam Prophetidem.* § 21. Decimum jam & octavum *Joſias* in *Judæa* regnabat annum, cùm ædificiis Templi reparandis, quæ regum priorum injuriâ incuriâve aut collapſa reperit, aut ruinoſa, magno ſtudio incubuit. Id hactenus fieri fortaſſe non potuit, quòd pecunia deeſſet. Pecuniam verò colligebant viritim janitores Templi, atque in Templo reponebant, donec operi ſumma reſponderet & ſufficeret. Eo, inquam, modo colligebant quo rex *Joaſhus* ante annos ferè 240 inſtituerat. (2 *Chron.* 24. 8, 9.) Contribuentibus etiam *Iſraëlitis* quotquot ſupererant, non *Judæis* modò & *Benjaminitis*. Miſſi ergò à rege ſunt *Shaphanus* cancellarius, & *Maaſia* præfectus urbis, cum *Joa* ſcriba, ad *Hilkiam* Pontificem, qui mandarent, ut operum ſacrorum præfectis pecunia ſacra traderetur; ii verò ut eam fabrorum lapidariorum lignariorúmque fidei crederent, ad emenda ſaxa lignáque, & alia quæcunque opus videbantur, ità ut nulla ab iis ratio allocatæ pecuniæ exigeretur, viris quippe probis integríſque. Dum ex Templo pecuniam repetebat *Hilkia*, librum fortè Legis reperit *Moſaïcum* & authenticum, ſed unicum ferè jam, quem prope Arcam Dei *Moſes* repoſuerat; ſacerdotum verò aliquis occultârat, nè regum aliquis impiorum flammis daret. Eum Pontifex *Shaphano*, *Shaphanus* regi tradidit, juſsúſque partem aliquam prælegit. Incidiſſe credibile eſt, Deo id agente, in *Deuteronomii* caput 28. verſ. 15, &c. ubi minas & mala cùm audiviſſet rex quæ populo contumaci regibúſque à Deo denunciabantur, cúmque à majoribus ſciret ſuis quanta contra hanc Legem Dei perpetrata fuiſſent ſcelera, dolore maximo perculſus veſtes laceravit, *Hilkiam* Pontificem *Shaphanúm*que & alios viros honoratos ad *Huldam* Prophetidem *Shallumi* conjugem delegavit, ut ex ea voluntatem *Jehovæ* cognoſcerent de ſe populóque ſuo, majorum ſuorum impietatis vel adhuc reo. In collegio prope Templum degebat *Hulda*, hoc eſt, in doctorum quorundam hominum ad ſacra tractanda convenientium conſortio. Quærentibúſque reſpondit; "*Sic ait Dominus*, *Ecce locum ego hunc & incolas malis* graviſſimis *affligam*; iis ipſis "*quæ in* Legis *libro rex legit: eò quòd* Deum *me* ſuum *deſeruerint*, *alieniſque numini*"*bus adoleverint thus*; ſimulacris, *manuum ſuarum operibus*, *iram meam provocantes*. "*Iracundia igitur mea flagrabit*, *neque ſedabitur extinguetúrve* priùs, quàm concrema-

"verit

"verit hunc locum, & in cineres redegerit. *Regi verò Judæorum, qui* huc *vos ad* A.M. 3384.
"*ſcitandum* oraculum *Dei delegavit, hæc vult Deus reſponderi,* certò peſſundatura
"populum hunc mala quæ dixi omnia. Tu verò ipſe, *quoniam animo humili* & con-
"trito, *laceratiſque veſtibus, gemens lacrymánſque* populi tui peccata venturáſque ca-
"lamitates lugere viſus es, meáſque minas exhorreſcere, hactenus placaviſti me. E-
"ripiam *ego te,* priùs quàm evenerint, ab his *malis quæ ſunt futura,* nè ſentias ea aut
"*cernas* quæ à filiis nepotibúſque unà cum *hac urbe,* ſentina ſcelerum, ſunt perfe-
"renda. Hæc Vates à Deo nunciis, hæc nuncii ad regem à Vate retulerunt. Pius rex, ut iram Dei, ſi poſſet fieri, à ſuis averteret, populi principes *Judaïci* atque civium primores in aulam accivit, comitéſque ad Templum habuit. Secuti ſunt cives *Hieroſolymitani,* populúſque univerſus, cum ſacerdotibus atque *Levitis.* Stetit rex ad columnam ſuam. Leges Divini Fœderis è libro *Moſis,* omni cœtu audiente, prælectæ ſunt. Deinde juratum eſt, à rege inprimis, à populo mox & civibus univerſis, fœdera Dei & mandata ſe religioſiſſimè obſervaturos. Perfecítque rex optimus autoritate ſuâ, ut omnes nominis *Iſraëlitici* majorum ſuorum Deo *Jehovæ* obſequerentur, neque ab hoc fœdere in quod juraverant, vivente unquam ſe, *Judæi* deficerent aut *Iſraëlitæ.* (2 *Chron.* 34.) Fœdere ſancito, reliqua puræ Religionis inquinamenta ſuſtulit. Pontifici & ſacerdotibus janitoribúſque imperavit, vaſa ut omnia *Baali* dedicata, & lucis, aſtrorúmque diis, in campos producerent ad fluvium *Cidronem*; illic ut comburerentur, & comminuerentur in pulverem; pulvis *Bethelem* tranſportaretur. Suſtulit etiam ſacerdotes qui à regibus *Judææ* ſunt conſtituti, ut in lucis urbium *Judææ* operarentur, ac prope *Hieroſolymas*; ipſáque profanavit ac diruit Excelſa; necnon *Baalis* aſtrorúmque ſacrificulos abdicavit. Neque tamen Excelſorum ſacerdotes, quanquam *Aaronici,* ad aram & ſacra in Templo *Hieroſolymis* recepti ſunt. Pane tantùm azymo eos & alimentis ſacerdotalibus, nè perirent fame, dignatus eſt. Luci quoque ſimulacrum ex Templo (2 *Reg.* 21. 6.) rex pius ſuſtulit, combuſtúmque in valle *Cidronis,* & in cineres redactum, ſuper tumulos eorum qui coluerant diſſipavit. Porrò *Sodomitarum* domos intra Templi ambitum, ubi lucorum ſimulacris aulæa nebant mulierculæ, demolitus eſt. *Tophetum* præterea in valle *Ben-hinnoma* profanavit, nè comburerent *Molecho* liberos. Equos à regibus Soli dedicatos in ipſo Templi aditu ſuſtulit, currúſque flammis tradidit abſumendos. Quin & aras in faſtigio iſtius ædificii quod *Achazi cubiculum* vocabatur poſitas, & quas in atrio Templi ſtatuerat *Manaſſes,* omnes in pulverem contrivit, atque in *Cidronem* abjecit fluvium. Item Excelſa *Hieroſolymis* propinqua, & colli à dextris, qui *Olivetorum* poſtea dictus eſt mons, à *Solomone Aſhtorethi Sidoniorum* dedicata, & *Chemoſho Moabitarum, Milcomóque Ammonitarum* exſecrando numini, profanavit oſſibus hominum mortuorum, ſimulacra confregit, lucóſque penitùs ſuccîdit. Deinde ſe *Bethelem* contulit, arámque diruit *Jeroboami,* quod ante annos 350 prædictum erat, Excelſum ſuccendit, atque in pulverem comminuit, ut & lucos concremavit. Oſſa priùs mortuorum, è ſepulchris eruta, in ara quaſi victimas comburi voluit; (ſicut vaticinatus erat Propheta, 1 *Reg.* 13. 2.) quæ rerum ſacrarum profanatio habebatur turpiſſima. Prophetæ verò ipſius qui hæc prædixerat ſepulchrum, ubi ex epitaphio & ab incolis cujus eſſet ſepulchrum didiciſſet, vetuit diſturbari. In omnibus denique *Samariæ* urbibus Excelſa confregit, ipſos in aris immolavit ſacerdotes, mortuorúmque combuſſit oſſa. Poſtquam Religionis inquinamenta omnia vel igne vel aquâ *Cidronis* purgaviſſet, & impedimenta removiſſet impietatis, etiam pythones & ariolos, aliáſque vanas artes & maleficas ſuſtuliſſet; tum demum Paſcha celebrari voluit religiosé. Et quò id alacriùs fieret, ſacerdotes atque *Levitas* hortatus eſt, ut ſua quiſque in Templo munia & vices, quomodo *David* atque *Solomon* inſtituerant reges, obirent ſedulò, & populum docerent, quid ei eſſet in hoc feſto ex Lege *Moſis* faciendum. Populum verò excitavit, donando iis magnificè qui aderant agnorum hœdorúmque triginta millia ad paſchalem cœnam, & ad ſacrificia juvencorum millia tria. Sacerdotum principes, regem tam pium imitati, *Hilkia, Zecharia* & *Jehiel,* ſacerdotibus ad eandem cœnam bis mille ſexcentas oves, ad victimas verò juvencos ter centenos donavêre. Item principes *Levitarum, Conania,* cum fratribus *Shemaia* & *Nethaneële, Haſhabia, Jeïel* & *Jozabad, Levitis* agnos quinquies mille, quingentóſque juvencos dederunt gratís. Feſta igitur Paſchatis & Azymorum tantâ celebritate, quantâ nullis unquam antea regum temporibus *Judæorum,* à *Joſia* acta ſunt.

Joſias iram Dei avertit à ſuis pro virili,

omne genus idololatriam longè latéque profligando.

§ 22. Ar-

A.M. 3385.

Draconis leges apud *Athenienſes* ſanguinariæ.

§ 22. Archon erat apud *Athenienſes* ſive Novem-virorum princeps *Draco*, integritatis atque prudentiæ ſpectatæ vir, at paulò ingenii ſeverioris. Huic ſcribendarum ſibi legum cives faciunt poteſtatem. Hactenus enim inſtituta quædam majorum & Novem-virûm arbitria pro legibus fuerant; utraque gratiæ, corruptelæ injuriiſque opportuna. Novas ergò legum tabulas ſcripſit *Draco*; ſed tantâ pœnarum gravitate in leviſſimis etiam delictis, ut jure *Demades* poſtea, non atramento eum, ſed ſanguine, ſuas ſcripſiſſe leges dixerit; & *Herodicus*, Draconis, non Hominis, fuiſſe. (*Ariſtot.* Rhet.) Capitalis erat pœna in omnes ferè offenſas conſtituta. Siquis otii damnabatur, morte luit; nec induſtriâ deinde licuit peccatum admiſſum emendare. Olera furati pomáve eodem ſupplicio quo ſacrilegi homicidæque plectebantur. Quaſi ex *Stoïca* diſciplina, paria eſſe peccata omnia putâſſet *Draco*. Interrogatus cur morte puniret omnia, reſpondit, "Et parva ſibi videri morte digna peccata; majus verò ſup-"plicium habuiſſe ſe nullum quod majoribus irrogaret. Poſt annos ergò triginta circiter, tantæ pertæſi ſeveritatis *Athenienſes*, *Draconis* leges *Soloni* caſtigandas tradiderunt, qui & eas ultimo ſupplicio affecit. (*Plutarch.* in *Solon.*) *Draco* ipſe in *Ægina* inſula interiiſſe perhibetur. In theatro enim ſedens, veſtibus ac tunicis injectis pluimis oppreſſus eſt. Tribus verſuum millibus ſcripſiſſe dicitur Hypothecas.

A.M. 3390.

Quæ gentium antiquiſſima, *Phryges*, an *Ægyptii*.

Cùm *Pſammitichus* obiiſſet, filius regnum ſuſcepit *Neco*, qui & *Necos* vocatur apud *Herodotum*. Ante *Pſammitichum* (inquit *Herodotus* l. 2.) *Ægyptii* ſe omnium antiquiſſimos prædicabant. Verè id, nécne, commento novo placuit *Pſammiticho* experiri. Duos infantes recèns natos paſtori tradidit, procul ab hominum commercio à capris nutriendos. Hoc eo conſilio à rege factum, ut cujuſcunque gentis linguam à nemine docti loquerentur, ea linguarum prima, prima ea gentium haberetur. Poſt duos pluréſve annos vocem edidêre nullam præter *Bec*, *Bec*. Interroganti tum regi quâ linguâ quid rei vox ea ſignificaret, reſponderunt nonnulli, *Phrygiam* fuiſſe vocem *Bec*, atque *panem* ſignificare. Tum verò *Phrygibus Ægyptii* primatum ætatis conceſſerunt, honeſtum ſibi in ſecundis conſiſtere arbitrantes. At hâc ratione caprarum genti primas concedere oportebat: ab iis ſcilicet nutricibus *Bec* infantes didiciſſent.

Neco regnat apud *Ægyptios* res moliens maximas.

Ægyptiorum rex novus *Neco* nova magnáque animo ſuo metabatur. Foſſam inſtituit in ſinum *Arabicum* à *Nilo* ducere. Quo in opere cùm dimidio tantùm perfecto 120 millia *Ægyptiorum* periiſſent, oraculi minis cujuſdam territus ſuperſedendum cenſuit. Neque tamen rebus maritimis renunciavit: in utroque enim mari, Mediterraneo & *Erythræo*, inſtruxit naves; conduxítque *Phœnices* qui omnem *Africam* circumnavigarent; eóque primus demonſtravit peninſulam eſſe. Quippe in Auſtrum navigantes ad terram alicubi appellebant. (*Herodot.* l. 4.)

Anci Romani varia opera recenſentur.

Ancus interea, *Romanus* rex, *Oſtiam* deducebat in oſtio *Tiberis* coloniam, maritimis commeatibus opportunam. Uſque enim mare Inferum imperium protulerat. A *Roma* paſſus 16000 hæc urbs diſtabat. Et ſylvas ad uſum navium publicavit; *Mæſiam* præcipuè *Veientibus* ademptam. Salinæ circà factæ, quarum & vectigal inſtituit. In *Tibere* pons factus Pontificis curæ tanquam ſacer eſt commendatus, cui ex eo *Pontificis* nomen. Ad ſcelerum terrorem primus carcerem *Ancus Martius* ædificavit. *Quiritium* quoque foſſa, haud parvum munimentum, *Anci* opus exſtabat. Denique, rebus egregiè bello geſtis, ædes *Jovis Feretrii* ab eodem amplificatæ. (*Liv.* l. 1.)

A.M. 3394.

Tarquinius, licèt exterus, ſuccedit rex.

Anco tandem defuncto, ſi fato ſuo, certè immaturo, filiorum ejus duorum alter prope puberem ætatem erat: eò magis *Tarquinius* inſtare, ut quàm primùm comitia creando regi fierent. Quibus indictis, ſub tempus pueros venatum ablegavit. Iſque primus & petîſſe regnum ambitioſè, & orationem dicitur habuiſſe ad conciliandos plebis animos compoſitam. Illum ergò *Romanus* populus ingenti conſenſu regnare juſſit. Ergò virum, cætera egregium, quam habuerat in petendo, ambitio regnantem ſecuta eſt. Nec minùs regni ſui firmandi, quàm augendæ reip. memor, centum in patres legit ſpectatæ & prudentiæ & fortitudinis viros, qui deinde *Minorum gentium* ſunt appellati: factio regis haud dubia, cujus beneficio in curiam venerant. Bellum

Latinos iterum atque iterum profligat.

cum *Latinis* primum geſſit; quibus fuſis, oppidum *Appiolas* cepit diruítque. Pari diligentiâ bellum hoc proſequitur, quâ *Latini* ſuſceperunt temeritate. In *Cruſtumerium* cum exercitu movens, coloniam *Latinorum*, recepit eam in deditionem. *Nomentani* etiam, qui latrociniis irritaverant in ſe *Romanos*, precibus, non armis, ſalutem ſuam debuerunt. *Collatia* prodiit, & prælium auſa tentare, facilè eſt rejecta, fecítque deditionem. *Tarquinius* indè *Collatini* cognomen adeptus eſt. *Latini* ægerrimè hæc ferentes, ingenti apparatu in agrum *Romanum* irrupêre; captivos abduxêre multos, magnám-

magnámque prædam. Properavit *Tarquinius* quantum potuit, paribúſque *Latinos* affecit damnis. Cúmque mutuis diu incurſionibus finitima infeſtáſſent, acie tandem inſtructâ prope *Fidenas* dimicatum eſt, ídque acerrimé. Multi utrinque ceciderunt. Sub veſperam *Romani* adeò vires hoſtium attriverant, ut noctu in urbes dilapſi ſuas, caſtra hoſtibus reliquerint. Deinde *Tarquinius* in *Latinorum* ditionem penetravit, populos invitavit ad defectionem, incolumitatis oblatâ ſpe. *Camerini* aliíque, quibus tuta magis placebant quàm ſpecioſa, in fidem *Romanorum* ſe ſuóſque dediderunt. At quibus invicta erat pertinacia odiúmque in *Romanos*, *Ferentini* coëuntes, in hanc omnes ſententiam convenêre, ut è ſingulis vires urbibus conferrent; ut è vicinis potentiſſimos in auxilium quoſque vocarent: qui auxilia ſe miſſuros, legatis petentibus reſponderunt.

A. M. 3394.

§ 23. Nullus rex unquam apud *Judæos* tanto ſtudio impetúque animi quanto *Joſias* cultum Dei, neglectum depravatúmque à majoribus, inſtauravit, priſtinæque integritati ac nitori reddidit. At hoc ſeriùs paulò factum quàm oportuit. Quippe iram Dei ob priorum regum ſcelera flagrantem jamdiu, præcipuè ob nefandam *Manaſſis* idololatriam immanémque crudelitatem, (*Jer.* 15. 4. & 2 *Reg.* 23. 26.) nullâ potuit ſuâ pietate reſtinguere, excidiúmve gentis *Judaïcæ*, jam conſtitutum, aut redimere, aut amoliri. Ipſe tantùm calamitati publicæ præreptus eſt; at immaturâ morte & violentâ, quam ſuâ ſibi temeritate acciverat, neglecto Deo exercituum, ubi in re militari maximè Deo opus erat. Imò & contra voluntatem Dei geſtum ab eo bellum *Judæi* volunt; quam à Propheta *Jeremia* *Ægyptio* regi ſignificatam, in Traditionibus *Hebraïcis* (ſi qua eſt illis fides) ſcribit Sanctus *Hieronymus*. Accidit enim ut *Ægyptius* rex *Neco*, *Carchemiſhum* oppugnaturus, urbem imperii *Aſſyriaci* ad fluvium *Euphratem*, (*Cercuſium* appellat *Ammianus* l. 23.) per *Judæam* iter faceret cum exercitu. *Joſias*, veritus nè ſuam ditionem hoſtili more invaderet, occurrit cum exercitu in regni finibus, (Deo interim inconſulto,) vim quam timebat vi propulſaturus. At per nuncios *Ægyptius* monuit, "nè quid hoſtile attentaret. *Nec* enim *ei ſe* aut *bellum inferre*, "aut mali quidquam pacifico moliri. Hoſtem petere *Aſſyrium*, *jubentéque Deo* (per "*Jeremiam*, aiunt *Judæi*) viâ breviſſimâ *properare*. Caveret ergò nè ſibi moram faceret, *Deóque adverſaretur*; néve ſe præter propoſitum ad pugnandi neceſſitatem "adigeret, gravem temeritatis pœnam perſoluturus. Monenti quidem non omnino obtemperavit *Joſias*. Dies aderat fatalis. Et *Juſtinus Martyr* (Quæſt. 89. ad Orthodox.) ideo occiſum *Joſiam* ait, quòd *Jeremiæ* monenti nè impediret *Ægyptium* non paruerit. In valle igitur *Megidduntis* ſigna contulit; ſed veſtibus regiis, nè agnoſceretur, depoſitis, néve impetum prælii in ſe unum traduceret. Ignotum tamen in curru vulneraverunt ſagittarii; ídque tam graviter, ut malè habentem exportari ex prælio juſſerit ſe. Altero deinde curru ſubvectus, ubi rediit *Hieroſolymas*, animam piam exhalavit. Inter majores in ſepulchro regali eum condiderunt, luctúque maximo proſecuti ſunt *Judæi* omnes & cives *Hieroſolymitani*, nullum unquam pietate parem habituri. Deflevit etiam regis obitum Propheta *Jeremias*, ídque threnis quibuſdam. Defleverunt etiam muſici fœminæque cantatrices ſuis næniis etiam publicè inſtitutis. Tantúſque *Judæis* hic luctus erat, ut penè abierit in proverbium. (*Zach.* 12. 11.) Prorſus quaſi unà cum rege hoc ipſa res *Judaïca* uſquequaque concidiſſet. Certè Religio cum rege concidit. Eo vivente procurantéque, populi reſipiſcentia, utut ſera, vera fuit. Soli enim regi, & vix quidem ſoli, pepercit Deus. Eo autem defuncto, regum populíque defiit prorſus pœnitentia, cœpit pœna; quæ non niſi cum gentis totius defiit ruina. Regem ei ſuffecerunt *Jehoahazum Judæi*, trium & viginti annorum juvenem, quem & inſuper unxerunt; quippe non hæreditarium, ſed electum à ſe regem, fratríque majori aut volenti regnare prælatum, aut recuſanti ſubſtitutum. *Jerem.* 22. 11. *Shallum* videtur appellari. At bello perpetrato contra *Aſſyrium*, captóque *Carchemiſho*, reverſus *Neco* poſt menſes tres, *Hieroſolymas* cepit, regem abſtulit etiam vinctum, qui occubuit in *Ægypto*. Majorem in regno fratrem ſubſtituit *Eliakimum*, annos 25 natum, quem pro imperio *Joakimum* deinde voluit vocari: regnum denique multavit tributo talentorum argenti centum, uniúſque auri, annuo. Regnavit *Joakimus* annos undecim. Dum regnavit *Joſias*, prophetavit *Zephanias*, denunciavítque in peccata judicia Dei. (*Zeph.* 1. 1.) Paria verò *Habaccucus* eſt vaticinatus, at aliquantò fortaſſe ſeriús. Nam in temporibus iis ipſis facturum ait Deum, ut invaderent *Judæam Chaldæi* atque peſſundarent. (*Hab.* 1. 5.)

A. M. 3396.

Joſiæ pietas inſignis *Judæorum* excidium non potuit amoliri.

Deo non conſulto, & neglecto *Jeremiâ*, *Joſias* perit;

& cum eo ſpes omnis pietáſque apud *Judæos*.

Cui *Jehoahazus* ſufficitur filius,

cíque *Joakimus*.

A.M. 3398. *Ariſtonis Spartani uxor formoſiſſima, & turpiſſima.*

Ariſto Agaſiclis filius, *Eurypontidarum* decimus-quintus, *Spartæ* regnavit annos (puto) 55. Eum ferunt duxiſſe fœminam omnium virginum turpiſſimam, formâ poſt *Helenam* uxorum omnium præſtantiſſimam. Ipſa ætas, formarum prædo, quam aliis eripit, huic dedit. (*Pauſ.* in *Lacon.*)

[a] *Halyattes rex Lydiæ.*

[a] Patre mortuo *Sadyatte*, rege *Lydorum Sardiúm*que, filius *Halyattes* annos regnavit 75. Is *Smyrnam* à *Colophoniis* conditam cepit. *Clazomenas* quoque oppugnavit & *Prienen*, quanquam irrito conatu. Et ex *Aſia Cimmerios* exegiſſe perhibetur. (*Herodot.* l. 1.)

[b] *A.M.* 3400.

[b] Poſt *Eurycratem* minorem, *Leon* filius, *Agidarum* 14. imperavit *Lacedæmoniis* annos 20. Eo patréque ſuo regnantibus, *Lacedæmonii* à *Tegeatis* complures clades acceperunt. (*Pauſ.* in *Lacon.*)

[c] *Joakimo regnante, Judæis terribilia denunciat Jeremias.*

§ 24. [c] *Joakimus Judæus*, optimi patris filius degener, veſtigiis regum peſſimorum fœdiſſimis inhærebat, minas Prophetarum nihil reveritus, quanquam à Deo denunciatas. Eo enim ineunte regnum, miſſus eſt *Jeremias*, ut in atrio Templi confluentem ad feſta populum ad reſipiſcentiam excitaret, ac, niſi obſequerentur, denunciaret, "Templum *inſtar Shiluntis* fore, *urbem verò* ſpecimen *exſecrationis*, & *univerſis* "*gentibus* proverbium. Prophetæ mendaces & ſacerdotes, cùm hæc audiviſſent, unà cum populo, in Prophetam manus injecêre, ut in malè ſcilicet ominantem & capitis reum. Magnus indè tumultus fit: de quo rumor ubi percrebuit, ad Templum proceres & aulici feſtinare, ut cauſam cognoſcerent, compeſcerent turbam. Illi nihil pœnâ dignum ea in re, nedum capitali, cenſuerunt. Monuerunt ergò populum, "paria his quæ *Jeremias*, & *Micam* Prophetam, *regnante Hezechiâ*, futura mala *de-* "*nunciaviſſe. Numquid eum* propterea *rex* & populus *morte* putârunt *afficiendum?* "Imò verò minis rex perterritus *exhorruit*, *Deúmque comprecatus*, ſuâ effecit pœni-"tentiâ, ut mitiſſimum *Numen ejus mali pœniteret quod erat* Propheta *minitatus.* "Quòd ſi Prophetam *Jeremiam* verbis Dei commonentem neci dederent, caverent "nè ſe temere in exitium præcipitarent. *Abikami* ergò *Shaphanis* filii operâ evaſit *Jeremias*. Sed non evaſit *Uria*, qui à Deo juſſus prædicabat eadem quæ *Jeremias*; at eâdem non omnino prædicabat impunitate. Ad necem quæſitus ab ipſo rege, fugit quidem in *Ægyptum*, ſed interitum non effugit. Miſſi enim qui caperent, reducerent, jugularent. Cadaver in viliſſima populi ſepulchra ignominiosè projectum eſt. (*Jer.* 26.) Excidio & exterminatione volebant ſe præbere dignos, & abſolvere Dei ſeveritatem, qui nè moniti parebant; ſed ipſos Dei nuncios vinculis, ignominiâ, ipsâ denique morte, innocentes benéque meritos, crudeliter multabant. Sub adventum ergò *Babylonici* exercitûs prædicit *Jeremias* (cap. 25.) res gerendas à *Nabuchodonoſoro* contra varias gentes, *Ægyptios* præcipuè & *Judæos*. Et *Judæos* quidem captivos in *Babyloniam* abducendos, annorum 70 ſubituros exſilium; tum demum redituros in patriam, ipſis *Babyloniis* ſub hoſtile jugum miſſis. Atque his, opinor, temporibus *Habaccucus* etiam Propheta de *Chaldæorum* victoriis vaticinatus eſt. (*Habacc.* 1. 5, 6, &c.) Sub finem ergò anni tertii *Joakimi* (*Dan.* 1. 1.) miſſus eſt qui *Judæorum* impietatem anno demum quarto (*Jer.* 25. 1.) armis caſtigaret, atque ſeveriùs ulciſceretur. Defecerant jam à *Nabopollaſaro Babylonio* (ut ex *Beroſo* narrat *Joſephus* contra *Apion.* l. 1.) ad *Ægyptium Phœniciæ Cœleſyriæ*que reguli. Ut eos ad obſequium revocaret, æger ipſe, ſuum filium *Nabuchodonoſorum* in ſocietatem regni aſſumptum (*Jer.* 25. 1.) cum exercitu emiſit. Is *Ægyptiorum* copias ad *Carchemiſhum* profligavit. (*Jer.* 46. 2.) *Syris* deinde (ut exiſtimo) *Phœnicibúſ*que ſub jugum reductis, *Judæam* quoque ut *Ægyptio* vectigalem & *Hieroſolymas* invaſit. Capta eſt urbs, captus & ipſe rex, vinculíſque oneratus ut *Babylonem* abduceretur. (2 *Chron.* 36. 6.) Sed cum *Babylonio* tributum pactus & obſequium quod *Ægyptio* ſpoſponderat, domi relictus eſt, tribúſque annis novo domino quam dederat fidem liberavit. (2 *Reg.* 24. 1.) At pleraque Templi vaſa *Babylonem* tranſlata ſunt, ut *Beli* templum exornarent. Et *Aſpenazo*, eunuchorum præfecto, imperatum eſt, ut pueros ex *Judæis Babylonem* tranſportaret, ex familiis nobiliſſimis, inprimis regia, tanquam obſides futuros; optimis ingeniis eoſdem, formâque præter cæteros honeſtâ & eleganti; qui linguâ & literis *Chaldæorum* per triennium inſtituti, miniſtri regis idonei fierent ad res domi foríſque obeundas. Ex his quatuor *Judæorum* inſigniores habebantur, *Daniel*, *Hanania*, *Miſhaël*, & *Azaria*: quibus ab *Aſpenazo* nomina *Chaldaïca*, ut in eam faciliùs tranſirent gentem & coaleſcerent, impoſita ſunt, *Belteſhazzar*, *Shadrach*, *Meſhach*, & *Abednego*. (*Dan.* 1. 3, &c.) Atque hæc ea prima eſt captivitas *Babylonica*,

Nabuchodonoſorus à patre miſſus ipſas capit Hieroſolymas; regem vinculis tenet, ſed non abducit Babylonem.

nica, unde anni 70 numerandi ſunt uſque ad reditum eorundem in patriam, quem futurum prædixit *Jeremias*. (Cap. 25. 11, 12.) His victoriis, quicquid in *Aſia* tenuerant *Ægyptii*, ad *Euphratem* uſque, *Babylonico* adjecit imperio *Nabuchodonoſorus*. Nec eò redire deinceps *Ægyptiorum* rex, ad bellum redintegrandum, provinciáſque amiſſas recuperandas, auſus eſt.

A. M. 3400.

In his temporibus *Sibyllam Cumæam Euſebius* ſtatuit, (in Chronicis:) de qua ſuprà A. M. 2788.

A. M. 3397.

Latini Romanis ſe victos dedunt.

§ 25. *Latini* primo vere cum ſuis *Hetruſcorúm*que ſociorum copiis, pleni ſpe, in agrum *Romanum* irruperunt. Quo tempore etiam ii qui è *Sabinis* erant confœderati confinem ſibi agrum populabantur. Prodiit *Romanus*, coacto etiam quantum potuit exercitu: &, nè vires diſtrahendo imminueret, diſtulit pœnas *Sabinorum*, *Latinóſ*que integris aggreſſus eſt copiis. Pari virium robore, paríque animorum alacritate, ad ſeram uſque noctem dubia pugna protracta eſt. Poſtridie caſtris ſuis adhæſerunt *Latini*, *Romaniſ*que prodeuntibus in aciem legenda conceſſerunt ſpolia, confeſſione quadam tacitâ victoriæ. Sed *Hetruſcis* in auxilium venientibus, prælium alterum initur. Poſt longum certamen, laborabat acies *Romana* in ſiniſtro cornu, atque ad fugam inclinabat. In dextro cornu *Tarquinius* ubi de periculo accepit nuncium, ipſe cum expeditiſſimis confirmavit aciem inclinatam, ultráque progreſſus, irruit inopinatò in dextrum hoſtile cornu; pudoréque ſuorum in furorem verſo, ferociam hoſtium compeſcunt. Utrinque obliti *Latini*, vacillare jam & contremiſcere; mox omnem ſalutis, non victoriæ duntaxat, ſpem abjicere. Deinde fuga ac cædes fuit. Rex cum equitatu caſtra hoſtium penetravit, & horrore complevit ipſum perfugii locum. Indè ad urbes expugnandas ducendus erat exercitus. Sed eâ operâ ut *Romani* ſuperſederent, *Latinorum* fecêre ſupplices oratores, urbes ſuas dedentium, & legibus quibuſvis pacem fieri cupientium. Concedunt principatum, obſequium promittunt. Clementer ſatìs *Romani* victoriâ ſuâ ſunt uſi. Nulla pœna privatim, nullum publicè vectigal ut ſubditis impoſitum. Hæc ſolummodo imperata, quæ fuerunt æquiſſima; ut perfugas traderent, captivos redderent, populationum damna compenſarent. Ità pax *Latinis* data uti amicis deinde *Romani* populi; & ob tantam victoriam triumphus regi.

A. M. 3398.

Sabini ſex annorum inducias impetrant, magnâ clade conſternati.

Vacabat jam *Romanis Sabinorum* provocationi reſpondere. Sed conſcii injuriarum exſpectabant talionem. Quare occupant bellum, & agrum *Romanum* priores tranſeunt. Adeóque ſubita res ea fuit, ut trepidatum ſit *Romæ*, fatente *Livio*. Et primò magnâ utrinque clade, dubiâ victoriâ, pugnatum eſt. Reductis deinde in caſtra copiis, quaſi tacitis quibuſdam induciis quievêre ambo: mox, ad augendas utrinque vires, domum ſe contulêre.

3399.

Hetruſci Romanis Fidenas auferunt.

Ineunte vere, *Sabini* cum ſuis copiis auxiliiſque *Hetruſcorum* contra *Romanos* prodierunt. Collocata ſunt caſtra bina prope *Fidenas*. Nec diu aut procul *Romani* aberant; à quibus auctus eſt equitatus, & ex occulto dolus additus. Immiſſæ à *Tarquinio* in pontem hoſtium ſunt ſcaphæ, quæ juvante vento accenſæ, (picis plenæ ſulphuríſque,) rates, pontémque quo *Tiberis Anieniſ*que confluentem commiſerant, flammis ſtatim corripuerunt. Dum omnes ut ignem extinguerent accurrebant, caſtra utraque *Romanus* cepit. Præda militibus conceſſa. Captivi plurimi nobiléſque in cuſtodiam dati arctiſſimam, obſidum *Romanis* futuri loco. *Sabini*, tantâ clade conſternati, legatis de pace miſſis, in ſex annos inducias impetravêre. *Hetruſci* verò decreverunt, ut *Hetruſci* nominis univerſi commune in *Romanos* bellum gererent. Ingens ergò exercitus *Fidenas* ducitur, quas præſidium *Romanum* tenuit. Sub ipſis mœnibus caſtra metantur, majori ab inſidiis quàm ab armis ſpe freti. Mox per proditionem occupata eſt urbs, opportunum adverſus *Romanos* propugnaculum. *Tarquinius* ſuas ſociorúmque copias (in quibus *Latinorum* quoque) in duo agmina diviſit. Alterum *Arunti* cognato tradidit, ut *Fidenas* obſideret, ubi malè rem geſſit: altero ipſe agrum *Veientanum* populatus, magnâ tandem onuſtus prædâ, ut ex divite regione, ſub hyemem rediit.

Cyrenæi originem Batto debent ſuam; Battus ſuam Phronimæ demerſæ.

Cyrenæi (aliter quàm *Herodotus* l. 4.) de origine ſuæ patriæ narrabant olim; *Battum* quendam, *Theræum*, fuiſſe *Polymneſti* & *Phronimæ* filium. *Phronimam Etearcho* natam *Oaxi* rege in *Creta*, quam pater, calumniis novercæ damnatam impudicitiæ, *Themiſoni* cuidam negotiatori tradiderat jurato, in aquis demergendam. Et demerſit ille quidem; at funiculis alligatam retractámque *Polymneſto Theræo*, viro ſpectatiſſimo, concubinam dedit, unde *Ariſtoteles* genitus eſt. (*Ariſtæus Juſtino*, l. 13.) Is

A.M. 3399. cùm de lingua impedita oraculum conſuleret, *Pythia* nihil de lingua locuta eſt, ſed *Battum* vocans, (quod *Regem Libycè* ſignificat,) in *Libya* juſſit *Cyrenen* condere. Septimo pòſt anno in locum ſpecioſiſſimum ab ipſis *Libybus* ducti ſunt, (*Iraſa* vocabatur,) ubi ad fontem *Apollinis Battus* urbem condidit, *Græcarum* omnium futuram in *Africa* pulcherrimam. Ubi locum attigit urbi deſtinatum, *Battus*, linguæ nodis ſolutis, perſpicuè admodum locutus eſt. Quanquam ab eo balbutientes *Batti* deinceps ſunt appellati. *Strabo* (l. 17.) regionis fertilitatem profuiſſe ait ad urbis incrementum. Nutricem igitur fuiſſe optimorum fructuum equorúmque, & matrem urbium quatuor in eadem regione haud ignobilium. Unde regio *Cyrenaïca Pentapolis* quoque dicta eſt.

A.M. 3401. *Veientes* hoc anno à *Romanis* profligantur. Vaſtantur ſine vindice agri opulentiſſimi, & ſpolia maxima indè *Romam* relata ſunt.

Æropus, poſt *Philippum*, loco ſeptimo regnavit in *Macedonia* ann. 26.

Baruchus in libro ſcribit quas Jeremias dictabat minas.

§ 26. Ante annum erat juſſus à Deo *Jeremias* Propheta, ſcriptis ea tradere quæcunque prodiderat ei Deus prædixerátque futura contra *Iſraëlitas*, *Judæos*, aliáſve gentes, ex quo primùm tempore vaticinari cœperat, ad eum uſque diem quo mandata erant hæc. Anno autem cœperat *Joſiæ* regis decimotertio. Aiebat enim Deus, "fore ut *Judæi forſan*, eadem repetendo & inculcando, *reſipiſcerent* ac revocarent ſe; "ut averterent quæ denunciabantur mala. Paruit illico Propheta, & *Baruchum Neriæ* filium in operæ partem advocavit; ille ut ſcriberet quæ *Jeremias* dictabat. Cúmque perfeciſſet, exoratus à Propheta eſt, ut "*librum*, *audiente populo*, *in Templi* atrio "*prælegeret*, ídque *in* ſolenni *jejuniorum die*. Tantâ enim ſe invidiâ flagrare apud "ſacerdotes, ut *in Templum non* audeat *aſcendere*. Publicum verò jejunium erat inſtitutum *Joakimi* regis anno quinto, menſe nono, captæ urbis causâ eodem ante annum die menſéque. Perlecto apud populum vaticiniorum libro minarúmque, niſi reſipiſcerent, proceres aulici apud *Eliſhamam* cancellarium fortè convenientes, & certiores ea facti de re, *Baruchum* ad ſe unà cum libro ſuo accerſivêre, ut & ipſi pariter audirent. Cùm audiviſſent, perterriti omnes fulminibus minarum, ad regem quoque deferendum putabant, quem maximè omnium intererat pœnitere. Sed pravam ejus indolem ſubveriti, monuêre *Baruchum*, ut ipſe cum *Jeremia* Propheta abſconderent alicubi ſe ac latitarent, nè quid in eos mali fortè cuderetur. Ineunte jam hyeme, ad ignem deſidebat rex, cùm proceres de libro meminerunt. Accerſi *Joakimus* vult librum, & audire pauca dignatur. Sed facilè offendit regias & delicatas aures ſubhorrida & ingrata tot minarum malorúmque materia. Librum ergò furibundus arripuit, ſcalpello diſcidit, in ignem projecit concremandum. Erant qui deprecarentur nè id faceret. At cùm feciſſet, mutire nemo auſus eſt: nemo exhorruit doluítve, tantâ Deo contumeliâ factâ. Ad ruinam indies declinabant res, & matureſcebant ad excidium ſcelera *Judæorum*. Miſſi etiam à rege qui *Baruchum* & *Jeremiam* apprehenderent. At eos occultos Deus incoluméſque præſtitit. Neque tantâ profecit quicquam iracundiâ rex. Propheta novum deſcribere librum jubetur, mináſque plures has addere in ipſum *Joakimum*, qui "*librum* profanare *ignibus* Divi"num auſus eſt: fore ut cæſus ac inſepultus *projiceretur foras*, & computreſceret ſub "dio feris alitibúſque præda; *nec* è ſuis *quenquam haberet qui* ſuccederet; ſed *in ip*"*ſum liberóſque ipſius atque ſervos*, *in Hieroſolymas atque Judæos*, graviſſimè *animad*"*verſurum ſe*, quemadmodum eo in libro minitatus fuerat, *ſcelerum* graviſſimorum "*causâ*. (*Jer.* 36.)

Perſequebatur ſuas de *Ægyptio* victorias *Nabuchodonoſorus*, cùm de morte patris nuncium accepit. Maturandum ergò ſibi reditum putavit in *Babyloniam*, ut ſuſciperet regnum, nè quid abſente ſe turbarum fieret. Aliis exercitum unà cum impedimentis ſpoliorum captivorúmque deducendum tradidit. Expeditus ipſe per deſerta breviſſimo itinere contendit *Babylonem*. (*Joſeph.* Contra *Ap.* lib. 1.)

Halyattes viribus Thraſybulum ſuperat, ſed artibus ſuperatus arctam init amicitiam.

§ 27. Tyrannus *Lydiæ Halyattes* ſex annis ante obitum bellum geſſerat cum *Mileſiis*. Bis acie fuſos novo more obſidebat, quo ad deditionem fame adigeret. Non ille muros vallo circumdedit aut milite; fruſtrà illis terram præcluſurus, quibus patebat mare liberum. Sub meſſem quotannis exercitum in eorum agros immiſit; fruges penè maturas ignibus ſpoliavit. Ædibus tamen pepercit, ut haberent agricolæ ubi ſererent terram, ipséque quod altero anno popularetur. Accidit autem ut incendium in frugibus excitatum, ventorum vi robuſtiorum, *Minervæ* templum corriperet, quam *Aſſeſiam* vocabant, penitúſque deleret. Reverſus domum in morbum incidit

incidit *Halyattes*, eúmque adeò pertinacem, ut conſultum viſum fuerit oraculum *Delphicum* de valetudine conſulere. At negâſſe ferunt *Pythiam* ſe reſponſuram, priuſquam rex reparaviſſet *Minervæ* templum *Aſſeſi*, quod ipſe cum ſuis concremaverat. Miſſi mox ab *Halyatte Miletum* caduceatores, ad paciſcendas tantiſper inducias, dum templum *Minervæ* novum conſtrueretur. Hi dum aderant, quanquam penuriâ rerum omnium laborabatur, imperavit *Thraſybulus* clàm, ut quicquid frumenti in urbe eſſet, in forum publicè, quaſi ad mercatum, produceretur, civéſque omnes dato à ſe ſigno commeſſationibus indulgerent, quaſi *Ceres* atque *Bacchus* abunde illis omnia ſuppeditarent. Ubi *Sardes* redierunt caduceatores, nunciavêre *Halyatti* quantâ rerum copiâ affluerent *Mileſii*, quos fame ferè enectos jam ſperaverant. Tandem rex convaleſcens, non de pace modò cum *Mileſiis*, ſed de hoſpitio & ſocietate convenit mutua. Ex odiis propè ſummis in arctam ſubitò amicitiam coaleſcunt. Salutémque ſuam, armis amiſſam propemodum, artibus *Mileſii* atque ingeniis expedîerunt. *A.M.* 3401.

Thales Mileſius, qui floruiſſe nunc videtur, primus virorum habebatur eorum *Septem*, quos è ſuis eodem ſeculo *Græci* numerant *Sapientes*. Quippe *Philoſophorum* nondum erat auditum nomen, à *Pythagora* pòſt inventum. E ſeptem reliqui Sapientibus erant *Solon Athenienſis*, *Chilo Lacedæmonius*, *Pittacus Mitylenæus*, *Bias Prienæus*, *Cleobulus Lindius*: ſeptimus quis fuerit, nondum conſtat. Nec de ſexto planè convenit. Pro *Cleobulo* enim aliqui *Leophantum* ſtatuunt. *Plato Myſonem Cheneüm* loco ſeptimo, alii *Epimenidem*, aut *Pherecydem Syrium*, imò *Scytham* inter *Græcos* numerant *Anacharſin*; *Pythagoram* alii, quem conſtat hiſce poſteriorem fuiſſe. Sed plerique *Periandro Corinthiorum* tyranno hunc locum tribuunt. At ex his, præter unum *Thaletem*, in ſcientia rerum indaganda verſatus eſt nemo. In rebus tantùm civilibus aliorum omnium prudentia claruit. Septimus Sapientum quis fuerit, incertum.

In *Olympiadibus* jam verſamur, & ſeculo (ut aiunt) hiſtorico, multorúmque librorum fertili. De viro tamen (ut in iis temporibus) doctiſſimo, & ſectæ Philoſophorum in *Græcia* quam *Ionicam* vocabant ſcientiæque naturalis autore primo, unde fuerit oriundus nequaquam convenit. Parentibus *Examio* & *Cleobulinâ* natus eſt. *Phœnix*ne à *Cadmo* & *Agenore* duxerit originem, (cujus opinionis autor eſt *Plato*,) *Mileti* verò civis aſcriptus tantùm, patriâ ſuâ extorris, fuerit; an *Mileſius* indigena, claro natus genere; variè traditur. *Pœnum* certè ac barbarum *Herodotus* quoque appellat, *Plutarcho* teſte, ubi de ejus ſcribit malignitate. Rebus contemplandis dediſſe ferè ſe totum, naturalibus maximè ac cœleſtibus, id ſatis patet. Ejúſque rei gratiâ in *Ægyptum* profectus eſt, & cum ſacerdotibus familiariter converſatus, qui rerum omnium ſcientiſſimi habebantur. Nec alio præceptore uſus dicitur. Itaque primus *Græcorum* dixiſſe fertur, *Animas hominum eſſe immortales.* Primus Aſtrologiæ ſtudens Eclipſes prædixit, Solíſque curſum docuit. De Deo divinè locutus eſt, *Mentem eum eſſe quæ ex aqua formavit omnia.* Idque facilè potuit *Phœnix* ex *Judæis* viciniis diſcere. Inanimatis etiam animas ineſſe, ex magnete & ſuccino, conjecit. Incrementum *Nili* fluminis minùs rectè *Eteſiis* tribuit. Seriùs enim *Eteſiæ* ſpirant quàm augeri incipit *Nilus*. Fertur & ab *Ægyptiis* Geometriam didiciſſe, quanquam in Phyſicis verſatus maximè. *Pythagoras* Mathematica diligentiùs tractavit; Ethica *Socrates* invenit. *Thales Phœnixne, an Mileſius, an Pœnus, controvertitur.*

———*De moribus ultima facta eſt Quæſtio.*

Mundum eſſe animatum, & plenum dæmonibus, *Thales* dixit. Primus anni tempeſtates animadvertens & viciſſitudines, in 365 dies diviſit annum. Pyramidum magnitudines ex umbra dimenſus eſt. Cùm pro piſce aureum tripodem cepiſſet, orta eſt controverſia inter illum & piſcatores *Mileſios*, (à quibus ſcilicet jactum ſeu capturam emerat,) his piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus, illo fortunam tractûs ſe emiſſe aſſeveranti. Nec lis antè ſedari potuit, quàm oraculo conſulto reſponſum eſt, *Tripodem ſapientiſſimo dandum eſſe.* Tum *Mileſii Thaleti* dederunt ſuo, quem omnium mortalium ſapientiſſimum judicabant: ille modeſtiâ *Bianti* ceſſit, quaſi ſe ſapientiori: *Bias Pittaco* tradidit: is protinus alii: donec per omnium ſeptem orbem ad *Solonem* pervenit; qui & titulum Sapientiæ & præmium ad ipſum tranſtulit *Apollinem*. Cùm è domo ſua ad ſidera contemplanda exiret *Thales*, in foveam fortè incautus incidit. Cui anus domeſtica ſubridens dixit, *Quid longinqua contemplaris, qui nè ea quæ ante pedes ſunt vides?* Cœlébsne vixerit, ſororíſque filium adoptârit, an uxore ductâ genuerit *Cibiſſum*, cùm utrumque tradatur, neutrum conſtat.

A.M. 3401. conſtat. De cœlibatu probabilior ſententia eſt. Nam roganti *cur liberis non daret operam generandis*, reſpondit, *eò quòd liberos amaret.* Matríque ad nuptias adhortanti adhuc juvenem, *intempeſtivum fuiſſe* dixit, *quòd præproperum.* Cùm idem urgeret mater ætate filii ingraveſcente, *nunc etiam intempeſtivum, quia ſerum*, reſpondit *eſſe*. Alia illi multa acutè dicta tribuuntur. Ut, *Non eſſe verba multa ſapientiæ multæ indicia. Unum cuique aliquid prudenter eſſe proponendum, unum præclarum quid eligendum, quo loquacium obſtruantur ora. Antiquiſſimum rerum omnium eſſe Deum, quippe ingenitum. Pulcherrimum verò Mundum, quippe factum à Deo. Maximum eſſe Locum, quòd capit omnia. Mortem à vita differre nihil. Velociſſimum* (inquiebat) *eſt omnium Mens, quæ diſcurrit per univerſa: validiſſimum Neceſſitas, quæ cuncta ſuperat: Tempus ſapientiſſimum, quod omnia invenit.* Interrogatus, *an malè quis agens lateret deos*; *Imò*, inquit, *nè cùm malè cogitat.* Interrogatus, *Quid factu difficile? Seipſum noſcere*, reſpondit. *Quid, contrà, facile? Ab aliis moneri. Quid ſuaviſſimum? Frui quod amas. Quid Deus? Quod initio & fine caret. Quid rariſſimum? Tyrannus ſenex. Quo pacto quis leniſſimè adverſa ferat? Si inimicos deteriùs affectos videat. Quomodo optimè vivamus? Si quæ in aliis culpamus, ipſi non admittimus. Quis habendus felix? ——Cui mens ſana eſt in corpore ſano. Bonis artibus*, inquiebat, *animum excolere, non faciem fuco, præclarum eſſe. Quæ in parentes contuleris, à filiis eadem exſpectes.* Et ſimilia. Aliqui, *Thaletem* ſcripſiſſe nihil, ſcribunt. Alii, de Solis converſione duntaxat. De Meteoris verſu ſcripſiſſe, autor *Suidas*. Verſibus circiter ducentis Philoſophica complexum, *Lobon* tradidit *Argivus* apud *Diogenem Laërtium*. Annos eum vixiſſe 70, vel 90, ferunt; æſtu tandem & ſiti fatigatum obiiſſe. Non in contemplandis modò, ſed in gerendis quoque rebus, ingenii ejus acumen valuit: ut videre eſt apud *Herodotum*, (l. 1.) Ut doceret, eſſe facillimum ſapienti diteſcere, olearia conduxit, pecuniáſque confecit plurimas. (*Diog. Laërt.*) Et mercaturam exercuiſſe, (in *Solone*) *Plutarchus* tradit.

Multa *Chilonis* acutè dicta. *Chilo*, *Damageti* filius, *Lacedæmone* ortus eſt, ubi & Ephorum egit. Fratri ſuo indignanti quòd & ipſe Ephorus non fieret, *Ego*, inquit *Chilo*, *injurias pati poſſum, id quod tu neſcis.* Multa dixit ſagaciter, & prædixit quædam. Interrogatus *quid docti ab indoctis differrent*; *Bonâ*, reſpondit, *ſpe. Quæ eſſent difficilia*; *Arcana*, dixit, *reticere, injurias tolerare, otiique tempus utiliter ponere.* Solebat præcipere, inter alia, *Linguam ſemper, in conviviis maximè, eſſe continendam. Minis non pugnandum eſſe: mulieris id eſſe telum. Uxorem humilem & apparatu modico ducendam eſſe. Non eſſe loquendum de mortuis malè. Senectutem honorandam. Cuſtodiis maximè ſervandum ſe. Damnum turpi lucro præferendum: id enim ſemel dolori eſſe, hoc ſemper. Infortunato non illudendum. Fortem eſſe facilem mitémque oportere, ut eum vicini revereantur, non metuant. Lingua nè præcurrat animo cavendum. Non eſſe appetenda quæ fieri non poſſunt. Inter loquendum non eſſe manum agitandam*; *quippe vecordium id eſſe. Solitudine utendum & quiete. Cotibus ferreis aurum, auro ipſo examinari homines probos improbóſque.* Languidior jam ſenex *Chilo*, præ gaudio mortuus eſt *Piſæ*, filium *Olympionicen* coronatum amplexus. Eodem tempore apud *Spartanos Ariſtodemi* cujuſdam celebrabatur ſapientia; cujus dictum illud memoratur,

Pauper nemo probus; *ſed quidvis dives habetur.*

Habetur apud *Laërtium* & Epiſtola *Chilonis* ad *Periandrum*: (cui minimam habere me fidem fateor:) *Præcipis mihi* (inquit) *ut militiâ vacem, extorríſque apud te agam*; *quaſi verò tu ipſe in tuto ſis. Atqui ego & ſua monarchis lubrica eſſe puto*; *eúmque felicem tyrannum eſſe, cui domi contigerit & ſine vi ſuo fato interire.*

A.M. 3402. § 28. *Necone* mortuo, *Ægypti* rege, *Pſammis* ipſius filius ſex annis imperavit: cujus tantummodo in *Æthiopiam* expeditio commemoratur. Ei ſuccedit filius *Apries*, regnátque annos 25. Hujus autem fit mentio apud Prophetam *Jeremiam*, (cap. 44. v. 30.) De quo inferiùs § 36.

Pſammis & *Apries Ægypti reges.*

Cyaxares & *Nabuchodonoſorus* viribus conjunctis bellum gerunt. Evertunt *Niniven.* *Cyaxares Medorum* rex videtur ſub hoc tempus *Ninum* urbem expugnâſſe; eúmque ſocium *Nabuchodonoſoro* in bellis gerendis eſſe adhibitum, ex *Alexandro Polyhiſtore* aſſeverat non nemo. Unde in promptu eſt colligere, *Ninum* urbem, quæ abſente *Nabuchodonoſoro* defecerat, *Medorum* armis fuiſſe domitam, juríſque *Babylonici* jam denuo factam.

Jonas Propheta ante annos plùs minùs 70 comminatus fuerat ſupplicium poſt dies 40 de *Ninivitis* ſumendum. Quod ſupplicium nihilominus propter eorum reſipiſcentiam

tiam dilatum fuit. Paulò poſt verò, redeuntibus ad priſtina ſcelera *Ninivitis*, eorundem excidium prædixit *Nahum*. Quæritur autem, quo tempore excidium *Ninives* acciderit. *Credendum eſt*, (reſpondet *Ribera*) *prophetiam illam Nahumi impletam eſſe imperante Nabuchodonoſoro, qui evertit Hieroſolymas.* Obſervat *Druſius*, (in *Nahumi* caput 3.) *Ninum everſam à Cyaxare, ſecundùm Euſebium & Herodotum*; *ab ipſo Nabuchodonoſoro, ſecundùm B. Hieronymum, Hebræóſque ad unum omnes.* Quorum utrumque verum eſt, in quantum ambo, *conjunctis viribus*, (ſi penes *Druſium* judicium ſit,) *Ninum ſimul obſederunt, ceperunt, eámque funditus deleverunt.* *A.M. 3402.*

Conſtat *Nabuchodonoſorum*, prout ſua ipſius ira aut *Judæorum* defectiones animum ejus commoviſſent, captivos *Hieroſolymis* abduxiſſe in *Babyloniam*. Deportationum autem iſtiuſmodi aliæ majores erant, minores aliæ: quatuor utræque. Videtur verò minorum prima hunc ſub annum contigiſſe; ut in proclivi eſt conjicere ex *Jerem.* 52.28. *Nabuchodonoſorus* captivos quoties abduxit *Hieroſolymis.*

Quomodo *Daniel* ὁ πάνυ, unà cum tribus ſociis ſuis de ſemine regio *Judæ*, juſſu regis *Nabuchodonoſori*, (quò poſſent regi ipſi in palatio inſervire,) *Chaldæorum* literis & diſciplinis per triennium apprimè imbuti fuerint, (abſtinentes tamen à cibo regio, nè eatenus polluerentur,) ipſíque præcipuè *Danieli* dederit Dominus ſomniorum viſionúmque omnium intelligentiam, in ejuſdem Prophetia videre eſt. (*Dan.* 1.) *Daniel* per triennium *Chaldæorum* literis inſtructus.

§ 29. Anno regni viceſimo quinto, qui monarchiæ *Babylonicæ* (ſeu à ſubacta *Ægypto*) ſecundus erat, *Nabuchodonoſorus* ſomniavit celebratiſſimum illud ſomnium, de *ſtatua magna & terribili*; cujus *caput erat aureum, pectus & brachia de argento, venter æneus &* etiam *ilia, tibiæ* autem *ferreæ*, & *pedum altera pars ferrea, fictilis altera.* Cúmque perterritus evigilaret, ſed cujuſmodi ſomnium fuerit nullus poſſet reminiſci, accenſus nimiâ cupiditate illud in mentem recolendi, & quidnam vellet indagandi, omnes regni ſui ariolos confeſtim juſſit convocari; conventíſque ab iis petiit, ut quod viderat per ſomnium, ac quid portenderet, indicarent. Id ni facerent, certò ſe ſcirent perituros. Contendunt illico, "hunc nodum mortale faſtigium ſuperare; *nullo* "*hominum* artificio *ſolvi poſſe* aut expediri. *Enarrare* aut docere quod ſomnium fue"rit, *deorum, non hominum* id munus eſſe. *Neminem* unquam aliud *ab ariolo po*"*ſtulaviſſe*, quàm ut ſomnium interpretaretur, & explicaret. Rex iracundus ad necem jubet rapi impoſtores fallaciſſimos, qui, nihil revera cognoſcentes, popello malis artibus fucum facerent & fraudem. His rebus fortè intererat aulicus jam *Daniel*, qui hominum miſertus, fallacium certè ac fraudulentorum, ſed in re iſthac innocentium, primùm ab *Ariocho*, quem pœnæ infligendæ rex præfecerat, deinde ab ipſo rege, moram pœnæ aliquam ac dilationem impetravit: mox enim ſe regem (Deo ſuo bene juvante) compotem voti redditurum. Nam & ſuam vicem verebatur *Daniel*, niſi hoc ſomnium expediretur. Neque enim deerant qui vitæ ejus inſidias ſtruerent, & notiſſimum aliàs Vatem in palæſtram hanc vocarent, iræque regiæ objicerent. Domum igitur reverſus, Deum unà cum ſociis ſuis aggreſſus eſt precibus importunis, ut arcanum hoc ei detegeret. Exoratus tandem Deus aperuit *Danieli*, viſo quodam nocturno, myſterium ſomnii, *Daniel* regi. Inprimis verò gratias Deo egit ingentes, laudéſque celebravit, qui ſolus nôſſet, ſolus poſſet omnia; qui & ſibi ſapientiam dediſſet cœlitus, atque hoc arcanum inſcio prorſus prodidiſſet. *Ariochum* deinde monuit, ariolis & *Chaldæis* ad mortem damnatis ut parceret: ſe enim ea quæ volebat regi ſtatim demonſtraturum. *Ariochus*, quò erat lentior ad regiæ iracundiæ miniſteria peragenda, eò lætior hoc nuncio, ad regem illico cum *Daniele* properavit; ac "*inveniſſe* aiebat "*ſe qui* ſomnii regii & memoriam refricaret, & *ſententiam exponeret, ex Judæorum cap*"*tivis Danielem.* Rogatus *Daniel*, "Rex, inquit, illuſtriſſime, *quod arioli* tui, & *con*"*jectores*, & famoſiſſimi per totum terrarum orbem *Chaldæi*, perveſtigare & *expedire* "*arcanum non poſſunt*, id tibi operâ meâ *occultiſſimarum rerum* conſcius *in cœlo Deus* "vult *retegi, & à te præcognoſci res futuras.* Id enim *decumbens in lecto agitabas ani*"*mo*; id hoc *tibi* ſomno *prodidit qui* ſolus *res futuras* novit. *Viſus es magnam* in "ſomno *videre ſtatuam, formâ terribili, cujus aureum erat caput, pectus unà cum bra*"*chiis argenteum, ex ære venter & crura, tibiæ ex ferro, pedes ex luto* mixti *ferróque.* "*Te* verò hanc *contemplante ſtatuam*, ecce *lapis, nullâ* hominum *manu erutus, impetu* "*facto in fruſta pedes comminuit*, totúmque *ſimul* ſimulacrùm *in paleas abiit* & pulve"rem, qui *diſſipatus eſt vento, ità ut nuſquam* ſtatuæ veſtigium *exſiſteret. Lapis verò* "*in montem excrevit immenſum, quo terrarum orbis completus eſt.* Atque *hoc* illud *eſt*, "potentiſſime rex, quod te tantopere conturbavit, de quo tantopere quæſîſti, *ſom*"*nium. Cujus* ut *ſenſum* & vim intelligas, varia deſignant regna variæ partes hu-

A.M. 3403. Somnium *Nabuchodonoſori* enarrat *Daniel*; & explicat.

"juſce

A.M. 3403.

"juſce ſtatuæ quam vidiſti. *Tute* caput aureum es quem *regum regem* conſtituit *Numen cœli*, & maximâ *donavit potentiâ gloriâque. Secutura ſunt imperia, deteriora* "quidem, ſed valida. Poſtremum in *pedes* deſinet *ferreos luteóſque*; id eſt, in regulos "quidem *alios validiores, imbecilliorés que alios*, qui *conjugiis* conabuntur amicitias "inter ſe mutuas conglutinare. *At nunquam* veris *coaleſcent*, magìs quàm *cum ferro* "*lutum. His regnantibus, imperium* aliud *exſurget, quod reliqua* alia *ſubvertet omnia*; *ipſum verò deficiet nunquam aut diſſolvetur.* Hæc ea ſunt, invicte rex, quæ "*te ſcire Deus voluit de rebus poſterorum certiſſimè futuris*, & quæ ſcire tu quidem tanto "ſtudio expetebas. Hæc cùm audiviſſet, ſomniúmque ſuum agnoſceret cujus fuerat rex oblitus, omnémque ſibi ſcrupulum ex animo exemptum ſentiret veriſſimâ jam interpretatione, *Danielem* quaſi Numen ſuppliciſſimè pronus adoravit, eíque victimas voluit immolari, adolerique eidem thus. Deinde verbis Deum honorificis celebravit. "*Certò*, inquit, jam mihi conſtat, *veſtrum, Judæi, Numen Deum eſſe deorum*, "*Dominúmque regum* omnium, *qui arcana* perſpiciat ſolus ac *prodat*; *quandoquidem* "*tu* tui ope Numinis *occultam hanc abditámque rem indagare indicaréque* ſolus nobis "*potuiſti*. Ad ſummos igitur honorum gradus *Daniel* à rege ſubvectus eſt, muneribúſque donatus ampliſſimis. *Babyloniæ* toti præfectus eſt, arioloiúmque ſive *Chaldæorum* collegio. Sed *Babyloniæ* præfecturam deprecatus à rege, in tres tranſtulit populares. Ipſe verſari maluit inter proceres aulicos, plurimùm ibi gratiâ ſuâ populo Dei profuturus. Hoc ſomnio non tam monere volebat Deus regem *Babyloniæ*, (quanquam de poſteris & is avebat cognoſcere, regiúmque planè putabat, ſupra captum vulgi futura ſcire,) quàm ſuam *Judæos* Eccleſiam præſcire, quibus eſſent imperiis regum ſubjiciendi, quæ juga toleraturi, ad *Meſſiæ* adventum uſque, regnúmque *Chriſti*, quod ſine fine & perpetuum futurum erat, omniáque reliqua imperia ſuperaturum. Monarchiæ verò quatuor non obſcurè deſignantur, *Babylonica* inprimis, (quippe jam præterierat *Aſſyriacum* imperium,) *Perſica, Græca* ſeu *Macedonica*, & *Romana. Romanum* prorſus omittit *Broughtonus* noſtrâs, qui tibias ſtatuæ pedéſque reges ait *Alexandri* fuiſſe Magni ſucceſſores. At his regnantibus, inquit *Daniel*, regnum *Chriſti* exorietur. Non autem *Alexandri* ſucceſſores (omnes enim defecerant, ſubacti à *Romanis Parthiſ*ve ante *Meſſiam* natum,) ſed *Romani* tum rerum cùm *Chriſtus* advenit potiebantur. *Romanorum* ergò imperium in his quatuor videtur *ferreum* exſtitiſſe. Neque maxima hîc omnium aut gentium aut ſeculorum deſcribuntur imperia, ut cenſent aliqui, meritóque à *Bodino* (in ſua Methodo) reprehenduntur; ſed ea tantùm quæ potentiâ ab hoc tempore prævalebant, & quibus ſuberant *Judæi*, uſque ad ortum regnúmque *Chriſti*. Cùm ergò poſt aureum caput *Babyloniorum*, pectúſque argenteum & brachia *Perſarum Medorúm*que, poſt æneum denique ventrem *Alexandri*, & regum quaſi crura Magno illi ſuccedentium, ferreas tibias *Romanorum* quarto loco dominantes cernerent, eo *Judæi* ſigno monebantur certiſſimo, ut *Meſſiam* exſpectarent, ejúſque regnum per omnia ſecula duraturum.

Oblatam Babyloniæ præfecturam recuſat.

A.M. 3407.

§ 30. Contra rebellem *Joakimum* miſſæ ſunt à *Babylonio Chaldæorum Syrorúm*que armatæ turmæ, *Moabitæ Ammonitæ*que. Totam ii regionem depopulati captivos 3023 *Babylonem* deportavêre. (*Jer.* 52. 28.) Ipſum denique cepêre regem, (in ſe fortaſſe irruentem,) cujus cadaver, tanquam aſini, projecerunt inſepultum. (*Jer.* 22. 18, 19. & 36. 30.) At in ipſo cadavere ſigna quædam impreſſa, nefariæ ſuperſtitionis notæ, reperta ſunt. (2 *Chron.* 36. 8.) *Joachinus* tamen, (qui & *Conias* & *Jechonias* appellabatur,) peſſimo patri filius par, *Hieroſolymas* uſque tenuit, ſceptrum arripuit, menſéſque tres geſſit & dies decem, annorum octodecim adoleſcens.

Peſſimi Joakimi Jechonias par filius.

Hetruſci principatum Tarquinio deferunt.

§ 31. *Hetruſci*, à *Romanis* ſæpius victi, novos ſumunt animos, novorum ſpe (quæ fefellit) auxiliorum à *Sabinis*; & contributis oppidatim viribus, novum exercitum inſtituunt. Ad urbem *Eretum Romanus* occurrit cum copiis ſuis. Commiſſo prælio, *Romani* victoriâ potiti ſunt triumpho dignâ. Fracti jam tandem *Hetruſcis* animi. *Tarquinio* cum exercitu moventi in *Hetruriam*, legatos miſêre obviàm, qui legibus quibuſvis pacem contraherent. Originis ſuæ *Tarquinius* memor, mitiùs cum cognatis agendum cenſuit. Quare profeſſus eſt, nemini vitam ſe aut libertatem adempturum; non tributis, non præſidiis oneraturum civitates; permiſſurum ut libere ac ſuo antiquo jure vivant. Urbium verò principatum ſibi poſcere concedi à volentibus, quem vel ab invitis extorquere ſe poſſe noverint. Legati, poſt paucos dies, non modo principatum, ſed & inſignia attulerunt; coronam ſcilicet auream, ſellam eburneam, ſceptrúmque, togam pictam, & tunicam palmatam: quibus tamen *Tarquinius* non niſi populo & ſenatu probante uſus eſt. Ut

A.M. 3408.

Scythæ fugitivi in cauſa ſunt, quòd inter Medos Lydóſque bellum oritur.

Ut primùm *Scythæ*, domitores *Aſiæ*, in ſuam patriam diſceſſerant, alii, ab iis indè pulſi, in *Mediam* ſupplices deſcenderunt, *Cyaxaris* fidem imploraturi. Iis, benignè habitis, *Medorum* filii ſunt traditi, ut linguâ *Scythicâ* & ſagittandi arte inſtituerentur. Iidem ſolebant regi ferinâ carne gratificari, venationibus partâ ferè quotidianis. Semel eos contigit ſaltus & ſylvas peragrare, & nihil capere: quam ob cauſam rex eos iracundus graviſſimis probris eſt inſectatus. Tantam verò ignominiam immeritis oblatam non ferentes, unum è pueris quos erudiebant pro fera jugulant, carnem apparant more *Scythico*, (ſicut ſolebant,) regíque apponunt comedendum. Ipſi protinus fugâ *Sardes* ſe proripiunt, dedúntque ſupplices *Halyatti*. Mox ubi rem novit, fugitivos repetit *Cyaxares*: ſupplices negat *Halyattes*. Indè bellum inter populos conflatum eſt, varièque geſtum; cujus hic ſextus jam annus agitur. Æquo diu Marte dimicatur. Tandem inter pugnandum, medio die, Sol cœpit deficere, cœlum obſcurari, tenebræque repentinæ obortæ ſunt. *Medi Lydi*que obſtupeſcere prodigio, rerum cœleſtium ignari; & ſuſpicere cœli minas iraſcentis propter cædes inter ſe mutuas. Ambo igitur recedunt; de pace agitant conſilia. Reges utrinque aderant auxiliares; *Halyatti Syennenſis*, *Cyaxari Labynetus*, qui & regio nomine *Nabuchodonoſorus* vocabatur. Eorum operâ conflata eſt pax, connubiíſque confirmata. Quippe filia *Halyattis Ariena Cyaxaris* filio *Aſtyagi* uxor erat ducenda. Tum verò, mutuum lingendo ſanguinem ex brachiis utrinque ſectis profluentem, fœdus mutuò ſancitum eſt. De defectu hoc Solis *Thales* dicitur prædixiſſe; unus vel adhuc eouſque in ſiderum arcanis oculatus. (*Herodot.* l. 1.)

Mox eclipſis ſolaris.

Indè pax & amicitia.

Jechonias in Babyloniam à Nabuchodonoſoro deportatur.

§ 32. Hinc, opinor, *Babylonius* cum ſuis, & *Medorum* fortaſſe copiis, in *Syriam Judæám*que profectus eſt. Cùm enim turmæ variarum gentium quæ irruperant populabundæ in *Judæam* urbi expugnandæ non ſufficerent, ipſe *Nabuchodonoſorus* ingentem *Hieroſolymis* exercitum admovit. *Jeremias* quidem propheticis jam antè minis detonuerat contra *Jechoniam*: (cap. 22. 30.) *Scribite*, inquit, *hunc liberis orbum, & omnino calamitoſum. Nec enim quenquam è ſuis felicem* adeò eſt habiturus, ut *in ſolio Davidis ſedeat, regnóque Judææ potiatur. Jeremiâ* igitur ſuadente, non moratus obſidionem, ultro egreſſus urbe (quod illi tandem bene vertit, 2 *Reg.* 25. 27.) ſe dedidit cum ſuis. Theſauri ſacri regiíque à *Babyloniis* exhauſti ſunt: confracta vaſa omnia & inſtrumenta quæ aurea fecerat in Templo *Solomon*. *Jechonias Babylonem* abductus eſt, unà cum matre, fœminis aulicis, proceribúſque non paucis. Abducti decies mille cives, viri militares, captivi; unà cum artificibus quibuſque peritiſſimis. Tenuiores tantùm ex plebe infima *Hieroſolymis* ſunt relicti. Ex *Judæa* quoque abducti 7000, cum artificibus 1000, fabris lignariis ferrariíſque, viri ſtrenui omnes ac militares. Erant ex his captivis *Mardochaius*, (*Eſther*. 2. 5, 6.) & ſacerdos idem Prophetáque *Ezechiel*. (*Ezek.* 1. 2, 3.) *Jechoniæ* patruus *Mattanias* ſubſtitutus eſt rex à *Babylonio*, ſed mutato in *Zedekiam* nomine; qui regnare cœpit natus annos 21, undecim verò dominatus eſt, fratribus ſimilior quàm patri, & in omnem pronus iniquitatem. Prophetis nec animum nec aures præbuit. Sed obſtinatus & pertinax, perſecutus eſt priorum veſtigia regum, uſque dum omnia peſſundediſſet. Populus relictus quaſi fæx in fundo peſſimus, ad exemplum regis ſe componentes, contemptui & ludibrio Vates Dei habuerunt.

Eius patruus Zedekias rex Judææ ſubſtituitur.

Illi pariter Jeremias tremenda nunciat.

De his igitur ut quid futurum eſſet prænunciaret *Jeremias*, duos illi ficuum calathos Deus demonſtravit pro Templo poſitos; alterum optimis repletum, peſſimis verò alterum. Et "*illum* aiebat captivos denotare, qui erant jampridem in *Babylo*-"*niam* deportati; quippe acturos pœnitentiam, & aliquando ad ſe ſuúmque Deum, "in patriam ſuam mox deinde redituros. *Hunc* autem relictos in *Judæa* ſignificare "calathum, homines ſpei deploratæ, & obſtinationis inflexibilis: propterea bello fa-"méque confectos exitio miſerrimo interituros, adeò ut vicinæ ſtupeant gentes exhor-"reántque. (*Jer.* 24.)

Præterea vinculis atque loris collum induere ſibi juſſit Prophetam Deus; indè ad regum legatos ea mittere, *Idumæorum*, *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Tyriorum* quoque *Sidoniorúm*que, ad *Zedekiam* qui miſſi erant ut regnum ei gratularentur: Legatos verò juberet ſuis ea regibus tradere, ac mandare, ut "regi *Aſſyriorum* obſequantur. Deum "quippe *Iſraëlitarum*, hominum omnium rerúmque Opificem atque Dominum, *Na*-"*buchodonoſoro*, ejúſque filio ac nepoti, tradidiſſe omnium imperia populorum, bel-"lóque, ac peſte faméque, gentes flagellaturum, quæcunque *Babylonium* detrectant ju-

A. M. 3408.

" gum, uſque dum pareant. Nè igitur ariolis aſtrologíſque ſuis credant aliud ſua-" dentibus. (*Jer.* 27. 2, 3, &c.) *Zedekiam* pariter, ſacerdotes atque *Judæos* moneri voluit Deus, ut " *Babylonio* ſe ſubjicerent, neque falſis haberent prophetis fidem, qui " vaſa Templi jamjam *Babylone* reditura pollicebantur. Imò, ſi veri eſſent Prophetæ, " deprecarentur Deum potiùs, nè reliqua eòdem deportentur omnia; quod certiſſimè " futurum conſtituit Deus. (*Jer.* 27. 12, &c.)

Cúmque legati à *Zedekia* mitterentur *Babylonem Elhaſa* & *Gemaria*, *Jeremias* per epiſtolam captivos quoque monendos cenſuit, " nè *Ahabo* & *Zedekiæ* pſeudoprophetis " aures credulas adhiberent; (quibus, quod accidit, exitium interminabatur;) ſed " domos *Babylone* ſibi conderent, vineas hortóſque ſererent, uxores ducerent, libe-" ros procrearent, longum exſilium exſpectaturi. Nec enim ante annum ſeptuageſi-" mum redituros ſe in patriam pro certo ducerent. (*Jer.* 29. 1, 2, &c.) His literis *Shemaia*, ex captivis unus, ſed & inſuper pſeudoprophetis, reſpondere viſus eſt, epiſtolâ, per legatos eoſdem miſsâ redeuntes, ad *Zephaniam* ſacerdotem ſecundarium: (2 *Reg.* 25. 18.) ubi & *Jeremiam* reprehendit, quòd exſilium *Judæis* tam diuturnum, annorum ſcilicet ſeptuaginta, denunciáſſet; & ipſum quodammodo increpat ſacerdotem, quòd talia prædicantem *Jeremiam* pro autoritate ſua carcere non coërceret. Aderat fortè in Templo *Jeremias* cùm hæc legeretur contra ſe epiſtola; atque à Deo effatus illico, in *Shemaiam* pronunciavit iniquæ ſuæ hanc ſententiæ pœnam; " fore ut unà cum ſtirpe ſua familiâque periret univerſa, nec Divini beneficii reditûſ-" que *Judæis* promiſſi ullo modo particeps futurus eſſet. (*Jer.* 29. 24, &c.)

& exſilii durationem ad annos 70.

§ 33. Captis *Hieroſolymis*, anno regni ſui 7. aggreſſus eſt *Tyrum Nabuchodonoſorus*; obſeſſámque ſuis copiis 13 annis tenuit, rege *Ithobalo*. (*Joſ.* Contra Ap. 1.)

Sabini bis à *Romanis*, nec tantùm Marte, ſed & arte, ſuperantur.

Sabini jam ſoli reſtabant ex vicinis, (bellicoſa gens & ampla,) qui, nondum ſatis perdomiti, cum *Romanis* contenderent de rerum ſumma. Agrum *Romanum* dum *Sabini* populabantur, impetu facto quantâ potuit celeritate *Tarquinius* cum ſuis diſperſos facilè fugavit. Caſtris deinde poſitis, reliquas eo die copias tum ſuas tum ſociorum attentus admodum exſpectavit. Noctu inſidias poſuit, qui hoſtes poſtridie in acie pugnantes à tergo adorirentur. Dum ergò pugna conſerebatur, æquis diu viribus animíſque, novo tandem exercitu ſibi à tergo imminente perterriti *Sabini*, terga protinus vertêre, & ſuæ quiſque ſaluti conſulendum exiſtimavit. Multi cæſi, plures capti. Sed irritavit hæc magìs quàm domuit clades. Ducis dolo aiebant partam, non militum virtute, victoriam iſtam. Novi ergò delectus fiunt, vires undique contrahuntur, dux eligitur peritiſſimus. *Romanus* de hoc apparatu certus, occupandum priùs bellum quàm hoſtes convenirent cenſuit. *Anienem* tranſit illico, atque caſtris munitis, agrum populaturus erat hoſtilem; cùm & hoſtium dux prodit, & in colle quodam prærupto haud procul à *Romanis* caſtra ponit. Equitatu peditatúque in locis opportunis per ſylvas & ſaltus collocato, pabulatione hoſtes prohibuit. Et velitationes fiebant ſæpius, nullum verò acie inſtructâ prælium. Poſt paucos dies ad eam rerum penuriam à *Romanis* perducti ſunt, ut nocte quadam procelloſâ fugam fecerint *Sabini*, & caſtra ſua *Romanis* onuſtis prædâ reliquerint.

A. M. 3409.

Ortis diſſidiis inter partes *Cylonias* & *Alcmæonias*,

Cylon hoc tempore, tum genere nobilis, tum palmâ *Olympiacâ* nobilitatus, novas res *Athenis* moliri cœpit, poſt Novem-virorum inſtitutionem primus. Quippe *Theagenis* tyranni *Megarenſis* gener, ab eodem ſtimulatus, tyrannidem affectavit apud ſuos. Soceri ope fretus civiúmque factione, arcem repentè occupavit; quo mirificè turbata eſt civitas univerſa. Sed *Alcmæonis* filius *Megacles*, qui Archontis ſive Prætoris officio fungebatur, magnâ feſtinatione arcem civibus armatis obſedit undique, & paucos poſt dies accepit deditam. Qui ex arce prodierant lapidibus obruti; qui ad aras confugêre ab iratis civibus jugulati. Ipſum *Cylonem* inter cæteros & ſupplicem, & cæſum, *Herodotus* innuit, (lib. 5. vide *Thucyd.* lib. 1.) Soli incolumes evasêre qui *Megaclis* collegarúmque uxoribus ſupplicârant. Dirum hoc facinus viſum eſt. Et quicquid deinde urbi malorum accidit, huic ſceleri tributum eſt. *Theagenes* interim & *Megarenſes*, dum partes *Athenis* tumultuantur, ut & ſuam rem augerent, & *Cylonem* ulciſcerentur, *Salaminem* inſulam atque *Niſæam* interceperunt. Indignati *Athenienſes*, magnâ quidem operâ, ſed irritâ, amiſſa recipere conati ſunt. Pluribus forſan annis hæc geſta ſunt. Neque mirum videri debet, nihil iis proſperè foris ſuccedere, tumultuantibus & diſtractis interea domi. In urbe aderat tum *Solon*, unus è Septem ſapiens vir, & ut ea ferebant tempora poëticè doctus, integer, opulentus,

tus, maximæque nobilitatis, à *Codro* ſcilicet oriundus. Is in medium cum optimatibus progreſſus, eò rem deduxit orando docendóque, ut damnati *Alcmæonidæ*, qui *Scelerati* appellabantur, trecentorum judicio pœnas luerent. *Diogenes Laërtius* (in Vita *Solonis*) ait, peſte *Athenas* laboràſſe propter ſcelus *Cylonium*, ac oraculum juſſiſſe ut urbs expiaretur. Ea religio paucis nota *Epimenidem*, patriâ *Phæſtium*, (vel *Phæſtii* filium & *Gnoſſium* patriâ, ut habet *Laërtius*,) ex *Creta* devocavit, qui domus agróſque expiandi, deóſque placandi, ritus inveniſſe primus dicitur. Inter Sapientes numeratus à quibuſdam, charúſque diis habebatur. Hoc autem ad urbem expiandam ſacrificio facili uſus eſt. Nigram ovem candidámque ex *Areopago* dimiſit liberas, ut quócunque impetus ferrent ſemetipſas conferrent. At miniſtri ſequebantur, qui eas, in eodem ubi accubuerant loco, peculiari cuidam & ſine nomine deo immolarent. In hujus expiationis memoriam, certum eſt, (inquit *Laërtius*,) per *Athenienſium* pagos, ſine nomine aras inveniri. Has verò Deo conſecratas, jure quidem tradit Beatus *Paulus Athenienſibus*. (*Act.* 17. 23.) Nam de capra emiſſaria videtur aliquid didiciſſe à *Judæis Epimenides*, & ſuo modo imitatus. At de nomine Dei *Jehova*, quod *Judæi* non vulgabant, non didicerat. Deo igitur ſine nomine ſacra fecit. Talentum ei ferunt ſuæ operæ præmium obtuliſſe *Athenienſes*. At ille nihil præter olivæ ſacræ ramum accepit, & deinceps amicitiam inter *Athenienſes Gnoſſióſque* inſtituit. Et profuiſſe multùm *Soloni Plutarchus* ait in legibus concipiendis, iis præſertim quæ ſpectabant ad rem divinam. De ſomno *Epimenidis* narrantur mira. Miſſum à patre fuiſſe rus ut ovem peteret: in via fatigatum divertiſſe in ſpeluncam, annóſque 57 in eadem obdormiviſſe. (*Suidas* tantùm ſex numerat, *Pauſanias* 40.) Experrectum quæſîſſe ovem: at nec ovem reperiſſe, nec quicquam ferè eorum quæ dormiturus reliquerat. Mutata omnia miratum, in urbem rediiſſe. Domum ſuam ingreſſum, nemini fuiſſe notum, noviſſe neminem. Tandem effeciſſe, ut minor eum frater, ſenex jam factus, attonitus agnoſceret. *Cretenſes* eum tradiderunt vixiſſe annos 299; alii 154, aut 157. Scripſit verſuum multa millia. Et animam ſibi ablatam ſæpius, ad ſe ſæpius redivivum rediiſſe ſimulabat. Sanctus profectò *Paulus* (*Tit.* 1. 12.) & eum vatem appellat, & ejus teſtimonio dignatus eſt uti.

A.M. 3409.

Solon accerſit *Epimenidem* qui *Athenas* expiaret.

Is ἀγνώστῳ θεῷ litavit,

celeberrimus propter ſomnum.

§ 34. Multi jam apud *Judæos* prophetæ falſi volitabant, quos mendax ille Dæmoniorum ſpiritus, permittente Deo, excitârat, ut regi imponerent populóque, Dei tamen voluntatem vel invito Satanâ perficerent. Et falſis quidem auſcultabatur libentiùs multò quàm veris; non quòd falſa dicerent, ſed quòd grata. Ut enim

——*Tardè quæ credita lædunt Credimus:*

ità quæ volunt maximè facillimâ omnes fide amplectuntur. Ex hac erat fæce *Hananias Azuris* Prophetæ filius; qui coram ſacerdotibus populóque, audiente *Jeremiâ*, prædixit fore, ut rex *Jechonias* captivíque omnes, unà cum Templi vaſis quæ abſtulerant *Chaldæi*, *Hieroſolymas* poſt biennium redirent *Babylone*, fracto *Nabuchodonoſori* jugo. *Jeremias*, qui noverat ſuis hæc adverſari vaticiniis, "optare quidem aiebat "ſe ut hæc ità evenirent, at non credere: ſed biennii ſpatium vera ſint nécne de"monſtraturum. *Qui* enim *proſpera pollicetur vates*, ità demum *veracem comproba*"*ri*, *ſi* verè *acciderint quæ ſunt prædicta*. Sin minùs, fallacem argui mendacémque. "Pœnarum malorúmque pœnitere nonnunquam, non ità promiſſorum bonorúmque, "Deum. *Hananias* vaticinia in dubium vocari ſua non ferebat, jugúmque illud quod in collo geſtabat ligneum *Jeremias* perfregit: &, *pari modo poſt biennium Deum eſſe fracturum* dixit *à cervicibus omnium gentium Nabuchodonoſori jugum*. Tacitus receſſit ad tempus *Jeremias*. Mox redire à Deo juſſus eſt, & hæc effari: "*fregiſſe* qui"dem *jugum ligneum Hananiam*; *ſed ferreum eſſe imponendum* (ità velle Deum) *om*"*nium gentium cervicibus*. *Hananiam* verò *mendaciorum* eſſe vatem; ac *propterea* "quòd Dei nomen commentis ſuis adhibeat, ideo illum à Deo ſtatim ſublatum iri, "atque *hoc anno interiturum*. (*Jerem.* 28.) Septimo ejus anni menſe id verè contigit, uti à Propheta prædictum eſt. Hæc autem quinto geſta ſunt. (Ibid. v. 1. & 17.)

A.M. 3411.

Hananias pſeudopropheta *Jeremiæ* opponit ſe.

3412.

Hoc anno *Zedekias Babylonem* profectus eſt, quas ad res tranſigendas nuſquam traditur. Regem ſectatus eſt *Seraia*, *Nerijæ* filius & *Baruchi* frater, princeps pacificus. Ei *Jeremias* vaticinia contra *Babylonem* ipſam tradidit: quæ cùm perlegiſſet, ac perluſtràſſet

Zedekias Babylonem proficiſcitur.

A. M. 3412. luſtrâſſet urbem, ſaxo juſſit alligata in medium projicere *Euphratem*, verbis quibuſdam additis, *Ità eſſe obruendam Babylonem, nec* unquam *è malis emerſuram.* (*Jerem.* 51. 59, &c.) Unà cum fratre ſuo *Seraia Baruchus* fortaſſe *Babylonem* ſe contulit, ubi, *Zedekiæ* anno quinto, coram *Jechonia* aliíſque *Babylone* exſulibus librum ſuum legiſſe dicitur, qui inter *Apocrypha* vocatur *Baruch.* (*Baruc.* cap. 1. verſ. 1, &c.)

Ezekiel obit Prophetæ munus. Anno exſilii ſui quinto *Ezekiel* ſacerdos ad ſacrum Prophetæ munus obeundum inter ſuos populares vocatus eſt à Deo, ad fluvium *Chebarim* dum verſabatur in *Chaldæa*; qui *Chaborrha Ptolemæo* & *Straboni* dicitur. (*Ezek.* cap. 1. v. 1, &c.)

Alcæus Pittacum dicteriis lacerat. § 35. *Alcæus* erat hujus ſeculi, Poëta Lyricus, in eloquendo brevis, magnificus, diligens, & plurimùm *Homero* ſimilis. Ità de eo *Quintilianus*, qui & aureo donatum ait plectro, quoniam tyrannos inſectatus eſt *Lesbios*; ipſe interim ab eadem ambitione haud alienus. Sed & *Pittacum* Sapientem contumeliis laceravit; non tyrannidis modò, (quam ille geſſit moderatiſſimè *Mitylenis*,) ſed privatarum quoque ſimultatum causâ. Nam cùm *Alcæus* ejúſque frater exercitui præeſſent, abrogatum iis imperium *Pittaco* à civibus delatum eſt. *Pittacus* tamen tyrannidem nactus, cùm in ſua *Alcæum* haberet poteſtate, ſatìs habuit monere, quid in opprimendo poſſet. Et dixiſſe *Heraclitus* prodidit, *Veniam ſupplicio meliorem eſſe.* *Alcæum*, addit *Quintilianus*, multum moribus contuliſſe; ſed & in luſus deſcendere & amores, quanquam majoribus aptiorem.

Sappho nequam, atque ingenioſa. Jam etiam vixit Poëtria *Sappho*, quantum capere potuit ingenium muliebre, docta peritáque artis Lyricæ. Carmen Sapphicum ab ea eſt natum. Sed quantum ingenio ſexui ſuo præſtitit, tantò moribus & nefandæ libidinis intemperantiâ in viros fœmináſque ſpurciſſima omnium fœdiſſimáque habebatur; eò nequior, quò ingenioſior. Unde & *Maſculam* vocabant. *Phaonem* juvenem ſpecioſiſſimum ipſa deformis perditè amaviſſe dicitur; nec tamen potuiſſe amorem ejus, omni carminùm laſciviâ, conciliare. Ad ſaltum ergò *Leucadium* ad ſedandos amoris æſtus confugiſſe. At in eo ſaltu (cùm virorum ſolummodo eſſet, non mulierum,) periiſſe nonnulli ferunt.

Sabinis tandem ſubjugatis, pax *Romæ* diuturna. Quinto jam anno *Romani Sabini*que ad prælium de ſumma rei totis utrinque viribus deſcenderunt. Quid multa? Toto die pugnatum eſt ſtrenué. *Sabinos* denique *Romani* profligaverunt. Fortiſſimus quiſque in acie cecidit. Tertium *Romæ Tarquinius* triumphum egit. Victos faſſi dediderunt ſe *Sabini*, ſolam ſævitiam deprecantes. Satìs viſum eſt, gentem cervicoſam fractam eſſe, concedi principatum, rogari pacem. Quies deinceps, *Tarquinio* regnante, & pax diuturna *Romanis* erat.

A. M. 3413. *Apries* felicium infeliciſſimus. § 36. *Apries* regnat in *Ægypto*, qui *Pharao Hophra Jeremiæ* appellatur, (cap. 44. 30.) Ejus initia proſpera exitus clauſit calamitoſus. Ità variant humanæ res, ubi certum nihil. Tantis ſe ſuis & majorum opibus munierat, ut nullum crederet vel Deum poſſe ſibi regnum abrogare. (*Herodot.* l. 2.) Indè tanta ejus jactantia apud *Ezekielem*, (cap. 29. 3. & 9.) *Mihi eſt rivus meus*, &c. quam tamen vanam atque mendacem probavit exitus. Poſt annos enim aliquot amiſit omnia.

Solon inſaniam ſimulando *Salaminem* recuperat. Iniquiſſimè tulit *Solon*, inſulam *Salaminem* (ipſe ortu *Salaminius*) ab *Athenienſibus* derelinqui, & *Megarenſibus* rapientibus concedi prædam; qua de vindicanda ſi quis legem proponeret, capitis erat periculum per legem ſubiturus. Subitam igitur ſimulavit inſaniam; pileatus in forum ſe proripuit, & præconis lapidem conſcendens, elaboratam à ſe elegiam centum verſibus conſtantem (cui nomen *Salamis*) coram ingenti multitudine (quæ ad novam rem confluxerat) recitavit. Cùm probarent omnes, *Piſiſtrato* inprimis laborante ut conſilio *Solonis* obſequerentur, ſevera lex abrogata eſt. Bellum decretum in *Megarenſes.* Electus denique *Solon* dux. Ille *Piſiſtratum* aſcivit ſocium, quem (ut ferunt) plùs nimiò dilexerat. Captam ab iis inſulam conſtat: capiendi modus variè traditur. (*Æneas* in Poliorcetico c. 4. *Juſtin.* l. 2. *Frontinus* l. 4. 44.) Hæc victoria *Solonis* gloriam auxit plurimùm apud *Athenienſes*: in tota *Græcia* non minùs victoria de *Cirrhæis* ſive *Criſſæis* parta, qui in agros *Apollini Delphico* ſacros temere irruiſſent.

[a] 3414. *Medis* imperat *Aſtyages.* [b] 3415.

[a] *Cyaxares* defunctus eſt, imperiúmque *Medorum* ſuſcepit filius ejus *Aſtyages*, quod annis tenuit 35.

Solon imperium *Athenienſe* vix & invitus in ſe recepit. [b] Pulſis in exſilium *Sceleratis*, & tumultu *Cylonio Athenis* ſedato, nondum tamen quievit urbs, ipsâ mole laborans ſuâ, hominúmque multitudine indigentium, ad ſeditiones tantùm utilium. Diviſa eſt in totidem factiones civitas quot erant civium

agros

agros tenentium genera. Qui montes incolebant popularem reip. ſtatum flagitabant; qui campeſtria tenebant, optimatum dominationem: maritimi mixtum ex utriſque præferebant ſtatum, neutrum ſimplicem approbârunt. Pauperes etiam divitéſque agebant animis alieniſſimis, propter ſummam inæqualitatem. Adeò ut magnum à ſeditione periculum eſſet; nec aliter niſi tyrannide conſtitutâ videretur civitas quietura. In tanta rerum perturbatione, unus *Solon* videbatur huic malo medicari poſſe. Et plurimum is jampridem autoritatis gratiæque apud vulgus hominum collegerat. Eum itaque conveniunt prudentiores, impenséque orant, ut ſanandam remp. in ſe ſuſcipiat. Quod ille tamen ut faceret difficulter admodum adductus eſt, eò quòd pauperum cupiditatem nimiam, & parem divitum ſuperbiam, reformidaret. Nec enim utriſque ſatisfieri à ſe poſſe credidit. *Olympiad.* 46. anno tertio Archon electus, publicúſque ſimul arbiter & conditor legum eſt conſtitutus; divitibus eum ut nobilem divitémque probantibus, egenis verò ut mitem integrúmque. Qui plurimùm in populo valebant, tyrannidem ei obtulerunt, ut eò majori animo negotium publicum aggrederetur. Alii quamplurimi, qui loco fuerunt in civitate medii, cùm viderent tantam rerum mutationem, quanta tum exſpectabatur, verbis ſolis legibúſque non poſſe fieri, haud inviti ad unum virum, juſtum ſimul & prudentem, ſummam rerum delaturi videbantur. At nec populi primoribus, nec ſuis amicis, increpantibus etiam, aures adhibuit; ſed *Tyrannidem quidem locum eſſe pulchrum, at exitum habere nullum*, dixit. Inprimis ergò id quod onus populo erat graviſſimum levandum cenſuit. Æs alienum remiſit omne; vetuítque in poſterum, nè quis corporis obligatione contraheret. Hæc ea *Solonis Seiſachthia* (quam vocabant) & prima legum fuit. At in ipſis hîc initiis ejus famæ nubecula ab ipſis amicis offuſa eſt; quibus conſilium prodidiſſet ſuum, debita quidem remittendi, at non agros dividendi. Illi ſtatim magnam pecuniæ vim acceperunt mutuò, quâ ſibi agros emerunt optimos; legéque *Solonis* deinde latâ, retinuerunt ſibi agros, condonata pecunia eſt. Indè infamia in *Solonem* tranſiit, quaſi fraudis hujus autorem atque participem facinoroſæ. Tantum intereſt boni viri, ut ſui ſimiles amicos habeat, aliàs in ſeipſum aliorum crimina derivaturi. A ſe tamen amoliri ejus facti invidiam conatus eſt, condonando liberrimè quæ ſibi debebantur talenta quinque, (ſeptem ait *Laërtius*,) alióſque ut idem libenter facerent exemplo ſuo provocavit. At cùm ſe utrique parti gratificaturum ſperabat, neutri placuit. Non divitibus, eò quòd debita ſuſtuliſſet; non pauperibus, qui legem agrariam, quæ ſperabatur, non tulerat. Mox tamen, ubi legis utilitatem intelligerent, gratias obtulerunt & ſacra diis; quæ & ipſa *Seiſachthia* dicebantur. *Soloni*ſque poteſtati omnia abſolutè corrigenda permiſerunt, ac pro ſuo arbitrio innovanda. *Draconis* leges ſeveriſſimas (præter unam de cædibus) abrogavit; etſi tacito illiteratóque *Athenienſium* conſenſu jam pridem obliteratas. (*A. Gell.* 11. 18.) Cenſum civium de novo inſtituebat. *Areopagitarum* non tam primus inſtituit ſenatum, quàm unde aleretur per ſupplementa quotannis, & quas cognoſceret cauſas præter cædes voluntarias, conſtituit primus. Ex annuis novem magiſtratibus eum ſuppleri annuatim juſſit, decedentibus officio, poſtquam rationes reip. adminiſtratæ reddidiſſent, & examen de vita, de genere, de ipſa fama ſubiiſſent. Ex viris ergò nobilioribus, vitæ famæque integris, in ſanctiſſimum illum ſenatum adſciſcebantur. Præter cædes autem voluntarias, (quæ huc antiquitus ſpectabant,) & veneficia, incendia, proditiones, & ejuſmodi crimina capitalia, omnium legum inſpectionem atque cuſtodiam, cenſurámque morum, & publicam civitatis diſciplinam, penes hoc eſſe concilium voluit. Ibi ergò quid quiſque ageret *Athenienſium*, & quonam quæſtu ſuſtentaretur, ſolebat inquiri diligentiſſimè; & inertia è latebris ſuis, ut culpæ rea erubeſcendæ, in apricum protrahebatur. Aliud verò concilium, Quadringentorum, lege ſtatuit, ex quatuor tribubus pari numero ſortibúſque electorum. His autoribus referebatur ad populum, nec aliter populo ſuffragia ulla de re inire licuit. Omnes ergò res terrâ maríque publicæ ab hoc ferè concilio expediebantur. At ſenatores hi annui erant; in *Areopago* perpetui, & incerto etiam numero. Leges ipſas recitare parùm refert; quas ligneis axibus inſcriptas, annos centum, qui tulit, valere voluit. Axes ipſi ligneis quadrangulis inſerti rotabantur, vocabantúrque *Cyrbes*. Univerſus ſenatus juravit ſimul, leges *Solonis* ſe ratas habiturum. Theſmothetarum ſinguli apud lapidem in foro ſunt proteſtati, *ſiquid contra leges has admiſiſſent, auream ſe ſtatuam ſibimet æqualem Delphis dedicaturum.* Rogatus, *cur nullam*

[Margin notes: A. M. 3415. — Archon electus. — tyrannidem abſolutam oblatam reſpuit. — Leges condit pro arbitrio. — Concilium ejus duplex, & poteſtates utriuſque. — Dicta ejus varia.]

A.M. 3415. *lam in parricidas pœnam ſtatuiſſet*, reſpondit *Solon*, *nullum ſe credere tantum facinus patraturum*. Humanæ vitæ terminum annis 70 definiebat: *Mimnermum* ideo reprehendens, quòd ſcripſit, ſexageſimum fatalem eſſe; monénſque ut ſcriberet, octuageſimum. *Aulicos apud tyrannum calculis aiebat ſimiles eſſe, quibus in computando utimur. Plurimùm aliquando, aliquando minimùm valere.* Monebat ſæpe, *Amicos cunctanter deligendos, conſtanter diligendos. Neminem poſſe regere, niſi qui priùs parére didicit. Hominis probitatem debere eſſe juramento digniorem fide. Aliis optima, non ſuaviſſima, eſſe conſulenda. Civitatem optimè habituram, ſi optimates principéſque ſecundum leges vivant. Nè quis tolleret quæ non depoſuerat.*

A. M. 3417. *Anacharſidis* amicitia cum *Solone*, & apophthegmata.

§ 37. Dum in legibus ſuis condendis ſtudioſè verſabatur *Solon*, *Anacharſis Scytha*, verùm matre *Græcâ* editus, ejus famam ſapientiæ ſecutus, *Athenas* venit, ut cum eo amicitiam hoſpitiíque jus iniret. Cúmque id, pro foribus ſtans, nunciari *Soloni* juſſit; reſpondit *Solon*, *in ſua cuique patria parari hoſpites commodiſſimè. Tu ergò*, (inquit *Anacharſis* ità ut audiret *Solon*,) *in tua patria cùm ſis, para tibi me hoſpitem.* Hominis acumine oblectatus *Solon*, in hoſpitium admiſit amicitiámque intimam. *Anacharſis* autem cùm didiciſſet quam rem ageret *Solon*, ejus propoſitum riſiſſe dicitur, *qui cives ſuos ab injuriis & maleficiis prohibere conaretur ſcriptis legibus, quæ à telis aranearum differrent nihil*; *utraſque tenere infirmos, à validis perrumpi.* Reſpondit quidem *Solon*, *Ut pactis ſtabant homines, eò quòd partibus expediret ea non violari; ità leges à ſe latas obſervaturos eſſe cives, quoniam id erat omnibus futurum utile.* Eventus tamen magìs *Anacharſidis* opinioni quàm *Solonis* reſpondit ſpei. Miratum ferunt *Athenis Anacharſidem*, (cùm fortè concioni interfuiſſet,) quòd *ſapientium eſſet dicere, indoctorum judicare*: vel, (ut habet *Laërtius*,) *cùm artifices certarent, eos qui artifices non eſſent judicare.* Solebat dicere, *Vitem ferre tres uvas, primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris.* Rogatus quomodo quis abſtemius ſobriúſque fieret; *Si turpes*, inquit, *ebrioſorum motus ante oculos ſibi proponat.* Mirari etiam apud *Græcos* ſe aiebat, *injuriis laceſſentes puniri, athletas ferientes ſe invicem honorari.* Cùm navem didiciſſet quatuor digitos fuiſſe craſſam, *Tantum*, inquit, *à morte abſunt qui navigant.* Interrogatus utrùm plures vivi eſſent an mortui; *Navigantes*, inquit, *utra in parte conſtituis?* Exprobranti cuidam *Attico*, ſed improbo homini, quòd *Scytha* eſſet & barbarus, reſpondit, *Ergò mihi dedecori eſt patria, ſed patriæ tu.* Amicum unum egregium multis gregariis præferebat. *Oleum veſaniæ pharmacum* vocabat, *quòd eo uncti athletæ contra ſe mutuò magìs inſanirent. Græcos* mirabatur, qui, cùm initio convivii parvis poculis, bene poti majoribus uterentur. Rogatus, *apud Scythas an eſſent tibiæ*; *Nè vites quidem*, reſpondit. Sciſcitanti *quæ tutiſſima eſſet navis*; *Quæ in portu* (inquit) *navigat. Forum fraudibus & avaritiæ deſtinatum* aiebat *locum*. *Gnuri* filius, & *Caduidæ* frater, fuiſſe dicitur. Reverſus domum, cùm patrias *Græcanicis* mutare leges conatu ſummo niteretur, à fratre inter venandum ſagittâ ictus interiit. Alii aiunt, ſacrificantem ritu *Græcanico* interemptum. Linguam *Scythicam Græcám*que matris ſuæ induſtriâ didicerat callebátque. De legibus patriis rebúſque aliis verſus nongentos ſcripſiſſe dicitur. Ejus imaginibus inſcribebatur, *Linguam, ventrem, pudenda contine.*

Solonem tædet magiſtratûs; decenniíque ſpatium impetrat ad peregrinandum.

§ 38. *Solon*, poſt latas à ſe leges *Athenienſes*, cùm domum ejus frequentarent cives, alii laudantes, alii reprehendentes, optantes alii ut vel adderet aliquid, vel immutaret, vel de mente legum exponeret, his ut moleſtiis quotidianis ſeipſum liberaret, decennii ſpatium à civibus ad peregrinandum impetravit. Interea temporis ſperabat, leges ſuas, quæ hactenus novitate ſuâ diſplicebant, uſu futuras familiares gratioréſque. In *Ægyptum* profectus primò, cum *Pſenophi Heliopolita* & *Sonchi Saïta*, doctiſſimis ſacerdotum, familiariter verſatus, operam dedit Philoſophiæ; ex iiſque audivit ſermonem *Atlanticum*: quæ *Græcis* carmine volebat interpretari, *Plato* exponere aggreſſus eſt. At nec ille quicquam fecit, neque hic perfecit. Ex *Ægypto* in *Cyprum* inſulam ſe contulit; ubi urbes & *Salaminem* & *Æpéam* conditas acceperat: & à *Philocypro Æpéæ* regulo peramanter acceptus eſt. Urbem is modicam, in loco munito quidem, ſed incommodo, habitabat; quam, autore *Solone*, in planitiem ſubjectam tranſtulit. Quare *Solos* urbi nomen à rege gratiſſimo datum eſt. Alteram *Solunta* in *Cilicia* eum condidiſſe *Laërtius* docet, incolíſque tradidiſſe *Athenienſibus*; qui linguam patriam cùm poſtea corrupiſſent, σολοικίζειν dicti ſunt. Et hos ait *Solenſes*, *Cyprios* verò *Solios* dictos. *Mileti Thaletem* viſiſſe dicitur: quem ſimulatque repre-

reprehendiſſet, quòd rei uxoriæ liberíſque procreandis nullam operam dediſſet; tacitus devoravit amici aculeos ad tempus prudens vir; poſt paucos verò dies ſubmiſit hominem ignotum, qui *Athenis* ſe nuper veniſſe ſimularet, aliáque multa diceret quæ ſuggeſſerat *Thales*. Ità ad vivum partes ſuas impoſtor egit apud *Solonem*, narrando funus cujuſdam juvenis maximâ ſanè pompâ ab *Athenienſibus* celebratum, cujus pater, vir ſummus, jam tum abeſſet, *Solonis* nomine inſignitus; ut *Solon* repentè in querelas & lamentationes proruperit ſe indignas. Cùm *Thales* ſubridens, *Quin deſinis*, inquiebat, *ſapiens vir, luctúmque hunc fœmineum planctúmque ponis? Nondum tibi his opus eſt næniis: fictum erat funus, quò ſcires tu, quibus ego malis mœroribúſque ſim liber, qui filios nullos procreaverim.* Indè ad *Crœſum* perrexiſſe *Solonem* ferunt; quôcum & reliquis (quos vocabant) *Sapientibus Græciæ* conſuetudinem interceſſiſſe, multi quidem ſcripſerunt: cùm tamen conſtet ex temporum ſupputatione, eos ferè omnes occubuiſſe jam priùs quàm regnare *Crœſus* cœperat. Nihilominus rem, à Veteribus tantopere celebratam, & à nobis narrari quocunque modo par eſt. Ad *Crœſum* perductus *Solon* in ſolio ſedentem, auro, gemmis, purpurâ, ornatúque omni ſplendidum, nihil horum vel miratus eſt, vel magni fecit; ſed ut res leves ineptiáſque currentibus oculis vix ſalutavit. Denique, nihil eorum dixit fecítve, quæ ſolis lenociniis aſſuetæ aures oculíque regis exſpectabant. Quare juſſit homini theſauros demonſtrari, reliquúmque apparatum luxúmque regium. Tum demum interrogavit, *Ecquem unquam hominem ſe vidiſſet beatiorem:* vel, (ut alii rem narrant,) *Quem ille mortalium vidiſſet beatiſſimum.* Neque enim dubitabat nominatum iri ſe. At *Solon* de *Tello* quodam retulit *Athenienſi*, qui probus vir domi ſatis amplam rem habuit, filióſque ſanè egregios; & cùm præclarè rem geſſiſſet adverſus hoſtes, pro patria denique occubuit. Rex præteriri ſe miratus, hominémque planè privatum tantis opibus præferri, de *Solonis* cœpit dementia vel ruſticitate nimia ſubdubitare. Rogavit tamen denuo, *Aliúmne aliquem nôſſet Crœſo rege beatiorem.* Tum *Solon Cleobin* & *Bitonem Argivos* nominavit, qui, cùm matrem ſuam, *Junonis* ſacerdotem, (bobus moram facientibus,) curru ad fanum pertraxiſſent, matérque deos oraviſſet, ut *quod optimum eſſet, filiis in præmium darent*, mortui mox inventi ſunt. *Crœſus* eò iracundior, *Nos ergò*, inquit, *in beatorum numero non habes? Imò*, ait *Solon*, *has tibi res proſperas ſi quis deus tibi præſtiterit ad exitum vitæ illibatas, beatus tum demum dicendus es jure. Cùm autem tot ſint quæ intervenire poſſunt adverſa, & ad ſupremum uſque diem ancipiti fortunæ ſubjecti ſimus, viventem neminem dici poſſe beatum arbitror.* Cujus dicti prudentiam, *Crœſum*, poſtea à *Cyro* captum, reipſa ferunt expertum comprobâſſe. Interim *Athenis*, dum *Solon* aberat, in factiones iterum diſceſſit civitas. Pediæorum erat *Lycurgus* dux, *Megacles* Paralorum, Diacriorum *Piſiſtratus*; quibus acceſſerant & Mercenarii divitibus maximè infenſi. Tyrannidem *Piſiſtrati* (de qua alibi dicendum eſt) *Solon* & naſcentem primus animadvertit, & natam pro viribus oppugnavit. Cúmque nihil proficeret, dicebat ſe prudentiorem eſſe iis qui non proſpexerant, iíſque fortiorem qui non repugnabant. In *Cypro* obiit octuageſimus, (ut multi produnt,) quò nimirum à tyrannide *Piſiſtrati* profugerat; neque in patria, de qua optimè meruerat, humari contigit. Quantâ flagraverit induſtriâ, etiam & verſibus complexus eſt, quibus ſignificat ſe quotidie diſcentem aliquid conſeneſcere. Idque ſupremo vitæ die confirmavit, cùm, aſſidentibus amicis, & inter ſe de re quadam ſermonem conferentibus, fatis jam preſſum erigeret caput; &, quapropter id feciſſet, interrogatus, reſpondit, *ut cùm iſtud quicquid eſt de quo jam diſputatis percepero, moriar.* Migrâſſet profectò ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederemur, quo eam *Solon* egreſſus eſt. (*Val. Max.* l. 8. c. 7.)

A. M. 3417.

Illo Thales ſapientior, quòd conjugio abſtinuiſſet.

Tellum Crœſo beatiorem ſtatuit, & mortem; vitâ meliorem.

Piſiſtrati tyrannidem fruſtrà oppugnat, & ſpontaneus exſul moritur.

§ 39. Rex *Judæorum Babylonio* obſequii fidem ſpoſponderat, adhibito ſacroſancto Dei nomine juratus. (2 *Chron.* 36. 13. *Ezek.* 17. 13, 14, 18.) Ideo immutatum eſt illi nomen, ut pro *Mattania*, *Tſidci-jah*, ſive *Zedekias* molliore ſono, diceretur, quod ſignificat *Juſtitiam Dei:* ut ſi fidem pactam falleret, juſtam Dei vindictam exſpectaret. Nihilominus ille fidem ità datam violavit, à *Babylonio* defecit, *Ægyptii*que fretus auxilio, in libertatem ſe aſſeruit. Quare *Nabuchodonoſorus*, ingenti exercitu contracto, hoſtiliter jam tertiò in *Judæam* irrupit. Et reliquas provinciæ totius urbes occupârat: *Lachiſhum* oppugnabat & *Azekam*. Ad ipſas tandem *Hieroſolymas* acceſſit, menſe decimo diéque. Copiis urbem cingit, exſtruit propugnacula, exitum negat obſeſſis; fame, non ferro, cervicoſos domiturus. *Ægyptius* interea, ex pacto cum

Zedekias, Ægyptio fretus, fidem violat quam dederat Babylonio juratus.

A.M. 3417. cum *Judæis* (opinor) fœdere, adventabat cum exercitu ſuo *Hieroſolymas* liberaturus. *Babylonii*, non manendum rati, donec ipſi obſidentes ab hoſtibus aliis obſiderentur, relictis *Hieroſolymis*, *Ægyptiis* occurrebant. Annus Sabbaticus hic erat apud *Judæos*, in quo, ex Lege ſua *Moſaïca*, ſervi è ſua gente liberi erant dimittendi. (*Exod.* 21. 2. *Deut.* 15. 12.) *Hieroſolymitani* ergò, appropinquante *Babylonio* adverſus urbem, ut legem illam obſervando placere Deo viderentur, & quodammodo gratificari, ſervis omnibus libertatem eveſtigio promulgârunt. Mox *Babylonio* recedente, dimiſſos modò ſervos ſub jugum denuo revocârunt. Quod factum impium & inhumanum perſtrinxit acriter *Jeremias*, graviſſimíſque devovit minis. (Cap. 34. 8, 9, &c.) Cúmque miſiſſet rex nuncios qui orarent Prophetam, ut in ſuos populares iram Dei deprecaretur, quæreréntque de ſumma rerum quid deinceps ſperandum; reſpondit *Jeremias*, "nullam eſſe ſalutis relictam ſpem: *Ægyptios* jam jámque in patriam ſuam "redituros; *Chaldæóſ*que ad obſidionem, qui urbem caperent incenderéntque, (*Jer.* 37. 3, &c.) Apertis jam portis, in patriam ſuam *Anathothas*, *Benjaminiticæ* tribûs urbem, *Jeremias* erat diſceſſurus, cùm nihil proficeret prædicando, atque inſuper in periculis verſaretur quotidianis. Ex porta egreſſuro *Benjaminitica*, *Irija* quidam, in turba rebellium primarius vir, manus injecit violentas. Crimini dedit, quòd transfugium ſibi pararet. Pernegavit ille quidem, ſed fruſtrá. Ad principes defertur, proditionis inſimulatur; verbis denique ac verberibus iniquè habitus, in carcerem apud *Jonathanem* longè fœdiſſimum ablegatur. (*Jer.* 37. 11, &c.)

A.M. 3418. *Ægyptio recedente, redit Nabuchodonoſorus ad Hieroſolymas obſidendas.*

Ægyptius minimè conſultum cenſuit, alterius populi causâ in diſcrimen vocare ſuos. Cùm tantas ergò videret, tam inſtructas ad bellum, paratáſque ad prælium, *Babyloniorum* copias, ſuas maluit incolumes reducere in *Ægyptum*, quàm pugnæ aleam tentare dubiam. Vertente igitur *Ægyptio* terga, (quod ei objicitur à Deo *Ezek.* 29. 6, 7. ut ruinæ ſuæ cauſa,) redit *Nabuchodonoſorus* ad obſidionem intermiſſam; & cinctam undique propugnaculis, machiníſque omnium generum, oppugnat urbem. Tum verò *Jeremias*, cum carceris ſqualore diu conflictatus, à rege clanculùm vocatus eſt, ut è cœlo aliquid de rebus ſuis cognoſceret. Eadem Propheta potiùs repetit quàm reſpondet, & urbem & regem captum iri. Sed in fovea carceris malè multari immerentem ſe conqueſtus, regem quàm principes multò reperit mitiorem. Nam in atrio eum carceris detineri deinde juſſit, & panis dimenſo donari quotidiano, quamdiu panis urbi ſuppetebat. (*Jer.* 37. 17, &c.)

Cùm adhuc *Hieroſolymæ* arctiſſimâ cuſtodiâ concluderentur, putavit iterum *Zedekias* de publica re conſulendum eſſe *Jeremiam.* Miſſi à rege qui rogarent primarii viri. Immutavit Propheta nihil. Eandem cecinit cantilenam, etſi principum auribus ingratam admodum delicatiſſimis: "Fruſtrà eos contendere ac repugnare; De- "um illis ipſum acriter adverſari, plurimóſque ſuis telis *peſtilentiæ & famis confixurum*; "*reliquos traditurum armis* hoſtium *conficiendos. Populum verò* ità *moneri* voluit, ut, "ſi ſalvos ſe vellent, ad hoſtes *transfugerent.* Iſthùc enim *qui hærerent, aut peſte,* "*aut fame, aut* hoſtium *vi perituros eſſe: ſe autem qui dederent, vivos* atque incolumes " ex malis maximis emerſuros. (*Jer.* 21. 1, &c.) Hæc cùm nuncii retuliſſent, principes à rege obnixè petierunt exaſperati, ut neci daretur *Jeremias*, eò quòd animos militibus populóque debilitaret, publicíſque obſtaret commodis. Rex facilè exoratus, tractandum illis ut vellent Prophetam tradidit. In atrio carceris erat locus quod *Malchiæ barathrum* vocabatur; cœno ſcilicet ac ſordibus exitialíque fœtore horridum. Eò funiculis demiſſus, in profundo immobilis hæſit luto; ut nè ſimplice quidem morte exſpiraret. Regi aderat in aula eunuchus *Æthiops*, vir probus piúſque: *Ebedmelechus* dicebatur. Is, ut primùm audiviſſet *Jeremiam* eſſe in barathro, maximóque vitæ periculo verſari, ad regem illico properavit, principéſque acriter reprehendit, qui in barathrum ad famem necémque longè miſerrimam Prophetam Dei abjeciſſent. Facinoris atrocitatem rex facilè perſpexit. Mandavit ergò ut hominum

A.M. 3419. triginta unitis viribus (ſi opus eſſet) funibus alligatum extraherent foveâ *Jeremiam.* (*Jer.* 38. 1, &c.) Quod quàm primùm factum eſt, Propheta Dei verbis ſalutem *Æthiopi*, atque incolumitatem ab his bellorum periculis, in mercedem pronunciavit. (*Jer.* 39. 16, 17, 18.)

Jeremias principibus juſſu regio illudit.

Penuria rerum jam omnium ingraveſcebat *Hieroſolymis*, nec à fame procul aberat. Vaticiniorum ergò *Jeremiæ* veritas quò magìs illuceſcebat, & appropinquare videbantur mala illa quæ ab illo prædicta fuerant, eò magìs audiendum putabat rex, & oracula

cula ab eo quærenda eſſe. Accerſit iterum *Jeremiam*, ſed in locum ſecretum, & remotum ſatis ab arbitris, (nè quid ſciant principes,) interrogátque de futuris quid ſeriò ſentiat. Ille, vitam inprimis cum rege pactus, nè aut ille oraculo offenſus interficeret, aut eum capitalibus traderet inimicis, reſpondit, Deum hæc dicere: "*Si* "*ducibus Babyloniis* (aberat enim ipſorum rex) *egreſſus urbe* ſe dederet, *rebus eum* "*ſuis quàm optimè conſulturum*; quippe ità procuraturum *ſalutem ſuam atque ſuorum,* "*urbiſque* incolumitatem. *Sin minùs*, fore ut & *ipſe caperetur* atque abduceretur "captivus rex, unà cum *ſuis univerſis*, *ipsáque civitas incenſa* funditus quidem dele-"retur. Hîc ſe ſubvereri neſcio quid à transfugis aiebat rex, nè traderent hoſtibus illudendum. Sed cùm ſatis ei caviſſet ea etiam in re Propheta, rogâſſétque obnixè admodum ut Deo ſuo obſequeretur; nihil tamen rex ſtatuit plùs nimiò meticuloſus. Diſceſſit tandem dubius animi, vetuítque modò nè quid principes cognoſcerent. Accedentibus ergò ad ſe (nam de colloquio ſubaudiverant) illuſit illis Propheta, quomodo juſſerat *Zedekias*. *Deprecatum* aiebat *ſe humiliter*, *nè in caveam Jonathanis iterum detruderetur*. Ità tutum à principibus regem præſtitit *Jeremias*, ut à furore eorundem rex præſtiterat *Jeremiam*. (*Jer.* 38. 14, &c.)

A.M. 3419.

§ 40. Victus in urbe jam defecerat, & ſtrenuè laborabant urgente fame tenuiores. Ex fame peſtis eſt orta, malóque duplici conflictabantur. Crediderim, præter cives, maximam ex agris turbam in urbis præſidium confugiſſe, quibus nec victûs ratio commoda nec contuberniorum ſuppetebat. Paſſim ergò miſelli homines, aut fame domiti, aut peſte correpti, animas ſuas exhalabant. Neque regi & principibus aut ſpes aderat auxilii, aut conſilii copia. Hærebant miſerè in luto, réque prorſus deſperatâ, ſummâ preſſi rerum omnium difficultate, quò ſe verterent non habebant. Arma paſſim deponuntur; negliguntur excubiæ; in urbem aditus pateſcit. Hoſtes facilè animadverterunt, ex transfugis ſæpe expiſcantes quid in urbe gereretur. Quarti ergò menſis die dono, per apertas mœnium ruinas, *Chaldæi* in urbem irruperunt, mediámque ejus portam occupârunt. Fruſtrà jam repugnaturi, unà cum rege ſuo principes noctu fugam capeſſiverunt, ídque per poſticam hortis regiis valde propinquam. Secuti regem perſecutíque *Babylonii*, in ſolitudine ceperunt fugitivum *Hierichuntina*, minùs ſoliciti de reliquis, per varia loca diſperſis undique & diſſipatis. *Riblæ* jam agebat rex *Nabuchodonoſorus*. *Hamathæ* regionis ea urbs erat. Eóque adductus *Zedekias*, ſtatim perduellionis damnatus eſt. Et poſtquam filios ſuos vidiſſet coram ſe trucidatos, privatus ſtatim eſt oculis, nè deinde Solem cerneret perjurii ſui conſcium. Ità vinctus *Babylonem* unà cum reliquis captivis abductus periit. Urbem tantam, támque rebellem, diutiùs ſupereſſe noluerunt hoſtes exſultabundi. Idcirco *Nabuzaradanus*, ſatellitum præfectus, quinto menſe diéque ſeptimo, à rege miſſus *Hieroſolymas* pervenit. Is primò cepit ex populo rebelli quos vitâ cenſuit indigniſſimos, ſacerdotum duos principes, & janitores tres, *Sopherem* quoque ducem exercitûs regii principalem, aliúmque præfectum militum, ſeptem aulicos, viróſque è populo primarios ſexaginta. Hi *Riblam* delati gladio ſunt percuſſi omnes. Cepit etiam cives alios, & optimum quemque ex vulgo, quos captivos *Babylonem* tranſmitteret. Pauperrimos agris locupletavit vineíſque quas colerent. Idem cepit ex Templo quæ ſupererant vaſa omnia ex auro, argento æréve conflata, unà cum columnis æneis, & bobus duodecim qui mari æneo ſubfuerunt. Denique, Templum urbémque, rapinis priùs exhauſtam, cædibus cruentatam, incendiis devaſtavit, &, muris dirutis complanatíſque, decimo die delevit penitùs. Hujus incendii atque excidii etiamnum jejunio memoriam celebrant *Judæi*, quinti menſis die nono. Magnifica tot ſeculorum opera paucorum ruina dierum fiunt. Ex urbe nobiliſſima, totiúſque Orientis poſt *Babylonem* populoſiſſima, præter rudera cineréſque nihil ſupereſt. En quantæ dementiæ ſit inſaniæque, ejus monitiones & minas ſpernere, ejus contemnere miniſtros, ac vindictam ſceleribus importunis provocare, qui eſt *ignis conſumens*, Dei. *Jeremias* in atrio carceris captus vinctúſque, *Babylonem* unà cum reliquis traducendus captivis erat. Sed *Nabuchodonoſorus*, cùm didiciſſet quantus quámque verus fuiſſet Vates, quantóque ſtudio ad obſequium regem & populum excitâſſet, ejus præcipuè ſalutem *Nabuzaradano* commendavit; imperavítque nè quo verbo factóve læderetur Propheta pius, ſed eum ut ſineret quò libéret ſe conferre, ſuóque more vitam agere. *Jeremias* ergò, ſolutis vinculis, datâque optione, mallétne permanere apud ſuos in *Judæa*, an ad reliquos populares tranſire liber in *Babyloniam*, patriam prætulit deformem

Hieroſolymas tam fame quàm peſte conflictantes capit, diripit incenditque *Babylonius*.

Qui nihilominus *Jeremiam* mirâ proſequitur reverentiâ.

A. M. 3419. mem omni gentis alienæ & dominatricis jam gloriæ. Viatico atque muneribus à *Nabuzaradano* donatus inſuper, ad *Gedaliam* degentem *Mizpæ Benjaminiticæ* miſſus eſt. *Gedaliam* ſcilicet, *Ahikami* filium, *Shaphanis* nepotem, (virorum apud optimum *Joſiam* gratioſorum, 2 *Reg.* 22. 3, 12.) hujus provinciæ, reſiduorúmque quos prædæ faſtidium reliquos fecerat *Judæorum*, Præſidem ſolùm, non Regem, conſtituerat *Babylonius*: vel, nè regii tumore nominis inflatus & inſoleſcens, (quod alii fecerant atque alii,) ab imperio ſuo deſciſceret; vel, quòd paucis præeſſe, iiſdémque calamitoſis, aut planè nullum, aut non illuſtrem honoris titulum merebatur.

Poſt captas *Hieroſolymas*, videtur *Obadia* Prophetæ munus obiiſſe, exitiúmque *Idumæis* Dei verbis denunciâſſe; qui cùm ab origine cognati eſſent *Judæorum*, eorum tamen profeſſis hoſtibus adjunxiſſent ſe ſocios, Deíque populum qualemcunque totis viribus oppugnâſſent.

FINIS.

Hæc de Lege Judiciali Moralem pœnis communienti addenda ſunt, & inſerenda Lib. 5. *pag.* 305. *in calce* § 26.

QUum nihil in legibus cujuſque gentis municipalibus probandum eſſe cenſeatur, quod non ad Legem Dei Moralem aliquâ poſſit ratione, probabili ſaltem, revocari; idcirco non pigebit per ſingula Decalogi Præcepta leges deducere Judiciales quæ apud *Hebræos* obtinebant; & quæ ſparſim dictatæ ſcriptæve ſunt, in hunc unum conferre locum: id quod ab aliis quoque factum animadvertimus. Sed inprimis ipſe Decalogus, qui ſumma quidem legum moralium capita complectitur, videtur mihi paucis ſaltem explicandus, ut quò ex forenſibus referendum ſit quidque eò dilucidiùs conſtet. Moralia enim Præcepta quò breviora ſunt & pauciora, eò minùs forſan perſpicua, plurium in ſe latentem vim legum quaſi pugnantium in utero comprehendunt. Trium Documentorum quaſi clavibus facilè ſatis aperiuntur; totáque mens eorum quà latiſſimè patet recluditur, & quaſi obſtetricis ope in lucem editur. Primum eſto, ut *Ubi ſpeciale quid nominatur, totum illic intelligatur genus.* Ità in Idolorum & Imaginum cultu, ἐθελοθρησκεία damnatur univerſa; in Homicidio, quicquid officit ſaluti; in Adulterio, quicquid pudicitiam violat; in Furto, quicquid alienis obſtat commodis; in Teſtimonio falſo, mendacia quævis convitiáque; in Concupiſcentia alienorum, motus omnes ad peccata etiam primi, (quanquam animis diſſentientibus,) ut ſcaturigines ex fonte manantes venenato. Ità in Sabbatis, omnia tempora ad cultum Dei publicum deſtinata concluduntur; in Parentibus, quicunque nobis præſunt, naturâ, dignitate, imperio, diſciplinâ. Documentum Secundum eſto, ut *Ubi Vitia prohibentur, intelligamus illic Virtutes oppoſitas, bonáque nobis commendari opera.* Contrà verò, *Ubi proponuntur nobis amplectendæ Virtutes, ibi Vitia vetari contraria:* ut, ſi parentes honorandi, graviter peccat qui eos afficit ignominiâ. Tertium eſto Documentum, ut *Non modò facta, ſed verba etiam prava, ipſóſque animorum (ubi aſſentimur) motus omnes ad peccandum voluntarios prohiberi intelligamus, (Matt.* 5. 28.*)* etiamſi non erumpant & matureſcant in facinora. Imò cavenda ſunt & evitanda ipſa malorum irritamenta. Qui mulierem alienam ità intuetur, ut pleno aſſenſu concupiſcat, adulterii eſt reus; qui domum aliámve non ſuam rem, furti. Nec certè alium Philoſophi *Continentem* eſſe volunt, niſi qui affectus reprimit rationi rectæ repugnantes: nec *Temperantem*, niſi qui repugnantes non habet ullos; aut, A.M. 2514.

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Eorum igitur quibus ad Pietatem inſtituimur Præcepto Primo, [*Aliud Numen, præter Me unum, venerator nullum,*] neque nullum Numen, nec falſum, ſed ſuum *Jehova* unicum haberi pro Deo imperat, ac etiam coli animorum cultu intimo; fide, amore, ſpe, (*Deut.* 6. 4, 5. & 10. 20.) timore. (*Deut.* 10. 12, 20.) Legibus ergò forenſibus prohibetur diſertiſſimè, Nè quis aut colat animitus alienos deos, aut colendos proponat aliis. Præcepto Moralium primo

1. Saga nè vivat. (*Exod.* 22. 18.) leges ancillantur forenſes novem.

2. Nè quis per ignem liberos traducito divinandi gratiâ: Nè qui ſint ope diabolicâ divini, nè qui planetarii, ſive augures, ſive interpretes ſomniorum, néve qui captent omina conjectores, nè qui præſtigiatores, incantatores, arioli ſeu magi, nec qui Pythones conſulant mortuóſve: (*Lev.* 19. 26, 31. *Deut.* 18. 9, 10, 11.) quos omnes *Jehova* abominatur, (v. 12.) Nam quicunque Pythones ariolóſve ſeu magos conſuluerit, eos tollet è medio Deus. (*Lev.* 20. 6.)

3. Ariolos ſive magos atque Pythones populus univerſus lapidato. (*Lev.* 20. 27.)

4. Qui aliis præter *Jehovam* ſacrificaverit diis, moriatur. (*Exod.* 22. 20.) Qui Solem aut Lunam alióſve gentium deos coluerit, lapidator. (*Deut.* 17. 2, &c.)

5. Siqua civitas conſpiratione factâ diis cultum alienis exhibebit, exploratâ judicibus rei veritate, armis populi cædantur homines univerſi cum animantibus; tecta urbis unà cum ſupellectile deleantur incendio, nunquam inſtauranda incolendáve. (*Deut.* 13. 12, &c.)

6. Deorum alienorum vates moriatur. (*Deut.* 18. 20.)

A.M. 2514. 7. *Molocho* liberos nè tradito. (*Lev.* 18. 21.) Quicunque liberos comburendos igne conſecraverit *Molocho Iſraëlita* vel inquilinus, lapidibus obruatur à populo univerſo. Quòd ſi à populo negligatur tantum ſcelus, ipſe Deus idololatram, ejuſdémque impietatis participem familiam, radicitus exſtirpabit. (*Lev.* 20. 2, &c.)

8. Siquis propheta vel ſomniator, etiam ſigno edito prodigioſo, (permittente Deo,) ſiquis ejuſdem ſanguinis frater liberíve, ſi ejuſdem carnis uxor, ejuſdem animi amicus, alliciet ſeducétque aliquem ad alios colendos præter *Jehovam* deos, fides eorum dictis abſit, vita ſontibus ritè judicio condemnatis adimitor, lapidibus obruantur. (*Deut.* 13. 1, &c.)

9. Denique, ipſa nomina idolorum nè quis vel animo teneat, vel ore proferat. (*Exod.* 23. 13. *Zach.* 13. 2. *Hoſ.* 2. 17. *Pſal.* 16. 4.)

Moralium ſecundo ancillantur leges forenſes ſex. Secundo Præcepto, [*Fictum pictúmve ſimulacrum rei cujuſquam nullum colito*, &c.] (*Exod.* 34. 17. & 20. 23. *Lev.* 19. 4.) coli Deum ſuo more, id eſt, divinitus inſtituto, mandatur, non hominum arbitrio. Quò ſpectant forenſia hæc.

1. Qui ſuâ ſponte, non afflatus à Deo, vaticinatus fuerit propheta, moriatur, (ſuffocatus, ut volunt *Judæi.*) (*Deut.* 18. 20.) Ubi non eveniunt quæ prædicta ſunt, (bona præſertim, *Jer.* 28. 9.) ſuâ ſponte vaticinatus eſt propheta, non emiſſus à Deo. (*Deut.* 18. 22.) Minas enim atque mala per Prophetas denunciata ſæpe Deus pœnitentibus condonat; bona quæ promittit præſtat omnia.

2. Imagines profanarum gentium & columnæ confringantur, comburantur ſtatuæ, ſuccidantur luci, templa deſtruantur & altaria, Excelſa tollantur; ipſa denique ferro & flammis ità deleantur nomina, ut omnis eorum memoria aboleatur. (*Exod.* 23. 24. & 34. 13. *Num.* 33. 52. *Deut.* 7. 5, 25. & 12. 3.)

3. Nè quis idolum imaginémve ſculptilem quam colat erigito, aut ſtatuam lapidémve figuratum. (*Lev.* 26. 1.) Primò, quoniam in *Horebo* audita vox, nulla viſa eſt imago. (*Deuter.* 4. 12, 15, &c.) Deum ergò — *ſi vis pingere, pinge ſonum.* Deinde, Deus tanquam ignis zelotypiâ incenſus cultores idolorum conſumet omnes. (*Deut.* 4. 23, 24.)

4. Lucum altari Divino propinquum nè quis conſerito, neque ſtatuam erigito. (*Deut.* 16. 21, 22.)

5. Nè quis modum quærat ac rationem quâ gentes profanæ deos ſuos coluerint, quaſi *Jehovam* pari cultu veneraturus. Nec enim alio *Jehova* coli vult quàm eo quem ipſe inſtituit modo. (*Deut.* 12. 30, 31, 32.)

6. Siquis Prophetæ non auſcultat quem ex *Iſraëlitis Moſi* ſimilem per omnes ætates miſſurus eſt Deus, repoſcet ab eo pœnam *Jehova.* (*Deut.* 18. 18, 19.)

Moralium tertio Tertio Præcepto, [*Verendum Jehovæ tui Numinis nomen vile nè facito*, &c.] profanari Nomen Divinum interdicitur; quod juramentis temerariis, perjuriis atque blaſphemiis maximè fit. Cultum etiam privatum ac quotidianum exhiberi, atque haberi honorificè Sacroſanctum Nomen imperatur, precando, vovendo, jurando, &c.

Profanatio Nominis Divini maximè nefarium apud *Judæos* habetur ſcelus. Etſi enim & vapulet forenſi lege qui hoc Præceptum violavit, & victimam tradat ſacerdoti; nulla tamen poteſt expiatio fieri pro hoc peccato, quâ vindicetur à judicio Dei; quia Deus ipſe dicit, impunitum per ſe neminem laturum id ſcelus: de quo forenſes à *Moſe* leges ſunt traditæ quæ ſequuntur.

forenſes quatuordecim famulantur. 1. *Jehovam* Deum tuum timeto colitóque, & per ejus Nomen jurato. (*Deut.* 6. 13. & 10. 20.)

2. Nè quis, jurando ut fallat, profanato Nomen Dei. (*Lev.* 19. 12. & 22. 32. *Jer.* 4. 2. *Matt.* 5. 33, &c.)

3. Blaſphemus quicunque Nomen exſecrabitur *Jehovæ*, à populo univerſo, conjectis in eum congeſtíſque lapidibus, è medio tollitor. (*Lev.* 24. 10, &c.)

4. Vota *Jehovæ* fac ut ſolvas religioſè, repetituro à te ſeveriùs ſi tergiverſeris. (*Num.* 30. 2. *Deut.* 23. 21.) Licet non vovere. (*Deut.* 23. 22.) Id enim in tua poteſtate ſitum. (*Act.* 5. 4.) At poſtquam vota nuncupaveris, non perſolvere, nefas tibi ſit. (*Deut.* 23. 23. *Eccles.* 5. 5, 6.) Si enim quod juratus quis homini promiſerit, etiam cum damno ſuo præſtare debeat; (*Pſal.* 15. 4.) quantò magis oportet Deo, qui reddere poteſt compenſaréve damna commodis terrenis atque cœleſtibus abunde? (*Proverb.* 3. 9, 10. *Marc.* 10. 29, 30.) Videtur enim votum juramenti quoddam genus eſſe, quo ſpontè ac religioſè Deo pollicemur quid, ejus Nominis honorandi gratiâ. Aliud erat abſtinendi votum; quale *Nazaræorum* fuit: (*Numer.* 6. 2, 3, &c.)

aliud

aliud faciendi vel dandi aliquid; ut ſacrificia, & valorem rerum deſignatarum, &c. Erat enim hoc in more poſitum apud *Hebræos* veteres, ut promitterent, ſe, rei compotes quam expetebant, Deo daturos ſui valorem capitis, aut viri, aut fœminæ, pueríve, aut alterius, quemcunque nominabant. Nec hominum modò, ſed & beſtiarum, ædium, prædiorúmque. (*Lev.* 27. 2, &.) Ad inſtaurandas Tabernaculi ruinas data eſſe hæc *Judæi* ferunt. A.M. 2514.

5. Perſonis quæ voventur pretia ſacerdos ponat: infanti menſtruo quinque ſiclos, fœmellæ tres; puero quinquenni ſiclos viginti, puellæ decem; juveni annorum vicenûm ſiclos quinquaginta, fœminæ tricenos; denique, annorum ſexaginta ſeni quindecim, fœminæ ſiclos decem. (Ibid. v. 3, &c.)

6. Quod ſi pauper quis deterior voto factus ſolvendo non ſit, ſacerdos æſtimet. (Ibid. v. 8.)

7. Beſtias, ædes, prædia, quæ quis voverit, redimere ſi volet, quintâ parte augeat pretium. (Ibid. v. 11, &c.)

8. Animalia munda ſacrificiis apta redimere non licebit, neque mutare. (Ib. v. 9, 10.)

9. Canem vovere nefas, aut mercedem meretricis. (*Deut.* 23. 18.)

10. Nec primogenita fas hominum pecorúmve ſanctificare, utpote jampridem ſacra Deo. (*Lev.* 27. 26.)

11. Prædia quæ voventur, in ſacerdotum hæreditatem tranſeant; (ibid. v. 21.) ſed pretio ab his etiam ſoluto ad res Sanctuarii reparandas.

12. Si tamen fundi ab aliis empti dedicentur, nè iis fruantur ſacerdotes: ſed primis dominis qui vendiderant Jubilæi beneficio reſtituantur. (Ibid. v. 22, &c.)

13. Devotæ autem res, Deóque penitùs addictæ, (Ἀναθήματα *Græci* appellant,) nec vendi poterunt, nec redimi; ſed neci dedere oporter homines beſtiáſque, aboleri etiam res alias. (*Lev.* 27. 28, 29. *Num.* 21. 2, 3. *Deut.* 25. 19. *Joſ.* cap. 6. & 7.) Homines non niſi hoſtes ſunt hoc in loco intelligendi.

14. In patris poteſtate virgo, in mariti uxor, non niſi patre aut marito vel probante, vel tacente, voti rea teneatur. (*Num.* 30. 3, &c.)

Præceptum Quartum, [*Sanctè Sabbatum celebrare nè oblivifcitor*, &c.] in Sabbatis feſtíſque diebus publicum Deo cultum inſtituit, per conventus populares, miniſterio ſacerdotum; cujus præcipuè cultûs gratiâ & humanum genus conditum, & Sabbatum erat divinitus inſtitutum. Ad hoc leges pertinent forenſes hæ. Moralium quarto

1. Qui Sabbatum profanârit, morte multator. (*Exod.* 31. 15.) Lapidibus obruitor. (*Num.* 15. 35.) forenſes quinque.

2. Sabbata mea obſervate, & reveremini Sanctuarium meum. (*Lev.* 19. 3. & 26. 2. *Gen.* 28. 16, 17. *Eccles.* 5. 1.)

Domum Domini præſentis gratiâ, *Judæi* (ut ferunt) veteres ità reverendam cenſuerunt. 1. Nemini licebat in Templum cum baculo aſcendere, vel induto calceis, vel non feſtivis veſtibus, vel pedibus pulvere fœdatis. 2. Nulla in parte montis licuit deſpuere; 3. nec eâ per tranſitum aliò pergere; 4. nec recedenti tergum vertere; 5. nec irruere cum ſtrepitu, retróve cedere: 6. nec præſenti denique ſedere cuiquam niſi regi fas erat. (2 *Sam.* 7. 18.) Neque hos ritus condemnare viſus eſt ipſe *Chriſtus*, qui ex Templo argentarios & mercatores ovium boúmque & columbarum, etſi ſacrificiis deſtinatarum, flagello tamen abegit, & nummulos argentariorum effudit, menſáſque diruit. (*Joan.* 2. 14, 15, 16.) Nec paſſus eſt ut eâ deportarentur vaſa. (*Mar.* 11. 16.) Quæ omnia pudori eſſe debent hominibus profanis titulo tenus *Chriſtianis*, qui palatiis aulíſque regum, imò & ſuis plerumque ædibus, generoſuli opibus aut nobilitate turgidi, majorem poſtulant reverentiam exhiberi, quàm Sanctuario deferatur Dei. Hîc abominari ceremonias homines religioſi, quaſi *Chriſti* fratres Deo ipſi jam ſint pares: nullas illic, utut maximè adulatorias, recuſare improbaréve.

3. Frugum atque fructuum, gregum armentorúmque Decimæ *Jehovæ* ſunt. (*Lev.* 27. 30, 32.) Omnes *Levitis* decimas do propter miniſterium in Tabernaculo. (*Num.* 18. 21, &c.) Si quid ex illis redimere volet quis, addatur pretii quinta pars. Si quid ex illis immutaverit quis deteriore melius, utrumque Deo ſacrum ſit, nec redimatur ampliùs. (*Lev.* 27. 31, 33.)

4. Ex omnibus agrorum fructibus decimas fideliter perſolvito. (*Deut.* 14. 22.) Nè per omnem vitam *Levitam* deſerito. (*Deut.* 12. 19. & 14. 27.)

5. Decimas decimarum quaſi primitias Deo ſacras *Levitæ* ſacerdotibus tradant. (*Num.* 18. 26, &c.) Quibus illi ut primitiis populi, primogenitis, votivis, ſacrificiorum

orum portionibus & oblationibûs quibuſcunque, perfruantur. (*Num.* 18. 8, 9, &c.)

A.M. 2514. Præcepto Quinto, ex iis quæ ad Juſtitiam nos deducunt morúmque probitatem primo, [*Debito parentes honore proſequitor*, &c.] commendantur officia mutua, tum liberorum, ſervorum, diſcipulorum, ſubditorúmque omnium, erga parentes, & quicunque nobis loco parentum ſunt, dominos, reges, magiſtratus & judices, magiſtros, ſacerdotes, præfectóſque omnes; tum, vice versâ, horum erga illos, erga liberos, ſervos, diſcipulos ſubditóſque.

Moralium quinto

De Liberis atque Parentibus.

forenſes 34.

1. Parentes quiſque reveretor. (*Lev.* 19. 3.)

2. Siquis parenti vim atrocem inferet, maléve dicet, morte plectitor. (*Exod.* 21. 15, 17.) Hunc *Judæi* lapidandum fuiſſe, illum verò aiunt ſuffocandum. (*Lev.* 20. 9. *Deut.* 27. 16.)

3. Luxurioſum & contumacem filium, qui nè caſtigatus reſipiſcit, deferant parentes ad ſenatum urbis, & condemnatum cives univerſi lapidibus obruant. (*Deut.* 21. 18, &c.)

4. Liberos diſciplinâ pietatis imbuant parentes inſtruántque. (*Deut.* 6. 7, 20, &c. & 11. 19. *Prov.* 22. 6. *Eph.* 6. 4. *Gen.* 18. 19. *Prov.* 4. 4, &c. & 31. 1, &c.)

5. Hæreditas paterna filiis diſtribuatur; filiiſve mortuis, nepotibus: maximo natu duplex ſit portio. (*Deut.* 21. 17.) Quâ quidem ceremoniâ *Chriſtus*, primogenitus omnis creaturæ (*Col.* 1. 15.) inter multos fratres, (*Rom.* 8. 29.) ſignificatur; unctus autem ſupra omnes fratres Divinis dotibus. (*Pſal.* 45. 7. *Joan.* 3. 34.)

6. Cui filii deſunt, filiæ hæreditatem adeunto, (ſed tribulibus nubant ſuis, *Num.* 36. 8.) earúmque defunctarum liberi. Filiæ ſi deſint, fratres, deinde patrui, deinde neceſſarii ſuccedant maximè propinqui. (*Num.* 27. 8, 9, 10, 11.)

7. Tribuum familiarúmve hæreditates nè prorſus alienentur; ſed quovis tempore dominis redimendi ſit jus, in Jubilæo redeant ſine pretio. Ædes tantummodo in munitis urbibus reliquarum tribuum præter *Levitas*, niſi anno primo redimantur, ſuas emptor & perpetuas habeat. (*Lev.* 25. 23, &c.)

8. Ex duabus uxoribus ſiquis liberos ſuſtulerit, maximus natu, etſi ex conjuge minùs dilecta genitus, primogeniti jure nè fraudetur. (*Deut.* 21. 15, 16, 17.)

De Servis Dominiſque.

1. *Hebræus* vir *Hebræo* venditus in ſervitutem, poſtquam ſex annos operam domino collocaverit, liber ſeptimo dimittatur, unà cum uxore, ſiquam attulit; alioqui relictâ, ſiquam à domino accepit, unà cum liberis, diſcedat. Neque diſcedat vacuus, ſed pecude aliquâ frumentóque donatus & vino. Quòd ſi quis libertatem recuſet oblatam, gratámque magìs habeat facilem ſervitutem, ei ſubulâ perforetur auris ad portæ januam poſtémve, non ante Jubilæum emancipando. (*Exod.* 21. 2, &c. *Deut.* 15. 12, &c.) Eadem ſit ancillæ ratio, ut ea quoque non niſi liberaliter donata emancipetur. Servos volunt hos à magiſtratu venditos *Judæi*. Qui enim ſe in ſervitutem dabant, iis quot libuit paciſci annos licebat.

2. Ancillam à patre venditam dominus ipſe ejúſve filius habeat pro uxore. Sin minùs, ab alio redimatur qui volet. Quòd ſi neutrum præſtetur, at alimento, veſtimento commodâque habitatione nè fraudetur. Ex his aliquid ſi deſit, ſui juris & libera ſine pretio ſit. (*Exod.* 21. 7, &c.)

3. Inopiâ adigente, ſiquis *Hebræus* ſervum ſe *Hebræo* vel inquilino vendet, nè aſperiùs habeatur, ſed conductitii more ſeu mercenarii, ad annum uſque Jubilæum, non mancipii. Servi enim *Iſraëlitæ* ſunt *Jehovæ*. At inquilinis venditum frater aliquis, patruus, patruelis, aliúſve redimito propinquus. (*Lev.* 25. 39, &c. 47, &c.)

4. Mancipia niſi ex gentibus profanis nulla tibi ſint, aut ex peregrinis qui apud te degunt. (*Lev.* 25. 44, 45, 46.)

5. Servus qui ad vos confugerit neque domino tradatur profano, neque tractetur apud vos malè, ſed locum eligat ubi commodè vivat. (*Deut.* 23. 15, 16.) Ità intelligenda videntur hæc, ſi proſelytus fuerit, fugerítque, non alicujus facinoris causâ, (nec enim par fuit, ut quibuſlibet fugitivis terra pateret contra gentium jus, multò minùs Eccleſia,) ſed aut Religionis, aut ſævitiæ herilis, à domino crudeli & profano.

De Subditis, Rege, & Judicibus, judiciis ac pœnis.

1. Magiſtratui principíve nè maledicito. (*Exod.* 22. 28.) Sic enim *exſecrationem* interpretatur Sanctus *Paulus*. (*Act.* 23. 5.) Et *Shimeii* exſecratio nihil habuit præter convitia. (2 *Sam.* 16. 5, 7.)

2. Qui-

2. Quicunque judicum ſupremorum ſententiæ non paruerit, morte luito contumaciam. (*Deut.* 17. 12.) *A.M.* 2514.

3. Rex generis *Iſraëlitici* ſit, non peregrini, & quem elegerit *Jehova.* (*Deut.*17.15.)

4. Equitum cohortes nè cumulet ſibi rex, eàve propter in *Ægyptum* reducat populum, quò viribus ſuis nimiùm tribuat. (Ibid. v. 16.)

5. Nè uxores multiplicet, quarum corruptelis & illecebris depravetur. (Ibid. v. 17.)

6. Neque opes magnopere augeat, quò ab his ſalutem quærat. (Ibid.)

7. Sed Librum Legis tranſcriptum à ſe apud ſe habeat perlegátque diligenter, ut *Jehovam* colat unicum, ejúſque præceptis obſequatur. (Ibid. v. 18, 19.)

8. Nè faſtu rex inſolenter tumeſcat, fratréſque omnes præ ſe contemnat. (Ibid. v. 20.)

9. In ſingulis urbibus judices conſtituantur. (*Deut.* 16. 18.)

10. Ii quibus teſtes exſecti ſunt aut vulnerati, (quo plerumque viri effœminantur,) & ſpurii, (ignominiæ causâ, ad reprimendas vagas libidines,) *Moabitæ* quoque & *Ammonitæ*, (quos in via ex *Ægypto* moleſtos magìs ſibi laborantibus, quàm benignos, ut par fuit, experti ſunt *Iſraëlitæ*,) jure nunquam fruantur civitatis apud vos, nec munerum obeundorum ſint capaces. (*Deut.* 23. 1, &c.) *Idumæus* verò *Ægyptiúſ*que, poſt generationem ſecundam, ſi Religionis *Hebraïcæ* particeps, idem & reip. fiat. Hunc enim quaſi hoſpitem habuerunt, illum fratrem *Iſraëlitæ.* (*Deut.* 23. 7, 8.) Spurios, & corruptis teſtibus eviratos, non prohiberi ſacris *Judæorum*, (quod *Calvinus* tamen putat,) videtur perſpicuum ex *Eſai.* 56. 4, 5. Neque advenis & peregrinis interdictum, quò minùs inſererentur Eccleſiæ *Iſraëlitarum*, publicíſque ſacris intereſſent. (*Exod.* 12. 48.)

11. Judices recta juſtáque judicia dent; partium ſtudio nè teneantur, neque capiant munera, quibus ſapientiſſimi occæcantur, & corrumpuntur optimi. (*Deut.* 16. 19. *Exod.* 23. 6, 7, 8. *Lev.* 19. 15. *Job.* 15. 34. *Prov.* 17. 8, 23. & 19. 6. *Eſa.* 1. 23.) Dicunt *Judæi* velle *Moſen*, nè ut æquum judicetur accipienda eſſe munera. In XII Tabulis *Romanorum* eſt conſtitutum, ut ſi judex arbitérve jure datus pecuniam ob rem judicatam accepiſſet, capite pœnas lueret. Maximè verò peregrinos, viduas & pupillos, judiciis nè opprimant iniquis. (*Deut.* 24. 17. & 27. 19.) Denique, innocentes abſolvant, ſontes verò condemnanto. (*Deut.* 25. 1.)

12. Ex curiis inferioribus difficiliora quæque ad concilium ſupremum referantur: Eccleſiaſtica ad Pontificem & concilium ſacerdotum *Levitarúm*que; (*Lev.* 10. 10, 11.) civilia ad Synedrion judicum 71. (*Deut.* 17. 8, &c. 2 *Chron.* 19. 5, &c. *Jer.* 26. 8, &c.) In cauſis omnibus controverſis de jure ſacerdotes ac *Levitæ* reſpondebant, ubi vel obſcura Lex erat, vel ambigua: (*Mal.* 2. 7.) & judicabant ſoli de rebus ſacris. (*Lev.* 10. 10.) De facto in civilibus civiles judices pronunciabant.

13. Nè pater filii filiúſve patris, ſed ſuum quiſque luat peccatum. (*Deut.* 24. 16. *Ezech.* 18. 20. 2 *Reg.* 14. 5, 6. 2 *Chron.* 25. 4.)

14. Nè veſtigia potentiorum ad malè agendum perſequitor; neque plurium ſententiam in judicio iniquo. (*Exod.* 23. 2.)

15. Niſi plurium teſtium judicio, neminem reum condemnato. (*Deut.* 17. 6. & 19. 15. *Num.* 35. 30. *Matt.* 18. 16. *Joan.* 8. 17. 2 *Cor.* 13. 1. *Heb.* 10. 28.)

16. Nè quis pauperem in lite dijudicanda honoret præferátque per miſericordiam. (*Lev.* 19. 15. *Exod.* 23. 3.) Nec eundem propter inopiam iniquo judicio premat. (*Exod.* 23. 6, 7. *Deut.* 24. 17. & 27. 19.) Nè injuſtè magnatum gratiâ judicato. Sed æquâ lance cuncta perpendito, & cuique diſtribuito ſuum. (*Lev.* 19. 15, 35. *Prov.* 18. 5. *Job.* 13. 10. *Pſal.* 58. 1, 2. *Jacob.* 2. 9.)

17. Poſtquam judices hominem nefarium ad lapides condemnaverint, primam inferendæ pœnæ manum teſtes admoveant; populus deinde perſequantur univerſus. (*Deut.* 17. 7.)

18. Verberibus (id eſt, pœnis levioribus) dignos, cædi coràm judex imperato, plagarum numero gravitati criminis reſpondente. (*Deut.* 25. 2.)

19. Nemini plures quadragenis plagas infligito, nè frater pœnæ ignominiâ vileſcat: (ib. v. 3.) id eſt, nè flagellis laceratum corpus reddatur mutilum aut deforme; vel, nè frater infami dedecore notatus animum dejiciat. Numerant *Judæi* 207 delictorum genera leviora & verberibus coërcenda. Scuticâ ferunt ſe uti ſolitos ex loris tribus, quæ uno ictu tria ſimul verbera inferret. Unde factum, ut tredecim ictibus plagas 39 incuteret. Neque poterant plures addere, niſi ſuperato (quod nefas) numero quadra-

A.M. 2514. quadrageno, quem Deus maximum inſtituit. (2 *Cor.* 11. 24.) Ità unum detrahendo ictum, ſatìs ſibi cavere videbantur, nè quo caſu numerum ſuperarent inſtitutum.

20. Si quando malefici cadaver ſuſpendetur, (quod monumenti gratiâ ſolebat fieri poſt lapidationem,) nè pernoctet in furca, ſed eodem die ſepeliatur. Exſecrationi enim eſt Deo qui in patibulo ſuſpenditur. (*Deut.* 21. 22, 23.) In hac lege aliquid ceremoniale continetur, quod *Chriſti* pro nobis exſecrationem ſignificat: (*Gal.* 3. 13.) & aliquid morale, quod ſepulturam poſtulat in reſurrectionis futuræ ſpem; immanémque feritatem prohibet ac truculentiam quâ in humana corpora ſævitur. Suppliciorum capitalium genera quatuor apud *Judæos* fuiſſe perhibent; 1. lapidationem, 2. combuſtionem, 3. ſuffocationem, 4. ſuſpenſionem. Graviſſimum lapidatio habebatur, ſuffocatio leviſſimum: quæ ſudario fieri ſolebat utrinque adducto ſummâ vi. At combuſtio, non extrinſecùs admoto corporibus igne; ſed in os adapertum forcipe plumbum liquefactum immittebatur, quod populabatur inteſtina. Maleficia quindecim lapidatione plectebantur, igne decem, ſuſpendio quatuor, ſtrangulatione ſeptem. Poſt pœnam, unà cum ſepultis condebatur & necis inſtrumentum, ſudarium, lapis, aut crucis lignum.

De Senibus & Junioribus.

1. Coram canis aſſurgito, & ſenes honorato, quicunque Deum timet. (*Lev.* 19. 32.) Quod ubi factum non erat, iræ Divinæ indicium deploratæque impietatis dabat. (*Deut.* 28. 50. *Lam.* 5. 12.) Hoc officium ipſa dictabat ipſis profanis gentibus natura, quod Poëtæ docent veteres.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat———

Sic & alius,

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat:

Lacedæmone præſertim, quæ urbs erat *Græciæ* clariſſima, ubi maximum *Lycurgus* legiſlator honorem, non divitum & potentium, ſed, pro gradu ætatis, ſenum eſſe voluit. Nec ſanè uſquam terrarum locum honoratiorem ſenectus habuit. (*Juſtin.* l. 3.) *Judæi* tradunt, viros etiam doctos nomine *ſenum* ſignificari; & oportere juvenes cubitis quatuor diſtantes appropinquantibus aſſurgere. Senes annis 60 definiunt, 70 canum.

Moralium ſexto Sextum Præceptum, [*Hominem nè occidito,*] de vita ſaluteque agit corporis noſtri & alieni, tum non lædenda facto animóve, tum tuenda pro virili. Leges huic forenſes famulantur complures.

forenſes 20. 1. Odio fratrem nè proſequitor. Si quâ verò injuriâ te damnóve affecerit, corripito liberiùs. (*Lev.* 19. 17. *Luc.* 17. 3. *Matt.* 5. 43, 44. 1 *Joh.* 3. 15.) Malè *Abſalon*, (2 *Sam.* 13. 22.) & adulatores. (*Prov.* 28. 23.)

2. Nè ulciſcitor par pari referendo. (*Jer.* 50. 15.) Neque iram inveteratam geras in populares tuos. Verùm ità diligito vicinum ſicut teipſum. (*Lev.* 19. 18. 1 *Sam.* 24. 12. *Prov.* 20. 22. *Rom.* 12. 19.)

3. Quicunque hominem prudens occiderit, ſive indigena, ſive peregrinus, occidatur. (*Lev.* 24. 17, 21, 22. *Num.* 25. 17, 18. *Deut.* 27. 24. *Gen.* 9. 6. *Prov.* 28. 17. *Exod.* 21. 12.) Homicida pretio vitam nè redimat. (*Num.* 35. 31.) Enſe feriendum *Judæi* homicidam fuiſſe tradunt.

4. Qui callidè odióque deſtinato alteri vitam eripuerit, ipſe ab altari etiam ad necem rapitor. (*Exod.* 21. 14.)

5. Si quis ferreo quovis telo, ſi quis lapideo ligneóve, ad necem inferendam idoneo, ſponte percuſſerit, aut pugno iratus, ità ut inſequatur mors, aliquis mortui propinquus homicidam à judicibus condemnatum ultionis lege interficito. Quòd ſi ultor vel mortuo deſit, vel officio ſuo, judices homicidam neci tradant, nè terra ea polluatur ſanguine quam incolit *Jehova.* (*Num.* 35. 16, &c.)

6. At ſi quis per imprudentiam casúve hominem interimet, Aſyli fruatur beneficio. Ad proximam è ſex urbibus ad hanc rem deſignatis confugiat, nec vindici liceat interficere. Ad cauſam dicendam ſua in urbe tutus accedat, redeátque in aſylum: indè nè quò diſcedat ad mortem uſque Pontificis. Eo defuncto libere quóvis recedito. (*Numer.* 35. 11, &c. *Deuter.* 19. 2, &c. *Exod.* 21. 13.) Huic legi cùm aliquid morale

moraſe ſubeſt, tum verò typus & ſignificatio *Chriſti*, Aſyli communis, quò eſt omnibus à Diabolo & morte refugiendum. (*Prov.* 18. 10. *Zach.* 9. 11, &c.) Idem eſt Pontifex cujus morte peccata expiantur omnia, & reditus in patriam cœleſtem & paradiſum datur. Morale autem habet, 1. Non homicidam temere, cauſâ non ſatis cognitâ, interficiendum. 2. A morte vindicandum eſſe, qui nullo animi propoſito alium fortè occiderit; vitæque innocentis conſulendum. Exſilii tempus præfigitur ad mortem uſque Pontificis; quia miſero exſuli ſpes omnes reditûs abſcindi, minimè humanum fuiſſet. Quum autem novus ſuccederet ſacerdos ad reconciliandum Deo populum, debuit hæc gratiæ renovatio placare omnes offenſas, eóſque in integrum reſtituere qui tantùm erroris pœnas dabant. *A.M.* 2514.

7. Si quis alienum corpus mutilaverit, vitiúmve aliquod intulerit, par pari rependat talionis lege. (*Lev.* 24. 19, 20.) Excipiunt hîc *Judæi*, niſi juſto pretio redimatur jactura membri; & ſumptus in ſanando vulnere, & inutilis otii lucrum ceſſans, & dolor indè atque pudor natus, compenſentur. At ſervi mutilatio libertate gratuitâ compenſabatur. (*Exod.* 21. 26, 27.) Et in Tabulis XII *Romanorum* erat talionis lex: *Si membrum rupſerit, ni cum eo pacit, talio eſto.* Et apud inferos fingitur à *Seneca*,

Quod quiſque fecit patitur; autorem ſcelus
Repetit, ſuóque premitur exemplo nocens.

8. Qui alterum ità percuſſerit lapide lignóve ut decumbat, ceſſationem ejus ab opere, operámque in curando medici, compenſato. (*Exod.* 21. 18, 19.)

9. Qui ſervum ſuum ancillámve baculo cecîderit uſque ad necem, morte luat homicidium. Sin poſt diem unum alterúmve ſervus verberatus occubuerit, ejus interempti causâ quem pretio emit, ſuóque damno eſt amiſſurus, pœnas nè det. (*Exod.* 21. 20, 21.)

10. Qui mulierem gravidam ità percuſſerit ut abortus fiat, multâ redimat peccatum. Sin aliud fœminæ damnum intulerit, lege talionis luito. (*Exod.* 21. 22, &c.)

11. Petulcus cornu bos (aliúdve animal) ſi hominem interemerit, lapidator, nec ejus caro comeditor. Quòd ſi domino bovis denunciatum ſit priùs, eum petulcum fuiſſe, ipſe dominus etiam aut vitâ ſuâ mortem alienam, aut, ſi levior judicibus cauſa videbitur, multâ redimat vitam ſuam. (*Exod.* 21. 28, &c.) Servi aut ancillæ necem ſiclis triginta, ſed interfecto etiam bove, dominus luat. (Ibid. v. 32.)

12. Peregrinum nè opprimas neque ſpoliato; quoniam & ipſi peregrinati fuiſtis in *Ægypto*, vexatíque. Neque viduam affligito aut pupillum. Nè ab oppreſſis invocatus iraſcar, vobíſque interfectis, veſtras uxores viduas faciam, filióſque pupillos. Sed proſelytos alióſque verſantes abſque offendiculo inter vos, eodem quo veſtros populares, imò quo voſmetipſos, amore amplectimini. (*Exod.* 22. 21, 22, 23, 24. *Lev.* 19. 33, 34. *Deut.* 10. 18, 19.)

13. Cæcis offendiculum nè objicito. (*Lev.* 19. 14.)

14. Cæſi hominis cadaver in agro ſi offendatur, non comperto homicidâ, proximæ urbis ſenatores vitulam adducant quæ nullum ſit paſſa jugum in horridam incultámque vallem; auferant illi ferro caput præſentibus ad expiandam cædem ſacerdotibus. Deinde juvencæ imminentes manus lavent ſenatores, atque profiteantur eam ſe neque cædem patrâſſe manibus, neque vidiſſe oculis patratam. Tum demum ſacerdotes apprecentur, ut expiet Deus populum ſuum, neque hujus homicidii reum agat. (*Deut.* 21. 1, &c.)

15. Ædificaturus domum tecto loricam imponito, nè quis indè præcipitans ædes homicidii reas faciat. (*Deut.* 22. 8.)

De Bellis.

Bellum, niſi & ſuſceptum & geſtum legitimè, nihil eſt niſi grande homicidium. Legitimè ſuſcipitur, vel imperante Deo, vel ad tuendas noſtras ſociorúmque res, & vim vi propulſandam. Quæ aut gloriæ ſtudio aut imperii amplificandi fiunt, latrocinia veriùs quàm bella dixeris. Haud ſcio an ſatis pia ſint quæ Religionis cauſam prætendunt, imò quæ propagandæ agunt. *Chriſtus* Evangelium ſuum prædicando, non præliando, (ut ſuam hæreſin *Mahometes*,) propagari voluit. Ad gerendum legitimè bellum, hæ ſunt à *Moſe* leges traditæ.

1. Prodituris ad bellum munda ſint puráque omnia in caſtris, utpote præſente Deo. Nocturno ſemine pollutus quis egrediatur ab exercitu, nec niſi ſolus veſperì occidente Sole redeat in caſtra. In loco etiam extra limites caſtrorum deſignato, ſibi paxillo fodiat quiſque ubi fimum tegat. (*Deut.* 23. 9, &c.)

A. M. 2514. 2. Prælium inituris ità ſacerdos bellicus denunciet: " Nè quid metuite dejicitéve " animos; nè quis pavor hoſtiúmve terror in fugam declinet vos: Aderit enim exerci- " tuum Deus *Jehova*, propugnaturus vos, & profligaturus hoſtes. Deinde miniſtrorum aliquis prodeat atque promulget clarâ voce; " Si quis novam exſtruxit domum, " in qua nondum habitaverit, ſi quis vineam hortúmve plantavit,unde fructus nondum " perceperit, ſi quis deſponſavit uxorem, quam nondum duxerit, recedite omnes hinc, " nè fortè in prælio cæſi nunquam perfruamini votorum ſpe. Si quis timidus puſilla- " nimíſve adeſt, domum & ille redeat, nè ſuo languore infringat remittátque animos " fortiorum. (*Deut.* 20.1,&c.)

3. Eodem quo quis anno conjugem duxerit, à militia & aliis muneribus oneribúſque publicis immunis agat & hilaris cum uxore. (*Deut.* 24. 5.) Addunt *Judæi* ex *Deut.* 20. 5, &c. anno primo feriandum atque lætandum eſſe iis qui novam habitant domum, & fructus colligunt ex horto novo. Sed & alia ſuberat cauſa, cur novi conjuges ſponſíque, & hortorum atque ædium conditores, dimittendi erant ex bello; quoniam adepti novas res, magno in eas affectu ferantur homines plerumque, parùm utiliter in caſtris verſaturi, cùm animos habeant domi. (*Pet. Martyr* in *Judic.* 7.)

4. Cùm eſtis urbem hoſtium longinquam oppugnaturi, proponatur inprimis pax; quam ſi gratam habeant, aperiántque portas, ſoluto vectigali annuo, vivant, ſerviántque. Sin rejiciant oblatam pacem, urbe captâ maſculi cædantur, reliquam diripite abigitéque prædam. (*Deut.* 20. 10, &c.)

5. Urbium obſeſſarum arbores fructiferæ nè ſuccidantur. (*Deut.* 20. 19, 20.)

Moralium ſeptimo Septimum Præceptum, [*Alienos thalamos adulteriis nè corrumpito*,] poſtulat, pudicitiam & caſtitatem noſtram alienámque pro viribus inviolatam conſervari. Eò plures huc ſpectant leges, quò pronior ad laſciviam eſt humana pravitas.

forenſes 23. 1. Nè quis vir matrem ſuam uxorem ducito aut novercam, neque ſororem ſuam aut neptem, &c. amitam aut materteram, neque fratris, (niſi mortui ſine liberis, *Deut.* 25. 5.) patrui avunculíve uxorem, neque nurum aut privignam, neque filiam uxoris aut neptem, neque conjugis denique viventis ſororem. Iiſdem quibus viri gradibus & fœminæ à connubiis abſtinento. (*Lev.* 18. 7, &c.) Moralem eſſe hanc & naturæ legem, omnéſque obligare gentes, ex eo conſtare ait *Melanchthon*, (in Loc. comm. de Conjugio,) quoniam *Canaanæi* propter inceſtas libidines deleti ſunt. (*Lev.* 18. 24, 25, 27, 28.)

2. Qui virginem violaverit volentem, pro uxore habeat: ſed renuente virginis patre, dotem ſolvito, virginem dimittito. (*Exod.* 22. 16, 17.)

3. Servam ſi quis deſponſatam violat, vapulent ambo, arietémque vir offerat pro reatu. (*Lev.* 19. 20, 21.)

4. Nè quis filiam ſuam proſtituat, (quod ab aliis fortaſſe gentibus fieri ſolebat quæſtûs gratiâ,) nè, januâ patefactâ, ruat in libidines univerſa gens. (*Lev.* 19. 29.)

5. Si quis alienam uxorem adulterio corrumpet, (*Deut.* 22. 22.) ſi quis cum noverca ſua, (*Deut.* 22. 30.) ſi quis vir cum maſculo muliebri more, ſi quis cum beſtia rem habuerit vir, fœmináve, (*Deut.* 27. 21. *Exod.* 22. 19.) morte omnes afficiantor, beſtiis etiam contrucidatis. (*Lev.* 20. 10, &c. *Lev.* 18. 10, &c.) Lapidibus obruendos volunt *Judæi*. Animadvertendum hoc in loco, non fuiſſe marito capitale, ſi ſcortando cum pellice ſuam uxorem fraudaviſſet: verùm ſi quis etiam cœlebs mœchatus eſſet cum aliena uxore, letale crimen eſſe voluit Deus; quia & maritus gravi afficitur contumeliâ, & dedecus tranſit ad poſteros, & adulterinus partus ſupponitur pro legitimo, & transfertur ad alienos hæreditas, denique, familiæ nomen furantur ſpurii.

6. Si quis matrem ſimul filiámque duxerit, igne ſimul omnes comburuntor. (*Lev.* 20. 14.)

7. Si quis cum ſorore cubaverit, fœminâve menſtruali, exſcindetur. (*Lev.* 20. 17, 18.)

8. Qui ſuſpectam habuerit uxoris pudicitiam, hanc ineat explorandæ rationem. Poſt monitionem (ut *Judæi* volunt) ſui conjugis neglectam, ut viri alicujus minimè ſibi probati conſortio privato & conſuetudine abſtineat, ad ſacerdotem aliquem producta coram Deo ſiſtatur; farinæ ſimul hordeaceæ decimam afferat pro munere offerendam, ſed nullo thure oleóve admiſto, (quod ſolebat aliàs fieri.) Hanc mulier aperto capite in manibus oblationem teneat; aquam ſacerdos in vaſe fictili ex labro hauſtam æneo, pulveréque injecto quem è ſolo Tabernaculi ſacro collegerit. Deinde, his adjuret eam verbis coram *Jehova*; " Ecce *amaram illam* & *maledictam aquam*, tibi " tamen caſtæ ac innocenti minimè nocituram. *At ſi vitiata ſis, efficiat Deus, ut hâc in*

" *viſcera*

"*viſcera tua penetrante, tumeſcat tibi venter, tabeſcat femur*, tuúmque poſthac in *diris* "*& imprecationibus* exſecratum nomen adhibeatur. Reſpondebit mulier, *Amen, Amen*. Exſecratio hæc inſcripta chartulæ aquâ illâ ſacrâ deleatur, quam deinde mulier accipiet à ſacerdote, ſuum verò ſacerdoti munus porriget. Muneris agitati coram *Jehova* ille partem incendat ſacris ignibus, reliquum verò habeat ſibi. Illa epotâ quam tenet manibus aquâ, ſi fidem fefellit conjugalem, tumeſcente ventre, tabeſcentéque femore, meritò miſeréque interibit. Sin caſta in diſcrimen & innocens vocata ſit, ex ipſo periculo beneficium lucrabitur fœcunditatis. (*Num.* 5. 11, 12, &c.) *A.M.* 2514.

9. Si quis, captivæ formâ captus, è ſerva concupiſcit uxorem, domi apud eum ſit, radat caput, ungues præcîdat, veſtimenta priora novis mutet, lugeat parentes quaſi mortuos menſem integrum; (quo ſuperiori vitæ renunciet, ac tranſeat in alium populum, *Pſal.* 45. 10, 11.) deinde in thalamum domini accedat uxor. Ejuſdem ſi quando tædeat maritum, liberam gratis dimittito; ſed vitiatam à ſe nequaquam vendito. (*Deut.* 21. 10, 11, &c.)

10. Nè qua fœmina veſtem virilem, fœmineámve induito vir; quia exoſum eſt Deo. (*Deut.* 22. 5.) Laſcivia enim hæc ad accendendam alendámque libidinem fomenti loco eſt.

11. Si quis uxorem læſæ ante conjugium caſtitatis inſimulabit, ejúſque parentes coram urbis ſenatu ſigna incorruptæ virginis in panno menſtruis infecto demonſtrabunt; vapulato vir, patríque mulieris ſiclos perſolvito centenos; ipſam verò dimittere uxorem ex eo nunquam liceat. Sin vera objecerit, fœminam ſui cives lapidibus obrutam interimant. (*Deut.* 22. 13, &c.)

12. Si quis virginem deſponſam violat in urbe domóve, ubi opem inclamare licet, utrique lapidibus conficiuntor. Sin verò ſola in agris paſſa vim ſit, unde nullus clamor exaudiri poteſt, adulter ſolus plectitor. (*Deut.* 22. 23, &c.)

13. Qui invitæ virgini vitium obtulerit, uxorem ducito, nunquam repudiato; patríque fœminæ, aut, pater ſi non ſuperſit, ipſi, ſiclos 50 perſolvito. (*Deut.* 22. 28, 29.)

14. Nè ſit ex *Iſraëlitis* vel meretrix fœmina, vel meritorius puer. (*Deuter.* 23. 17.)

15. Mercedem ſcorti, pretiúmve canis, nè quis Deo dedicato. (*Deut.* 23. 18.)

16. Si cui uxor deſpecta ingratáque ſit turpis alicujus rei causâ, divortii libellum ei remittat, atque dimittat à ſe. (*Deut.* 24. 1.)

17. Repudiatam ex aliqua turpitudine minùs placentem uxorem, alteríque nuptam, etſi denuo dimiſſam atque liberam, prior conjux nè ducito. (*Deut.* 24. 2, &c.)

18. Fratris decedentis relictam ſine prole, frater ſibi uxorem jungito. Primogenitus indè mortui fratris & nomen gerat, & hæreditatem adeat. Fratri ſuperſtiti ſi minùs placeat vidua defuncti, ad urbis deferatur ſenatum res, exutóque in porta leviri calceo, (pro more temporum illorum,) eodem vidente deſpuat per contemptum glos, dicátque, *Ità fiet viro, qui fratris demortui gratiâ liberos recuſet tollere*; proverbióque dicetur ejus familia, *hominis familia exuti calceo*. (*Deut.* 25. 5, &c. *Ruth.* 4. 6, &c.) Deinde libera ſit cuivis ut marito nubat.

19. Siqua mulier, ſuo conjugi cum alio concertanti ut auxilium ferat, adverſarii apprehendit pudenda, manus amputetur impudica. (*Deut.* 25. 11, 12.)

20. Cum gentibus profanis conjugia non permiſcebitis, nè ad ſuam vos impietatem cultúmque idolorum ſeducant. (*Deut.* 7. 3, 4. *Exod.* 34. 16.)

21. Sacerdotis filia ſi ſcortetur, quia patrem profanat, comburitor. (*Lev.* 21. 9.)

22. Anno poſt nuptias primo, à bellis publicíſque oneribus muneribúſque immunis agat vir, & hilaris cum uxore. (*Deut.* 24. 5.)

23. In liberorum nuptiis parentum accedat conſenſus. (*Exod.* 34. 16. *Deut.* 7. 3. *Jerem.* 29. 6. 1 *Cor.* 7. 38. *Gen.* 24. 4. & 28. 1, 2. *Jud.* 14. 1, 2.) Sic & apud profanas gentes. *Catull.* (in Carm. nuptial.)

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri;
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.

Octavum Præceptum, [*Furtum nè facito*,] de commodis alienis atque noſtris, tum non minuendis, tum quantum commodè fieri poteſt augendis, imperat: de pauperi- Moralium octavo

A.M. 2514. bus juvandis maximè, qui maximè opem deſiderant alienam. Plurimas verò leges complectitur; atque has inprimis

De utilitatibus aliorum non minuendis.

forenſes 27. 1. Si furto ablata ovis aut bos vendatur juguletúrve, quintuplò hic, illa reddatur quadrupló: ſin apud furem deprehendatur, duplò tantùm; ut aliæ quoque omnes furto ſublatæ res. (*Exod.* 22. 1, 4, &c.) Si furi deſit quod ſolvat, in ſervitutem venditor. (Ibid. v. 3.)

2. Qui furem ædes noctu perfringentem occiderit, impunè habeat; qui exorto Sole, homicidii ſit reus. (Ibid. v. 2, 3.) Credibile eſt, licuiſſe diurnum latronem interficere qui cum telo graſſabatur; quia vim vi repellere naturæ jubet lex.

3. Qui agrum vineámve depaſcet alienam, ſui agri & vineæ optimo rependat. (Ibid. v. 5.)

4. Ad ſpinas minuendas accenſus ignis, agrum alienum aut ſegetem frumentíve acervum ſi ſpoliaverit, rependito damnum qui excitavit incendium. (Ibid. v. 6.)

5. Argentum aut veſtem aliámve rem depoſitam apud vicinum, ſi fures auferant, nec deprehendi poſſint, depoſitarius apud judices juramento liberet ſe. Eundem ſi depoſitor falſi arguat, judicum ſententiâ condemnatus duplum rependito. (Ibid. v. 7, 8, 9.)

6. Ubi pecus cujuſvis generis, aliúdve quid conducto traditum cuſtodi, vel mortuum, vel fractum, vel ablatum fuerit vi, nemine præter cuſtodem conſcio, culpam à ſe juramento amolietur: ſi diſcerptum dixerit, aliquod pecoris membrum demonſtret; ſin ablatum ſit furto, rependatur domino. (Ibid. v. 10, &c.)

7. Si commodata res moriatur corrumpatúrve, domino non præſente, rependitor: ſin adſit dominus, reſtituendum eſt nihil. (Ibid. v. 14, 15.)

8. Rei conductæ, ſi uſu labefactetur, pretium eſt merces. (Ibid. v. 15.)

9. Qui puteum effoderit, nec operuerit eundem, ſi quod illic pecus vicini decidat pereátque, pretium domino ſolvat, mortui cadaver ſibi habeat. (*Exod.* 21. 33, 34.)

10. Petulcus bos jumentum alienum ſi occiderit, inter dominos dividatur pretium vivi, & cadaver mortui. At qui bovem ſuum præmonitus noverat eſſe petulcum, nec eum continuit, pretium vicino rependat, mortui verò cadaver accipiat. (Ibid. v. 35, 36.)

11. Ab *Iſraëlita* paupere mutuò pecuniam accipiente, aut cibum aliámve rem, nè quod fœnus aut incrementum exigito. Ab extraneis accipere licebit, à popularibus tuis non licebit. (*Exod.* 22. 25. *Lev.* 25. 35, 36. *Deut.* 23. 19, 20.)

12. Qui jumentum alienum occiderit, jumentum rependat par, aut pretium ejus. (*Lev.* 24. 18.)

13. Nemo limites agrorum antiquos moveat loco. (*Deut.* 19. 14. & 27. 17. *Prov.* 22. 28.)

14. Veſtimentum pauperis (nocturnum) pignori datum ante veſperam reſtituito, nè ulteriùs detineto. (*Exod.* 22. 26, 27. *Deut.* 24. 12, 13.)

15. Metam aut catillum, aliáve inſtrumenta quibus ad victum & vitam neceſſaria vel parantur vel apparantur, pignori nè accipito. (*Deut.* 24. 6.) Neque veſtem viduæ, aliámve rem ad uſus quotidianos neceſſariam. (Ibid. v. 17.)

16. Accepturus pro re mutuò data pignus, ante oſtium exſpecta dum foras profeſratur, nè ingreditor domum. (*Deut.* 24. 10, 11.)

17. Nè furamini, fallacitérve agite cum vicinis. Nè vi fraudéve aliis damno ſis. (*Lev.* 19. 11, 13.)

18. Nè fraudem facito mercenario pauperi & egeno, *Iſraëlitæ* aut peregrino: ſed mercedem ei ſuam quotidie tradito, nec pernoctare ſinito apud te. (*Deut.* 24. 14, 15. *Lev.* 19. 13.)

19. Nè fraudem aliis facite in dimetiendo, iniquis ponderibus aut menſuris: ſed juſtas adhibete trutinas & pondera, juſtas rerum ſiccarum humidarúmque menſuras. (*Lev.* 19. 35, 36.) Nè quis ergò diverſum habeat vel pondus in loculo, gravius alterum, alterum levius, vel in ædibus Epha majus atque minus; quò diu vivatis, & terrâ fruamini beatâ. Menſuras enim iniquas abominatur Deus. (*Deut.* 25. 13, &c.)

20. Plagiarius qui ex homine *Iſraëlita* vel quæſtum ipſe fecerit, vel ex venditi pretio lucrum, neci dator. (*Deut.* 24. 7. *Exod.* 21. 16.) Strangulando ſuffocatum fuiſſe *Judæi* ferunt hunc furem.

De commodis aliorum augendis, juvandiſque pauperibus, hæ ſunt leges traditæ.

1. *Iſraëli-*

1. *Iſraëlitam* inopiâ laborantem, necnon inquilinum pauperem, munificentiâ ſublevato; pignoréque accepto, pecuniam gratìs mutuò da. (*Deut.* 15. 7, &c. & 23. 19, 20.) A.M. 2514.

2. Septimo quoque anno requieſcant à cultura tum agri, tum vineæ olivetáque. Quas ſponte fruges fructûſve ediderint, pauperes percipiant, & agreſtes reliquum beſtiæ. (*Exod.* 23. 10, 11. *Lev.* 25. 4, &c.) *Iſraëlitis* etiam debita remittantur. (*Deut.* 15. 1, &c.)

3. Neque agrorum latera & angulos demetito, neque ſpicilegium tuæ meſſis facito. Racemos in vinea neque ſingulos colligito, neque deciduos relegito. Pauperibus iſta & peregrinis relinquantur. (*Lev.* 19. 10. & 23. 22.)

4. Vicinorum quorumcunque, etiam inimicorum, (*Exod.* 23. 4. *Luc.* 6. 27.) jumenta oberrantia, aliáſve res caſu deperditas, dominis ut reddantur facito. Sin verò abſint procul, vel ignoti ſint, donec reddi poſſint opportunè, cuſtodiantur. (*Deut.* 22. 1, 2, 3.)

5. Sub onere ſuccumbentibus, alióve modo lapſis, vicinorum jumentis opitulator & erigito. (*Deut.* 22. 4. *Exod.* 23. 5.)

6. In agro vineâve alienâ qui operatur, etiam qui pertranſit eſuriens, uvas colligere, & decerpere ſpicas, quas comedat, fas ei ſit; quas auferat, nefas. (*Deut.* 23. 24, 25.)

7. Manipuli oblitus in agro, peregrinis, pupillis atque viduis relinquito. (*Deut.* 24. 19.)

Præcepto Nono, [*Falſo teſtimonio nè fraudi vicino ſis*,] condemnatur omnis mentiendi falſitas & calumniandi; commendatúrque veracitas & candor in dictis, præcipuè in judiciis publicis. Leges hæ ſunt. *Moralium nono forenſes lex.*

1. Nè quis ut ſuſurro circumforaneus & delator inter populares ſuos ambulato, quò viris probis & innocentibus creet periculum. (*Lev.* 19. 16.) Ferunt *Rakil Hebraïcè* verborum & calumniarum, quaſi mercium, aginatorem ſignificare: διάβολος *Græcè* dicitur. (1 *Tim.* 3. 11.) Hujus eſſe ait *Solomon*, (*Prov.* 11. 13.) linguâ duplici *ſecreta prodere & effutire.* (*Ecclus.* 28. 13, &c.) *Ezechiel* autem Propheta (cap. 22. 9.) *effundi ſanguinem* dicit ab eodem, quod hoc in loco ei tribuitur. Ex hoc hominum genere *Doëgus* ille. (1 *Sam.* 22. 9. *Pſal.* 52. 1, &c.)

2. Nè quis vanos rumores divulgato, improbíſve adjungito ſe teſtem injurium atque mendacem. (*Exod.* 23. 1.)

3. Alienus à mendacio ſis; neque virum juſtum atque innocentem perimito. Nec enim improbum abſolvet Deus. (*Exod.* 23. 7. *Lev.* 19. 11.)

4. Surdis nè maledicito. (*Lev.* 19. 14.)

5. Teſtis perjurus, exploratâ diligenter à ſacerdotibus atque judicibus falſitate, quam inferre alteri conatus eſt, ipſe pœnam ſubeat. (*Deut.* 19. 16, &c.)

6. Vicinos delinquentes corripito, neque in iis feras, & ſilentio transferas in te aliena peccata. (*Lev.* 19. 17.)

Ritè corripimus, 1. diſſerendo; *Job.* 13. 3. *Eſai.* 1. 18.) 2. arguendo; (*Job.* 32. 12.) 3. reprehendendo. (*Eſai.* 11. 4.) Sed privatim hoc faciendum *Judæi* monent, nè pudorem incutiendo irritemus; & comiter amantérque faciendum, nè ex odio profectum videatur; & aſſiduè, donec aut reſipiſcat, aut faſtidiat peccator & reſpuat admonitionem. *David* hanc oſculatus virgam eſt. (*Pſal.* 141. 5.) Alit enim inter ſapientes amorem; (*Prov.* 9. 8.) & prudentiam (*Prov.* 19. 25.) & benedictionem parit. (*Prov.* 24. 25.) In ſe autem transferunt aliorum peccata, qui non opportunè monent, ut ſalvent animam. (*Jac.* 5. 20.) Ab iis ergò ſanguis repetetur pereuntium. (*Ezech.* 3. 18.)

Præcepto Decimo, [*Domum alienam uxorémve nè concupiſcito*, &c.] motus animi etiam non ſpontanei ad peccandum prohibentur, ut ex radice amara fructus, ut ex fonte venenato rivuli. Prohibent enim hi nè toto animorum impetu diligamus Deum, quod Lex Divina poſtulat. Sed nullum huic mandato forenſe additur ſupplicium, quia cogitationis pœnam nemo patitur. *Moralium decimus. Motus etiam primos & non ſpontaneos ad peccata eſſe reprimendos.*

Tot ferè taléſque ſunt leges *Iſraëlitarum* forenſes. De quibus anxiè quæritur à Theologis atque diſputatur, quouſque jam valeant; abrogatæne ſint, an *Chriſtianos* obligent, quomodo *Judæos* olim. Nam, 1. de Ceremoniis antiquatis Apoſtolorum exſtant ſatis clara teſtimonia. (*Act.* 15. 24, &c. *Gal.* 5. 2, &c.) De conſtitutionibus politicis *Judæorum* irritis atque inductis, nihil traditur in ſcriptis Apoſtolorum. 2. Quis autem *Solon* aut *Lycurgus*, *Minos*, aut *Mercurius* etſi *Ter-maximus*, aliúſve quan- *Moſaïca forenſia æquitate ſuâ obligare Chriſtianos docetur.*

A.M. 2514.

quantuſcunque vir, inſcitiæ ac temeritatis humanæ particeps, æquè ſanctis prudentibúſque legibus & inſtitutis temperare poteſt remp. ac ſapientiſſimus atque ſanctiſſimus Deus? (*Deut.* 4. 8.) 3. Quis Moralium & Decalogi genuinas interpretationes atque explicationes valeat reddere, quis vitæ hominum communi accommodare, niſi præceptore in ſuis forenſibus *Moſe?* 4. Quis judicare auſit alienum ſervum, ſervum Dei hominem, quis pœnam ſtatuere capitalem, & eam vitam eripere quam Deus dedit, niſi autore per *Moſen* Deo? 5. Quam gubernandi rationem atque normam, quam negotiandi & bellandi haberemus, converſandíque mutuò in civili re, niſi ex præſcripto Legis *Moſaïcæ?* Quas ad ſcelera coërcenda pœnas, quem ſine hoc Dei cultum, quam probitatem morum, quam caſtitatem conjugiorum, quos magiſtratus, quæ judicia, quam omnino formam reip. haberemus, niſi autorem in his omnibus haberemus Deum, in legibus politicis à *Moſe* traditis autore? 6. Denique, indignum videtur nomine *Chriſtiano*, legibus profanarum gentium ſubjicere ſe, poſthabere Divinas. *Caroloſtadius* ergò, *Caſtellio*, & eorum ſectatores, reſpublicas *Chriſtianas* non aliis legibus quàm iis quas *Moſes* tradidit à Deo temperandas regendáſque cenſuerunt: *Romanum* verò jus, quod latiſſimè dominatur in orbe *Chriſtiano*, aliorúmque regnorum municipalia, deleri omnia volunt, *Moſaïcam* revocari atque retineri. Sed hæc, ut primùm nata, condemnata eſt opinio ab aliis ubique Theologis. Leges enim *Moſaïcæ* forenſes non eo conſilio latæ ſunt, ut omnes gentes, etiam Religionis veræ participes, obſtringerent; ſed ut unam conſtituerent *Hebræorum* Politiam. Nam ex iis plurimæ ità comparatæ ſunt, ut aliis gentibus convenire non poſſint. Nullâ igitur abrogatione ſcriptâ opus eſt, ut ab his liberi ſint *Chriſtiani.* Verùm, ut *Lutherus* ait, *Politia Moſis ideo non eſt nobis neceſſaria, quia nobis non eſt data Lex Moſis, ſed populo tantùm Iſraëlitico. Sicut igitur Patres tenebantur ſuâ politiâ, ſic noſtris quoque nos; nec leges populo Judaïco ad politicam gubernationem traditæ magìs pertinent ad nos, quàm Solonis Draconiſve.* (Tom. 1. *Witeberg.* fol. 7. & 485.) *Calvinus* etiam, (Inſtitut. 4. 10. ſect. 15.) *Quemadmodum ſalvâ*, inquit, *& incolumi pietate abrogari potuerunt Ceremoniæ; ità & judiciariis conſtitutionibus ſublatis, perpetua charitatis officia & præcepta manere poſſunt.* Libertas ergò ſingulis gentibus relicta eſt ſuas condendi leges; quæ tamen ad perpetuam charitatis regulam exigantur: ut formâ quidem varient, rationem habeant eandem, eandem æquitatem ex lege morali, quanquam conſtitutionem diverſam, noſtræ *Moſaïcæ*que. Contumelia ergò Legi per *Moſen* latæ non fit, cùm illi abrogatæ præferantur novæ. Hoc enim non ſimplici collatione, ſed temporum, loci & gentis conditione fit; cujus, tanquam ſapiens Legiſlator, ſingularem quandam in ferendis legibus rationem habuerit Deus. Quare Apoſtoli *Chriſtianos* imperatoribus *Romanis* ac magiſtratibus ſubditos & obſequentes eſſe voluerunt. (*Rom.* 13. 1, &c. 1 *Pet.* 2. 13, &c.) *Anabaptiſtæ* in contrariam planè ſententiam diſcedunt, legéſque forenſes populi *Judaïci* unà cum ceremoniis abrogatas omnes atque ſublatas jam, neque utiles neque utendas ullo modo *Chriſtianis*, arbitrantur. Primò, "Quoniam ſublata "eſt *Moſis* Politia, *Judæis* per terram univerſam diſſipatis, quæ revera typus erat re"gni ſpiritualis, quo dominatur in animis *Chriſtus*; ergò & leges, quæ politiæ cujuſ"que formam conſtituunt, abrogatæ ſunt. At ex hoc nihil probatur aliud, niſi forenſium *Moſaïcorum* magna ex parte ſublatum eſſe *Judæis* uſum, politiâ ipſorum jam diſſolutâ; *Chriſtianis* verò typum (ſi quis fuit) poſt adventum *Meſſiæ*, non & uſum. 2. Deinde, "permulta in Politicis *Moſaïcis* ferunt eſſe (quod & nos fatemur) tempo"ribus illis, regioni, Religioni gentíque peculiaria; ut polygamia, divortia teme"raria, conjugium cum fratria, potus zelotypiæ, venditio liberorum in ſervitutem, "tribuum ſortes & hæreditates, &c. quæ omnibus *Chriſtianorum* gentibus competere "nullo modo poſſunt. At neque hinc probaverint, nullas ex *Moſaïcis* leges aptas utiléſque fore nobis, quoniam aliquæ minùs conveniunt. Hoc igitur cerebroſum genus hominum, *Anabaptiſtæ*, ab omnibus ſanioris judicii Theologis jamdiu & meritò exploſum eſt. Nam "judiciales aiunt leges non ità eſſe abrogatas quomodo puræ ceremo"niæ fuerunt, ut eas non liceat in uſum revocare. Nullas enim unquam æquiores "ſanctioréſve traditas fatentur. Sed ut *Romani* ex *Athenienſium* legibus ſuas com"poſuerunt Tabulas, multis ubique variatis, prout expedire videbatur ſuæ reip. quæ "quidem leges *Atticæ* antea non obligabant populum *Romanum:* ità multò magìs "liberum eſt nobis ex politicis *Moſis* aliquas leges recipere, ſi quæ videbuntur noſtris "rebus convenire. Multa enim habent optimè ac ſaluberrimè conſtituta, quæ multùm proſit imitari, modò abſit neceſſitatis opinio, quaſi Dei mandato, aut immu-

"tabili

" tabili exemplo, ex earum oporteat præſcripto judicare. Hæc ferè *Lutherus*, (Operum tom. 1. *Witeberg.* fol. 7.) *Zanchius*, (in Præcept. 5.) *Urſinus.* (Catechet. explicat. part. 4.) Alii verò nobiles Theologi non modò liberum eſſe, verùm aliquo modo neceſſarium tradunt, ut forenſibus *Moſaïcis* utantur *Chriſtiani* quoad æquitatem, ſubſtantiam, commune ac naturale jus quod in iis continetur, ſcelerúmque pœnas irrogatas à Deo; etſi quoad circumſtantias externas populo *Judaïco* peculiares, & mundi elementa, (ut *Bucerus* appellat,) quoad particulares formulas, (ut *Beza*,) minimè illis teneantur aliæ præter *Judaïcam* politiæ. Sententiæ ſuæ cauſas addunt. 1. "Quia " Deum habent æquiſſimum juſtiſſimúmque latorem, ſummámque judiciorum æqui" tatem præſcribunt *Moſaïcæ* leges. (*Beza* vol. 1. de Hæret. puniend.) 2. "Quia mu" niunt maximè conſcientias, eò quòd ex teſtimonio Legis Divinæ certi ſint legiſlato" res atque judices, nihil ſe facere contra voluntatem Dei. (*Melanchth.* Loc. commun. " de Conjugio.) 3. "Quia cùm æquiſſimæ ſint ac maximè ſalutares, utpote à Deo " latæ, ſummâ bonitate ac ſapientiâ Deo, *per quem reges regnant & principes decer" nunt juſtitiam*; quicunque has non exiſtimat religiosè obſervandas, Deo certè is " vel non ſummam ſapientiam, vel non juſtam ſalutis noſtræ curam attribuit. (*Bucer.* de Regno *Chriſti* lib. 2. cap. 17.) Eadem eſt aliorum quoque Theologorum ſententia, de quibus mox dicendum.

Sed ut hujus ampliſſimæ controverſiæ ſummam planiùs exponam & pleniùs, 1. Forenſia *Moſaïca* in certas claſſes diſtribuenda ſunt, ut dilucidè conſtet, quæ mutabilia & jampridem antiquata ſint, nec ullo modo gentes attingant *Chriſtianas*; & quæ perpetuam immutabilémque rationem habeant, omnibus gentibus quoad earum ſubſtantiam, vim & æquitatem obſervanda. 2. Deinde, pœnarum his legibus additarum ſeveritas, an pariter perpetua communíſque debeat eſſe aliis gentibus præter *Judæos*, diſpiciendum. Inprimis ergò animadvertere oportet, plurimas è judicialibus mixti fuiſſe generis leges, quæ, præter ſanctionem politicam, interdum aliquid morale, interdum ceremoniale, utrumque interdum, continebant in ſe. Præter has, permultas è forenſibus leges illi ſeculo fuiſſe ante natum *Meſſiam*, illi regioni, Religioni, politiæ *Moſis* & ingenio *Iſraëlitarum* contumaci, (*Exod.* 32. 9. & 33. 3. *Deut.* 9. 13.) peculiariter accommodatas. Ceremonialia forenſibus admiſta occurrunt in Præcepti 5. lege 5. & 8. de Liberis & Parentibus, ubi maximo natu ex filiis dupla portio conceditur, *Chriſtus* autem ſignificatur; & in Præcepti 5. lege de Subditis, &c. 20. de ſepeliendo ante veſperam cadavere ſuſpenſo; & Præcepti 6. lege 6. de aſylis: quanquam hæ poſtremæ tum ceremoniam, tum aliquid morale præter legem politicam comprehendant: quemadmodum & Præc. 6. lex 14. de reperto in agris cadavere cæſi hominis percuſſore incognito, ubi hæc ſunt moralia; 1. vias tutas facientibus iter à magiſtratu eſſe præſtandas; 2. reos homicidii ſummâ diligentiâ perſequendos. Ceremonialis autem expiationis ratio eſt, ubi vitula *Chriſtum* notat in ætatis flore interemptum; vallis inculta, *Calvariam*. Sabbatum violantibus imponi capitis pœnam, Præcepti quarti lege primâ, jure ceremoniali *Zepperus* opinatur. Temporibus illis ac Religioni propriæ videntur, 1. polygamia, quam in Eccleſiæ pueritia permiſiſſe quidem, ſed non præcepiſſe, Deum plerique cenſent. 2. Fratris cum uxore fratris ſine prole defuncti nuptiæ. (Præc. 7. lege 18.) 3. De ſervis atque mancipiis quæ ferè ſanciuntur omnia; quo jugo *Chriſtiani Chriſtianos* non premunt. 4. De luco non conſerendo prope Aram Dei. (Præc. 2. lege 4.) 5. De votis. (Præc. 3. lege 4. 5. &c.) 6. De mercede ſcorti & pretio canis non dedicando. (Præc. 7. lege 15.) 7. De ſacerdotis filia ſcortante. (Ibid. lege 21.) Præterea, politiæ *Moſis* peculiaria fuerunt hæc. 1. Ut hæres fœmina in ſua tribu nuberet. (Præc. 5. lege 6.) 2. Hæreditatem nè quis ità venderet, ut in Jubilæo non rediret. (Ibid. lege 7.) 3. Qui non donandi jure civium apud *Iſraëlitas.* (Ibid. de Subditis, Rege, & Judic. lege 10.) 4. De tectis ædium loricâ muniendis. (Præc. 6. lege 15.) 5. De munditia in caſtris propter Dei præſentiam, & de animatione militum auxilii Divini promulgatione. (Ibid. de Bellis lege 1. & 2.) De immunitate à bello, &c. ejus qui novam nuptam duxiſſet. (Ibid. lege 3. & Præc. 7. lege 22.) Necnon eorum qui vineam conſeruiſſent, domúmve conſtruxiſſent novam. (Præc. 6. de Bello lege 2. & 3.) 6. De fœnore non accipiendo à popularibus ſuis. (Præc. 8. lege 11.) Politicum eſſe hoc & proprium huic populo, ex eo patet, quoniam à gentibus aliis fœnus exigere fas fuit. At moralia violare, mentiri, furari, ſcortari, hominem occidere, nuſquam gentium licebat. Item de Sabbato anni ſeptimi, de ſpicilegio, de manipulo in agris relicto, de colligendo ſpicas atque uvas in

agro

A.M. 2514. agro alieno vineâve. (Præc. 8. de Commodis aliorum augendis, lege 2. 3. 7.) 7. De teſtibus primum lapidem jacientibus in ſontes, de verberatione & plagis 40. (Præc. 5. de Rege, Subdit. &c. lege 17. 18. 19.) Denique, *Iſraëlitarum*, cervicoſæ gentis, pravæ indoli aliquæ ſunt aptæ leges. Ut Præcept. 1. lex 9. ubi nè quis vel nomina idolorum animo teneat, oréve proferat, interdicitur: quod eò erat ſeveriùs prohibitum, quòd eſſet ea gens ad idolorum prona cultum. Et Præc. 7. lex 8. ubi de potu zelotypiæ; & lege 16. & 17. ubi de libello divortii remittendo uxori ob cauſam levem agitur. (*Matt.* 19. 8.) Huc ſpectat etiam Præc. 5. de Servis Dominíſque 2. lex, ubi liberos propter egeſtatem vendere conceditur in ſervitutem; & in ſervitutem quemvis rapere debitorum causâ. (Ibid. lege 1. 2. 3.) Reliquæ jam politicæ conſtitutiones *Moſis*, quæ nec ceremoniis implicitæ, nec peculiares erant illi ætati, Religioni veteri, reip. regioni gentíve *Iſraëlitarum*, juris erant omnes moralis, præceptáque omnibus communia, pœnis tantummodo exceptis; de quo mox videbimus. De his ergò ità in ſuos ordines diſtributis facillima erit dijudicandi ratio.

1. Quicquid forenſibus *Moſaïcis* ineſt morale, quod certè plurimum eſt, perpetui eſt immutabilíſque juris; (*Matt.* 5. 17, 18.) quod *Chriſtianos* obſtringit non minùs quàm *Judæos*: non tamen eâ ratione, quia tradidit *Moſes*, populi tantùm *Iſraëlitici* legiſlator; ſed quia communis omnium nationum Rex atque Dominus dictavit imperavítque Deus, legi morali conſentaneum. Multa quidem aliis gentibus ipſa natura ſuggerit eorum quæ ad tuendam faciunt civilem ſocietatem, ab ipſa quodammodo natura inſtitutam. Sed caligante ſæpius ac deficiente naturâ, in moralibus præcipuè, tutiſſimum eſt, ac penè quidem neceſſarium, in pluribus conſulere *Moſen*, atque ab his forenſibus opem atque lucem uberiorem petere. Non enim aliunde quærenda eſt tam genuina & plena Decalogi explicatio, quàm quæ in iſtis *Judæorum* traditur politicis. Neque tamen ipſa veſtigia *Moſis* perſequenda ſunt verbatim, ipsíſque literis inhærendum. Sed quæ nobis deficere videbuntur, ſupplenda; quæ minùs recta è noſtris, indè corrigenda; quæ propria *Judæis*, rejicienda; multa etiam addenda, pro noſtri temporis, regionis, Religionis conditione, atque gentis indole. Ità concedendo vel retudimus vel declinavimus plurima eorum quæ *Caroloſtadiani* objiciunt ad aſſerenda *Moſis* forenſia.

2. Si quid ceremoniale typicum forenſibus *Judæorum* admiſceatur, id omne ſuſtuliſſe *Chriſtum*, ut umbra evaneſcit oriente Sole, docet Apoſtolus. (*Gal.* 5. 2. *Col.* 2. 14, &c.) Ea verò ceremonialia quæ ſpectant ordinem in Eccleſia cultúmque ſacrum, etſi ratione juris particularis *Judaïcí*que ſublata ſint, quoad jus commune tamen vim retinent perpetuam, ut perpetuus debet eſſe cultus Dei. Sabbata quidem *Judaïca*, Tabernaculum atque Templum *Hieroſolymitanum*, Pontifex & Sacerdotes, ritúſque ſacri per victimas, purgationes, ſacramentáque veteris Eccleſiæ, (quorùm nihil erat ſine typis,) antiquata ſunt jamdiu. Tamen aliquid eſſe debet inter *Chriſtianos* quod his omnibus analogiâ quadam reſpondeat: ut, Dies Dominicus Sabbato; Ædes Dominica, Κυριακὴ *Græcè*, *Kyrk*, ſive *Church Anglicè*, Tabernaculo atque Templo; Miniſtri Evangelii Sacerdotibus; Preces laudéſque victimis & opera bona; Baptiſmus & Cœna Dominica Circumciſioni & Paſchati; ritibus aliis alii ritus in peragendo cultu publico decori. (1 *Cor.* 14. 40.)

3. Quæ leges erant *Judæis* quâcunque ratione peculiares, eæ noſtris temporibus, Religioni *Chriſtianæ*, regnis populíſque aliis, neque poſſunt convenire, neque fas eſt obtrudere. Eadem ferè quæ nos & *Zepperus* habet, & *Wolfius Tigurinus*, (in *Deut.* lib. 3. ſerm. 1.) "Forenſes, inquit, leges, quoniam partim juri naturæ & civili ſunt "conſentaneæ, partim *Iſraëlitis* ſolis ceu municipalia ſunt accommodatæ, ideo partim "perpetuæ ſunt, partim abrogatæ. Nam quæ bonis moribus omnium hominum at-"que gentium ſunt neceſſariæ, & juri naturæ conſentaneæ, eas nemo hominum rectè "deleverit: quæ verò ſolis nobis minimè conveniunt, eas nemo jure nobis obtruſerit.

Nihil jam ſupereſt de quo ambigi poſſit perpetuum abrogatúmne ſit, præter Pœnas iis additas legibus à Deo, quæ moralem præceptionem habent. *Gul. Zepperus*, (qui diligentiſſimè tractavit hunc de Forenſibus *Moſaïcis* locum,) ſecutus *Bucerum*, *Muſculum*, *Caſp. Olevianum*, *Franc. Junium*, alióſque Theologos, ità ſtatuit hac in cauſa. "1. Scelerum pœnas capitales nec mutari nec mitigari debere, quas per *Moſen* irro-"gavit Deus; neque infligi novas in capita humana, ubi non irrogavit Deus: ídque "primò, quoniam ipſe *Chriſtus* comprobare videtur homicidii pœnam à *Moſe* conſti-"tutam; (*Matt.* 5. 21, 22. & 26. 52.) S. *Paulus* etiam idololatriæ & ſcortationum.

"(1 *Cor.*

“(1 *Cor.* 10. 7, &c.) Quid igitur afferri poteſt, cur non & aliæ pœnæ quas conſtituit
“Deus ratæ ſint? 2. Scelerum in omnibus ſeculis, & apud quaſcunque gentes, una A.M.
“ſemper eadémque natura & ratio eſt. Quare in uno eodémque delicti genere, com- 2514.
“muni jure civiliter conſiderato, non niſi unica & immutabilis juſtitiæ ratio com-
“muniter omnibus imitanda & obſervanda eſſe poteſt. 3. Satius atque tutius multò
“eſt, illis juſtitiæ regulis acquieſcere quas ab ipſo Deo profectas novimus, quàm hu-
“manis quibuſcunque decretis. Nulla enim judiciorum criminalium ratio juſtior
“conſtitui poteſt, quàm quæ ab ipſo Fonte juſtitiæ, terræque Summo univerſæ Judi-
“ce, promanavit. Nec pii judicis conſcientia poteſt acquieſcere tutiùs, in ferenda de
“capite hominis ſententia, quàm ſi ex ore ipſius Dei pronunciet. 4. Quæ leges cau-
“ſam habent perpetuam, & ipſæ perpetuæ ſunt. Ratio enim quaſi anima eſt legis.
“Quare dum æquitas eadem permanet præcipiendi, vetandi, hanc illámve irrogandi
“pœnam, tam diu ipſa lex pœnáque legis valere debet. *Zepperus* hæc (In Explicat.
legum *Moſaïc.* forenſ. lib. 1. cap. 10.) Sed non eſt temere faciendum, ut omnia *Chri-ſtianorum* regna, reſpublicæ ferè omnes, aut impietatis aut imprudentiæ condemnemus, quæ noxas eaſdem non & pœnis iiſdem quibus *Judæi* coërcuerunt. Itaque alii præter hos quos nominavi nobiles Theologi, quanquam leges *Moſaïcas* præcipuè *Chriſtianis* in conſtituenda rep. imitandas proponant, earúmque inprimis reſpiciendam & obſervandam æquitatem, de pœnis tamen iiſdem retinendis nihil definiunt. 1. Etſi enim ſuppliciorum ratio generalis lege naturali ſit conſtituta, viz. *coërcenda eſſe pœnis peccata*; particularis tamen (niſi paucarum quarundam) ab inſtituto pendet cujuſlibet legiſlatoris. Pœnæ capitales atheiſmi, idololatriæ ejus quâ primum Decalogi præceptum violatur, & blaſphemiæ, necnon homicidii voluntarii, ab ipſa videntur natura ſtatui. Indignus enim vitâ eſt, qui in autorem vitæ contumelioſus eſt Deum. Longéque ante *Moſen* denunciata eſt à Deo capitis in homicidas pœna. (*Gen.* 9. 5, 6.) Alia verò ſuppliciorum genera quæ *Moſes* tradidit, non magìs videntur neceſſaria nobis, quàm ſunt ipſæ leges temporibus illis in Eccleſiæ infantia, politiæ, indolíque pravæ ejus gentis accommodatæ, quas ab aliis gentibus neceſſariò recipiendas nemo dixerit. 2. Pœnas oportet eſſe peccatis pares, intendi atque remitti, graviores levioréſque fieri, ſecundum gravitatem levitatémque delictorum. Eam gravitatem volo, non ex ipſa natura ſcelerum natam, ut furtum eſt gravius mendacio, adulterium furto, (*Prov.* 6. 30, 32.) homicidium adulterio, &c. ſed ratione multitudinis delinquentium. Nam, ut bonum quò communius eò melius; ità pejus malum eſt, ideóque pœnâ graviore comprimendum. Quantò ſeveriùs in *Sodomæos* animadvertit Deus, qui divulgabant ſua peccata, & ad unum erant omnes eodem quaſi epidemico ſcelere correpti; quàm ſolet in homines ſingulos eorundem flagitiorum reos? Nec enim ideo tantùm pœnæ conſtitutæ ſunt, ut qui malè fecerunt malè patiantur; ſed etiam ut exemplo ac terrore ſupplicii alios paria commiſſuros reprimant. (*Deut.* 17. 13. & 19. 20.) Quò flumen eſt rapidius & violentius, eò aggeres oportet eſſe firmiores quibus obſtruitur vel continetur: ità quò magìs eſt aliqua vitio depravata gens, aut in vitium prona, eò ſeveriora debent eſſe ſupplicia quibus coërceatur. Proſpexit Deus latrocinia pauca admodum apud *Iſraëlitas* futura, cùm eſſent vicinis *Arabibus* diſſimillimi; frequentiora multò adulteria, ut in gente ad laſciviam proclivi. (*Num.* 25. 1, &c.) Quare in adulteria (præter polygamiæ remedium) capitale ſupplicium; in latrocinia haud ſcio an ullum conſtitutum ſit. Ex quo perſpicuè ſatìs conſtat, ad ingenium ejus populi pœnas accommodaviſſe Deum. Non igitur neceſſe eſt retineri eaſdem ubique gentium, quas genti *Judæorum* cenſuit neceſſarias Deus: ſed pro delicti gravitate pœna exaggeranda, pro levitate remittenda eſt; modò caveatur hoc unum, nè quid in hominis vitam præter voluntatem autoritatémque Dei ſtatuatur, (*Gen.* 9. 6. *Jac.* 4. 12.) vel expreſſam, vel ex quadam analogia elicitam. Denique, in regno *Chriſti*, miſericordiæ clementiæque autoris, non eſt augenda pœnarum, ſed potiùs minuenda ſeveritas. *Nec enim Filius hominis ad vitam hominibus tollendam, ſed conſervandam, advenit.* (*Luc.* 9. 56.) Itaque adulteram (*Joan.* 8.) non remiſit ad magiſtratum, ut hominem leprâ purgatum ad ſacerdotem; (*Matt.* 8. 4.) ſed monitam atque impunitam dimiſit. Quo S. *Auguſtinus* argumento diſputat hac ipſa in re. (Ad *Pollent.* de Adult. & conjug. 2. 6. 7.) Deinde, qui *Moſaïcæ* Legi ſuberant, ſpiritum ſervitutis atque terroris acceperunt; adoptionis verò nunc habent *Chriſtiani* (*Rom.* 8. 15.) atque amoris. Et illis pœnæ expiabant peccata, figuræ *Chriſti*; nunc æterna manet mors delinquentes ſub Evangelio, multò gravior pœna: ut tantâ jam ſeveritate

Eeeee non

A.M. 2514. non ſit opus quantâ olim fuit. Hæc *Origenes*. Nec *Paulus* hominem inceſtûs reum affici morte imperat, (1 *Cor.* 5.) ſed Eccleſiâ tantùm excludi. Qui ergò fures ſuſpendio plectunt, vereor ut hujus pœnæ rationem probaturi ſint Deo, quæ nec à Deo ſtatuitur, & tantò eſt gravior peccato, quantò eſt vita bonis omnibus præferenda. (*Job.* 2. 4.) Videamus nè (quod *Eraſmus* conqueritur) avaritia noſtra faciat, ut ideo magnum malum exiſtimemus furtum, quia pecuniam ſummi boni loco ducimus. (Annot. in *Hieron.* epiſt. ad *Innocent.*) Jam verò quæ pro pœnis capitalibus diſputantur à *Zeppero*, fortaſſe non ità gravia ſunt ſi excutiantur. 1. Nihil habet D. *Paulus* quo aut cauſam hanc, aut pœnas Veterum à nobis retinendas, probet. At *Chriſtum* fatemur jure capitalem homicidii pœnam comprobaviſſe, quam ipſa natura potiùs irrogavit quàm *Moſes*. 2. Eandem ſcelerum eſſe apud omnes gentes, & in omnibus ſeculis, rationem, pernegamus. Quis enim ignorat, mendaciſſimos olim fuiſſe *Cretenſes*, *Arabas* latrociniis maximè deditos, aliquas ebrietati gentes, alias laſciviæ, omnes ſuis quibuſdam vitiis laborare, ſive aliquo peculiari ſiderum influxu, ſive ſoli intemperie? quibus, tanquam popularibus morbis, quò magìs totum reip. corpus infeſtatur, eò remedia par eſt adhiberi fortiora. 3. In ferenda ſententia nihil eſt cur judicis conſcientia turbetur, qui aut eaſdem pœnas infligit quas *Iſraëlitis* Deus, aut leviores. Capitalibus enim pœnis quarum non eſt autor vitæ ipſius autor Deus, equidem non audeo me patronum exhibere. Melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem. (Aûtor Oper. imperfect. Homil. 43. in *Matt.* 23.) 4. Denique, non eſt eadem cauſa, ratio, æquitas pœnarum apud nos aliáſve gentes, quæ fuit olim apud *Iſraëlitas*. Alia enim apud alias nationes magìs regnare vitia ſolent, quæ propterea caſtigari ſeveriùs debent.

FINIS.

Elenchus Orationum quæ in Annalibus paſſim occurrunt.

DEI
- *ad* Cainum, *p. 63.*
- *ad* Noachum, 72, 73, 74.
- *ad* Abramum & Saram, 169.
- *ad* Jacobum, 236.
- *ad* Moſen, 275, 276, 278, 298, 299, 303, 304, 305, 344, 370.
- *ad* Joſuam, 377, 382.
- *ad* Helin *per Prophetam*, 550.
- *ad* Samuelem, 551, 558.
- *ad* Davidem, 605.
- *ad* Solomonem, 637, 640, 644.
- *ad* Jeroboamum, 644.
- *ad* Eliam, 661.

Abrahami *ad* Iſaacum, *& è contrà*, 178.
Jacobi *ad Deum*, 213.
Ejuſdem ad filios Simeonem & Levi, 216.
Rubeni *ad fratres*, 219.
Judæ *ad eoſdem*, 220.
Joſephi *ad heram*, 222.
Heræ ad Potipharem, *ibid.*
Judæ *ad* Joſephum, 233.
Joſephi *ad fratres*, 234, 241.
Jacobi *ad filios*, 239, *&c.*
Ægyptii *Regis ad proceres*, 253, 254.
Procerum ad Regem, 282, 283.
Iſraëlitarum *ad* Moſen, 288, 289.
Moſis *ad* Iſraëlitas, 289.
Eorundem ad Moſen, 298.

Moſis
- *ad Deum*, 308.
- *ad* Levitas, 309.
- *ad Deum, ibid.*
- *ad Sacerdotes*, 316.

Speculatorum decem imbellium, & Calebi, *præſertim* Joſuæ, 341, 342, 343.
Iſraëlitarum *ad* Idumæos, 351.
Rahabæ *ad ſpeculatores*, 378.
Joſuæ *ad Deum*, 382.
Phineis *ad* Trans-jordanos, 393, 394.
Joſuæ *ad populum*, 394, 395.
Populi ad Joſuam, 395.
Prophetæ anonymi ad Iſraëlitas, 402.
Deboræ *ad* Barachum, 434.
Gideonis *ad* Ephraïmitas, 444.
Jothami *ad* Sichemitas *per modum Apologi, primi omnium & præſtantiſſimi*, 491.
Gaalis *ad eoſdem*, 497.
Jephtæ *ad* Ammonitas, *& ſuam filiam*, 518.
Dalilæ *ad* Samſonem, 540, 541.
Heli *ad filios*, 550.

Samuelis
- *ad* Iſraëlitas, 558, 562, 563.
- *ad* Saulum, 567, 570, 571.

Jonathanis *ad patrem*, 577, 578.
Sauli *ad* Benjaminitas, 581.
Abimelechi *ad* Saulum, *ibid.*

Davidis
- *ad eundem, & viceverſâ*, 583, 584.
- *ad* Nabalem & Abigailem, 585, 586.
- *ad* Saulum, 587, 588.
- *ad commilitones*, 592.

Sauli *ad armigerum*, 592, 593.

Abneri
- *ad* Joabum, 597.
- *ad* Isboſethum, 598.

Davidis
- *ad proceres*, 600.
- *ad* Michalem, 604.

Nathanis *ad* Davidem, 609.
Viduæ ad eundem, 613.
Achitophelis *ad* Abſalomum, 617.
Huſaii *ad eundem*, 618.
Joabi *ad* Davidem, 621.
Mephiboſethi *ad eundem, ibid.*
Matronæ Abelenſis *ad* Joabum, 624.
Joabi *ad* Davidem, 627.
Davidis *ad* Solomonem, 628, 629.
Davidis *morituri ad proceres regni populùmque*, 631, 632.
Solomonis *ad Deum*, 638, 639.
Reginæ Sabæ *ad* Solomonem, 642, 643.
Jeroboami *ad* Rehoboamum, 645.
Rehoboami *ad ſubditos*, 645, 646.
Ahiæ *ad* Jeroboami *uxorem*, 648, 649.
Abiami *ad* Iſraëlitas, 649.
Azariæ *ad* Judæos, 652.
Jehoſaphati *ad Deum*, 663.
Viduæ ad Eliſham, 666.
Eliſhæ *per epiſtolam ad* Jehoramum, 670.

Hezechiæ
- *ad ſacerdotes*, 704.
- *ad populum*, 710.

Rabſhakis, 710, 711.
Hezechiæ *ad Deum*, 711.
Huldæ *ad* Judæos, 734, 735.
Danielis *ad* Nabuchodonoſorum, 743, 744.

COLLOQUIA.

Regis Beræ *cum* Abramo, *p.* 162.
Abrami *cum Deo*, 167.
Dei cum Abimelecho, 175.
Abimelechi *cum* Abramo, *ibid.* & 176.
Labani *cum* Jacobo, 208.
Jacobi *cum* Labano, 211.

Joſephi
- *cum proceribus* Ægypti, 223.
- *cum* Pharaone, 225.
- *cum fratribus*, 229, 230.

Rubeni *cum* Jacobo, 231.

Jacobi

Jacobi *cum* Juda, *ibid.*
Dei cum Diabolo, 248.
Jobi *cum Vxore*, 249.
Moſis *cum* Aarone, 308.
Dei cum Moſe, 310.
Moſis *cum Deo*, 338, 340, 343.
Corachi *cum* Moſe, 344, 345.
Joſuæ *cum* Iſraëlitis, 395.
Angeli cum Gideone, 442.
Zebulis *cum* Gaale, 497.
Samſonis { *cum Vxore*, 536. / *cum* Iſraëlitis, 537.
Davidis { *cum* Saulo, 574. / *cum* Goliatho, 575. / *cum* Jonathane, 579.
Sauli *cum* Davide, 587, 588.
Davidis *cum* Amaſaio, 589.
Sauli *cum Saga*, 590.
Davidis { *cum* Achiſho, 590, 591. / *cum* Shimeio, 622.
Judæorum *cum* Iſraëlitis, 623.
Bathſebæ, & Nathanis, *cum* Davide, 630.
Eliæ *cum Vidua*, 655.
Obadiæ *cum* Elia, 656.
Eliæ { *cum Deo*, 657, 658. / *cum* Achabo, 660.
Achabi *cum* Jehoſaphato, 661, 662.
Eliſhæ { *cum* Jehoramo, 665, 666. / *cum* Shunamitide, 667. / *cum* Naamano, 671. / *cum* Hazaële, 672.
Dei cum Jona, 691.
Eſaiæ { *cum* Shebna, 711. / *cum* Hezechia, 713.
Gygis *cum regina ſua*, 718.

Errata ſic corrige.

PAg. 114. l. ult. lege *domare*. p. 201. l. 1. lege *dixerit*. p. 252. l. 17. lege *exitio*. p. 309. l. 14. lege *eſſet*. p. 337. in Marg. lege *A. M.* 2515. p. 342. l. penult. lege *animis*. p. 354. l. ult. lege [illegible]. p. 410 l. 28 lege *eò*. p. 434 l. 39. lege *proficiſcamur*. p. 463. l. 10. (à fine) lege *ſternuntur*. p. 473. l 23. lege *ſanandos*. p. 502. l. 13. (à fine) lege *ſtuprum*. p. 502. l. 12. lege *cenſeat*. p. 545. l. 1. in Marg. lege *A M* 2882. p. 599. l 29. lege *collocuturus*. p. 687. in Marg. lege *imperat Lacedæmoniis*.
